IDC

SACRORUM CONCILIORUM

NOVA, ET AMLPISSIMA COLLECTIO,

IN QUA PRÆTER EA QUÆ

PHIL. LABBEUS ET GABR. COSSARTIUS S. J.

Et noviſſime NICOLAUS COLETI *in lucem edidere*,

EA OMNIA INSUPER SUIS IN LOCIS OPTIME DISPOSITA EXHIBENTUR, QUÆ

JOANNES DOMINICUS MANSI,

ARCHIEPISCOPUS LUCENSIS EVULGAVIT.

EDITIO NOVISSIMA

AB EODEM OPTIME MERITO PRÆSULE

POTISSIMUM FAVOREM ETIAM ET OPEM PRÆSTANTE

EM.mo CARDINALI DOMINICO PASSIONEO

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO,

ALIISQUE ITEM ERUDITISSIMIS VIRIS MANUS AUXILIATRICES FERENTIBUS CURATA,
Novorum Conciliorum, novorumque Documentorum Additionibus locupletata,
Ad MSS. Codices Vaticanos, Lucenſes, alioſque recenſita, & perfecta.

ACCEDUNT ETIAM NOTÆ, ET DISSERTATIONES QUAMPLURIMÆ, QUÆ IN CETERIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR.

TOMUS VIGESIMUS.

Ab anno MLXX. uſque ad ann. MCIX. inclusive.



VENETIIS MDCCLXXV.
APUD ANTONIUM ZATTA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

(Editio iterata ad Editionis principis exemplum ab Huberto Welter. Bibliopola, Via dicta Bernard Palissy 4, Parisiis M.D.CCCCII.)

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. D. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Sacrorum Conciliorum &c. Auctore P. Philippo Labbeo Soc. Jeſu curante Nicolao Coleti, & Joanne Dominico Manſi &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 20. Dicembre 1767.

(Sebaſtian Zuſtinian Riform.
(Alviſe Vallareſſo Riform.
(Franceſco Moroſini 2.° Cav. Proc. Riform.

Regiſtrato in Libro a Carte 335. al Num. 2304.

Davidde Marcheſini Segr.

SYLLABUS
EORUM, QUÆ IN TOMO XX.
CONTINENTUR.

Quæ hoc Indice ☞ notata ſunt, noſtræ Editioni noviter acceſſere *P. Joannis Dominici Manſi* cura, qui ad Archiepiſcopatum Lucenſem evectus, glorioſe obiit, omiſſis iis, quæ forte typothetarum vitio notari non potuerunt.

ANNO CHRISTI		
1070	*CONCILIUM ROMANUM.*	pag. I.
☞	Ad Concilium Romanum Adnotatio Critica.	*ibid.*
☞	*Synodus Trevirenſis.*	2
☞	*Synodus Volaterana.*	*ibid.*
	CONCILIUM WINDLESHORENSE.	4
	CONCILIUM LONDINENSE.	*ibid.*
	CONCILIUM PROVINCIALE incerti loci.	7
1071	— *PEDREDANUM* in Anglia.	*ibid.*
	— *MOGUNTINUM II.*	*ibid.*
	Ejuſdem Acta.	10
☞	*Additio ad Concilium Moguntinum.*	15
☞	*CONCILIUM SENONENSE.*	18
☞	— *GERMANICUM* incerti loci.	19
1072	— *GALLICANUM.*	*ibid.*
	Lanfranci Ep. Cantuarienſis Epiſtolæ canonicæ.	26
	CONCILIUM ROTOMAGENSE.	34
	Tituli canonum.	*ibid.*
	Præfatio & canones.	35
	Notæ & Obſervationes D. Angeli Godin.	39
	CONCILIUM CABILONENSE.	49
☞	— *PARISIENSE.*	50
1073	Conciliabulum Erphordienſe.	*ibid.*
	Gabrielis Coſsartii Additio.	52
	CONCILIUM ROMANUM.	55
	VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA GREGORII PAPÆ VII.	*ibid.*
	Epiſtolarum Liber I.	60
	— Liber II.	126
	— Liber III.	186
	— Liber IV.	206
	— Liber V.	235
	— Liber VI.	256
	— Liber VII.	287
	— Liber VIII.	311
	— Liber IX.	339
☞	*Obſervatio in ſequentes Epiſtolas tres.*	
☞	Ad R. Flandrenſium Comitem.	370
☞	Ad Tervarnenſes.	371
☞	Ad Robertum Flandriæ Comitem	*ibid.*
	Epiſtolarum Liber decimus vacat.	
	Earumdem Liber XI.	372

ANNO CHRISTI		
1073	Appendix.	374
☞	*Ad Epiſtolas, & Decreta Gregorii Papæ Appendix altera ab anno 1073 ad 1085.*	375
☞	Ad Henricum Ep. Tridentinum.	*ibid.*
☞	Anathema in Henricum Regem.	*ibid.*
☞	Ad Germanos.	378
☞	Ad eoſdem altera.	379
☞	Ad Rodulphum Regem & Saxones	382
☞	Ad Gallos.	*ibid.*
☞	Ejuſdem ad Germanos.	383
☞	Ad Wilelmum Anglorum Regem.	*ibid.*
☞	Ad Germanos.	*ibid.*
☞	Ad eoſdem.	385
☞	Decretum Gregorii VII. Papæ.	*ibid.*
☞	Diverſorum ad Gregorium VII. Epiſt.	386
☞	Saxonum ad eundem.	*ibid.*
☞	Eorundem ad eundem.	387
☞	*Præmonitio in ſequentem Sigefridi Archiep. Moguntini Epiſt.*	389
☞	Sigefridi Archiep. Moguntini ad Gregorium Papam.	390
	CONCILIUM CABILONENSE.	391
☞	— *PRAGENSE.*	394
	— *IN NEMPOPULONIA.*	*ibid.*
	— *ROTOMAGENSE.*	395
1074	— *ROTOMAGENSE* alterum.	398
	Capitula Concilii apud Winsoniam celebrati.	399
	CONCILIUM ROMANUM I.	401
	Index Capitulorum, Prologus, & Capitula.	403
☞	Ad Concilium Rom. I. additio.	431
☞	Gregorii VII. Decretum.	433
☞	Epiſtola Sigefridi Ep. Moguntini ad Gregorium Papam.	434
☞	Ejuſdem ad eundem.	435
☞	*CONCILIUM ROMANUM II.*	*ibid.*
☞	— *PARISIENSE.*	437
☞	*Adnotatio Collectoris.*	*ibid.*
	CONCILIUM APUD S. GENESIUM.	438
☞	Ad idem Concilium Adnotatio Chronologica.	439

CON-

ANNO CHRISTI		
1074	*CONCILIUM ANGLICANUM.*	439
	Synodus in Erphordia.	*ibid.*
	Synodus Rotomagenſis.	441
	CONCILIUM REMENSE.	*ibid.*
1075	*CONCILIUM ROMANUM II.*	443
	Notæ Severini Binii.	*ibid.*
	CONCILIUM MOGUNTINUM	445
	— *PENEVENTANUM.*	*ibid.*
	— *APUD S. MAXENTIUM.*	447
	— *APUD COENOBIUM S. MAXENTII.*	*ibid.*
	— *PICTAVENSE.*	449
	— *GENERALE SUB LANFRANCO*	*ibid.*
	— *LONDONIENSE.*	*ibid.*
	Aliud exemplar Concilii Londonienſis.	453
	Aliud item exemplar.	*ibid.*
	CONCILIA SALONITANUM & SPALATENSE.	455
	CONCILIUM SANCTONENSE.	*ibidem.*
	— *TOLOSANUM.*	457
	— *SALONITANUM*	*ibid.*
	— *SPALATINUM.*	*ibid.*
1076	— *WINTONIÆ.*	459
	Jusjurandum Roberti Carnotenſis Ep.	461
	Conciliabulum Wormatienſe.	463
	Additio ad idem Conciliabulum.	*ibid.*
	Literæ Henrici Regis.	465
	Ejuſdem ad Germanos.	*ibid.*
	CONCILIUM TRIBURIENSE.	467
	— *ROMANUM III.*	*ibid.*
	Notæ Severini Binii.	469
	Ad Concilium Romanum additio	471
	CONCIL. SALONITANUM II	473
	— *APUD OPPENHEIM.*	475
	Conciliabulum Papienſe.	*ibid.*
	Ad Concilium Papienſe Adnotatio.	477
	CONCILIA SCOTICA SUB MALCOLMO III.	479
1077	*CONCILIA APUD ANSAM.*	481
	Ad Claromontanum Concilium additio.	483
	Ad Concilium Auguſtodunenſe additio.	489
	CONCILIUM BISULDUNENSE	491
	Synodus in Græcia Gr. Lat.	491
1078	*CONCILIUM PICTAVENSE.*	495
	Ejuſdem Canones.	498
	Ad idem Concilium Additio.	499
	CONCILIUM SUESSIONENSE.	501
	Obſervatio Philippi Labbe.	*ibid.*
	Confirmatio Fundation. S. Quintini.	502
	CONCILIUM ROMANUM IV.	503
	Notæ Severini Binii.	506
	CONCILIUM BURDIGALENSE.	*ibid.*
	Synodus Epiſcoporum & Abbatum.	507
	CONCILIUM ROMANUM V.	*ibid.*
	Canones.	509
	Notæ Severini Binii.	511
	Additio Labbei.	*ibid.*
	Ejuſdem Additio altera.	514
	Obſervatio P. Pagi.	515
	Ad Concilium Romanum Additio.	*ibid.*
	Decreta Gregorii VII.	518
	Sententia a Gregorio VII prolata	*ibid.*
	Synodus Gerundenſis.	*ibid.*

ANNO CHRISTI		
1079	*CONCILIUM ROMANUM* in cauſa Henrici Regis.	517
	CONCILIUM ROMANUM VI.	523
	Notæ Severini Binii.	526
	Additio Philippi Labbe.	*ibid.*
	CONCILIUM BRITANNICUM.	527
	— *BURDIGALENSE.*	*ibid.*
	Ad Concil. Burdigalenſe Additio.	529
1080	*CONCILIUM ROMANUM VII.*	531
	Notæ Severini Binii.	536
	Ad Concil. Romanum Additio.	537
	CONCIL. WIRTZEBURGENSE.	538
	Conventus Moguntinus.	539
	Ad eundem Additio.	542
	Epiſtola Henrici Spirenſis.	543
	Ejuſdem altera de eodem argumento.	*ib.*
	Epiſt. Thiederici Wirdunenſis Ep.	545
	Ejuſdem ad Egbertum.	546
	Conciliabulum Brixinenſe.	547
	Ejuſdem Acta ampliora.	*ibid.*
	CONCILIUM INCERTI LOCI IN NAVARRA.	549
	CONCILIUM BURDEGALENSE.	551
	— *LUGDUNENSE.*	*ibid.*
	— *AVENIONENSE.*	553
	— *SENONENSE.*	*ibid.*
	CONCILIUM JULIOBONENSE.	555
	Præfatio & Canones.	*ibid.*
	Ejuſdem Editio altera.	559
	Notæ Angeli Goudin.	564
	Electio Walterii Epiſc. Cabilonenſis.	570
	CONCILIUM LINGONENSE.	*ibid.*
	— *SANTONENSE.*	571
	Ad Santonenſe Concilium Additio.	*ibid.*
	CONCILIUM MELDENSE.	573
	— *BURGENSE.*	*ibid.*
	APUD LILLEBONAM.	575
1081	— *ROMANUM VIII.*	578
	— *EXOLDUNENSE.*	*ibid.*
1082	Conventus apud Oxellum.	579
	CONCILIUM CARROFENSE.	581
	— *MELDENSE II.*	583
	— Ad idem Concil. Adnotatio.	*ibid.*
	Literæ Guarini Comitis Roſnacenſis.	585
	CONCILIUM LUGDUNENSE.	587
1083	— *ROMANUM IX.*	*ibid.*
	— *SANTONENSE II.*	589
1084	— *ROMANUM X.*	*ibid.*
	CONCILIABULUM ROMANUM.	*ibid.*
	CONCILIUM CATALAUNENSE.	591
	Conciliabulum Romanum.	593
	Literæ Clementis III. ad omnes Chriſtifideles.	*ibid.*
	Clementis & Concilii Romani Synodica.	596
	Ejuſdem ad Hoſtienſem Ep.	599
	Ejuſdem ad Rotbertum Bambergenſem Ep.	600
	Ejuſdem ad Ruithardum Archiepiſc. Moguntinum.	601
	Conventus Pereſtadenſis.	602
1085	*CONCILIUM GLOCESTRENSE.*	603
	Charta Willelmi Regis Primi.	*ibid.*
	Conciliabulum Moguntinum.	*ibid.*
	CONCILIUM WESTMONASTERIENSE.	605
	— *LONDINI.*	*ibid.*
	Conventus Berbacenſis.	*ibid.*
	CONCILIUM QUINTILINEBURGENSE.	607

ANNO CHRISTI		
1085	— *COMPENDIENSE*.	810
	Conciliabulum Moguntinum.	614
1086	*CONCILIUM TOLETANUM*.	615
	Conciliabulum Ravennenſe.	*ibid.*
	Conventus apud Monaſterium Balneolenſe.	618
	Appendix altera Epiſtolarum Gregorii VII. Papæ.	619
	VITA VICTORIS PAPÆ III.	630
	Additio Philippi Labbe.	631
☞	Conciliabulum Moguntinum.	635
1087	*CONCILIUM CAPUANUM*.	638
	— *BENEVENTANUM*.	639
	VITA ET EPISTOLÆ URBANI PAPÆ II. 642	
	Ejuſdem Pontificis Epiſtolæ.	643
	Appendix ad eaſdem Epiſtolas.	666
☞	Ad Epiſtolas & Decreta Appendix altera.	704
1088	*CONCILIUM FUSSELENSE*.	717
1089	— *TURRITANUM*.	*ibid.*
	— *ROMANUM I.*	719
☞	Ad idem Concilium Additio.	*ibid.*
	CONCILIUM SANTONENSE.	721
	— *TROJANUM*.	*ibid.*
	— *MELFITANUM*.	722
☞	Ad idem Concilium Additio.	726
☞	Canones additi.	727
1090	Conventus Epiſcoporum.	*ibid.*
	CONCILIUM NARBONENSE.	729
	Ejuſdem Concilii Pars prior.	*ibid.*
	— Pars Altera.	731
	CONCILIUM TOLOSANUM.	734
1091	— *LEGIONENSE*.	735
	— *BENEVENTANUM*.	738
	— *ROTOMAGENSE*.	739
	— *SUESSIONENSE*	742
	— *REMENSE*.	745
1092	— *STAMPENSE*.	750
	— *PARISIENSE*.	751
☞	— *WIGORNENSE*.	754
☞	— *REMENSE II.*	755
☞	*Synodus Szabolcbenſis*.	757
☞	Narratio prævia.	*ibid.*
☞	Præfatio.	758
☞	Capita a 759. uſque 780. incluſ.	
1093 ☞	*CONCILIUM BURDEGALENSE*.	786
	— *TROJANUM*.	789
	Conventus Epp. Angliæ.	791
1094	*CONCILIUM ROCHINGAMLÆ*.	*ibid.*
	CONCIL. CONSTANTIENSE.	795
	— *REMENSE*.	*ibid.*
☞	Ad Concilium Remenſe Additio.	798
	CONCILIUM BRIVATENSE.	*ibid.*
	CONCILIUM EDUENSE.	799
☞	Ad idem Concilium Additio.	800
1095	*CONCILIUM PLACENTINUM*.	801
	Capitula Statutorum.	805
☞	Ad idem Concilium Additio.	810
☞	Ad idem Concilium Variantes Additio Nova cum Collectoris Admonitione.	814
1096	*CONCILIUM CLAROMONTANUM* 815	
	Tituli & canones.	816
	Synodalis Concio Urbani Papæ II.	821
	Sermo Urbani Papæ II. in eodem Concilio.	824
	Ad idem Concilium Appendix Prima. 828	
	Petri de Marca Diſſertatio de Primatu Lugdunenſi, & cæteris Primatibus.	829
	Notæ ad Canones I. II. VII. & XXVIII. *ejuſdem Concilii*.	884
	Ad idem Concilium Appendix altera. 901	
☞	Ad idem Concilium Additio.	913
	CONCILIUM ANGLICANUM.	919
	— *LEMOVICENSE*.	*ibid.*
☞	— *COMPENDIENSE*.	921
	— *ROTOMAGENSE*.	*ibid.*
	— *TURONENSE*.	925
☞	Ad Turonenſe Concilium Additio.	927
	CONCILIUM SANTONENSE.	931
☞	Synodus Atrebatenſis.	932
	CONCILIUM NEMAUSENSE.	*ibid.*
	Canones.	933
	Gabrielis Coſſartii Additio.	937
☞	Ad Nemauſenſe Concilium Additio. 939	
☞	*CONCILIUM REMENSE*.	941
1097	*Synodus duplex Atrebatenſis*.	942
☞	Ad Synodos Atrebatenſes Additio. 946	
	CONCILIUM PARENSE.	947
☞	Ad idem Concilium Additio.	950
	CONCILIUM IN HERNIA.	951
	— *GERUNDENSE*.	953
1098	— *ROMANUM II.*	954
	— *BURDEGALENSE*.	955
☞	Ad idem Concilium Additio.	957
☞	*CONCILIUM MEDIOLANENSE*.	958
	Acta Concilii.	*ibid.*
	Conciliabulum Romanum.	*ibid.*
	Synodus Atrebatenſis.	959
1099	*CONCILIUM ROMANUM III.*	961
	Canones.	*ibid.*
	Notæ Severini Binii.	966
☞	Ad Concil. Romanum Additio.	*ibid.*
☞	Epiſtola Canonica.	968
	CONCILIUM AUDOMARENSE.	970
☞	Ad idem Concilium Additio.	971
☞	*CONCILIUM INCERTI LOCI*	974
☞	*CONCILIUM AD PORTUM ANSILE*.	*ibid.*
☞	— Ad Rupem ſciſſam.	975
	— Hieroſolymitanum.	*ibid.*
	VITA ET EPISTOLÆ PASCHALIS PAPÆ II.	978
	EJUSDEM EPISTOLÆ a pag. 979. uſque ad	1067
	Appendix ad eaſdem Epiſtolas.	1068
	Fragmenta Decretorum Paſchalis II 1072	
☞	Ad Epiſtolas Paſchalis II. Papæ Diſſertatio.	1075
☞	Syntaxis Chronologica Epiſtolarum earumdem.	1079
☞	Epiſtolarum Paſchalis ſelectarum Appendix.	1083
☞	Fragmentum Tractatus ejuſdem Pontificis.	1087
☞	Aliæ ejuſdem Epiſtolæ.	1091
☞	Epiſtola Henrici Regis ad Paſchalem 1095	
	Conventus Epiſcoporum apud Giſſonam.	1098
	CONCILIUM STAMPENSE.	1101
	Nota Gabrielis Coſſartii.	1102
	Synodus Conſtantinopolitana G. L.	1103
1100	*CONCILIUM VALENTINUM*.	1115

ANNO CHRISTI		
1100	— PICTAVENSE.	1118
	Ejusdem Acta.	ibid.
	Decreta, & Tituli Canonum.	1122
	Canones.	1123
	Ad Pictavense Concil. Additio.	1126
	Synodus Sueſſionenſis.	ibid.
	CONCILIUM ANSANUM.	1127
	Conventus Villæbertrandi.	ibid.
	CONCILIUM MELPHITANUM.	1131
	— GERUNDENSE.	1134
1101	— ROMANUM.	1135
	MEDIOLANENSE.	ibid.
	WINDESHORENSE.	1143
	Conſtitutiones Eccleſiaſticæ ſub Colomanno.	ibid.
	Conventiculum Mediolanenſe.	1146
	Synodus Atrebatenſis.	ibid.
	Concilium Lateranenſe.	1147
1102	Ad Res in eodem Concilio geſtas Additio.	1148
	CONCILIUM LONDONIENSE.	1150
	Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi Epiſtolæ aliquot.	1155
	CONCILIUM ROMANUM.	1159
1103	Ad Concil. Romanum Additio.	1161
	CONCILIUM MASSILIENSE.	ibid.
	Præfatio ad Seraphin Archipræſulem Strigonienſem.	1163
	Conſtitutiones Eccleſiaſticæ Colomanni Regis Hungariæ.	1166
	CONCILIUM TRECENSE.	1179
1104	— ROMANUM.	1183
	— LATERANENSE.	1184
	— BELGENCIACENSE.	ibid.
	— FUSSELENSE II.	1185
	— PICTAVENSE.	1186
	— RATISPONENSE.	ibid.

ANNO CHRISTI		
1104	— SENONENSIS PROVINCIÆ.	1187
1105	— NORTHUENSE.	1190
	— REMENSE.	1191
	Ad Concilium Florentinum additio.	ibid.
	CONCILIUM PARISIENSE.	1194
	— FLORENTINUM.	1195
	— QUINTILINEBURGENSE.	ibid.
	Conventus Moguntinus.	1197
	— Ejusdem Acta ampliora.	1199
1106	CONCILIUM MUTINENSE.	1205
	— PICTAVENSE.	ibid.
	— LEXOVIENSE.	1209
	— GUASTALLENSE.	ibid.
	— HIEROSOLYMITANUM.	1215
	Conventus Floriacenſis.	ibid.
1107	CONCILIUM TRECENSE II.	1218
	Ad idem Concilium additio.	1219
	Epiſtola Paſchalis II. ad Rothardum Archiep. Moguntinum.	1220
	— Ad Reinhardum Halberſtadenſem.	1221.
	— Ad Adelgotum Magdeburgenſem.	1223
	Canones Concilii Trecenſis.	ibid.
	Synodus Lingonenſis.	1225
	Leſtatenſis.	ibid.
	Placentina.	ibid.
	CONCILIUM AD PONTEM DE SORGA.	1228
	— LONDINENSE II.	ibid.
1108	— LONDINENSE III.	1229
	— BENEVENTANUM I.	1231
	— ROTOMAGENSE.	ibid.
	Synodus apud Capi-Caſtellum.	ibid.
1109	CONCILIUM LONDINENSE IV.	1233

MONITUM

Fato neſcio quo in præcedentis Tomi XIX. pag. 14. ſitæ fuerunt extra locum Notæ David Wilkins ad Canones Ælfrici ad Wulfinum Epiſcopum. Admonentur itaque Lectores quod excudendæ erant poſt eos Canones pag. 698. ejuſdem Tomi ſitos, ibique legendæ ſunt.



ANNO CHRISTI 1070.

CONCILIUM ROMANUM

ANNO CHRISTI 1070.

AB ALEXANDRO II.

Ex P. Pagi ad An. 1070. n. 17.

Anno Chriſti 1070. congregatum.

Celebratum anno 1070. *Concilium Romanum ab Alexandro II. Papa, cujus nulla mentio nec in Annalibus Eccleſiaſticis, nec in Collectione Conciliorum. Coſmas enim Decanus Pragenſis, qui hoc tempore vivebat, in Chron. Bohemorum ait*: Anno Dominicæ Incarnationis MLXX. Dux, (*nempe Bohemiæ*) Wratislaus in moribus Deo carus & hominibus, nec non in rebus bellicis miles præclarus, inſpiratione divina commonitus monaſteriorum in metropoli Bohemiæ urbe Viſſegrad vocata, quæ omnium terræ illius civitatum quaſi mater & domina eſt, Deo juvante conſtruendum pia mente propoſuit. Ad cujus propoſiti efficientiam non mediocri animo conſilia pertractans, dignum duxit quatenus monaſterium, quod gratia Dei cooperante conficiendum devote propoſuerat, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Pontifici regendum, omnique ab adverſitate diligenter protegendum, ſimul cum Canonicis ejuſdem eccleſiæ commendaret. Igitur Petrus eccleſiæ ſancti Georgii Præpoſitus Romam miſſus devota nuncia ſui Ducis Domino Apoſtolico fideliter inſinuavit. Quo audito venerabilis Papa Alexander II. Deo gratias pro tam felici præfati Principis deſiderio retulit, moxque ſynodum convocavit, in qua LXXII. epiſcopi fuerunt. Quibus poſtquam omnia prædicti Ducis verba recitavit, cuncti unanimi corde & voce glorificantes Deum, qui ſanctam ſuam eccleſiam in toto Orbe dilatare non ceſſat, reſpoderunt, Amen. *Refertur poſtea Reſcriptum Alexandri II. datum* VII. Idus Maii. *Verum illud vel additicium, vel ſaltem interpolatum; cum ſtylus ab omnium aliorum ſtylo prorſus diverſus ſit, illudque non paucas difficultates patiatur.*

AD CONCILIUM ROMANUM

In cauſa ſubmiſſi tuitioni Romani Pontificis Monaſterii Pragenſis recens conſtructi, Anno ut fertur 1070.

ADNOTATIO CRITICA.

Ex Manſi Suppl. pag. 1173.

VEnetus Labbei editor anno huic aſſignat concilium quoddam Romanum ab Alexandro cum LXX. epiſcopis aſſidentibus habitum, in quo *Concil. General.* Tom. XX. Oblatum ab Wratislao Bohemiæ duce monaſterium quoddam a ſe Pragæ conſtructum, ſub Apoſtolicæ Sedis tuitione & regimine excipitur. Nec diffiteor

ANNO CHRISTI 1071.

id legi apud Cosmam Pragensem lib. II. ad Ann 1070. sed mihi, ut vera fatear, suspecta est anni hujus synodus adeo conferto episcoporum numero celebris, cujus non acta tantummodo, sed memoria omnis apud coævos scriptores exciderit. Quare hanc ipsam synodum male collocatam opinor, nec alterius concilii meminisse Cosmam censeo, quam ejus, quod an. 1068 occasione celebris accusationis in Petrum Florentinum archiepiscopum institutæ Romæ habitum est, ut ex nostra chronologia liquet. Conjecturæ huic fundamentum Cosmas ipse præbet: nam ibi integro biennio rectam chronologiam prævertit; notat enim in §. proximo præcedenti Gebehardum Pragensem episcopum renunciatum fuisse anno 1068. die VI. Kal. Julii, & feria II. die dominica, VI. nonas Julii unctionem episcopalem accepisse; qui sane temporum characteres non quidem annum 1068. sed 1066. signant. Non est ergo, cur concilium anni 1068. a concilio in causa Pragensi, male in anno 1070. collocato, distinguatur.

SYNODUS TREVIRENSIS

In causa Clerici cujusdam beneficio suo injuria privati,

Anno circiter 1070.

Ibid.

COsaldus quidam presbyter beneficio suo expoliatus fuerat a Richerio Diacono obtendente illum, cum morbo gravatus decubuerat, monasticam professionem assumpturum se statuisse, ac re ipsa induisse cucullam. Querelas ea de re suas tulit presbyter ad synodum Trevirensem, cui Udo, ejus urbis archiepiscopus, præerat, sed ignota de causa demum lis ex concilio ad Alexandrum pontificem transiit, a quo secundum presbyterum judicatum est. Narrat hæc Alexander in sua ad Udonem epistola inter Labbeanas XXVI.

VOLATERRANA SYNODUS DIOECESANA

Pro restituenda vita communis professione Ecclesiæ illius Canonicis

Circa annum 1070. *habita*

Ibid. Ex Archivo Capitulari Volaterrani eruit Mariotti Antiq. Ital. Tom. V. pag. 115.

QUoniam in istius mundi statu nihil certum, nihil firmum cognoscimus, neque aliquid fidei, vel quicquam spei in illo esse videmus; sed omnia, quæ in eo sunt, caduca esse & momentanea cernimus, nobis pro certo est necessarium, non solum vitare, sed etiam fugere quicquid est animæ contrarium, & illud appetere, quod est sibi salutiferum, &c. Cujus amore, cujusque dilectione ego Herimannus licet omnium episcoporum infimus, Dei tamen nutu episcopus semper gubernor, quamquam cunctis hominibus sim nequior, & ultra quam credi possit, sim peccator. Ob hoc vero ut mihi subvenire divina dignetur gratia, commercium hujus sanctæ ecclesiæ huc usque detestabile volo ad salubre, & cæleste remedium transferre. Patet namque istius ecclesiæ ordines, videlicet Archidiaconatum, Præposituram, & reliquos Ordines hactenus esse usurpatos, ac male fuisse dispositos. Et idcirco Deo opitulante, & istius synodalis concilii conventu corroborante, Ordines prædictos dispono ita manere, quatenus ad unum redeant, & generales habeantur. Quocumque enim tempore hujus sanctæ ecclesiæ quilibet fratrum ab isto migraverit sæculo, sua canonica, quæ usque modo abusive & falso appellatur nomine, deinceps nuncupetur vero & proprio vocabulo, eum scilicet ut illi habeant clerici, qui secundum suam scientiam hic regulariter vivent, donec alter hujuscemodi clericus veniat, qui cum cæteris fratribus regulariter vivat. Quis est unquam mortalium tam beatus, quam ille, qui ad hoc nititur, ut cælorum gaudia contemplari queat, Sanctorumque beatitudine perfrui valeat? Ad illam tantæ claritatis felicitatem ego Herimannus Dei gratia episcopus pertingere cupio, si illius est voluntas, qui nostrarum mentium est inspector, nostrorumque secretorum cognitor. Fisus sum namque de illa nostri Redemptoris benigna promissione: Peccator quacumque hora conversus fuerit, vita vivet, & non morietur. Propter ergo supernæ remunerationis beatitudinem, & propter animarum meorum successorum episcoporum salutem, communi consensu corroborante synodale concilium, ad honorem hujus sanctæ ecclesiæ ego Herimannus Dei gratia episcopus statuo, & confirmo ordines præfatos clericis his regulariter degentibus habituros. Hoc tamen illa ratione assero, quod postquam aliquis istorum fratrum ex isto obierit sæculo, nulla alia adhibeatur sententia, nisi ut fratres in isto loco canonice viventes, ordines jam memoratos habeant communes, donec reperiantur clerici Deum timentes, quibus participentur spiritualiter. Sive ordines, hoc est canonica, archidiaconatura, præpositura, & cæterorum ecclesiasticorum ordinum mysteria, qui fuerint eorum, qui stare videntur sæculariter, sive eorum, cernuntur vivere regulariter fratribus tamen accidant canonice degentibus. Curtem enim S. Agathæ Virginis cum omnibus pertinentiis suis infra & extra se habentibus, simili modo supra dictis fratribus concedimus. Curtem S. Octabiani cum omnibus suis pertinentiis, & vineam decurrente cum laboratoribus, qui eam laborare debent, quæ fratribus regulariter viventibus sunt concessa, a cæteris fratribus eos habere laudamus. Insuper omnia, quæ illis data sunt, vel in antea danda sunt, seu conquirenda sunt, eos tenere confirmamus. Si quis vero fraude maligna imbutus, vel felle diabolico fuerit infectus, tale dans consilium, quod istud salubre constitutum removeatur

tur, vel aliter commutetur, nisi ut supra dictum est, auctoritate Apostolorum Petri & Pauli, & ex potestate mihi a Deo concessa, illum segrego a fidelium consortio, illum separo a sanctæ ecclesiæ gremio, illum damno, maledico, & excommunico, &c. ANNO CHRISTI 1071

Ego Herimannus Dei gratia Episcopus confirmavi, & subscripsi.

Ego Wgo archidiaconus confirmavi, manu mea me subscripsi

Ego Farolfo archipresbyter confirmavi, & subscripsi. ANNO CHRISTI 1071

Ego Petrus presbyter confirmavi, & subscripsi.
Ego Azzo Diaconus, & canonicus subscripsi.
Ego Adelmus diaconus subscripsi.
Ego Albertus diaconus subscripsi.
Ego Andreas Diaconus subscripsi.
Ego Drudo præpositus subscripsi.
Ego Christianus presbyter subscripsi.
Ego Heinricus cantor subscripsi.

CONCILIUM WINDLESHORENSE,

In quo per eundem sedis apostolicæ legatum, episcopus unus & aliquot abbates depositi, anno MLXX. fer. II. post Pentecosten.

POst Wintoniensem synodum, cardinales legati ab Anglia discesserunt, Romam reversuri, relinquentes illic Hermenfredum episcopum Sedunensem, qui paulo post, aliis urgentibus causis, aliam synodum habuit, de qua dicere sic pergit Rogerus: Die autem pentecostes, rex apud Windleshoram venerando Baiocensi canonico Thomæ, Eboracensis ecclesiæ archiepiscopatum; & Valcellino capellano suo, Wintoniensis ecclesiæ præsulatum dedit. Cujus jussu mox in crastino prædictus Sedunensis episcopus Hermenfredus synodum tenuit, Joanne & Petro cardinalibus præfatis Romam reversis. In qua synodo Agelricus Suthsaxonum pontifex non canonice degradabatur, quem rex sine culpa mox apud Mearlesberge in custodiam posuit: abbates etiam quamplures sunt depositi. Quibus depositis rex suis capellanis Alfrado orientalium Anglorum præsulatum, & Stigando Suthsaxonum dedit episcopatum: nonnullis etiam Northmannicis monachis abbatias dedit.

C G. C. Quæ Rogerus synodis duabus, Wintoniensi, & Windleshorensi, tribuit: ea Ordericus * & auctor * * Lib vitæ Lanfranci in Windleshorensem unam conferunt: quasi nulla omnino Wintoniensis synodus fuisset. In eo quoque a Rogero differunt, quod Anglus hic injuste depositos episcopos & abbates significet, a rege scilicet Guillelmo, qui Normannos suos in substituere volebat illi, utpote Normanni, merito id factum asserant.

CONCILIUM LONDINENSE,

Lanfranci archiepiscopi Cantuariensis, in quo episcopatus quidam ab oppidulis ad urbes translati: & Wulstanus ob imperitiam Wigornensi episcopatu tantum non privatus anno Domini MLXX.

EO tempore, auctore Lanfranco, habitum est Londini, antistitum, reliquorumque sacerdotum concilium: in quo decretum est, ut aliquot sedes episcopales, quæ in oppidulis ac pagis antea fuerant, in urbibus & locis celeberrimis collocarentur. Quo factum est, ut Bathonia, Lincolnia, Sarisberia, Exonia, Cestria, atque Cicestria, urbes, hujusmodi novo episcoporum domicilio nobilitatæ sunt. Id quod infra perappositus magis perspicue indicabit locus. Adfuit in concilio Wlstanus Wigornensis episcopus, vir etsi literarum nesciens, sanctitate tamen vitæ multo clarissimus. Hunc Lanfrancus ut hominem imperitum, & ob id, quemadmodum prædicabat, minime ea dignitate dignum, privavit. Quamquam illud, ut vulgo ferebatur, non ea in primis de causa fecerat, D quia rudis ingenii esset: sed ut potius in locum ejus, voluntate principis, homo Normannus surrogaretur: quod Deus non permisit. Porro Wlstanus coactus indumenta pontificalia deponere, divino animi ardore repente inflammatus, regi, inquit: Melior te, his me ornavit, cui & reddam. Atque deinde ad sepulcrum divi Eduardi, cujus beneficio episcopus factus fuerat, profectus, E & vestitu insigni se exuens: baculum ita alte in lapide monumenti infixit, uti nulla vi extrahi posset. Quo miraculo rex & Lanfrancus territi magnopere virum sanctum orarunt, ut sumptis indumenti insignibus suo potiretur honore. Quorum tamen injuriam Wlstani singularis sanctitas plurimum infamavit

ANNO CHRISTI 1070.

CONCILIUM PROVINCIALE INCERTI LOCI IN NORMANNIA

ANNO CHRISTI 1070

Ex Bellis Concil. Rotomag. Prov.

Ab Hermenfredo Sedunenſi epiſcopo, & Huberto S. R. E. Cardinali, Alexandri II. Papæ Legatis, agente Guillelmo Conquæſtore Anglorum Rege pro electione Lanfranci Cadomenſis Abbatis in Archiepiſcopum Cantuarienſem, celebratum Anno Dom. 1070. Alexandri II. P. 10. Ind. 8. Philippi Francorum regis 10. Guillelmi II. Normannorum Ducis 35. Anglorum Regis IV

HUic ſynodo ordinandi *Lanfranci Cadomenſis Abbatis cauſa in Archiepiſcopum Cantuarienſem*, *teſtimonium perhibet Ordericus Vitalis Hiſt. Eccleſ lib.* IV *in hunc modum* Sedunenſis igitur epiſcopus poſtquam Stigandum (ut jam dictum eſt) depoſuit, Lanfrancum ad regimen Pontificale invitavit, & in Concilio epiſcoporum ac abbatum Normanniæ, petitionem eccleſiæ Dei denunciavit. Ille autem perturbatus, tam grave ſibi onus extimuit, & inducias ad deliberandum petiit: indubitatum tenens, quod ſimul ire non poſſet monachi otium & archipræſulis negotium &c *Rem geſtam accuratius exhibet ipſemet Lanfrancus epiſtola ad Summum Pontificem Alexandrum data.*

SUMMO SANCTÆ ECCLESIÆ
PASTORI ALEXANDRO PAPÆ
Lanfrancus indignus Antiſtes canonicam obedientiam.

NEſcio cui calamitates meas aptius explicem, quam tibi, Pater, qui ipſorum mihi calamitatum cauſa exiſtis; nam cum de Beccenſi congregatione, in qua habitum religionis aſſumpſi, a Principe Normannorum Willelmo abſtractus, Cadomenſi præeſſem cœnobio, imparque exiſterem paucorum regimini monachorum, incertum habeo, quo judicio omnipotentis Dei factus ſum, te cogente, ſpeculator multorum, numeroque carentium populorum. Quod cum præfatus Princeps jam Rex Anglorum factus, multis variiſque modis laboraret efficere, caſſatis tamen laboribus ſuis a me nullo modo potuit impetrare, quoadusque Legati tui Hermenfredus videlicet Sedunenſis epiſcopus, & Hubertus S. R. E. Cardinalis in Normanniam venerunt, epiſcopos, abbates, ejuſdemque patriæ nobiles convenire fecerunt, atque in eorum præſentia ut Cantuarienſem eccleſiam regendam ſuſciperem, ex auctoritate ſedis apoſtolicæ præceperunt &c.

ANNO CHRISTI 1071.

ANNO CHRISTI 1070.

CONCILIUM PEDREDANUM

In Anglia, anno Chriſti MLXXI. habitum

* *de qua ſupra in anno Ld. VVilm. nicenſi anno* 1070

LAnfrancus Thomam Eboracenſem conſecravit epiſcopum: quo conſecrato, reverendi Wiltani Wigornenſis epiſcopi mota eſt iterum querela: * & in concilio, in loco qui vocatur Pedreda, celebrato, coram rege & Doroberniæ archiepiſcopo, & primatibus totius Angliæ Dei gratia adminiculante, eſt terminata. (a)

CONCILIUM MOGUNTINUM II.

In cauſa Caroli Conſtantienſis epiſcopi, quem clerici ejuſdem eccleſiæ, ob crimen ſimoniæ & ſacrilegii, ſede depoſui urgebant, celebratum anno Dominicæ MLXXI tempore Alexandri papæ II

POſt *obitum Rumoldi Conſtantienſis epiſcopi, Carolus Magdeburgenſis canonicus ſucceſſit. Qui cum proceſſu temporis pro ſuo libitu magis quam ex ratione rem gereret*, indignantes clerici, *inquit Lambertus*, a communione ejus ſe abſtinere cœperunt, propter ſimoniacam hæreſim, per quam epiſcopatum uſurpaſſe dicebatur: id quoque ei crimini dantes, quod pleroſque eccleſiæ theſauros furtive abſtulilſet. Quia accuſatione Romam perlata, Romanus pontifex mandata direxit Moguntino archiepiſcopo, ne ullo modo ab eo conſecraretur, donec in ſui præſentia cauſa diligentius ventilaretur.

Et ſub hoc anno idem auctor inſerit de proſecutione cauſæ: Carolus, cui rex Conſtantienſem epiſcopatum dederat, aſſiduis proclamationibus pro ordinatione ſua ſedem apoſtolicam appellabat: e contra fratres Conſtantienſes obſtinata contentione obluctabantur, ne contra canonum inſtituta is, qui præter ſimoniacam hæreſim furti quoque inſimulatus fuerat, ſibi epiſcopus ordinaretur. Papa, cum ei moleſti eſſent, cognitionem cauſæ a ſe ad archiepiſcopum Moguntinum rejecit: juſſitque ut utriſque vocatis ad ſynodum, rem diligentiſſime ventilaret. & ſi crimina quæ objiciebantur refellere non poſſet, nulla eum ratione conſecraret. Hac de cauſa ſyno-

(a) Chronicon VValteri addit. *& cauſa epiſcopo VVigornienſi adjudicata*. VVilkins

ANNO CHRISTI 1071.

nodum archiepiſcopus Moguntiæ indixit in menſem Auguſtum. Rex concertationem hanc iniquo valde animo ferebat propter amicitiam Caroli, & plurima ſervitia, quibus etiam in re familiari plerumque ſibi commodiſſime adfuerat: & idcirco munera ſua rata ei manere cupidiſſime volebat. Unde Moguntino archiepiſcopo graviter ſuccenſebat, quod non ſtatim eum, contemptis obſtrepentium fratrum ſimultatibus, ordinaſſet. Sed ille immobilis perſiſtebat in ſententia: illud præ ſe ferens, quam terribiliter anno ſuperiore a papa pro ſimili cauſa objurgatus fuiſſet, & quam vix & ægre ſine damno gradus ſui evaſiſſet, & quod poſtea recentibus litteris ſedis apoſtolicæ, ne ſine diligentiſſima diſcuſſione manus illi imponeret, commonitus fuiſſet. Itaque inſtantibus jam Kalendis Auguſti, rex Moguntiam properabat, cupiens ipſe in diſcuſſione tanti negotii cum archiepiſcopo cognitor aſſidere.

Et inferius enarrato obitu Leopoldi regis cariſſimi, quem eo in itinere mori contigit, pergit cœptam hiſtoriam verbis iſtis: Rex magnifice ac regaliter curato funere, Moguntiam, ſicut inſtituerat properavit. Cumque ſtatuta die in ſynodo cum epiſcopis aſſediſſet: aderat Carolus, aderant & fratres Conſtantienſes, magnam ei molem criminum objectantes. Contra quos rex, quantum ſalva verecundia poterat, dedita opera nitebatur, & modo objecta purgare, modo pondus objectorum, quæ non poterat purgare, callidis ſermonibus nitebatur attenuare, plerumque etiam inſtantium & perurgentium procacitatem verbis durioribus corripiebat, ac frontis impudentiam, oppoſita auctoritatis ſuæ majeſtate refringere tentabat. Primum & ſecundum diem in hoc negotio inſumpſit. Cumque accuſatorum conſtantiam nec veritate reſponſionis, nec arte dictionis eludere poſſet: ad ultimum probatis quæ objecta fuerant criminibus, baculum epiſcopalem ab eo recepit: verbis tamen exquiſitiſſimis mœſtitiam ejus conſolabatur, promittens quod, dum primum ſibi opportunum fieret, benigna vice hanc calamitatem ei compensaret.

Et inferius eodem anno in fine: Carolus, quem ab epiſcopatu Conſtantienſi dejectum ſupra diximus, regreſſus ad Magdeburgenſem diœceſim, IV. Kal. Januarii obiit. *Hunc finem accepit homo cui diſſimus gloriæ, qui cum malis artibus eam aſſequi conatus eſſet, meſſuit loco gloriæ ignominiam, ſimulque mortem ex mœrore cor excedente percepit.*

G. C. Hæc Binius ex Lamberti Schafnaburgenſis chronico. Nunc ſynodi acta ſubjicio: ac prius Sigefridi ad ſummum pontificem litteras de hoc negotio.

SIGEFRIDI EPISC. MOGUNTINI epiſtola ad Alexandrum II.

De Carolo Conſtantienſi epiſcopo deſignato

Apoſtolico ſacerdoti, & univerſali papæ, Sigifridus Moguntinæ ſpeculator eccleſiæ, debitam, ut patri reverentiam, & promptam, ut tanto paſtori, obedientiam.

ALtiſſimus ille deorum deus, qui cœleſtis militiæ ordines ita diſpoſuit, ut alter alteri præemineat, & ad obſequium conditoris minor dignitas majori pareat: ipſe in eccleſia ſua ita diſtinxit cœlos opera digitorum ſuorum, ut ſicut ſtella ab ſtella differt in claritate, ita alter alterum præcedat excellentiæ dignitate. Hanc autem graduum & officiorum diverſitatem, ita ad unam reducit concordiam unitas caritatis, ut ſicut in ſanctis angelis, ita & hic non ſit invidia imparis claritatis. Quia ergo idem altiſſimus vos, mi reverende pater, conſtituit in hac arce prælationis, ut vice illius magni Petri ſuis caput totius eccleſiaſticæ dignitatis: ſe vobis omnis inferior ordo ſubmittit, merito omnis membrorum articulata contextio vobis ut capiti obedit, juxta quod præcipit vas electionis: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Rom. 13.

Ad hanc ergo formam cum vobis exhiberem debitæ ſubjectionis obedientiam, multis ſane injuriis affectus ſum, multa vobis indigna, & mihi intolerabilia paſſus ſum. Namque mihi Romæ poſito, viva voce, & poſtea apoſtolica legatione, interdixiſti, ne eum, qui deſignatus eſt in Conſtantienſem epiſcopum, ullo modo conſecrarem, quia audiſtis elogio ſimoniacæ hæreſeos eum notabilem. In quo, quia vobis obedivi, multa, ut præmiſſum eſt, a domino meo ſuſtinui: timeoque me adhuc graviora paſſurum, & eccleſiæ meæ magnum fore detrimentum, niſi benignus ille Petrus clave ſua me defendat, & veſtræ auctoritatis poteſtas adverſus regiam poteſtatem zelo juſtitiæ me protegendo ſe accingat.

Accepi autem litteras veſtræ ſanctitatis, in quibus continebatur, ut ex præcepto veſtro Colonienſem archiepiſcopum invitarem; & convocatis fratribus concilium celebrarem, in quo ejuſdem deſignati epiſcopi cauſa juxta veritatem diſcuteretur: ut, aut reus criminis, quo infimulatur, a dignitate rejiceretur; aut innocens, canonice conſecraretur. In hoc etiam parui veſtræ auctoritati, invitatis prædicto archiepiſcopo & fratribus, locum & diem præſcripſi: ſed concilium celebrandum perturbavit indictio regiæ poteſtatis, cogens me, & alios regni principes, in militiam ſuæ expeditionis. In qua re, obſecro ut ſanctitas veſtra obſequium meum habeat excuſatum: & niſi impedirer, impleſſem præceptum veſtrum.

Præterea relatum eſt nobis, quia regia legatio eumdem deſignatum epiſcopum ad vos diſcutiendum, conſecrandumque deducat. In qua re, quid æquitatis & juſtitiæ ſit, diſcretionis veſtræ libra recte dijudicet. Rogo autem excellentiam veſtræ paternitatis, quod ſi ita verum eſt, ne ipſe hoc a vobis accipiat, quod mihi, qui hoc canonice facere debeo, auctoritas veſtra interdixerat. Quia ſi ita fiet, inde magis videbor peccaſſe principi meo, quod plus odio conſecrare eum noluerim, quam juſta cauſa, vel præcepto veſtro. Si ergo a vobis diſcuſſius, innocens fuerit inventus: remittite eum mihi & fratribus meis conſecrandum, ut, ſicut oportet, a nobis canonice accipiat oleum conſecrationis. Hoc autem in fronte, & in calce noſtra teneat epiſtola, quod non eſt homo vivens, qui promptior ſit me ad omnia veſtræ juſſionis obſequia. Qui vos prævenit in benedictionibus dulcedinis, ponat ſuper caput veſtrum coronam æternæ beatitudinis.

G. C. Quid reſponſi dederit Alexander ex eventu & actis ipſis concilii diſcimus: juſſiſſe nimirum, ut congregaretur Moguntina ſynodus, quæ de Caroli cauſa judicium ferret. Hujus acta nunc ſubjicio, qualia Tegnagelius edidit.

ACTA CONCILII MOGUNTINI, ANNO MLXXI.

IMperante ſuper omnia æternaliter regum rege domino noſtro Jeſu Chriſto, & ſub eo regnante temporaliter ſereniſſimo Heinrico rege hujus nominis quarto: venerabili quoque Sigefrido, Mo-

ANNO CHRISTI 1071. * (v. viii.

Moguntinæ ecclesiæ primate, & apostolicæ sedis legato, aurigante currum Dei anno jam XII. qui tunc volvebatur annus incarnati verbi MLXXI. octava * indictione Romani census: celebrata est sancta synodus apud Moguntiam metropolim orientalis Franciæ, principalem vero pontificii sedem totius Germaniæ & Galliæ Cisalpinæ, cui præsedit idem memorabilis Sigefridus, assidentibus & cooperantibus sibi venerabilibus archiepiscopis Gebehardo Juvavensi, & Udone Treverensi: considentibus vero, & collaborantibus reverendis episcopis (a) Adelberone Wirsburgensi, Gundecharo Eistetensi, Embrichone Augustensi, Herimanno Babergensi, Werenhero Argentinensi, Heinrico Spirensi, Bennone Osnaburgensi, Ermenfrido Sedunensi, Heriberto Mutinensi: considentibus vero & annitentibus sanctissimis abbatibus, necnon inferiorum ordinum quamplurimis magnæ auctoritatis & sapientiæ viris. Aderant autem etiam legati reliquorum fratrum, videlicet suffraganeorum ejusdem metropolitani antistitis, epistolas & mandata ferentes, quibus excusati haberentur, quod invitati concilio interesse non possent, certis quibusdam impedientibus causis: alii quidem corporeæ infirmitatis urgente molestia, alii in quibusdam regni negotiis regia jussionis detinente potentia. Qui dum canonice sunt excusati, ipsi legati, competenti loco & ordine eorum funguntur unusquisque vice antistitis sui.

Hæc denique sancta synodus, cum propter multa pastoralis curæ negotia, plurelque causas quibus juste adhibenda erat ecclesiasticæ correctionis censura; tum maxime indicta & habita est propter Karolum quendam, qui Constantiensis ecclesiæ designatus erat episcopus; sed, ut post rei exitus docuit, non satis canonice electus & provectus. Hic, ut solenne est, accepta a rege pontificalis annuli & pastoralis ferulæ investitura, & in sede episcopi receptus, regiæ potestatis jubente censura: postulabat a primate Moguntiensi, ejusdem Constantiensis ecclesiæ se episcopum consecrari. Sed venerabilis Sigefridus, columbino oculo, serpentinæ prudentiæ omnem præcavens impietatem, dicebat, hoc apostolicæ benedictionis sacramentum non debere, nec canonice posse in eo sine examinatione celebrari: pro eo quod fidelium, graviumque personarum relatione didicerit, quin immo & fama usquequaque vulgaverit, quod non per ostium in ovile ovium vellet intrare, sed per furtivam Simoniacæ impietatis scalam alinnde niteretur ascendere: se quoque talis introitus ejus nolle ostiarium fieri, cui Christus, ipse, qui ostium est, * videtur obniti: quin ipsam impietatis scalam in lapide offensionis, & petra scandali se velle conterere, ipsumque a mercenaria Dominici gregis occupatione longe lateque repellere Ille e contra, se hujus criminis & hæreticæ impietatis immunem multis argumentis asserere nitebatur, seque, si ei copia tempusque detur, ejus infamiæ notam a se propellere velle testatur: indeque petit synodalis concilii audientiam, in qua super hac re suam probare possit innocentiam: ibique consecrationem, quam petebat, aut canonice sibi dari, aut canonice negari

Mittuntur interea ad venerabilem metropolitanum crebræ de palatio legationes, mistis precibus minas & imperiosa de hac consecratione mandata ferentes. Mittuntur & litteræ a præsule apostolicæ sedis, mandantes, ne ullo modo consecretur sine scrutinio canonicæ purgationis: & quod rex potestate jubebat, Romanus pontifex auctoritate prohibebat. Accedunt & canonici Constantienses ecclesiæ ex communi totius cleri & populi legatione, unanimiter asserentes, Karolum nulla ratione consecrari debere: quia ex quo eum inviti, & sub conditione elegerunt, & receperunt, nullam eis pastoralis officii impendisset curam: quin potius tyrannicæ dominationis non cessasset super eos exercere pressuram nec manum continuisset a sacris, nec perpercisset in diripiendis ecclesiæ thesauris, & quodcumque rapaci violentia corradere potuisset, hoc totum ministris magnis immo magi illius Simonis, id est, (b) fautoribus distribuisset, ut quorum annisu adulterinam meruisset electionem, eorum venali mercimonio consequeretur mercenariam, pro consecratione execrationem, pro benedictione maledictionem.

ANNO CHRISTI 1071.

At metropolitanus antistes inter harum legationum varietates, velut inter duros tempestatum turbines, laudabili constantia in seipso fixus, hæret immobilis: & nusquam favore vel gratia, terrore vel munere, inflectitur a statu canonicæ rectitudinis. Multis itaque nunciis hinc inde missis & remissis: multis quoque diebus huic audientiæ delegatis, & cognitiores * cautiæ, principis occupante præcepto, non impletis: cum ecclesia Constantiensis suo viduata pastore jam fere biennio sacerdotali careret benedictione: tandem miseratione divina, potestati præponderavit auctoritas, & Christi sacerdotibus divina aspiravit voluntas. Unde eorum communi assensu, synodalis concilii certa legitimaque dies denunciatur, & coepiscoporum unanimitas ad concilium invitatur: quorum alii, ut oportebat, sine dilatione affuerunt; alii vero, qui certa de causa adesse non poterant, canonice excusati subparem præsentiam vicaria legatione suppleverunt.

* cognitionibus.

Primo igitur concilii die, quem sanctæ Mariæ dormitio tunc celeberrimum exhibebat, cum spiritualis curiæ senatores, patrocinante Spiritu sancto, intra regiam majoris ecclesiæ, ante cancellos altaris protomartyris Stephani, quod in orientali absside (c) confectum est, convenissent in unum: primo, ut par erat, sanctæ individuæ Trinitati debitas referunt gratiarum actiones, & pro incolumi totius ecclesiæ statu supplices Deo offerunt preces. Deinde post solitam fratrum salutationem, & debitam sedium recognitionem juxta authenticam paternæ traditionis synodum, conferunt ad invicem de veritate catholicæ fidei, damnantes Simonem & omnes hæresiarchas cum dogmatibus suis, & sequacibus suis: pauca pro tempore tractant de qualitate instantis negotii ac sic demum propter celebranda tantæ solennitatis officia, solvunt concilium, crastino maturius redituri in id ipsum

CONCILII DIES I.

Postero vero die: certa concilii hora, cum iterum apostolici sacerdotes in unum convenissent, & præmissis Deo laudibus & precibus, & salutati (d) sede consedissent: quod cuique sacerdoti in sua diœcesi venit in dubium, rationabili

CONCILII DIES II.

* Forte videtur Siccitatem emendatur in Uldar. M.

(a) In Cod. Udalrici num. 121. ubi hæc acta leguntur præter duos Archiepiscopos cæteri hi sunt: Alberone Wirzebr. Werinhero Argentinensi, Heinrico Spirensi, Gundecharo Cistetensi, Embricone Augustensi, Hermanno Babergensi Bennone Osnaburgensi, Ermenfrido Sedunensi, Heriberto Mutinensi

(b) *suis fautor* (c) *consecratum.* (d) *Desuper sede.*

nabili disciplina deducunt ad medium; & prout res postulabat, unumquodque tractatum aut terminatum est synodali judicio (a).

ANNO CHRISTI 1071.

Illud vero quod maxime in causa fuit, de Constantiensi * appositio inter fratres studiose ventilatur. Sed interveniente principis mandato, in sequentem diem procrastinatur, agentibus internunciis, ut sacerdotes domini a constantiæ suæ rigore ad regiam se inflecterent voluntatem aliis instantibus ut designatus ille, male usurpatum sponte dimitteret honorem.

* Forte Episcopio. M.

CONCILII DIES III.

Tertia vero die, Christi sacerdotes, hujus negotii longa expectatione suspensi, & libera quadam indignatione, immo zelo justitiæ accensi, sacerdotali constantia principem suum adeunt, eumque de salute animæ suæ, de pace ecclesiarum deque statu regi * spirituali disciplina conveniunt, proponentes ei de scripturis & gestis veteris ac novi testamenti congrua doctrinæ salutaris exempla, quibus animus ejus adhuc cereus & indocilis formaretur ad similia: dicentes & docentes solium regni ejus nullatenus posse stabiliri, nisi firmetur justitia & observatione mandatorum Dei.

regni

Summus autem ille dominorum dominus, qui omni potentatui dominatur, ita temperavit animum principis, ita mitigavit eum ad verba sanctæ exhortationis ut nulla juvenili moveretur acerbitate & quod in potestatibus difficile est, nulla sacerdotes insolenti sederet responsione: multum tamen se excusans, in hoc suæ potestatis dono nullam se exercuisse venalitatem, nullam super hac re cum eodem Karolo se pepigisse conventionem. Si quid autem cum domesticis & familiaribus suis, propter opem intercessionis, ipso ignorante, pepigerit: suum non esse accusare, vel excusare. Hoc ipse viderit. De dextera vero sua, qua illi propter antiquam in præpositura benevolentiam, gratiæ suæ donum porrexit, omnem avaritiæ suæ labem dixit se excutere: & quod ipse simpliciter fecit, si ille veneno alicujus malitiæ corruperit, se ob id divinæ justitiæ nolle contraire.

Hac autem salubri sermocinatione cum sacerdotibus habita, cum eis venit in concilium: & ille Constantiensis designatus intromittitur ad audiendum. Adsunt etiam pro foribus Constantienses clerici, postulantes per legatos, ut & ipsi mererentur admitti. Tunc vero videres lætissima sanctæ ecclesiæ gaudia, & vera mundi convenisse luminaria: quando circumfulgebat nobilis corona sacrorum ordinum, vivis gemmata lapidibus Christi sacerdotum, velut fulgoribus micantium astrorum. Tunc cæli narrabant gloriam Dei, & verbum eructabat dies diei, quando sacerdos sacerdoti sententiam justitiæ exponebat, & sanctam ecclesiam salutaris eorum doctrina instruebat. Tunc vasa electionis superefluebant ambrosium liquorem sancti Spiritus, & justi fulgebant sicut splendor firmamenti, quando sacerdotes Domini verba sapientiæ, velut nubes, pluebant; & corda audientium, velut terram fructiferam, ad germinandum inundebant.

His ergo ita dispositis, & digito Dei ordinante, distinctis: utrique admittuntur, prædictus scilicet * Karolus, & hi qui causationibus pulsabant personam. Prima actione, regularis prælatus Constantiensis ecclesiæ protulit libellum accusationis, in quo continebantur causæ, quibus indignus haberetur * sacramento apostolicæ benedictionis. Quarum prima & maxima erat, quod exemplo magistri sui Simonis pestiferi, per pecuniam invasisset sedem. Cætera omnia quæ ibi legebantur, proclamabant violentam ejusdem ecclesiæ devastationem. Ille idem prælatus & fratres ejus, qui aderant, item offerunt suæ testificationis libellos: in quibus singuli nomen & officium suum designantes, quidquid accusando, vel testificando proposuerant, asserunt se canonice probaturos.

R.

* Addit & judicaretur

ANNO CHRISTI 1071.

Karolus e contra nititur improbare personas, dicens, quod ejus * infamiæ nota essent respersi, quod nec se, nec quemquam alium possent canonice accusare. Adjungit quoque se omnia objecta synodali judicio purgaturum: & in omnibus, quibus eum impetebant, se esse innoxium. Longa igitur altercatione hinc inde disceptatum est, & multis tota die in adversum nitentibus, usque in profundam noctem concilium pertractum est. Dum inter multos ambigitur de numero accusatorum & testium, dum longa deliberatione quæritur judicium, utrum isti liceat se excusare adversus accusationem istorum, dum res inter fratres diutissime differitur: concilium propter intempestam noctem adhuc sine operæ pretio dirimitur.

* Addit accusatorum

Quid autem ipse Carolus secum illa nocte egerit, quibus retractationum verberibus ream conscientiam flagellaverit, sequens utique dies declaravit. Nam ut ex ipso effectu gestæ rei probari potest, vere credimus, quod Deus conscientiæ judex & testis in corde suo sederit pro tribunali, & cum eo exercuerit censuram judicii sui: * ubi peccati conscientia cogitationum, accusantium non excusantium testimonio, ne veritati & æquitati resisteret, damnata est & constricta.

* alii

CONCILII DIES IV.

In crastinum namque quando sperabamus, qui juxta promissum suum objecta purgaret, & consecratione dignum, innocentiam suam monstrando, se probaret: ille jam mente confusus, non ultra ferens aspectum concilii: & interius judicatus, non extra sustinens pondus imminentis judicii: ultroneus ipse in se sententiam tulit, & annulum & ferulam pastoralem, ei, a quo injuste acceperat, resignans, sacerdotum spem, & metum quem pro eo habebant, labore longioris quæstionis absolvit, culpam tuam uno tegens pallio excusationis, quod juxta decretalia Cælestini papæ, episcopus dari nollet invitis.

Videntes autem sanctissimi sacerdotes magnalia, quæ fecit Dominus, & fideli admiratione retractantes, quam incomprehensibilia sint judicia ejus, & investigabiles viæ ejus: corde & ore, & omnimoda devotione benedicunt Deo altissimo, qui longos eorum labores tam inopino terminavit compendio: orantes & deprecantes, ut de regno suo eliminet omnem apostasiam, & omnia scandala, nec ultra satanam ejusdem apostolos in sua sancta regnare sinat ecclesia; sed in omnibus consiliis & operibus eorum, dignetur servos suos consolari, & clementer implere, quod ecclesiæ suæ se promisit affuturum *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*.

Matth. 28.

Communi autem decreto præcipiunt, quæ * hac synodo gesta sunt, ecclesiastici inseri gestis, & in archivis sanctæ Moguntinæ ecclesiæ servari ad perpetuam memoriam & eruditionem venturæ posteritatis: ut hoc majorum exemplo minores instructi,

* In hoc

(a) *Addit Udal.* judicio, aut ut melius de eo consuleretur dilatum est sapienti consilio

ANNO CHRISTI 1071.

ſtructi, non timeant reſiſtere, ſi in hujuſmodi negotio ſe viderint prægravari certiſſime ſcientes, nullo modo gratiam Spiritus ſancti fidelibus defuturam, ſi in ſanctitate & juſtitia reſiſtiterint injuſtitiæ uſque ad perſeverantiæ coronam.

Decernunt præterea ex antiqua patrum traditione & authentica priſcorum conciliorum rectitudine, ut hæc omnia Romano pontifici ſeriatim litteris inſerta nuncientur: ut cujus mandato & hortatu cœpta & perfecta ſunt, ejus apoſtolica auctoritate roborata firmentur; & omnipotenti Deo, qui omnium bonorum auctor eſt, Romæ & Moguntiæ, & ubicumque terrarum hæc lecta vel audita fuerint, debitæ gratiarum actiones fideli devotione ſolvantur.

ANNO CHRISTI 1070.

Acta ſunt autem hæc apud Moguntiam metropolim Orientalis Franciæ, anno ab incarnatione Domini MLXXI. Indictione VIII. * XVIII. * Septemb. Regnante ſereniſſimo Henrico rege hujus nominis IV. anno regni ejus XLII. * Ordinationis vero ejuſdem XVII. * Apud Moguntiam vero præſulante reverendiſſimo primate Sifrido, anno ordinationis ejus XII. Super omnia autem regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui non accedit cras futurum nec recedit heri præteritum, ſed permanet ſempiternum hodie, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

* *ver.* VIIII. *Addit* Kal.
* *ver.* XVI.
* *ver.* XVIIII.

AD CONCILIUM MOGUNTINUM.

In cauſa Caroli Conſtantienſis electi a Sigefrido Moguntino epiſcopo.

Anno 1071. *habitum*

ADDITIO

Ex Manſi Suppl. pag. 1274.

Hiſtoriam cum actis concilii hujus præbet Lab-beus, quare hic paucis expediam. Carolum Magdeburgenſem canonicum Henricus IV rex renunciaverat Conſtantienſem epiſcopum. Hunc ne recipe-ret obſtabat Conſtantienſis eccleſia, reum illum & ſimoniæ, & furti agens. Ea cauſa Pontificis juſſu diſcuſſa eſt in Moguntina ſynodo, cujus ad Alexandrum II. ſynodica, quæ in actis concilii Labbeanis non legitur, & extat in codice Udalrici Bamber-genſis vulgato ab Eccardo inter Hiſtoricos med. evi tom. II. n. CXXIV. ex illo huc tranſfertur.

Reverendiſſimo patri, & ſanctiſſimo primæ ſedis antiſtiti A. S. Moguntinæ ſpeculator eccleſiæ cum fratribus, & coepiſcopis ſuis debitam ut ſummo ſacerdoti ſubiectionem.

Gratias agimus Deo, omnipotenti Domino, qui ad ſalutem animarum elegit ſacerdotium veſtrum, & in cathedra Petri vobis tradidit claves regni cœlorum, quique ſuper hanc petram ita ædificavit eccleſiam ſuam, ut portæ inferi non prævaleant adverſus eam. Ad hoc namque opus vere vos ea inſtituit, & confirmat fides, quam beatum Petrum caro, & ſanguis non docuit, ſed Deus pater de unigenito ſuo per Spiritum Sanctum ei revelavit; quæ utique fides ſicut Dominus Chriſtus pro eo rogavit, nunquam deficiet; ſed per beatas ſucceſſiones apoſtolicorum oræſtulum, ad confirmandos fratres uſque in finem perficiet. Hujus itaque fidei ſoliditate fundatus beatus Petrus Simonem donum Spiritus Sancti per impoſitionem manus pretio affectatem, & cathedram eccleſiæ venalitatis quæſtibus obnoxiam facientem, a ſorte apoſtolicæ benedictionis excluſit, & perpetuæ maledictionis inexpiabili pœna damnavit. Ex illo uſque in hodiernum diem, ſicut tunc apoſtolica Petri fides, ita demum ejus apoſtolica ſedes diaboium, ejuſque antichriſtos ejuſdem fidei firmitate perdomuit, omnes inferi portas, hæreſiarcas ſcilicet cum dogmatibus, & ſequentibus ſuis, non quidem obſtruxit, ſed penitus deſtruxit. Inde eſt, quod cum nos multis jam diebus expetiſſet Sathanas, ut cribraret nos ſicut triticum, & nos ad veſtrum, cui Chriſtus claves Cæli, & vicem Petri in manus dedit, confugeremus patrocinium, ita ſumus veſtra auctoritate confirmati, ut apoſtolum Sathanæ, qui nos impugnabat, expugnaremus gladio verbi Dei, & cum peſtiferi Simonis virulenta factio in Conſtantienſem eccleſiam malam extendiſſet radicem, nos ei ad ſuccidendum adhiberemus juſtitiæ falcem. Nam cum regia nos poteſtas urgeret, quemdam de execrabili perditiſſimi Simonis ſchola eidem eccleſiæ ordinare epiſcopum; nos vero diceremus, quia ſacris canonibus omnibus modis cautum eſſet, hoc in noſtrum nos facere non poſſe præjudicium; quumque rex jugiter nos inſtaret, ſuper hac re conſentire ad nutum præcepti ſui; & nos objiceremus ei, hoc apoſtolica auctoritate prohiberi, tandem huic ſchiſmati ſopiendo, ſanctitas veſtra ſalubre dedit conſilium, præcipiens ſuper hac re concilium celebrari, in quo idem appoſitus, aut innocens purgaretur, aut reus objectorum rejiceretur. Quantis autem laboribus, quibuſve difficultatibus ad ejuſdem concilii celebrationem perventum ſit, quibus vero modis, & quibus multiplicibus argumentis regia poteſtas præfinitum concilii tempus anticipando, ad voluntatem ſuam inflectere, aut omnino illud anticipare voluerit, non eſt modo referendum ſingula, quia non veſtrum fatigare debeo animum divinioribus intentum, & regali excellentiæ ducimus aſſurgendum. Vicit tamen Chriſtus in Petro, & Petrus in nobis, & vos in nobis, & collectum eſt concilium eo, quo fuerat tempore præfinitum, in quo apoſtolica ſunt functi legatione reverendiſſimi Sacerdotes Domini Gebehardus archiepiſcopus Juvavenſis, & Uto archiepiſcopus Trevirenſis; aderant & coepiſcopi, & cooperatores noſtri, nec non & inferiorum ordinum quamplures magnæ auctoritatis, & ſapientiæ viri, omneſque in uno collecti unanimiter poſtulabamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut quia in nomine ejus fueramus congregati, ſe nobis ſecundum promiſſionem dignaretur exhibere medium. Prima vero & ſecunda concilii die de his, quæ unicuique fratri in ſua diœceſi obvenerant, actum & determinatum eſt; inde autem, quod maxime in cauſa erat, dilationibus petentibus, & agentibus internunciis, aliis quidem, ut ad regiam voluntatem a propoſiti rigore nos inflecteremus, aliis vero inſtantibus, ut deſignatus ille propter pondus judicii & magnitudinem periculi male affectatum ſponte dimitteret honorem. Tertia vero die omnes, quotquot aderamus

ANNO CHRISTI 1071. * f. adhuc. mus epiſcopi, invocati in auxilium divinitate adjuvimus * Principem noſtrum, viva voce admonentes cum de ſalute animæ ſuæ, quodque divinam voluntatem ſemper ſuæ debeat voluntati anteponere, neque regnum ejus ullo modo poſſe firmari, niſi juſtitia, & obſervatione mandatorum Dei. Deus autem, in cujus manu ſunt corda regum & omnium jura regnorum, ita principis animum mitigavit, ut ad exhortationem ſacerdotum nihil reſponderet aſperum, nihil chriſtianæ diſciplinæ adverſum. Dixit tamen, ſe id, quod fecerat, ſi poſſet, juſte velle defendere; quod ſi minus procederet, nihil ſe divinæ auctoritati contraire. Ita verbis Sacerdotum delinitus, nobiſcum concilium intravit, & ille, de quo quæſtio erat, ad audientiam venit. Vocati autem intraverunt, & filii Conſtantienſis eccleſiæ libellos accuſationis porrigentes, & ſe canonice probaturos ea, quibus perſonam inſimulabant proteſtantes. Multis autem accuſationibus ultro citroque deciſis, quia multis in adverſum nitentibus res in profundam noctem protracta eſt, concilium hujus diei infecto adhuc negotio, neceſſario diremptum eſt. In craſtinum autem deſignatus ille Deo, ut credimus, ejus conſcientiam coarctante, non ultra expectans audientiam concilii, nec ſuſtinens pondus imminentis judicii, ipſe in ſe ſententiam tulit, & annulum, & ſerulam (*ferulam*) paſtoralem ei, a quo acceperat, reddens, nos longa quæſtione, & fatigatione abſolvit, hoc tantum prætendens excuſationis, quod juxta Cœleſtini Papæ decretalia, dari nollet invitis

A Super his ergo, & ſuper omnibus beneficiis animæ ſuæ gratias primum agimus patri animarum, qui nos humiles ſervos tuos interpretatione clementer exaudivit, deinde apoſtolicæ ſedi ejuſque reverentiſſimo præſuli, a qua petra profluxit hæc tota perſeverantiæ noſtræ, fortitudo, oran tes, & poſtulantes Deum Dominum noſtrum, ut interventu S. Petri hujus ſanctiſſimæ ſedis apicem ſtabili fide, pace, & in confeſſione ſui nominis ita ſolidare, & confirmare dignetur, quatenus univerſalis eccleſiæ plenitudo, quæ eſt corpus Chriſti, hujus capitis ſanitate perpetuo proficiat, & glorietur. Ratum autem duximus hujus conB cilii ordinem, & exitum veſtræ ſignificare ſanctitati, ut cujus auctoritate cœptum, & confectum eſt, ejus & aſſenſu mereatur roborari. Rogamus etiam ſanctiſſimam paternitatem veſtram, ut ſic in hoc, ita & in cæteris eccleſiæ negotiis, nobis dexteram porrigatis, ſcilicet contra rebelles Thuringos, contra quoſdam præpotentes, & nobiles, adverſus quos propter ſanguinitatis conjugia multum laboramus. Decreverunt & multa, quæ ſicut ſpecialis filius, & ex antiqua traC ditione Apoſtolicæ Sedis legatus, veſtra debeo auctoritate, & præcepto terminare, ut dum in omnibus vobis obediens fuero, veſtræ ſanctitati, ſicut membrum capiti, valeam cohærere. Sanctiſſimum apoſtolatum, Domine pater, longævum, & incolumem Samarites ille cuſtodiat, qui in cuſtodiendo ſuum Iſrael non dormit, neque dormitat.

ANNO CHRISTI 1071.

☞ CONCILIUM SENONENSE

In quo confirmatur donatio eccleſiæ S. Andreæ facta Hugoni Trecenſi epiſcopo Aſcetis Cellenſibus

Anno 1071. *habitum*.

Ibid. p. 1272.

Ex chartario Cellenſi dedit Martene Vet. mon Tom. VII. pag. 62.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Philippus gratia Dei Francorum rex. Cum in exhibitione temporalium rerum, quas humana religio divino cultui famulando locis ſanctorum, & congregationibus fidelium devotione animi largitur, tam præſentis, quam perpetuæ vitæ, ut jam pridem multis expertum eſt judiciis, ſolatium acquiratur; ſaluberrimus valde & omnibus imitabilis hic fructus primitivæ virtutis, videlicet caritatis, per quem & mundi proſperatur tranquillitas, & felici remuneratione æterna ſuccedit felicitas. Noverit ergo & præſens ſtatus, & poſteritas ſanctæ matris eccleſiæ filiorum, noſtrorum quoque primatum, & omnium ſub noſtro regimine degentium, quod quidam abbas Bernardus nomine, noſtræ ſerenitatis adierit præſentiam, roE gans, & obnixe poſtulans, donum, quod Hugo Tricaſſimæ elleſiæ pontifex pro ſalute animæ ſuæ monaſterio B. Petri Cellenſis cognominato, cui ipſe prædictus abbas tunc temporis præerat, æternaliter tribuerat, ſcilicet eccleſiam S. Andreæ D apoſtoli non longe ab eodem monaſterio, cui conlata eſt, ſitam, laudaſſem, & conceſſiſſem: cujus petitionibus conſilio Richerii Senoneſis eccleſiæ metropolitani, cæterorumque præſulum, atque fidelium noſtrorum, quorum nomina ſubſcripta eſſe videntur, benigne annuimus, & hoc privilegium ſigilli noſtri impreſſione adſignari præcipimus. Actum publice in Senonico palatio anno incarnati Verbi MLXXI. VII. calendas Maij, indictione IX. regnante Philippo rege anno XII.

Sigillum Philippi regis

S. Richerii archiepiſcopi
S. Hugonis Trecenſis epiſcopi
S. Gualteri Meldenſis epiſcopi
S. Gauffredi Pariſienſis epiſcopi
S. Arraldi Carnotenſis epiſcopi
S. Rainerii Aurelianenſis epiſcopi
S. Gauffridi Autiſſiodorenſis epiſcopi
S. Hugonis Lingonenſis epiſcopi

Ego Petrus cancellarius ſcripſi, & ſubſcripſi.

ANNO CHRISTI 1071

CONCILIUM GERMANICUM INCERTI LOCI

In cauſa Schiſmatis Eccleſiæ Romanæ

Anno 1071. *habitum*

ANno 1070. Godefrido Barbato, Beatricis Comitiſſæ marito vita functo, Cadaloi Antipapæ res afflictæ reſpirare viſæ ſunt. Nam & valido ſtrenui viri præſidio deſtituebatur Alexander Papa, & Cadaloo aula Germanica favebat. Quare ad ſolicitanda pro eodem Cadaloo auxilia eo miſſus eſt Benzo Albenſis Epiſcopus, ex qua ejus legatione illa conſequuta ſunt, quæ ſupra in Diſſertatione de Conciliis in cauſa hujus ſchiſmatis latius deduxi. Ea occaſione habitum eſt in Germania in loco ignoto Concilium, in quo de cauſa utriuſque æmuli cognoſcendum fuerat. Concilium iſtud plane diverſum ab Osborienſe, & tempore longe poſterius in eadem diſſertatione demonſtravi. Quid in eo actum ſit, narrat Benzo, quamvis narrationem ſuam ſchiſmatis veneno largius inſpergit. En ejus verba: „ Convocatis undique Epiſc. diſponit (Anno Colonienſis) celebrare ſub ſpecie ſynodi conventiculum, „ quaſi ſuæ voluntatis indiculum. Interfuerunt „ autem quidam de partibus Liguriæ, appellati „ tanquam ex juſſione curiæ. Cunctis vero reſidentibus hoc habuit Annas (*ita S. Annonem per contemptum vocat*) ſuæ loquutionis initium: „ *Videtis, Fratres cariſſimi, quia Sancta Romana Eccleſia grave patitur præjudicium. Propter duorum enim altercationem, ducuntur filii ejus ad occiſionem. Si matri modo non ſuccurrimus, ea pereunte pariter peribimus. Succurrendum eſt ergo, ne ſimus conſentientes neci ejus. Nam ſicut ſcriptura dicit. Qui ſuccurrere perituro poteſt, nec ſuccurrit, occidit. Diſcernat quoque inter utrumque verbum Dei gladius, cui debemus conſentire, quamvis ſit noſter adverſarius. Si enim de cordis veſtri medicinali pixide adhibetis huic inſaniæ canonicum capipurgium, confeſtim extinguetur hujus furoris improbabile jurgium.* Ad hæc „ Italici Epiſcopi reſponderunt: *Non eſt æquum, ſuper hac re definitivam ſententiam dare ſine Ambroſio & Apollinare* (a). Et ille: *Aliqua reſervemus & aliqua dicamus, ne incaſſum veniſſe videamur. Noſtri vero conventus ſententia erit ſuſpenſiva, in altera ſynodo definitiva.* Cæteri autem dixerunt: *Non improbamus quod dicitis; inducia quidem ſunt dandæ canonicis judiciis.* Annas dixit: *Audite quæſo cum diligentia & memoria commendate, cujus ponderis ſit mea ſententia. Si ita intravit, ſicut ego intravi, dico Alexandrum ſedere uſque ad proximam Synodum.* Epiſcopus autem Conſtantiæ Romaldus conſtanter dixit: *Regula canonica non probibet veſtrum introitum, quia legalis eſt veſtra ordinatio, atque orthodoxa conſecratio. Denique pro moniali adulterio eunuchizatus Arnadellus,* (b) *eodemque vitio inquinatus ſarabaita Prandellus,* (c) *hunc elegerunt; Normanni quoque accepta pecunia hunc intbronizaverunt. Romani autem nolentes hunc recipere, voluerunt ei reſiſtere, ideoque introitus ejus non fuit ſine ſanguine. Non ergo intravit iſte, ſicut vos intraſtis. At ille quod dixi, dixi. Si ita intravit, ſicut ego intravi, dico Alexandrum ſedere uſque ad proximam ſynodum.* Hæc autem omnia per nepotem ſuum, qui epiſcopatur Halberſtet, (d) notificavit Annos Romæ ad Caiphan & Dohec (e). Tunc ſumſerunt cornua iſti duo magi, Zarothin & Aphaxat, tamquam contra David Philiſtæus Goliath. Nos vero ad ſalutem noſtram putantes hæc fieri, eramus quieſcentes, quaſi ſub umbra juniperi

(a) Ideſt ſine Mediolanenſ. & Raven. epiſcopis capitibus factionis ſibi averſe loquitur lib. VII. cap. II. papa VII. fuit (b) Deſignat forte Umberum de quo, tanquam uno ex (c) Ita traducit Hildeprandum, qui dein Gregorius (d) Burchardus (e) Deſignat forte Northman. principes.

CONCILIUM ANGLICANUM,

In cauſa primatus Cantuarienſis ſuper Eboracenſem celebratum, anno domini MLXXII. tempore Alexandri papæ II.

Ex libro 1. *Wilielmi Malmesburienſis, de geſtis pontificum Anglorum: & ex alia editione horum actorum, quæ extat in vita Lanfranci cap.* XI.

ANNO CHRISTI 1070.

ANno ab incarnatione domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, regni vero Wilielmi glorioſi regis Anglorum & ducis Northmannorum ſexto, pontificatus autem domini Alexandri papæ undecimo. Ex præcepto ejuſdem Alexandri papæ, annuente eodem rege, in præſentia ipſius, & epiſcoporum atque abbatum, ventilata eſt cauſa de primatu, quem Lanfrancus Dorobernenſis archiepiſcopus ſuper Eboracenſem eccleſiam jure ſuæ eccleſiæ proclamabat: & de ordinationibus quorumdam epiſcoporum, de quibus, ad quem ſpecialiter pertinerent, certum minime conſtabat. Et tandem aliquando diverſis diverſarum cauſarum auctoritatibus probatum atque oſtenſum eſt, quod Eboracenſis eccleſia Cantuarienſi eccleſiæ debeat ſubjacere, ejuſque archiepiſcopi, ut primatis totius Britanniæ diſpoſitionibus, in iis quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, in omnibus obedire. Subjectionem vero Dunelmenſis hoc eſt Lindisfarnenſis epiſcopi, & omnium

ANNO CHRISTI 1072.

ANNO CHRISTI 1070.

omnium regionum a terminis Licefeldenſis epiſcopii, & Humbriæ magni fluvii, uſque ad extremos fines Scotiæ, & quidquid ex hac parte prædicti fluminis ad parochiam Eboracenſis eccleſiæ jure competit, Cantuarienſis metropolitanus Eboracenſi archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum obtinere conceſſit. Ita ut ſi Cantuarienſis archiepiſcopus concilium cogere voluerit, ubicumque ei viſum fuerit, Eboracenſis archiepiſcopus ſui præſentiam cum omnibus ſibi ſubjectis epiſcopis ad nutum ejus exhibeat, & ejus canonicis diſpoſitionibus obediens exiſtat.

Quod autem Eboracenſis archiepiſcopus profeſſionem archiepiſcopo Cantuarienſi facere etiam cum ſacramento debeat, Lanfrancus Doroberneſis archiepiſcopus ex antiqua anteceſſorum conſuetudine oſtendit: ſed ob amorem regis, Thomæ archiepiſcopo Eboracenſi ſacramentum relaxavit, ſcriptamque tantum profeſſionem recepit, non præjudicans ſucceſſoribus ſuis, qui ſacramentum cum profeſſione a ſucceſſoribus Thomæ exigere voluerint. Si archiepiſcopus Cantuarienſis vitam finierit, Eboracenſis archiepiſcopus Doroberniam veniet, & eum qui electus fuerit, cum cæteris præfatæ eccleſiæ epiſcopis, ut primatem proprium jure conſecrabit. Quod ſi archiepiſcopus Eboracenſis obierit, is qui ei ſucceſſurus eligitur, accepto a rege archiepiſcopatus dono, Cantuariam, vel ubi Cantuarienſi archiepiſcopo viſum fuerit, accedet, & ab ipſo ordinationem canonico more ſuſcipiet.

Huic conſtitutioni conſenſerunt præfatus rex & archiepiſcopi. Ventilata eſt autem hæc cauſa, prius apud Wentanam civitatem in paſchali ſolemnitate, in capella regia, quæ ſita eſt in caſtello: poſtea in villa regia, quæ vocatur Windleſor, ubi & finem accepit in præſentia regis, epiſcoporum, abbatum diverſorum ordinum, qui congregati erant apud curiam, in feſtivitate pentecoſtes. † Signum Wilielmi regis. † Signum Mathildis reginæ.

Ego Hubertus S. Romanæ eccleſiæ lector, & domini Alexandri papæ legatus, ſubſcripſi.

Ego Lanfrancus Doroberneſis archiepiſcopus, ſubſcripſi. (a).

Ego Wilielmus Londonienſis epiſcopus conſenſi.

Ego Hermannus Sarisburnenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Wulſtanus Wigornenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Walterus Hereforderſis epiſcopus conſenſi.

Ego Giſo Wellenſis epiſcopus conſenſi.

Ego Remigius Dorcacenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Walchelinus Wentanus epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Herfaſtus Helmeanenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Stigandus Ciceſtrenſis epiſcopus conſenſi.

Ego Siwardus Horoſenſis epiſcopus conſenſi.

Ego Osbernus Exonienſis epiſcopus conſenſi.

Ego Odo Bajocenſis epiſcopus & comes Cantiæ conſenſi.

Ego Goſfridus Conſtantienſis epiſcopus, & unus de primatibus Anglorum, conſenſi.

Ego Scollandus abbas cœnobii ſancti Auguſtini conſenſi.

Ego Elfwinus abbas cœnobii, quod Rameſei dicitur conſenſi.

ANNO CHRISTI 1070.

Ego Elnodus Gleſtonienſis abbas conſenſi.

Ego Thurſtanus abbas cœnobii, quod Certeſei dicitur, conſenſi.

Ego Elwinus abbas cœnobii Heveſandi conſenſi.

Ego Fredericus abbas cœnobii ſancti Albani conſenſi.

Ego Goisfridus abbas cœnobii ſancti Petri, quod non longe a Londonia ſitum eſt, conſenſi.

Ego Baldwinus abbas cœnobii ſancti Eadmundi conſenſi.

Ego Toroldus abbas de Burgo conſenſi.

Ego Adelelmus abbas Abbendonæ conſenſi.

Ego Rualodus abbas Novi Monaſterii Wentoniæ, conſenſi.

Porro idem decretum habetur deſcriptum inter ejuſdem Lanfranci epiſtolas, ubi in fine ipſius hæc addita leguntur: Huic conſtitutioni conſenterunt præfatus rex, & archiepiſcopus Lanfrancus Cantuarienſis, Thomas Eboracenſis, Hubertus ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconus, & cæteri qui interfuerunt epiſcopi & abbates. Cauſa definita, Thomas Eboracenſis archiepiſcopus profeſſionem hanc quæ ſequitur emiſit. Supra ſo. Mon.

„ Decet Chriſtianum quemque Chriſtianis legibus ſubjacere, nec his quæ a patribus ſaluberiter inſtituta ſunt quibuslibet rationibus contraire. Hinc namque iræ, diſſenſiones, invidiæ, contentiones, cæteraque procedunt, quæ amatores ſuos in pœnas æternas demergunt & quanto quis altioris eſt ordinis, tanto impenſius divinis debet obtemperare præceptis. Propterea ego Thomas ordinatus jam Eboracenſis eccleſiæ metropolitanus antiſtes, auditis cognitiſque rationibus, abſolutam tibi, Lanfrance Doroberneſis archiepiſcope, tuiſque ſucceſſoribus, de canonica obedientia profeſſionem facio: & quidquid a te, vel ab eis juſte ac canonice injunctum mihi fuerit, ſervaturum me eſſe promitto. De hac autem re dum adhuc ordinandus eſſem, dubius fui, ideoque tibi ſine conditione, ſucceſſoribuſque tuis conditionaliter obtemperandum me eſſe promiſi. *Hucuſque profeſſio Thomæ Eboracenſis.*

Quid præterea in hoc concilio contigerit (1) *de ſancto Wulſtano Wigornenſi epiſcopo ſanctitate vitæ celebri, ſed qui morum ſimplicitate, & litterarum imperitia viſus ſit ſuo metropolitano ad regimen epiſcopatus haud ſatis idoneus, cauſam dicere juſſo, idem auctor ſic narrat:* Hic ſancta ſimplicitas beati Wulſtani Wigornienſis epiſcopi, immo magnanima in Deo confidentia laudanda, & plauſu excipienda eſt. Cum enim & de hac re, & de parva ſcientia, litterarum pulſatus foras exiſſet, ut ſtrictiori conſilio reſponſum comeret ſuum, a tumultibus remoto animo: Crede mihi, inquit, nondum cantavimus horam ſextam. Cantemus ergo. Tunc quoque ſociis referentibus, ut prius propter quod venerant expedirent, quod ſatis ſuperque ſufficeret cantibus tempus, regem & proceres, ſi hæc audirent, riſui ſe haberi opinaturos. Prius, crede mihi, inquit, faciamus Dei ſervitium, & poſt agitabimus hominum litigium. Hora igitur cantata, nulla excogitata falſi tergiverſatione, nullo com-

(a) Apud VVilkins hic medius interjacet: *Thomas Eboracenſis arch. ſubſcripſi.*

(1) Hæc non ad Concilium Anglicanum hoc anno habitum, ſed ad illud, quod ann. 1070. coram Sedis Apoſtolicæ Legatis coactum fuit, referenda, ut indicant Simeon Dunelmenſis ac Hovedenus par. 1. pag. 453. & diſerte narrat Ailredus Abbas lib. 2. de Vita S. Eduardi Confeſſoris pag. 405. juxta editionem Seldeni. *Pagius ad Annum 1072. num. 3.*

ANNO CHRISTI 1072.

commentato viri ſplendore, confeſtim aulam concilii ingredi pergebat. Suis eum retinere tentantibus perſuaderi non potuit: quin potius timentibus cauſæ. Pro certo noveritis, ait, me hic viſibiliter videre beatos archiepiſcopos Dunſtanum Cantuarienſem, & Oſwaldum Eboracenſem, qui hodie ſuis precibus me tuentes, falſiloquorum acumen hebetabunt. Ita data benedictione monacho minimæ facundiæ viro, ſed Northmannicæ linguæ ſciolo, rem perorans obtinuit, ut qui ſuæ diœceſis ante indignus putabatur regimine, ab archiepiſcopo Eboracenſi ſuppliciter rogaretur, ut ſuas dignaretur luſtrare partes, quo ipſe pro timore hoſtium vel ſermonis ignorantia cavebat accedere. *Hæc ibi.*

Peracta ſynodo, Lanfrancus archiepiſcopus Cantuarienſis de his in ſynodo geſtis in cauſa Thomæ Eboracenſis archiepiſcopi certiorem fecit Alexandrum Romanum pontificem, his datis ad eum litteris.

LANFRANCI AD ALEXANDRUM II. EPISTOLA.

Domino totius Chriſtianæ religionis ſummo ſpeculatori Alexandro papæ Lanfrancus, ſanctæ Dorobernenſis eccleſiæ antiſtes, debitam cum omni ſervitute obedientiam.

MEminiſſe debet humiliter excellens excellenterque humilis beatitudo veſtra, quia quo tempore apud vos fuimus, Eboracenſis eccleſiæ antiſtes adverſum me palam murmuravit, clam detraxit, in præſentia celſitudinis veſtræ calumniam ſuſcitavit, dicens me injuſte velle agere: eo quod * al. noſtræ ſuper ſe, ſuamque eccleſiam jure * veſtræ eccleſiæ primatum niterer obtinere. De quorumdam quoque ſubjectione epiſcoporum, quos eccleſiæ ſuæ conatus eſt aggregare, antiquam ſua querela non eſt veritus conſuetudinem temerare. Quibus de rebus vos, ſicut ſanctum prudentemque paſtorem decuit & oportuit, per ſcriptum ſententiam promulgaſtis: quatenus conventus Angliæ terræ epiſcoporum, abbatum, cæterarumque religioſi ordinis perſonarum, utriuſque partis rationes audiret, diſcuteret, definiret. Factumque eſt ita. Convenerunt enim ad regalem curiam apud Wentanam civitatem in paſchali ſolemnitate, epiſcopi, abbates, cæterique ex ſacro ac laicali ordine. quos fide, actione, morumque probitate, par fuerat conveniſſe. In primis * adunati ſunt a nobis * al. adjura- ex veſtra auctoritate per ſanctam obedientiam.

Deinde regia poteſtas per ſemetipſam conteſtata eſt eos per fidem, & ſacramentum, quibus ſibi colligati erant, quatenus hanc cauſam intentiſſime audirent, auditam ad certum rectumque finem ſine partium favore perducerent. Utrumque omnes concorditer ſuſceperunt: ſeſeque ita facturos ſub præfata obligatione ſpoponderunt. Allata eſt igitur eccleſiaſtica gentis Anglorum hiſtoria, quam Eboracenſis eccleſiæ presbyter & Anglorum doctor Beda compoſuit. Lectæ ſententiæ, quibus pace omnium demonſtratum eſt, a tempore beati Auguſtini, primi Dorobernenſis epiſcopi, uſque ad ipſius Bedæ ultimam ſenectutem, quod fere centum & quadraginta annorum ſpatio terminatur, anteceſſores meos ſuper Eboracenſem eccleſiam, totamque inſulam, quam Britanniam vocant, necnon & Hiberniam, primatum geſſiſſe, curam paſtoralem omnibus impendiſſe, in ipſa Eboracenſi urbe perſæpe, locisque finitimis, ubi eis vilum fuit, epiſcopales ordinationes atque concilia celebraſſe, Eboracenſes antiſtites ad ipſa concilia vocaſſe, &, cum res popoſciſſet, de ſuis eos actibus rationem reddere compuliſſe. Epiſcopos quoque quorum ſubjectionem in quæſtionem adduxerat, infra illud centum & quadraginta annorum ſpatium, per Dorobernenſes archiepiſcopos fuiſſe ſacratos, & ad concilia vocatos. Quoſdam quoque, exigentibus culpis, ab eis cum Romanæ ſedis auctoritate depoſitos. Multaque in hunc modum, quæ epiſtolaris modeſtia per ſingula explicare non poteſt. Diverſa ad legendum porrecta concilia, quæ diverſis temporibus diverſis de cauſis a meis ſunt anteceſſoribus celebrata. Quæ tametſi non eandem ſuæ inſtitutionis habuere materiam, eandem tamen de primatu & ſubjectionibus epiſcoporum tenuere ſententiam. Recitatæ eorumdem, de quibus quæſtio verſabatur, epiſcoporum ante prædeceſſores meos factæ electiones, & per eos ordinationes, quæ Dorobernenſi eccleſiæ de ſua obedientia ſcriptas reliquerunt profeſſiones. Urbs namque, quæ nunc Cantuerbia nominatur, antiquis temporibus ab ipſius terræ incolis Dorobernia vocabatur.

ANNO CHRISTI 1072.

Acceſſerunt omnium teſtimonia, qui omnia, quæ ſcripta ſonuerunt, ſe ſuis quiſque temporibus vidiſſe & audiſſe conſtantiſſime affirmaverunt. Nec defuerunt geſta, quibus reſeratum eſt, cum Anglia per plures regulos eſſet diviſa, Nordanhumbrorum regem, ubi ſua * eſt civitas Eboraca, ac- * al. ſita cepto pretio cuidam ſimoniaco epiſcopatum vendidiſſe: pro qua culpa a Dorobernenſi archiepiſcopo ad concilium vocatum fuiſſe, nolentemque venire pro ſua inobedientia excommunicationis ſententiam pertuliſſe. Cujus communionis atque conſortii omnis illarum partium eccleſia tamdiu abſtinuit, quoadusque concilio ſe ipſum exhibuit, culpam dixit, quod male geſtum eſt correxit, de reliquo emendaturum ſe fore ſpopondit. Quæ res non mediocre tulit indicium, anteceſſores meos ſuper ipſam terram illamque eccleſiam habuiſſe primatum.

Ultimum quaſi robur, totiuſque cauſæ firmamentum, prolata ſunt anteceſſorum veſtrorum Gregorii, Bonifacii, Honorii, Vitaliani, Sergii, item Gregorii, item ultimi Leonis privilegia atque ſcripta, quæ Dorobernenſis eccleſiæ præſulibus, Anglorum regibus, aliis atque aliis temporibus, variis de cauſis ſunt data, aut tranſmiſſa. Reliqua enim reliquorum, tam authentica, quam eorum exemplaria, in ea combuſtione, atque abolitione, quam eccleſia noſtra ante quadriennium perpeſſa eſt, penitus ſunt abſumpta. His atque aliis, quæ particulatim breviterque explicari non poſſunt, ex parte noſtræ eccleſiæ: (a) in cauſa primatis, contra tantarum auctoritatum evidentiam pauciſſimas contradictiones oppoſuit; epiſtolam illam præcipue ferens in medium, qua beatus Gregorius Londonienſem atque Eboracenſem eccleſiam pares eſſe, nec alteram alteri ſubjacere, inſtituit. Quam ſcripturam cum in rem nihil facere concordi ſententia cuncti protinus definiſſent, pro eo quod nec ego Londonienſis epiſcopus eſſem, nec de Londonienſi eccleſia eſſet quæſtio inſtituta: vertit ſe ad alia egena & infirma argumenta, quæ poſt paucam moram, Chriſto revelante, paucis ſunt objectionibus abolita. Quem cum rex dulci paternaque reprehenſione argueret, quod contra tantam argu-

(a) *In cauſa peroratis contra &c.* Ita Cod. Angl. VVilk.

ANNO CHRISTI 1070.

argumentorum copiam tam inopes rationum venire præſumpſiſſet: reſpondit ſe antea ignoraſſe Doroberneníem eccleſiam tot tantiſque auctoritatibus tamque perſpicuis rationibus eſſe munitam. Verſus itaque ad preces eſt. Rogavit enim regem, ut me rogaret, quatenus omnem mentis rancorem adverſus eum pro hac cauſa conceptum omitterem, pacem diligerem, concordiam facerem; aliqua, quæ mei eſſent juris, ſtudio ei caritatis concederem. Cui petitioni ego libenter & cum gratiarum actione aſſenſum præbui: quia, miſeratione Deo, non ego, ſed ille, priſcæ conſuetudinis violator cauſa erat iſtius ſcandali.

Facta eſt igitur communi omnium atſtipulatione de hac re quædam ſcriptura, cujus exemplaria per principales Anglorum eccleſias diſtributa, futuris ſemper temporibus teſtimonium ferant, ad quem finem cauſa iſta fuerit perducta. Cujus exemplar vobis quoque, quibus ſanctam totius mundi eccleſiam conſtat eſſe commiſſam, tranſmittendum curavi: ut ex hoc atque aliis, quæ tranſmiſſa ſunt, perſpicue cognoſcatis, ex more anteceſſorum, quid mihi Chriſtique eccleſiæ, quam regendam ſuſcepi, concedere debeatis. (a) Quod peto honeſte, & ſine dilatione per indultum ſedis apoſtolicæ privilegium fieri: quatenus ex hoc quoque quantum me diligatis evidenter poſſit oſtendi.

ANNO CHRISTI 1070.

De me autem revera æſtimate, quod de fideli ac ſervo beati Petri ac veſtro ſanctæque eccleſiæ Romanæ. Nunquam enim res quælibet de arca mei pectoris ejicere quavis occaſione poterit inauditam illam humanitatem, quam mihi extremo hominum, tantis indigno honoribus, Romæ exhibuiſtis: quodque duo pallia, unum de altari ex more, alterum quo ſanctitas veſtra miſſas celebrare conſueverat, ad oſtendendam circa me benevolentiam veſtram, mihi impendiſtis. Illud quoque, quod omnibus, quorum mediator extiti, quidquid juſte ac ſalubriter petierunt, me interveniente protinus conceſſiſtis. Ut taceam alia plura, quæ in hac parte ab his minime diſcrepant, quæque mihi memoriam veſtri nominis, ſi quid boni facio, dulciter repræſentant. Epiſtolam, quam Berengario ſchiſmatico, dum adhuc Cadomenſi cœnobio præeſſem, tranſmiſi, paternitati veſtræ, ſicut præcepiſtis, tranſmittere curavi. Omnipotens Dominus vitam veſtram, ad honorem ſanctæ eccleſiæ veſtris diſpoſitionibus divinitus commiſſæ, in tempore prolixam faciat: quatenus poſt tempus, quæ ſine tempore ſunt, prolixa æternitatis ſpatia vobis concedat.

B. LANFRANCI ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

EPISTOLÆ CANONICÆ, COLLECTÆ EX EJUS EPISTOLARUM LIBRO.

Lanfranci ad Alexandrum II. epiſtolam ſequuntur ejuſdem epiſtolæ canonicæ omnes, quæ ex ipſius epiſtolarum libro decerptæ ſunt: quæ quidem commodius collocari non poterant, quam poſt primatum ipſi aſſertum in concilio Anglicano.

* IX. inter operoſiores editionis.

* I. AD THOMAM EBORACENSEM Archiepiſcopum.

De pœnitente triplicis homicidii reo, & commonitoriis ejus epiſcopi litteris.

Lanfrancus indignus antiſtes, dilectiſſimo Eboracenſi archiepiſcopo Thomæ ſalutem cum orationibus.

RObertus Sagienſis epiſcopus hunc pœnitentem ad me miſit, & mandavit quod iſte miſerrimus tres homines montem ſancti Michaelis adeuntes tertio pentecoſtes die invaſerit, & interfecerit. Cui ex more pœnitentia injuncta, commonitorias litteras ſibi tradidit: ut ſi quis epiſcopus pietate motus miſericordiam ei vellet impendere, poteſtatem haberet, quantum vellet, ipſi ignoſcere. Hujus itaque rei teſtis, eum ad vos mitto: quatenus hoc verum eſſe ſciatis, atque animæ ejus, ſecundum quod viſum vobis fuerit, conſulatis.

* X. inter editos.

* II. AD THOMAM EBORACENSEM. Archiepiſcopum.

De iis qui uxores fornicationis cauſa relinquere, & alias ducere volunt, quid ſentiendum: & de eo, qui eam, quæ uxor putatur, deſponſaſſe ſe abnegat.

Dilectiſſimo fratri & amico, Eboracenſis eccleſiæ archiepiſcopo Thomæ, frater Lanfrancus perpetuam ſalutem cum orationibus.

ILlos quidem, qui corporaliter tantum, & propter terrena lucra ſe amant, intervalla locorum quo prolixiora ſunt, eo a mutuo amore impenſius ſeparant. Eos vero quos ſincera Chriſtianæ religionis charitas jungit, corporalis abſentia, ſeu quælibet localis intercapedo minime disjungit. Studeamus ergo fraterno invicem amore proficere, pro invicem orare, alterius neceſſitatem propriam deputare: quatenus in conſpectu Dei atque hominum evidenter appareat, quod carnalis æmulus, quo animæ uruntur, vindicare in nobis nihil prævaleat.

De his autem, qui uxores deſponſatas cauſa fornicationis relinquere, aliaſque ſibi conjungere volunt, hoc enim veſtra prudentia a me requiſivit, Dominus Jeſus Chriſtus, quid ſentiendum ſit in evangelio ſecundum Marcum apertiſſime dicit: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alium duxerit, mœchatur.* Marc. 10. Item ſecundum Lucam: *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur.* Luc. 16. Sunt etiam de hac re plurimæ ſanctorum patrum auctoritates: ſed ubi ſol lucet, candelam ad proferendum lumen proferri minime oportet. In his verbis dominicis luce clarius liquet, quia vivente viro, vel uxore, extraneam copulam quærere, nulli eorum licet. Eum vero, qui mulierem, quæ uxor putatur, deſponſaſſe ſe abnegat; aut evidentibus teſtimoniis, ſeu quibuslibet claris indiciis, mentiri eum oſtendite, aut in præſentiarum, quoad uſque res melius clareſcat, cauſam ejus omittite.

(a) Poſt hæc verba in Cod. Cotton. & epiſtola clauditur hac tantum perido adjecta: *Omnipotens Deus vitam veſtram &c.* ut eſt in fine epiſtolæ hic excuſæ.

XIII. inter edit.

* III. AD JOANNEM ROTHOMAGENSEM archiepiſcopum.

Occaſione litterarum eius de nonnullis ritibus diſſerit, ad dedicationem eccleſiarum, & ſubdiaconorum ordinationem ſpectantibus.

Domino merito ſanctitatis inſigniter efferendo Joanni Normannorum archiepiſcopo Lanfrancus indignus vocari epiſcopus, bene cœptis meliora connectere.

GRatias ago colendæ benignitati veſtræ, quia non ſolum præſens præſentem me indefficienti amore propter Deum dilexiſtis: verum etiam abſens pro abſente paternam vos curam gerere ſalubri admonitione evidenter oſtendiſtis. Abſit autem a me, longeque a ſenſibus meis hunc errorem avertat divina clementia, ut moleſtum mihi ſit, ſi quis reſpectu ſalutis meæ, vitæ æternæ contemplatione, de anima mea ſollicitudinem gerat; ſi eâ quæ de actibus meis ſibi diſplicent, pietate motus indicare non differat; ſi aliter me corrigere non poteſt, verbis quoque objurgare præſentem, aut litteris increpare abſentem non negligat: ſed amicus a me potius juſtus exiſtimabitur, qui in miſericordia corripit me, & increpat; hoſtis autem, peccator, qui oleo pravæ adulationis caput meum aut impinguat, aut impinguare laborat.

Quidquid vero ſanctitas veſtra de ſtola ſcripſit, multum mihi placuit, nec unquam diſplicuit. Sed quod ſubjunxit, quia ad dedicandam eccleſiam epiſcopus proceſſurus, ſacris veſtibus, ex inſtitutione epiſcopalis ordinis, debeat eſſe indutus, atque in expoſitione ipſarum ſacrarum veſtium caſulam potuit, valde ſtupui: quia tale aliquid me nunquam vidiſſe, meminiſſe non potui. Diverſos enim diverſarum provinciarum præſules, eccleſias dedicare ſæpe conſpexi, omnibusque quæ ab eis facta ſunt, quantam potui curam adhibui: qui etſi in nonnullis diſſimilia egerint, omnes tamen capis induti uſque ad celebrationem miſſæ, debita ſervatia ſine caſula expleverunt. Denique ſanctus Leo Romanæ ſedis ſummus antiſtes, * Romericenſem, me præſente, eccleſiam dedicavit, cunctaque quæ ante miſſam fieri ordo depoſcerat, ſine caſula conſummavit.

Porro quod in dandis ordinibus, ſoli ſubdiacono dari manipulum perhibuiſti: ubi hoc acceperiſ, rogo me veſtris litteris inſtruatis. A quibuſdam enim id fieri audio: ſed utrum id fieri ſacris auctoritatibus præcipiatur, meminiſſe non valeo. Plerique autumant manipulum eſſe commune ornamentum omnium, ſicut & albam, & amictum. Nam & in cœnobiis monachorum, etiam laici cum albis induuntur, & antiqua patrum inſtitutione ſolent ferre manipulum. In noſtris epiſcopalis ordinis codicibus, quos ex diverſis regionibus multos habemus, & de ordinando ſubdiacono, inter cætera ſic ſcriptum habetur: *Poſtea vero accipiat ab archidiacono urceolum, cum aquamanili, ac manutergium.* In quibuſdam ſic: *cum aquamanile*: in aliis ita: *cum aquamanili*. Urceolus quid ſit, liquido patet: eſt enim vas ſuperius, unde lavandis manibus aqua infunditur. Aquamanile, ſive aquæmanile, Italici unam partem dicunt, vocaturque lingua eorum vas inferius, in quod manibus infuſa aqua delabitur. Quod ſi fortaſſe ſic diſtinguendum putatis, *Urceolum cum aqua*, & poſtea *manile, ac manutergium*, quatenus manile eſſe manipulum intelligatis: cur inter urceolum ac manutergium ponatur manipulus, & cur cætera ornamenta ab epiſcopis dantur, dari ab archidiacono manipulus jubeatur, in quo ſcriptura, ſive ſæculari, ſive divina ſic vocatum manipulum repereritis, poſco tantam paternitatem veſtram, ut indicare mihi competenti diligentia ſtudeatis.

In Carthaginenſi concilio quarto omne hujus rei ambiguum excluditur, ubi ſic legitur: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu vero archidiaconi, accipiat urceolum cum aqua, & aquamanile, ac manutergium.* Item Iſidorus in epiſtola de ſacris ordinibus. *Ad ſubdiaconum*, inquit, *pertinet, calicem & patenam ad altare Chriſti deferre, & levitis tradere, eiſque miniſtrare: urceolum quoque, & aquamanile, ac manutergium tenere epiſcopo, preſbyteris & levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere.* Omnipotens Dominus vitam veſtram intus exteriuſque tueatur; augeatque in vobis, auctam conſervet dilectionem, qua me quondam diligere ſolebatis: quatenus de me, quantum ad vos hoc quidem pertinet, quæ credenda ſunt, credatis, proculque ab auribus veſtris linguas detrahentium paſtorali ſemper auctoritate repellatis.

* IV. AD HERFRASTUM EPISCOPUM

* XXI. inter editas

Quo pacto erga eum gerere ſe debeat, quem nullis adhuc ordinibus initiatum, & uxoratum, ad diaconatum promoverat

Lanfrancus gratia Dei, non ſuis meritis archiepiſcopus, confratri, & coepiſcopo Herfraſto ſalutem.

CLericus iſte noviter ad me venit, cauſam ſuæ infelicitatis mihi dixit, dictam teſtimonio veſtrarum litterarum veram eſſe aſſeruit: teſtatus eſt, ſe inordinate ordinatum; videlicet cum nullius eſſet ordinis, a fraternitate veſtra factum eſſe diaconum: interrogatus a me, ſi uxorem haberet, uxorem ſe habere, nec eam ſe velle dimittere reſpondit. Propterea tali pacto conſulendum ei divina fultus auctoritate decerno. Diaconatum ei auferte, ad cæteros minores ordines congruis eum temporibus promovete: diaconatus vero ordinem nunquam recipiat, niſi caſte vivat, niſi de reliquo ſe caſte victurum canonica atteſtatione promittat. Si vero cœlibem vitam egerit, & acturum ſe omni tempore ſpondere voluerit: non quidem eum ad ordinem diaconatus iterum ordinabitis, ſed ipſum officium per textum ſancti evangelii, vel in ſynodo, vel in multorum clericorum conventu, reddetis.

* V. AD HEREBERTUM EPISCOPUM

* XXIII. inter epiſto. editas.

Ut Beraldum clericum vexare deſiſtat: & quia ipſius litteras ſperaverat, ex ſacris canonibus diſcat, quæ reverentia metropolitanis debeatur. Effrænem denique monachum, ut a ſuo conſortio penitus eliminet.

Lanfrancus divina miſericordia, non ſuis meritis Doroternenſis eccleſiæ archiepiſcopus, Hereberto epiſcopo, humiliter ſapere, & ſobrie intelligere.

BErardus abbatis Balduini clericus, & famulus noſtras de negotio ſuo litteras tibi detulit

quas,

quas, ut ipſe poſtea mihi teſtatus eſt, procaciter irriſiſti: ſatis vilia, multumque indigna de me, multis audientibus, protuliſti, pro me de eadem re nihil te facturum plurimis conteſtationibus affirmaſti. De his alio tempore atque loco ſermo erit. Verumtamen ad præſens præcipio tibi, ne in his, rebus ſancti Eadmundi aliquid appetas, niſi id ab anteceſſoribus tuis appetitum fuiſſe certis documentis oſtendas: præfatum Berardum quietum, & inconcuſſum dimittas, quoadusque res in noſtram audientiam veniat, finemque congruum canonica auctoritate, noſtrique judicii definitione recipiat.

Poſtpoſitis aliis, ut majora taceam, ludiſque ſæcularibus, quibus por totam diem vacare diceris, divinas litteras lege, decretiſque Romanorum pontificum, ſacriſque canonibus præcipue ſtudium impende: ibi quippe invenies quod neſcis, perlectis illis frivolum dices, unde eccleſiaſticam diſciplinam effugere te confidis.

Bonifacius Papa epiſt. 12. can. 9.

In decretis ſic legitur. *Metropolitani ſui in unaquaque provincia, in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet.* In Nicæno concilio: *Firmitas omnium, quæ geruntur per unamquamque provinciam, metropolitano tribuatur epiſcopo.* In Antiocheno: *Per unamquamque provinciam epiſcopis convenit noſſe, metropolitanum epiſcopum totius provinciæ, ſollicitudinem gerere: propter quod ad metropolem omnes undique, qui negotia videntur habere concurrant: unde placuit eum & honore præcellere.* Et in Tolletanis conciliis: *Sic enim juſtum eſt, ut inde unuſquiſque ſumat regulas diſciplinæ, unde conſecrationem honoris accepit: ut juxta majorum decreta, ſedes, quæ unicuique ſacerdotalis mater eſt dignitatis, ſit eccleſiaſticæ magiſtra rationis.* Et paulo poſt: *Quiſquis horum decretorum violator exiterit, ſex menſibus communione privatus, apud metropolitanum ſub pœnitentiæ cenſura permaneat corrigendus.*

can. 9.

Sunt alia plurima de excellentia, & poteſtate primatum, atque archiepiſcoporum, tam in præfatis ſcriptis, quam in aliis orthodoxorum patrum authenticis libris. Quæ ſi ſtudioſius legeres, lecta memoriæ commendares: nihil inconvenientis contra tuam matrem eccleſiam ſentires; quod dixiſſe diceris, non dixiſſes: immo dictum ab aliis ſalubri invectione reprehenderes. Nec ſobrius quiſquam putaverit, hoc eſſe in aliena parochia aliquid temere præſumere: cum per miſericordiam Dei totam hanc, quam vocant Britanniam inſulam, unam unius noſtræ eccleſiæ conſtet eſſe parochiam.

Hermanum monachum, cujus vita multis reprehenſionibus obnoxia perhibetur, a conſortio tuo, tuæque domus, penitus remove. Volo enim, ut in regulari monaſterio regulariter vivat: aut ſi hoc renuit, de regno Anglorum abſcedat.

* XXIV. Inter epiſt. editas.

* VI. AD MAURITIUM LONDONIENSEM electum epiſcopum.

Electo epiſcopo diem deſignat, quo presbyterii gradum ei collaturus eſt: ſimulque ad ejus interrogata reſpondet, de homine apud captores mortuo, de colloquio regis, & de clerico, qui in ejus epiſcopatum ſine formatis venerat.

Lanfrancus divina miſericordia archiepiſcopus dilecto fratri Londonienſis eccleſiæ electo antiſtiti Mauritio ſalutem.

IN primis gratias ago, quod meam ſicut tuam deſiderare ſalutem te aſſeris: quodque profectum vivendi honeſte, per meam qualemcumque doctrinam habiturum te eſſe confidis. Hæc ex dilectione non modica procedere ſolent. Ad interrogata tua, brevia reſponſa mitto. De homine quem captum, & apud captores mortuum fuiſſe inventum ſcripſiſti: abſolute tibi ad præſens reſpondere non poſſum, quoadusque præcedentes mortis ejus cauſas diligentius audiam; & ſic miſerante Deo, quid agi oporteat, canonica auctoritate definiam. Interim injunge eis aliquam pœnitentiam, uſque dum conveniamus, & alterno colloquio quid poſtea facere debeant decernamus.

De terris tuis domino meo regi nihil adhuc locutus fui: quia de meis etiam rebus, qualem volui, loquendi opportunitatem non habui. Goſfridus clericus, qui apoſtaſiæ calumniam habet, de epiſcopatu tuo recedat: aut formatas litteras ex parte ſui epiſcopi, ſicut canones jubent, oſtendat. Ciceſtrum, ſicut fraternitati tuæ inſinuavi, venies: & ibi ſabbato ante *lætare Hieruſalem*, cooperante Spiritu ſancto, presbyterii gradum recipies.

* VII. AD WALCHERUM DUNELMENSEM epiſcopum

* XXVI. Inter editas.

Excuſat quod monitorium non miſerit: reſpondetque de presbytero, qui in clauſtro monachorum ſine benedictione nutritus fuerit, ad ſæculum redire non poſſe

Lanfrancus indignus antiſtes, venerabili Dunelmenſi epiſcopo Walchero ſalutem

ET longe ab urbe poſitum, & multis hujus ſæculi negotiis involutum me veſtræ litteræ invenerunt. Ob quam cauſam petitionibus veſtris ex omni parte effectum præbere non licuit: nec ſi licuiſſet, commonitorium, quod in feſtivitate ſancti Martini habere voluiſtis, fieri potuiſſet. Septima enim poſt prædicti ſancti ſolemnitatem die, veſter ad me nuncius venit.

Porro de illo presbytero, de quo mandaſtis, quia in clauſtro monachorum ſine benedictione nutritus fuit, aliquid me vobis mandaſſe recordari non poſſum. Canones tamen, decretaque ſanctorum patrum, eos, qui veſtem religionis aliquot diebus in conſpectu hominum deferunt, ad ſæculum quocumque modo poſtea redire non ſinunt. Qui ſi vobis obtemperare noluerit, evangelica auctoritate utimini, quæ ait, *compelle intrare*.

Luc. 14.

VIII. AD STIGANDUM CISTRENSEM epiſcopum.

* XXVII. Inter editas.

Ut clericis villarum eccleſiæ Cantuarienſis, quæ in ipſius ſunt diœceſi, exactas per ejus archidiaconos pecunias reſtitui jubeat. Nec ad epiſcopi ullius ſynodum deinceps veniant, nec reſpondeant, aut quicquam perſolvant, præter id quod inſtitutum eſt pro chriſmate.

Lanfrancus Dei gratia archiepiſcopus, dilectiſſimo fratri Stigando Ciſtrenſi epiſcopo ſalutem.

CLerici villarum noſtrarum, qui in veſtra diœceſi exiſtunt, queſti nobis ſunt, quod veſtri archidiaconi repertis occaſionibus pecunias ab eis exquirunt, & a quibuſdam jam acceperunt. Meminiſſe debet fraternitas veſtra, quia contra morem anteceſſorum noſtrorum, atque veſtrorum, vobis conceſſimus, eiſque imperavimus, quatenus ad veſtras ſynodos irent, & ea, quæ ad Chriſtianæ

næ religionis notitiam prodeſſe poſſunt, ſine interpellatione vel diſcuſſione aliqua, a vobis audirent: ſi quæ in ipſis culpæ invenirentur, ſuſpenſa interim vindicta, ad noſtrum examen ſervarentur, & nobis vel in miſerendo, vel in ulciſcendo, ſicut ſemper conſuetudo fuit, obnoxii tenerentur. Mandamus itaque, ut male accepta ſine dilatione reddi jubeatis, & miniſtris veſtris, * ut ulterius id præſumant, ſervandæ caritatis ſtudio prohibeatis.

* Forte, ex H.

Nos vero presbyteris noſtris, qui extra Cantiam conſtituti, omnino præcipimus, ne ad veſtram, vel alicujus epiſcopi ſynodum amplius eant: nec vobis, nec aliquibus miniſtris veſtris pro qualibet culpa reſpondeant. Nos enim cum ad villas * veſtras veniamus: quales ipſi vel in moribus, vel in ſui ordinis ſcientia ſint, paſtorali auctoritate veſtigare debemus.

* al. nostras

Chriſma tantum a vobis accipiant: & ea, quæ antiquitus inſtituta ſunt, in chriſmatis acceptione perſolvant. Sicut namque ea, quæ antiquitus uſque ad noſtra tempora anteceſſores noſtri habuerunt, ſolerti vigilantia cupimus illibata ſervare: ita aliis debita, aliqua, quod abſit, uſurpatione nolumus denegare.

IX. AD GOISFRIDUM epiſcopum.

* XXXII. inter editas.

De ſanctimonialibus profeſſis, vel ad altare oblatis: & de iis, quæ nec profeſſæ, nec oblatæ, aut quæ non amore religionis ad monaſterium confugiunt.

Lanfrancus archiepiſcopus venerabili epiſcopo Goisfrido, ſalutem & ſervitium.

DE ſanctimonialibus, de quibus dulciſſima mihi paternitas veſtra ad me litteras miſit, hoc vobis reſpondeo. Sanctimoniales quæ de ſervanda regula profeſſionem fecerunt; vel quæ, quamvis adhuc profeſſæ non ſint, ad altare tamen oblatæ fuerunt: ſecundum mores & vitas earum, ad ſervandam regulam moneantur, increpentur, conſtringantur. Quæ vero nec profeſſæ, nec oblatæ ſunt, ad præſens dimittantur ſic, donec voluntates earum de ſervando ordine ſubtilius exquirantur. Quæ vero non amore religionis, ſed timore Francigenarum, ſicut vos dicitis, ad monaſterium confugerunt: ſi hoc firmo meliorum ſanctimonialium teſtimonio probare poſſunt, libera eis recedendi concedatur poteſtas. Et hoc eſt conſilium regis, & noſtrum. Omnipotens Deus vitam veſtram in beneplacito ſuo conſervet.

* X. AD DOMNALDUM HIBERNIÆ epiſcopum, &c.

* XXXIII. inter epiſtol. editas.

Infantibus ante uſum rationis euchariſtiæ perceptionem non eſſe neceſſariam. Quæſtiones ſæcularium litterarum epiſcopo eſſe indignas.

Lanfrancus indignus ſanctæ Cantuarienſis eccleſiæ antiſtes, venerando Hiberniæ epiſcopo Domnaldo, & iis, qui ſibi litteras tranſmiſerunt, ſalutem, & benedictionem.

IN itinere poſiti, & a civitate, in qua nobis ſedes epiſcopalis eſt, longe ſepoſiti eramus: quando litteras veſtras nuntio veſtro deferente ſuſcepimus. Quem cum rogaſſemus, ut ſaltem paucis diebus nobiſcum maneret, quatenus peryuiſitis libris congruum pro captu noſtro ad conſulta veſtra reſponſum vobis referret: petitioni noſtræ effectum negavit, & ſe diutius non poſſe morari multis aſſertionibus allegavit. Itaque dulciſſimam nobis fraternitatem veſtram paterna caritate monemus, ne indignum vobis ſit, quod de tantare, tam breviter reſpondemus.

Revera, & procul pulſa omni ambiguitate, ſciatis, neque tranſmarinas eccleſias, neque nos Anglos, hanc de infantibus tenere ſententiam, quam putatis. Credimus enim generaliter omnes, omnibus ætatibus plurimum expedire, tam viventes, quam morientes, dominici corporis & ſanguinis perceptione ſeſe munire. Nec tamen ſi priuſquam corpus Chriſti & ſanguinem ſumant, contingit baptizatos ſtatim de hoc ſæculo ire, ullatenus credimus eos, quod Deus avertat, propter hoc in æternum perire. Alioquin veritas non eſſet verax, quæ dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Et per prophetam: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris:* quod de baptiſmo eſſe dictum omnes hujus ſententiæ expoſitores concorditer aſſeverant. Et Petrus apoſtolus: *Et nunc vos ſimilis formæ facit baptiſma.* Et Paulus apoſtolus: *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Chriſtum eſt enim induere, habitatorem Deum per remiſſionem peccatorum in ſe habere.

Marc. 16. Ezech. 36. 1. Petri 3. Galat. 3.

Nam ſententia illa, quam dominus in evangelio dicit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* quantum ad comeſtionem oris non poteſt generaliter dicta eſſe de omnibus. Plerique etenim ſanctorum martyrum, ante baptiſmum quoque, diverſis excruciati pœnis de corpore migraverunt: eos tamen in numero martyrum computat, & ſalvos credit eccleſia per illud teſtimonium domini, quo dicitur: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor & ego eum coram patre meo, qui eſt in cœlo.*

Joan. 6. Matth. 10.

Infantem quoque non baptizatum, ſi morte imminente urgeatur, a fideli laico, ſi presbyter deſit, baptizari poſſe canones præcipiunt: nec eum tamen, ſi ſtatim moriatur, a conſortio fidelium ſejungunt. Neceſſe eſt ergo prædictam domini ſententiam ſic intelligi, quatenus fidelis quiſque divini miniſterii per intelligentiam capax, carnem Chriſti & ſanguinem non ſolum ore corporis, ſed etiam amore, & ſuavitate cordis comedat, & bibat: videlicet amando, & in conſcientia pura dulce habendo, quod pro ſalute noſtra Chriſtus carnem aſſumpſit, pependit, reſurrexit, aſcendit, & imitando veſtigia ejus, & communicando paſſionibus ipſius, in quantum humana infirmitas patitur, & divina ei gratia largiri dignatur. Hoc eſt enim vere & ſalubriter carnem Chriſti comedere, & ſanguinem ejus bibere.

Quam ſententiam in libro de doctrina Chriſtiana beatus Auguſtinus exponens, ſic ait: *Facinus, vel flagitium jubere videtur: figura vero eſt, præcipiens paſſionis dominicæ communicandum eſſe, & ſuaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod pro nobis caro ejus vulnerata & crucifixa ſit.* Figuram vocat, figuratam locutionem. Neque enim negat veritatem carnis & ſanguinis Chriſti: quod plerique ſchiſmatici viſum eſt, & adhuc non ceſſat videri. Et dominus in evangelio: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Quod exponens beatus Auguſtinus ait: *Hoc eſt namque carnem Chriſti & ſanguinem ſalubriter comedere, & bibere, in Chriſto manere, & Chriſtum in ſe manentem habere. Nam & Judas, qui dominum tradidit, cum cæteris apoſtolis*

Lib. 3. c. 16. Joan. 6. In evang. Joan. Tract. 26.

stolis ore accepit: sed quia corde non comedit, judicium sibi æternæ damnationis accepit.

Quæstiones sæcularium litterarum nobis solvendas misistis: sed episcopale propositum non decet operam dare hujusmodi studiis. Olim quidem juvenilem ætatem in his detrivimus: sed accedentes ad pastoralem curam, abrenunciandum eis decrevimus.

* XLI. inter edit.

XI. AD ROGERIUM comitem.

Ab excommunicatione solvi non posse, nisi regi satisfaciat, ejusque misericordiam imploret.

Lanfrancus Dei gratia archiepiscopus, dilectissimo quondam filio & amico Rogerio comiti, bene intelligere, & salubrem de anima sua curam habere

DOleo pro te quantum dici non potest: quia teste Deo te amabam, & tibi servire toto corde desiderabam. Sed quia instinctu dæmonis, & consilio pravorum hominum, ea molitus es, quæ te moliri oportuerat: necessitate coactus mentem mutavi, & dilectionem non in odium tantum, quantum in rancorem mentis & justam se- C veritatem converti. Legatis tamen & litteris semel & iterum te invitavi ut ad me venires, & consilium animæ tuæ a me, sicut a patre spirituali, & amico sincero, acciperes: atque a stulto proposito quod conceperas, consilio meliore desineres. Tu vero id facere recusasti

Canonica igitur auctoritate te & tuos maledixi, & excommunicavi, atque a liminibus sanctæ ecclesiæ & consortio fidelium separavi: & per totam Anglicam terram hoc idem pastorali auctoritate fieri imperavi. Ab hoc vinculo anathematis absolvere te non possum, nisi misericordiam domini mei regis requiras: sibique, & aliis quorum res injuste prædatus es, justitiam factas.

* Forte, ad hunc me vocavit. M.

Mandasti quod * adhuc venire velles. Hoc ego libentissime vellem, nisi regalem iram pro hac re me incursurum metuerem. Sed legato & litteris pœnitudinem tuam, & humilitatem, & preces, ei intimabo: & te, salva ejus fidelitate, prout melius potero, adjuvabo. Interim rogo & moneo, ut quiescas: nec aliquid coneris facere, unde majorem ejus iram incurras.

* XII. AD ABBATEM T..... LI inter editas.

Ut excommunicatam adulteram de cœmeterio ejici præcipiat, quousque episcopo satisfiat

Lanfrancus archiepiscopus, dilectissimo amico suo abbati T..... salutem.

CAusam Goduini, & Lisginæ adulteræ suæ optime novi. Et revera Londoniæ coram me eam vestigari præcepi: auditaque utriusque partis assertione, in adulteros sententiam diximus, & juste eos esse excommunicatos communi consensu decrevimus. Propterea nihil aliud restat, B nisi quod fraternitas tua adulteram de cimiterio ejici præcipiat: quousque vel corruptor ejus, vel aliquis pro ea, quod justum est, episcopo faciat. Libenter facerem, quod tibi placere posse intelligerem: & multum doleo, quod de præsenti gotio voluntatem tuam implere non valeo

* XIII. AD RODULFUM abbatem. LX inter edit.

Posse monachum qui in uno monasterio stabilitatem promiserit, justis de causis in aliud transmigrare

Lanfrancus Cantuariæ archiepiscopus Roduifo abbati salutem.

INdicatum est mihi, de tuo monasterio recedere vis: de promissa stabilitate sollicitus es: timens, ne, unde Deum placare * studes, inde offendas. De quo rationem talem ostendo: & in ostendendo meipsum in exemplum sic do. Si ego Lanfrancus manu propria me de aliquo monasterio non recessurum jurassem, viderem autem quod ibi animam meam salvare non possem: exirem, nec perjurii crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non solvitur ab ipso, nisi contra ipsum solvatur. Porro ab ipso contra ipsum minime solvitur, qui propter, amorem ejus, & ut sibi bene complaceat, a filiis discordiæ, superbiæ, diffidentiæ, & ut * apertius D dicam, a filiis diaboli, migrat ad filios pacis, humilitatis, spei, immo ad filios Dei. Qui enim sic transit, nonne plane fugit a sede diaboli, ad sedem Dei? Quis enim judicet, illum a Deo damnandum, qui ut ad patrem, ut ad dominum, & amicum, fugit ad ipsum? Propterea qui sic transit, non ab ecclesia in ecclesiam transit: non enim plures sunt ecclesiæ, sed una est toto orbe diffusa: & uti Deo ubique servitur, & uni regi militatur. Postremo B. Benedictus, qui stabilitatem præcipit firmare, monachum ab alio monasterio ad aliud monasterium venientem jubet suscipi: & si bonæ vitæ fuerit, ut stabilitatem firmet, suaderi

* Al. debet.

* al. aptius.

ANNO CHRISTI 1072.

CONCILIUM ROTOMAGENSE

ANNO CHRISTI 1072.

In basilica S. Mariæ Rotomagi ab Joanne archiepiscopo, cum suis suffraganeis, Willelmo Anglorum rege Normanniam gubernante, celebratum anno Christi MLXXII. Alexandri II. papæ, anno XI. Philippi I. Francorum regis anno XIII.

TITULI CANONUM.

I. *Ut episcopus chrisma & oleum hora competenti, & cum duodecim sacerdotibus consecret*

II. *Quod totum chrisma & oleum ab archidiaconis renovandum sit.*

III. *Qua cura distribui a decanis chrisma & oleum debeant.*

IV. *Ut*

IV *Ut qui miſſam celebrat, omnino communicet.*
ANNO CHRISTI 1072. V *Ut ſacerdos jejunus, & cum alba ac ſtola baptizet.*
VI. *Ut viaticum & aqua benedicta ultra octo dies non ſerventur, & conſecrata hoſtia iterum non conſecrentur.*
VII. *Confirmatio jejunis a jejunus, & cum igne, conferenda.*
VIII *Ut ordines ſacri poſt diem ſabbati, vel die dominica mane, jejunis a jejunantibus conferantur.*
IX. *Ut quatuor temporum exacta ſit obſervatio*
X. *Quod depoſitione digni ſint qui furtim aut incite ad ſacros ordines provehuntur.*
XI. *De iis qui coronas relinquunt. Et ut ordinandi ad epiſcopum feria quinta veniant*
XII *Ut monachi vagi vel expulſi, itemque ſanctimoniales, ad ſua monaſteria redire compellantur.*
XIII. *Ne cura paſtorales vendantur & emantur.*
XIV. *De ritu nuptiarum, ne in occulto fiant, aut inter conſanguineos.*
XV. *De clericis uxoratis, ut eccleſiis non miniſtrent, nec fructus percipiant, & quales eſſe debeant archidiaconi ac decani.*
XVI. *Ut nullus mortua uxore illam accipiat, de qua antea fuerat infamatus.*
XVII. *Nullus uxore velata ſuperſtite aliam ducat.*
XVIII. *Ne abſentis viri uxor alteri nubat priuſquam de viri morte compertam habeat.*
XIX. *Ne clerici in publicum crimen lapſi, ſacris ordinibus facile reſtituantur.*
XX. *Ut epiſcopus qui ad lapſi depoſitionem venire non poteſt, vicarium mittat.*
XXI. *Ut ante horam veſpertinam in Quadrageſima non edatur.*
XXII. *Ut ſabbathi paſcha officium ante horam nonam non incboetur.*
XXIII. *De ſanctorum feſtivitatibus transferendis.*
XXIV. *Ut generale baptiſma niſi ſabbato paſchæ & pentecoſtes non fiat. Parvuli quocumque tempore petierint, baptizentur. nullus in epiphania ſine infirmitatis neceſſitate.*

PRÆFATIO.

ANno ab incarnatione Domini MLXXII. congregatum eſt concilium in metropolitana Rotomagenſis urbis ſede, in baſilica beatæ & gloriotæ Dei genitricis ſemper virginis Mariæ, cui Joannes ejuſdem urbis archiepiſcopus præerat, & veſtigia patrum ſecutus utilitati eccleſiaſticæ omnimodis conſulebat, cum ſuffraganeis ſuis, Odone Bajocenſi, Hugone Luxovienſi, Rodberto Sagien-

Michaele Abrincatenſi, & Gisleberto Ebroienſi. In primis diſputatum eſt de fide ſanctæ & individuæ Trinitatis, quam ſecundum ſtatuta ſanctorum conciliorum, ſcilicet Nicæni, Conſtantinopolitani, primi Epheſini, Calchedonenſis concilii, corroboraverunt, ſanxerunt, ſe toto corde credere profeſſi ſunt. Poſt hanc catholicæ fidei profeſſionem, annexa ſunt hæc ſubſcripta catholicæ fidei doctrinæ capitula.

CANONES.

I. Ut epiſcopus chriſma & oleum bora competenti, & cum duodecim ſacerdotibus conſecret.

In primis ſtatutum eſt a nobis, ut ſecundum ſtatuta patrum, chriſmatis & olei, baptiſmatis & unctionis conſecratio, competenti hora, id eſt poſt nonam, ſecundum ſtatuta ſanctorum patrum fiat. Hoc etiam debet epiſcopus prævidere, ut in ipſa conſecratione duodecim ſacerdotes ſacerdotalibus veſtibus indutus, vel quamplures ſecum habeat.

II. Quod totum chriſma & oleum ab archidiacono renovandum ſit.

Item in quibuſdam provinciis mos deteſtabilis inolevit, quod quidam archidiaconi paſtoie carentes, ab aliquo epiſcopo particulas olei & chriſmatis accipiunt, & ita oleo ſuo commiſcent: quod & damnatum eſt. Sed unuſquiſque archidiaconus chriſma & oleum ſuum totum epiſcopo, a quo conſecrabitur, ut proprio epiſcopo præſentet.

III. Qua cura diſtribui a decanis chriſma & oleum debeant.

Item chriſmatis & olei diſtributio a decanis ſumma diligentia & honeſtate fiat: ita ut interim dum diſtribuentur, albis ſint induti: & talibus vaſculis diſtribuatur, ut nihil inde aliqua negligentia pereat.

IV. Ut qui miſſam celebrat, omnino communicet.

Item ſtatutum eſt, ut nullus miſſam celebret, qui non communicet.

V. Ut ſacerdos jejunus, & cum alba ac ſtola, baptizet.

Item nullus ſacerdos baptizet infantem, niſi jejunus, & indutus alba & ſtola, niſi neceſſitate.

VI. Ut viaticum & aqua benedicta ultra octo dies non ſerventur, & conſecrata hoſtia iterum non conſecrentur.

Item ſunt quidam, qui viaticum & aquam benedictam ultra octavum diem reſervant: quod & damnatum eſt. Alii vero non habentes hoſtias, conſecratas iterum conſecrant: quod terribiliter interdictum eſt.

VII. Con-

ANNO CHRISTI 1072.

VII. Confirmatio jejunis a jejunis, & cum igne conferenda.

Item donum ſancti Spiritus, ut non detur niſi jejunis & a jejunis: neque ipſa confirmatio abſque igne fiat, ſtatutum eſt.

VIII. Ut ordines ſacri poſt diem ſabbati, vel die dominica mane, jejunis a jejunantibus conferantur.

Hoc etiam ſtatutum eſt, ne in dandis ſacris ordinibus, apoſtolicæ auctoritatis violatores inveniamur. Legitur enim in decretis Leonis papæ, quod non paſſim diebus omnibus ſacri ordines celebrentur: ſed poſt diem ſabbati, in ejus noctis exordio, quæ in prima ſabbati lucеſcit, his qui conſecrandi ſunt, jejunis a jejunantibus ſacra benedictio conferatur. Quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo dominico die, continuato ſabbati jejunio, celebretur. A quo tempore præcedentis noctis initium non recedit, quo diem reſurrectionis, ſicut etiam in paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt.

IX. Ut quatuor temporum cuncta ſit obſervatio

Item quatuor temporum obſervatio competenti tempore ſecundum divinam inſtitutionem communi obſervantia a nobis ſervetur, id eſt, prima hebdomada Martii, ſecunda Junii, tertia Septembris, eadem Decembris ob reverentiam Dominicæ nativitatis. Indignum enim valde eſt, ut ſanctorum inſtitutio aliquibus occupationibus vel mundiali ſolicitudine deſtruatur.

X. Quod depoſitione digni ſunt, qui furtim aut indebite ad ſacros ordines proveburtur.

Item clerici, qui non electi, nec vocati, aut neſciente epiſcopo, ſacris ordinibus ſe intromittunt: aliquibus vero epiſcopus, ut diaconibus, manum imponit: alii cæteros ordines non habentes, diaconeſ aut presbyteri conſecrantur: hi digni ſunt depoſitione.

XI. De his qui coronas relinquunt: & ut ordinandi ad epiſcopum feria quinta veniant.

Item qui coronas benedictas habuerunt & reliquerunt, uſque ad dignam ſatisfactionem excommunicentur. Clerici qui ordinandi ſunt, in quinta feria veniant ad epiſcopum.

XII. Ut monachi vagi vel expulſi, itemque ſanctimoniales, ad monaſteria ſua redire compellantur.

Item monachi & ſanctimoniales, qui relictis ſuis eccleſiis per orbem vagantur, alii pro nequitiis ſuis a monaſteriis expulſi: quos paſtorali auctoritate oportet compellere, ut ad monaſteria ſua redeant. Et ſi expulſos, abbates recipere noluerint, victum eleemoſynæ eis tribuant, quæ etiam manuum labore acquirant, quouſque ſi vitam ſuam emendaverint videantur.

XIII. Ne cura paſtorales vendantur & emantur.

Item emuntur & venduntur curæ paſtorales, ſcilicet eccleſiæ parochianæ, tam a laicis quam a clericis, inſuper etiam a monachis: quod ne amplius fiat, interdictum eſt.

XIV. De ritu nuptiarum, ne in occulto fiant, vel inter conſanguineos.

Item nuptiæ non in occulto fiant, neque poſt prandium: ſed ſponſus & ſponſa jejuni a ſacerdote jejuno in monaſterio benedicantur: & antequam copulentur, progenies utrorumque diligenter inquiratur. Et ſi infra ſeptimam generationem aliqua conſanguinitas inventa fuerit, & ſi aliquis eorum dimiſſus fuerit, non conjungantur. Sacerdos qui contra hoc fecerit, deponatur.

XV. De clericis uxoratis, ut eccleſiis non miniſtrent, nec fructus percipiant: & quales eſſe debeant archidiaconi & decani.

De ſacerdotibus, & levitis, & ſubdiaconibus, qui feminas ſibi uſurpaverunt, concilium Luxovienſe obſervetur, nec eccleſias per ſe, atque per ſuffraganeos regant, nec aliquid de beneficiis habeant. Archidiaconi qui eos regere debent, non permittantur aliquam habere nec concubinam, nec ſubintroductam mulierem nec pellicem: ſed caſte & juſte vivante & exemplum caſtitatis & ſanctimoniæ ſubditis præbeant. Oportet etiam ut tales decani eligantur, qui ſciant ſubditos redarguere & emendare, quorum vita non ſit infamis, ſed merito præferatur ſubditis.

XVI. Ut nullus mortua uxore illam accipiat de qua ante fuerat infamatus.

Item interdictum eſt, ne aliquis qui vivente ſua uxore de adulterio calumniatus fuerat, poſt mortem illius unquam de

ANNO CHRISTI 1072.

qua calumniatus fuit accipiat. Multa enim mala inde evenerunt. Nam plurimi hac de causa suas interfecerunt.

XVII. Nullus uxore velata superstite aliam ducat.

Item nullus, cujus uxor velata fuerit, ipsa vivente unquam aliam accipiat.

XVIII. Ne absentis viri uxor alteri nubat, priusquam de viri morte comperium habeat.

Item si uxor viri, qui peregre, ut alias profectus fuerit, alii viro nupserit, quousque prioris mortis certitudinem habeat, excommunicetur usque ad dignam satisfactionem.

XIX. Ne clerici in publicum crimen lapsi sacris ordinibus facile restituantur.

Item statutum est, ne hi qui publice lapsi in criminalibus peccatis inveniuntur, citissime in sacris ordinibus restituantur. Si enim lapsis, ut ait beatus Gregorius, ad tuum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ: dum per reverentionis spem pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Unde hoc ratum manere oportet, ut in crimine publice lapsus, ante peractam pœnitentiam in pristino gradu nullatenus restituatur: nisi summa necessitate, post dignam quidem longe pœnitentiæ satisfactionem.

XX. Ut episcopus qui ad lapsi depositionem venire non potest, vicarium mittat.

Item si aliquis lapsus dignus depositione repertus fuerit, & ad eum deponentius tot coepiscopos, quot auctoritas postulat, scilicet in sacerdotis sex, in diaconi depositione tres: unusquisque qui adesse non poterit, vicarium suum cum sua auctoritate transmittat.

XXI. Ut ante horam vespertinam in quadragesima non edatur.

Item statutum est, ut nullus in quadragesima prandeat, antequam hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim jejunat, qui ante manducat.

XXII. Ut sabbati paschæ officium ante horam nonam non inchoetur.

Item statutum est, ut in sabbato passion officium ante nonam non incipiatur. Ad noctem enim Dominicæ resurrectionis inspicit, ob cujus reverentiam *Gloria in excelsis Deo*, & *Alleluja*, cantatur. Quod etiam in officii initio, cerei scilicet benedictione, monstratur. Narrat liber officialis, quod in hoc biduo non fit sacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum sextam feriam & sabbatum, in quo recolitur luctus & mœstitia apostolorum.

XXIII. De sanctorum festivitatibus transferendis.

Item si alicujus sancti festivitas in ipsa die evenerit, in qua celebrari non possit, non ante, sed infra octavam diem celebretur.

XXIV. Ut generale baptisma, nisi sabbato paschæ & pentecostes, non fiat. Parvuli, quocumque tempore petierint, baptizentur: nullus in epiphania, sine infirmitatis necessitate.

Item juxta sanctorum patrum decreta, scilicet Innocentii papæ, & Leonis, statuimus ne genetale baptisma nisi sabbato paschæ & pentecostes fiat. Hoc quidem servato, quod parvulis, quocumque tempore, quocumque die petierint, regenerationis lavacrum non negetur. Vigilia vel die epiphaniæ ut nullus, nisi infirmitatis necessitate, baptizetur, omnino interdicimus.

Huic concilio consenserunt Joannes archiepiscopus Rotomagensis, Odo Bajocensium episcopus, Michael Abrincatensis episcopus, Gisiebertus Ebroicensis episcopus: & quamplures etiam venerabiles abbates, quibus eo tempore cœnobia Normanniæ nobiliter pollebant, & monachicum rigorem servabant.

NOTÆ ET OBSERVATIONES D. ANGELI GODIN.

D COMPETENTI HORA, ID EST, POST NONAM.) *Ad Can.* 1. Nimirum post tertiam pomeridianam, juxta antiquam incipiendi diei & horarum numerandarum rationem.

Portasse ad Rotomagensis Ecclesiæ morem respexerit Concilium in designanda Chrismatis hora 9. quem revocare satagit Joannes Abrincensis libello *de divinis officiis*. Ibi Officii diurni hujus diei seriem eo ordine exhibet. *Ipso die hora 6. populus ad Ecclesiam convenit. Si Episcopus fuerit, convocatio ad pœnitentiam & absolutio, Chrismatis & olei consecratio juxta Episcopalem ritum ordinetur, ubi vero defuerit, imprimis tam Clerus quam populus prostrati in terra cum lacrimis & gemitu absolutionem criminum a majori. Sacerdote, accipiant & post cum processione in Porticum*: Miserere mei Deus *dicendo. ad novum ignem de petra excussum pergant. Quem cum aqua benedicta & incenso benedicant. &c.* Et paucis interjectis sequitur: *Mox ignem accipiat Sacerdos in hasta cum cereo, revertaturque ad altare. Psalmum*: Dominus illuminatio mea, *cantando. Semantibus cunctis campanis & indutis duobus Cantoribus cappis, Diacono Dalmatica, Subdiacono Tunica, festive celebretur* &c. Et post pauca: *In hac vero die olei consecratio celebratur & pœnitentibus absolutio tribuitur*. Quæ quidem disertis verbis Missæ solemni præponit, ac immediate post Nonam collocat ordo antiquus divini Officii manuscriptus Ecclesiæ Rotomagensis, qui in omnibus fere cum Joanne Abrincensi convenit, ac usu frequenti etiamnum venit. Lib. de Div. Offic. p. 14

12. SACERDOTES, &c.) Juxta Ordinem Romanum, apud quem frequens 12. Presbyterorum fit mentio, quos vocat testes & cooperatores hujus sacrosancti Chrismalis mysterii. Offic. Coen. Domini.

(BAPTIZET INFANTEM NISI JEJUNUS) *Ad Can.* 5. Olim in usu fuit ut a jejunis in Ecclesia traderetur Baptismus. & hora nona qua Christus in cruce expiravit, & ex latere percusso aquam cum sanguine profudit, sicut legi-

* C. 32. to. 2. Conc. Gallia. * C. 6. * L. 4. c. 36 * de consecr. dist. 5.

legimus in Concilio veteri * Parisiensi, & ex Concilio * Meldensi apud Burchardum * & Gratianum *; utrisque eadem pene verba sunt: *Sicut enim Baptismus (excepta infirmorum causa) nonnisi a jejunis celebratur Sacerdotibus, &c.* Quod tamen cum difficile admodum videretur propter christianæ plebis multitudinem & parvulorum periclitantium instantem necessitatem, satius visum est legem hanc ea ex parte immutare atque eo pacto temperare, ut non nisi a sobriis Sacerdotibus ejus dispensatio fieret, mane scilicet intra Officia divina, aut mox post ea peracta, non autem pomeridianis horis post epulas & prandium, nisi necessitas aut infantium periculum aliud exposcat. Hac de re insignem edidit Canonem Concilium * Moguntinum. Cujus disciplinæ imitationem S. Carolus Borromeus in Concilio suo Mediolanensi * 3. convivio solemni quod post filiorum Baptismum nonnulli opipare exhibere solebant, animarum pastoribus interesse prohibuit.

* c. 26. anno 1144. * Decr. 13.

(Stola indutus) Græcis est ὠράριον, antiquis scriptoribus Ecclesiasticis usitatissimum, sine quo sacris ministris Sacerdotalia exercere munia nefas est, juxta Concilium Moguntinum. * Sed in Baptismo maxime celebrando adhiberi solitum testis est Theodoretus, * ubi mentionem facit sacræ stolæ ex aureis filis contextæ, quam Constantinus magnus ad Ecclesiam Jerosolymitanam cohonestandam Machario hujus urbis Antistiti donaverat, ut ea amictus sacri Baptismatis ministerium obiret.

* Can. 28. * Lib. 2. hist. Eccl. c. 27.

Ceterum longe diversam priscis temporibus vocis hujus notionem ab ea quam recentior usus invexit fuisse non abnuo: nam veteres tum sacri tum prophani stolam dixerunt omne quod corpus tegeret, auctore S. Isidoro * & Nonio, a nomine στολὴ quod indumentum significat. Inde passim stolam in veteri & novo Testamento usurpatam legimus pro veste candida talari, *qua* (ut docet Durandus) *Patriarchæ ante legem utebantur, as primogeniti cum benedictionem patris acciperent induebant*, tamquam Pontificiæ dignitatis insigne quo in sacris utebantur. Processu vero temporis albarum usu succedente *Stola mutata est in torquem, quem* Orarium ex antiquo nomine appellarunt.

* Orig. l. 18. c. 25. Rat. div. off. L. 3. c. 5. n. 6

(Et alba &c.) ποδήρης, poderem græci vocant, talarem scilicet vestem lineam, superpellicium substituerunt recentiores in ministerio sacrorum, cujus nullum apud antiquiores quod sciam vestigium reperire est.

Ejus primum meminit Honorius * Augustodunensis, quem sequitur Durandus * etymon nominis explicans, formam usumque describens.

* in gemma anima l. 1. c. 232. * Ration. divin. l. 3. c. 1. n. 10 & seq.

(Ultra octavum diem reservant) Sacram Eucharistiam octavo quoque die innovari jubent Concilia, ne quid religiosam observantiam divino Sacramento debitam offendat, neve ut innuit Concilium * Aurelianense apud * Burchardum & Yvonem * aliquid corruptionis contrahat. *Oblata (inquit) quæ in altari offeruntur de sabbatho in sabbathum semper innoventur, quia panes propositionis qui super mensam Domini ponebantur a sabbatho in sabbathum, semper mutabantur, ne diu servati mucidi fiant.* Et Turonense pari ratione ductum ultra septem dies prohibet reservari. Verum legem hanc alioqui usque ad annum 1300. & amplius ad amussim servatam posteri abrogarunt, & ad dies quindecim statuerunt recondi posse plures Synodi, inter quis Lingoniensis anno 1440. Senonensis 1524. Carnutensis 1527. Burdegalensis 1584. & aliæ multæ.

* C. 4 * l. 5. c. 12. * p. 2. c. 22. * C. 4. Burchard. l. 5. c. 91.

(Aquam benedictam ultra octavum diem &c.) Antiquissimum Concilii Nannetensis Decretum indicat aquæ benedictæ singulis diebus Dominicis innovandæ, hac verborum serie conceptum: *Omnibus diebus Dominicis quisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia aquam Benedictam faciat in vase nitido & tanto Mysterio convenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur, & atrium ejusdem Ecclesiæ, cum crucibus, circumeundo similiter aspergat, & pro animabus ibidem quiescentibus oret; & qui voluerit in vasculis suis accipiat ex ipsa aqua & per mansiones & agros & vineas super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, necnon super cibos & potum suum conspergat.* Hinc ad omnes Occidentis Ecclesias consuetudo hæc derivata est, posterorum sanctionibus firmata, ac statutum ut Presbyteri singulis quibusque Dominicis diebus aquam lustralem alba & stola induti antequam sacrum faciant benedicere non omittant. De quo extat præceptum ante octingentos annos a Leone IV. Presbyteris datum: *Omni die Dominica ante Missam, aquam benedicite unde populus aspergatur, & ad hoc proprium vas habete;* Et ex Hincmaro Remensi in Synodo anno 864. habita. Formam enucleatius præscribit Concilium Ravennatense anno 1311. celebratum, & alia recentiora: pluribus supersedeo.

* c. 5. apud Burchardum l. 3 c. 72.

Hom. 4 tom 2 Conc. In Syn. to. 3. Conc. Gal. Codin. de Offic. Constantinop. 4.

Non ita frequens est apud Græcos hujusmodi renovatio, sed singulis dumtaxat mensibus in Palatio Constantinopolitano institui consuevit Codino teste.

(Hostias iterum consecrant.) Hoc quippe citra immane sacrilegium patrari nequit, est enim hæc divina institutio ut consecratio hujus Sacramenti fiat solum offerendo Deo sacrificium incruentum.

A

(Donum sancti spiritus) *Ad Can. 7.* Ex Canone Aurelianensis * Concilii desumptus est, quem referunt Herardus * Turonensis & * Burchardus, & habetur De consecratione distinct. 5. *Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur confessiones facere prius ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere.* Utrumque usus subsequentium temporum comprobavit. Nam præter antiquas Odonis Parisiensis constitutiones Synodales circa annum 1275. editas, Trecenses anno 1427. promulgatas, & Lingonenses anno 1404. factas, accessit recentiorum consensus Conciliorum, Senonensis 1524. Parisiensis 1527. Remensis 1583. & aliorum plurium. Neutrum tamen per modum præcepti, sed ut magis ac magis Sacramenti hujus dignitati ac reverentiæ prospectum sit, ut docent communiter Theologi.

* C. 3. * c. 75. to. 6. Concil. Gall * L. 4. c. 60.

Hanc porro jejunii legem Episcopo utrobique imponit Concilium Meldense, hoc Canone: *Ut Episcopi non nisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant &c.* æquum enim judicat ut sicut a jejunis solemnis solet celebrari baptismus, ita etiam traditio sancti Spiritus a jejunis Pontificibus celebretur. Idem statuit Concilium Parisiense sub Ludovico & Lothario.

B

c. 6 apud Burch. l. 4. c. 67. l. 2 c. 33.

(Neque absque igne fiat) Rotomagensi Provinciæ peculiare forsitan fuerit id statuti, cujus nullum alibi vestigium est deprehendere.

(Dandis sacris ordinibus Apostolicæ auctoritatis violatores) Apostolicæ auctoritatis est sacras ordinationes non temere & sine delectu, sed statis diebus ac temporibus celebrare. Licet autem non una olim omnium fuerit ea in re consuetudo; si quidem græci nullum certum observant diem, ut ex S. Leonis Epistola * ad Dioscorum liquido colligitur, & docet Ostiensis * in summa & glossa. Attamen in eo convenerunt patres antiqui ut in quatuor anni temporibus quibus jejunia celebrantur; sabbathis videlicet duodecim lectionum, ut loquuntur, id muneris exequerentur. At vero remittente in dies antiquæ disciplinæ vigore, nonnulli pro libito sacros ordines contra majorum instituta conferre attentarunt: qua de re a multis jam inde retro sæculis prodiit Concilii * Cabilonensis sub Carolo magno Canon editus, necnon hac eadem ferme ætate Synodi * Lemovicensis Decretum, quo subintroductum perperam in hisce regionibus morem ad pristinum revocavit, ac extra tempora sacris Canonibus statuta sabbatha videlicet duodecim lectionum qu ajunt, fieri prohibuit.

C

* c. * de temp. or. * din. quo temp. Gloss. in cap cum secundum p. quod translationem de temp. ord

Hic porro notandum venit, ideo maiores nostros sabbatha hæc duodecim lectionum appellasse, quia ut docet Alcuinus, etsi ad Missam sex dumtaxat lectiones legantur, quia tamen a Romanis olim bis legebantur, hoc est græce & latine, tum propter duodecim lectores, lectiones totidem dictæ sunt. Quem usum Constantinopoli servatum sua ætate tradit Alcuinus. Vide Honorium Augustodunensem, Gemmæ animæ lib. 3. c. 108.

D

(Decretis Leonis Papæ.) Epistola Decretali 81. c. 1. ad Dioscorum Alexandrinum, & Epistola 89. c. 4. ad Episcopos Provinciæ Viennensis scripta.

(Non passim diebus omnibus) Licuit extra statutos dies nonnunquam personarum singularium inaugurationi intendere. S. enim Paulinus Nolanus ordinatum se Presbyterum ait die Natalis Domini. S. Ambrosius Paulino teste post susceptum baptismum accepto singulis diebus uno ordine, octavo die Episcopus consecratus est. Badegisilus ex majore domus Clotarii I. Cœnomanorum Episcopus creatus, intra 40. dies gradus omnes est sortitus, ut auctor est Gregorius Turonensis, De Rainaldo item Andegavensi tradit Gofridus Vindocinensis intra 8. dies extra constituta tempora ordines omnes accepisse.

(Post diem sabbathi) Vesperam diei sabbathi extra sabbathum collocat, ac diei Dominicæ quæ est in exordio noctis sabbathi ad Dominicam vergentis, juxta antiquum Ecclesiæ morem deputat. Moris quippe olim fuit a vespera dies festos auspicari & ad vesperam diei sequentis perducere secundum veteris legis præscriptum; * *A vespera ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra.*

E

* Levit. 23 vers. 32.

(Prima hebdomada martii) Pro more illius temporis, quo ex præscripto Conciliorum * Moguntini & * Salegunstadiensis in primam Martii hebdomadam conferri consueverat, usque ad tempora Gregorii VII. qui constituit, ut jejunium, quod antiquis Canonibus mensi Martio tribuitur, in 1. quadragesimæ septimana quotannis pariformiter celebretur; quod quidem non tam instituisse quam restituisse censendus est. Nam S. Gregorius magnus tum in Sacramentario, tum in Antiphonario antiquo ejusdem jejunii officia 1. quadragesimali hebdomadæ adscripsit. Idipsum quoque vel ex eo maxime insinuat, quod Dominicam vacantem (quam secun-

* C. 34 * C. 2.

cundam quadragesimæ esse decrevit) jejunium necessario in prima hebdomada præcessisse debuerit. Non enim Dominica vacans appellatur, nisi quam sabbathum duodecim lectionum seu 4. temporum, ut supra monuimus, antea præcesserit. Gregorius item II. Ecclesiæ Moguntinensi, seu potius Turingiæ de ordinatione S. Bonifacii ejusdem Ecclesiæ Antistitis scribens, præcipit ut ordinatio quæ Martii jejunio adscribi solet in ingressu quadragesimæ cum eodem jejunio celebretur. Sanctus Leo magnus utroque longe antiquior vernale jejunium in quadragesima fieri voluit, quem secutus est Gelasius I. qui de temporibus ordinationum congruis agens, initii quadragesimalis jejunii expresse meminit, quod quidem non a capite jejunii, sed a Dominica subsequenti computandum nemo negaverit.

Ep. 4. to. 1. Conc. Gall.

(SECUNDA JUNII) Hæc pro ratione eorum temporum quæ ex Concilii Moguntinensis supra memorati Canone consequuntur, cujus observationi tum inhærebat Ecclesia. Fuit nihilominus longe antiquior usus jejunii celebrandi in ipsa Pentecoste, ut ex S. Isidoro * clarum est, & S. Leone * magno

* *L. 1. c. 39.*
* *Serm. 1. 2. 3. & 4. de jejun. Pent.*

(CLERICI QUI NON ELECTI &c.) *Ad Can. 9.* Secundum formam veteris Ecclesiæ qua sacris ministeriis non temere & irreverenter licebat irruere, ut S. Bernardi * phrasi utar, *instar divinæ sponsæ nec Christi sponsi cubiculum nec cellam ingredi, nisi Rege introducente præsumebant, sed cleri votis, populi suffragiis, vocatione legitima & electione utriusque præeunte, tamquam Aaron, inviti ut plurimum & renitentes cooptabantur*, ut notum est ex antiquis Patrum monumentis, Concilio * Carthaginensi IV. Cypriano *, Siricio * Papa, Leone * magno, ex græcis vero S. Basilio * & Theophilo * Alexandrino. Eam porro disciplinam restitutam cupit Concilium Nicænum, eorumque ut temeritati aditum præcludat, contra furtive ordinatos, eos scilicet qui citra conscientiam Episcopi sui absque examine dolo malo contra Canonum instituta promoventur districte animadvertit. Hos jam olim magni Concilii * Nicæni regula perstrinxerat, quam subindicare videtur Suessionensis * Synodus apud S. Medardum in fine, ubi ait: *Judicatum est a Synodo secundum sacros Canones, sicut scriptum est, ut qui Presbyteri sine examinatione per ignorantiam vel ordinantium dissimulationem sint provecti, cum fuerint cogniti, deponantur: quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.*

* *declam. in illud. Ecce nos reliquimus omnia.*
* *C. 22.*
* *Epist. 15. & 68.*
* *Epist. 3. ad Orthodoxos.*
* *Epist. 84.*
* *Epist. 118.*
* *In edicto c. 6.*
* *C. 9. apud Gelasium Cyzic. l. 2.*
* *in Anth. August. l. 28. & 2. c. 31.*

Accuratam examinis hujus formam tradit Concilium Nannetense, eosque qui ad sacrum ministerium accinguntur, feria 4. ordinationem præcedente evocari jubet ad civitatem, ut cum Archipresbyteris suis qui eos præpositorum ab Episcopo audientiæ sistant, ibique testimonium anteactæ vitæ, morum, patriæ, generis, institutionis &c. religiose proferant, adjecta contra Statuti hujus reos pœna remotionis ab altari.

(CETEROS ORDINES NON HABENTES) Per saltum ad Ordines superiores promoveri non patiuntur sacri Canones, sed per gradus ascendere jubentur ordinandi ac præcipue antiquo Canone Synodi Romanæ I. * sub Sylvestro, ac Decretis Siricii *, ut videre est apud Yvonem, ac Leonis magni, qui laicorum quemlibet ad primum, vel secundum aut tertium in Ecclesia gradum vetat ascendere, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Sicut & casum censet appetere divus Gregorius * qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum, ideoque ordinate ad sanctos Ordines ascendendum esse pronuntiat: secus vero facientes depositionis pœna plectendos judicat Concilium Suessionense apud S. Medardum in accusatione Hincmari apud Antonium * Augustinum, in hæc verba: *qui saltu sine gradu Diaconi ad Sacerdotium prosilivit, in degradationem debitam resilire debet.*

* *C. 1. & 2.*
* *Ep. 1.*
* *Epist. Afr. c. 2.*
* *Ep. 21. ad Siagr. &c. Episc. tom. 1. Conc. Gall.*
* *l. 9. tit. c. 14.*

(QUI CORONAS BENEDICTAS HABUERUNT) *Ad Can. 10.* Phrasis tum maxime celebrata: qua utitur Concilium * Pictavense II. per Joannem & Benedictum Cardinales Apostolicæ sedis Legatos in Gallia anno 1109. celebratum, quo cavetur ut nullus præter Episcopum coronas benediceret, id est, per tonsuræ signaculum quemquam cooptaret in clerum; præter Abbates, qui illis tantummodo coronas benedicant, quos sub regula S. Benedicti militaturos susceperint. Hanc eamdem loquendi formulam usurpavit Concilium Senonense anno 1269. præside Petro *de Charni* ejusdem Ecclesiæ Antistite habitum, ac conceptis verbis Canonem nostrum suis Constitutionibus inseruit.

* *C. 1.*

(VENDUNTUR ET EMUNTUR CURÆ PASTORALES) *Ad Can. 12.* Cum Simoniæ lues totam Ecclesiam Gallicanam turpiter præ ceteris fœdasset, in ea convellenda plurimum laborarunt Gallicani præsules ac præcipue Conciliis Remensibus tum sub Leone IX. anno 1049. tum sub Calisto II. anno 1119. Lugdunensi anno 1055. Trecensi 1104. Tolosano quod jubente Victore II. ob extirpandam funditus simoniacam hæresim, directis vice sua Rambaldo Arelatensi & Pontio Aquensi Archiepiscopis, ascitisque sibi VVifredo Narbonensi, & aliis quibusdam Episcopis celebratum est.

(NUPTIÆ IN OCULTO NON FIANT) *Ad Can. 13.* Ab omni ævo clandestina connubia execrata est Ecclesia, tum Orientalis tum Occidentalis. Clandestinorum autem nomine veniunt nedum ea quæ citra Presbyteri Parochialis & testium præsentiam fiunt, sed etiam ea, ut loquitur Synodus Lingoniensis, quibus desunt honor & benedictio in facie Ecclesiæ, juxta Canonicas sanctiones impertienda; quam prætermittere nefas duxerunt primi Christiani; adeo ut, Tertulliano teste, penes eos occultæ conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitarentur. Eas Decreto solemni ut publicæ honestati repugnantes bonisque moribus adversas prohibet Hormisda apud * Burchardum & * Yvonem. *Ut nullus fidelis cujuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione a Sacerdote accepta publice nubat in Domino.* Hoc autem a majoribus acceptum, ut par est credere, ad posteros transmittit. A patribus siquidem Concilii Carthaginensis 4. *Statutum est ut sponsus & sponsa dum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur* &c. & S. Leo ab Yvone Carnutensi laudatus (D. Augustino tribuit Concil. Trosleianum) usum veterem ecclesiæ commemorans: *Eas dotes in Christiana sponsa requirit, ut sit virgo casta & desponsata in virginitate, & dotata legitime & a parentibus tradita, & a sponso & a paranymphis accipienda ita & secundum legem & Evangelium publicis nuptiis honestis in conjugium liquido sumenda.* Quantum in eo religiosi extiterint nostrates Galli, leges tum canonicæ tum civiles identidem eo nomine latæ, usu perenni firmatæ demonstrant, sed maxime Concilio Vernensi. *Ut omnes laici publicas nuptias sciant*; ex Capitularibus Caroli magni, quibus sancitum est: *Ut publicæ nuptiæ ab his qui nubere cupiunt, fiant, quia sæpe* (inquit Canon) *in nuptiis clam factis gravia peccata, tam in sponsis aliorum quam & in propinquis, sive adulterinis conjugiis, & quod pejus est dicere, consanguineis accrescunt, vel accumulantur.* Idipsum quasi ab antiquioribus institutis excerptum revocare contendunt Concilia, Arelatense apud * Yvonem, & Trosleianum * quibus nuptiæ citra Sacerdotalem benedictionem & clam factæ prohibentur: quas utrobique mira consensione damnarunt jura civilia, tum greca tum Romana, denuntiatis etiam gravibus pœnis adversus delinquentes, ut legenti palam est. Ea de re extat Novella Basilii * Imperatoris juri Græco-Romano inserta apud Leunclavium. *Nullus secreto coronatur, sed in præsentia plurium* (Imperatoris verba sunt) *Coronari porro, est nuptialem benedictionem accipere; eo quod juxta priscorum morem, sponsi Sacerdotali benedictione percepta coronas in capitibus gestare consuevissent egressi de Ecclesia*, in qua de more servabantur, ut docet Nicolaus I. ad consulta * Bulgarorum.

anno 1404.
l. 1. de pudicitia c. 3.
* *l. 9. c. 1.*
* *l. 8. c. 141.*
c. 13.
l. 8. c. 14.
c. 16 an. 755.
lib. 7. 129.
* *decret. l. 8. c. 7.*
* *c. 8 an. 909.*
Vide Photium nomocan. 13. c. 9. apud Balsam. & l. 13. c. 2. de tito nuptiis nuptia
* *c. 4. apud Leuncl. p. 87.*
* *C. 3.*

(NEQUE POST PRANDIUM) Nonnisi ad Missam nuptias celebrari solitas ex Apostolica traditione certum est promanare: cui Tertullianus * Apostolicorum temporum vicinus egregium perhibet testimonium, & Christiani conjugii leges enumerans, eas præ ceteris recenset: *Quod nimirum Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli Deo renuntiant* &c. Quod vero Ecclesiæ tum Grecæ tum Latinæ usu recepta sint, Theophili Alexandrini responsum apud Theodorum Balsamonem demonstrat, & Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum, qui inter alios ritus ab Ecclesia Romana in conjugiis celebrandis observari solitos, *primum quidem* inquit, *in Ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum statuuntur* (sponsi) *sicque demum benedictionem & velamen suscipiunt.* Planius autem Concilium Mediolanense apud Yvonem Carnutensem Canone 2. *In primo conjugio debet Presbyter Missam agere & benedicere ambos* &c. ita Concilium. Ex quibus patet non nisi mane a jejunis, non a prandio nuptias solitas benedici inter Missarum solemnia.

* *l 2. ad uxorem c. 9.*
C. 3.
Decr. l. 8. c. 146.

(A SACERDOTE BENEDICANTUR.) *Tametsi veteri lege matrimonium solo contrahentium consensu ratum consisteret, Christianæ nihilominus leges Sacerdotalem benedictionem adhiberi adeo religiose sanxerunt, ut eam temere prætermittere primis Christianis piaculum videretur: occultasque nuptias reputarent, quibus hæc præter Domini præceptum forma deesset*, ut loquitur S. Martyr Ignatius * morum Ecclesiæ primitivæ fidelissimus testis. Ideo juxta veteris Ecclesiæ ritum non solo nubentium consensu Christiana conjugia rite peragi contendunt ex Græcis Theodorus Balsamon & Constantinus Hermenopulus; sed Sacerdotales preces necessario prærequiri docet; *Quia* (ut ait Theodorus * Balsamon) *per sacrum officium & divinam Corporis & Sanguinis Christi participationem constituitur.* Immo fornicariis accenset Nicephorus * Cartophilax, non conjugatis, eos quibus deesset nuptialis benedictio, atque a divinorum sacramentorum participatione arcendos pronuntiat.

* *Epist. ad Polycarp.*
* *l. 4. tit 4. in scholiis.*
* *Schol. ad c. 26 Epist. S. Basil ad Amphilochium.*

(IN MONASTERIO) vocabulum antiquis scriptoribus cele-

celebratissimum Ecclesiæ seu Basilicæ, vel Oratorio significandis usurpatum sed potissimum collapso jam in occidente latini sermonis nitore, vulgari idiomate, *Monstier*, Galli nostri veteres appellant. Vocis hujus frequens admodum usus est apud Gregorium Turonensem, **Fredegarium**, Abbonem Floriacensem, & plerosque alios rerum nostrarum scriptores ævi antiquioris, panes quos Monasterii vocabulo Ecclesia, seu basilica intelligitur: quemadmodum a sensu contrario, in chartis & diplomatibus antiquis, Ecclesiæ nomine Monasterium seu Collegium, aut certe beneficium Ecclesiasticum tum seculare, tum regulare venire consuevit per Synecdochen a nobiliori parte sumpta denominatione, ædes nimirum sacra cultui divino dicata, qua potissimum constant. Interdum autem Monasterii nomine sacra ædes Monastica, nonnunquam Ecclesia Cathedralis, sæpius vero Parœcialis designatur.

Ep. ad Fb. d. Maurb.

Antiquiorem prioris nomenclationis hujus usum exhibet Philo Judæus apud Eusebium de primis Monachis Alexandriæ degentibus, quos Essenos vocant, ita loquitur: *Est autem in singulis locis consecrata oratioui domus quæ appellatur* σεμνὸν καὶ μυστικὸν Εἰρηνῶν *autem, in nostra lingua significare potest honestorum conventiculum, in quo recedentes*, inquit, *honestæ vitæ & sanctæ mysteria celebrant, nihil illic procius quod ad cibum potumque pertinet inferentes, vel ad eliqua humani corporis ministeria, sed legis tantum libros, & volumina Prophetarum, hymnos quoque* &c. Hæc Eusebius de Essenorum oratoriis.

* de vita contemplativa. Hist. Eccles. l. c. 17 juncta versionem Rufini

l. 2. pag. 155.

De Basilica vero Cathedrali Rotomagensi Virgini Deiparæ sacra, Dudo S. Quintini vetus rerum Normannicarum scriptor hæc habet: *Richardus I. Rotomagensi urbe in honore Dei Genitricis amoliaris mirabile Monasterium longitudinis & altitudinis culpatiatum incremento.* Quæ sane nulli alteri Basilicæ conveniunt, quam ei quæ nunc extat Richardi 1. impensis, & Roberti ejus filii tum Rotomagensis Præsulis opera ac studio ædificata.

Hist. ad ann. 1000.

Ecclesiis subinde Parœcialibus tribuunt plerique auctores & Chartæ veteres præter Radulphum Glabrum. Una sufficerit ex nigro codice Sandvicano excerpta, quæ est Joannis de Pratellis pro componenda cum Rogerio S. Audoeni Abbate oborta controversia, ubi legitur: *Convenientes ergo, ego & homines mei & dictus Abbas S. Audoeni, apud Monasterium de Incevilla* &c. Victus est una aut altera ab urbe Rotomagensi leuca distitus, *in qua* nulla usquam Cœnobii exstitit memoria. Hoc ipso sensu accipienda Monasteria, de quibus Ordo Romanus ubi de aqua Sabbatho sancto benedicenda agitur.

(Utrorumque progenies inquiratur) **Mos** antiquus connubia publice denuntiandi, ab Ecclesia Gallicana ad alias manavit, ut videre est Collectiones 4. veteri Decretalium, edente Antonio * Augustino, & ex Concilio Lateranensi *, in quo Innocentius III. specialem quorumdam locorum (Gallorum videlicet) consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuit ut *cum matrimonia fuerint contrahenda in Ecclesia per Presbyteros publice proponantur competenti termino præmisso* &c.

* l. 4 decret. tit. 3 c. 2. * C. 1.

(Infra septimam generationem) Ab exordio nascentis Ecclesiæ usque ad Concilii Lateranensis 4 tempora, ad septimum usque gradum prohibitas nuptias Innocentius III. in Concilio generali ad quartam generationem definiri voluit.

(De Sacerdotibus et Levitis) *Ad Can.* 14. Hic jam non amplius de Sacerdotibus & sacris ministris Græcorum more ante susceptum ordinem conjugatis, arbitrio suo relinquendis quæstio versabatur, sed revera de abominatione desolationis e loco sancto auferenda actum est. His siquidem perditissimis temporibus eo impudentiæ proruperat sacrorum Ecclesiæ ministrorum incontinentia, ut omni abjecto pudore ac omni Dei timore deposito, contra Castitatis Ecclesiasticæ regulas palam feminis ac impune admiscerentur Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, atque etiam ipsi Episcopi.

(Concilium Lexoviense observetur) Anno 1055. celebratum, in quo deposito Malgerio (ut scribit Guillelmus Malmesburiensis) substituitur Maurilius.

(Ne Ecclesias per se &c.) Hæc sunt Decreta Concilii Lexoviensis advertus Clericos concubinarios lata.

(Nec subintroductam mulierem) Multa de subintroductis mulieribus apud antiquos scriptores est mentio. Hujus argumenti extat inter opera S. Joan. Chrysostomi libellus insignis, adversus eos qui apud se fovent sorores adoptivas, quas subintroductas vocant, Græci συνεισάκτους appellant. Earum meminerunt Synodus Romana * sub Zacharia. Concilium * Forojulienſe, Moguntinum * & alia multa: præ ceteris autem Concilium * Nicænum cuilibet ex Clero subintroductam habere mulierem prohibet. Arbitror mulierem hanc subintroductam ad mentem Concilii Nicæni censeri, quæ nullo genere cognationis aut agnationis aut matrimonii conjuncta sit, quales a Concilio numerantur. Et quamvis vox ipsa græca vi propriæ significationis non denotet mulierem suspectam, nihilominus eas introductas quas Canon ille præcipit a Clericis rejici, fuisse non quasibet suspectas, sed genus quoddam medium mulierum inter uxores & concubinas, quæ pietatis prætextu ut sorores adoptivæ tunc admittebantur, ut notat scholiastes Eusebii Cæsariensis, qui refert Paulum Samosatenum Presbyteris & Diaconis dumtaxat qui eimorem gerebant, permisisse has mulieres subintroductas domi haberè. Collegit autem scholiastes ille ex Chrysostomo, opusculo supra memorato, adversus eos qui apud se sorores adoptivas fovent, non propter liberos & matrimonium, (negabant enim se cum eis rem habere) nec propter stuprum seu libidinem (eas siquidem se integras purasque servare asseverabant) sed propter rei familiaris curam, vel certe, verius dixerim, propter voluptatem ex tali convictu nascentem habuisse quos elegantei fugillat Chrysostomus, nec minus egregie retellit causas quas obtendebant hasce puellas domi retinendi

Stat. l. 6 p. 10.

Qua porro cura ac studio extirpando huic vitio elaborarint Patres antiqui, crebræ variis in Concilis editæ sanctiones plane demonstrant, vix enim aliud usquam frequentius legibus Canonicis vetitum reperitur quam Clericorum cum mulieribus cohabitatio.

(De qua calumniatus ejus accipiat) *Ad Can.* 15. Jam olim antiquis Carthaginensibus definitum est, ut nullus eam quam adulterio polluerit, viro ejus e vivis sublato, uxorem accipiat tum in odium tanti sceleris, tum etiam ut captandæ mortis alienæ tollatur occasio.

Ceterum his tribus casibus irritum jure censetur matrimonium. Primo si nimirum aut præter adulterium adhit alterius conjugis homicidium, ab alterutro perpetratum, animo sibi conscium criminis matrimonio sociandi; ita definitum est in Concilio * Meidensi & refertur a * Gratiano, immo sine spe conjugii mansuræ adulteræ uxor, si machinata est. Can. *Significasti*, vel uterque sit machinatus, dicto Can. *Si quis* 31. q. 1. Par est ratio si adulterio accedat fides sibi vicissim ab adulteris data de futuro matrimonio, quod nullum fore ex iisdem Canonibus comprobatur, & maxime ex Can. *Si quis* & Can. *Significasti*. Quin etsi ea de re intercesserit juramentum, anathematizatur tale conjugium a Concilio * Triburiensi. Denique postremum caput est, si matrimonium de præsenti, altero conjuge adhuc superstite contractum sit; & præcesserit vel secuta sit copula eodem capite: *Si quis uxore vivente* &c. Ex quo cum ab his illi conjugi necis periculum immineat, ut scilicet illo e vivis sublato facultas sit valide connubium contrahendi, sique liberius suæ libidini indulgendi, huic periculo eodem adhibito remedio occurrendum censuit Ecclesia, ut ex Concilio Triburiensi planum est.

* C. 49. * 31. q. 1. Si quis & c. Super hoc de eo qui dimisit uxorem &c.

(Cujus Uxor velata fuerit) *Ad Can.* 16. De uxore velata aut qualitercunque dimissa quoad Matrimonium par est utrobique ratio, nec per Christianas leges licuit unquam altero conjuge Monasticen profitente, alterum secundo conjugio copulari, ut optime ait venerabilis Beda: *Timor Dei facit ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur: nulla autem causa est Dei lege præscripta, ut vivente ea quæ elicta est alia ducatur* &c. Sed vel ei necessitas incumbit religionem profitendi, aut saltem perpetuæ continentiæ votum nuncupare tenetur, ut habetur C. *Qui uxorem*, hoc verborum tenore: *Qui uxorem suam velari permittit, aliam non accipiat sed similiter convertatur*; & pluribus toto titulo de conversione conjugatorum.

In Marcum apud Ivonem Carn. Decr. p. 6. c. 225

(Si Uxor viri qui peregre &c.) *Ad Can.* 17. Idem prorsus judicium jam antea ab Innocentio I. processerat cum enim Fortunius quidam Urfa uxore propria in captivitate constituta, cum alia Reflituta nomine conjugium inisset, priore integro manente posterius irritum esse decrevit. Infignis in eam sententiam proferri solet Basilii * magni regula, inter Tiullanos * Canones relata. *Si separante se viro & non quærente mox sequatur mors ejus fratris alteri nubat uxor.*

* Epist. ad Amphilochium

Itidem militum uxores quæ viris non apparuerunt, eidem rationi subjiciuntur, cum maritorum peregrinationem & ablentiam, non mæchorum, nisi desistant, ut annotavit Basilius ad hunc Canonem.

(Quousque prioris viri certitudinem habet.) Satis erat olim captum conjugem expectare quinquennio, militem vero qui Reipublicæ causa abesset quatriennio, deinde decennio. Et notandum ex Cujacio Julianum a Justiniano minime discrepare, nec aliter loqui quam dicta Novella 22. His nihilominus jure Canonico derogatum est: nec enim sufficit tempus supra definitum, quantacumque temporis intercesserit mora, sed necesse est antequam ad alterius nuptias tranleat mulier, eam certum de morte mariti accepisse nuntium, cap. *In præsentia de Sponsalibus*, quamvis septennio & amplius abfuerit captus ab hostibus. Quod optime congruit cum novel-

Leg. Julia de vi publica & privata. Julianus de adulter. 6 ac divers. Lege finali de Sponsal. Eccl. le secundis nuptiis

novella Juſtiniani 117. Nam ut Jure Civili docet Navarrus, quilibet præſumitur poſſe vivere 100. annis niſi vita functus probetur, ac proinde priori matrimonio totum robur & valorem conſtare: & ſi nupſerit, priori marito reſtituetur. Cap. *Dominus ac Redemptor*.

(EXCOMMUNICETUR) Ita Leo magnus Epiſtola ad Nicetam Aquilejenſem. *Si* (inquit) *aliquæ mulieres tia poſteriorum errorum amore ſunt cæcæ, ut malint his cohærere, quam in legitimorum redire conſortium, merito ſunt notandæ, ita ut etiam Eccleſiaſtica communione prohibeantur* &c.

Epiſt. 77. 14. Epiſt. 87

(UT AIT GREGORIUS) Epiſtola ad Conſtantinum Mediolanenſem Epiſcopum ſcripta. Refertur a Gratiano diſt. 50. *Si lapſis*.

(TOT EPISCOPOS &c.) Cauſas graviores majorum Clericorum, non niſi in publico Epiſcoporum conſeſſu agitari antiqui Patres ſanxerunt: maxime ubi de depoſitione agitur, quam extra Synodum fieri vetat Concilium Hiſpalenſe II. * rationem ſubjungens. *Epiſcopus enim* (inquit) *Sacerdotibus ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt, auferre ſolus non poteſt*.

* C. 3

(IN SACERDOTIS SEDE &c.) Legem hanc ut jam pridem a majoribus acceptam innovant Africani * Patres, & habetur in codice Eccleſiæ Africanæ. Quæ eadem inter Concilii * Triburienſis Canones locum obtinuit, depoſitionis ritum enucleate præſcribit Concilium Lemovicenſe hac verborum ſerie: *Quando Epiſcopus Presbyterum depoſuerit, ſic agat: jubeat cum prius indui omnibus Sacerdotalibus indumentis, deinde manu ſua auferat manipulum, deinde calciam, deinde mediam ſtolam de collo reſolvat, & inter capulas ſub latere dextro, & depoſitus eſt a Presbyteratu & Diaconatu*. Haſtenſis Concilium Lemovicenſe.

* Can. Car. c. 10
* Cod. Eccl. Afric. c. 23 & 24.
* C. 10 Aſſion. 1. poſt medium
* De Eccl. ob. ſer. c. 49.

(NULLUS IN QUADRAGESIMA PRANDEAT, ANTEQUAM HORA NONA PERACTA) *Ad Can.* 20. Ut a primæva ætate naſcentis Eccleſiæ ſervatum eſt. De ratione ſi quidem jejunii fuit olim ut hora competenti prandetur, hoc eſt (ut ait Micrologus) ad Nonam reficerent cum ad Sextam ſacrificabant; ad Veſperam autem cum ad Nonam divinis operabantur. Cum ergo ante Nonam toto quadrageſimali tempore res ſacra peragi non ſoleret, poſt Nonam expleto divino officio aut ad Veſperam refectio protrahebatur, ut ex Conciliis Bracarenſi * I. & II. planum eſt; ſed potiſſimum ex Capitulari Theodulphi * Aurelianenſis ad Presbyteros Parochiæ ſuæ quod ſub nomine Cabilonenſis Concilii a Gratiano * refertur. Viguit autem utique ad D. Bernardi ætatem religioſa jejunii hujus obſervatio ad veſperam, ut ipſe auctor eſt: *Jejunavimus* (ait * *ſoli uſque ad Nonam*) reliquo nimirum anni tempore) *nunc autem ubi cum univerſi ſimul in unam divites & pauperes, uſque ad Veſperam omnes jejunant* &c. Sed & ad S. Thomæ tempora fuiſſe provectam non ſemel prodit Angelicus * Doctor.

* c. 16 & Brac. can. 2. c. 9.
* c. 39
* dicunt & c. diſtinct. 1 c. Solent.
* Serm. 3. in Quadrag.
* 2a. 2æ. q. 147. art. 7. & 3. parte q. 83. art. 6 ad 3.

Horam porro Sextam novo conſilio uſurparunt recentiores, quam Nonæ principio appellaverunt. At conciliando Canoni Cabilonenſi & aliis refectionem ad Veſperam prorogantibus id temperamenti adhibuere poſteriores Theologi, ut de Veſpera non dei, ſed Officii cenſuerint intelligendum. In iis ſunt Paludanus * & S. Antoninus *; Græcis eo nomine inferiores, qui etiam adhuc non niſi a ſacro abſoluto quod ad Sextam auſpicantur, & ex ſuo ritu ad plures horas producitur: & Armenis qui non niſi poſt Veſpertinam Synaxim ad ſolis occaſum expletam, ſolent comedere.

* in 4 diſt. 15. q. 4. art. 4.
* Part. 2. Hiſt. 6. 2. c. 3 §. ult.

(IN SABBATHO PASCHÆ OFFICIUM ANTE NONAM NON INCIPIATUR) *Ad Can.* 22. Ne videlicet officium ſabbathi ſancti, Chriſti Domini ſepulturæ & quieti ſacrum, quod Nonæ termino concluditur, glorioſæ Reſurrectionis lætitiæ ac Dominicæ Paſchatis commiſceatur, quæ juxta morem Eccleſiaſticum ad veſperam incipit, ut docent SS. Leo * & Auguſtinus *, & poſt eos Amalarius * Fortunatus, Concilium Claromontanum ſub Urbano II. & alii ſacrorum rituum interpretes.

* Epiſt. 81 ad Dioſc.
* Serm. in oct. Paſchæ.
* l. 1. de div. Offic. c. 12.
* Apud Ordericum Vital. lib. 9 Guilielmum Malmesbur. de geſtis Angl. l. 4 Guillelmo Rufo. c.
* Epiſt. ad Cantores Lugdun.
* Epiſt. ad Decent. c. 9.
* In Sabb. S.
* Ordo Romanus
* De offic. divin. de Sabb. Sanct.
* De Eccl. offic. de Sabb. Paſchæ lib. 6. c. 16.
* in Evang. Matth. 28.
Ad can. 22. Synodi. ubi ſupra.

(CEREI BENEDICTIONE) His potiſſimum verbis: *Hæc eſt nox quæ hodie per univerſum mundum* &c. Et infra *O vere beata nox*; ac etiam in benedictione Cerei Paſchalis apud Ennodium: *Ut principe loco foret beatæ noctis* &c. Item infra: *In hujus ergo ſuſcipiendæ noctis officio* &c.

(NARRAT LIBER OFFICIALIS) Liber Officialis eſt liber Antiphonarius, ut docet Agobardus * Lugdunenſis.

(NON FIT SACRAMENTI CELEBRATIO &c.) Quod ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione manavit, cujus extat Decretum Innocentii * I. non quod olim ſacrum ſabbatho ſancto prætermitteretur, ut ex antiquiſſimo S. Gregorii * Sacramentario, Ordine * Romano, & * Aucuino conſtat quos ſequitur Amalarius *, atque etiam ex ipſo Concilii verbis planum eſt, cum ob ſacræ hujus noctis reverentiam *Gloria in excelſis Deo*, & *Alleluja* cantari profitetur: ſed quia ut ajunt S. Auguſtinus & Beda * ſabbathi dies a ſua nocte incipiens, finitus eſt veſpere incipientis noctis, quæ pertinet ad initium Dominicæ diei &c. quod vero veſpere ſeu extrema parte ſabbathi fit, non ſabbatho, ſed Dominicæ deputatur, ut ex Miſſa ſabbathi ſancti qui circa mediam noctem celebrabatur, teſtis eſt Theodorus * Balſamon, qui docet, religioſiores Chriſtianos toto illo Sabbatho in Ecclefia manere ſolitos, & ſexta noctis hora, id eſt media nocte, divinis Sacramentis communicaſſe, & hora 7. ejuſdem noctis pſalmodias Matutinas audiviſſe, quibus omnino contentit antiquus * Ordo, ubi jubetur non dimittendum eſſe populum ante mediam noctem, & in ipſa nocte matutina luce erumpente, redeundum eſſe ad nocturnas vigilias Paſchæ celebrandas, & confirmat Miſſæ collecta *Deus qui ſacratiſſimam noctem* &c. quibus adſtipulatur Joannes * Abrincenſis.

* Epiſt. 81 ad Dioſc.
* Serm. in oct. Paſchæ.
* l. 1. de div. Offic. c. 12.
* Apud Ordericum Vital. lib. 9 Guilielmum Malmesbur. de geſtis Angl. l. 4 Guillelmo Rufo. c.
* Epiſt. ad Cantores Lugdun.
* Epiſt. ad Decent. c. 9.
* In Sabb. S.
* Ordo Romanus
* De offic. divin. de Sabb. Sanct.
* De Eccl. offic. de Sabb. Paſchæ lib. 6. c. 16.
* in Evang. Matth. 28.
Ad can. 22. Synodi. ubi ſupra.

(DECRETA SCILICET INNOCENTII PAPÆ ET LEONIS) *Ad Can.* 23. Non eſt Innocentii, ſed Siricii, Epiſtola 2. ad Himerium Tarraconenſem cap. 2. Leonis vero Epiſtola 4. univerſis Epiſcopis per Siciliam c. 4. & 5.

De offic. Eccl. in Officio Domin.

ANNO CHRISTI 1072.

CONCILIUM CABILONENSE

ANNO CHRISTI 1072.

Du Marteau Theſ Anecd. Tom 4. p. 97.

Anno MLXXII. celebratum, præſide Geraldo Oſtienſi epiſcopo apoſtolicæ ſedis legato, in quo caſtrum Piſantia eccleſiæ Romanenſi aſſeritur. *Ex Chartario Romanenſi*.

QUoniam geſtarum rerum facile præterit memoria, quam præſentibus tam poſteris notificandum æſtimavimus, quod querela diu habita epiſcopo Valentinenſi contra eccleſiam Romanenſem de caſtro Pitantiam. Vocati ſunt utrique ad concilium Cabilonis celebrandum, in quo cum præſentia legati apoſtolicæ ſedis; GERALDI ſcilicet Hoſtienſis & cardinalis epiſcopi, utrique cauſam ſuam expoſuiſſent; G. & ſibi in ſynodo conſedentes archiepiſcopi & epiſcopi & abbates judicaverunt epiſcopum Valentinenſem nullum habere rectum in caſtello, neque in mandamento; & ut relinqueret epiſcopus Valentinenſis illud, excepto hoc quod probari poſſet legitimis teſtibus, archiepiſcopum LEODEGARIUM reliquiſſe ſibi in placito quod fecit cum eo, de Alexiano ſcilicet, de mandamento Alexiani ſe ſciente, hæc autem definitio facta eſt a GERALDO Hoſtienſi & cardinali epiſcopo, aſſenſum præbentibus RAIMBALDO ſacri palatii accionario, & UMBERTO Lugdunenſi archiepiſcopo, & Viennenſi archiepiſcopo ERMANNO, & archiepiſcopo Biſuntino UGONE, & ROCLENO epiſcopo Cabilonenſi, & epiſcopo Eduenſi AGANONE, & epiſcopo Sedunenſi ARMENFREDO, & epiſcopo Belicenſi GOTCERANNO, & epiſcopo AMATO, & abbate Cluniacenſi HUGONE, & BERALDO Sancti Ægidii abbate, & GERALDO Sancti Petri Viennenſis abbate, & Sancti Andreæ abbate UMBERTO, & aliis quam plurimis abbatibus . . . . Ego GIRALDUS Dei gratia Hoſtienſis epiſcopus & S. R. E. Legatus laudavi & ſubſcripſi; RAINBALDUS apoſtolicæ ſedis legatus manu mea ſubſcripſi. Actum in Cabilonenſi ſynodo, præſentibus ſupradictis archiepiſcopis & epiſcopis, necnon & abbatibus quam plurimis una cum Giraldo (Dei gratia) Hoſtienſi epiſcopo & S. R. E. legato, atque RAINBALDO ſacri palatii accionario VI. nonas Martii luna XIX. anno Dominicæ Incarnationis MLXXII. indictione X.

Idem

ANNO CHRISTI 1070.

Idem Concilium Cabilonenſe Eccleſiam S. Chriſtophori Romanenſibus canonicis confirmat.
Ex chartario Romanenſi.

QUoniam geſtarum rerum memoria difficulter tenetur, difficiliuſque in poſterum reſervatur, ſtylo memoriæque mandandum æſtimavimus, quod in quadam ſynodo apud Clarum montem celebrata, cui GERALDUS Hoſtienſis & cardinalis epiſcopus præſedit, conqueſti ſunt & proclamationem fecerunt Romanenſes canonici ſuper GUILLELMO S. Theofridi abbate deſignato & monachis ejus, eis injuſte eccleſiam S. Chriſtophori calumniantibus, & ea de cauſa rem eorum publicam injurioſe perſequentibus: & quia ipſi tunc aberant, vocavit eos præfatus apoſtolicæ ſedis legatus ad concilium Cabilonis poſtea celebrandum: ut ibi ejus rei juſta fieret definitio. A Quo abbas ire diſſimulans, unum monachum miſit, qui, poſtquam res in audientiam venit, calumniæ ſuæ cauſas expoſuit: quæ poſtquam ſupra dicto legato & epiſcopis ibi conſedentibus parum valentes parumque idoneæ viſæ ſunt; cognitione facta quod Romanenſi eccleſiæ jure contingeret, abbati & monachis ejus præfixum eſt apoſtolica auctoritate interminatum, ne ulterius eccleſiam aliqua inquietare calumnia præſumerent. † Ego GERALDUS Dei gratia Hoſtienſis epiſcopus & B S. R. E. legatus rogavi & ſubſcripſi. Actum in Cabilonenſi ſynodo præſentibus UMBERTO Lugdunenſi archiepiſcopo, & archiepiſcopo Viennenſi ERIMANNO, & archiepiſcopo Biſuntino UGONE, & ROCLENO epiſcopo Cabilonenſi, & epiſcopo Eduenſi AGANONE, & ceteris quamplurimis epiſcopis & abbatibus. Anno Dominicæ Incarnationis MLXXII. indictione X.

ANNO CHRISTI 1072.

PARISIENSE CONCILIUM

A Geraldo Oſtienſi A. S. L. circa annum 1072. habitum

Ex Suppl. Mauſ. pag. 1382.

LOnga & magna animorum contentione agitabatur controverſia de jure in eccleſiam S. Mariæ Cerdonenſis inter Andegavenſes S. Albini, & Vindocinenſis Cœnobii monachos. Hujus componendæ cura Geraldo Oſtienſi A. S. Legato in Gallis commiſſa. Quo jubente ad Pariſienſe concilium dies partibus indicitur. Ibi auditæ utrinque rationes, ſed lite indeciſa diſceſſum eſt. Non diu tamen poſt agente Arnaldo Carnotenſi epiſcopo inter contendentes certis pactionibus convenitur. Quibus cum ſtare dein noluerint Andegavenſes, lis recruduit. Ejus concilii mentio facta eſt in epiſtola monachorum S. Albini ad P. papæ nepotem, quem de re tota certiorem reddunt, vulgataque legitur in Anecdotis Martene tom. I. pag. 201. Cum vero illius conventionis tabulæ a Baluzio Miſcell. tom. II. vulgatæ anno 1072. ſignentur, hinc de anno habiti Pariſienſis concilii docemur.

Cum tamen in mea de ſchiſmate Cadaloi diſ- C ſertatione in eam propenderim ſententiam de anno emortuali S. Petri Damiani Oſtienſis epiſcopi cum exordio anni 1073. conjungendo, conſtiteritque Geraldum nonniſi poſt ejus obitum Oſtienſem epiſcopatum habuiſſe, alterutrum ſtatui neceſſe eſt; ſive S. Petrum Damiani anno 1077 incipiente deceſſiſſe, quæ Baronii opinio eſt; adeoque Mantuanum concilium, quod eo mortalem vitam agente convenit, anno 1071. aſſignandum eſſe, ſicut & Godefridi obitum, qui concilium illud biennio præceſſit, anno 1069 adſcribendum cum Lamberto; ſive iis in ea ſede relictis, quam utriſque aſſignavi, ſtatuenda eſt Geraldi in epiſcopatu Oſtienſi ſucceſſio ejuſque in Gallias adventus, & poſt adventum concilium Pariſienſe, ac quæ his omnibus poſterior fuit pactio inter Monachos litigantes; hæc inquam omnia cogenda ſunt inter Januarium, & Martium menſem anni 1073., quo veteri Gallorum ſtylo annus 1072. nondum effluxerat

CONCILIABULUM ERPHORDIENSE,

ANNO CHRISTI 1073.

In cauſa decimationum Thuringiæ, auctoritate Sigefridi Moguntini archiepiſcopi celebratum anno domini MLXXIII. VI. Idus Martii, tempore Alexandri papæ II.

S. Anno ſe abdicat a cura adminiſtrationis regni.

CUm in palatio regis frequens eſſet nundinatio epiſcopatuum & abbatiarum, ſanctus Anno Colonienſis archiepiſcopus regni adminiſtratione ſe abdicavit. Rex iſto pædagogo ſeveriſſimo liberatus, ſtatim in omnia vitiorum genera præceps ruit. Exorſus eſt ſplendidiſſima ædificia in omnibus fere montibus & colliculis: quæ cum perficere non poſſet, ne, permittens præſidiorum & operariorum liberam ſuranda & aliena contrectandi poteſtatem, manifeſta tyrannidis notaretur: Sigefridum Moguntinum archiepiſcopum incitavit, ut decimationes Thuringiæ exigeret, ſibique earum mediam partem tribueret. Epiſcopus vaniſſima ſpe animatus, *inquit Lambertus*, indixit ſynodum in Erphisfurd, ſexto Idus Martii. Statuto die aderat rex, aderat archiepiſcopus, ſtipatus uterque magno grege philoſo- E phorum, immo ſophiſtarum, quos ex diverſis locis ſummo ſtudio conſciverant: ut canones ſibi non pro rei veritate, ſed pro epiſcopi voluntate interpretarentur, & cautam ejus, quomodo veris non poterant, ſophiſticis allegationibus roborarent. Aſſidebant ergo cum rege & archiepiſcopo Moguntino, Herimannus Bambergenſis epiſcopus, Hecelo Hildenesheimenſis epiſcopus, Eppo Citicenſis epiſcopus, Benno Oſenbruggenſis epiſcopus, qui non ad diſcutiendam juxta leges eccleſiaſticas cauſam fuerant evocati: ſed ut id quod rex volebat, arte dictionis, & ſententiarum pondere, poſtremo quaqua poſſent ratione & conſilio obtinerent. Quamquam plerique eorum id quod rex moliebatur, vehementiſſime improbarent, ſed ne libere quod ſentiebant eloquerentur, & regis ter-

Rex dedit cauſam concilibulo. Acta concil. habiti.

quando

ANNO CHRISTI 1073.

rore, & privata archiepiſcopi amicitia, inhibebantur. Habebat præterea rex circa ſe armatorum copias non modicas: quibus eos, ſi qui forte negotium interturbare conarentur, militari manu coerceret.

Talis apparatus fuit palliati latrocinii pulcro nomine ſynodi, in qua non in loquendo libertas aliqua conſultoribus judicibuſve relicta, ſed ſtrepitus armatorum, minæ regis, ad cujus nutum contra ejus voluntati reſiſtentes exerantur gladii, carceres pateant, intenteturque cruentæ cædes. Sed quæ hæc fecuta ſint, videamus. Pergit Lambertus: Thuringorum ſpes & fiducia potiſſimum in abbate Fuldenſi & abbate Herveldenſi nitebatur: quod hi eccleſias decimales plurimas, & prædia infinita haberent in Thuringia: & hi ſi cauſa ceciditſſent, ſibi una cadendum eſſet. Qui publica diſcuſſione interpellati pro decimarum redditione, primo per Deum rogabant archiepiſcopum, ut antiquitus tradita monaſteriis ſuis, legitima, rata, inconvulſaque manere ſineret, quæ & ſedes apoſtolica & veteribus & recentibus ſcriptis crebro ſibi firmaſſet, & præceſſores ejus Moguntini pontifices, ſummi ac ſanctiſſimi viri, uſque ad Luipoldum epiſcopum nunquam infringere tentaſſent. Id atroci reſponſo archiepiſcopus repulit: ſcilicet præceſſores ſuos, ſua ætate, pro ſuo arbitratu eccleſiæ Dei moderatos fuiſſe, eoſque rudibus in fide auditoribus, & pene adhuc neophytis, lac potum dediſſe, non eſcam, & ſapienti diſpenſatione multa indulſiſſe; quæ proceſſu temporis, dum in fide convaluiſſent, ſucceſſorum ſuorum, induſtria reſecari vellent. Se autem, jam adulta, & potius ſeneſcente eccleſia ſpiritualia comparare ſpiritualibus, nec jam parvulis lac, ſed perfectis ſolidum cibum miniſtrare, atque a filiis eccleſiæ leges eccleſiaſticas exigere. Proinde eſſe eis aut ab unitate eccleſiæ recedendum, aut legibus eccleſiæ æquanimiter acquieſcendum. Tum illi rurſum per Deum orare, ut ſi in Romani pontificis auctoritate, ſi in Caroli aliorumque imperatorum privilegiis, ſi in præceſſorum ejus Moguntinorum pontificum indulgentia nihil ſibi præſidii aut ſpei reliquum eſſet, ipſarum ſaltem decimarum eam ipſe partitionem fieri ſineret, quam & canonum ſcita æquam judicaſſent, & cæteræ orbis terrarum eccleſiæ uſitatam haberent; ſcilicet ut quarta parte ipſe pro ſuo ſuorumque miſſorum ſervitio contentus, tres reliquas portiones eccleſiis, quibus antiquitus attitulatæ fuiſſent, permitteret. E contra epiſcopus non ea mente ſe ait tantum laborem triviſſe, & jam per decem ferme annos laboriosum hoc ſaxum volvere, ut tandem aliquando voti compos effectus, ultro jure ſuo cederet, & tanto molimine extortas eis decimas ipſis pro libitu ſuo partiendas addiceret.

Primus ac ſecundus dies in hac concertatione jam fluxerat, ancipiti adhuc fortuna, utra pars utri ceſſura foret: jamque in eo res vertebatur, ut Thuringi, improbata ſynodo, ſedem apoſtolicam appellarent. Sed rex ſub atteſtatione nominis divini affirmabat, ſe in eum, ſi quis id præſumpſiſſet, capitali ſententia animadverturum, & omnia quæ ejus eſſent uſque ad internecionem diſſipaturum, clademque ejus diei multis poſtea ſæculis non abolendam.

En quales reges, qui apoſtolicæ ſedis juribus derogant. Quorſum vero ipſum iſta perduxerint, omnibus manifeſtum. In exemplum factus rex apoſtata ſchiſmaticis & hæreticis regibus, qui appellationem ad ſedem apoſtolicam, Henricianæ hæreſis labe conſperſi, vetuerunt. Sed proſequamur reliqua militaris potius quam ſacerdotalis conventus. Pergit ipſe Lambertus: Ita abbas Herveldenſis ſuorum periculo conterritus, quoniam aliud in arctum concluſis rebus non patebat effugium, rem conſilio regis permiſit: quateaus, prout ipſe bonum & æquum judicaret, cauſam inter ſe & archiepiſcopum terminaret. Diu igitur habita deliberatione, in hanc tandem pactionem, mediante rege, abbas & archiepiſcopus conſenſerunt: ut abbas in decem ſuis decimalibus eccleſiis duas partes decimarum, tertiam archiepiſcopus acciperet: in reliquis vero ejus eccleſiis, dimidia abbati, dimidia archiepiſcopo contingeret. Ubi vero eccleſia decimalis propria archiepiſcopi eſſet, tota illic ei decima cederet. Præterea ut omnes dominicales archiepiſcopi curtes, in quacumque eſſent parochia, ab omni penitus decimarum exactione immunes manerent. Sub jugum miſſo abbate Herveldenſi, ſtatim Thuringi, omni ſpe adempta, eo quod in illis prudentia & eloquentia plurimum fiduciæ ſibi poſuiſſent non ultra reſtiterunt, ſed decimas in reliquum abſque retractatione dare profeſſi ſunt. Fuldenſis abbas aliquantis poſtea diebus obſtinatus in propoſito perſtitit. Sed cum nec regis gratiam recipere, nec ad ſua redeundi licentiam impetrare poſſet, niſi in communem ſententia concederet: tandem rerum difficultate ſuperatus, ad hanc conditionem non tam conſilio quam imperio & metu regis coactus eſt, ut in cunctis decimalibus eccleſiis ſuis partem dimidiam decimarum ipſe, dimidiam archiepiſcopus acciperet; dominicales autem curtes ſuas, ſicut archiepiſcopus, omnes ab omni decimarum redditione liberas haberet.

ANNO CHRISTI 1074.

Ita abſoluta eſt tyrannice cauſa. Sed quam dignam tyranno ipſe rex appendicem tunc apposuerit, ita idem Lambertus auctor ſignificat, dicens: Tum rex ſciens haud beneplacitura Romano pontifici quæ geſta fuerant, ſub interminatione gratiæ ſuæ utrique abbati præcepit, ut neque per ſeipſos, neque per nuntium, neque alio quovis modo, pro infimulanda ſynodo apoſtolicam ſedem interpellarent. *Hucuſque acta latrocinii Henriciani ex Lamberto narrata, quæ geſta eſſe ante paſchale tempus affirmat.*

ADDITIO G. C.

Quod ait Lambertus, habitum eſſe hunc conventum ante paſcha: ſcribit vero Sigefridus ad Alexandrum II. pontificem maximum, ſynodum ſuper hoc Thuringorum negotio indictam eſſe poſt paſcha: an inter ſe pugnent, haud facile dixerim. Pugnant certe, ſi de Thuringorum decimationibus una tantum eſt coacta ſynodus. Quid vero ſi duæ? altera, Erphordiæ, de qua Lambertus, altera vel Moguntiæ, vel ubivis alibi anno circiter 1067. Nam Alexandrum rogat Sigefridus, per eaſdem litteras quas mox ſubjiciam, ut canonice ulciſcatur ac ſeveriſſime puniat nefandam Canonis Trevirenſis archiepiſcopi cædem, quam Lambertus anno MLXVI. patratam ait, Sigebertus anno MLXVII.

Sive autem duplex fuerit, ſive una ſynodus: cum idem negotium ſpectet, litteras hic repræſento Sigefridi ad Alexandrum, quibus rogat ut homines de latere ſuo mittat, qui ſynodo præſint. Præmittam alteras quibus ab Hildebrando petit, ut ipſius ope facilis ad pontificem aditus legatis pateat. Utræque a Gretſero noſtro editæ ſunt

SI-

ANNO CHRISTI 1072.

SIGEFRIDI MOGUNTINI EPISC. ad Hildebrandum Romanæ eccleſiæ archidiaconum, epiſtola.

Sifridus Moguntinus, id quod eſt, Dei gratia, Hildebrando ſanctæ apoſtolicæ ſedis archidiacono, & archicancellario, ſalutem, & fraternæ dilectionis integram veritatem.

PLurimum gratiæ veſtræ referimus caritati, pro eo, quod omnibus & legationibus, & rationibus noſtris, quas ad ſedem apoſtolicam direximus, ſemper dexter ſtetiſtis, & in omni diſceptatione & negotio ſemper partes noſtras, ſapientiæ & bonæ voluntatis veſtræ ſcuto defendiſtis. Proinde multiplices primum vobis grates referimus: deinde, ut quandoque occaſio ſubluceat, qua vobis vicem dilectionis rependere poſſimus, vehementer exoptamus. Licet enim inter multimoda eccleſiæ, quæ quotidie portatis, negotia, nihil, niſi Dei gratiam requiratis, neque de terrenis rebus quidquam, niſi ad ordinandum potius, quam ad poſſidendum attingere velitis: tamen quia hilarem datorem, ut pro Deo multa poſſit dare, neceſſe eſt multa juſte habere, mandamus veſtræ dilectioni, ut ſi quid noſtrum eſt, quod veſtro ſedeat beneplacito, ſi nobis ſcire detur, ſtatim veſtrum fiet, ex noſtro. Quis enim tantum virum poſſit non diligere? Quis ei quidquam audeat denegare?

Rogamus autem dulcedinem veſtræ caritatis, ut per vos legationi noſtræ quam nunc ad ſacram ſedem apoſtolicam dirigimus, aditus pateat, & de his, quæ poſtulamus, veſtra ope effectum obtineat: ſcilicet, ut ad ſynodum, quam ſuper rebellibus Thuringis pro decimationibus decrevimus celebrare, domnus apoſtolicus de latere ſuo dignetur mittere, qui & ſynodo præſint, & auctoritate ejus determinent ea, quæcumque determinanda occurrerint. Quod ſi hoc fieri nequit, ſaltem ſcriptis beatitudinis ejus ſynodus noſtra roboretur, & rebellium temeritas tali auctore comprimatur. Annitatur ergo dilectio veſtra, ut hoc obtinere valeat petitio noſtra.

EJUSDEM AD ALEXANDRUM II. papam epiſtola.

Domno beatiſſimo, & vere apoſtolici culminis honore reverendo, ſancto patrum patri, & ſummo præſulum præſuli Alexandro II. Sifridus Moguntinæ ſpeculator eccleſiæ, quidquid filius patri, & membrum capiti.

APoſtolicæ inſtitutionis documento didicimus, matrem ac radicem virtutum eſſe caritatem: cui quidquid inſeritur boni operis, Chriſto incrementum dante, parit fructum æternæ beatitudinis. Hæc in ſanctiſſimo pectore veſtro æternam poſuit ſedem, & in fœcundiſſima corporis veſtri terra altam fixit radicem: de qua, rore cæleſtis gratiæ irrigante, per totam ſanctæ eccleſiæ aream, multiplices ſacræ doctrinæ, & bonorum operum protenduntur rami, quorum fructifera ubertate aluntur, & umbra proteguntur oves, quas paſcendas ſuſcepiſtis vice illius magni Petri. Hac ergo dictante, nos quoque, qui ſanctiſſimo apoſtolatui veſtro in fructiferam olivam ſumus inſerti, & ſub clavigera tanti pontificis manu, in opus miniſterii aſſumpti: nos, inquam, paternæ ſemper dilectionis benevolentia gratanter accepiſtis: & quidquid vel conſulendum, vel corri-

A gendum, ad apoſtolicum veſtri culminis verticem retulimus. Noſtræ favendo parti, ut patrem decuit, ad meliora direxiſtis. Unde, ſicut oportet, reverendiſſimæ celſitudini veſtræ multiplices gratiarum actiones, & humile exhibemus inclinium: continuis orationum victimis divinam exorantes clementiam, ut ad ſtabilitatem ſanctæ eccleſiæ ſuæ longævum & incolume cuſtodiat apoſtolatum veſtrum. * (Et ſicut in proximis, quas ad Sanctam Sedem veſtram direximus litteris; ita nunc quoque humili ſupplicatu veſtram deprecamur Sanctitatem, ut quæ corona regni, & diadema Romani imperii in manu veſtra, & per manum Filii veſtri Domini mei H. Regis ſemper in bono B invocationis veſtræ exordiis primitias regni eius adhuc puerilis conſilio, & auxilio foviſtis, & enutriſtis, ita Apoſtolici vigoris conſtantia uſque ad coronam imperii cum eo perſiſtatis).

* Uncis tacluſa deerant in Laubeo; & hic ſuppleta ſunt ex Codice Udalrici.

Porro adhuc antiquam noſtram ſuper rebellibus Thuringis conqueſtionem ad notitiam almæ ſedis veſtræ referimus, obnixe rogantes ut armata manu gladio Spiritus ſancti, uſque ad expugnationem eorum nobis dexteram feratis auxilii. Suggerimus quoque ſanctitati veſtræ, quod ſynodum ſuper his poſt paſcha celebrare decrevimus: ad quam de latere veſtro legatos mitti poſtulamus, qui auctoritate veſtra & ipſi ſynodo præſint; & hæc quæ de Thuringis agimus, canonice terminent, & ſi quæ alia corrigenda occurrerint. C Quod ſi fieri nequit, aliis vos occupantibus negotiis: ſaltem petimus ipſam ſynodum noſtram, quæ utique & veſtra eſt, apoſtolicis ſanctitatis veſtræ litteris roborari: quæ & rebellibus anathema denuncient, & quæcumque inibi canonice geſta veſtra auctoritate confirment.

Quia vero maxima quæque eccleſiaſticæ diſciplinæ negotia ab ipſo præſulum vertice debent examinari, cujus ex injuncta omnium eccleſiarum ſolicitudine, privilegium eſt: quod per nos non poſſumus corrigere, ad patrocinium almitatis veſtræ referimus, quod etiam pridem ad vos perveniſſe cognovimus, de crudeliſſima, & inaudita nece deſignati Trevirenſium epiſcopi: qui Chriſtianis temporibus, nefandiſſima & ſceleratiſſima D Neronianæ & Decianæ perſecutionis cruciamenta expertus, horribili & execrabili pœnarum genere addictus eſt morti. Ad cujus monſtruoſæ necis ultionem, teſtamenti ſui recordatus primum aſſurgat Dominus Jeſus Chriſtus: deinde veſtræ auctoritatis fortiſſima & patrocinalis manus. Sacris namque canonum decretis ſancitum eſt, ut ſicubi epiſcopus ordinetur, qui vita, vel moribus a tanta diſcrepet dignitate, vel qui ad tantum aſcendat apicem ſubreptione non electione, ei audientiam non negari: & hoc etiam præter ſententiam Romani pontificis non debere fieri. In qua re, ſi ſe clerus vel populus cujuslibet civitatis, ſæculari potentia viderit prægravari, ad ſa- E cram veſtræ ſedis defenſionem habeat confugium, cui præcipiente Domino delegatus eſt primatus omnium eccleſiarum. Nunc vero, ne dum iſti, de quo agitur, canonica daretur audientia; ne dum veſtri examinis expectaretur ſententia: quaſi furtiva latrocinantium manu captus & ſpoliatus dein graviſſima de loco ad locum tranſportatione afflictus, tandem, ut aſſerunt, communi illorum conſilio, morte turpiſſima multatus eſt.

Qua de re quam graviter unanimitas fratrum ſit concuſſa, quam atrociter audax ſacinoroſorum hominum violentia ad ſacri ordinis injuriam ſit erecta, veſtræ ſanctitatis eſt prudenter perpendere, & hoc nefarium ſcelus canonice ulciſcen-

ANNO CHRISTI 1073.

citcendo, ne de cætero tale quid præſumatur, A poſteris exemplum relinquere. Orat ergo ſanctitatem veſtram ſocialis fratrum noſtrorum concordia, & hoc a veſtri culminis patrocinio tota implorat eccleſia, ut tanti ſceleris auctores diligentiſſime puniatis. Qui ſi forte diſſimulando latent, gladio Spiritus ſancti, velut putrida membra, de corpore Chriſti abſcindatis, & ut omnes, etiam ſacerdotes noſtri, eos perpetuæ maledictionis anathemate feriant, firmiſſime præcipiatis.

ANNO CHRISTI 1073

ADMONITIO G. C.

In ſynopſi conciliorum, alia quædam ſequuntur, anno MLXXIII. & Alexandri pontificatui attributa concilia: quæ anno quidem eodem, ſed Gregorio pontifice celebrata ſunt. Id agnovit poſtea autor ipſe ſynopſeos R. P. Philipp. Labbe; eaque in Gregorii tempus, ac tomum X. rejecit, cujus editionem inchoaverat. Unum tamen ex iis, nempe concilium ad S. Maxentii in Pictonibus, in annum MLXXV. diſtulit, quod anno prius indicato MLXXIII. fuiſſe conſervandum oſtendam.

CONCILIUM ROMANUM

Ex P. Pagi ad Ann. Ch. 1073. n. 10.

In quo Atho Mediolanenſis Archiepiſcopus confirmatur, & Gothofredus excommunicatur.

COncilium Romæ ab Alexandro II. ante mortem celebratum, in quo Gothofredum Eccleſiæ Mediolanen. invaſorem damnavit, eruo primo ex Arnulpho apud Puricellum lib. 4. de vita S. Herlembaldi cap. 34. ubi de ſeditione adverſus Athonem anno 1072. Archiepiſcopum Mediolanenſem electum excitata verba faciens, ait: *Unde factum eſt ut collecto Romæ cœtu Pontificum, inſtante ipſo* (Hildebrando nempe) *Athonem juſte prædicaret electum, proſtrato anathemate Gothofredo.* Secundo Gregorius VII. in epiſt. xv. lib. 1. *Kalendis Julii Indict.* XI. anno ſcil. 1073. ad omnes Chriſti fideles in Lombardia data, Gothofredi invaſione narrata, ait: *quod audiens S. Romana Eccleſia mater veſtra & totius Chriſtianitatis, ſicut* B *ſcitis, magiſtra, congregato e diverſis partibus Concilio multorum Sacerdotum, & diverſorum ordinum conſenſu, fulta B. Petri Apoſtolorum principis auctoritate Gothofredum fidei catholicæ, & legis Chriſtianæ inimicum excommunicavit.* Ubi Gregorius VII. loquitur de Synodo Romana ab Alexandro II. habita, neque dicit, ut in hujus Epiſtolæ inſcriptione Regiſtri Gregoriani collector perperam interpretatur, ſe Gothofredum excommunicaſſe, ſed id ab Eccleſia, ab Alexandro nempe II. factum eſſe. Quomodo enim Gregorius, quo anno 1073. die 29. menſis Junii Pontifex Romanus ordinatus eſt, ante diem primum menſis Julii, quo ea Epiſtola data, *e diverſis partibus* Concilium *multorum Sacerdotum* congregare potuiſſet? C

VITA

EPISTOLÆ ET DECRETA

GREGORII PAPÆ VII.

Gregorius VII quando & a quibus pontifex factus?

GRegorius hujus nominis ſeptimus, antea Hildebrandus appellatus, omnium conſenſu legitime creatus eſt pontifex anno Chriſti 1073. Hic patria Soanenſis natus eſt in Tuſcia, humili loco, parente fabro; ſub protectione ſancti Petri educatus. Adoleſcens nactus eſt magiſtrum Laurentium Amalphitanum archiepiſcopum, quem non maleficiorum, ſed ſanctorum principem eius temporis fuiſſe teſtatur irretragabilis teſtis Petrus Damiani. Præter Laurentium habuit quoque magiſtrum Joannem Gratianum archipresbyterum, poſtea papam Gregorium ſextum nominatum, quem ſecutus eſt in Germaniam cum ſe pontificatu abdicaſſet, eaque occaſione apud Cluniacenſes permanſit. Cum Leone nono, quem purpura pontificali indutum, & per manum laicalem mu- E nus epiſcopale aſſumentem increpavit, profectus eſt Romam, ſuoque conſilio Brunonem, poſtea Leonem nominatum eligi præcepit; factus Romanæ eccleſiæ ſubdiaconus. Poſt obitum prædicti Leonis ablegatus eſt a clero Romano ad imperatorem, petens ab eo ut, cum rebus eccleſiæ perturbatis ſibi id non liceret, Romanum pontificem non ſuo ſed cleri nomine eligeret, electumque contra invaſores defenderet. A Victore quem eligi poſtulaverat in Galliam ablegatus, Lugduni ſimoniacum quemdam archiepiſcopum ad confeſ- D ſionem criminis miraculoſe adegit: qui cum in hymno glorificationis, quem Hildebrandus eum recitare mandaverat, Spiritum ſanctum efferre non potuiſſet, proprio ore confeſſus eſt ſe ſimoniæ crimine pollutum eſſe. Ibidem S. Hugoni monaſterii Cluniacenſis abbati Chriſtum aſſidere, quidque agendum vel dicendum foret eidem ſuggerere vidit. Berengarium etiam Andegavenſis eccleſiæ archidiaconum in concilio Turonenſi ad hæreſeos ſuæ iteratam abjurationem & catholicæ fidei profeſſionem adegit: tantum abeſt ut, quod calumniatur Benno, Berengarianam hæreſim defenderit aut ſectatus fuerit. Cumque poſt obitum Stephani IX. Benedictus ejus nominis X. pſeudopapa ſchiſmaticus ſedem apoſtolicam invaſiſſet, miſſus eſt ad Agnetem imperatricem, petens ab ea, ut futuræ electioni Gerardi Florentini epiſcopi, qui appellatus eſt Nicolaus II. conſentire non gravaretur. Quod cum feliciter impetraſſet, opera Godefredi ducis ſchiſmaticum expulit, & legitimum pontificem in poſſeſſionem quietam introduxit. Ejuſdem conſilio optimo poſt obitum Nicolai electus eſt Alexander II. expulſuſque eſt Cadalous Parmenſis epiſcopus & pſeudopontifex, quem regii miniſtri & fautores adverſus Alexandrum in thronum apoſtolicum evexerant. Et quamquam ſtatura puſillus eſſet, tamen

Cum Leone Romam venit, & ab eodem factus eſt ſubdiaconus.

Gregorii pueritia & adoleſcentia qualis?

Miraculum Gregorii papæ.

Benonis calumnia refellitur.

Hildebrandi ſtudio electi ſunt Nicolaus & Alexander II.

Quæ legationes obierit?

men gratia miraculorum & prophetiæ erat omnibus admirabilis. Nam ad miraculum ſupra recenſitum hoc addidit longe mirabilius, quod cum ab Hugone Cluniacenſis monaſterii abbate longius abeſſet, cognoverit cogitationes mentis illius, quibus intra ſe ſibi loquens dicebat: Homuncionem exilis ſtaturæ, deſpicabilis parentelæ, tumere & metiri altiora, quod tot mundanæ poteſtates nutum illius præſtolarentur. Cum eodem abbate orans Chriſtum ſibi aſtantem, angelumque vibrantem gladium vidit, & futuram mortalitatem prædixit. Petro Damiani, qui per ſomnium oculorum lumen ſibi amiſiſſe viſus erat, ſomnium ejuſdem exponens dixiſſe ſcribitur: Nequaquam, ut times, propinquæ eſt mortis indicium, ſed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi carus ſit ſicut oculus. Vere ſibi illud per obitum Dominici Loricati contigiſſe fatetur Petrus Damiani in epiſtola ad Alexandrum papam. Sanctum Annonem Colonienſem archiepiſcopum, de jure regio in electione Romani pontificis violato conquerentem ita informavit, ut in ſynodo Mantuana deſuper celebrata ipſe confeſſerit atque definierit, Alexandri juſtam, Cadaloi injuſtam & illegitimam electionem fuiſſe. His de cauſis Alexandri pontificis totiuſque cleri Romani judicio dignus eſt habitus, qui dum viveret Alexander cancellarius Romanæ eccleſiæ conſtitueretur, eique defuncto in ſede pontificia ſubrogaretur.

ANNO CHRISTI 1073. Gregorii VII. miracula.

Somnium interpretatur.

Eodem die quo Alexander obierat, nimirum x. Kalendas Maii, omnium cardinalium conſenſu & ſubſcriptione, totiuſque populi & cleri approbatione in pontificem electus eſt invitus, cum præconio virtutum earum, quæ in decreto electionis initio epiſtolarum Gregorii collocato recenſentur. Ob amorem & cultum erga ſuum educatorem gratitudinis ergo voluit nominari Gregorius, & ad confirmandam illius legitimam ſedem, atque ad redarguendam nonnullorum ſententiam de ſpurio ejuſdem pontificatu, ut ſupra dixi in Gregorio ſexto, voluit dici ſeptimus; ut ſcilicet ſextum intermedium verum & legitimum ſedis apoſtolicæ paſtorem fuiſſe indicaret. Hunc Lambertus Schaffnaburgenſis nominat virum ſacris litteris eruditiſſimum, & in tota eccleſia tempore quoque priorum pontificum virtutum genere celeberrimum. Marianus Scotus his diebus in Germania ſcribens eumdem Gregorium venerabilem prædicat, atque ab eo ſtatuta decreta recitat & laudat. Sigebertus, etſi Henricianas partes contra Romanos pontifices foverit, Gregoriique nimiam ſeveritatem incuſarit, tamen nunquam auſus eſt dicere illegitimum fuiſſe creatum pontificem. Otto Friſingenſis epiſcopus, eruditiſſimus ſcriptor hæc de Gregorio VII. Forma gregis factus, quod verbo docuit exemplo demonſtravit, ac fortis per omnia athleta ſe pro muro domui Iſrael ponere non timuit. Unus Urſpergenſis abbas, idemque ſchiſmaticorum patronus, Bennoni ſchiſmatico cardinali inhærens, ejus ſcriptorum quædam capita recitat, non tamen ut ille ſpuriam omnino fuiſſe electionem Gregorii auſus eſt affirmare, ſed iſta tantum: Cum abſque regis conſenſu ſolis tantum Romanis faventibus hunc apicem conſendiſſet, ſunt qui illum non canonice conſtitutum, ſed tyrannice papatum ſibimet aſſeverent uſurpaſſe, pro qua re & a nonnullis epiſcopis abdicatus eſt. Sed quam iſta de non adhibito conſenſu regis Henrici falſa ſint, patet ex actis vitæ hujus Gregorii, in quibus refertur, quod cum ille ad regem ſcripſiſſet, ne vigore conceſſi privilegii factæ electioni aſſenſum præberet, rex non modo non diſſenſerit, ſed miſſa legatione factam electionem confirmarit, ejuſque conſecrationi per legatum interfuerit. Idem affirmat Lambertus Schaffnaburgenſis loco ſupra allegato. Videant ergo Novatores, qua veritate ſubſiſtant illæ calumniæ, quas princeps ſchiſmaticorum cardinalium Benno hujus optimi maximi pontificis moribus, electioni & fidei opponit. Videant quo duce & auctore cathedram Petri impugnent, quamque graviter impingant, qui uno, duobus, vel tribus ad ſummum ſchiſmaticorum fautoribus adhærescentes, & a triginta duorum probatiſſimorum ſcriptorum, quos pro Gregorii defenſione reverendiſſimus & illuſtriſſimus cardinalis Bellarminus in controverſia de Rom. pontif. libro 4. capite 13. nominatim recenſet, ſententia & auctoritate temerarie recedunt. Tempore pontificatus præter illam vigilantiam, quam omnibus prope regibus & epiſcopis totius orbis diligenter cuſtodiendis impendit, poſt primam illam legationem ad Henricum regem deſtinatam, Hugonem Candidum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem in Hiſpaniam ablegavit, ut, recuperatis a Mauris Hiſpaniæ civitatibus, jura, tributum, & cenſum ſedi apoſtolicæ dari ſolita exigeret. Cumque Michael Conſtantinopolitanus imperator per litteras Gregorio de ſuſcepto pontificatu gratulatus eſſet, ea occaſione captata Dominicum patriarcham Venetum cauſa componendi ſchiſmatis ad eum ablegavit. Quartam legationem miſit ad Uratislaum ducem Bohemiæ, ut cenſum ſolveret pro ducatu Bohemiæ, ut poſt uſum mitræ conceſſione Alexandri papæ acceptum ſe facturum voto nuncupato Deo pollicitus fuerat. Anſelmum epiſcopum electum monet, ne a rege Henrico inveſtituram accipiat, antequam rex Romanæ eccleſiæ de communione cum excommunicatis habita ſatisfecerit. Saxones in regem ob nefanda ejus crimina concitatos, aliumque regem eligere conatos, ſcripto ſuo cohibuit. Quintam legationem miſit in Germaniam ad eccleſias ejuſdem Germaniæ & Galliæ a labe ſimoniæ expurgandas. Rex ob crimen allegatum debita pœnitentia peracta eoſdem honorifice ſuſcepit: ne vero concilium in Germania ea de cauſa per legatos haberetur, perſuaſione Liemari Bremenſis archiepiſcopi obſtitit; quaſi hac de cauſa non ab aliis, quam a Bremenſi vel Moguntino ſedis apoſtolicæ vicariis ſynodum congregari oporteret. Legati Romam reverſi rem geſtam pontifici expoſuerunt. Liemarus ſecundo ad ſedem apoſtolicam citatus factus eſt inobediens, rebellis, & ſchiſmaticus, reſiſtenſque juſſibus legatorum & ipſius pontificis regem adverſus pontificem commovit, idque boni quod mente conceperat infelix princeps hujus inſtigatione aruit. Sed accidit Dei ſingulari beneficio, ut cum adverſus Romanam eccleſiam principes ſæculi & potentiores epiſcopi conſpirarent, pro defenſione ejuſdem ſedis Agnetem regis Henrici matrem, Beatricem, & Mathildem ejus filiam adhuc puellam & virginem, quamquam Godefrido nupta fuiſſet, affines excitarit. Unde haud dubie originem ſumpſit illa multorum calumnia, quam ad ſui expurgationem vulgabant concubinarii, quod poſt factum divortium inter Mathildem & Godefridum, pontifex Mathildis amplexibus furtivis frueretur: quam calumniam non tantum ſuo tempore Lambertus, verum etiam hac noſtra ætate ex regeſto epiſtolarum Gregorii Baronius tam erudite & ſolide refutavit ac detexit, atque a mendaciorum involucris vendicavit, ut nemo poſthac niſi calumniator & hæreticus fabellæ mendaci aures præbere poſſit. Ut magno Chriſtianæ religionis bono non ſolum Saracenos exercitu expugnaret,

Calumnia Bennonis contra electionem Gregorii refellitur.

Cur ſeptimus.

Gregorii fundes.

Abbas Urſpergenſis taxatur.

ANNO CHRISTI 1073. Novatores redarguuntur.

Res a Gregorio geſtæ.

Legationes a Gregorio miſſæ.

Providentia Dei erga eccleſiam.

Calumnia Gregorio VII. objecta.

Contra Saracenos bellum ſuſcepit.

ANNO CHRISTI 1073.

gnaret, ſed etiam orientalem eccleſiam ſchiſmate ab occidentali diviſam uniret, Armenos a fide catholica penitus aberrantes ad rectæ fidei tramitem reſtitueret, pluſquam quinquaginta millia militum conſcripſit & collegit. Ab Henrico poſt Saxones ſubjugatos, poſtque eam victoriam inſolentiore facto, cœpit contemni, Guilberti antiqui ſchiſmatici, poſtea vero Ravennatis epiſcopi dolo & fraude a Cincio Romano præfecto invaſus, captus, Gregorius I. excæcatus. & in carcere detentus eſt, quouſque per populum tumultuantem, & tam immane ſcelus ulciſci paratum, eriperetur, atque priſtinæ libertati reſtitueretur. Sed cum Romano populo vindice tantum ſcelus irritum redditum eſſet, idem Guibertus accepta a papa licentia Ravennam ſe contulit, ibique conſpirationem rebellium epiſcoporum Longobardorum ma- B chinatus fuit. Henricus timore Saxonum ſolutus Henricum regem Romam vocavit. contempſit implere ea quæ *apoſtolicæ ſedis legatis ante promiſerat, atque excommunicatos a pontifice recepit & fovit. Quem contemptum cum pontifex non diutius tolerandum eſſe putaſſet, eumdem regem ad dicendam cauſam per legatos Romam citavit ad ſynodum proxima quadrageſima congregandam. Excepit ille legationem, ſed magna cum contumelia pontificis eoſdem poſtea abiecit, indictoque Wormatienſi conventiculo pontificem abſentem de criminibus objectis condemnatum per ſententiam deponi, eamque ipſi inſinuari curavit. Legatis Romam reverſis, habita eſt poſtridie ſynodus, in qua dum illi injurias ſibi irrogatas retuliſſent, literæque a rege C Henricus rex cum quibusdam epiſcopis excommunicatur. * epiſcopi miſſæ recitatæ fuiſſent, una cum rege Henrico Sigefridus Moguntinæ, Willelmus Trajectenſis, & Robertus Bambergenſis eccleſiæ * archiepiſcopi excommunicati fuerunt. Latam ſententiam pontifex omnibus ſubditis a juramento fidelitatis abſolutis intimavit, eamque Deus contra excommunicatos Henrici fautores epiſcopos interventu mortis peſſimæ executus fuit. Saxones a rege defecerunt, & adverſus eum formidando apparatu prælio inturrexerunt. Similiter etiam principes Germaniæ majores epiſcopi, omneſque fideles, quos dum pontifex rogatu Hermanni Metenſis epiſcopi commonuiſſet, ut regem ad pœnitentiam hortarentur, Triburiæ conventum indixerunt, in quo dum de alio rege Germaniæ eligendo ageretur, D Henricus per legatos pacem rogavit, & emendationem morum promiſit: aliquoties repulſam paſſus, hac tandem lege receptus eſt, ut dimiſſis excommunicatis quos fovebat Romano pontifici ſe ſubmitteret, ſeque per Romanum pontificem a vinculo excommunicationis abſolvi procuraret. Paruit rex, venienſque in Italiam a pontifice abſolutionem obtinuit. Verum ſchiſmaticorum & concubinariorum epiſcoporum inſtigatione accidit, ut vix in Germaniam reverſus iterum in priſtina relaberetur. Nam cum Guiberto aliiſque quibuſdam rebellibus novam conjurationem adverſus pontifi- Rudolphus dux Sueviæ contra Henricum fit rex Germaniæ. cem fœdiſſimam contraxit. Quod dum principes Germaniæ cognoviſſent, inconſulto Gregorio Ru- E dolphum Sueviæ ducem in regem elegerunt, ducumque Moguntiam a Sigefrido conſecrari curarunt. Re bellica contra Rudolphum ſuſcepta & Henricus a pontifice regno spiratus. feliciter geſta factus elatior, Gregorium contemnere cœpit, quem ſibi ſuoque regno timens hactenus ſe colere & obſequis frequentare ſimulavit. Qua de cauſa iterum Romæ ſynodali conſenſu excommunicatus, regno, quod Rudolpho collatum fuit, digne privari promeruit. Ille vero habito cum ſchiſmaticis conciliabulo * Brixienſi, in abſentem depoſitionis ſententiam ferri, eique Guibertum ſchiſmatis auctorem, ſæpe excommunicatum & depoſitum, in pontificatu ſubrogari mandavit. Cumque interea Rudolphus rex obiiſſet, ejuſque nece res Germaniæ in tutiore ſtatu collocatæ eſſent, in Italiam paravit adventum, ut Gregorium papam, quem ſibi infenſiſſimum putabat, e ſede Petri deponeret, ejuſque adverſarium Guibertum antipapam in ea collocaret. Cumque urbem Leoninam binis vicibus fruſtra tentatam & obteſſam poſt biennium fuæ perſecutionis expugnaſſet, Guibertum Ravennatem perjurum, depoſitum & anathematizatum, apud ſanctum Petrum per Mutinenſem & Ariminenſem epiſcopos jam multis ante annis depoſitos & excommunicatos inthronizavit, eique Clementis III. nomen impoſuit. Ipſam vero Romam ejuſve cives non niſi per triennalem obſidionem auro tandem & pecunia expugnavit, quam armis vincere non poterat. Gregorius papa cum paucis nobilibus in caſtellum ſancti Angeli ſe recepit: interea coronam imperii, quam Gregorius ſchismatico & excommunicato imperatori ſolenni ritu conferre utique ad ſanguinem recuſaverat, Clemens antipapa regi ſchiſmatico imponit, & pſeudoimperatorem pſeudopontifex conſtituit. Cumque in Aventino monte ſe contineret, urbiſque obſidionem indefeſſo ſtudio proſequeretur, Gregorius a Roberto Northmannorum duce ſubſidium, quod Romanæ eccleſiæ per juramentum promiſerat, imploravit. Qui ſtatim novis copiis congregatis in Italiam advolans Henricum fugavit, ipſumque pontificem feliciſſime liberavit, omneſque pſeudocardinales, quos Guibertus pſeudopontifex creaverat, vel ſaltem a vero pontifice abſtraxerat, urbe expulit. Quibus expulſis, Gregorius concilium Romæ congregavit, quo pſeudopontificem cum pſeudoimperatore Henrico iterum excommunicavit. Poſtea ab urbe recedens Caſſinum advenit, atque inde ad dedicandam baſilicam ſancti Matthæi apoſtoli Salernum ſe contulit, ibique permanſit uſque ad obitum, qui contigit vigeſimo quarto Maii, anno Chriſti redemptoris 1085. cum ſediſſet annos duodecim, menſem unum & dies tres. Sanctitate & miraculis poſt mortem clariſſimus, ſepultus eſt intra baſilicam ſancti apoſtoli & evangeliſtæ Matthæi, quam paulo ante obitum divino cultui conſecraverat.

ANNO CHRISTI 1073. Brixienſi.

A pſeudopapa Henricus fit pſeudoimperator.

Henricus per Northmannos Roma fugatur.

Gregorii obitus & fides.

LIBER PRIMUS REGISTRI GREGORII PAPÆ VII. (a)

Erat Gregorii VII. regiſtrum in Vaticana bibliotheca, de quo Bertholdus Conſtantienſis, qui eo vixit tempore, anno 1081. loqueus de Gregorio VII. ait: *Erat enim catholicæ religionis ferventiſſimus inſtitutor, & eccleſiaſticæ libertatis ſtrenuiſſimus defenſor. Noluit ſane ut eccleſiaſticus ordo manibus laicorum*

Anno dominicæ incarnationis milleſimo ſeptuageſimo tertio, indictione undecima.

Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, anno clementiſſimæ incarnationis ejus milleſimo ſeptuageſimo tertio, indictione & Luna undecima, x. Kalendas Maji, feria ſecunda, die ſepulturæ domini Alexandri bonæ memoriæ ſecundi papæ, ne ſedes apoſtolica diu lugeat proprio deſtituta paſtore, congregati in baſilica beati Petri ad vincula, nos ſanctæ Romanæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ cardinales, clerici, acolyti, ſubdiaconi, diaconi, preſbyteri, præſentibus venerabilibus epiſcopis & abbatibus, clericis & monachis conſentientibus, plurimis turbis utrinſque

(a) Dantur variantes quas ex Mutinenſi Cod. MS. ſeculi quidem XVI. ſed ex antiquiori bonæ frugis deſcripto eruit, & ad me tranſmiſit P. Franc. Anton. Zacharia S. J. *Manſi*.

ANNO CHRISTI 1073.

*que ſexus diverſique ordinis acclamantibus, eligimus nobis in paſtorem & ſummum pontificem virum religioſum, geminæ ſcientiæ prudentia pollentem, æquitatis & juſtitiæ præſtantiſſimum amatorem, in adverſis fortem, in proſperis temperatum, & juxta apoſtoli dictum bonis moribus ornatum, pudicum, modeſtum, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam bene regentem, in gremio hujus matris eccleſiæ a pueritia ſatis nobiliter educatum & doctum, atque pro vitæ merito in archidiaconatus honorem uſque hodie ſublimatum, Hildebrandum videlicet archidiaconum, quem * amodo uſque in ſempiternum & eſſe & dici Gregorium papam & apoſtolicum volumus * & approbamus. Placet vobis? Placet: Vultis eum? Volumus: Laudatis eum? Laudamus. Acta Romæ, decimo Kalendas Maji, indictione undecima.*

* Quam fabricaret, ſed ciſdem & morum ſanctitate & ordinis dignitate præmineret, quod illum latere non poterit quicunque ejuſdem apoſtolici regiminis diligenter perlegerit.
* e modo
* Approbatis eum? approbamus. Placet &c.

AD DESIDERIUM ABBATEM.

Nuntiat ſe invitum in demortui Alexandri pontificis locum ſuffectum. Rogat ut Deum pro ſe deprecetur, & ad ſe quantocius veniat

Gregorius in Romanum pontificem electus Deſiderio abbati monaſterii ſancti Benedicti montis Caſſini ſalutem in Chriſto Jeſu.

De Deſiderio abbate Leo Oſtienſis libro 3. chronici Caſſin.

DOminus noſter papa Alexander mortuus eſt, cujus mors ſuper me cecidit, & omnia viſcera mea concutiens, penitus conturbavit. Nam in morte quidem ejus Romanus populus contra morem ita quievit, & in manu noſtra conſilii frena dimiſit, ut evidenter appareret ex Dei miſericordia hoc proveniſſe. Unde accepto conſilio hoc ſtatuimus, ut poſt triduanum jejunium, poſt litanias, & multorum orationem eleemoſynis conditam, divino fulti auxilio ſtatueremus quod melius de electione Romani Pontificis videretur. Sed ſubito cum prædictus dominus noſter papa in eccleſia * Salvatoris ſepulturæ traderetur, ortus eſt magnus tumultus populi, & fremitus, & in me quaſi vexanu inſurrexerunt, ita ut cum propheta poſſim dicere: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Laboravi clamans, rauca facta ſunt fauces meæ, &: Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* Sed quia in lecto jacens valde fatigatus ſatis dictare nequeo, anguſtias meas enarrare ſuperſedeo. Te itaque per omnipotentem Dominum rogo, ut ſuffraganeos fratres & filios, quos in Chriſto nutris, ad exorandum Deum pro me provoces, & ex vera caritate invites: quatenus oratio, quæ me liberare debuit, ne incurrerem periculum, ſaltem tueatur in periculo poſitum. Tu autem ipſe quantocius ad nos venire non prætermittas, qui quantum Romana eccleſia te indigeat, & in prudentia tua fiduciam habeat, non ignoras. Dominam Agnetem imperatricem, & Rainaldum venerabilem Cumanum epiſcopum ex noſtra parte ſaluta; & quantum erga nos dilectionis habuerint, nunc ut oſtendant, noſtra vice fideliter obſecra. * Data Romæ * XI. Kalendas Maji, indictione XI.

* Ad Sanctii & ubique

Pſal. 68. Pſal. 54.

* Datum, & ſic ſemper
* IX.

II. AD GISULFUM PRINCIPEM Salernitanum.

ANNO CHRISTI 1073.

Ejuſdem argumenti.

Gregorius in Romanum pontificem electus Giſulfo Salernitano principi ſalutem in Chriſto Jeſu.

DOminus noſter Alexander papa mortuus eſt, cujus mors ſuper me cecidit. (*Omnia ut ſupra uſque ad id quod ait:*) Te itaque per omnipotentem Dominum rogo, ut venerabilem patrem Leonem, & cæteros religioſos viros in partibus illis commorantes, ad exorandum Deum pro me ex vera caritate invites, ut oratio quæ me liberare debuit, ne incurrerem periculum, ſaltem tueatur in periculo poſitum. Tu autem ipſe quantocius ad nos venire non prætermittas: qui quantum Romana eccleſia te indigeat, & in prudentia tua fiduciam habeat, non ignoras. Data Romæ * XI. Kalendas Maji, indictione undecima. * VIII.

III. AD GUIBERTUM RAVENNATEM archiepiſcopum.

Ejuſdem argumenti: rogat etiam ut legatos mittat.

Gregorius in Romanum pontificem electus Guiberto Ravennati archiepiſcopo ſalutem in Chriſto Jeſu.

NOn dubitamus famam litteras noſtras antevolaſſe, & tam vobis, quam multis aliis, domini noſtri Alexandri papæ obitum nuntiaſſe. Quod autem mihi valde gemendum eſt, mors ejus ſuper me cecidit, & omnia viſcera mea concutiens penitus conturbavit. Nam in morte ejus primo quidem Romanus populus contra morem ita quievit, & in manu noſtra conſilii frena dimiſit, ut evidenter appareret ex Dei miſericordia hoc proveniſſe. Unde accepto conſilio hoc ſtatuimus, ut poſt triduanum jejunium, poſt litanias, & multorum orationem eleemoſynis conditam, divino fulti auxilio, ſtatueremus quod de electione Romani pontificis videretur melius. Sed ſubito, cum prædictus dominus noſter papa in eccleſia Salvatoris ſepulturæ traderetur, ortus eſt magnus tumultus populi, & fremitus, & in me quaſi veſani inſurrexerunt, nil dicendi, nil conſulendi facultatis aut ſpatii relinquentes. Violentis manibus me in locum apoſtolici regiminis, cui longe impar ſum, rapuerunt. Ita recte ego cum propheta poſſum dicere: *Veni, in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me: laboravi clamans, rauca facta ſunt fauces meæ.* Denique *timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* Sed ita multis & magnis curis fatigatus ſatis dictare nequeo, miſerias meas enumerare ſuperſedeo. Rogo itaque vos per omnipotentem Deum, ut caritatem, quam erga Romanam eccleſiam maxime hoc tempore, &, ut meminiſſe debetis, erga me ſpecialiter vos gerere promiſiſtis, quoniam quidem tempus, & rerum qualitas * ejus probari poſtulat; nunc quidem in me, & ſi non meis meritis, ſaltem amore apoſtolorum oſtendere curetis; & ſuffraganeos ac filios eccleſiæ veſtræ ad exorandum Deum pro me invitetis, ac commoneatis, quatenus ad ferendum onus, quod mihi invito & valde reluctanti impoſitum eſt, vires tribuat, manum porrigat, ut ſi me * totum in portu

Iſaiæ 68. Pſal. 54.

* eam

* Forte, ita & Mon

tu ſtare noluit, ſaltem in tam alta pericula proiectum non relinquat: ego enim ſicut in ea caritate non ficta vos diligo, ita eamdem, & quæcumque ejus officia ſunt, a vobis indubitanter exigo. Neque vero dilectioni veſtræ dubitandum eſt, quin Romanam eccleſiam, & eam, cui Deo auctore præſideris, ea concordia, & quantum cum communi utriuſque honore poterimus, omnimoda caritate copulare deſideremus, ut in noſtris etiam animis ſemper conjuncta pax & plena dilectio connectatur. Sicut igitur prudentiam veſtram hortati ſumus, ita etiam per elementa noſtra nos velle ac deſiderare cognoſcite, videlicet ut frequenter inter nos legatis diſcurrentibus collætari, & mutua conſolatione gaudere poſſimus. Data Romæ VI. Kalendas Maii, indictione undecima.

ANNO CHRISTI 1073.

IV. AD BEATRICEM DUCISSAM, UGONEM, &c.

Gregorius in Romanum pontificem electus Beatrici * *ducissæ, Ugoni abbati Cluniacensi, Manassæ archiepiscopo Rhemensi,* * *regi Danorum, abbati Massiliensi.*

* Duci
* Ad. Suenonem

* In ceteris.

INceptis * quidem a paribus, sed circa finem singulis epistolis juxta locorum & personarum competentiam discrepantibus. Data Romæ IV. Kalendas Maii, indictione undecima.

V. AD RAINERIUM FLORENTINUM episcopum

Præcipit ut vidua, quæ consanguineo suo nupserat, donis & dote ab eo relictis privetur.

Gregorius in Romanum pontificem electus Rainerio Florentino episcopo salutem in Christo Jesu.

PRæsentium portitor apicum nostris insinuavit auribus, fratrem suum contra divinum jus, contra sanctorum patrum institutum, consanguineæ suæ thalamis adhæsisse, canonicis Florentinæ eccleſiæ ne hoc facinus perpetraret prohibentibus eum canonice. Quo viam universæ carnis ingressa, relicta illius consanguinea scilicet, cum dono atque dote, quam injuria divinarum necnon & humanarum legum non est veritas susceipere, ad alterius viri torum disponit transmigrare, cum potius scelus quod commisit perpetuo oporteret eam flere. Tua itaque fraternitas consanguinitatis lineam a majoribus natu ejusdem loci diligenter inquirat; quam si inter defunctum virum eamdemque vivam mulierem invenerit, ad aliarum exemplum ita studeat canonica auctoritate omnia dotalia instrumenta cassare, & ad nihilum redigere, ne de illicito quod contraxit conjugio aliquam mercedem recipiat, qua lætari possit in posterum. Sicut nos diligis, ita nostræ jussionis primitias ad effectum perducere tua ne insistat caritas. Data Romæ III. Kalendas Maii, indictione undecima.

VI. AD GIRALDUM OSTIENSEM episcopum, & Raimbaldum subdiaconum.

Legatum mittit, qui eis Alexandri obitum & suam electionem narret. Monet ut monachos & abbatem Cluniacensem ad pacem flectant. Et si comes de * Rocyo, sicut *ipse* jusserat, in Hispaniam non fuerit contra Paganos profectus, vel si alii principes illuc contra eosdem proficisci velint, legatus a se missus illuc tendat. Tandem monet ut quamprimum redeant.

* Roccio

ANNO CHRISTI 1073.

Gregorius in Romanum pontificem electus Giraldo Ostiensi episcopo & Raimbaldo subdiacono, in legatione Galliæ constitutis, salutem in Domino Jesu Christo.

RUmorem obitus domini nostri Alexandri papæ, qui XI. Kalendas Maii spiritum Deo reddidit, & nostræ promotionis famam jam ad vos pervenisse credimus, sed eadem plene vos cognoscere cupientes ad certissima eorum indicia apriorem hoc dilecto filio & cardinali sanctæ Romanæ eccleſiæ presbytero, qui ambobus interfuit, in partes illas mittendum nostrorum * nomine judicavimus. Itaque quid & qualiter de utroque factum sit, per hunc mera veritate percognita, ut orationes ad Deum fieri solicite procuretis caritatem veſtram valde rogamus, quatenus & illius animam ad gaudia æterna beatitudinis transierat, & nobis ad ferendum onus impositum auxilium suæ miserationis impendat. Quia vero hunc confratrem nostrum, videlicet * Ugonem Candidum, in partes illas dirigi tempus & rerum competentia postulasse videbatur, prudentiam veſtram omnino exoratam esse volumus, quatenus * Ugonem Cluniacensem abbatem, & totam congregationem fratrum, ita ad pacem & integram hujus dilectionem flectere & conjungere studeatis, ut auxiliante Deo nihil in eorum mentibus, quod invisum, aut dissensionis nube sit obtectum, relinquatis. Nam & hic, abjecto omni arbitrio suo, ad cor nostrum nostraque consilia rediens, in eodem sensu eademque voluntate ac studio nobis est connexus, & ea quæ antehac sibi imposita sunt, vivente adhuc domino nostro papa, ex aliorum magis, quam * ex ejus culpa prodiisse cognovimus. Præterea hæc meminisse debetis quod in literis domini nostri beatæ memoriæ Alexandri, & nostra quoque legatione orati & commoniti fuistis, quatenus causæ * Evuli comitis de Roceio per vos, & per antedictum abbatem favorem addere insisteretis; & cognita pactione, quam nobiscum de terra Hispaniæ pepigit in scripto, quod sibi dedimus, una cum consilio abbatis, tales illuc personas dirigi procuraretis, qui & errorem Christianorum qui ibi reperiuntur in spiritualibus corrigere saperent, & in exquirendis causis sancti Petri juxta tenorem pactionis, si res bene procederet, sat idonei forent. Quod si ita factum est, nobis multum placet; sin vero adhuc aliqua occasione prætermissum est, aut etiam si eadem conventio ab aliis quibusdam principibus, quos in eandem partem seorsum ab Evulo suis copiis ituros intelleximus, nondum exquisita est, volumus ut cum veſtro consilio, & abbatis, Hugo cardinalis illuc tendat, & æquam ab omnibus ex parte sancti Petri pactionem & debitum exigat. Vos autem ex nostra parte rogate abbatem, ut tales sibi adjungat qui eum comitentur, quorum consilio & adjutorio iter & laborem illum fiducialiter aggredi possit, legatione tamen in eo principaliter posita. Extra Hispaniam vero nullius unquam publici rerum eccleſiasticarum negotii sine veſtro consensu, quamdiu vos in Gallia fueritis, licentiam sibi dedimus faciundi. Cæterum de mora veſtræ reversionis valde miramur, præsertim cum jam redire commoniti, in tanta veſtri reditus expectatione ne morarum quidem nobis causas indicastis. Unde dilectionem veſtram admonemus, ut quantocius possitis ad nos revertamini, quatenus & quid egeritis cognoscamus, & de cætero consul-

* nominatim *Ita & in Mss.*

Orationes pro defunctis.

* Hugonem

* Hugonem

* Deest in Rom. edit.

* Eboli. *Matth. Hvolt.*

ſultius, adjuvante Deo, ſtatuere valeamus. Præ- A
ANNO CHRISTI 1073. ter hæc jam ſæpe memoratum abbatem ſpecialiter commoneri, & plurimum a vobis vice noſtra exorari cupimus, quatenus caritatem, quam hactenus in nos habuit, nunc, cum maxime opus eſt, indefeſſa exhibitione conſerat, & infirmitatem noſtram ſuis & ſanctiſſimæ congregationis ſuæ orationibus tanto ſubnixius adjuvare ſtudeat, quanto imbecillitatem noſtram ſub accumulato pondere gravius premi non ignorat. Data Romæ, ſecundo Kalendas Maji, indictione undecima.

VII. AD PRINCIPES HISPANIÆ.

Significat comiti de Roceio ſub quadam conditione eam Hiſpaniæ partem conceſſiſſe, quam a B
Saracenorum manibus eriperet. Prohibet alios principes in eamdem regionem cum copiis ingredi, partemque ullam illius provinciæ ſibi vindicare, niſi interveniat æqua pactio perſolvendi jura ſancti Petri: qua de re legatos mittit.

Gregorius in Romanum pontificem electus omnibus principibus in terram Hiſpaniæ proficiſci volentibus perpetuam ſalutem in Domino Jeſu Chriſto.

NOn latere vos credimus regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprii juris ſancti Petri fuiſſe, & adhuc (licet diu a Paganis ſit occupatum) lege tamen juſtitiæ non evacuata, nulli mortalium, ſed ſoli apoſtolicæ ſedi ex æquo pertinere. Quod enim auctore Deo ſemel in proprietatis eccleſiarum juſte pervenerit, manente eo, ab uſu quidem, ſed ab earum jure, occaſione tranſeuntis temporis, ſine legitima conceſſione divelli non poterit. Itaque comes * Evulus de Roceio, cujus famam apud vos haud obſcuram eſſe putamus, terram illam ad honorem ſancti Petri ingredi, & Paganorum manibus eripere cupiens, hanc conceſſionem ab apoſtolica ſede obtinuit, ut partem illam, unde Paganos ſuo ſtudio, & adjuncto ſibi aliorum auxilio expellere poſſet, ſub conditione inter nos factæ pactionis, ex parte ſancti Petri poſſideret. Qua in re & labore quicumque veſtrum ſibi adhærere voluerit, omni caritatis affectu commonitus erga honorem ſancti Petri talem animum gerat, ut ab eo & munitionis auxilia in periculis, & merita fidelitatis præmia ſecurus accipiat. Si autem aliqui ex vobis ſeorſum ab illo propriis copiis eamdem terram aliqua in parte intrare paraverint, decet ut militiæ cauſam ex animi devotione, quam juſtiſſimam ſibi proponant, jam nunc omni voto concipientes, & ex corde ſtatuentes, ne capta terra eaſdem, quas illi qui nunc Deum ignorantes eam occupant injurias ſancto Petro faciant. Hoc enim neminem veſtrum ignorare volumus; quoniam niſi æqua pactione perſolvendi juris ſancti Petri in regnum illud animadvertere ſtatueritis, potius vobis apoſtolica auctoritate, ne illuc tendatis interdicendo, contraremur, quam ſancta & univerſalis mater eccleſia, idem a filiis ſuis quod ab boſtibus patiendo, non jam proprietatis ſuæ, ſed filiorum detrimento ſaucietur. Quamobrem hunc dilectum filium Hugonem & cardinalem ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyterum in partes illas miſimus, in cujus ore noſtra ad vos conſilia & decreta plenius apertiuſque diſſerenda ac vice noſtra diſponenda poſuimus. Data Romæ 11. Kalendas Maji, indictione undecima.

Evolus

VIII. AD UBERTUM CLERICUM & Albertum diaconum.

ANNO CHRISTI 1073.

Eorum legationem confirmat, hortatur ut orationes pro ſe fieri curent.

Gregorius in Romanum pontificem electus, Uberto clerico, & Alberto diacono ſalutem in Domino Jeſu Chriſto.

OBitum domini Alexandri papæ jam vos accepiſſe fama nuntiante credimus, & quam repente, quantaque populi violentia nos indigni & reluctantes ad regimen apoſtolicæ ſedis * lati ſumus. Sed ne eventus harum rerum animos veſtros in exequenda vobis commiſſa legatione, aut timore, ſeu aliqua ambiguitate pertentet, ad confortandam caritatem veſtram hæc ſuccincte vobis ſcripſimus; ut omnem in Deo, & ſancto Petro, cujus filii & legati eſtis, fiduciam habentes, ad quæ miſſi eſtis, viriliter & incunctanter apoſtolica vice ſulciamini, & in facienda juſtitia fideli conſtantia accingamini. Nam & ea quæ a beatæ memoriæ domino noſtro Alexandro papa injuncta vobis & commiſſa ſunt, nos quoque præſenti auctoritate injungimus, firmiterque committimus: in quibus peragendis ut monita damus, ita auxiliante Deo, apoſtolicæ conſolationis & auctoritatis ſubſidia vigilanti ſtudio conferre procurabimus. De cætero vos monemus, ut in locis venerabilibus, ad quos veneritis, orationes pro me fieri obſecretis, quatenus omnipotens Deus, qui deſiderium meum nunquam ad honorem iſtum anhelaſſe cognoſcit, ad ferendum tam grave onus, quod impoſitum ejus timore recuſare non audebam, omnes facultates infirmitati meæ pius impendat. Data Romæ 11. Kalendas Maji indictione undecima.

* Forte elatus. H. & Mabill. ſublati.

IX. AD GOTTIFREDUM DUCEM.

Gratum ſibi fuiſſe ſcribit, quod literis fuerit de ſua promotione gratulatus: ſignificat tamen ſe dolere de ſuſcepto pontificali munere. Oſtendit ſuam erga eum & regem dilectionem. Optat ut rex ſuis monitis acquieſcat.

*Gregorius in Romanum pontificem electus * Gottifredo duci ſalutem in Domino Jeſu Chriſto.*

* Gotefredo

GRata nobis eſt lætitia tua, quam in literis tuis de promotione noſtra te habere cognovimus, non ut hoc aliqua cauſæ noſtræ delectatio faciat, ſed quod eam ex fonte ſinceræ dilectionis, & fideli mente derivatam eſſe non dubitamus. Noſtra enim promotio, quæ tibi cæteriſque fidelibus piam de nobis exiſtimationem & gaudium adminiſtrat, nobis interni doloris amaritudinem & nimiæ anxietatis anguſtias generat. Videmus enim quanta nos ſolicitudo circumſtat, ſentimus quantum nos ſuſcepti oneris ſarcina gravat, ſub quibus dum noſtræ infirmitatis conſcientia tremit, anima noſtra in Chriſto potius diſſolutionis requiem, quam in tantis periculis vitam cupit. In tantum quippe commiſſi nobis officii conſideratio nos ſolicitat, ut niſi in orationibus ſpiritualium hominum poſt Deum aliqua fiducia nos ſuſtentaret, curarum immenſitate mens noſtra ſuccumberet. Peccatis enim facientibus ita pene totus mundus in maligno eſt poſitus, ut omnes, & præcipue qui in eccleſia prælati ſunt, eam potius conturbare, quam fideli devotione defen-

dere vel celebrare contendant: & dum suis aut lucris, aut præsentis gloriæ desideriis inhiant, omnibus quæ ad religionem & justitiam Dei pertinent se velut hostes opponant. Quo magis nobis dolendum est, qui susceptum universalis ecclesiæ regimen in tanta difficultate nec rite administrare, nec tuto deserere possumus. Cæterum quia fidei & constantiæ virtutem, donante Deo, in te sitam esse cognovimus, omnem quam oportet in carissimo sancti Petri filio in te fiduciam habentes, animum tum de nostra idem constantissima dilectione, & erga honores tuos promptissima voluntate, nequaquam dubitare volumus. De rege vero mentem nostram & desiderium pleno cognoscere potes; quod, quantum in Domino sapimus, neminem de ejus præsenti ac futura gloria aut solicitiorem, aut copiosiori desiderio nobis præferri credimus. Est enim hæc voluntas nostra, ut primum oblata nobis opportunitate per nuntios nostros super his quæ ad profectum ecclesiæ, & honorem regiæ dignitatis suæ pertinere arbitramur, paterna cum dilectione & admonitione conveniamus. Quod si nos audierit, non aliter de ejus quam * nostra salute gaudebimus; quam tunc certissime sibi lucrari poterit, si in tenenda justitia nostris monitis & consiliis acquieverit: sin vero (quod non optamus) nobis odium pro dilectione, omnipotenti autem Deo pro tanto honore sibi collato, dissimulando justitiam ejus, contemptum non ex æquo reddiderit, interminatio qua dicitur; *Maledictus homo, qui prohibet gladium suum a sanguine*, super nos, Deo providente, non veniet. Neque enim liberum nobis est alicuius personali gratia legem Dei postponere, aut a tramite rectitudinis pro humano favore recedere, dicente apostolo: *Si hominibus placere vellem, servus Dei non essem*. Data Romæ II. Nonas Maji, indictione undecima.

ANNO CHRISTI 1073.

Addit de

Jer. 48. Noxius gratia Dei postponenda.

Galat. 1.

X. AD GUIDONEM IMOLENSEM

Ut discordiam inter archiepiscopum Ravennatem & cives Imolenses sedet. Et si archiepiscopus eos a sedis apostolicæ ditione conatur avellere, illius auxilium præbeat, donec legati illuc proficiscantur.

Gregorius in Romanum pontificem electus Guidoni Imolensi comiti salutem in Domino Jesu Christo.

QUidam Imolenses nostram adeuntes præsentiam conquerendo nobis indicavere, quod confrater noster * Guibertus archiepiscopus Ravennas eos contra honorem sancti Petri, cui fidelitatem juravere, suæ omnino ditioni subigere, & ad juranda sibi fidelitatis attentet sacramenta compellere. Verum hæc relatio tanto plus admirationis nobis attulit, quanto perspecta dudum in eo & fraterna caritas, & sacerdotalis honestas suspicionis in illum indubitantius causas excludit. Neque enim credere possumus, tam prudentem virum, ita aut naturæ aut dignitatis suæ loci obtitum esse, ut qui apostolorum principi fidelitatem ipse jurejurando promisit, neglecto periculo suo, alios qui idem fecerunt ad perjurium nitatur per exquisita ab eis sacramenta pertrahere. Attamen quæcumque inter eos discordia aut molestiarum sit occasio, quatenus eam sedare, & si possis, salvo honore sancti Petri, firma studeas pace decidere, prudentiam tuam valde rogamus. Quod si aliquibus malis impedientibus non possis efficere, & prædictus confrater noster archiepiscopus, aut alia quælibet persona, præfatos cives a fidelitate sedis apostolicæ non desinat obstinata * coercitatione divellere, sicut apostolorum tibi præsidia apud omnipotentem Deum prodesse, & in hac vita non sine meritorum compendio præsidere * cupis, ita eis præsenti auctoritate rogatus, & commonitus, defensionis auxilia, donec legati nostri in partes illas veniant, conferre non desinas. Nos equidem cum omnibus, si fieri potest, pacem habere ardenter cupimus; sed eorum conatibus qui ad injuriam sancti Petri, cujus servi sumus, extendere se moliuntur, divina adjuti tam virtute quam justitia obviare non refugimus. Data Romæ Kalendis Junii, indictione undecima.

ANNO CHRISTI 1073.

* Forte, coercitione H. cupias, ita fis.

XI. AD BEATRICEM, ET MATHILDEM EJUS FILIAM.

Hortatur ut simoniacos evitent. De Lucensi electo aliqua commemorat. Significat se mittere viros religiosos ad regem, qui illum ad Romanam ecclesiam revocent.

Gregorius in Romanum pontificem electus Beatrici, & ejus filiæ Mathildi, salutem in Domino Jesu Christo.

SIcut beatus Gregorius in quodam super moralia Job explanationum libro ait: Statutum est apud supernum judicem quanta unumquemque aut ferire adversitas, aut debeat mulcere prosperitas. Quicumque ergo sive spe hujus, vel timore illius in tempore tentationis ab his quæ recta sunt deviat, nec sperare in Deum, nec divinarum eloquiis scripturarum se adhærere manifestat. Hoc autem ideo dicimus, quia nobis & vobis, immo omnibus qui consortes adoptionis filiorum Dei esse cupimus, non tam occasiones nostræ existimationis, videlicet quid hinc prosit, inde noceat, intuendæ sunt, quam illud, ut justitiam Dei, quæ nunquam beatitudinis fine carebit, fortiter teneamus, solicite pensandum & enitendum est. Scriptum est enim: *Sed & si quid patimini propter justitiam, beati*. Nostis, dilectissimæ sancti Petri filiæ, quam aperte Longobardorum episcopi simoniacam hæresim defendere ac fovere præsumpserint, cum * Gotefredum simoniacum, & ob hoc excommunicatum, atque damnatum sub specie benedictionis maledixerint, & sub umbra ordinationis execratum hæreticum constituerint. Nempe qui hactenus lapides & sagittas latenter contra Dominum jactarunt jam nunc ad subvertendam religionem, & immobilem sanctæ Romanæ ecclesiæ petram concutiendam, non dubie præcursores antichristi, & antiqui hostis satellites in apertum furoris sui campum prosiluerunt. Quibus favere vel consentire, quam periculosum sit prudentia vestra inde perpendat; quod beatus Gregorius dicit: Talibus non summopere obviare, quid aliud est, nisi fidem negare? Unde nobilitatem vestram hortamur, & valde rogamus, ut communionem illorum evitare & declinare studeat, ne factionibus eorum consilia vel adjumenta præbeat. Neque vero in hac re aliqua hujus mundi ratio, quæ quidem vana, transitoria, & deceptiva est, vos commoveat; quoniam per misericordiam Dei, & sancti Petri, nulla vos inimicorum versutia lædere poterit, si mentem vestram libera conscientia defendit. De electo vero Lucensi, non aliud vobis respondendum esse * pervidimus, nisi quod in eo tantam divinarum literarum scientiam, & rationem discretionis esse percepimus, ut quæ sinistra, quæ sit dextra ipse non ignoret. Quod si ad dexteram inclinaverit, valde gaudemus; sin vero, quod absit ad sinistram, utique dolemus:

1. Petr. 3.

Gotifredum

* providimus

sed

ſed nullius perſonæ gratia vel favore impietati aſ- A
ANNO CHRISTI 1073. ſenſum dabimus. De rege autem, ut antea in literis noſtris accepiſtis, hæc eſt voluntas noſtra, ut ad eum religioſos viros mittamus, quorum admonitionibus, inſpirante Deo, ad amorem ſanctæ Romanæ & ſuæ matris eccleſiæ eum revocare, & ad condignam formam ſuſcipiendi imperii inſtruere & expolire valeamus. Quod ſi nos, quod non optamus, audire contemſerit, nos tamen matre noſtra Romana eccleſia, quæ nos nutrivit, & ſæpe filiorum ſuorum ſanguine alios generavit filios, cuſtodiente Deo, exorbitare nec poſſumus nec debemus. Et certe tutius nobis eſt defendendo veritatem pro ſui ipſius ſalute adu[illegible]que ſanguinem noſtrum ſibi reſiſtere, quam ad explendam ejus voluntatem iniquitati conſentiendo ſecum, quod ab- B
ſit, ad interitum ruere. Valete in Chriſto cariſſimæ, & in noſtra dilectione corde tenus vos annexas eſſe ſcitote. Data Romæ VIII. Kalend. * Ju-
Julii nii, indictione undecima.

XII. AD GULIELMUM PAPIENSEM EPISCOPUM.

Oſtendit ſe ipſius literis commotum bene jam de ipſo exiſtimare; ut autem hanc opinionem de eo retineat, rogat ipſum ut eccleſiæ Romanæ ſtatuta amplectens contra ejus adverſarios pro viribus certet.

Gregorius in Romanum pontificem electus Gulielmo Papienſi epiſcopo ſalutem in Domino Jeſu Chriſto.

NOnnulla nobis frater de te antehac relata ſunt, e quibus animus noſter non immerito turbari debuit: ſed in epiſtola tua longe alia cognoſcentes, ad meliorem opinionem, & ſpem gaudii adducti ſumus, cupientes & illa vana fuiſſe, & fidem eorum quæ tua dilectio ſpondet operum atteſtatione percipere; cujus rei præſens & copioſa tibi materia ſuppetit, ut & his quæ de te credenda ſuades, excluſa dubitatione credamus, & fraternitatem tuam integra caritate nobis, immo ſanctæ Romanæ eccleſiæ adſtrictam ſore comprobemus. Fiat itaque nobis indicium, quam una D
nimi ſtudio eadem nobiſcum velle, & pro libertate ſanctæ eccleſiæ quibus nos repugnamus toto niſu reſiſtere paratus exiſtas, videlicet ut his qui catholicam fidem, & eccleſiaſticæ religionis regulas conantur evertere, non ſolum non conſentire, ſed ea parte, quæ pro reverentia hujus ſanctæ ſedis, & debito perceptæ fidei cultu illis contraire decrevit, tuis conſiliis adjutorioque ſuffulta, pro tuis viribus te quoque repugnare oſtendas. Hoc autem indubitanter ſcias, quoniam ſi Mediolanenſes catholici hujus rei teſtimonium de te nobis dederint, ut Goteſredo excommunicato, & epiſcopis qui ejus cauſa excommunicationis periculum incurrerunt, prudenter obſiſtas, & eis qui in certamine Chriſti ſunt fideliter ſolatium præbeas, non E
aurum, vel argentum, nec aliqua fraternitatis tuæ ſtudia, vel obſequia noſtræ & totius Romanæ eccleſiæ caritati æque te, & cauſas tuas commendare, & indiſſolubili cura anneſtere poterunt. In hoc etenim cariſſimum filium, & fidum cooperatorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ potiſſimum te demonſtrare poteris, ſi ejus ſtatuta, quæ a tramite ſanctorum patrum non recedit amplexando fortiter & defendendo tenueris. Quod quidem præ cæteris Longobardorum epiſcopis te oportet agere, ut ſicut apoſtolica & univerſalis eccleſia eum, cui Deo volente præeſſe dignoſceris, ſpeciali gratia & ho-

nore ſublimavit; ita, cum neceſſitas & cauſarum labor exegerit, in ſolicitudine matris deſudet acrius, quæ caritatis eius & vicariæ diſpenſationis munus ſortitur opimius. Data Romæ III. * Kal. Julii, ANNO CHRISTI 1073. IV.
indictione undecima.

XIII. AD MANASSEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Ne monachos ſancti Remigii amplius vexet, & juxta canonicas ſanctiones abbatem ibi, ordinandum curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Manaſſæ Rhemenſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SI loci tui, frater dilectiſſime, dignitatem, ſi officii debitum, ſi ſtatuta divinarum legum, denique ſi eam quam ſanctæ Romanæ eccleſiæ reverentiam & caritatem debes diligenter attenderes, profecto rogatus & monita ſedis apoſtolicæ non totiens apud te fruſtrari permitteres; præſertim cum gravis culpa ſit in hujuſmodi cauſa te monitoris vocem provocaſſe vel expectaſſe. Nam quæcumque nobis e commiſſa diſpenſatione imminent, negligere quidem ea abſque periculo noſtro non poſſumus, nedum voluntate & ſtudio confundere ſecurum nobis eſſe putemus: ſiquidem meminiſſe debet prudentia tua, quotiens dominus & C
prædeceſſor noſter Alexander venerandæ memoriæ papa, & nos, tum per epiſtolas tum per legatos, de cauſa monaſterii ſancti Remigii rogando & hortando te admonuimus, ne totiens apoſtolicam audientiam fratrum clamoribus fatigari urgente neceſſitate ſineres, ne quemquam ibi, cui ſacri canones contradicerent, in loco abbatis apponeres, neu bona monaſterii ab uſu congregationis auferendo locum inopia diſſipares; ſed talem ibi ad regimen abbatiæ conſtitui regulariter procurares, cui nec in exterioribus providendi diligentia, nec in ſpirituali moderamine religio deeſſet, aut ſcientia. Quod cum ſæpe te facturum nobis per legatos tuos promiſeris, necdum tamen adimplere curaſti; ſed ut multorum relatione comperimus, de
die in diem venerabilem locum illum aſperius ac miſerabilius tractas, &, ut detrimenta bonorum temporalium taceamus, religioſas quoque fratrum perſonas crudeli ac contumelioſa captione coarctas. Unde tui ipſius ſolertia perpendere poteſt, quam gravis ſuper hac re & te culpa & nos moleſtia mordeat, quod apoſtolicæ ſedis auctoritas loco & fratribus quibus te jamdudum paternis affectibus conſuluiſſe decuerat, necdum erga te ad pacem & quietem prodeſſe potuit. Tentare tamen adhuc, frater dilectiſſime, & miti oratione animum flectere deſtinavimus, rogantes & ex parte beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, per eos apoſtolica auctoritate commonentes, ut ſi deinceps ſpem in noſtra fraternitate & dilectione E
habere volueris, ſine omni dilatione talem perſonam regulariter ibi ordinari in abbatem procures, quæ huic ordini & officio decenter congruat, & cætera, quæ neceſſitas & juſtitia monaſterii exigit, ita corrigas & emendes, ne fratrum ulterius ad nos referri querela debeat. Quod ſi denuo in hac re reverentiam ſancti Petri & noſtram qualemcumque caritatem amicitiamque contempſeris, procul dubio (quod nos inviti dicimus) apoſtolicam in te ſeveritatem & iracundiam provocabis. Data Romæ ſecundo Kalendas Julii, indictione undecima.

ANNO CHRISTI 1073.

XIV. AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

Ut literas ſuas ad Rhemenſem archiepiſcopum mittat, & monachos ſancti Remigii tueatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Hugoni abbati Cluniacenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOverit ſanctitas veſtra hos fratres monachos monaſterii ſancti Remigii eſſe, quibus apud ſedem apoſtolicam pro conſolatione loci ſui, quem Manaſſes Rhemenſis archiepiſcopus quotidie diſſipat ac confundit, diu commorantibus, non aliud ad præſens ſolatium opportunius exhibere potuimus, quam quod eidem archiepiſcopo literas pariter cum iſtis vobis redditas deſtinavimus; in quibus eum, ſi cum beato Petro & Romana eccleſia pacem ſperare velit, præfatum monaſterium regulariter ordinare, & in quiete dimittere multum rogamus, & admonemus; Quas ut veſtra caritas illi per idoneum nuntium mittat, & nobis quidquid pro his fecerit oblata primum opportunitate reſcribat, noſtra ſolicitudo deſiderat. Interim vero fratres iſtos deſolationem loci ſui videre fugientes benignitati veſtræ commendamus, quatenus de his tamdiu curam habere non pigeat, donec miſerante Deo, optatam quietem in monaſterio ſuo eos habere poſſe contingat. Data Romæ II. Kalend. Julii, indictione undecima.

XV. AD OMNES CHRISTI FIDELES IN LOMBARDIA.

Nuntiat ſe excommunicaſſe Gotefredum, quod ſimoniace Mediolanenſem eccleſiam occupaverit. Monet ne ei conſentiant, & fidem defendant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus fidelibus ſancti Petri apoſtolorum principis in Longobardia commorantibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SCire vos volo, fratres cariſſimi, quod & multi veſtrum ſciunt, quia in eo loco poſiti ſumus, ut, velimus nolimus, omnibus gentibus, maxime Chriſtianis, veritatem & juſtitiam annuntiare compellamur, dicente Domino: *Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum*, & alibi: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, animam ejus de manu tua requiram*. Item propheta, *Maledictus*, inquit, *homo qui prohibet gladium ſuum a ſanguine*, ideſt verbum prædicationis a carnalium increpatione. Hæc ideo prælibavimus, quia inter multa mala, quæ ubique terrarum fiunt, quidam miniſtri ſatanæ, & præcones antichriſti, in Longobardia etiam fidem Chriſtianam conantur confundere, & iram Dei ſuper ſe provocare. Nam, ſicut ſcitis, * Gotefredus, vivente Guidone dicto archiepiſcopo Mediolanenſi, eamdem eccleſiam, quæ quondam meritis glorioſiſſimæ virginis & genitricis Dei Mariæ, nec non auctoritate clariſſimi doctoris beati Ambroſii inter cæteras Longobardorum eccleſias, * ſpirituali religione, libertate, ac * ſpeciali gloria enituit, nunc quaſi vilem ancillam præſumpſit emere, ſponſam videlicet Chriſti diabolo proſtituere: & a catholica fide tentans eam ſeparare, niſus eſt ſimoniacæ hæreſis ſcelere * maculare. Quod audiens

Iſaiæ 58. Ezech. 33. Jer. 48.

* Gotifredus & ſe infra.

* ſpirituali

* eam maculare

A ſancta Romana eccleſia mater veſtra, & totius Chriſtianitatis, ſicut ſcitis, magiſtra, congregato e diverſis partibus concilio multorum ſacerdotum, & diverſorum ordinum conſenſu, fulta beati Petri apoſtolorum principis auctoritate, Gotefredum fidei catholicæ & legis Chriſtianæ inimicum, excommunicavit, & anathematis jaculo una cum omnibus ſibi conſentientibus transfixit. Quam excommunicationem, quod etiam inimici ſanctas eccleſiæ negare non poſſunt, ſancti patres antiquitus cenſuere, & per omnes ſanctas eccleſias totius orbis catholici viri confirmant, & confirmaverunt. Quapropter ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritus ſancti, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum principum, monemus vos, B fratres cariſſimi, hortamur atque præcipimus, ut nullo modo prædicto hæretico Gotefredo conſentiatis, quia illi in hoc ſcelere conſentire, fidem Chriſti eſt negare; ſed quibus modis poteſtis, ut filii Dei, ei reſiſtite, & fidem Chriſtianam, qua ſalvandi eſtis, omnino defendite. Neque vos deterreat humana ſuperbia; quia qui nobiſcum eſt, major eſt omnibus, & ſemper invictus, qui vult nos pro ſe laborare, & coronam legitime certantibus, ut apoſtolus promittit, tribuere. Solet enim dux noſter paucis & humilibus multos & ſuperbos conterere, & per ea quæ ſunt infirma mundi fortia quæque confundere. Sic enim placuit, & ſic decet cæleſtem & invictum principem. Omnipotens Deus, qui beato Petro oves ſuas ſpecialiter commiſit, & C totius eccleſiæ regimen dedit, vos in ejus dilectione corroboret, ut ejus auctoritate a peccatis veſtris abſoluti, mereamini inimicos Domini comprimere, & corda illorum ad pœnitentiam provocare. Data Romæ Kalendis Julii, indictione undecima.

XVI. AD GIRALDUM OSTIENSEM epiſcopum.

Miratur quod ſe certiorem non reddiderit de ſynodo ab eo coacta. Significat ſe epiſcopis, qui querebantur ab eo ſe depoſitos, reſpondere modo non poſſe, & Auſcienſem epiſcopum ſe abſolviſſe. Jubet Bigorritanum epiſcopum reſtitui, D niſi alia crimina in eo inveniat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Giraldo Oſtienſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MIramur, & multum anxii ſumus, quod cum ſemper conſuetum & valde neceſſarium fuerit, ut ſi quando legatus apoſtolicæ ſedis concilium in remotis partibus celebraverit, ſine mora ad annuntiandum omnia quæ egiſſet reverteretur, tua fraternitas poſt peractam ſynodum, in qua tot negotia emerſerunt, nec ad nos rediit, nec eum qui ſecum eſt, conſiderata vel neceſſitate vel noſtra expectatione, remiſit. Nobis equidem gra- E tum eſt, quod pro negotiis ſanctæ Romanæ eccleſiæ in Hiſpanias profectus es; ſed debuerat prudentia tua aut illum quem tibi adjunximus, aut aliquem, qui ſynodo interfuiſſet, quique omnia vice tua nobis rationabiliter expedire ſciret, ad nos direxiſſe: quatenus perſpectis omnibus confirmanda confirmaremus, & ſi qua mutanda viderentur, diſcreta ratione mutaremus. Licet enim in litteris tuis aliqua nobis geſtorum tuorum nonotitia apparuerit; vobis tamen abſentibus, nec aliquo qui pro vobis certa eorum quæ viderit & audierit aſſertione reſpondeat impræſentiarum poſito, pleriſque, quorum alii injuſte ſe excommuni-

nicatos, alii inordinate depoſitos, alii immerito interdictos conqueruntur, reſpondere cauſarum ambiguitate, & reſpectu conſervandæ auctoritatis tuæ prohibemur. Non reſpondere vero, aut in longum tempus reſponſa differre, deſpectioni, & propter prolongata pericula eorum, qui ſub cenſura ſunt, crudelitati imputatur. De cauſa etiam Guilielmi di- ANNO CHRISTI 1073. cti * Auſcienſis archiepiſcopi, pro cujus reſtitutione nos poſtulaſti, tu ipſe anxietatem quamdam nobis intuliſti; cum ob id ſolum, quia excommunicato ſcienter communicaverat, cum eſſo depoſitum, & tamen in examinatione ejus de objectis criminibus, præter quod domnum & prædeceſſorem noſtrum Alexandrum papam ſibi ignoviſſe fatebatur, non eum canonice ſe expurgaſſe, ſed expurgare voluiſſe dixiſti. Non parvam itaque ſuper his omnibus ſolicitudinem habentes, tam tibi ipſi quam ceteris magna reſpondendi difficultate tenemur. Hoc tamen conſulentibus fratribus & coepiſcopis noſtris & cardinalibus inter cetera nos decreviſſe cognoſcas, ut præfatus Auſcienſis archiepiſcopus propter hoc ſolum quia communicavit excommunicato, dejectioni ſubjacere non debeat: ita tamen ſi de objectis aliis criminibus ita ſe expurgare poterit, ut neque in te ſuſpicio prodeat, nec infamia ad nos uſuque pertingat: alioquin hujus rei diffinitionem ad noſtram audientiam ſerva. Pontium vero Bigorritanum dictum epiſcopum, quem ſimili de cauſa depoſitum eſſe nuntiaſti, ad nos veniſſe cognoſcas: ſed honori tuo providentes nulla querelis ejus reſponſa dedimus. Attamen quia in paribus cauſis paria jura tenenda ſunt, fraternitati tuæ ſcribimus, ut habita ſuper his quæ ſibi intenduntur diligenti inveſtigatione, * ſi aliud, quod canonica ſeveritate puniendum ſit, in eo crimen legali approbatione inveniri poſſit, officii ſui reſtitutione non careat. De cetero, quid nobis de curſu fatigationi tuæ credendum ſit, fraternitatem tuam, reperta primum opportunitate, per ſcripta nobis indicare non pigeat. Data Romæ Kalendis Junii, indictione undecima.

* Auſcienſis, Mutin. Auxitenſis.

* Lege ſupr. H.

XVII. AD WRATISLAUM BOHEMIÆ DUCEM.

Agit gratias, quod legatos apoſtolicæ ſedis benigne tractaverint: eoſdem autem a * Bragenſi epiſcopo non liberaliter exceptos queritur. Rogat ut eum hortentur obedire legatorum monitis.

* Pragenſi.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wratislao Bohemiæ duci, & fratribus ſuis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia ob devotionem & reverentiam beatorum apoſtolorum Petri & Pauli principum apoſtolorum legatos noſtros, Bernardum videlicet & Gregorium, qui ab hac ſancta & apoſtolica ſede ad veſtras partes directi ſunt, debitæ caritatis benevolentia ſuſcepiſtis, & eos, ut veſtram condecet magnificentiam, honorifice tractaſtis, omnipotenti Deo gratias agimus; proinde noſtræ benevolentiæ vobis vicem rependimus. Quoniam enim anteceſſorum noſtrorum negligentia, & patrum veſtrorum, qui hoc fieri poſtulaſſe debuiſſent, agente incuria, apoſtolicæ ſedis nuntii ad partes veſtras raro miſſi ſunt, quidam veſtrorum hoc quaſi novum aliquid exiſtimantes, & non conſiderantes ſententiam domini dicentis; *Qui vos recipit, me recipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*: legatos noſtros contemptui habent, ac proinde dum nullam debitam reverentiam exhibent, non eos, ſed ipſam veritatis ſententiam ſpernunt. Unde, ut clarius luce patet, ejus veritatis ſententiam ad cumulum ſuæ damnationis adeo in ſe exaggerant, ut merito, dum puſillos domini ſcandalizant, molas aſinarias collo ſuſpenſas * in profundum perditionis, niſi reſipuerint, prolabantur. Quorum frater veſter * Latmir Bragenſis epiſcopus, olim noſter amicus, his noſtris legatis, Bernardo ſcilicet & Gregorio, ut auditu percepimus, intantum rebellis extitit, ut (ſi ita eſt ſicut dicitur) Simonis magi veſtigia contra apoſtolorum principem imitatus fuiſſe videatur. Quapropter rogamus nobilitatis veſtræ prudentiam, ut & noſtros legatos, & fratrem noſtrum prædictum epiſcopum conveniatis, & per vos, & ex parte noſtra, fratrem veſtrum attentius hortemini, quatenus legatorum noſtrorum monitis debitæ obedientiæ aurem inclinet, & quidquid juſtitiæ ſibi ſuggeſſerint, vel ex eis præjudicio pergravari, nulla ſibi ab hac eccleſia audientia denegabitur. Si vero neutrum horum facere acquieverit, & ſententiam legatorum noſtrorum de ſuſpenſione ſui officii in eum promulgatam firmabimus, (& durius contra eum, ſcilicet uſque ad * interniciem, gladium apoſtolicæ indignationis evaginabimus) ſicque fiet ut ipſe & per eum plures alii experiantur, quantum hujus ſedis auctoritas valeat. Inviti enim ad hoc compellimur, neque audemus hujuſmodi præſumptionem diſſimulare. Per Ezechielem namque prophetam ſub interminatione noſtri interitus impellimur dicentem: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ipſe iniquus in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram*: & alibi: *Væ illi qui prohibet * ab eo qui peccat, & incorrigibilis perſeverat*. Vos autem & de his & de aliis ſic agite, ut temporalis vobis gloria a domino augeatur, & perpetuæ beatitudinis abundantiam per interventum apoſtolorum perenniter poſſidere poſſitis. Data Laurenti VIII. Idus Julii, indictione undecima.

* Deeſt Thalyaice

* Jaromir. Mutin. Jarmirus Progenſis.

Deeſt in ſola deſunt in Mutin.

* ſ. interneciones.

Ezech. 33.

Jer. 48.

* Forte deeſt gladium; id eſt locus ignotus. H

XVIII. AD MICHAELEM IMPERATOREM.

Dominicum patriarcham Venetiæ ad eum mitit, ut cum eo agat de iis quæ a monachis ejus nomine acceperat. Cupidum ſe ineundæ pacis cum eccleſia Conſtantinopolitana oſtendit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Michaeli Conſtantinopolitano imperatori ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUidam a veſtris partibus monachi venientes, quorum unus Thomas, alter, Nicolaus vocabatur, excellentiæ veſtræ ad nos literas detulere plenas veſtræ dilectionis dulcedine, & ea quam ſanctæ Romanæ eccleſiæ exhibetis non parva devotione. Quæ nimirum inter cetera nobilitatis veſtræ verba, eiſdem monachis, de his quæ ipſi viva voce in aure nobis ex parte veſtra relaturi eſſent, poſſe nos credere aſſerebant. Verum quia perſonæ non videbantur tales, quibus ſecure fidem poſſemus accommodare, vel per eos de tantis rebus magnitudini veſtræ reſpondere, confratrem noſtrum Dominicum patriarcham Venetiæ, Romanæ eccleſiæ & imperio veſtro fideliſſimum, ad vos ſtuduimus mittere, quatenus ipſe diligenter a vobis intelligat, ſi in ea, quam litteris veſtris & viva eorumdem monachorum ſecretius voce ſignificaſtis, adhuc voluntate perſeveratis, & legationis veſtræ verba ad effectum perducere velitis. Nos autem non ſolum inter Romanam, cui licet indigni deſervimus, eccleſiam, & filiam ejus Conſtan-

Luc. 10.

ſtantinopolitanam, antiquam (Deo ordinante) concordiam cupimus innovare; ſed, ſi fieri poteſt, quod ex nobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habere. Scitis enim quia quantum anteceſſorum noſtrorum & veſtrorum ſanctæ apoſtolicæ ſedi & imperio patrocinium concordia profuit, tantum deinceps nocuit, quod utrimque eorumdem caritas friguit. Cetera igitur, quæ præſentium latori feciſtis referenda commiſimus, indubitanter poteſtis credere, & per eum quidquid majeſtati veſtræ placuerit ſecure nobis ſignificare. Data Albani ſeptimo Idus Julii, indictione undecima.

ANNO CHRISTI 1073.

(a) *Conſtitutio quæ facta eſt inter dominum Gregorium papam ſeptimum, & Landulphum Beneventanum principem.*

HÆC eſt conſtitutio quam dominus papa Gregorius conſtituit cum Landulpho Beneventano principe, & quam princeps Beneventanus ipſe ſibi firmiter promiſit in ſacro Beneventano palatio, anno primo pontificatus ejus, duodecima die, intrante menſe Auguſto, indictione undecima. Si ab hora ipſa inantea princeps ipſe fuiſſet infidelis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & papæ ipſi, ſuiſque ſucceſſoribus; vel ſi in aliquo quæſiſſet minuere publicam rem Beneventanam, aut aliquam inde abſque nutu papæ, vel abſque * ordinatis ejus, alicui feciſſet inveſtitionem; vel ſi aliquo invenerit ſtudio, cum aliquo homine intus aut foris civitatem Beneventanam, faciendi aut recipiendi ſacramentum, aut inveniendi diviſiones; vel ſi per ſe aut per ſuppoſitam perſonam intus aut foris civitatem Beneventanam ſtuduerit qualicumque modo aut ingenio reddendi malum meritum, aut faciendi damnitatem cuilibet de fuetibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ de ea quæ ad fidelitatem ejuſdem ſanctæ Romanæ eccleſiæ egere uſque modo ſi ſe juxta domni apoſtolici judicium non potuerit inde defendere, cum fuerit appellatus, a præſenti amittat ſuum honorem.

* ordinatione.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Joannes Portuenſis epiſcopus recognoſcens ſubſcripſi.

Ego Joannes Tuſculanenſis epiſcopus interfui & ſubſcripſi.

Ego Ubertus Prænellinus epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Deſiderius presbyter Romanæ eccleſiæ interfui & ſubſcripſi.

Ego Petrus cardinalis presbyter & bibliothecarius ſacræ Romanæ eccleſiæ interfui & ſubſcripſi.

XIX. AD RODULFUM SUEVIÆ DUCEM.

Oſtendit ſe Henricum regem odio non habere, quin potius cupere pacem cum eo inire quod ut commode fiat, expedire ait ut colloquantur una non ſolum ipſe & imperator, ſed etiam imperatoris uxor, & alii. Rogat ut ſe fidelem præbeat Romanæ eccleſiæ, & ad limina apoſtolorum veniat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rodulfo Sueviæ duci ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LIcet ex præteritis nobilitatis tuæ ſtudiis clareat te ſanctæ Romanæ eccleſiæ honorem diligere, nunc tamen quanto ipſius amore ferveas, A quantumque ceteros illarum partium principes ejuſdem amoris magnitudine tranſcendas, litteræ tuæ nobis tranſmiſſæ evidenter exponunt. Quæ nimirum inter cetera dulcedinis ſuæ verba illud nobis videbantur conſulere, per quod & ſtatus imperii gloriosius regitur, & ſanctæ eccleſiæ vigor ſolidatur, videlicet ut ſacerdotium & imperium in unitate concordiæ conjungantur. Unde nobilitatem tuam ſcire volumus, quia non ſolum circa regem Henricum, cui debitores exiſtimus ex eo quod ipſum in regem elegimus, & pater ejus laudandæ memoriæ Henricus imperator inter omnes Italicos in curia ſua ſpeciali honore me tractavit, quodque etiam ipſe moriens Romanæ eccleſiæ per venerandæ memoriæ papam Victorem prædictum filium B ſuum commendavit, aliquam malevolentiam non obſervamus, ſed neque aliquem Chriſtianum hominem (Deo auxiliante) odio habere volumus: cum apoſtolus dicat: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, & ſi dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, caritatem non habens, nihil ſum.* Sed quia concordiam iſtam, ſcilicet ſacerdotii & imperii, nihil fictum, nihil niſi purum decet habere, videtur nobis omnino utile, ut prius tecum, atque cum Agnete imperatrice, & cum comitiſſa Beatrice, & Rainaldo epiſcopo Cumano, & cum aliis Deum timentibus. Nam ſicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur, ita his duabus dignitatibus in pura religione concordantibus corpus eccleſiæ ſpirituali lumine regi & C illuminari probatur. De his diligentius tractemus; quatenus voluntate noſtra bene a vobis cognita, ſi rationes noſtras juſtas eſſe probaveritis, nobiſcum conſentiatis: ſi vero rationi noſtræ aliquid addendum vel ſubtrahendum eſſe vobis viſum fuerit, conſiliis veſtris (Deo conſentiente) parati erimus aſſenſum præbere. Quapropter prudentiam tuam rogamus, ut in fidelitate beati Petri ſemper ſtudeas creſcere, & ad limina ejus, tum cauſa orationis, tum conſideratione tantæ utilitatis, non pigeat te venire, quatenus ſic te in utroque beato Petro debitorem facias ut & in præſenti & in futura vita ejus ſemper interceſſione gaudeas. Data Capuæ Kalendis Septembris, indictione * incipiente duodecima. D

ANNO CHRISTI 1073.

Rege. cum imperio & cum eccleſia agitur, cum imperium & ſacerdotium concordia unitantur.

1. Cor. 13.

* Norandæ hæc verba

XX. AD RAINALDUM EPISCOPUM Cumanum.

Dolet de ejus calamitatibus. Paratum ſe oſtendit ulciſci injurias ipſi illatas. Hortatur ut Romam veniat, tum cauſa conciliandæ pacis cum Henrico, tum pro cauſa epiſcoporum Longobardorum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rainaldo Cumano epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

E LEctis fraternitatis tuæ literis de adverſitate & contumelia quæ tibi accidit, imo nobis & univerſæ etiam ſanctæ eccleſiæ, ex corde tibi compaſſi, ex corde mœrore gravi ſumus contriſtati: quo quippe etiam audito de nobis incognito, audito de ſacerdote, & Ægyptio * graviter compateremur, officii etiam noſtri debito condolere cogeremur; quid igitur de cetero, quam ſanctæ Romanæ eccleſiæ primum membrorum collocavimus? quem ut fratrem dilectiſſimum dilectionis ſinu fovemus? Viſcera compaſſionis, viſcera doloris eximii.

* Hoc eſt etiam H.

(a) *Hæc conſtitutio deeſt in cod. Mutinenſi, ſed ejus loco ponit juramentum Fidelitatis quod eſt infra poſt epiſtolam XXI.*

mii, ut pro fratre cariſſimo aperimus. Cujus inau- A
ANNO CHRISTI 1073. diti delicti vindictam, cujus novi ſceleris pœnam, pro tui & multorum commodo conſilio tuo facere diſpoſuimus; quia quanto melius tui ſanguinis
* forte effuſionis. * effuſionis, totiuſque ſui generis & patriæ mores & vitam noviſti, tanto melius, quibus modis, & quibus facilius cogatur, conferre nobis poteris, ut tui & aliorum epiſcoporum infideles hujus exemplo deprimantur, & boni ſpe non dilatandi tanti & inauditi ſceleris lætentur. Quod facere, & nobis ſcribere, & an publice vel privatim nos hæc velis exercere, uſque ad feſtivitatem ſancti Martini ex obedientia volumus nullius cauſa dimittas. Ad ea quæ de rege ſcripſiſti, hæc accipias. Tu & dilectiſſima noſtra filia Agnes imperatrix, quod
* Forte, diligenter. H. eum & ſanctam Romanam eccleſiam * diligere, B & nos pro ea, ex longo experti ſumus, ſic noviſtis quid de rege ſentiam, quid etiam de eo velim, ut nemo eo mundanis ditiorem vobis melius. Noviſtis quidem, ſi bene fortaſſe meminiſtis, quam ſæpe utrique dixerim, quod eo religione ſanctiorem nullum vellem vivere; hoc ſcilicet mente mecum verſans: Si cujuſpiam privati & alicujus principis boni mores, vita & religio honori ſanctæ eccleſiæ exiſtant, & augmento, quid illius, qui laicorum eſt caput, qui rex eſt, & Romæ (Deo annuente) futurus imperator? Quod religionem ſcilicet diligere; bonos ex dilectione vera ſibi adhibere, res eccleſiarum augmentare & defendere, teſtis mihi Deus ſit, eum vellem, & ex toto corde optarem, quod eum velle aliter non C ſperamus, niſi malorum conſilia, ut venenum vitet, bonorum vero, ut nobis jam relatum eſt, acquieſcat. De concordia vero inter Romanam eccleſiam & eum, ſi cum utilitate utriuſque vis aliquid diſponere, ſic ſumas. Ducem Rodulfum Longobardiam intraturum in hoc primo Septembre audivimus. Efficias ergo principaliter pro apoſtolorum ſervitio, ſecundario vero hæc etiam pro re, ut ſibi & tibi Romam non ſit pigrum venire, ubi de concordia Romanæ eccleſiæ & regis vobiſcum & cum imperatrice filia noſtra dilectiſſima, cum Beatrice etiam, quæ multum & ſæpe in hoc eodem laboravit, ſic loqui, ſic inde tractare poterimus, ut ex parte noſtra omnia ſecura, & quieta regi nuntietis, ut ſi Italiam cum D intrare contigerit, univerſa in pace invenerit. De vero cum epiſcopis Longobardiæ loqui mihi non diſplicet: ne aliter vero cum illis communices, penitus provideat prudentia tua. Quid vero de illis diſponendum ſit, cum ad nos veneris determinabimus. Data * Capuæ, Kalendis Septembris, indictione duodecima.

Roman

XXI. AD ANSELMUM LUCENSEM epiſcopum

Ne inveſtituram epiſcopatus ab Henrico accipiat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Anſelmo Dei gratia Lucenſium electo epiſcopo, ſalutem & E Apoſtolicam benedictionem.

QUoniam fraternitatem tuam ſinceræ caritatis affectu & dileximus, & diligimus, quæ tibi ſeu verbis, ſeu literis ſuper utilitate vitæ tuæ ſcribere curamus, ut indubitanter accipias, oportet. Ut enim viam, qua ambules poſtulaſti tibi notificaremus, nullam novam, nullam expeditiorem ſcimus ea quam nuper dilectioni tuæ ſignificavimus, videlicet, te ab inveſtitura epiſcopatus de manu regis abſtinere, donec de communione cum excommunicatis Deo ſatisfaciens, rebus bene com-

poſitis, nobiſcum pacem poſſit habere. Perſonæ namque tales hoc opus conantur perficere, cariſſima utique filia noſtra Agnes imperatrix, nec non & glorioſa Beatrix cum filia Mathildi: Rodulfus quoque dux Sueviæ, quorum religioſa conſilia ſpernere nec poſſumus, nec debemus. Quod ſi prælati operis perfectio dilationem quacumque occaſione contigerit habere, interea noſtræ familiaritati poteris adhærere Romæ, & nobiſcum ſeu adverſitatem ſeu proſperitatem communicare. Data Capuæ Kalendis Septembris indictione incipiente duodecima.

ANNO CHRISTI 1073.

JUSJURANDUM FIDELITATIS quod fecit Richardus princeps domino ſuo Gregorio papæ.

EGo Richardus Dei gratia & ſancti Petri Capuæ princeps, ab hac hora, & deinceps, ero fidelis ſanctæ Romanæ eccleſiæ & apoſtolicæ ſedi, & tibi domino meo Gregorio * univerſali papæ. In conſilio, vel in facto, unde vitam aut membrum perdas, vel captus ſis mala captione, non ero. Conſilium quod mihi credideris, & contradixeris, ne illud manifeſtem, non manifeſtabo ad tuum damnum, me ſciente. Sanctæ Romanæ eccleſiæ tibique adjutor ero ad tenendum & acquirendum & defendendum regalia ſancti Petri, ejuſque poſſeſſiones recta fide contra omnes homines, & adjuvabo te, ut ſecure & honorifice teneas papatum Romanum, terram ſancti Petri, & principatus nec invadere nec acquirere quæram, nec etiam deprædari præſumam abſque tua tuorumque ſucceſſorum, qui ad honorem ſancti Petri intraverint, certa licentia, præter illam quam tu mihi concedes, vel tui concelturi ſunt ſucceſſores. Penſionem de terra ſancti Petri, quam ego teneo, & tenebo, ſicut ſtatutum eſt, recta fide ſudebo, ut illam ſancta Romana annualiter habeat eccleſia. Omnes quoque eccleſias quæ in mea perſiſtunt dominatione, cum earum poſſeſſionibus, dimittam in tuam poteſtatem, & defenſor illarum ero ad fidelitatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ. Regi vero Henrico, * cum a te admonitus fuero, vel a tuis ſucceſſoribus, jurabo fidelitatem; ſalva tamen fidelitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ. Et ſi tu vel tui ſucceſſores ante me ex hac vita migraverint, ſecundum quod monitus fuero a melioribus cardinalibus & clericis Romanis & laicis, adjuvabo ut papa eligatur & ordinetur ad honorem ſancti Petri. Hæc omnia ſuprafcripta obſervabo ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & tibi recta fide: & hanc fidelitatem obſervabo tuis ſucceſſoribus ad honorem ſancti Petri ordinatis, ſi mihi firmare voluerint inveſtituram a te mihi conceſſam. Actum Capuæ * VIII. Kalendis Octobris, indictione duodecima.

* vel a te

* XVIII

XXII. AD CARTHAGINENSES.

Hortatur ut deponant inimicitias, patienterque ferant impetus Saracenorum. Queritur quod Cyriacum epiſcopum injuriis affecerint. Hortatur ad pœnitentiam: ſin minus, minatur illis excommunicationem.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & plebi Chriſtianæ Carthaginenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

GRatia vobis & pax a Deo Patre & Jeſu Chriſto Filio ejus unico, qui gratuita miſericordia vos conformare in novum hominem in ſui ſanguinis effuſione dignatus eſt; cui ſemel mori &

ri & reſurgere placuit, ut vos carne mortificaret, ſpiritu vero vivificaret, & Deo offerret: cujus rei teſtimonium petra ſuper quam ipſe ædificavit dedit dicens: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem ſpiritu.* De quo etiam hoc modo apoſtolus: *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*, & idem alibi: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem.* Eſtote ergo imitatores ejus qui ſputis pro vobis ſordidari ſeipſum in cruce poſitum, & cum latronibus computatum pro peccatis veſtris, voluit vulnerari, & ſic finem ſibi ſecundum carnem ponere, ut vos a peccatis ablueret, debitores non carnis, ſpiritu facta carnis mortificante. Spiritualis quippe vitæ ſi fueritis, hereditate quidem regni ejus in æternum, ut filii fruemini coheredes Chriſti, heredes vero Dei. Unde omnem malitiam, ſimulationes & invidias, omneſque detractiones vos deponere fraterna caritate commoti admonemus. Si quid autem contingit inter arma Saracenorum poſitis, nolite paveſcere: ſed quotieſcumque pro Chriſto patimini, gaudete, ut in adventum gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Fidelis quidem eſt ſermo: *Qui ſuſcitavit Jeſum, ſuſcitabit & vos*, ſi mortui carne fueritis, vita vero Dei ſpiritu in adventu ſuo ad gloriæ ſuæ communicationem. Ineffabilis igitur gloriæ ſpe tam fideli promiſſore confidentes, membra veſtra mortificate; mortem Chriſti cordibus veſtris infigite, adverſa omnia pro eo pati gaudete, credentes cum apoſtolo non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rixas ergo & contentiones ut venenum vitate. Humilitatis diſcipuli, humilitatem induite: Chriſti vicem ſuper vos habenti ex debito obedite: conſilia, admonitiones ejus vero amore amplecti ſtudiate: ſcientes * cum ſibi, * Chriſto, qui pro vobis paſſus eſt, obedieritis, ejus vero prædicatione, judicia etiam cum ſuſceperitis, Chriſtum per omnia ſuſcipietis; ait enim: *Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Aliter vero ſi feceritis, in Chriſtum peccatis, Chriſtum ſpernitis, Chriſti diſcipuli eſſe deſinitis. Apoſtolo reſiſtitis, qui ait: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit.* Cum ergo mundanis poteſtatibus obedire prædicavit apoſtolus, quanto magis ſpiritualibus, & vicem Chriſti inter Chriſtianos habentibus? Hæc, filii cariſſimi, gemens cogito, flens ſcribo, dolore cordis intimo vobis mitto. Pervenit quippe ad aures noſtras, quoſdam veſtrum irreligioſe in legem Chriſti * contra Chriſtum, Cyriacum venerabilem fratrem noſtrum, veſtrum vero archiepiſcopum & magiſtrum, imo vero veſtri Chriſtum apud Saracenos ſic accuſaſſe, jurgiis detractionis ſic laceraſſe, ut inter latrones numeraretur, verberibus nudus cæderetur. O exemplum iniquum, veſtri & univerſæ ſanctæ eccleſiæ decoris exemplum! Chriſtus iterum capitur, falſis accuſatoribus, & teſtibus condemnatur, inter latrones numeratus verberibus cæditur. A quibus? Qui ejus dicuntur credere incarnationem, ejus etiam venerari paſſionem, ceteraque ejus ſancta myſteria fide amplecti. Eſtne ſuper his tacendum? an clamandum, & flectu corrigendum? Scriptum eſt: *Clama, ne ceſſes.* Alibi etiam præceptum: *Niſi annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram.* Neceſſitate igitur clamabo, neceſſitate oportet corrigere, ne ſanguis veſter de manu mea quæratur, ne pro peccatis veſtris ante judicem tremendum, ante judicem juſtum & immutabilem affligar. Viſcera igitur pietatis paternæ, viſcera miſericordiæ ſuper vos hoc modo aperio; partim quia ad nos vobis facilis non eſt tranſitus propter maris longa & periculoſa ſpatia, partim quia cauſam iræ, cauſam doloris & malitiæ ignoro ſic diſcutere, ut ſuper his ſententiam determinem. Admoneo, & auctoritate apoſtolica præcipio, ut ſicut temeritatis veſtræ fœtores, & inauditæ nequitiæ mentem noſtram triſtitia nimia * turbaverint, ſic correctionis & pœnitentiæ odores redolentes mentem noſtram in lætitiam mutent. Quod ſi non feceritis, gladio anathematis vos juſte percutiam, & ſancti Petri & noſtram ſuper vos maledictionem emittam. Data Capuæ * XVII. Kal. Octobris, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1073. * Petr. 3. Galat. 2. Philipp. 2. Rom. 8. Rom. 8. * cum ipſo Chriſto * Forte, ut Chriſto. H Luc. 10. Rom. 13. * contra 1 Reg. 18 Act. 18. 20. ANNO CHRISTI 1073. * turbaverunt. * deſ XVII

XXIII. AD CYRIACUM CARTHAGINENSEM Epiſcopum.

Laudat ejus conſtantiam, quia patienter tulerit Saracenorum & malorum Chriſtianorum injurias, & præſente * Henrico rege ordinationes habere noluerit. Hortatur ad perſeverantiam. Deum precatur pro eccleſia Africana.

* nomen hoc non legitur in epiſtolæ contextu.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Cyriaco Carthaginenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VIſis fraternitatis tuæ litteris, fraternam de moleſtiis quæ a Paganis & a pſeudo-filiis eccleſiæ tuæ tibi inferuntur compaſſionem exhibuimus. Perpendimus enim te duplici certamine fatigari, ut & occultas Chriſtianorum inſidias patiaris, & a Saracenorum perſecutione non ſolum ſuſtentationem humanæ fragilitatis, ſed ipſam fidem perdere miſerabiliter exigaris. Quid enim aliud eſt ſacerdotem ad imperium mundanæ poteſtatis legem Dei infringere, niſi fidem ejus negare? Sed Deo gratias, quia in medio nationis pravæ & perverſæ fidei tuæ conſtantia velut luminare quoddam omnibus adeo innotuit, ut præſentatus regiæ audientiæ potius definires diverſis cruciatibus affici, quam præcipiente rege contra ſanctos canones ordinationes celebrari. Sed quanto pretioſior eſſet, religionis tuæ confeſſio, ſi poſt verba, quæ tunc ſuſtinuiſti, errorem eorum oſtendendo, & Chriſtianam religionem prædicando, uſque ad effuſionem ipſius animæ perveniſſes? Quod licet hujuſmodi ſtudiis fraternitatem tuam non ambigimus incumbere, & pro teſtimonio veritatis, quantum ad te, uſque ad detruncationem membrorum deveniſſe: tamen devotionem tuam ſemper ad meliora provocante exhortamur, ut paratum te ſemper exhibeas, ſicut de domini conſolatione lætificari, ita & de tribulatione non frangi. Multæ enim ſunt tribulationes juſtorum; ſed de his omnibus liberabit eos dominus. His artibus, quibus crevit, ſancta reparatur eccleſia: hanc nobis hereditatem ſancti patres reliquere, ſcilicet ut per multas tribulationes intremus in regnum Dei. Gravis quidem pugna, ſed infinita ſunt præmia. Non enim ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nos igitur licet corpore abſentes, ſpiritu tamen præſentes, mutuis litterarum conſolationibus, quotiens permittit opportunitas inſiſtamus, & omnipotentem Deum aſſidue deprecemur, ut ipſe eccleſiam Africanam ex longo jam tempore laborantem, & diverſarum perturbationum fluctibus conquaſſatam, tandem dignetur reſpicere, dicentes cum Pſalmiſta: *Exurge, quare obdormis domine? exurge, & ne repellas nos uſque in finem. Quare faciem tuam avertis, obliviſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?*

Pſal. 7. Rom. 8. Pſal. 43.

noſtræ? Nos autem ſicut debemus, fraternam tibi per omnia compaſſionem exhibentes, litteras noſtras clero & populo tuo dirigimus, ut ipſi, omni ſimultate depoſita, te ut ſpiritalem patrem venerentur. Data Capuæ XVII. Kalendas Octobris, indictione * undecima.

ANNO CHRISTI 1073.

* *Legendum, ut in aliis, duodecima. Sic & in Actis.*

XXIV. AD BRUNONEM EPISCOPUM Veronenſem.

Commendat ejus erga ſe obſervantiam. Pollicetur pallium, ſi Romam venerit, affirmatque regem a ſe amari.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Brunoni epiſcopo Veronenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LItteris fraternitatis tuæ ſuſceptis evidenter intelleximus, quod diſpenſationem nobis creditam deſideres nos irreprehenſibiliter gerere, & religionis tuæ preces nobis & ſanctæ eccleſiæ neceſſarias devotiſſimas Deo fundere. Qua in re aperte monſtratur, quanto amore quantaque devotione beatum Petrum venereris, cum nos licet indignos obſequiis eccleſiæ ſuæ deputatos tanta dilectione ampleƈti videaris. Qui enim dominos diligit, in ſervos quamvis minimos dominorum dilectionem transfundit. Quam utique dilectionem tuam in his quæ a nobis expoſtulaſti, id eſt in pallii conceſſione, ad præſens non recompenſamus: quia anteceſſorum noſtrorum decrevit auƈtoritas, niſi præſenti perſonæ pallium non eſſe concedendum. Unde ſi fraternitas tua apoſtolicæ ſedis privilegiis munita ad nos venerit, honorem, quem Romani pontifices anteceſſoribus tuis contulerunt, nos tibi, Deo concedente, conferemus. Sicut enim Romanæ eccleſiæ debitum honorem impendi a cæteris eccleſiis, ita unicuique eccleſiæ proprium jus ſervare deſideramus. Volumus etiam tunc præſentiæ tuæ oſtendere, quam ſincero amore regiam ſalutem diligamus, quantumque circa ejus honorem & ſecundum Deum & ſæculum invigilare deſideremus, ſi ipſe Deo debitum honorem ſtuduerit exequi, & formam ſanƈtorum regum, omiſſis puerilibus ſtudiis, ſapienter imitari. Data Capuæ VIII. Kalendas Octobris, indictione duodecima.

XXV. AD HERLEMBALDUM Mediolanenſem.

Narrat Normannos in diſſidio perſeverare, & Henricum regem litteras humilitatis plenas ad ſe miſiſſe, nec ſe de Beatricis & ejus filiæ Mathildis religione dubitare. Hortatur ut pro defenſione Romanæ eccleſiæ viriliter agat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Herlembaldo Mediolanenſi militi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SCiat prudentia tua, nos, Deo miſerante, ſanos, & lætos, non ſine magna ſanƈtæ eccleſiæ utilitate, apud Capuam demorari. Nam Normanni, qui ad confuſionem & periculum reipublicæ & ſanƈtæ eccleſiæ unum fieri meditabantur, in perturbatione in qua eos invenimus nimis obſtinate perſeverant, nullo modo, niſi nobis volentibus, pacem habituri. Si enim diſcretio noſtra ſanƈtæ eccleſiæ utile approbaret, ipſi jam ſe nobis humiliter ſubdidiſſent, & quam ſolent reverentiam exhibuiſſent. Henricum regem præterea

A ſclas dulcedinis & obedientiæ plena nobis verba miſiſſe, & talia qualia neque ipſum neque anteceſſores ſuos recordamur Romanis pontificibus miſiſſe. Quidam etiam ex majoribus fidelibus ſuis promittunt nobis ex parte ſui, eum de cauſa Mediolanenſis eccleſiæ ſine dubio conſilio noſtro obedire. Quantum enim ſibi poſſumus proſeſſe, vel quantum, ſi adjutorii manum ſubtraxerimus, obeſſe, cito te ſperamus apertiſſime cogniturum, & Deum nobiſcum eſſe, & nobiſcum operari evidenter probaturum. De comitiſſa Beatrice nullo modo dubitandum putamus, quin ipſa & filia ejus Mathildis in his quæ ad Deum pertinent, & religionem ſanƈtæ eccleſiæ, fideliter ſe erga nos habeant. Tu igitur omnino confidens in do-
B mino, & in matre tua Romana eccleſia viriliter age, confortatus in domino, & in potentia virtutis ejus, ſciens quia quanto vobis gravis nunc inſurgit perturbationis tempeſtas, tanto poſtmodum, Deo favente, jucundius arrideбit ſerenitas. Data Capuæ v. Kalendas Octobris, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1073

XXVI. AD EUNDEM.

Monet ut cum excommunicatis reſipiſcentibus, de quibus ſe conſuluerat, benigne agat, quos ſe etiam benigne excepturum pollicetur. Hortatur ne metuat epiſcopos ejus inimico faventes, cum ſperet regem ejus cauſam judicandam ſibi permiſſurum. Suadet ut Vercellenſem epiſcopum ſibi conciliet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Herlembaldo Mediolanenſi militi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PIæ ſolicitudinis ſtudio in defenſione fidei, ſanƈtæque religionis reſtauratione, donec occupatus fueris, legationes tuas libenter audire, teque abunde adjuvare voluntas non deerit. Multiplici quidem veſtræ interrogationi, aliis quia intenti ſumus, paucis reſpondere diſponimus. De ſociis itaque illius excommunicati, qui acceptа pecunia ad vos redire volunt, & de filiis quo-
D rum patres, aut de patribus, quorum filii ipſi Gotefredo anathematizato adhæſerunt, atque de iis quorum correƈtionem ſine pecuniæ attributione heri non vultis, erga quos tamen clementes vos exiſtere monemus, ſi qui veſtræ parti ſe applicare cupiunt, veſtræ prudentiæ, ut melius ſcitis & valetis, diſponendum committimus. Quicumque autem horum erroris ſui pœnitentes ad nos venire remedii gratia deſideraverint, benigne ſe ſuſcipi, atque miſericorditer traƈtari noverint. Epiſcopos præterea inimicum veſtrum fulcire conantes non multum metuatis, cum Beatrix ac filia ejus Mathildis Romanæ eccleſiæ penitus faventes cum quibuſdam maximis regni proceribus laborent noſtrum atque regis animum firmiter unire;
E contra quem quidem nullum odium neque debemus neque volumus exercere, niſi, quod abſit, divinæ religioni contrarius voluerit exiſtere. Quem nimirum regem omnino confidunt voluntati noſtræ de cæteris eccleſiaſticis negotiis ſatisfacere, præſertim de veſtro, noſtræ diſpoſitioni aſſenſum præbere. Denique Gregorium Vercellenſem epiſcopum, quoquo honeſto pacto vales, ſtude tibi concilliare: quia noſtræ ex toto juſſioni ſe profiteтur parere. De cætero itaque confortamini in domino, & in potentia virtutis ejus, precibus & eleemoſynis, ac puritate cordis indulgentiam illius poſtulantes, quatenus votum noſtrum ac veſtrum

ad perfectum perducere dignetur. Data Capuæ VII. Idus Octobris, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1073.

XXVII. AD ALBERTUM AQUENSEM episcopum.

Eius religionem, de qua aliquando dubitarat, commendat. Hortatur ut simoniacos oppugnet, & Herlembaldo auxilium præstet.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Alberto Aquensis ecclesiæ electo salutem & apostolicam benedictionem.

PErvenit ad aures nostras, unde aliquantulum de religione tua dubitavimus, te videlicet illius excommunicati Gotefredi interfuisse ordinationi. Sed postquam testimonia eorum, qui nobis verum ioient dicere, fideli relatione te excusare studuerunt, non solum de te non dubitavimus, sed ad reparandum Mediolanensis ecclesiæ matris tuæ honorem zelum habere intelleximus. Qua in re quantum nobis religio tua placeat, evidentibus indiciis probabitur, in quibuscumque Romanæ ecclesiæ necessitas tua auxilium requisierit: in nullo siquidem magis debitorem sanctum Petrum, & nos religio tua potest sibi facere, quam si contra Simonem magum, qui ecclesiam beati Ambrosii venalitatis suæ miserabiliter veneno infecit, scuto fidei & galea salutis armatus nobiscum prælieris; & si Herlembaldo strenuissimo Christi militi in his quæ ad Dei cultum & ad religionem sanctæ ecclesiæ pertinent manum auxilii præstiteris. Est etiam quod prudentiam tuam sanctæ apostolicæ sedi nihilo minus commendabit, si ipsam simoniacam hæresim sicut laudabiliter jam cœpit, usquequo de ecclesia sua omnino evacuetur, studuerit oppugnare, & clericos a turpis vitæ conversatione ad castitatis munditiam revocare. Hæc itaque sanctitatis studia mens tua quotidie meditetur, quatenus quod fama de te nobis innotuit, ex operum tuorum consideratione probetur. Age igitur, ut universalis mater sancta Romana ecclesia in te quasi fidelissimo filio consoletur, & victis catenis mortis liberationis manus porrigatur. Data Capuæ III. Idus Octobris, indictione duodecima.

XXVIII. AD GUILIELMUM PAPIENSEM episcopum.

Ejusdem fere argumenti.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Guilielmo Papiensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

LItteræ fraternitatis tuæ nobis directæ, simulque Herlembaldi Mediolanensis verba, evidenter ostendunt, quod tu sanctæ apostolicæ sedi eam quam debes velis obedientiam fideliter exhibere, & exhortationibus nostris, sicut decet, parere. Sed nihil est quod fraternitati tuæ promptius injungamus, nihil est quod te libentius facere velimus, quam si ecclesiam tuam, gregemque tibi commissum, ab hæresibus, quæ in sancta ecclesia pestifere videntur pullulare, pastorali vigilantia studeas defendere, & contra eas omni annisu totisque viribus sanctorum patrum munitus auctoritate ardentius insurgere, & clericos a turpis vitæ conversatione ad castitatem revocare. Hoc etiam scias te admodum matri tuæ Romanæ ecclesiæ commendabilem facere, si præfato Herlembaldo, in his quæ nostro consilio, immo omnipotentis Dei timore operatur, manum adjutorii præstiteris, & inimicis sanctæ ecclesiæ bellum Dei secum præliaturus viriliter restiteris. Studeat igitur prudentia tua sic se in hujus solicitudinis partem fortem vigilantemque impendere, ut quod ex promissionibus tuis accepimus, certis rerum executionibus implendum fore probemus. Data Capuæ tertio Idus Octobris, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1073.

XXIX. AD JUDICES SARDINIÆ.

Hortatur ut erga Romanam ecclesiam eorum parentum exempla secuti obedientes se exhibeant: dicitque se multa legato quem ad eum mittit, referenda imposuisse.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Mariano Turrensi, Orzocco Arborensi, item Orzocco Calaritano, Constantino Callaurensi, judicibus Sardiniæ, salutem & apostolicam benedictionem.

VObis & omnibus qui Christum venerantur cognitum est, quod Romana ecclesia universalis mater sit omnium Christianorum. Quæ licet ex consideratione officii sui omnium gentium saluti debeat invigilare, specialem tamen & quodammodo privatam vobis solicitudinem oportet eam impendere. Verum quia negligentia antecessorum nostrorum caritas illa friguit, quæ antiquis temporibus inter Romanam ecclesiam & gentem vestram fuit, in tantum a nobis plusquam gentes, quæ sunt in fine mundi, vos extraneos fecistis, quod Christiana religio inter vos ad maximum detrimentum devenit. Unde multum vobis necessarium est, ut de salute animarum vestrarum studiosius admodum cogitetis, & matrem vestram Romanam ecclesiam sicut legitimi filii recognoscatis, & eam devotionem, quam antiqui parentes vestri sibi impenderunt, vos quoque impendatis. Nostri autem desiderii est, non solum de liberatione animarum vestrarum curam velle habere; sed etiam de salvatione patriæ vestræ solicitius invigilare. Unde si verba nostra sicut decet devoti receperitis, gloriam & honorem in præsenti & in futura vita obtinebitis. Quod si aliter, quod non speramus, feceritis, & ad sonum exhortationis nostræ aurem debitæ obedientiæ non inclinaveritis, non nostræ incuriæ, sed vestræ poteritis culpæ imputare, si quid periculi patriæ vestræ contigerit. Cætera, quæ de salute & de honore vestro tractamus, magna ex parte confratri nostro Constantino Turrensi archiepiscopo vobis referenda commisimus. At cum legatus noster, quem, Deo annuente, de proximo mittere disponimus, ad vos venerit, voluntatem nostram pleniter vobis significabit, & quod gloriæ & honori vestro condecet apertius enarrabit. Data Capuæ undecimo Idus Octobris, indictione duodecima.

EPI

ANNO CHRISTI 1073.

EPISTOLA

HENRICI REGIS ROMANORUM AD GREGORIUM PAPAM.

Supplex veniam petit, quod invaserit res ecclesiasticas, & ecclesias vendiderit. Rogat ut sua auctoritate simoniacam labem ab omnibus ecclesiis, & in primis a Mediolanensi, extirpet; seque pontifici in omnibus obsecuturum promittit.

* desiderantissimo *Vigilantissimo & * desiderantissimo domno papæ Gregorio apostolica dignitate cælitus insignito Henricus Romanorum Dei gratia rex debiti famulatus fidelissimam exhibitionem.*

CUm enim regnum & sacerdotium, ut in Christo rite administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeant, oportet nimirum, domine mi & pater amantissime, quatenus ab invicem minime dissentiant, verum potius Christi glutino conjunctissima indissolubiliter sibi cohæreant. Namque sic & non aliter conservatur in vinculo perfectæ caritatis & pacis, & Christianæ concordia unitatis, & ecclesiasticæ simul statu religionis. Sed nos qui, Deo annuente, regni aliquandiu jam sortimur ministerium, sacerdotio (ut oportuit) per omnia jus & honorem non exhibuimus legitimum: quippe nobis a Deo datæ potestatis vindicem non sine causa gladium portavimus, nec tamen in reos, ut justum fuit, judiciaria illum semper censura evaginavimus. Nunc autem divina miseratione aliquantulum compuncti, & in nos reversi, peccata nostra priores vestræ indulgentissimæ paternitati nos accusando confitemur; sperantes de vobis in domino ut apostolica vestra auctoritate absoluti justificari mereamur. Heu criminosi nos & infelices, partim pueritiæ blandientis instinctione, partim potestativæ nostræ & imperiosæ potentiæ libertate, partim etiam eorum, quorum * seductiles nimium secuti sumus consilia, seductoria deceptione peccavimus in cœlum & coram vobis, & jam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Non solum enim nos res ecclesiasticas invasimus, verum quoque indignis quibuslibet, & simoniaco felle amaricatis, & non per ostium, sed aliunde ingredientibus ecclesias ipsas vendidimus, & non eas ut oportuit defendimus. At nunc, quia soli absque vestra auctoritate ecclesias corrigere non possumus, super his, ut etiam de nostris omnibus, vestrum una & consilium & auxilium obnixe quærimus: vestrum studiosissime præceptum servatur in omnibus. Et nunc in primis pro ecclesia Mediolanensi, quæ nostra culpa est in errore, rogamus ut vestra apostolica districtione canonice corrigatur; & exinde ad cæteras corrigendas auctoritatis vestræ sententia progrediatur. Nos ergo vobis in omnibus, Deo volente, non defuerimus, rogantes idipsum supplicitur paternitatem vestram, ut nobis alacris adsit clementer in omnibus. Litteras nostras non post longum tempus cum fidelissimis nostris habebitis; ex quibus nostra, quæ adhuc dicenda restant, Deo dante, plenius audietis.

* seductilia

XXX. AD GEBOARDUM SALZBURGENSEM episcopum.

ANNO CHRISTI 1073.

Arguit quod clericos non coerceat. Monet ut id faciat. Commendat præsentium latorem.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei * Geboardo Salzburgensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.*

* Geboardo

SI ea * in vobis quam speramus erga nos dilectio flagraret, prius ad nos vestræ, quam nostræ ad vos litteræ pervenissent; cum id faciendi facilius vobis per plures ad limina apostolorum venientes, quam nobis per unum hinc ad vos proficiscentem occasio conferatur. Nos tamen insalutati officium salutationis impendimus, & quam solemus dilectionis tibi sinceritatem exhibemus. Sed est unde fraternitatem tuam negligentiæ merito argui putamus, quod de castitate clericorum, sicut nobis relatum est, præceptis Romanæ synodi, cui interfuisti, inobediens usque hodie videaris. Qua in re tantum de te admirantes, gravius dolemus, quantum te illud solicitius operari sperabamus. Unde apostolica te auctoritate admonemus, ut clericos tuos, qui turpiter conversantur, pastorali rigore coerceas; & quod Romana ecclesia testante, de immunditia clericorum statuit, neque gratiam, neque odium alicujus constanti auctoritate in ecclesia tua prædicando exerceas. Cæterum pro amore sancti Petri, cujus limina præsentium portitor requisivit, studeat religio tua viscera pietatis sibi aperire, inquantum cum salute animæ suæ videtur tibi posse fragilitati suæ condescendere; quatenus non pœniteat eum tanti itineris laborem subjisse, sed gaudeat, quod diu quæsivit, scilicet sancti Petri misericordiam, per nos juxta votum suum impetrasse. Data Capuæ decimoseptimo Kalendas Decembris, indictione duodecima.

* quam in vobis speravimus

XXXI. AD LANFRANCUM CANTUARIORUM ARCHIEPISCOPUM.

Reprehendit quod patiatur * Arsastum quemdam contra Alexandri prædecessoris sui decreta sancti Eadmundi abbatiæ molestiam exhibere. Monet ut sua vice ejus audaciam compescat: & regem Gulielmum exoret, ne ullum ei favorem præstet. Quod si Arsastus parere contempserit, jubet eum & Balduinum abbatem sedem apostolicam ad eorum contentiones dirimendas petere.

* Arsastum & *infra*

Gregorius episcopus servus servorum Dei Lanfranco Cantuariorum in Anglia archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

NOn minima admiratione dignum ducimus, qua fronte, qua mente Arsastum dictum episcopum sanctæ Romanæ ecclesiæ illudere, & beatæ memoriæ Alexandrum prædecessorem nostrum ejusque decreta contemnere patiamini: prudentiam quippe vestram ad plenum cognoscere nos non latet, sanctam Romanam ecclesiam jure a Deo dato sibi defendere ecclesiarum, sacerdotum, episcoporum consecrationes, & a nullo sumpta licentia debere & posse celebrare, suis & præbuisse, & Deo annuente præbituram firmissimam etiam in hoc defensionem, qui Romam venerint, & sedis apostolicæ consilium & auxilium petierint; quibus Arsastus dictus episcopus, qua nova

audacia reſiſtat, niſi fortaſſe iſta, *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo*, ignoramus. Ad quod etiam dilectio veſtra ſuper his ſileat, non minimum miramur. Verum quia de vobis non aliter, quam de nobis dubitamus, fraternitatem veſtram confidenter deprecamur, ut vice noſtra Arſaſti nugas penitus compeſcatis, & ſancti Eadmundi abbatiam contra decretum deceſſoris noſtri inquietari nullo modo ſinatis. Qui etiam cum eumdem abbatem in presbyterum ordinari Romæ feciſſet, ipſum, & monaſterium cui præeſt, in tutelam apoſtolicæ ſedis accepit. Unde injurias illius in nos redundare, diſſimulare non poſſumus; præſertim cum ad deſpectum auctoritatis noſtræ eas ſibi irrogari perpendimus. Unde etiam Guilielmum regem cariſſimum, & unicum filium ſanctæ Romanæ eccleſiæ, precibus noſtris & vice noſtra ſuper his admonere dilectionem veſtram precamur, & ne Arſaſti vanis perſuaſionibus acquieſcat, in quo ſua ſingularis prudentia ſupra modum diminuta & contracta ab omnibus cognoſcitur. Si vero Arſaſto contra hæc recalcitrare abhinc tentaverit, apoſtolica auctoritate ſibi & Balduino abbati præcipite, ut ſedem apoſtolicam ad hæc determinanda petant. Data ad ſanctum Germanum, duodecimo Kalendas Decembris, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1073. *Iſaiæ 14.*

XXXII. AD ARALDUM CARNOTENSIUM epiſcopum.

Ut ad curam ſuæ abbatiæ, remoto alio intruſo abbate, reſtituat quemdam Iſimbardum, ſi nulla alia culpa inveniat eum privatum, niſi quod Hieroſolymam devotionis cauſa profectus fuerit.

* Arnaldo *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei* * *Araldo Carnotenſium epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

PRæſentium portitor Iſimbardus abbas monaſterii ſancti * Laodomarii ad apoſtolicam veniens ſedem, noſtris queſtus eſt auribus, ſe præfatæ abbatiæ carere obedientia, nulla interveniente culpa, niſi quia divino ſuccenſus amore perrexit Hieroſolymam; a qua dum rediret, invenit quemdam abbatem nomine Guidonem ſuæ prælatum abbatiæ, ut audivimus, non ſimili præditum religione, neque * ab alio monaſterio regulariter ſumptum. Fraternitas ergo tua ſtudeat pia inquirere ſolicitudine, & iſtius remotionem, & illius ordinationem; atque ſi in hoc aliqua non invenitur culpa, niſi profectio ad Hieroſolymam, quod quidem ducimus tolerandum, ac ſolicitius & religioſius eo valet in regimine fratrum, iſte utrique reſtituatur, ille vero dejiciatur. Quod ſi & iſte aliam commiſit culpam, quæ eum a regimine juſte removeat, & ille religioſius iſto in adminiſtratione pervigilat, ordinatioque ejus reperiatur legitima; hunc quidem Iſimbardum nobis tua fraternitas cum litteris remittat, & ille in ſuo loco permaneat. Si vero illius promotio ſimoniaca ſorde invenitur fœdata; tunc ſiquidem ille ſine mora deponatur a regimine fratrum, & alter ei regulariter ſubſtituatur. Quidquid autem tua religio ſuper utriuſque cauſa expleverit, litteris tuis innexum nobis ſtudeat facere notum. Data * Argenteæ v. Kalendas Decembris, indictione duodecima.

* Laudomari *Martin.* Andomari

* Porro, *ab illo.* H.

* Argentece *& ſic infra*

XXXIII. AD FRATRES MONASTERII BEATÆ MARIÆ.

ANNO CHRISTI 1073.

Privilegium ſui prædeceſſoris, quia falſum eſſe cenſebat, nec vult confirmare, nec aliud concedere. Ipſum electum abbatem ſibi idoneum non viſum, a ſe monitum, fuiſſe ſignificat, ut a prælatione deſiſtat: jubet tamen, ut interim ei obediant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratribus monaſterii beatæ Mariæ, ſiti in epiſcopatu Dordonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VEniens ad noſtram præſentiam frater Benedictus, quem poſt obitum patris Uberti religio veſtra ſibi præeſſe elegit in abbatem, detulit nobis quoddam privilegium, quod beatæ recordationis prædeceſſoris noſtri Alexandri nomine titulatum invenimus: quod nimirum ratum non eſſe manifeſtiſſimis deprehendimus indiciis, corruptione videlicet Latinitatis, nec non & diverſitate canonicæ auctoritatis, congruenti igitur ratione, neque vetus roborare, neque noſtro nomine novum dignum duximus impræſentiarum componere: quia quæ ſunt juſta & pia poſtulat eccleſiaſtica regula. Cum enim * Dordonenſis eccleſia, cujus parochiæ adjacetis, operante ſuperna clementia, canonice fuerit ordinata, tunc quidem comite vita ex conſenſu ejuſdem ſedis epiſcopi proficuæ utilitatis privilegium veſtræ neceſſitati providebimus canonica auctoritate ſuffultum. Quod ſi peccatis exigentibus eadem eccleſia canonice non fuerit ordinata, tunc etiam munimine, quo juſte valebimus, vobis omnino ſolatiabimur. Quia vero perſona veſtri electi, licet honeſtis prædita videatur moribus, ad abbatis tamen officium cum ætate, tum etiam corporis infirmitate; nobis viſa eſt debilis, utpote, quem oportet pro omnibus ſolicitudinem gerere, eumdem electum monuimus a prælatione deſiſtere, ſi ſe invalidum fratrum opportunitatibus perſpexerit non poſſe ſufficere: cui tamen, quod præfuerit, in ejuſdem religionis tenore perſeverantes, in qua veſter vos defunctus inſtituit pater, debitam reverentiam exhibete. Cæteri quoque monachi veſtri conſocii per cellas ab eodem patre veſtro conſtructas, ut vobiſcum ſint unanimes, eidemque veſtro abbati reverenter obediant, auctoritate præcipimus apoſtolica. Quia epiſtolare compendium multa, quæ fratribus veſtris intimavimus, veſtræ fraternitati notificare non patitur, quæ huic epiſtolæ deſunt prædicti fratres auribus veſtris viva voce narrabunt. Data Argenteæ IV. Kalendas Decembris, indictione duodecima.

* Dordonenſis *& ſic infra*

Non confirmat electum abbatem ob corporis imbecillitatem.

XXXIV. AD REMEDIUM LINCULNIENSEM epiſcopum.

Arcet homicidam a ſacri altaris miniſterio: concedit tamen illi, ſi pœnitentiam egerit, ut ſtipendiis eccleſiæ ali poſſit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Remedio Lincolnenſi in Anglia epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LAtorem præſentium, quem fraternitatis tuæ litteræ homicidio maculatum nobis denuntiaverunt, nulla ſanctorum patrum auctoritas concedit ulterius ſacris altaribus miniſtrare, nec nos dece-

decet conſtitutioni illius, quod abſit, aſſenſum præbendo canonum ſtatutis contraire. Tua tamen religio, ſi eum pro commiſſo crimine perſpexerit dignum Deo exhibere fructum pœnitentiæ, hoc ſibi miſericorditer provideat, ne ſtipendiis eccleſiaſticis careat, atque paupertate puſillanimis factus, divina poſtponat præcepta: licet namque ſacerdotium nullo pacto unquam mereatur recipere, dignum tamen eſt conſequi eum aliquod beneficium ab apoſtolica ſede. Abſolutionem præterea peccatorum tuorum, ſicut rogaſti auctoritate principum apoſtolorum Petri & Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, & commiſſos exceſſus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris. Quod autem precatus es, nos tibi jubere quatenus poſſis ſcire, unde nobis ſerviendo merearis placere, hoc potiſſimum præcipimus, tuis videlicet juvari orationibus, ut compotes ſimul mereamur gaudiis perfrui perennibus. Data Terracinæ IV. Nonas Decembris, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1073.

XXXV. AD * RODERICUM CABILONENSEM epiſcopum.

* ROCLE-NUM.

In Philippum Francorum regem invehitur eccleſiarum venditorem & deſtructorem, quem ab eo moveri vult ut canonice epiſcopos eligi permittat.

** Rotlene* *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Roderico Cabilonenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

INter cæteros noſtri hujus temporis principes, qui eccleſiam Dei perverſa cupiditate venumdando diſſipaverunt, & matrem ſuam, cui ex dominico præcepto honorem & reverentiam debuerant, ancillari ſubjectione penitus conculcarunt, Philippum regem Francorum Gallicanas eccleſias intantum oppreſſiſſe certa relatione didicimus, ut ad ſummum tam deteſtandi hujus facinoris cumulum perveniſſe videatur. Quam rem de regno illo tanto profecto tulimus moleſtius, quanto & prudentia, & religione, & viribus noſcitur fuiſſe potentius, & erga Romanam eccleſiam multo devotius. Et nos quidem tam generalis noſtræ cura ſolicitudinis, quam ipſarum deſtructio eccleſiarum, vehementer accenderat, ut in tam audaces ſanctæ religionis exceſſus ſeverius animadvertere deberemus. Sed quoniam anteactis diebus, per familiarem ſuum cubicularium, videlicet Albericum, ad noſtri cenſuram judicii, & vitam corrigere, & eccleſias ordinare firmiter nobis reſpondit, rigorem canonicum interim exercere diſtulimus. Hujus ergo promiſſionis fidem in Matiſconenſi eccleſia paſtoris regimine diu deſolata, & ad nihilum pene redacta, in primis volumus experiri; ut ſcilicet Auguſtodunenſem archidiaconum unanimi cleri & populi conſenſu, ipſius etiam, ut audivimus, regis aſſenſu electum, epiſcopatu dono gratis, ut decet, conceſſo, eccleſiæ præfici patiatur. Quod ſi facere noluerit, indubitanter noverit nos hanc eccleſiæ ruinam nequaquam diutius toleraturos, & ex auctoritate beatorum apoſtolorum Petri & Pauli duram inobedientiæ contumaciam canonica auſteritate coercituros. Nam aut rex ipſe, repudiato turpi ſimoniacæ hæreſis mercimonia, idoneas ad ſacrum regimen perſonas promoveri permittet, aut Francl pro certo, niſi fidem Chriſtianam abjicere maluerint, generalis anathematis mucrone percuſſi, illi ulterius obtemperare recuſabunt. Hæc ideo, frater cariſſime, vigilantiæ tuæ intimare curavimus, quatenus ea prædicto regi inſinuare, & exhortando, & rogando, modiſque omnibus inculcare ſtudeat, ut & præfatam Matiſconenſem, aliaſque eccleſias canonice concedat ordinari. Tibi ergo maxime hæc idcirco injungimus, quia prudentiam tuam magnam eſſe, & regia familiaritate uti cognovimus. Si qua autem quæ dicenda erant a nobis prætermiſſa ſunt, hæc ingenii tui acumen injungat. Itaque in hac perſecutione labora, ut & Dei gratiam, & noſtram benevolentiam promerearis. Data Piperni II. Nonas Decembris, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1073.

XXXVI. AD HUMBERTUM LUGDUNENSEM epiſcopum.

Mandat ut ab ipſo vel ejus ſuffraganeis electus Matiſconenſis etiam contra regis voluntatem ordinetur, & ſi renuerit ordinari, cogatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Humberto Lugdunenſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CLamor Matiſconenſium clericorum pervenit ad nos, eccleſiam ſuam jam multo tempore paſtore viduatam, detrimentum non modicum ſuſtinere. Dicunt enim regem Francorum electionem * ſuo conſenſu factam velle impedire. Unde quia ipſe in præſenti anno per quemdam militem ſuum, nomine * Albertum, Romam venientem, ſe conſilio noſtro omnino acquieſcere promiſit; ſtuduimus confratri noſtro * Rodino Cabilonenſi epiſcopo noſtras dirigere litteras, ut ipſe noſtra functus legatione, præfatum regem conveniat, quatenus ipſe oblatæ nobis memor promiſſionis ſuæ, electionem Matiſconenſium, non ſolum non impediat, ſed eum quem debet aſſenſum præbeat. Qui ſi in duritia ſua permanens, neque neceſſitati hujus eccleſiæ compati, neque exhortationi noſtræ parere voluerit; præcipimus apoſtolica auctoritate, ut fraternitas tua, neque pro odio, neque gratia alicujus dimittas, quin electum ab eis Auguſtodunenſem Landricum archidiaconum epiſcopum ſeu per te, ſeu per ſuffraganeos tuos ordinare ſtudeat, ſi tamen auctoritas ſanctorum patrum probatur ſibi non obviare. Si vero ipſe hunc ordinem ſuſcipere renuerit, & inflexibilem ſe exhibuerit, volumus ut cum epiſcopo ſuo vim ſibi inferas, eumque ad recipiendum epiſcopalem ordinem vigilanti ſtudio atque paſtorali rigore conſtringas. Quod ſi fraternitas tua in hac cauſa negligens fuerit, procul dubio tu motum apoſtolicæ ſedis incurres, & ipſe, ſi ad nos venerit, Deo conſentiente, a nobis ordinabitur. Data Piperni II Nonas Decembris, indictione XII.

* *forte* Ane

* *forte* Albericum, *ut in ſuperiore epiſtola. Et ſic in Matiſc.*

* Roclene

ANNO CHRISTI 1073.

XXXVII. AD ALDILASIAM Comitiſſam.

Ejus religionem ac pietatem erga ſacra loca commemorat, & ad meliora ſemper peragenda hortatur. Duorum monaſteriorum protectionem ei commendat.

* Adelaſiæ *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Aldilaſiæ comitiſſæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

QUamquam noverim te ſacris locis & eorum religioſis habitatoribus ſpontanea voluntate te ferre ſubſidium, exhortari te tamen & admonere curavi, ut in majus meliuſque excreſcas; & quod ultro facere conſueſti, noſtro præcepto & beati Petri auctoritate jam ſtudioſius exequaris. Ad hoc enim tibi a domino & honoris dignitas & potentiæ amplitudo conceſſa eſt, ut in ſuo ſuorumque ſervitio expendatur, & tu eis carnalia tua libenter impartiens, de ſpiritualibus eorum participium merearis. Quamobrem curæ tuæ & defenſioni Fructuarienſe cœnobium, & ejuſdem congregationis fratres, attentius commendamus, ut eis & opem conſilii & præſidii firmamentum contra omnia infeſtantium gravamina impendere ſtudeatis, ut & pro ſalute animæ tuæ orationes eorum apud Deum fructificent. Pari quoque modo Cluſini monaſterii abbatem, & ipſius cœnobii res vigilantiæ tuæ tuendas ac protegendas committimus, quem ſub gravi tribulationum faſce laborare audivimus. Neque te a bonæ intentionis incœpto alicujus gratia aut præmium deflectat: quia Matth. 10. *qui perſeveraverit in fine, hic ſalvus erit*. Hæc tibi, filia cariſſima, paucis inculcare & injungere ſtatuimus, ut ad boni operis executionem te promptiorem redderemus, &, ut dicitur, currentem incitaremus: quatenus Deo devota, & bonis actibus, & Dei ſervorum protectioni invigilans, illam promittentis domini mercedem valeas adipiIbidem. ſci: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet*. Data Secim ſeptimo Idus Decembris, indictione duodecima.

XXXVIII. AD WRATISLAUM DUCEM Bohemiæ.

Commendat ejus in apoſtolicam ſedem obſervantiam. Confirmat ea quæ prædeceſſor Alexander II. ei honoris gratia tribuerat. Hortatur ad promiſſorum conſtantiam. Pollicetur in illius ditione quæ a legatis definiri non poterunt, ſe definiturum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wratislao duci Bohemiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LOnga jam temporis intervalla tranſacta ſunt, ex quo & nobilitas tua beato Petro apoſtolorum principi non modicæ devotionis animum ſpopondit & ſtudium, & tibi in apoſtolica ſede inter cæteros principes larga benignitas præ multis etiam ſingularis & egregia fuit adſtricta caritas. Cujus rei fidem & indicium ex benevolentia domini & anteceſſoris noſtri Alexandri papæ ſatis percepiſſe potes, qui petitionibus tuis non unquam ſine ſua & filiorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſolicitudine & labore condeſcendit, & ad ſignum intimæ dilectionis, quod laicæ perſonæ tribui non conſuevit, mitram quam poſtulaſti direAxit. Neque vero nos in noſtris temporibus tantæ dilectionis gratiam, providente Deo, labefactari volumus: immo ſi quid eſt in quo, comitante juſtitia, firmius conglutinari valeat, hoc noſtra apud Deum ſolicitudo impetrare valde deſiderat. At te quidem erga apoſtolicam reverentiam, quam ſis in votis conſtans, quam in promiſſis perſeverans, non modo pro dignitate, verum etiam pro ſalute tua fideliter oportet attendere: ſcriptum Pſal. 75. eſt enim: *Vovete, & reddite*. Quæ autem illa, vel qualia ſint, a tui ipſius conſcientia ſatis te commonitum eſſe putamus. Cauſas vero & negotia, quæ in partibus illis ad audientiam diſcuſſionemque legatorum noſtrorum perlata, peccatis impedientibus, congrua determinatione diffiniri non poterant, ſicut officii noſtri cura nemine nos rogante compellit, ad eum quem juſtitia poſtulaverit finem, adjuvante domino, perducere procurabimus. Porro quæ ipſi inde ſtatuerunt, interim donec ad nos negotia perferantur, immota manere volumus, atque apoſtolica auctoritate præcipimus. Deus autem omnipotens, qui bonorum omnium dator & auctor eſt, talem vos in votis veſtris & actibus eſſe faciat, ut cum ante cæleſtes judices, videlicet Petrum & Paulum, in futuro examine veneritis, nulla vos in illorum oculis, niſi quæ remuneratione digna ſit, conſcientia denotare & oſtentare valeat. Data Romæ XVI. Kalendas Januarii, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1073.

XXXIX. AD WOZELINUM MAGDEBURgenſem Archiepiſcopum, & alios.

Queritur bellum inter eos & Henricum regem exortum fuiſſe. Jubet eos ab armis deſiſtere, donec per legatos ſuos cauſam contentionis cognoſcat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Wozelino * Vezelonі Magdeburgenſi archiepiſcopo, Burchardo Halberſtadenſi epiſcopo, & * Letoni marchioni, cæteriſque * Tetoni Saxoniæ principibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

QUanta violentia quantaque fratrum impulſione univerſalis eccleſiæ multis perturbationum fluctibus concuſſæ, & pene quaſi quodam naufragio periclitatæ, onus & regimen ſuſcipere ſum coactus, occultum vobis & inauditum eſſe non credimus. Teſtis enim mihi eſt conſcientia mea, quam imparem me tanto ponderi judicaverim, & quanta ſolicitudine nomen apoſtolicæ dignitatis evitare concupiverim. Sed quoniam via hominis non in manu ejus, ſed illius eſt diſpoſitione a quo greſſus hominum diriguntur, impoſſibile mihi fuit contra divinam voluntatem concepta vota defendere. Unde mihi ſolicite vigilandum atque penſandum eſt, qualiter ea quæ ad profectum eccleſiaſticæ religionis, & ſalutem dominici gregis attinent, adjuvante Deo, annuntiare & fideliter adminiſtrare valeam; urgente me præ omnibus, tum eo timore, ne ſuſceptæ me apud ſupernum judicem negligentia diſpenſationis accuſet, tum debito amore apoſtolorum principis, qui me ab infantia mea ſub alis ſuis ſingulari quadam pietate nutrivit, & in gremio ſuæ clementiæ fovit. Verum inter cæteras curarum anxietates ea nos maxime ſolicitudo coarctat, quod inter vos & Henricum regem, veſtrum videlicet dominum, tantam diſcordiam & tam inimica ſtudia exorta eſſe cognovimus, ut exinde multa homicidia, incendia, depredationes eccleſiarum & pauperum, ac miſerabilem patriæ vaſtita-

ANNO CHRISTI 1074.

ſtitatem fieri audiamus. Qua de re regi miſimus exhortantes, & ex parte apoſtolorum Petri & Pauli eum admonentes, ut interim ſeſe ab armis & omni bellorum infeſtatione contineat, donec tales ad eum ab apoſtolica ſede nuntios dirigamus, qui tantæ diſſenſionis cauſas & diligenter inquirere, & annuente Deo ad pacem & concordiam æqua valeant determinatione perducere. Atque itidem vos exoratos, & apoſtolica auctoritate commonitos eſſe volumus, ut, ex veſtra parte omni motione ſopita, eaſdem pacis inducias obſervetis, nec aliqua occaſione nobis cum Dei adjutorio adſtruendæ pacis impedimentum opponatis. Cum etenim (ut ſcitis) nobis mentiri, ſacrilegium; deſerere juſtitiam, animæ ſit naufragium; neminem veſtrum dubitare volumus, quin ſuper hac re veritate diſcuſſa, quidquid æquum videbitur, providente Deo, decernere, & ſtabili pactione ſtudeamus efficere; & quamcumque partem injurias & conculcatæ juſtitiæ violentiam pati cognoverimus, illi procul dubio omni timore & reſpectu perſonalis gratiæ poſthabito, favorem, & apoſtolicæ auctoritatis præſidia conferemus. Data Romæ XIII. Kalendas Januarii, indictione duodecima.

XL. AD COMITISSAM MATHILDEM.

Lætatur de ejus erga ſedem apoſtolicam obſervantia. Hortatur ut perſeveret, ac ad viſitanda beatorum apoſtolorum limina una cum matre veniat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Matildi egregiæ indolis puellæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia ſerenitatis veſtræ litteris apoſtolicæ ſedi directis eandem teſtatæ ſunt dilectionem principi apoſtolorum beatiſſimo Petro bonitatem tuam promtam eſſe exhibere, quam Jeſu Chriſto domino noſtro vas electionis ſanctus Paulus coapoſtolus ejus uſque ad mortem ferventiſſimo amore ſtuduit conſervare, gaudii repleti immenſitate, omnipotenti Deo quas poſſumus reddimus gratias. Sed noverit prudentia veſtra honeſtis inceptis, religioſiſque inchoationibus, opus eſſe honeſtiori perſeverantia, atque Deo opitulante religioſiſſima conſummatione. Quapropter ſi contigerit glorioſam matrem veſtram hoc tempore Romam redire, toto corde admonemus, immo rogamus caritatem veſtram, ad viſitationem apoſtolorum cum eadem venire, niſi forte aliquid inſtet quod vos non prætermittenda neceſſitate detineat. Præterea litteris quas IV. Kalendas Januarii nomine veſtro ſuſcepimus, quod nobis viſum eſt congruum jam per noſtrorum apicum legationem reſpondiſſe confidimus. Omnipotentis Dei miſericordia, quæ fideles ſuos jugiter circumdat & protegit, aſſidua vos benignitate dignetur cuſtodire, atque poſt hujus vitæ curſum animam tuam æthereo regno componere. Data Romæ III. Nonas Januarias, indictione duodecima

XLI. AD ORZOCOR JUDICEM Calaritanum.

ANNO CHRISTI 1074.

Monet ut de cauſa quam ei commiſerat, communicato cum cæteris Sardiniæ judicibus conſilio, ſibi quid ei viſum fuerit intra annum reſpondeat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Orcozor judici Calaritano Sardiniæ provinciæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Orzocco

LItteras tuas accepimus, in quibus te ad nos velle venire continebatur. Nobis itaque placet ut venias, & cum omni ſecuritate, poſtquam ad litus noſtrum veneris, eundo & redeundo per fines terræ noſtræ te migrare poſſe nullatenus tibi dubitandum eſſe ſcias. Præterea admonemus prudentiam tuam, ut de cauſa, quam per archiepiſcopum Conſtantinum Turrenſem hoc in anno a nobis Capuæ conſecratum tibi mandavimus, cum cæteris Sardiniæ judicibus loquaris; & firmiter inter vos communicato conſilio, quidquid vobis inde cordi & animo ſit, celeri nobis reſponſione notificate; ſcientes quoniam niſi in hoc anno certa nobis ſuper hac re ratione reſpondeatis, nec amplius veſtra reſponſa quæremus, nec tamen ulterius jus, & honorem ſancti Petri irrequiſitum relinquemus. Data Romæ decimoſeptimo Kalendas Februarii, indictione duodecima.

XLII. AD SICARDUM AQUILEJENSEM Archiepiſcopum.

Indicit concilium ad depravatos principum & prælatorum mores corrigendos. Monet ut una cum ſuffraganeis ad id præſtituta die accedat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Sicardo Aquilejenſi fratri & coepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn ignorare credimus prudentiam tuam, quantis perturbationum fluctibus eccleſia ſit uſquequaque concuſſa, & pene deſolationis ſuæ calamitatibus naufraga & ſubmerſa ſit facta. Rectores enim & principes hujus mundi ſinguli quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, omni reverentia conculcata, quaſi vilem ancillam opprimunt, eamque confundere, dum cupiditates ſuas explere valeant, nullatenus pertimeſcunt. Sacerdotes autem, & qui regimen eccleſiæ accepiſſe videntur, legem Dei fere penitus poſtponentes, & officii ſui debitum Deo & commiſſis ſibi ovibus ſubtrahentes, per eccleſiaſticas dignitates ad mundanam tantum nituntur gloriam, & quæ ſpeciali diſpenſatione multorum utilitatibus, & ſaluti proficere debuiſſent, ea aut negligunt, aut infeliciter in pompa ſuperbiæ & ſuperfluis ſumptibus conſumunt. Inter hæc populus nullo prælatorum moderamine, nulliſque mandatorum frenis in viam juſtitiæ directus; immo eorum, qui præſunt exemplo, quæcumque noxia, & quæ Chriſtianæ religioni ſunt contraria edoctus, ad omnia pene quæ nefaria ſunt proni, & ſtudio corruentes, Chriſtianum nomen, non dico abſque operum obſervantia, ſed pene abſque fidei religione gerunt. Quapropter confidentes in miſericordia Dei, concilium in prima hebdomada quadrageſimæ adunare diſpoſuimus, quatenus huic tanto periculo ſuffragante divina clementia,

Philipp. 2.

Sacerdotum male ex proprio officio male obeundo.

ANNO CHRISTI 1074.

tia, cum communi consilio fratrum aliquod solatium & remedium invenire valeamus, ne nostris temporibus irreparabilem ecclesiæ ruinam destructionemque videamus. Ideoque & vestram fraternitatem rogamus, & ex parte beati Petri apostolorum principis admonemus, ut in prælibato termino vestram nobis præsentiam exhibeatis, convocatis una vobiscum, tum per hæc nostra, tum per vestra scripta, vestris suffraganeis episcopis: ut tanto tutius, tantoque firmius ad subsidium ecclesiasticæ libertatis & religionis accingamur, quanto uberius, atque vicinius vestræ prudentiæ, aliorumque confratrum frequentia, & provida consultatione circumdamur. Data Romæ nono Kalendas Februarias, indictione duodecima.

XLIII. AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ Mediolanensis.

Ejusdem argumenti.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei omnibus episcopis Mediolanensis ecclesiæ suffraganeis, videlicet Brixiensi, Cremonensi, *Bergamensi, Laudensi, Novariensi, Eporediensi, Taurinensi, Albensi, Astensi, Aquensi, *Terdonensi, & cæteris quibusdam, salutem & apostolicam benedictionem, quibusdam pro meritis.*

*Bergomensi

*Dertonensi

NOn incognitum vobis esse credimus, in Romana ecclesia jamdudum constitutum esse, ut per singulos annos ad decorem & utilitatem sanctæ ecclesiæ generale concilium apud sedem apostolicam sit tenendum. Nos itaque hujus celebritatis hoc in tempore causam valde necessariam considerantes, in prima hebdomada quadragesimæ synodum, annuente Deo, Romæ celebrare disposuimus. Ad quam omnes vos, & apostolica auctoritate præsentiam vestram exhibere commonemus atque præcipimus; quatenus una vobiscum, & cum alia frequentia vestri ordinis, officii nostri debitam solicitudinem in divinis & ecclesiasticis causis, suffragante superna clementia, commode ac reverenter exercere valeamus. Intueri autem & diligenter vos oportet attendere, quoniam quicumque miles domino suo in prælio properante se subtraxerit, non modo gratiam sibi labefactare, sed accepti beneficii commodum merito sibi corruisse dignoscitur. Hoc igitur exemplo appareat, qui ex vobis, immo quam omnes sitis fideles Christi milites, & ad divina agmina tam prompta voluntate & studio vos conferre studete, ut post adeptam in Christo victoriam, pariter vobis & de virtute factorum, & abundantia præmiorum gloriari liceat. Sub eadem etiam auctoritate & determinatione omnes abbates Longobardiæ ad præfatum concilium invitamus, nullamque in hac obedientia fictitiam excusationem prætendere admonemus atque præcipimus. Data Romæ octavo Kalendas Februarii, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074.

XLIV. AD JERIMORUM BRAGENSEM episcopum.

Restituit episcopo Bragensi suspenso reditus episcopatus, ut omni postposita mora cum legatis episcopi adversarii sui sanctorum apostolorum limina adeat. Commemorat se fratri ejus duci scripsisse, ut Moravensem episcopum & suos legatos Romam mittat.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei Jeromiro **Bragensi episcopo.*

*Pro, Treverensi. W. **Bragensi & sic infra

QUamquam inobedientia tua, & culpa, quam in contemptu legatorum sanctæ Romanæ ecclesiæ perpetrasti, preces tuas, te absente, & nondum parato satisfacere, recipi non meruit; tamen ne ex apostolica, licet justa districtione, absentationis tuæ moram vel occasionem diutius defendere possis, necessitatem, qua te urgeri in epistola tua conquestus es, & impedimentum ad nos veniendi removere decrevimus. Itaque præsenti auctoritate tibi restituimus, & tenenda concedimus, quæcumque a legatis nostris, Bernardo videlicet & Gregorio, præter episcopale officium tibi interdicta sunt: quoniam te expoliatum rebus ecclesiæ tuæ, inopia rerum necessariarum, obedientiam debitæ satisfactionis non posse exequi (sicut supra diximus) conquerendo excusas: atque hoc idem fratri tuo Wratislao duci per epistolam nostram notificavimus, admonentes eum, ut de consuetis decimis & reditibus ecclesiæ tuæ nihil in potestate sua tibi denegari patiatur aut subtrahi. Admonemus igitur, & ex parte apostolorum Petri & Pauli, & nostra per eos apostolica tibi auctoritate præcipimus, ut nullis excusationibus absentiam tuam ulterius defendens, in ramis palmarum apostolica adire limina non prætermittas; cognoscens fratrem tuum a nobis esse commonitum, ut Joannem Moravensem episcopum itidem ad nos venire commoneat, & ex sua parte tales ad nos nuntios dirigat, quibus in nostra possimus examinatione diffinire dissensionum causas. Interim vero de possessionibus Moravensis episcopatus nihil te tangere volumus & præcipimus, ne & ipse aliqua molestiarum excusatione præsentiam suam conspectui nostro subtrahat. Præscriptum vero terminum adventus tui, tu ipse ita mature fratri tuo duci indicare curato, ut Moravensem episcopum & suos legatos una tecum ad apostolicam sedem dirigere possit. Data Romæ secundo Kalendas Februarii, indictione duodecima.

XLV. AD WRATISLAUM DUCEM Bohemiæ.

Ut reditus episcopatus fratri suo restituat. Hortatur ut ad sedem apostolicam accedat, vel saltem ejus legatos una cum Moravensi episcopo mittat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Wratislao duci Bohemorum salutem & apostolicam benedictionem.

FRater tuus Jeromirus Bragensis episcopus conqueritur se expoliatum ecclesiæ suæ rebus, inopia rerum necessariarum, pro reddenda ratione eorum quæ sibi intenduntur, ad apostolicam sedem venire non posse. Quod quamquam ejus inobedientia & tergiversatio valde promeruerit, tamen ne hanc absentationis suæ occasionem prætendere

tendere poſſit, volumus atque præcipimus, ut in A
ANNO CHRISTI 1074. integrum ſibi reſtituantur quæcumque a legatis noſtris, Bernardo videlicet & Gregorio, præter epiſcopale officium interdicta ſunt, & præter ea pro quibus Joannes Moravenſis ſuper eum clamat epiſcopus. Qua in re tuam maxime admonemus prudentiam, ut de conſuetis decimis, vel reditibus eccleſiæ, nihil ei in tua poteſtate denegare patiaris, aut ſubtrahi, nec aliquam ſibi contrarietatem facias, per quam, ut ad nos venire non poſſit, impedimenta ſibi obſiſtere iterum conqueratur. Eo autem tempore quo ipſe, ſicut per epiſtolam noſtram commonitus eſt, apoſtolicam ſedem adire debuerit, te quoque, ſi fieri poſſet, præſentem fore maxime cuperemus. Quod ſi rerum aut temporum eventus prohibuerit, nobilitatem veſtram B multum admonemus, ut epiſcopum Moravenſem præſentiam ſuam nobis exhibere commoneatis: & præterea de veſtris fidelibus tales ad nos nuntios dirigatis, cum quibus rerum veritate ſolerti indagatione perquiſita, & undique explorata, favente divina clementia, omnes diſſenſionum cauſas abſcindere, & quidquid æquum fuerit determinata ſententia ſtatuere valeamus. Data Romæ II. Kalendas Februarii, indictione XII.

XLVI. AD GUILIELMUM COMITEM Burgundiæ.

Monet ut una cum quibuſdam aliis principibus (prout promiſerat) eccleſiæ auxilio veniat, ut pacatis Normannis auxilium Conſtantinopolitanis ferre poſſit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo Burgundionum comiti ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MEminiſſe valet prudentia veſtra, quam larga affluentia dilectionis Romana eccleſia valentiam veſtram jamdudum recepit, & quam ſpeciali caritate veſtram familiaritatem dilexit. Neque enim ſe condecet obliviſci promiſſionis, qua Deo ſe ante corpus apoſtolorum principis Petri, præſente venerabili anteceſſore noſtro Alexandro papa, & epiſcopis, abbatibus plurimis, atque di- D verſarum gentium multitudine, quarum non eſt numerus, obligavit, ut quacumque hora neceſſe fuiſſet, veſtra manus ad dimicandum pro defenſione rerum ſancti Petri non deeſſet, ſi quidem requiſita fuiſſet. Unde memores nobilitatis veſtræ fidei, rogamus & admonemus ſtrenuitatis veſtræ prudentiam, quatenus præparetis veſtræ militiæ fortitudinem ad ſuccurrendum Romanæ eccleſiæ, li-
* *forte &.* bertati ſcilicet * ſi neceſſe fuerit, veniatis huc cum exercitu veſtro in ſervitio ſancti Petri: & hoc idem rogamus vos monere comitem ſancti Ægidii, & ſocerum Riccardi Capuani principis & Ameleum
* *Adelisa* filium * Adelettæ, cæteroſque quos cognoſcitis ſancti Petri eſſe fideles, & qui ſimiliter manibus ad cælum extenſis promiſere. Si quid vero certæ re- E ſponſionis prudentiæ veſtræ nobis placet remittere, per eum nuntium nobis mandate, qui modis omnibus nos reddat indubios, & idem veſter nuntius veniat per comitiſſam Beatricem, quæ cum filia & genero in hoc negotio laborare procuret. Hanc autem militum multitudinem non ideo coacervare curamus, ut ad effuſionem ſanguinis Chriſtianorum intendamus, ſed ut ipſi videntes expeditionem, dum confligere timuerint, facilius ſubdantur juſtitiæ. Speramus etiam quod forſitan alia inde utilitas oriatur, ſcilicet, ut pacatis Normannis, tranſeamus Conſtantinopolim in adjutorium Chriſtianorum; qui nimium afflicti creberrimis morſibus Saracenorum, inhianter flagitant, ut ſibi manum * veſtri auxilii porrigamus. Nam contra eos Normannos qui nobis rebelles ſunt, ſatis ſuf- * *f.* noſtri ficiunt milites illi qui nobiſcum ſunt. Certus enim & *f.* in Me- eſto, quoniam te, & omnes qui tecum in hac ex- *dia.* peditione fuerint fatigati, duplici, immo multiplici remuneratione, ut credimus, Petrus & Paulus principes apoſtolorum donabunt. Data Roma IV. Nonas Februarii, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074.

XLVII. AD COMITISSAM MATILDEM.

Hortatur eam ad frequenter ſumendum ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum, & ad devotionem erga beatiſſimam virginem Mariam.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectæ in Chriſto filiæ Mathildi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUanta ſit mihi cura, quantaque inceſſanter de te tuaque ſalute ſolicitudo, ipſe ſolus qui cordis arcana rimatur intelligit, & multo melius meipſo cognoſcit. Tu tamen, ſi penſare non negligis, ut reor, animadvertis quia pro tantis tui curam me oportet habere, pro quantis te caritatis ſtudio detinui, ne illos deſereres, ut tuæ ſolius animæ ſaluti provideres: *Caritas enim*, ut *1. Cor. 13.* ſæpe dixi, & ita dicam, ſequens cæleſtem tubam, C *non quæ ſua ſunt quærit*. Sed quia inter cætera quæ tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potiſſimum eſt, ut corpus dominicum frequenter acciperes, indicavi: & ut certæ fiduciæ matris Domini te omnino committeres præcepi. Quid inde beatus Ambroſius, videlicet de ſumendo corpore Domini, ſenſerit, his in literis intimavi. Ait enim in lib. 4. de ſacramentis inter cætera: Si mortem Domini annuntiamus, annuntiamus remiſſionem peccatorum. Si quotieſcumque effunditur ſanguis Domini, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam. Item ipſe Ambroſius in libro quinto D de ſacramentis: Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumas, quemadmodum Græci in oriente conſuevere facere? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit: ſic vive, ut quotidie mereaſis accipere. * Quando meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere, quomodo Job ſanctus pro filiis ſuis offerebat quotidie ſacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in ſermone peccaſſent. Ergo tu audis quod quotieſcumque offertur ſacrificium, mors Domini, reſurrectio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum; & panem iſtum vitæ quotidianum non aſſumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus; medicina eſt cæleſte & E venerabile ſacramentum. Item Gregorius papa in libro 4. dialogorum: Debemus itaque præſens ſæculum, vel quia jam conſpicimus defluxiſſe, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum ſacrificia, quotidianis carnis ejus & ſanguinis hoſtias immolare. Hæc namque ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſalvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per myſterium reparat. Quod licet ſurgens a mortuis jam non moritur, & mors el ultra non dominabitur, tamen in ipſo immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur; ejus quippe ibi corpus ſumitur, ejus caro in populi ſalute patitur, ejus ſanguis non jam in ma-

* *f.* Quis non, *ut Ambroſ. l. 5. de Sacr. c. 25.*

nus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus, quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionem unigeniti Filii ſemper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cælos aperiri: in illo Jeſu Chriſti myſterio angelorum choros adeſſe: ſummis ima ſociari: terrena cæleſtibus jungi: unum quid ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri? Item Joannes Chryſoſtomus patriarcha ad neophytos: Videte quemadmodum ſponſam ſibi Chriſtus conjunxit: videte quo vos cibo ſatietatis enutrit. Ipſe nobis cibi ſubſtantia eſt atque nutrimentum. Nam ſicut mulier affectionis natura cogente genitum alere ſui lactis fœcunditate feſtinat, ſic & Chriſtus quos ipſe regenerat ſuo ſanguine ſemper enutrit. Etenim, ut idem Joannes ſcribit ad Theodorum monachum, lubricum genus eſt natura mortalis: cito quidem labitur, ſed non ſero reparatur, & ut facile cadit, ita & velociter ſurgit. Debemus, o filia, ad hoc ſingulare confugere ſacramentum, ſingulare appetere medicamentum. Hæc ideo, cariſſima beati Petri filia, ſcribere procuravi, ut fides, ac fiducia in accipiendo corpus Domini major tibi accreſcat. Talem quidem theſaurum, taliaque dona, non aurum, non lapides pretioſos, amore patris tui, cælorum videlicet principis, a te tua requirit anima, licet ab aliis ſacerdotibus longe meliora pro meritis accipere poſſis. De matre vero Domini, cui te principaliter commiſi & committo, & nunquam committere, quouſque illam videamus, ut cupimus, omittam, quid tibi dicam, quam cælum & terra laudare, licet ut meretur nequeant, non ceſſant? Hoc tamen procul dubio teneas, quia quanto altior & melior ac ſanctior eſt omni matre, tanto clementior & dulcior circa converſos peccatores & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, & proſtrata coram illa ex corde contrito & humiliato lacrymas effunde. Invenies illam, indubitanter promitto, promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione. Data Romæ decimoquarto Kalendas * Maji, indictione duodecima.

* Martii, & ſic in Mſs.

XLVIII. AD HUBERTUM GENUENSEM epiſcopum.

Præcipit uxorem cujuſdam Anſaldi adulterii accuſatam ad purgationem admitti, excommunicans patrem ejus, & quemcumque alium qui id impedire præſumpſerit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Huberto Genuenſi epiſcopo, & univerſo loci illius clero ac populo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INtelligentes errorem veſtrum, de periculo veſtro valde timemus, quoniam ſacramenta conſortii conjugalis divinis tancita præceptis & legibus, inter vos malignis fœdari ſtudiis audivimus. Scriptum quippe eſt de conjugali vinculo: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, & Veritas omnino prohibet, ne vir uxorem ſuam, niſi forte cauſa fornicationis, relinquat. Nobis autem relatum eſt, Anſaldum quemdam concivem veſtrum a patre ſuo coactum eſſe, ut uxorem propriam, de fornicatione falſo criminatam, nec ulterius habeat, nec judicium purgationis ejus, id quod ipſa valde deſiderat, pro diſcutienda veritate ſuſcipiat. Quod quia divinis & humanis legibus valde contrarium eſt, primo te epiſcopum, deinde omnes vos admonemus, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ſi mulier ad examinationem legitimam ſe conferre voluerit, cum omni tranquillitate & expectatione juſte cum probationibus recipiatur; & ſi per miſericordiam Dei innocens apparuerit, ſeparari a viro ſuo nullatenus patiamini. At ſi pater præfati Anſaldi hæc quæ divina auctoritate diximus, immo ſi quis mortalium hæc impedire ac prohibere præſumpſerit, tuam, epicope, fraternitatem apoſtolica auctoritate monemus, ut, omni reſpectu gratiæ perſonalis abjecto, reos anathematis gladio ferire, & a corpore eccleſiæ diſſecare non deſinas, & nobis extremam manum impoſituris per literas tuas id quantocius indicare non prætermittas. Præterea volumus ut quam citius poſſis, præſentiam tuam nobis exhibere ſtudeas. Data Lateranis quarto Kalendas * Maji, indictione duodecima.

* Martii, & ſic in Mſs.

XLIX. AD OMNES CHRISTIANOS.

Monet ut Conſtantinopolitanis opem ferant, qui a Saracenis multis calamitatibus afficiebantur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Chriſtianam fidem defendere volentibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum vobis eſſe volumus, hunc virum præſentium portitorem, dum de ultramarinis nuper reverteretur partibus, apoſtolorum limina, & noſtram præſentiam viſitaſſe. A quo, ſicut a pleriſque aliis, cognovimus gentem paganorum contra Chriſtianum fortiter invaluiſſe imperium, & miſeranda crudelitate jam fere uſque ad muros Conſtantinopolitanæ civitatis omnia devaſtaſſe, & tyrannica violentia occupaſſe, & multa millia Chriſtianorum quaſi pecudes occidiſſe. Qua de re, ſi Deum diligimus, & Chriſtianos nos eſſe cognoſcimus, pro miſeranda fortuna tanti imperii, & tanta Chriſtianorum clade, nobis valde dolendum eſt: & non ſolum dolere ſuper hac re debitæ ſolicitudini noſtræ ſufficit, ſed animas pro liberatione fratrum ponere, exemplum redemptoris noſtri, & debitum fraternæ caritatis, a nobis exigit: quia ſicut ipſe pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus noſtris animas ponere. Scitote igitur nos in miſericordia Dei, & in potentia virtutis ejus confiſos, omnibus modis id agere atque parare ut adjutorium Chriſtiano imperio quam citius, Deo juvante, faciamus. Unde vos per fidem, in qua per Chriſtum in adoptionem filiorum Dei uniti eſtis, obſecramus, & auctoritate beati Petri apoſtolorum principis admonemus, ut & vos vulnera, & ſanguis fratrum, & periculum præfati imperii digna compaſſione moveat, & veſtra virtus pro Chriſti nomine non invitam fatigationem ad ferenda fratribus auxilia ſubeat. Quidquid autem ſuper hac re divina pietas veſtris animis indiderit, ſine mora certis legationibus nobis renuntiare ſtudete. Data Romæ Kalendis Martii, indictione duodecima.

L. AD

ANNO CHRISTI 1074.

L. AD BEATRICEM ET MATHILDEM EIUS FILIAM.

Committit eis cauſam inter epiſcopum Roſellanum & Ugulinum comitem terminandam.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Beatrici & Mathildi gloriosis ac cariſſimis in Chriſto filiabus ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn miretur veſtra nobilitas ſuper his quæ vobis de cauſa Dodonis Roſellani epiſcopi ſcripſi: quia inhumanitas videretur, ſi preces & murmur * Ugulini comitis parvipenderem. Importune quidem ſæpe me rogavit, ut cauſam ipſius contra Roſellanum epiſcopum juſte decernerem, & ut idem epiſcopus ſibi juſtitiam faceret procurarem. Ego vero de vobis ſingulariter inter omnes principes Romani imperii confidens, rogavi ut ad certum & juſtum ac pacificum finem per vos cauſa inter eos duceretur, quo ille, qui juſtus judex eſt, a veſtro ſtudio, veſtraque pietate, me inſtante, glorificetur. Scit enim caritas veſtra, & omnino, ut reor, intelligit, quod in omnibus actibus veſtris honorem Dei veſtramque ſalutem requiro. Et ideo cum Propheta dico: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.* Et iterum: *Judicate pupillo, & defendite viduas, & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Ex amore quidem Dei proximum diligendo adjuvare, miſeris & oppreſſis ſubvenire, orationibus, jejuniis, vigiliis, & aliis quampluribus bonis operibus præpono: quia veram caritatem cunctis virtutibus præferre cum apoſtolo non dubito. Nam ſi hæc mater omnium virtutum, quæ Deum de cælo in terram ut noſtram miſeriam ferret compulit venire, me non inſtrueret, & eſſet qui miſeris & oppreſſis eccleſiis veſtra vice ſubveniret, ac univerſali eccleſiæ deſerviret, ut ſæculum relinqueretis, cum omnibus ejus curis, monere procurarem. Sed quia de veſtra aula, ut multi principes, Deum non abjicitis, immo ſacrificio juſtitiæ ad eam venire invitatis, rogamus vos, & ut cariſſimas filias admonemus, bonum quod cœpiſtis ad perfectum finem perducatis. Non favor humanus; non amor pecuniæ, non deſiderium vanæ gloriæ veſtrum ſacrificium poſſit offuſcare. Vili enim pretio magnam rem vendit, qui hujus vitæ intuitu Deo ſervit. Quod vobis, quas ſincero corde diligo, parum ſcribo, gravi cura me implicitum eſſe manifeſto. Vobis enim in talibus non aliquem vicarium in dictitando acquiro, ſed meipſum labori, licet ruſticano ſtylo, ſuppono: quia ſi diligor, ut diligo nullum mortalium mihi præponi a vobis cognoſco. Omnipotens Deus meritis ſupremæ dominæ, per auctoritatem beati Petri & Pauli, a cunctis vos peccatis abſolvat, & ad gremium univerſalis matris veſtræ cum gaudio perducat. Data Romæ quarto Nonas Martii, indictione duodecima.

* Ugolini

Pſalm. 4. Iſai. 1.

1. Cor. 13.

LI. AD ARNALDUM ABBATEM sancti Severi.

Arguit quod ad ſynodum vocatus non venerit, ſententiam adverſus eum latam de quodam monaſterio propter contumaciam confirmat. Monet ut, ſi ſe gravatum ſentiat, Romam veniat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Arnaldo abbati ſancti Severi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn mediocris te inobedientiæ arguere poſſumus, quod poſt multas querimonias de te in Romanis conciliis factas, monaſterium ſanctæ Crucis de eccleſia ſanctæ Mariæ, nullam adhuc juſtitiam ſit conſecutum. Licet examen exquirendæ veritatis hujus negotii frivolis excuſationibus jam ex longo tempore evitaſſe videaris, præſenti tamen anno pro definienda lite noſtra a legato noſtro * Giraldo Oſtienſi epiſcopo ad ſynodum vocatus, nullam Deo & ſancto Petro diceris reverentiam exhibuiſſe, adeo ut, contempta auctoritate apoſtolicæ ſedis, neque tu venire, neque alios juſte te excuſaturos ſtudueris mittere. Unde quia abſentatio tua indicium injuſtitiæ tuæ clariſſimum tribuit, diffinitum eſt in eadem ſynodo, monaſterio ſanctæ Crucis prædictæ eccleſiæ ſanctæ Mariæ jus & poſſeſſionem reſtituendam eſſe. Quam nimirum diffinitionem nos approbantes, præcipimus tibi apoſtolica auctoritate, ut præfatum monaſterium ſanctæ Crucis, ſicut ſtatutum eſt, quiete tenere permittas. Quod ſi te juſtitiam habere confidis, hinc uſque ad feſtivitatem omnium ſanctorum ad nos venire ſtudeas, teque prædicto abbati eodem termino venturum notifices; quatenus utriuſque partis perquiſitis rationibus, certum cauſæ veſtræ finem, Deo auxiliante, imponamus. Data Romæ in ſynodo, ſecundo Idus Martii, indictione duodecima.

* Gerardo

ANNO CHRISTI 1074

LII. AD MANASSEM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Laudat eum quod monaſterii ſancti Remigii religioſum abbatem præfecerit, cui poteſtatem facit aliam abbatiam adminiſtrandi, ſi tantum onus ferre valeat: quod ſi non poſſit, jubet ipſum dare operam, ut alius abbas præficiatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Manaſſe Rhemenſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ROmana eccleſia jamdudum fraternitatem tuam ulnis maternæ dilectionis amplectens, ſpeciali quodammodo caritate dilexit, & præſtantiſſima cura dulciſſime fovit; præſertim nos adeo tuæ promotioni favimus & conſenſimus, ut nequaquam vitare grave periculum, ſi ea feceris quæ tuum ordinem dehoneſtent, aut tuam non deceant dignitatem. Unde ſi quando ea de te audivimus quæ tuo ordini non congruunt, maximo mœrore confundimur, ac proinde leviter diſſimulare non poſſumus. Inter cæteras quidem querimonias, quæ de te noſtris auribus ſunt delatæ, querimonia monaſterii ſancti Remigii acriter animum noſtrum turbavit, & in te vehementer commovit. Verum quia nunc cognovimus quod idem monaſterium melius ordinaſti, quam audivimus vel ſperavimus, quoniam ibi honeſtum moribus & eruditum literis hominem poſuiſti, non minima lætitia animum noſtrum refocillaſti. Abbas quidem nobis admodum placet: & ſi poſſet ferre onus, ut utraſque abbatias regeret, Metenſem ſcilicet & Rhemenſem, laudaſſem pro eo quia vir & religioſus & ſapiens eſt. Alioquin ſi pondus utrarumque regiminis ſuper poſſe ſibi eſt, ut ipſe fatetur, ne nimia gravedine preſſus ſuccumbat, rogamus prudentiam tuam, immo apoſtolica auctoritate monemus, quatenus ſuo conſilio & conſenſu per electionem congregationis ſecundum regulam ſancti Benedicti, idoneum ibi rectorem, Deo concedente, conſtituas. Pro certo enim noveris, quoniam ita cara erit nobis illius monaſterii honeſta & regularis regiminis ordinatio, ac ſi eſſet in monaſterio ſan-

ti Pauli. Data Romæ in ſynodo, ſecundo Idus Martii, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074.

LIII. AD HERIMANNUM METENSEM EPISCOPUM.

Suum erga illum amorem teſtatur. Petit ut pro ſe Dominum deprecetur. Significat abbatem Arnulphum velle Rhemenſi abbatiæ renuntiare, & Metenſis eſſe contentum.

* Hermanno *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Herimanno Metenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

LIteras dilectionis tuæ gratanter accepimus, quia in eis abundantiam devotionis tuæ erga nos exuberare cognovimus. Nos quidem omnibus debitum ſolicitudinis noſtræ exhibere volumus & debemus, quoniam omnium curam ſuſcepimus, & omnium ſalutem cupimus & optamus: quia licet indigni meritis regimen univerſalis eccleſiæ regendum accepimus, & miniſterium evangelizandum accepimus, væ nobis ſi non evangelizaverimus. Et licet omnibus debitores ſumus, præcipue tamen domeſticis fidei curam noſtræ ſolicitudinis exhibere condecet & oportet. Unde noverit fraternitas veſtra, quoniam de vobis propenſior eſt nobis cura & in vobis ardentior amor, pro eo ſcilicet quod dignæ recompenſationis munus a veſtræ ſanctitatis orationibus expectamus. Grave enim ponderis gerendum ſuſcepimus, & niſi veſtris & totius Chriſtianitatis fidelium orationibus ſulciamur, ferre nullatenus poſſumus. Quapropter rogamus, ut ſanctæ congregationis veſtræ aſſiduis orationibus ſublevari mereamur. Non ſolum enim tam ſanctæ congregationis orationes ardenter exigimus, verum totius populi quærimus & optamus. Præterea abbas ſancti Arnulphi, vir (ut nobis videtur) religioſus & tibi fidelis, nobis innotuit, quod * velit ſub tuo regimine pauper vivere, quam alibi dives & potens. Vult enim (ſi tibi videtur) renuntiare abbatiæ ſancti Remigii, & tantum * veſtræ eſſe contentus: cujus rei cauſa miſimus literas noſtras Rhemenſi archiepiſcopo, ut dictam abbatiam ſecundum Deum conſilio iſtius in alium ordinet, iſte vero vobis tantummodo cedat. Vos autem rogamus, quatenus pro caritate noſtra eum carius habeatis, ut ſentiat profeciſſe ſibi quod ad nos venit. Data in ſynodo, ſecundo Idus Martii, indictione duodecima.

* *f.* malit

* Forte veſtra. H.

LIV. AD CANONICOS SANCTI HILARII.

Jubet Pictavenſium canonicorum conſuetudinem in feſtivitate ſancti Hilarii & omnium ſanctorum ſervari.

Gregorius epiſcop. ſervus ſervorum Dei canonicis S. Hilarii ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum vobis eſſe volumus, quod canonici Pictavenſes in ſynodo noſtra conqueſti ſunt, vos denegare & contradicere illis conſuetudinem, quam in eccleſia ſancti Hilarii jure habere debent, videlicet, ut in feſtivitate omnium ſanctorum, & ſancti Hilarii, cum illuc ex more cum proceſſione veniunt, ſi epiſcopus aderit, ipſe miſſam celebret: ſin autem non adſit epiſcopus, decanus, aut aliquis de majoribus canonicis Pictavenſis eccleſiæ, officium vice epiſcopi peragere debeat. Quod cum apud nos in publico concilio ventilatum fuerit, Gozelino Burdigalenſi archiepiſcopo cauſam veſtram cum quibuſdam aliis defendente, ſcientes talem conſuetudinem in Romana eccleſia per ſingulas ſtationes, & fere per univerſum orbem in aliis eccleſiis rite & rationabiliter teneri, dijudicante concilio juſtam eos requirere cauſam comprobavimus, & prædictum uſum eos obtinere debere apoſtolica auctoritate cenſuimus. Verum ut vobis abundantius ſatisfaciendo omnem reclamandi occaſionem demeremus, ut Pictavenſes clerici, qui præſentes aderant partem ſuam (ſicut approbatio agenti ſemper incumbit) ſacramento firmarent dijudicavimus. Quod quidem ipſi præſente Burdigalenſi archiepiſcopo & cæteris facere paratiſſimi erant, atque idem archiepiſcopus a nobis commonitus juramentum ſe recipere profeſſus eſt. Quapropter apoſtolica vos auctoritate monemus atque præcipimus, ut omni inter vos & Pictavenſes canonicos lite ſopita, conſuetudinem, & juſtitiam ſuam, ſicut ſuperius ſynodali judicio decretum eſſe cognoſcitis, ſine omni contradictione deinceps habere permittatis. Data Romæ in ſynodo, * decimo octavo Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074.

Conſuetudo Romana eccleſiæ in feſtivitatibus.

* XVII.

LV. AD SUFFRAGANEOS AUSCIENSIS ECCLESIÆ.

Præcipit ut eorum archiepiſcopo, ſicut apoſtolicæ ſedis legatus juſſerat, obediant.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Bigoritano epiſcopo, & cæteris ſuffraganeis * Auſcienſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Auxitenſis.

LEgatus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, videlicet confrater noſter * Giraldus Ottienſis epiſcopus, ut Gulielmo archiepiſcopo veſtro debitam reverentiam exhibeatis commonuit. Verum, ſicut idem archiepiſcopus conquerendo nobis retulit, poſtea nec conſideratio debitæ ſubjectionis, nec reſpectus apoſtolicæ auctoritatis vos ad obedientiam flexit. Quod quamquam non parum præſumptionis & damnandæ contumaciæ habeat, adhuc tamen facta veſtra apoſtolica manſuetudine diſſimulantes, mandamus vobis, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut nullatenus ei honorem ſubjectionis debitæ ſubtrahatis. Si quid autem adverſus eum habetis, una ſecum adite noſtram præſentiam, & ſi quid diſcuſſione dignum protuleritis, adjuvante Deo, ſolicita indagatione examinatum, competenti ſententia determinabimus. Data Romæ decimo ſeptimo Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

* Gerardus

LVI. AD ROGERIUM CATALAUNENSEM EPISCOPUM.

Præcipit ut præſtita die ad ſe Romam veniat, ut ejus cauſa definiri poſſit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rogerio dicto Catalaunenſi epiſcopo.

PHilippus rex Francorum non modica tibi dilectione adſtrictus, multum nos, ut te abſolveremus tum per literas, tum per legatorum verba, rogavit. Quod quidem ſalva juſtitia nequaquam nobis faciendum eſſe perviximus, dum juxta vigorem canonicæ diſciplinæ multo gravius in te animadvertendum eſſe cognoſceremus. Sed adhuc apoſtolica manſuetudine judicium in te ultionis debitæ ſuſpendentes, præſenti auctoritate tibi præcipimus, ut præſentiam tuam ab hinc uſque

ad

ANNO CHRISTI 1074.

ad proximam feſtivitatem omnium ſanctorum conſpectui noſtro repræſentare nullo modo prætermittas: quatenus adverſum te totiens iteratam proclamationem Catalaunenſis eccleſiæ juſto fine, Deo auxiliante, decidamus: admonentes equidem, ne interim in contemptu vel tranſgreſſione jam ante datæ ſententiæ periculum tibi tu ipſe gravius ingeras. Quibus in rebus ſi nobis inobediens fueris, & aliqua tergiverſatione te excuſans infra prælibatum terminum præſentiæ noſtræ te non exhibueris, de tua damnatione & incommutabili depoſitione ulterius non dubitabis. Data Romæ in ſynodo, decimoſexto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

LVII. AD GUILIELMUM PAPIENSEM EPISCOPUM.

Monet ut cum Azone marchione de inceſtuoſa copulatione cum ipſius epiſcopi ſorore accuſato ad ſe veniat, ut ejus cauſa diſcuti poſſit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo Papienſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIgnificandum tibi duximus marchionem Azonem in Romana ſynodo ſuper inceſta copulatione ſororis tuæ accuſatum eſſe, qua de re ipſe per propinquos mulieris ſatisfactionem pollicitus inducias poſtulavit. Propterea rogamus, & apoſtolica auctoritate fraternitatem tuam admonemus, ut ad ſervitium ſancti Petri paratus, & ut melius poſſis inſtructus, cum eodem marchione ad nos venire nullo modo prætermittas, certus te a nobis honorifice recipiendum & relinquendum. Nam etſi fraternitatis tuæ auxilia in aliis minime nobis neceſſaria fuiſſent, tamen hac de cauſa præſentiam tuam nobis exhiberi oportet, ut exortas præfati conjugii quæſtiones diligenti examinatione diſcutiamus, & juſtitiam legali judicio decernentes, adjuvante Domino, ſi quid periculoſum apparuerit amputemus, & quod officio noſtro, & illorum ſaluti congruit, ſtatuamus. Data Romæ * in ſynodo, decimo ſexto Kalendas Aprilis, indictione XII.

* deeſt in ſynodo

LVIII. AD GEUSAM DUCEM HUNGARORUM

Commendat ejus obſervantiam erga ſedem apoſtolicam, teſtatur ſuam erga eum dilectionem. Scribit ut per Azonem marchionem quæcumque voluerit ſibi ſignificet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Geuſæ duci Hungarorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VIſis literis tuis, laudabilem devotionis tuæ profeſſionem cognovimus, in qua cor & animum tuum erga reverentiam apoſtolicæ ſedis igne divino inflammatum eſſe intelleximus. Qua de re non incerta ſpes tuæ ſalutis oſtenditur; & non parvum nobis exortum eſt gaudium: quoniam qui debita fide & devotione apoſtolicæ reverentiæ vota concipiunt, nequaquam dubia ab eis præſidia & beneficia præſtolantur. Unde etiam tuam monemus dilectionem, ut ſtudia tua erga honorem apoſtolorum ſemper excreſcant, & quanto te quotidie ex neceſſario fine vitæ tuæ judiciis illorum appropinquare cognoſcis, tanto propenſius eos debitores tibi efficere ſtudeas: quatenus per miſericordiam Dei, illis ſuffragantibus, peccatorum tuorum indulgentiam, & æternæ beatitudinis gloriam te adipiſci gaudeas. De noſtra vero caritate nullatenus te dubitare volumus; ſed effuſis in te intimis & paternis affectibus, locum apud nos agendi, & impetrandi quæ ſaluti & honori tuo digne competunt, te habere, remota omni dubitatione, promittimus. Et ſi quis inimicorum tuorum aliquid adverſum te molire prave tentaverit, procul dubio non ſolum noſtra carebit audientia, ſed indignationem apoſtolicæ gratiæ in eum exaſperari ſentiet. Tu autem ſi quid interdum aut de tuis cauſis, aut quod ſervitio apoſtolicæ reverentiæ pertineat, noſtris auribus intimare cupias, habes egregium videlicet marchionem Azonem, nobis quidem inter cæteros Italiæ principes valde dilectum, per quem ea quæ ad apoſtolicam audientiam referenda deſtinaveris, nobis aptiſſime indicari & commendari poterunt. De cætero divina clementia & ab inſtantibus hujus ſæculi te adverſitatibus protegat, & ad peragendum ea quæ ſibi beneplacita ſunt invictas tibi vires & facultates tribuat. Data Romæ in ſynodo, decimoſexto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

LIX. AD OTTONEM ET CHUONRADUM FRATRES.

Ne Olomucenſi eccleſiæ moleſtiam inferant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ottoni & Chuonrado fratribus Wratislai ducis Bohemorum ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

MEminiſſe debet nobilitas veſtra, quod de cauſa Olomucenſis eccleſiæ jam ante apoſtolica monita accepiſtis, ne juſtitiam ejus aliqua occaſione minueretis, neque moleſtantibus eam aliquod adjutorium præberetis. Nunc vos admonemus, & paterna caritate rogamus, ne aliquam contrarietatem eidem eccleſiæ faciatis, ſed pro reverentia ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cujus apoſtolicis privilegiis munita eſt, amorem & piæ devotionis ſtudia erga illam exhibeatis, & quantum veſtræ poteſtatis eſt jura & pertinentias ejus a vobis & veſtris inviolata conſervari ſtudeatis. Hæc enim eſt cauſa, in qua & divinæ remunerationis gloriam, & apoſtolorum certa præſidia, ac noſtræ dilectionis plenitudinem, vobis lucrari & aptiſſime poſſitis aſtringere: ſin autem (quod non optamus) aliter feceritis, procul dubio hæc eadem vobis corrumpere, & in contrarium, quod abſit, vertere poteritis. Data Romæ decimoquinto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

LX. AD SIGIFREDUM MOGUNTINUM EPISCOPUM.

Arguit quod cauſam, quæ inter Jeromirum Bragenſem & Joannem Moravenſem epiſcopos vertebatur, ad apoſtolicam ſedem jam ſæpe delatam, ad ſe convertere præſumpſerit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Sigifredo Moguntino archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad aures noſtras quædam de te indigna relatio, cui nequaquam fidem adhibuiſſemus, niſi quod in literis tuis quas de cauſa Jeromiri Bragenſis & Joannis Moravenſis epiſcoporum nobis direxiſti, idem in animum tuum te induxiſſe

ANNO CHRISTI 1074.

ſe intelleximus, videlicet, ut negotium quod ipſi habent adinvicem jam totiens ad apoſtolicam delatum audientiam, a noſtro judicio ad examen tui arbitrii transferretur. Qua in re, quoniam evidenter apparet, quam parum conſultores tui jura apoſtolicæ auctoritatis intelligant vel attendant, fraternitatem tuam, ut nobiſcum canonicas traditiones, & decreta ſanctorum patrum percurrat, invitamus, in quibus præſumptionis ſuæ faſtum denuo recognoſcens, culpam in ſeipſa negligentiæ pariter deprehendat, & auſus. Nam cum primum Joannes Moravenſis epiſcopus eccleſiæ cui præeſt jura defendere volens, multis injuriis ac contumeliis, flagellis etiam (ut audivimus) afficeretur, & tamen juſtitiam non poſſet conſequi, tuâ religio nullam inde ſolicitudinem, nullam in diſcutienda cauſa fatigationem ſuſcepiſſe dignoſcitur. Verum poſtquam apoſtolica ſedes accepta præfati epiſcopi querimonia ſæpe per epiſtolas, aliquotiens etiam per legatos cauſam juſto fine determinare, & litem compeſcere deſiderat; tunc demum evigilans ſolertia tua negotium animadvertit, ſuis hoc diſcuſſionibus referendum eſſe judicavit: & fratrem per apoſtolica ſuffragia ad portum juſtitiæ & quietis enatantem in profundum (credo) renovandæ contentionis, & laborum retrahere voluiſti. Quamquam igitur hinc officii tui incuria, illinc ſuſcepta adverſus apoſtolicam ſedem, accuſante te, arrogantia merito in te commoveri deberemus; utentes tamen apoſtolica manſuetudine, placido te admonemus affectu, ne ulterius tam inordinata, tam inconſulta præſumas, apoſtolica judicia non dico, tibi, ſed nec ulli patriarcharum, aut primatum retractandi licentiam fore exiſtimes, ne contra ſanctam Romanam eccleſiam quidquam tibi attribuere vel moliri cogites, ſine cujus abundanti clementia, nec in loco quidem tuo, ut tu ipſe noſti, ſubſiſtere potes. Nos etenim, adjuvante Deo, per auctoritatem beati Petri, ſicut jam diu in apoſtolica ſede decretum eſt, inter præfatos epiſcopos litem juſte decidere, & Moravenſi eccleſiæ quæ ſui juris ſunt decernere & corroborare procurabimus. Data Romæ decimoquinto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

Apoſtolici judicii prærogativa.

LXI. AD WRATISLAUM DUCEM BOHEMIÆ.

Hortatur ut in dies majores progreſſus faciat in obſervantia erga Romanam eccleſiam. Oſtendit ſe archiepiſcopo Moguntino ſignificaſſe, ne in cauſa Bragenſis epiſcopi longius progrederetur. quare quæ contra ipſum egerit nulla eſſe declarat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wratislao duci Bohemiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam afflatus igne divino ſtudia devotionis erga ſanctam & apoſtolicam eccleſiam habere cœpiſti, ſilere nos caritas in te diffuſa non patitur, quin ardorem divinæ ſervitutis de die in diem ferventius te concipere frequenti exhortatione moneamus. Illa etenim vota apud Deum præmia merentur & gloriam, quæ per gradus bonorum operum ad cacumen plenitudinis tendunt, & ſemper in bono deſideria ampliora concipiunt. Quapropter cariſſime fili in Chriſto, bona, quæ, Deo inſpirante, mens & devotio tua propoſuit, ad effectum perfectionis extendere ſtude: quatenus apoſtolica benevolentia, nulla tibi labefactata ſenitie, pro meritis tuis ampliori ſemper te dilectione comprehendat. De reliquiis & privilegio unde nos rogaſti, cum nuntius tuus, finita & perfecta eccleſia, conſecrationis conſilium a nobis quæſierit, voluntati tuæ ſatisfacere benigne procurabimus. Sigifredum vero archiepiſcopum Moguntinum de præſumptione, quam in cauſa Jeromiri Bragenſis epiſcopi habuit, per epiſtolam noſtram duriter increpavimus, interdicentes ei, ne ulterius ſe hujuſmodi inertia & fatuitate occupare incipiat. Attamen ſi quid adverſum te temerario judicio fecerit, præventu apoſtolicæ auctoritatis tutus atque defenſus, donec iterum ad te noſtra legatio perferatur, pro nihilo ducas, magiſque ſibi ad periculum, quam tibi futurum eſſe non ambigas. De cætero apoſtolicis benedictionibus ſemper te munitum eſſe gaudeas. Data Romæ decimoquinto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074.

LXII. AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

Miratur eum ad viſitandam apoſtolicam ſedem non acceſſiſſe. Monet id faciat, & fratres ſuos preces pro ſe fundere curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hugoni abbati Cluniacenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

GRata nobis & dulcia ſunt verba veſtra, ſed multo uberiori delectatione nos caperent, ſi veſtra caritas ardentius erga Romanam ferveret eccleſiam. In hoc enim dilectionis veſtræ flammam reſidere deprehendimus, quod conſolationem veſtræ viſitationis totiens quæſitam invenire non poſſumus. Id quidem non aliis occupationibus veſtris imputandum eſſe credimus, niſi quod ſanctitatem veſtram labores fugere, & aliquanto graviora negotia, quaſi pigritatem quibuſdam occaſionibus declinare videmus. Proinde noſcat religio veſtra, quoniam qui denegatam nobis præſentiam veſtram hactenus cum admiratione ſuſtinuimus, deinceps ſine mu ta anxietate & mentis perturbatione ferre non poſſumus. Meminiſſe enim debetis, quot & quanta negotia in veſtra manu, & confratris noſtri * Giraldi Oſticenſis epiſcopi poſuerimus, quæ propter abſentiam veſtram aut neglecta percunt, aut competentem finem habere non poſſunt: quoniam cum præfatum epiſcopum in ſervitio ſancti Petri ultra montes ad regem miſimus, vos venturum æſtimabamus. Quapropter, etſi commoti, dilectionem veſtram intimo admonemus affectu, ut nos in multis & magnis anguſtiis poſitos quantocius viſitare curetis. Portamus enim quamquam infirmi, quamquam extra vires ingenii, & corporis, ſoli tamen portamus in hoc graviſſimo tempore, non ſolum ſpiritualium, ſed & ſæcularium ingens pondus negotiorum, & caſum noſtrum quotidie ex imminenti ſarcina formidamus, qui ſuſtentationis auxilia in hoc ſæculo * nequaquam reperire nequimus. Unde per omnipotentem Dominum rogamus, ut fratres veſtros (ſicut ab initio ordinationis noſtræ poſtulavimus) pro nobis jugiter orate Deum commoneatis: quoniam niſi illorum & allorum fidelium interventibus, divina ſuffragia mereamur, noſtrum, & quod magis timemus, eccleſiæ periculum evitare non poterimus. Omnipotens Deus, a quo bona cuncta procedunt, vos ac commiſſos vobis in hac mortali vita ita vivere faciat, ut ad veram, & immortalem vitam, Deo ducente, perveniatis.

* Gerardi

* nequam legendum ex ſe arbitror.

Data

Data Romæ decimoquarto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074.

LXIII. AD SANCIUM REGEM ARAGONIÆ.

Commendat ejus obſervantiam erga Romanam eccleſiam, quodque in ſua ditione officium Romanum celebrari ſtudeat. Abſentis cujuſdam accuſationem non recipit: nuntium reverſo legato ſe miſſurum promittit, qui cauſam definire curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Sancio reg Aragonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LIteras nobilitatis tuæ ſuavitate plenas læti ſuſcepimus, in quibus quanta fidelitate erga principes apoſtolorum Petrum & Paulum, ac Romanam eccleſiam, ferveas, ſatis perſpeximus: quam, tametſi literas tuas nullas videremus, per legatos apoſtolicæ ſedis evidenter compertam habebamus. In hoc autem quod ſub ditione tua Romani ordinis officium fieri ſtudio & juſſionibus tuis aſſeris, Romanæ eccleſiæ te filium, ac eam cor ordiam & eamdem amicitiam te nobiſcum habere, quam olim reges Hiſpaniæ cum Romanis pontificibus habebant, cognoſceris. Eſto itaque conſtans, & fiduciam firmam habeas, & quod cœpiſti perficias: quia in Domino Jeſu Chriſto confidimus, quia beatus Petrus apoſtolus, quem Dominus Jeſus Chriſtus rex gloriæ principem ſuper regna mundi conſtituit, cui te fidelem exhibes, te ad honorem deſiderii tui adducet, ipſe te victorem de adverſariis tuis efficiet. Cum enim Dominus filium amat, flagellat & caſtigat. Melius & utilius ex adverſis pervenitur ad proſpera. Qui enim dicit ridentibus: *Væ vobis, quia flebitis*, ipſe lugentes beatos aſſerit, quoniam ipſi conſolabuntur. De Salomone autem ad præſens nihil reſpondimus, quoniam accuſationem per literas, eo abſente qui accuſat, ſacri canones non recipiunt. Eſt quoque aliud, quod legatus noſter, qui ad partes illas his temporibus fuit, aberat, & ſine eo judicium inde dare noluimus. Eo vero revertente habebimus, Deo favente, conſilium & ad vos nuntium noſtrum mittemus, qui hanc & alias neceſſarias cauſas diligenti examine perquirens, ſingulis quibuſque juſtæ determinationis finem imponet. Data Romæ decimotertio Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

Officium ordinis Romani.

Hebr. 12. Utilitas tribulationum.

Matth. 5. Luc. 6.

LXIV. AD ALPHONSUM CASTELLÆ, & Sancium Aragoniæ reges.

Hortatur ad recipiendum Romanum officium. Excommunicationem ac depoſitionem cujuſdam ſimoniaci per ſuos legatos confirmat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Alphonſo & Sancio regibus Hiſpaniæ a paribus, & epiſcopis in ditione ſua conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* De Alphonſo & Sancio regibus Hiſpaniarum Rodericus archiepiſcopus Toletanus de rebus Hiſpanicis. *Rom. 13.* Epiſcopos ad Hiſpaniam miſſos a ſede apoſtolica

CUm beatus apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet, ac poſtea ſeptem epiſcopos ab urbe Roma ad inſtruendos Hiſpaniæ populos a Petro & Paulo apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructa idololatria Chriſtianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem & officium in divinis cultibus agendis oſtenderunt, & ſanguine ſuo eccleſias dedicavere, veſtra diligentia non ignoret, quantam concordiam cum Romana urbe Hiſpania in religione & ordine divini officii * habuiſſe ſatis patet: ſed poſtquam veſania Priſcillianiſtarum diu pollutum, & perfidia Arianorum depravatum, & a Romano ritu ſeparatum, irruentibus prius Gothis, ac demum invadentibus Saracenis, regnum Hiſpaniæ fuit, non ſolum religio eſt diminuta, verum etiam mundanæ ſunt opes labefactatæ. Quapropter ut filios cariſſimos vos adhortor & moneo, ut vos ſicut bonæ ſoboles, etſi poſt diuturnas ſciſſuras. demum tamen ut matrem revera veſtram Romanam eccleſiam recognoſcatis, in qua & nos fratres reperiatis, Romanæ eccleſiæ ordinem & officium recipiatis, non Toletanæ, vel cujuslibet aliæ, ſed iſtius quæ a Petro & Paulo ſupra firmam petram per Chriſtum fundata eſt, & ſanguine conſecrata, cui portæ inferni, id eſt linguæ hæreticorum, nunquam prævalere potuerunt, ſicut cætera regna occidentis & ſeptemtrionis teneatis. Unde enim non dubitatis vos ſuſcepiſſe religionis exordium, reſtat etiam ut inde recipiatis in eccleſiaſtico ordine divinum officium: quod Innocentii papæ ad Eugubinum directa epiſcopum vos docet epiſtola, quod Hormiſdæ ad Hiſpalenſem miſſa decreta inſinuant, quod Toletanum & Bracarenſe demonſtrant concilia: quod etiam epiſcopi veſtri ad nos nuper venientes juxta conſtitutionem concilii per ſcripta ſua facere promiſerunt, & in manu noſtra firmaverunt. Præterea, ſicut de aliis excommunicationibus per legatos Romanæ eccleſiæ ſatisfecimus, depoſitionem & excommunicationem, quam * Geraldus Oſtienſis epiſcopus cum * Rembaldo in Munionem ſimoniacum, qui ſuper Simeonem venerabilem fratrem noſtrum, * Oſcenſem epiſcopum ordinatus erat, * ratam eſſe decrevimus, atque firmavimus, uſque dum reſipiſcens, de epiſcopatu, quem indebite tenuit, ſibi ſatisfaciat, atque inde recedat. Data Romæ XIV. Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074. Petro & Paulo ad eccleſiam ibi fundandam. Concordia Hiſpaniæ cum Romana eccleſia in religione & ordine divini officii. * Forte, *habuiſſe*, Hiſtoria Manid.

Epiſt. 19.

* Gerardo * Rembaldo

* *forte* dejit fecit.

LXV. AD RAGUSEOS.

DArguit quod eorum epiſcopo in carcerem conjecto alium ſibi elegerint. Præcipit ut eum vinculis ſolvant: & hac de cauſa legatum mittit. Quod ſi per ipſum legatum hæc cauſa ad exitum perduci non poterit, jubet eum epiſcopum, & eum qui ab ipſis fuit electus, Romam venire.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Raguſeis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi obedierint.

PErvenit ad aures noſtras, vos Vitalem epiſcopum veſtrum cepiſſe, &, eo in cuſtodia & vinculis poſito, alium vobis in epiſcopum elegiſſe. Quæ quidem res quam ſit inordinata, quam iniqua, quam criminoſa, quam divinis & humanis legibus contraria, nulli fidelium in dubio eſſe credimus. Proinde miſimus ad vos dilectum fratrem noſtrum * Giraldum Sipontinum archiepiſcopum, ut hac in re noſtra legatione fungens, juſtitiam inde decernere debeat. Admonemus itaque & apoſtolica vobis auctoritate præcipimus, ut relaxato epiſcopo quem in captione tenetis, in præſentiam præfati archiepiſcopi conveniatis, & ad faciendam ſuper hac re canonicam juſtitiam, & in

* Geraldum

2 Legendum *Oenſem*, admonet Pagius ad ann. Chr. 1074. num. 11. Alia enim *Oſca* ab Oca.

& in aliis etiam eccleſiaſticis cauſis, quæ inter vos corrigendæ ſunt, eamdem quam præſentiæ noſtræ deberetis obedientiam & favorem exhibeatis. Quod ſi peccatis impedientibus cauſa apud vos examinari & diffiniri non poſſit, volumus, ut utrumque, videlicet epiſcopum captum, & eum quem irregulariter elegiſtis, in noſtram præſentiam conducatis; quatenus, adjuvante Deo, quod juſtum fuerit inde judicare & auctorabiliter ſtatuere valeamus: alioquin ſi noſtra, immo apoſtolica monita & præcepta contempſeritis, a liminibus eccleſiæ, & omni Chriſtiana communione, vos apoſtolica auctoritate pellendos & ſequeſtrandos eſſe ſciatis. Data Romæ decimotertio Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074.

LXVI. AD MONACHOS ſancti Quirici, &c.

Jubet epiſcopo Reatino reſtitui bona ablata monaſterii ſancti Quirici.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus monachis & laicis monaſterii ſancti Quirici, & omnibus Joſeppingis, & filiis * Alberici, & filiis Rapteri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Alberti, & ſic infra.

NOtum vobis fieri volumus, quod monaſterium ſancti Quirici juris eccleſiæ ſancti Petri confratri noſtro Rainerio & coepiſcopo Reatino dedimus. Proinde rogamus, immo præcipimus atque jubemus, ut illum in omnibus & contra omnes adjuvetis, & caſtra, quæ vos Joſeppingi, & filii Alberici, & filii Rapteri, detinetis, ſupradicti epiſcopi ditioni reſtituatis, & eum in his & in omnibus bonis ad ſupradictum monaſterium pertinentibus fideliter adjuvetis, & nullam ei ullo modo moleſtiam faciatis, ſicut gratiam ſancti Petri & noſtram habere vultis; alioquin iram noſtræ malevolentiæ, ſeu excommunicationis vinculum non evadetis. Data Romæ decimotertio Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

LXVII. AD GIRALDUM SISTARICENSEM EPISCOPUM.

Præcipit ut eccleſiam Croſcienſem quam invaſerat, relinquat, & ſi quod jus in ea eccleſia ſe putet habere, ad ſe veniat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Giraldo Siſtaricenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi obedieris.*

* Geraldo

MIchael presbyter eccleſiæ * Croſcienſis conqueſtus eſt nobis, te præfatam eccleſiam, quam ipſe juris ſancti Petri eſſe non dubitas, invaſiſſe, bona ejus diripuiſſe, presbyteros & clericos cepiſſe, ac vi contra fas & jura jurare compuliſſe. Cum vero Ananiam & Sapphiram propter propria bona, quæ beato Petro promiſerant, & non dederunt, mortem incurriſſe non ignores, quo inſtinctu, niſi diabolico, tantam invaſionem præſumpſiſti? tantam contumeliam intuliſti? tantum ſacrilegium in apoſtolorum principem perpetraſti? Quapropter apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, ut perſpectis his apicibus, abſque omni occaſione, vel dilatione, prædictam noſtram Croſcienſem eccleſiam expediens liberam reddas, presbyteros & clericos abſolutos, & omnia quæ inde tuliſti, ſibi reſtituas, & cum pace & quiete ibi Deo ſervire ſub beati Petri ditione in tuitione noſtra permittas. Si autem te aliquam juſtitiam in præmiſſa eccleſia habere exiſtimas, ad nos cito cum prælibatis canonicis noſtris venias, ut juſtitiam in præſentia noſtra recipias. Si autem hoc non feceris, te apoſtolica auctoritate excommunicandum noveris. Data Romæ XII. Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

* Crocienſis.

AR. 5.

ANNO CHRISTI 1074.

LXVIII. AD FROTERIUM NEMAUSENSEM EPISCOPUM.

Queritur de injuriis illatis monaſterio ſancti Ægidii, & ejus abbati, contempta apoſtolica ſede. Jubet ipſum deſiſtere.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Froterio Nemauſenſi in provincia epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AUdivimus olim noſtri tempore prædeceſſoris venerabilis memoriæ Alexandri te contra juſtitiam monaſterium ſancti Ægidii, quod idem gloriosus confeſſor juri beati Petri tradidit, uſque adeo affeciſſe injuriis, ut ejuſdem abbatem a Romano pontifice conſecratum capere præſumeres, ſpreto rigore canonum, contemptiſque privilegiis ab apoſtolica ſede derivatis. Unde tunc merito & adhuc dolemus, non dubitantes abbatis contumelias Romanæ majeſtati fuiſſe illatas. Nihilo minus quoque nobis diſplicet, quod quaſi de integro tibi licentiam uſurpas præfatum excommunicandi cœnobium, cum hoc tibi non liceat hujus ſanctæ ſedis auctoritas authenticorum teſtetur in datione privilegiorum. Quapropter præcipiendo rogamus, & rogando præcipimus, nullius etiam ſub obtentu occaſione juſtitiæ, ſive excommunicando, ſive miſſas celebrando, fratres prædicti cœnobii præſumas inquietare. Si autem illi in aliquo tibi eſſe videbuntur injuſti, volentes ac potentes non deerimus ad faciendam tibi de ipſis juſtitiam. Sin vero, quod abſit, noſtræ exhortationis, immo præcepti neglector extiteris, * illos autem a jugo ſervitutis, per auctoritatem, quæ data eſt apoſtolo Petro nos ejuſdem vicarios, ut Deo libere ſerviant, eſſe abſolutos. Data Romæ XI. Kalendas Aprilis, indictione XII.

* Deos aliquos illos ſcilicet

LXIX. AD GUILIELMUM DIENSEM COMITEM.

Remittit epiſcopum ab ipſis electum, & a ſe conſecratum, jubetque eos ipſi obedire, præcipue in ſimoniaca hæreſi extirpanda. Minatur ipſi comiti excommunicationem, ſi jus ſuum retribuere noluerit epiſcopo & ejus eccleſiæ.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo Dienſi comiti ac univerſis fidelibus ac ſubditis Dienſis eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VEnientem ad nos Hugonem epiſcopum veſtrum benigne ſuſcepimus, &, quia vos in electionem ejus unanimiter conveniſſe audivimus, epiſcopali conſecratione eum vobis in paſtorem ordinavimus; quatenus ſub ejus regimine ſpiritualibus inſtructi diſciplinis perceptæ fidei fructum & gloriam ſempiternam conſequi, Deo dante, poſſitis. Expleto igitur in eo miniſterii noſtri debito, cum omni caritate eum ad vos remittimus, admonentes vos per fidem in qua redempti & per Chriſtum ſalvati eſtis, ut eum debito honore & reverentia ſuſcipiatis, & omnem in omnibus quæ ad regimen ſui epiſcopatus pertinent obedientiam & ſa-

& favorem ſibi exhibeatis. Nos enim inter cæteANNO CHRISTI 1074. ra eum ſolicite admonuimus, ut contra ſimoniacam hæreſim totis erigeretur viribus, & eccleſiam ſuæ parochiæ non prius conſecraret, nec conſecratas aliter divinum officium celebrare permitteret, niſi prius abſolute a laicorum manibus (ſicut canonicum eſt) ſuo juri & epiſcopali ejus providentiæ redderentur. Quamobrem ne quis ei contrarius in exequendo monita noſtra obſiſtat, apoſtolica auctoritate ſub anathematis comminatione interdicimus. Te autem, prædicte comes, ſingulariter alloquentes, valde miramur, quod poſtquam præfatum confratrem noſtrum inſtinctu divinæ clementiæ cum conſenſu aliorum omnium in epiſcopum elegeras, & fidelitatem ſibi ex more feceras, neſcio quibus de cauſis elatus, eo præſente, commotionem adverſus eum agere præſumpſiſti, & poſtquam ad apoſtolica limina venit, clericos & cives urbis deprædatus es, & (quod valde nefandum eſt) quemdam clericum cepiſti. Quamvis igitur in hac tanta & tam crudeli præſumptione cenſuram apoſtolicæ animadverſionis in te provocaveris, rogatu tamen ejuſdem epiſcopi tui adhuc debitæ ultionis jaculum in te vibrare diſtulimus. Cæterum ne hæc patientia noſtra te in audaciam erigat, & nos in culpam negligentiæ juſtitiæ trahat, apoſtolica te auctoritate monemus, atque præcipimus, ut ſine omni dilatione, quæcumque adverſus epiſcopum, & eccleſiam ſibi commiſſam, temere & inique commiſiſti, digna ſatisfactione emendes, & ulterius nulla eum contrarietate moleſtare præſumas. Alioquin ſcias epiſcopum noſtrum, apoſtolica juſſione conſtrictum, te ſicut hoſtem & impugnatorem juſtitiæ a liminibus eccleſiæ anathematis innodatum vinculis ſequeſtrare. Quod & ſi ipſe (quod non credimus) timore aliquo vel gratia prætermitteret, nos tamen tantæ temeritatis facinus non * relinquemus inultum, & epiſcopus pro negligentia officii ſui non leve ſuſcepti miniſterii perpenderet ſibi imminere periculum. Datum Romæ * decimoſeptimo Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

* Forte, relinqueremus. M.

* X.

LXX. AD GUILIELMUM REGEM ANGLORUM.

Commendat Guilielmi regis erga ſe & apoſtolicam ſedem obſervantiam, hortaturque eum ad eccleſiarum defenſionem, ſignificat ſe & eccleſiam in magnis perturbationibus verſari. Quoddam privilegium ſancti Stephani ratum haberi non vult. Bona ſancti Petri in Anglia commendat.

De Guilielmo Marianus Scotus & Sigebertus in chronico anni 1066. Guilielmus Neubrig. rerum Anglicar. lib. 1. cap. 2.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo regi Anglorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Mœrore mentis tuæ, fili dilecte, ex deceſſu anteceſſoris noſtri beatæ memoriæ Alexantri, tui etiam hilaritate ex noſtræ promotionis certo rumore, abſque dubio credimus te ex corde matri tuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ adhærere, eamque totis viribus, ut debes, diligere. Nam quia ejus quaſi viduitate audita graviter angebaris, conſolatione etiam ſua de noſtri promotione vero gaudio lætaris, ſtatumque noſtrum te velle ſcire per literas tuas obnixe & humiliter precaris. Affectum boni filii, affectum filii matrem ex corde diligentis, oſtendis. Exequere ergo operibus, fili dilecte, quod ore confiteris: imple efficaciter quod dicis ut conſentias ipſi veritati clamanti: *Qui diligit me, ſermones meos ſervabit*. Et

Joan. 14.

Concil. General. Tom. XX.

alibi: * *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis*. Sermones matris tuæ hi ſunt, & hujuſmodi: Juſtitiæ per omnia, cum opportunum eſt, tu modo inſudare non deſinas, eccleſiis tibi ad defendendum commiſſis ſic conſulere, ut fomenta ſalutis animæ tuæ conficias, peccatorum maculas deleas, virtutum odores ſic tibi introducas, ut cum apoſtolo dicas: *Chriſti bonus odor ſumus*. Honorem Dei, & omnia quæ Dei ſunt, tuo & mundanis omnibus præponere conſulimus, admonemus, & precamur: cum hoc ex certo ſit unum, quod neglectum ſæpius tuæ dignitatis poteſtates ſolet perdere, & ad inferos trudere. Hæc ideo, cariſſime, tibi inculcamus, quia inter reges te ſolum habemus, quem præ aliis diligere ſupraſcripta credimus. Statum verum noſtrum, quem te ſcire ſuppliciter oras, ſic accipe: Navem inviti aſcendimus, quæ per undoſum pelagus violentia ventorum, & imperu turbinum, & fluctibus ad æra uſque inſurgentibus in incerta dejicitur ſaxis occultatis, & aliis a longe in altum apparentibus, licet cum periculo, obviat tamen & ex animo. Sancta quippe Romana eccleſia, cui licet indigni & nolentes præſidemus, diverſis tentationibus, quamplurimis perſecutionibus hypocritarum & hæreticorum inſidiis & doloſis objectionibus continue & quotidie quatitur, mundanis vero poteſtatibus occulte & evidenter per diverſa diſtrahitur. Quibus omnibus obviare, & his & quamplurimis aliis ſummopere cavere, poſt Deum, & inter homines noſtri & officii & curæ ſpecialiter horum cura die noctuque coquimur, his & ſimilibus continue divellimur, licet pro tempore ab hujus mundi filiis hæc nobis videantur arridere. Quæ tamen (grates Deo referimus) mundana coguntur nobis diſplicere. Sic vivimus, &, Deo annuente, vivemus. Privilegium vero ſancti Stephani, de quo mandaſti, animæ tuæ ſalus eſt, & pro eodem tibi conſulimus ſic ratum te habere, prout legati noſtri Petrus & Joannes Minutus canonice obſervandum judicarunt. Si tamen ſuperabundans aliquid privilegio tibi videtur adſcriptum, quantum plura pro Deo, & ſancto Petro, beato Stephano conceſſeris, tanto majora in retributione ab his procul dubio habebis. Rebus vero ſancti Petri, quæ in Anglia colliguntur, ſic te ut tuis invigilare admonemus, ſic liberalitati tuæ, ut tua committimus, ut pium & propitium debitorem Petrum reperias, & eum tibi ex debito ſubvenire admoneas, quem ſibi multa te tribuiſſe non latebit. Data Romæ 2. Nonas Aprilis, indict. XII.

ANNO CHRISTI 1074. Greg. P. homil. 30. in Evang.

2. Cor. 2.

Collectiones rerum ſancti Petri in Anglia.

LXXI. AD MATHILDEM REGINAM ANGLORUM.

Commendat ejus humilitatem & caritatem: hortatur ut in dies in his magis proficiat, & in viro ſuo ea ſuadeat quæ ad animæ ſalutem in primis pertinent.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Mathildi reginæ Anglorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Auditis nobilitatis tuæ literis, liberalitatem tuam, filia dilecta, dilectioni & humilitati invigilare intelleximus, ex quibus tuæ ſalutis indicium & ſpem certam hilariter accepimus. Non quippe dubitandum de ejus ſalute fore credimus, quæ humilitati & dilectioni, in qua lex ex toto continetur, ex corde inſervire dignoſcitur. Munera hæc & ſimilia a te expectamus, immo tota mentis deſiderio accipere cupimus; ut quæ nobilis

es ſanguine nobilior vivas ſanctorum morum honeſtate. Inſta viro tuo: animæ utilia ſuggerere ne deſinas. Certum enim eſt, ut ſi vir infidelis per mulierem fidelem (ut ait apoſtolus) ſalvatur, vir etiam fidelis per mulierem fidelem in melius augmentatur. Data Romæ ſecundo Nonas Aprilis, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074. 1. Cor. 7

LXXII. AD GOTEFREDUM DUCEM.

Arguit quod milites auxilio ſancto Petro non miſerit, ut promiſerat. Monet ut eos mittat.

* Gotifredo

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Gotefredo duci ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SI ſic mentis ſtabilis in apoſtolorum principis fidelitate maneres, ſicut nobis promiſeras, & ex corde ſibi adhæreres, multa tibi quaſi ex pactione, & vera caritate deberemus; verum quia *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt*, &, ut pſalmiſta ait, *non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, viam multorum aliorum ſecutus declinaſti: ubi eſt auxilium quod pollicebaris? ubi milites quos ad honorem & ſubſidium ſancti Petri te ducturum nobis promiſiſti? Sed quia quod beato Petro promiſiſti non impleviſti, nos licet indigni, qui vicarii ejus dicimur, nulla alia tibi promiſſione adhæremus, niſi quia ut Chriſtiano tibi conſulere debemus. Reminiſcere patrem tuum multa ſanctæ Romanæ eccleſiæ promiſiſſe, quæ ſi executus foret, longe aliter & hilarius de eo quam ſentiamus tecum gauderemus. De Sardinia vero, quia terminus quem poſuimus jam tranſiit, nihil aliud mandamus, quam quod præſentes ſimul diximus. Denique ſi in his quæ nobis promiſiſti, videlicet ſancto Petro ex corde adhærere, immobiliter perſtare volueris, te ſicut cariſſimum filium habebimus, & tu nos, quamquam indignum, dulcem tamen habebis patrem. Data Romæ ſeptimo Idus Aprilis, indictione duodecima.

Pſal. 13.

LXXIII. AD ISEMBERTUM PICTAVENSEM EPISCOPUM

Ut in provinciali concilio metropolitano rationem reddat de monaſterio * Nobiliacenſi, quod clerici ſancti Hilarii per vim ab eo detineri querebantur: &, ſi ſe gravatum ſentiat, ad ſe Romam veniat.

* Obiliacenſi

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Iſemberto Pictavenſi epiſcopo.

CLerici congregationis ſancti Hilarii venire ad nos, conquerentes ſuper te de Nobiliacenſi monaſterio. Dicunt enim id juris ſancti Hilarii eſſe, & a te nulla ratione juſtitiæ detineri: unde etiam prudentiam tuam apoſtolicas prædeceſſoris noſtri Alexandri literas ſuſcepiſſe teſtantur, ſed inde juſtitiam recipere ſe non potuiſſe iterata reclamatione manifeſtant. Aſſerunt quoque prædium Campaniacum nomine te conſentiente a prædonibus tuis injuſte devaſtari. Addunt inſuper ſe ex antiqua conſuetudine cum ſanctis reliquiis & plebe ſua matricem eccleſiam in rogationibus adiiſſe, & a canonicis tuis ad contumeliam ſibi clauſas portas eccleſiæ & introitum negatum fuiſſe. Quæ ſi ita facta ſunt, apoſtolica auctoritate tibi præcipimus, ut te repræſentes in concilio epiſcoporum provinciæ veſtræ metropolitano tuo, & roddita ſuper his omnibus ratione, ac pura veritate diſcuſſa, juſtitiam inde conſequenter exhibere non prætermittas. Verum ſi hæc aliqua occaſione renueris, aut te injuſte prægravari cognoveris, in feſtivitate omnium ſanctorum cum aliquot clericis ſancti Hilarii ad nos venias, ut in præſentia noſtra controverſia veſtra diligenter perquiſita & cognita legitimum finem, Deo adjuvante, ſuſcipiat & tam ſolicitudo noſtra, quæ multis invigilat, quam veſtra lis deinceps ſuper his cauſis ſopita quieſcat. Data Romæ ſecundo Idus Aprilis, ind. XII.

ANNO CHRISTI 1074.

LXXIV. AD BELVACENSES.

Abſolvit eos ab excommunicatione precibus epiſcopi quem offenderant. Monet ut obediant, & ab eo pœnitentiam ſuſcipiant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Belvacenſi, ſi reſipuit, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam mira & hactenus inaudita feniſtis, deteſtanda & abominanda perpetraſtis, & ſuper gentes, quæ ignorant Deum ſæviendo, & inhumanas linguas exacuendo, in Deum & in dominum veſtrum præſumpſiſtis, idcirco ſancta Romana eccleſia auctoritate patrum, ſanctione canonum, in vos jaculum anathematis jure contorſit, & pro meritis talibus ac tantis gladium in vos diræ animadverſionis evaginavit. Sed poſtquam filius & confrater noſter Guilielmus epiſcopus veſter, paterna pietate rogando pro vobis, epiſtolam ſuam nobis in tempore ſynodi direxit, ſentientes eum erga vos benevolum, & referentem pro malo bonum, precibus ejus moti ſolita pietate condeſcendimus, & per auctoritatem beati Petri apoſtolorum principis vos abſolventes, indultam abſolutionem continuo vobis per literas noſtras ſignificare deſtinavimus. Eadem igitur auctoritate beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, vos monemus, quatenus poſthac ſibi ſubditi, & obedientes, ſicut veſtro epiſcopo, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ filio, ſitis: & de tanta perpetratione, ſi pœnitentiam adhuc non feciſtis, ejuſdem epiſcopi veſtri ſalubri conſilio ſine mora ſuſcipiatis; quatenus ſpiritus veſter ſalvus ſit in die Domini. Data Romæ, Idibus Aprilis, indictione duodecima.

LXXV. AD PHILIPPUM I. REGEM Francorum.

Monet ut damna Belvacenſi eccleſiæ illata reſarciat, & ſuos anteceſſores imitetur in defendendis & ampliſicandis eccleſiis.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Philippo * regi Francorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* De Philippo I. rege Francorum conſulantur Almonii l. 5. de geſtis Francorum capite 48 & ſeq.

SIgnificaſti nobis per literas & legatos tuos, te beato Petro apoſtolorum principi devote ac decenter velle obedire, & noſtra in his quæ ad eccleſiaſticam religionem pertinent monita deſideranter audire atque perficere. Quod ſi ita cordi tuo divino inſtinctu affixum eſt, multum gaudere nos convenit, quod eminentia tua ad divinam prona reverentiam, quæ regiæ adminiſtrationis ſunt cogitat atque cognoſcit. Unde nobilitatem tuam ex parte beati Petri admonemus, & omni caritatis affectu rogamus, quatenus Deum tibi placare ſtudeas, & inter cætera quæ tuum eſt corrigere, per te illata Belvacenſi eccleſiæ detrimenta

ta pro magnitudine tui nominis & honoris aliquatenus emendare non prætermittas. Attendere enim te nobiſcum & diligenter conſiderare volumus, in quanta dilectione ſedis apoſtolicæ, quantaque gloria & laudibus fere per orbem terrarum anteceſſores tui reges clariſſimi & famoſiſſimi habiti ſunt, dum illorum regia majeſtas in ampliſicandis & defendendis eccleſiis pia ac devota conſtitit, in tenendo juſtitiam libera ac diſtracta permanſit. Poſtquam vero divina & humana jura ſubvertendo tanta virtus in poſterioribus cœpit hebeſcere, totius regni gloria, decus, honor, & potentia cum perverſis moribus immutata ſunt, & nobiliſſima fama, & ſtatus regni, a culmine ſuæ claritatis inclinata ſunt. Hæc quidem & alia talia frequenter, &, ſi oportet, aſpero etiam ſermone tibi inculcare, ſuſcepti nos officii cura compellit: quoniam licet verbum prædicationis abſcondere & uſpiam tacere non ſit nobis tutum aut liberum, tamen quanto dignitas eſt amplior, & perſona ſublimior tanto propenſiorem curam & clamorem pro ejus rectitudine nos habere convenit, admonente nos Domino per prophetam dicentem; *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam*; præcipue cum virtus Chriſtianorum principum in ejuſdem regis caſtris ad cuſtodiam Chriſtianæ militiæ nobiſcum convenire debeat. Ut igitur eorum quorum es ſucceſſor in regno nobilitatis & gloriæ apud Deum & homines ſingularis & individuus heres exiſtas, virtutem illorum ſummopere te imitari, & juſtitiam Dei totis viribus exequendo, eccleſias quantum potes reſtaurare & defendere exhortamur, quatenus omnipotens Deus dextera virtutis ſuæ, & hic regni tui gubernacula protegat, & exaltet, & coronam ſempiternæ gloriæ in futura remuneratione donet. Data Romæ Idibus Aprilis, indictione XII

Iſa. 58.

LXXVI. AD HUMBERTUM LUGDUNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Epiſcopum Matiſconenſem commendat, & ad eccleſiarum defenſionem hortatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Humberto Lugdunenſi archiepiſcopo & ejus ſuffraganeis epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

* veſtrum

COnfratrem * noſtrum Matiſconenſem epiſcopum, quem intervenientibus quibuſdam rationabilibus cauſis ordinavimus, ad vos cum noſtris literis & apoſtolico ſigillo mittimus, quatenus de ſuſcepto ſacerdotalis officii ordine & honore non incerta vobis ſigna & indicia referat Cui quamquam vos debitam & fraternam dilectionem prompte exhibere non dubitemus, addere ſibi tamen & noſtræ ad vos commendationis quaſi privilegium oportere perſpeximus, quatenus ei tanto accumulatior inter vos caritas eniteſcat, quanto ex vinculo veſtræ fraternitatis, & reſpectu apoſtolicæ reverentiæ, conjunctior & eminentior eum cauſa commendat. Quapropter rogamus vos, & admonemus in Domino, ut eum plenæ dilectionis affectibus, & digna congratulatione ſuſcipiatis, & ad regendam ſibi commiſſam eccleſiam, ejuſque jura retinenda, &, ubi opus fuerit, recuperanda cum omni cura & ſtudio, quæ poteſtis conſilia & adjutoria conferatis. Nam quanto his temporibus pro peccatis noſtris eccleſia ſævioribus uſquequaque concutitur perturbationibus, tanto ſolicitius nos ad defenſionem earum noſtra conſilia & quas poſſumus vires adunare debemus; quatenus contra tanta pericula fortiores in militia Chriſti, & fraternis negotiis mutuis ſuſtentationibus ſuſtinere, Deo adjuvante, valeamus. Data Romæ decimoſeptimo Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074.

LXXVII. AD BEATRICEM ET EJUS filiam Mathildem.

Laudat humilem pœnitentiam epiſcopi Argentini, & eas arguit, quod venientem Romam injuſte detinuerint. Mandat ut ſolutum Mediolanum uſque dirigant. Placentino & aliis Longobardiæ epiſcopis pro neceſſitate conceſſam confirmandi licentiam aſſerit. Reddit nonnullorum actorum ſuorum, de quibus murmurabatur, rationem.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei duci Beatrici & ejus filiæ Mathildi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUm Propheta teſtetur quod omnipotens Deus, quem imitari jubemur, cor contritum & humiliatum non ſpernat, nos quidem qui peccatores ſumus, etſi contritionem cordium in aliis non ſatis plene reſpicimus, cognita tamen diſſimulare, & quaſi pro nihilo computare non debemus. Guarnerius Argentinenſis epiſcopus, poſtquam peccatis facientibus decorem ſui ordinis indigne tractavit, vocatus ad correctionem a domino noſtro venerandæ memoriæ Alexandro papa, ſolus inter omnes Teutonicæ terræ epiſcopos, quorum multi non ſolum carnali ſcelere, ſed etiam ſimoniaca labe fœdati, itidem vocati ſunt, apoſtolorum limina petiit, locum judicii in humilitatis forma prævenit, & veritus apoſtolicam virgam annuntiando & cogitando pro peccatis ſuis in faciem procidit. Apoſtolica igitur tum cenſura correptus jam nunc apoſtolicam venit expediri clementiam, & cum tanta fatigatione, ſicut audivimus, jejunando pariter, & plerumque pedes eundo, compunctionem ſuam & obedientiam demonſtravit, ut confratres noſtri pro competentia horum temporum miſerendum ſibi fore dignum æſtimarent & decernerent: cui quamquam epiſcopalis officii redintegrationem ad vota ſua non conceſſimus, exercere tamen in illo rigorem canonicum hoc in tempore quid referret, cum fortaſſe, hoc amoto, locum ejus non alius poſſideret, niſi qui plurimum pecuniæ dare poſſet? Cæterum quod vos feciſtis in eum, quam inhoneſtum vobis, quam mihi verecundum, quamque beato Petro & apoſtolicæ ſedi contumelioſum ſit, quæſo cum animis veſtris reputate, ut in quibus peregrinorum his in partibus tutiſſima debet eſſe defenſio, inopinata pericula lateant, & noſtra, qui hoc aliis principibus prohibemus, in hac re quaſi conſentanea pro familiaritate veſtræ dilectionis voluntas arguatur præſertim cum eumdem fratrem per literas noſtras non ſine magna fiducia vobis commendaverimus. Quamobrem nobilitatem veſtram multum rogamus & admonemus, ut injurias ejus quantum poteſtis demulcentes, cum omni benevolentia & manifeſta caritatis exhibitione eum abire dimittatis, &, ſicut in ſupra memoratis rogavimus literis, tutum ſibi uſque ad domnum Erlembaldum Mediolanenſem ducatum præbeatis: ſcientes eum per epiſtolam noſtram eſſe commonitum, ut nul latenus ſuper hac re contra vos aut veſtros aliquid moliatur adverſi. Dionyſio vero Placentino, & aliis epiſcopis Longobardiæ, qui ad nos venerant, nihil de epiſcopali officio, niſi confirmari

Pſal. 50.

Erlembol-dum

pueros pro neceſſitate conceſſimus: ſed totius ne- ANNO CHRISTI 1079. gotii frena ita retinemus in manu, ut aut correctis de venia, aut pertinacibus non ſit deſperandum de pœna. Quia vero ex caritate, & pro reverentia ſanctæ Romanæ eccleſiæ, vos de talibus adverſum nos murmuraſſe credimus, memores domni & patris noſtri beati Petri apoſtolorum principis, qui murmurantibus adverſum ſe diſcipulis ſatisfacere non dedignatus eſt, vobis quoque rationem de factis noſtris non inviti reddimus, in eodemque quanta vis dilectionis, qua vobis adſtringimur, non alia vobis adhuc certiora ſigna dedimus. Neque vero nos fugit quam diverſa de nobis hominum opinio ſit & judicium, dum in eſdem cauſis & actibus alii nos credulos, alii nimium mites eſſe dicunt. Quibus profecto, nil verius, nil rectius reſpondendum videmus, quam quod ait apoſtolus: *Mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Deus autem omnipotens, qui verus inſpector eſt cordium, doceat nos & vos facere voluntatem ſuam, & ponat legem ſuam in medio cordis noſtri. Data Romæ XVII. Kal. Maii, indictione XII.

1. Cor. 4.

LXXVIII. AD WRATISLAUM BOHEMORUM DUCEM.

Commendat Pragenſem epiſcopum de objectis criminibus ſatis purgatum ſuæ eccleſiæ reſtiturum. Cauſas inter ipſum Pragenſem & Moravenſem epiſcopum, nec non quæ inter ipſum ducem & epiſcopum Pragenſem agitabantur, in proxima Synodo ait ſe determinaturum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wratislao Bohemorum duci ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

* *forte* Jeromitas, *ut ſupra ep.* 40 *& lib.* Mutin.

FRater tuus Larmirus Pragenſis epiſcopus ad apoſtolorum limina veniens, conſpectui noſtro ea quæ oportuit ſe humilitate præſentavit, & de objectis ſibi quædam confitens, congruam inde ſatisfactionem obtulit: quædam vero denegavit, & in hunc modum ſe purgando removit, videlicet, quod ipſe Joannem Moravenſem epiſcopum non percuſſerit, neque ſervientes ejuſdem epiſcopi decapillari, aut barbas eorum abradi præceperit, aut occaſione ſubterfugiendi ſynodum inducias per legatum ſuum petierit. Noſtræ igitur dilectioni plene reconciliatum, & reſtituto ſibi omni epiſcopali officio ad propriam ſedem cum literis noſtris & apoſtolico eum ſigillo remiſimus, commendantes eum tuæ nobilitati, ut omni inter vos odio & inimica æmulatione ſublata, fraterno corde eum diligas, & epiſcopalem in eo dignitatem, ſicut dignum eſt, veneranter inſpicias, & quæcumque juris eccleſiæ ſibi commiſſæ ſunt, vel quolibet modo ad eum juſte pertinent, tam tu ipſe ei concedas, quam omnes qui ſub tua poteſtate ſunt ſine contradictione ſibi reddere facias. De cauſa vero quæ inter eum & Moravenſem epiſcopum tamdiu protracta eſt propter illius abſentiam ita ſtatuimus, ut in futura ſynodo ambo epiſcopi aut ipſi ad nos veniant, aut tales nuntios mittant, quibus præſentibus, & cauſam ex utraque parte rationabiliter exponentibus, nos ſine omni ulterius dilatione puram ſuper hac re juſtitiæ diffinitionem inferre, & contentionem eorum decidere, Deo favente, poſſimus: ubi etiam legato tuos intereſſe multum cupimus; quatenus & ipſi tua vice ad indagationem veritatis nos adjuvent, & teſtes noſtræ definitionis exiſtant. Terram vero unde inter epiſcopos lis eſt, Moravenſem epiſcopum interim tenere decrevimus. Præter hæc ſupra memoratus frater tuus conqueritur ſuper te, quod præpoſitura & caſtro ſancti Vinzlai debitam ſibi poteſtatem & juſtitiam penitus auferas. Unde excellentiam tuam paternis affectibus rogamus & admonemus, ut, ſi te injurias ei in hac re irrogare cognoſcis, reſpectu divini timoris, cui rationem de factis tuis in diſtricto judicio redditurus es, gratuita bonitate tua ad juſtitiam redeas, & fratri quæ ſua ſunt ſine omni contrarietate dimittas. Sin vero clamor ejus inter vos ſedari nequeat, in præfato termino futuræ ſynodi legatos tuos, vel hac de cauſa ad nos tranſmittere non prætermittas, quatenus inquiſita & percognita veritate, ex utraque parte quod juſtum fuerit valeamus decernere, & aliquando fraterna pace & concordia vos, opitulante Deo, conjungere. Data Romæ decimoſexto Kalendas Maii, indictione duodecima. ANNO CHRISTI 1076. * Vercelial

LXXIX. AD ANNONEM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Queritur quod nullas ad ſe literas poſt adeptum pontificatum dederit.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Annoni Colonienſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* De Annone Lambertus Schafnaburgenſis in chronico anni 1075 Marianus Scotus in chronico anni 1075 & 1077

QUanta caritate Romanæ eccleſiæ Colonienſis in omnibus obſequendo conjuncta fuerit dignitas vobis collata teſtatur. Quæ nimirum caritas adeo in te videtur tepuiſſe, ut ex eo quo ſuſceptæ adminiſtrationis laborem ſubivimus, nullas viſitationis tuæ præter has nuperrime miſſas literas receperimus: cum id nobis viſitationis frequentius impendendum putemus, qui ob recordationem diſciplinæ, qua tempore anteceſſoris noſtri in eccleſia Colonienſi enutriti ſumus, ſpecialem ſibi inter cæteras occidentales eccleſias dilectionem impendimus, &, ſicut adhuc Romanæ eccleſiæ filii teſtantur, tempore beati Leonis papæ Trevirenſi epiſcopo pro honore eccleſiæ veſtræ, quod idem beatus Leo ægre tulit, viribus totis reſtitimus. Sed his noſtris ſtudiis debitæ dilectionis non exhibentes viciſſitudinem, merito vos non ſolum negligentiæ, ſed quaſi promovendæ litis arguere poſſumus, juxta illud: *qui non eſt mecum, adverſum me eſt*; licet hanc litem virga apoſtolicæ correctionis, Deo auxiliante, nobis facillimum ſit dirimere. Si enim honorem beati Petri, non in totum, ſed in partem Coloniæ, & non Romæ probaverimus te diligere, tu nos quoque in totum, neque in partem poteris habere. At ſi ex negligente ſolicitum, & ex tepeſcente calidum te amor & reverentia matris tuæ ſanctæ Romanæ fecerit, non in partem, ſed in totum communis piſcatoris noſtri gratiam, noſtramque dilectionem ſine dubio obtinebis. Data Romæ decimoquarto Kalendas Maii, indictione duodecima. Matth. 12.

LXXX. AD ANICIENSES.

Præcipit ut Stephano eorum epiſcopo obediant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Anicienſi clero & populo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

STephanus electus veſter ea qua debuit apoſtolicam ſedem humilitate requiſivit, & manum ſuam manu noſtræ dando ſe Romanæ eccleſiæ obediturum promiſit, ac per hoc gratiam ejus quam

* *forte* Podiens.

quam antea visus fuerat perdidisse, recuperavit. Quem quia ecclesiam vestram prudenter defendisse, & simoniacum Stephanum & invasorem studio suo expulisse probavimus, regimen totius episcopatus vestri sibi commisimus, eo tenore, ut quousque ad nos redeat, de pontificali officio se non intromittat, sed quemcumque voluerit episcoporum religiosorum patriæ vestræ, ea quæ ad episcopale officium pertinent, facere commoneat. Vos itaque apostolica auctoritate admonemus, ut sibi debitam in omnibus reverentiam exhibeatis, & ad defensionem ecclesiæ vestræ adjutorium vestrum fideliter impendatis: quatenus, expulsa simoniacæ hæresis de medio vestrum omni contagione, legalem pontificem habeatis, & puram Christo Domino nostro, & beatæ Mariæ genitrici ejus, servitutem impendatis. Data Romæ decimotertio Kalendas Maii, indictione duodecima. ANNO CHRISTI 1074.

LXXXI. AD UDONEM TREVIRENSEM Archiepiscopum.

Ut Virdunensem episcopum vice sua increpet de neglecta apostolicæ sedis auctoritate, eumque moneat, ut monasterium sancti Michaelis ad communionem restituat. Si quid vero sui juris prætendat, in conventu episcoporum, vel coram summo pontifice, requirat. Quod si parere negligat, ipse archiepiscopus auctoritate propria dictum monasterium ab interdicto absolvat, & episcopum Romam venire commoneat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Udoni Trevirensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Confrater noster Theodericus Virdunensis episcopus, ut sæpe nobis relatum est, habitatores loci apud monasterium quoddam sancti Michaelis infra parochiam suam, ad quasdam novas consuetudines sua virtute & potentia flectere & coercere diu conatus est, videlicet ut cum litaniis majorem ecclesiam, hoc est suam episcopalem sedem, simul congregatis singulis annis visitarent. Quod cum illi inusitatum, ne forte * ad alterius novæ exactionis occasionem darent, pati renuerent, divinum ibi officium fieri penitus interdixit. Ex qua re, cum episcopus apostolicas jam ante literas recepisset, commonitus ut locum absolveret, & nihil inde, nisi quod canonicum & justum foret, exigeret; verba quidem non plenæ conservatæ materiæ parum modeste notavit, sed voluntatem, & cognitam * magistræ intentionis sententiam omnino neglexit. Unde nec nos quidem de ejus obedientia, si privatim loquimur, multum confidentes, fraternitatem tuam apostolica auctoritate monemus, ut ex nostra & tua parte convocatis & conjunctis tibi suffraganeis episcopis, videlicet * Herimanno Metensi, & Popone Tullensi, præfatum episcopum ad colloquium nostra vice convoces, indicans sibi nos non æquo animo neglectam ab eo sedis apostolicæ reverentiam accepisse: pariterque eum admonemus, ut prædicto loco communionem sacrosancti & divini ministerii reddat, & si quid justitiæ se confidit habere, concesso prius eisdem hominibus tanto tranquillitatis tempore, quanto eo violenter adstrinxit, postea aut in conventu religiosorum episcoporum, aut in præsentia Romani pontificis, quæ sui juris æstimat, ordinate requirat. Neque enim ad hoc prælati sumus, ut nostræ commissos providentiæ potenter magis quam juste tracte-

* Forte, *ad alterius... daret.* H.

* *for.* nostra.

* Hermanno

mus. At si ille hæc nostra parte procuranda monita adimplere spreverit, tibi injungimus, ut apostolica fultus auctoritate una cum confratribus tuis antesignatum locum ab omn. interdictione & excommunicatione absolvas, & eadem auctoritate presbyteris ibidem consistentibus ad celebrandum divinum officium roboratis, episcopum, ut nobis de pertinacia sua, & contemptu nostro respondeat, ex parte beati Petri, & nostra, per illum apostolica præceptione commoneas. Has vero literas nostras idcirco aperte significari fecimus, ut tam * Viridunensi quam cæteris episcopis ostensæ, commissæ tibi procurationis & auctoritatis certitudinem præbeant. Data Romæ secundo Nonas Maii, indictione duodecima. ANNO CHRISTI 1074.

* Virdunensi

LXXXII. AD UNIVERSOS CHRISTIANOS.

Excommunicatos denuntiat omnes qui detinent bona * Augensis monasterii collata ab Alberto simoniaco.

* Augiensis scribendum docet qui infra memoratur Constantiensis ep.

Gregorius omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, &c.

Quamquam ad propulsandas omnium ecclesiarum & venerabilium locorum injurias, ex debito officii nostri, & universali providentia, quam per beatum Petrum apostolorum principem licet indigni suscipimus, solicite nobis invigilandum & elaborandum esse noscamus; his tamen locis apostolicæ auctoritatis opem & scutum impensius circumferre dupliciter quodammodo compellimur, quæ & in generali sanctæ Romanæ ecclesiæ membrorum continentia cæteris coæquantur, & singularis patrocinii privilegia præ cæteris sortiuntur. E quibus quoniam Augense monasterium huic sanctæ & apostolicæ sedi quadam principali & individua cohæret linea, de dispersione bonorum ejus valde dolentes, quid dominus & antecessor noster Alexander venerandæ memoriæ papa inde decrevit recolere & sententiam nostræ confirmationis in idipsum omnibus, ad quos hujus epistolæ nostræ notitia pervenire poterit, destinavimus indicare. Postquam prædictus dominus noster papa Robertum simoniacum, & invasorem ejusdem monasterii, nullis admonitionibus, nullisque minis ad hoc flectere potuit, ut vel abbatiam dimitteret, aut pro reddenda ratione sui introitus apostolico se conspectui præsentaret, cognita veritate, quod relicta alia abbatia ad hanc pretio anhelasset, synodali judicio eum anathematis jaculo, nisi resipisceret, percussit, & sub eadem censura omnibus accepta ab eo beneficia ad præfatum cœnobium pertinentia penitus interdixit, cunctaque ab eo dispositа apostolica præceptione cassavit, atque hæc eadem per epistolam episcopo Constantiensi publice prædicanda, & per episcopatum suum divulganda mandavit. Itaque, miserante Deo, factum est, ut ille ab insana occupatione abbatiæ desisteret, sed non ut fautores ejus, contra Deum & justitiam, accepta ab eo monasterii bona relinquerent. Quapropter quoniam illa principali & hæretica peste depulsa carissimum sancti Petri filium Ecardum ex ipsa congregatione a confratribus electum, & a nobis diligenter examinatum, abbatem ibi, auctore Deo, consecravimus, cupientes ut monasterium post longas & multas tribulationes jam ad quietem & monasticæ religionis cultum redeat, simili modo omnibus qui a sæpe fato Roberto pro defendenda ejus nequitia, aut exhibenda sibi fidelitate, bona abbatiæ in beneficia adepti sunt,

sub

ſub anathematis diſtrictione & animadverſione interdicimus. Nam cur ille talium inſtitutionum auctor & diſtributor in loco ad quem hæreticæ aſpiraverat permanere non potuit; quibus legibus, aut quo jure iſti ſibimet vendicabunt, quod ſacrilega conventione ceperunt? Unde etiam omnibus Chriſti fidelibus, qui hæc cognoverint, apoſtolica auctoritate præcipimus, ut eos in nulla penitus Chriſtianæ communionis participatione recipiant, dum iniquitatis & mortis ſuæ pretium diabolica aviditate & temeritate poſſident. Data Romæ octavo Idus Maii, indictione duodecima.

ANNO CHRISTI 1074.

LXXXIII. AD ALPHONSUM REGEM CASTELLÆ.

Commendat epiſcopum Paulum, quem ſtudioſum erga ſedem apoſtolicam cognoverat. Monet regem ut antiquam ejus epiſcopatus ſedem reparare velit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * *Alphonſo regi Hiſpaniæ, & epiſcopis regni illius, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* * Adelphonſo

NOtum vobis eſſe volumus, hunc fratrem noſtrum & epiſcopum Paulum, cognomento * Monio, ad apoſtolorum limina, & noſtram præſentiam veniſſe, & poſt redditam rationem earum rerum, quibus eum appellavimus, ſicut dignum erat, in noſtram communionem & dilectionem receptum fuiſſe. Romanum ordinem in divinis officiis, ſicut cæteri Hiſpani epiſcopi qui ſynodo interfuerunt, ſe celebraturum, & ut melius poterit obſervaturum promiſit. De cætero, quoniam ad præſens omnia quæ ſecum habuimus pleniter expedire & determinare non potuimus, ad futuram ſynodum eum ad nos iterum reverti præcepimus, & ſuper hac re ab ipſo promptæ obedientiæ ſponſionem accepimus. Quapropter remittentes eum cum litteris noſtris caritati veſtræ commendamus, quatenus & vos una nobiſcum eum diligatis, & ſecum atque inter vos vinculo pacis Chriſti, in quo per ipſum ad fidem uniti, & in ſortem hereditatis gloriæ Dei electi eſtis, conjuncti firmiter perſiſtatis. Te vero regem ut dilectiſſimum filium rogamus & admonemus, ut conſiderans, & ante mentis oculos ponens quam in drſtricto judicio de commiſſa tibi adminiſtratione rationem redditurus es, regni tui gubernacula in tenenda æquitate exornare ſtudeas, & huic epiſcopo antiquam ſui epiſcopatus ſedem reparare ac ſtabilire cum Dei adjutorio modis omnibus inſiſtas. Deus autem omnipotens ad omnia quæ ſibi beneplacita ſunt cor tuum dirigat, & ea te in præſenti vita promereri faciat, unde poſtmodum ſempiterna retribuat. Data Romæ ſeptimo Idus Maii, indictione duodecima. * Monito

LXXXIV. AD HERIMANNUM EPISCOPUM BAMBERGENSEM.

Significat ſe commiſiſſe vices ſuas epiſcopo Metenſi in cauſa ipſius epiſcopi Bambergenſis. Monet ut ei pareat, & quæ recta ſunt agat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * *Herimanno Bambergenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* * Hermanno, & ſi ſemper

CAriſſimus confrater noſter Herimannus Metenſis epiſcopus, nobiſcum per dies aliquot commoratus, multum nos pro te rogavit, multaſque & intimas pro cauſa tua ſupplicationes effudit, referens nobis de te nonnulla, quibus in ſpem tuæ correctionis non parva cordi noſtro eſt oborta lætitia. Quapropter conſilium, quod ad ſalutem tuæ & animæ noſtræ, quodque ad utilitatem eccleſiæ, cui præes, aptiſſimum nobis viſum eſt, in experientia fraternitatis tuæ poſuimus, injungentes & committentes ſibi, ut apoſtolica fultus auctoritate vicem noſtram in cauſa tua explere debeat, ſi modo ad obediendum his, quæ quaſi ore noſtro tibi propoſuerit, te paratum inveniat. In cujus prudentia, quoniam ab bene monendum te promptam & ſufficientem voluntatem eſſe non dubitamus, nos quidem e multis hoc fraternitati tuæ ſolicite attendendum & penſandum ſcribimus, quod ad finem vitæ quotidie appropinquas, & extremum diem, quem tamen neſcis quam cito veniat, certus expectas. Ideoque, frater, debita ſolicitudine te admonemus, ut horrendum examen & inevitabile judicium diſtricti judicis ante oculos ponas, & faciem illius ea conſcientiæ tuæ confeſſione & operum converſatione præoccupare feſtines, quatenus in conſpectu divinæ præſentiæ, cujus oculis omnia nuda & aperta ſunt, non te culparum timor, & verecundia deprimat, ſed læta recipienda pro bonis actibus retributionis fiducia manifeſtum & imperterritum reddat. Data in expeditione ad montem * Ciminii, ſecundo Idus Junii, indictione duodecima * Cimainm

ANNO CHRISTI 1074.

LXXXV. AD AGNETEM IMPERATRICEM.

Gratias agit quod eccleſiæ concordiæ conſulat, & Henricum regem eccleſiæ communioni reſtituendum curet. Hortatur ut perſiſtat. Se pro Chriſti eccleſia valde laborare ſignificat, eaque in re Beatricem & Mathildem multo ſibi eſſe adjumento.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Agneti * *Chriſtianiſſimæ imperatrici ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* * Chriſtianæ

GAudemus & exultamus in domino, quod lumen veſtræ operationis ad nos uſque reſplenduit, & fructus veſtræ fatigationis, etſi non ad vota veſtra plene cumulatus, Deo tamen ad laudem & gloriam, nobis ad lætitiam, vobis ad coronam perfectæ remunerationis excrevit. Neque enim noſtra ſpes ideo coarctar: aut ſubmitti debet, ſi deſiderium veſtræ ſanctitatis facultatem intentionis explendæ non habuit; quoniam apud Deum perficit omnia, qui voluntatem gerens integram, quantum potuit operari non deſiit. Scimus equidem quod pro pace & concordia univerſalis eccleſiæ multum laboratis, & omnia quæ pontificatum & imperium glutino caritatis adſtringere valeant, amplius quam dici poſſit concupiſcitis, & indefeſſa ſolicitudine quæritis. Quorum quidem, quod maximum eſt, & unitati dilectionis conjunctiſſimum, jam peregiſtis, videlicet filium veſtrum Henricum regem communioni eccleſiæ reſtitui, ſimulque regnum ejus a communi periculo liberari: quoniam illo extra communionem poſito, nos quidem timor divinæ ultionis ſecum convenire prohibuit: ſubditos vero ſibi quotidie ejus præſentia quaſi neceſſitas quædam in culpa ligavit. Ad cætera vero quæ leviora ſunt, licet * paupertatem veſtram promptam eſſe non dubitemus, per fiduciam tamen, quam in Chriſto habe- * ſ. pietatem

habemus, gloriam veſtram ut jugiter tam ſanctis ſtudiis inſtet, propter revelationem gaudii veſtri quodammodo exhortari impellimus, ſcribentes vobis, & ſub omni certitudine notificantes præfato filio veſtro veſtra conſilia veſtraque multum merita profuiſſe, & quam miſericorditer eum divina reſpiciat clementia, veſtram adhuc beatitudinem cum gratulatione viſuram eſſe. Hoc autem unde vel qualiter nobis compertum ſit, cum veſtram, miſerante Deo, præſentiam viderimus, patenter indicabimus. De cætero ſciat eminentia veſtra, nos his temporibus pro cauſa beati Petri apoſtolorum principis in labore non parvo poſitos, & veſtram in omnibus Beatricem, nec non & communem filiam noſtram Mathildim diu noctuque in noſtro multum adjutorio deſudare, utpote vos ſequentes, vos ſicut dominam & magiſtram diſcipulæ fideliter imitantes. Per vos itaque novum exemplum antiquæ lætitiæ, per vos, inquam, illæ mulieres olim quærentes dominum in monumento, ſæpe nobis ad memoriam redeunt. Nam ſicut iſtæ præ cunctis diſcipulis ad ſepulcrum domini miro caritatis ardore venerunt, ita vos eccleſiam Chriſti, quaſi in ſepulcro afflictionis poſitam, præ multis, immo pene præ omnibus terrarum principibus, pio amore viſitatis, & ut ad ſtatum libertatis ſuæ reſurgat, totis viribus annitentes, quaſi angelicis inſtructa reſponſis cæteros ad ſuffragium laborantia eccleſiæ provocatis. Unde & revelationem ſuperne gloriæ, & æternæ vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu, non dubie expectabitis, & conſortes mulierum illarum præſentiam ſalvatoris noſtri inter angelorum agmina pace perpetua fruentes, ipſo * proteſtante invenietis. Quod autem de filia veſtra Mathildi nos rogatis, gratanter accepimus, collaudantes ſanctitatem veſtram, quod tanta vobis de ſalute illius cura eſt: quæ quidem in vos omni deſiderio & fidelitatis affectu cor & animam ſuam effundit, gloriam veſtram quaſi gaudia proriæ ſalutis expoſcit. Ac nos quidem pro ea libenter oramus: & licet orationes noſtras noſtra Deo parum commendent merita, ſuffragante tamen pietate Petri, cujus ſervi ſumus, eas in conſpectu domini non omnino vacuas eſſe confidimus. Veſtram igitur commendationem digna veneratione ſuſcipientes, itidem vos, ut illius & noſtri memoriam in veſtris rogamus orationibus faciatis, & mutuis nos apud Deum juvemus interceſſionibus: quatenus hic in Chriſto connexa caritas unam & communem nobis in regno patris noſtri, ipſo præſtante, ſedem pariat & lætitiam. Data in expeditione ad ſanctum * Flavianum decimoſeptimo Kalendas Julii, indictione duodecima.

*præſtante & ſic in Morin.

* Fabianum

Ex ipſo regiſtro Gregorii VII poſt ep. 25.

In hoc primo anno pontificatus ſui, ipſe dominus Gregorius papa conſtituit & conſecravit archiepiſcopos & epiſcopos per diverſa loca. In Sardinia provincia Jacobum archiepiſcopum Calaritanum, Conſtantinum archiepiſcopum Turrenſem: quibus pallia cum privilegiis dedit. Brunoni epiſcopo Veronenſi pallium cum privilegio, & Nacho conceſſit. Joannem Soranum epiſcopum conſecravit. Item in marchia Firmana Iraſmundum Valvenſem, Teuzonem Teatinum, Leonem epiſcopum in Campania Aquinenſem, Hugonem in Burgundia Dienſem, Landericum item in Burgundia Matiſconenſem, Guilielmum in Maritima Maſſanum. Celebravit Romæ ſynodum, in qua inter cætera quæ ibi geſta ſunt, excommunicavit atque anathematizavit * Robertum Guiſcardum ducem Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ, cum omnibus fautoribus ſuis quouſque reſipiſceret.

De Roberto Guiſcardo Leo Oſtienſis lib. 3. chronici Caſſinenſis c. 27. 44. 52. & ed. Otto Fr. Gregorius lib. 1. de geſtis Friderici cap. 3.

LIBER SECUNDUS REGISTRI GREGORII PAPÆ VII.

*Anno dominicæ incarnationis Milleſimo ſeptuageſimo quarto, indictione * duodecima.*

* immo decimaſeptima: nam excepto ep. primo (qua hic male collocata eſt) alia quæ ſequuntur pertinent ad a.

I. AD EPISCOPOS ET ABBATES Britanniæ.

Præcipit ad ſynodum veniant, & inceſtam copulationem ſubditis ſuis prohibeant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis epiſcopis & abbatibus Britanniæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

USceptæ nos officii cura compellit omnium eccleſiarum ſolicitudinem gerere, & ut fidei documenta, ac ſacræ ſcripturæ regulas recte teneant, vigilanti circumſpectione perquirere, ac docere. Quoniam igitur inter vos ſanctorum patrum decreta & eccleſiaſticæ religionis ſtatum non ea qua oportet, aut obſervari diligentia, aut ſtudio tractari intelligimus, per eam quam beato Petro apoſtolorum principi debetis obedientiam vos invitamus, & noſtra apoſtolica auctoritate monemus, ut ad ſynodum, quam in ſecunda hebdomada quadrageſimæ, Deo auctore, in apoſtolica ſede celebrare deſtinavimus, omni penitus fictitia occaſione remota, conveniatis; quatenus, adjuvante Deo, una vobiſcum, & cum alia frequentia veſtri ordinis: quæ noſtræ diſpenſationis & Chriſtianæ religionis ordo requirit, perſpicaci ſtudio adinvenire & exequi valeamus. Videtis enim quod in maligno jam totus mundus eſt poſitus, & communis noſtra mater eccleſia tanto ardentius contra antiquum hoſtem nos invitat ſurgere, quanto hæc tempora plura adverſum nos diabolicæ fraudis arma demonſtrant & bella prorupiſſe. Interim vero hoc præcipue ſtudium habetote, ut quod de inceſta copulatione per litteras noſtras hominibus terræ veſtræ mandavimus, epiſcopis dico, unuſquiſque in ſua parochia ſubditos ſuos ſedula prædicatione commoneatis, minores ad emendationem tanti criminis canonica vos ipſi diſtrictione coercentes. De majoribus vero qui corrigantur, quive in obſtinatione permaneant, tempore prælibati concilii certa nobis relatione nuntiantes: quatenus & obedientes apoſtolica miſſione a culpa ſolvantur, & rebelles ſynodali judicio, anathematis continuo vinculis innodentur. Data Laurenti quinto Kalendas Septembris, indictione * duodecima.

* nam ep. incipit dumtaxat ipſis Kalendis Septembris aut ex veteri uſu die 14

II. AD ISEMBERTUM PICTAVENSEM epiſcopum.

Arguit de contemptu apoſtolicæ ſedis, & de injuriis in apoſtolicos legatos illatis, mandat ut coram ſe compareat: interim eos, quorum miniſterio ad hæc uſus eſt, excommunicatos declarat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Iſemberto Pictavenſi epiſcopo.

CUm de te & factis tuis cogitare incipimus, de tam immoderata præſumptionis tuæ audacia nequaquam ſatis admirari poſſumus, quoniam ſicut boni ad incrementa bonorum operum fideli

fideli deſiderio nituntur aſcendere, ita tu, &, heu, ampliori cupiditate perquiſita, malefaciendi ſtudia culpis tuis cumulum iniquitatis indeſinenter anhelas adjicere. Interdictus enim a legatis apoſtolicæ ſedis, officium epiſcopale uſurpare præſumpſiſti, inobedientiæ crimen & contemptum apoſtolicæ auctoritatis incurrere non erubuiſti. Poſtea vero & eodem legato noſtro Amato epiſcopo * Elloreníi, & magiſtro tuo videlicet Gozelino archiepiſcopo Burdigalenſi: una cum cæteris religioſis viris, pro faciendo divortio Guilielmi Pictavenſis comitis & propinquæ ſuæ, quam pro uxore tenebat, his, inquam, ſub apoſtolica obedientia pro negotio tam gravi, tam Chriſtianæ religioni neceſſario congregatis, conventum illorum per milites tuos nefarie perturbaſti: quippe qui perruptis monaſterii clauſtris & foribus in conſeſſum irruentes, archiepiſcopum & legatum noſtrum multa turpitudine dehoneſtaverunt: reliquos vero minis, conviciis, ac verberibus, multiſque contumeliis afflixerunt: unde apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, ut ante feſtivitatem ſancti Andreæ præſentiam tuam ſuper his reſponſurus noſtro conſpectui exhibere nullatenus prætermittas. Quod ſi aliqua, niſi forte neceſſaria & inevitabili occaſione te ſubtraxeris, ab omni etiam ſacerdotali officio te privatum, & ſacræ communionis participatione ſequeſtratum eſſe noveris. Eos vero per quos tantum facinus effeciſti, tam laicos quam clericos, a corpore & ſanguine domini, & omni divino officio, uſquedum tu ad ſatisfactionem venias, apoſtolica auctoritate repellimus, & tibi ſub periculo ordinis tui, ut omnibus hoc ſine mora notifices præcipiendo mandamus. Data Tiburi quarto Idus Septembris, indictione incipiente decimatertia.

Aboreſi

ANNO CHRISTI 1079.

III. AD GUILIELMUM PICTAVENSEM comitem.

Commendat eum, quod dimiſerit conſanguineam quam in uxorem acceperat. Jubet ne eam ſecum habitare permittat. Significat ſe Romam Iſembertum Pictavenſem epiſcopum evocaſſe. Poſtremo ejus obſervantiam erga apoſtolicam ſedem laudat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo Pictavenſi comiti ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

OMnipotenti Deo laudes & gratias referimus, qui cordis veſtri interiora penetrans ad amorem & timorem ſuum vos inclinavit, & ad obedientiam mandatorum ſuorum, ſuperato carnis deſiderio, confirmavit. Scimus equidem quoniam quod in præſenti vita * nobis dulciſſimum fuit, exigente juſtitia, reliquiſti, dum pro reverentia Chriſtianæ religionis ab uxore veſtra, quoniam propinqua conſanguinitate vobis eſt, vos ſeparare conſenſiſtis. Verum quanto graviori certamine libidinem animi veſtri viciſtis, & ad legem Dei diſtrictius vos humiliaſtis, tanto ſubliniorem gloriam infinita remuneratione vobis paratam eſſe procul dubio ſperare debetis. Quapropter & nobis multo uberior lætitia creſcit, quoniam in hac correctione veſtra certa ſpes veſtræ ſalutis intelligitur, & ea quæ ſemper in domo veſtra fuit, miſerante Deo, generoſitas conſervabitur. Ex hoc enim nobilitas generis valde corrumpitur, cum proles non de legitima conjugii permixtione generatur. Atque eo minus eminentia veſtra, quod tam acriter vobis inſtitimus, mirari debet, quoniam Romana eccleſia, quæ domum veſtram, vos, totamque proſapiam veſtram, ſingulari & egregia ſemper caritate dilexit, in tanto vos jacere periculo pati non potuit. Cæterum quod domi illam in veſtra poteſtate uſque ad futuram ſynodum morari cupitis, licet ſoror veſtra, quam ut matrem diligimus, inde nos interpellaverit, conſentire non audemus; ſcientes diabolicam fraudem hominibus maxime vetita repertis occaſionibus præcipua calliditate ſuggerere. Proinde ita eam a veſtra vicinitate penitus removeri & elongari facite, ut veſtra correctio, & oblata Deo reverentia, omnibus ſit in exemplum, & ſalutem veſtram nulla valeat diabolus ſagacitate turbare. De cætero ſcitote Pictavenſem Iſembertum epiſcopum, niſi ante feſtivitatem ſancti Andreæ ad nos de præſumptione ſua rationem redditurus veniat, ab omni epiſcopali & ſacerdotali officio, & ipſa ſacræ communionis participatione eſſe privatum. Quod autem ad ſervitium ſancti Petri promptam vos habere voluntatem mandaſtis, gratanter accepimus, ſed determinate vobis aliquid de expeditione ſcribere ad præſens non ſatis diſcretum fore previdimus: quoniam rumor eſt in tranſmarinis partibus, Chriſtianos, miſerante Deo Paganorum longe propulſaſſe ferocitatem, & nos de reliquo quid acturi ſimus, adhuc divinæ providentiæ conſilium expectamus. Vobis tamen & de bona voluntate plena apud Deum remuneratio eſt repoſita, nobis autem, ſi neceſſe fuerit, in veſtris promiſſis, ſicut in dilecto fratre & filio, certa ſemper exiſtit fiducia. Data Tiburi quarto Idus Septembris, indictione decimatertia.

ſen vobis

Nobilitas generis corrumpitur ex ineſtuoſis nuptiis.

ANNO CHRISTI 1079.

IV. AD GOZELINUM ARCHIEPISCOPUM Burdigalenſem.

Monet ut Romam veniat, vel alium mittat, qui Iſembertum epiſcopum ad ſe vocatum præſentem accuſet de injuriis quas ab illo ſe paſſum per litteras queſtus eſt, & Iſembertum, niſi ad ſe venerit, ſicut præceperat, excommunicatum una cum criminis conſortibus denuntiet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Gozelino Burdigalenſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIcut in litteris tuis intelleximus, Iſembertus Pictavenſis epiſcopus magnas Deo omnipotenti & beato Petro tibique magiſtro ſuo injurias irrogavit, ſeſeque nobis adverſarium, impugnatorem juſtitiæ, hoſtem ſanctæ eccleſiæ, patenter oſtentavit. Nunc igitur quoniam ad vindictam malefactorum ejus non noſtra tantum, ſed & tua opus eſt vigilantia, fraternitatem tuam multum admonemus, ut nulla te occaſio in hac cauſa tepidum vel aliquo modo negligentem reddat, ſed ſi eum ad nos venturum cognoveris, tu ipſe, ſi queas, ad apoſtolorum limina fatigationis curſum non refugias. Quod ſi tuæ minus ferre poterunt occupationes, tales perſonas, tam ex tua parte, quam eorum qui eadem nobis quæ & tu de præfato epiſcopo per litteras notificaverunt, ad nos dirigi non deſinas procurare, qui veritatem rei irrefragabili aſſertione præſente epiſcopo approbare valeant. Verum hæc non ut ſuper his quæ a te nobis ſignificata ſunt dubitemus hoc ordine tranſigenda requirimus, ſed ut patrum noſtrorum ſtatuta ſervantes omnia & rationabiliter diſcutiamus, & auctorabili judicio, Deo favente, concludamus. Novit enim prudentia tua, quod perſonis abſentibus accuſationem per ſcripta

Accuſationem non admittit per ſcripta, cano-

canonica non probet auctoritas, nec absque partium disceptatione percognita, in examinatione recipiat causas. Quapropter sæpe fatum episcopum ad apostolicam audientiam sub tali districtione per epistolam nostram vocavimus, ut nisi præsentiam suam ante festivitatem sancti Andreæ nostro conspectui exhibuerit, omni episcopali & sacerdotali privatus officio, etiam sacræ communionis sit participatione seclusus. Si ergo pertinaci induratus contumacia circa prælibatum terminum nostræ præsentiæ se subtraxerit, prolatam in eum sententiam divulgata prædicatione denuntia, & sicut inimici Dei omnibus modis nequitiam & impudentiam ejus confundere non desistas. Eos quoque quos ipse ad tantum facinus perturbandi conventum vestrum applicuit, tam laicos quam clericos, quousque ad satisfactionem veniant, a corpore & sanguine domini, & ab omni divino officio apostolica auctoritate repulsos esse scias. Quod si episcopus, sicut in litteris nostris districte commonitus est, omnibus indicare neglexerit, tu palam illis facere nullatenus prætermittas. Data Tiburi quarto Idus Septembris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

V. AD EPISCOPOS FRANCORUM

Regni Franciæ calamitates, & regis nefanda scelera narrat. Increpat episcopos de eorum contra hujusmodi scelera taciturnitate. Mandat ut regi resistant: qui si obtemperare noluerit, totum regnum interdici jubet: & si ille perseveraverit, de ejus occupatione eripi. Episcopis vero, nisi ei restiterint, depositionis pœnam minatur. Mandat præterea Lanzelinum quemdam moneri, ut illæsum dimittat peregrinum Roma revertentem ab eo captum.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei Manassæ Rhemensi, * Richerio Senonensi, Richardo Bituricensi archiepiscopis, & Adraldo episcopo Carnotensi, cæterisque episcopis Franciæ, salutem & apostolicam benedictionem.*

* Hatherio

LOnga jam temporum curricula transacta sunt, ex quo regnum Franciæ, olim famosum ac potentissimum, a statu gloriæ suæ cœpit inflecti, & succrescentibus malis moribus, plerisque virtutum insignibus denudari. Verum his temporibus & culmen honoris, & tota facies decoris ejus collapsa videtur, cum neglectis legibus, omnique conculcata justitia, quidquid fœdum, crudele, miserandum, intolerandumque est, ibi & impune agitur, & adepta licentia jam in consuetudine habetur. Ante aliquot annos, postquam repente inter vos regia potestate, nullis legibus, nulloque imperio, injuriæ prohibitæ sunt, vel punitæ, inimici inter se quodam communi jure gentium, quisque pro viribus conflixerunt, ad vindicandas injurias suas arma copiasque paraverunt. Quibus permotionibus etsi plerumque in patria cædes, incendia, & alia quæ bellum fert oxorta sint, dolendum quidem id fuit, sed non tantopere admirandum. Nunc autem omnes malitia quasi quodam pestilentiæ morbo repleti, horrenda & multum execranda facinora multotiens nemine impellente committunt: nihil humani, nihilque divini attendunt: perjuria, sacrilegia, incestum perpetrare, sese invicem tradere pro nihilo ducunt, &, quod nusquam terrarum est, cives, propinqui, fratres etiam alii alios propter cupiditatem capiunt, & omnia bona eorum ab illis extorquentes, vitam in extrema miseria finire faciunt. Peregrinos ad apostolorum limina euntes & redeuntes, uti cuique opportunum fit, capientes in carceres trudunt, & acrioribus quam Paganus aliquis eos tormentis afficientes, sæpe ab illis pluſquam habeant pro redemptione exigunt. Quarum rerum rex vester, qui non rex sed tyrannus dicendus est, suadente diabolo, caput & causa est, qui omnem ætatem suam flagitiis & facinoribus polluit, & susceptæ regni gubernacula miser & infelix inutiliter gerens, subjectum sibi populum non solum nimis soluto ad scelera imperio relaxavit, sed ad omnia, quæ dici & agi nefas est, operum & studiorum suorum exemplis incitavit. Nec satis visum est ei dispersione ecclesiarum, in adulteriis, in rapinis nefandissimis, in perjuriis, & in multimoda fraude, unde sæpe eum redarguimus, iram Dei meruisse; quin etiam mercatoribus, qui de multis terrarum partibus ad forum quoddam in Francia nuper convenerant, quod antehac regem factum fuisse nec in fabulis refertur, more prædonis infinitam pecuniam abstulit, & qui legum & justitiæ defensor esse debuit, is potissimum depræ dator extitit: nimirum id agens, ut mala sua non jam infra terminos regni quod occupat comprehendantur, sed ad suam, credo, confusionem extendantur. Quod quia judicium superni judicis effugere nullatenus credendum est, rogamus vos, & ex vera caritate monemus, ut caveatis vobis, ne prophetica super vos maledictio veniat, qua dicitur: *Maledictus homo qui prohibet gladium suum a sanguine*: hoc est, sicut ipsi bene intelligitis, qui verbum prædicationis a carnalium hominum retinet increpatione. Vos etenim fratres etiam in culpa estis, qui dum perditissimis factis ejus sacerdotali vigore non resistitis, procul dubio nequitiam illius consentiendo fovetis. Proinde, quod inviti ac gementes dicimus, multum timemus, ut non pastorum, sed mercenariorum sententiam accipientes, qui videntes lupum sub oculis vestris gregem dominicum lacerantem, fugitis, dum quasi canes non valentes latrare sub silentio vos absconditis. Atque equidem eo magis de vestro periculo metuimus, quanto nullas vobis in futuro examine excusandi rationes suppetere cognoscimus: dummodo non alias vestræ taciturnitatis causas, nisi aut conscientiam, si vestro, quod non credimus, instinctu tot mala perpetrat, aut negligentiam, si de ejus perditione parum curatis, deprehendere possumus. Quæ utraque quam sint fugienda, maxime in officio vobis commissæ dispensationis, vosipsi perpenditis, qui debitam pastoralis curæ solicitudinem non ignoratis. Nam si prohibere eum a delictis, contra jus & reverentiam promissæ sibi fidelitatis esse putatis, longe vos fallit opinio: quoniam hoc omni ratione confirmare possumus, multo fideliorem esse, qui alium de naufragio animæ suæ vel invitum retrahit, quam qui in peccatorum gurgite nocivo consensu eum deperire permittit. De timore vero vanum est dicere; quoniam vobis ad defendendam justitiam conjunctis & constanter actinctis tanta virtus foret, ut & illum fideli correctione sine omni vestro periculo a consueta malefaciendi libidine possetis avertere, & vestras pariter animas liberare: quanquam etsi timor ac periculum mortis immineret, vos tamen a libertate vestri sacerdotalis officii desistere non oporteret. Unde rogamus vos, & apostolica auctoritate monemus, ut in unum congregati patriæ, famæ vestræ, atque saluti consulatis, & communi consilio ac conjunctissimis animis regem alloquentes, de sua eum & regni confusione atque periculo commoncatis, & quam criminosa sint ejus facta

Jer. 48.

Isa. 56.

Quæ fidelior est cura promissa est fidelitas.

Timor ab episcopo abjiciendus.

atque consilia in faciem ei ostendentes, omni A
ANNO CHRISTI 1074. exhortatione eum flectere studeatis; quatenus rapinam suprascriptis negotiatoribus factam emendet; quæ nisi reddita fuerit, (sicut vosipsi scitis) infinitam discordiam & inimicitias inter multos pariet. De cætero delicta sua corrigat, &, relictis juventutis suæ moribus, attritam regni sui dignitatem & gloriam tenendo justitiam reparare incipiat: & ut cæteros ad ea quæ recta sunt coercere valeat, ipse primum quæ sunt iniqua relinquat. Quod si vos audire noluerit, & abjecto timore Dei contra regium decus, contra suam & populi salutem, in duritia cordis sui perstiterit, apostolicæ animadversionis gladium nequaquam eum diutius effugere posse quasi ex ore nostro sibi notificate. Propter quod & vos apostoli- B
ca auctoritate commoniti atque constricti, matrem vestram sanctam Romanam & apostolicam ecclesiam debita fide & obedientia imitemini, & ab ejus vos obsequio atque communione penitus separantes, per universam Franciam omne divinum officium publice celebrari interdicite. Quod si nec hujusmodi districtione voluerit resipiscere, nulli clam aut dubium esse volumus, quin modis omnibus regnum Franciæ de ejus occupatione, adjuvante Deo, tentemus eripere. Sane si in hoc
Pœna primatis episcopi. tanto tamque necessario negotio tepidos vos cognoverimus, non jam amplius dubitantes, quin vestra fiducia fultus incorrigibili perduret, vosipsos sicut socios & complices scelerum ejus, episcopali privatos officio pari vindictæ jaculo feriemus. C
Testis enim nobis est Deus, & propria conscientia, quod hæc neque precibus neque pretio alicujus ducti dicimus, nec in animum induximus; sed solo dolore tacti intrinsecus, quod tam nobile regnum, & tam infinitus populorum numerus unius perditissimi hominis culpa depereat, tacendo dissimulare nec possumus nec debemus. Memores
Prov. 29. igitur illius divinæ dicti sapientiæ: *Qui timet hominem, cito corruet, & qui sperat in domino sublevabitur*: ita agite, ita vos habetote, ut quam sit vobis libera mens & lingua ostendatis: nec timentes hominem infirmitatis vestræ ruinam patiamini, sed confortati in domino, & in potentia virtutis ejus, sicut strenui milites Christi, ad
celsitudinem præsentis & futuræ gloriæ sublevemi- D
ni. Præterea multum rogamus & admonemus dilectionem vestram, quatenus Lanzelinum Belvacentem militem convenientes, ut Folcerium Carnotensem fidelem nostrum, quem ab apostolorum liminibus revertentem cepit, nihil de bonis ejus retinens, illæsum dimittat, ex parte beati Petri, & nostra apostolica auctoritate commoneatis. Quod si facere contempserit, spiritualibus & sæcularibus armis eum insequi & urgere non prius desistatis, quam relicto sancti Petri peregrino etiamsi quid pro redemptione illius accepit, aut pepigit, simul reddere aut refutare cogatis. Data Tiburi quarto Idus Septembris, indictione decimatertia.

VI. AD GEBOARDUM PRAGENSEM episcopum.

Arguit de contempta auctoritate apostolicæ sedis, de mentita fide, de fraudulenta occupatione rerum episcopi Moravensis; quas restitui jubet, & eum Romam cum dicto episcopo ad definiendam causam venire; de mendaciis contra ducem Bohemiæ sibi suggestis: demum de excommunicatione in homines ejusdem ducis absque legali judicio lata.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei * Geboardo Pragensi episcopo; quod non moretur, salutem & apostolicam benedictionem.*

ANNO CHRISTI 1074. * *Jf. Jeromino, ut supra lib. 1. epist. 44. & epist. 60. in Mss. non desf.*

VEnientem te hoc anno apostolicam sedem, apostolica utentes mansuetudine, multo benignius, multoque mitius quam facta tua merentur, te suscepimus atque tractavimus: sed tu more tuo malum pro bono reddens, contempta nostra caritate, & apostolica auctoritate contra interdictum nostrum de bonis & rebus, unde inter te & Joannem episcopum Moravensem lis est, te intromittere ausus es: & (quod valde nobis molestum est) nostra concessione te id fecisse mentitus es. Nos equidem meminimus sic decrevisse, ut episcopus Moravensis terram, & alia de quibus inter vos discordia erat, usque ad futuram synodum cum omni pace & quiete tenere deberet. Hoc in litteris nostris fratri tuo duci expresse significavimus. Hoc tu ut nullatenus impedires, in manum nostram promittendo firmasti: sed ut verbum inde mutaremus, hoc, cum multum instares, neque precibus neque pretio impetrare potuisti. Porro in novissimis, quasi quasdam novas querelas super fratre tuo Wratislao duce quod fraudulenter concludantur, sed orbem terrarum ad discordiam multarum gentium & te fecisse nunc cognovimus; asserens videlicet de quodam castro sancti Venzlai & de præpositura justitiam tuam tibi contradicere. Hoc tantum effecisti, ut eum in epistola nostra moneremus, quatenus si se injuriam tibi fecisse cognosceret, pro nostro, immo amore Dei, quod æquum esset, inde faceret. Hac igitur occasione & de nobis mendacium finxisti, & nostra decreta subvertisti. Sed, quæso, non erubescis, aut non times, quod pro talibus causis non solum ordinis tui periculum tibi imminet, sed ex fraterno odio nec Christianitatis quidem in te suscepta gratia manet? Præcipimus ergo tibi ex parte beati Petri, & nostra apostolica auctoritate, ut castrum quod tam fraudulenter cepisti, & alia omnia quæ in lite sunt, præfato Moravensi episcopo reddas, & tu ad diffiniendam causam (sicut statutum est) aut ipse Romam venias, aut idoneos legatos mittas: atque hoc ita tempestive Moravensi episcopo notifices, quatenus & ipse pariter se, vel legatos suos ad iter præparare valeat. Præterea, sicut nobis relatum est, pacem quæ inter te & fratrem tuum ducem convenit, multis modis perturbare non desinis, præcipue cum suos absque canonica culpa & legali judicio excommunicas. Quod quidem tibi maxime periculosum est: quoniam, sicut beatus Gregorius dicit, qui insontes ligat, sibi ipsi potestatem ligandi atque solvendi corrumpit. Unde te admonemus, ut anathematis gladium nunquam subito neque temere in aliquem vibrare præsumas, sed culpam uniuscujusque diligenti prius examinatione discutias: & si quid est quod inter E
te & homines sæpefati fratris tui emerserit, cum eo in primis ut suos ad justitiam compellat fraterne & amicabiliter agas; & si æquitatem tibi denegaverit, aut temeritatem suorum aliqua dissimulatione contra te, quod non credimus, intumescere sine vindicta permiserit, nobis indicare non te pigeat: & præstante domino hujus querelæ occasionem solicitis admonitionibus sine mora decidere procurabimus. Data Romæ decimo Kalendas Octobris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

VII. AD WRATISLAUM DUCEM Bohemiæ.

Agit gratias quod cenſum miſerit, & pacem cum fratre Pragenſi epiſcopo inierit. Monet ut omnino Moravenſi epiſcopo a dicto ejus fratre ablata reſtituenda curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wratislao duci Bohemiorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad nos nuntius veſter, qui magnæ devotionis & fidelitatis veſtræ exhibitionem nobis retulit, & quæ beato Petro ſub nomine cenſus miſiſtis, videlicet centum marchas argenti ad menſuram veſtri ponderis, fideliter præſentavit. Quod quidem gratanter accepimus; ſed caritatem veſtram multo ardentius amabiliuſque, quaſi quibuſdam animi brachiis ad vos uſque porrectis, amplectimur, qui mentem veſtram & deſiderium magis ac magis erga reverentiam apoſtolicæ ſedis accendi perpendimus. Beatus autem Petrus, quem vos diligitis, & cui celſitudinem potentiæ veſtræ humilitatis, copioſa vobis procul dubio retributionis munera præparabit, & ſuo vos munimine, tam in præſenti quam futuro ſæculo, lætificabit. De cætero grates vobis habemus, quod obedientes noſtris monitis cum fratre veſtro Jeromiro Pragenſi epiſcopo pacem feciſtis: quem nos quidem hoc in anno apoſtolicæ ſedi præſentatum longe miſericordius quam ſua meretur culpa tractavimus. Verum ille indebitam nobis vicem rependens, mox ut domum reverſus eſt (ſicut nos non dubia relatione cognovimus) de caſtro quodam, & aliis rebus unde litem habet cum Joanne Moravenſi epiſcopo, contra interdictum noſtrum, & contra ſui ipſius in manus noſtras datam promiſſionem, etiam de nobis mentiendo, quaſi id ſibi conceſſerimus, ſe intromittere auſus eſt. De quo mendacio & fraude, quid & qualiter paucis eum corripiendo præceperimus, in tranſmiſſo tibi exemplo litterarum, quas ei direximus, plene cognoſcere potes. Unde & tuam nobilitatem ex parte beati Petri, & noſtra apoſtolica auctoritate rogamus, & præcipiendo monemus, ut nequaquam eum de tanta deceptione ulterius gaudere ſinas: ſed niſi ipſe (ſicut ipſe in litteris noſtris juſſus eſt) caſtrum, & alia quæ in lite ſunt, Moravenſi epiſcopo ſine mora reddat, tua eum virtute ejicias, & reſtitutis omnibus jam ſæpe dicto Moravenſi epiſcopo, ipſum, & bona eccleſiæ cui præeſt, pro amore Dei & redemptione animæ tuæ ab injuriis & impiorum hominum oppreſſione defendas. Hoc autem ea ſpe & intentione tibi procurandum mittimus, ut omnipotens Deus te & honores tuos divina virtute defendat, & ſuffragante beato Petro apoſtolo, a peccatorum tuorum te abſolutum vinculis ad gaudia æterna perducat. Data Romæ x. Kalandas Octobris indictione XIII.

Cenſus centum marcharum ducis Bohemiæ.

VIII. AD JOANNEM MORAVENSEM epiſcopum.

Conſolatur de injuriis a Pragenſi epiſcopo perpeſſis, & quantum ea re commotus ſit, ex nuntio & litterarum ad ducem Bohemiæ miſſarum exemplis eum cogniturum aſſerit. Arguit quod putarit ſe ſententiam leviter mutaſſe. Jubet ut apoſtolica fultus auctoritate omnia bona a Pragenſi epiſcopo ablata repetat.

Concil. General. Tom. XX.

ANNO CHRISTI 1074.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Joanni Mordvenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CAritatem tuam, frater, erga nos promptam & ſinceram eſſe cognoſcentes, debitas tibi grates rependimus, tuiſque fatigationibus fraterno corde compaſſi ſumus. Scimus enim quanta fraude Pragenſis epiſcopus te circumvenit: qui tamen non ſolum ad tuas, ſed de nobis mentiendo, & quaſi ex noſtra conceſſione rapacitatem ſuam roborando, ad noſtras etiam injurias patenter erupit. Qua de re quam graviter commoti ſimus, vel quid inde cenſuerimus, hic nuntius tuus viva voce tibi indicare poterit, & tu ipſe in litteris quas duci, & exemplo litterarum, quas eidem epiſcopo miſimus, pleniter cognoſcere potes. Et tu quidem nimis ſimpliciter egiſti, quod nos contra decreta noſtra ſurgere, & ſententiam noſtram tam leviter mutare putaſti: qui ea omnia, quæ inter te & illum in lite ſunt, uſque ad futuram ſynodum, & totius diſſenſionis veſtræ diſcuſſionem, tuis poſſeſſionibus decreviſſe præſens intelleXeras. Nunc igitur apoſtolica auctoritate juſſus, atque ſuffultus, caſtrum, & ſi quæ alia præfatus epiſcopus tibi abſtulit, ſine mora repetas. Illum namque admonuimus, firmiterque tibi ea omnia ſine contradictione reddere præcepimus. Ducem vero rogavimus, ut ſi epiſcopus nobis non obediret, eum de caſtro expelleret, & reſtitutis tibi omnibus pro amore Dei te, & bona eccleſiæ cui præes, Deo adjuvante, defenderet. Hoc enim indubitanter ſcias, quia neque in hac, neque in alia re ad defenſionem juſtitiæ tuæ, apoſtolica tibi, providente Deo, ſolicitudo deerit, vel auctoritas. Omnipotens Deus in tua ſacerdotali vigilantia & officio gratum ſibi ſacrificium, & tibi ſtatuat æternæ felicitatis præmium. Data Romæ decimo Kalendas Octobris, indictione decimatertia

IX. AD BEATRICEM ET EJUS FILIAM MATHILDEM.

Suam in eas fiduciam declarat. Dolet ſe ex periculoſo morbo emerſiſſe, ſervatum ad ſolicitudines pene naufragantis eccleſiæ. Roberto Guiſcardo, reconciliationem ſuppliciter petenti, juſtis de cauſis concedere differt. Demum marchionem Azonem promiſiſſe rationem ſe redditurum ſui conjugii ait, qua de cauſa ſe Romam vocaſſe Papienſem & Mutinenſem epiſcopos.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Beatrici duci, & ejus filiæ Mathildi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn nos fugit varios ſæpe ad vos de nobis rumores afferri, ſicut mos eorum eſt qui amicorum dilectioni invident & unanimitati. Et quidem ſi nos talibus aures (quod abſit) acclinare vellemus, non multi ſunt, in quibus ſinceræ dilectionis affectum nobis patere crederemus. Sed nos nihil fere potius quam ſuſpectum animum fugientes, in veritate vobis loquimur, quod in nullis terrarum principibus tutius quam in veſtra nobilitate confidimus: quoniam hoc verba, hoc facta, hoc piæ devotionis ſtudia, hoc fidei veſtræ præclara nos conſtantia docuerunt. Nec dubitamus quin veſtra in nobis vera niteſcat caritas, cum per Petrum ſervis, & Petrus in ſervo diligitur. De cætero ſcitote nos, præter ſpem

omnium qui nobiſcum erant, infirmitatem cor-
ANNO CHRISTI 1076. poris evaſiſſe, & jam bonam valetudinem recepiſſe: unde nobis dolendum potius quam gaudendum eſſe putamus. Tendebat enim anima noſtra, & toto deſiderio ad illam patriam anhelabat, in qua ille, qui laborem & dolorem conſiderat, laſſis quietem & refrigerium præſtat. Verum reſervati adhuc ad conſuetos labores, & infinitas ſolicitudines, in ſingulas horas, quaſi parturientis dolores & anguſtias patimur, dum pene in oculis noſtris naufragantem eccleſiam nullo valemus eripere gubernaculo. Lex enim & religio Chriſtiana ita fere ubique deperiit, ut Saraceni, & quilibet Pagani, ſuos ritus firmius teneant, quam illi qui Chriſtianum nomen acceperunt,

Quis inſoſa deſunt in Mario.

(& quibus in regno Patris per Chriſtum heredi-
tas & æternæ vitæ gloria parata eſt, * divinæ le-
* Porro, in divina. H.
gis mandata cuſtodiant.) Quo minus mirandum eſt, ſi hujus lucis ærumnas ſpe ſupernæ conſolationis fugere cupimus, qui in his poſiti, in ſola cognitione inundantium periculorum ſingulorum pœnas luimus. Præterea ſcitote Robertum Guiſcardum ſæpe ſupplices legatos ad nos mittere, & tantæ fidelitatis ſecuritatem ſe in manus noſtras dari cupere, ut nemo unquam firmiori obligatione ſe cuilibet domino debeat vel poſſit aſtringere. Sed nos non incertas rationes cur illud ſit adhuc differendum conſiderantes, ſupernæ diſpenſationis & apoſtolicæ procurationis conſilia præſtolamur. Adhæc alteram veſtrum hoc in tempore tranſalpinaturam intelleximus; ſed prius, ſi fieri poſſet, ambarum colloquio uti multum deſideramus: quoniam veſtra conſilia, ſicut ſororum noſtrarum, & filiarum ſancti Petri, in cauſis & negotiis noſtris habere deſideramus. De nobis vero quidquid per Deum & recte ſapimus & valemus, in omni caritatis exhibitione vobis patere confidite, & memoriam veſtram in noſtris quotidie orationibus habeti, & (quamquam peccatores ſimus) intente Deo commendari ſcitote. Præterea notum vobis eſt, marchionem Azonem in ſynodo nobis promiſiſſe, & fidem in manum noſtram dediſſe, ſe in noſtram præſentiam, quandocumque eum commoneremus, pro reddenda ratione ſui conjugii venturum. Et nos quidem hac de cauſa ipſum vocavimus. Guilielmum Papienſem epiſcopum, & Heribertum Mutinenſem, qui propinquitatem mulieris ſciunt, ad nos venire per epiſtolas noſtras invitavimus, quatenus, rei veritate percognita, quod juſtum fuerit, Deo adjuvante, ſtatuamus. Quapropter dignum nobis videtur, ut præfato marchioni per certum veſtrum nuntium mandetis, quatenus per terram veſtram in eundo & redeundo ſecurus tranſire poſſit, ne occaſione veſtri timoris in hac parte juſtitia Chriſtianæ legis detrimentum ſentiat. Data Romæ decimo octavo Kalendas Novembris, indictione decimatertia.

X. AD UDONEM TREVIRENSEM ARCHIEPISCOPUM,

Committit ei & epiſcopo Metenſi cauſam, quæ inter Tullenſem epiſcopum & quemdam ejus clericum verſabatur. Monet ut illum tutum reddat, & omnia ablata ei reſtitui jubeat: tum convocatis Tullenſibus clericis inquirat de moribus epiſcopi, de quibus certior vult fieri ante ſynodum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Udoni Trevirorum archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ADmonere te, frater, ut ea quæ tibi committimus fideliter agas ex caritate, ut vero

velociter, ex conſiderata cauſarum vel temporum
ANNO CHRISTI 1074. ſit competentia & neceſſitate: quæ quidem utraque in ſubſcripto negotio ita te obſervare volumus, ut, quemadmodum credimus, fidum te & indefeſſum nobis cooperatorem cognoſcamus. Frater iſte Tullenſis, ut fatetur, clericus ad nos veniens, conqueſtus eſt nobis, quoniam iratus ſit ei dominus ſuus, videlicet Tullenſis ut dicitur epiſcopus, ſe exulem factum, & omnibus rebus ſuis expoliatum, ſupplicans ut apud apoſtolicam pietatem tantarum miſeriarum aliquam inveniret conſolationem. Nobis vero cur hoc ſibi acciderit diligenter inquirentibus, retulit ſe ab epiſcopo quamdam eccleſiam poſtulaſſe, quæ ad officium cuſtodiæ quod tenebat legali conſtitutione dicitur attinere. Qua de re commotus epiſcopus, cum ei non ſolum hanc denegaret eccleſiam, ſed totum officium per ſummam interdiceret obedientiam, reſpondit ſe non debere ſibi obedientiæ reverentiam, quoniam archidiaconatus, conſecrationes eccleſiarum, & ipſas eccleſias vendendo, ſimoniaca hæreſi ſe commaculaſſet; cum muliere quadam in publica fornicatione jaceret, de qua filium genuiſſet, quamque rumor eſſet ſacramento & deſponſatione laicorum more ſibi copulaſſe; & præterea quod nonnulli eum ad epiſcopatum pactione præmii perveniſſe dicerent. His auditis epiſcopus quaſi de manifeſtis culpis pœnitens, & de ſua correctione tum cum hoc ſolo, tum cum cæteris fratribus loquens, tandem manifeſta indignatione & ira ſuper iſtum inflammatus eſt. Egreſſoque ab urbe epiſcopo, paullo poſt milites ejus, utpote non ignorantes voluntatem domini, huic omnem ſecuritatem abnegavere, & intra clauſtrum ei minati ſunt in faciem. Quos cum inſidiari vitæ ſuæ & honori intelligeret, clam diceſſit, ut ſua abſentia temperaret ſeveritatem hujus furoris. Epiſcopus vero confeſtim ſua omnia diripi & publicari præcepit: & ita iſte exulem ſe & egenum jamdiu fuiſſe conqueritur; verum hæc nobis inordinata & valde iniqua videntur: quoniam, ſi illa vera ſunt, epiſcopus, immo exepiſcopus, non hunc, ſed conſcientiam ſuam odiſſe & perſequi debuerat. Sin vero falſa, & utinam falſa, non tamen milites, ſed diſciplinam canonum, iſtum corripere & flagellare æquum fuerat. Quocirca fraternitatem tuam apoſtolica auctoritate commonitam, & in hac cauſa ſuffultam eſſe volumus, ut convocato & adjuncto tibi dilecto confratre noſtro Herimanno venerabili epiſcopo Metenſi, Tullenſem conveniatis, eumque ut clericum iſtum ſine omni periculo vitæ, & ſecurum ab omni contumelia in clauſtrum ſuum recipiat, & officium cuſtodiæ cum eccleſia, quam poſtulavit, ſi juſte attinet, cum cæteris omnibus juſtis pertinentiis & utilitatibus ſuis, & præpoſituram ſuam, & officium ſcholarum ſuarum, nec non omnia ablata ſibi bona, & tam irrationabiliter illata damna reſtituat, apoſtolicis juſſionibus commonitis. Deinde convocatis Tullenſibus clericis per veram eos obedientiam, immo ſub commonitione anathematis conſtringite, ut quidquid de introitu & vita epiſcopi ſciunt, vobis aperiant: & vos undique explorata veritate, quid nobis inde credendum ſit, in ſynodo vel ante ſynodum, quam in prima hebdomada quadrageſimæ celebraturi ſumus, per litteras veſtras notificare nullatenus prætermittite. Quod ſi epiſcopus, ut optamus, innocens de tot ac tantis criminibus apparuerit, quod clericus temere peccavit, quoniam ad noſtram venit audientiam, qualiter juſte corrigatur, Deo aſpirante, procurabimus. Si vero epiſcopus ea quæ ſibi intenduntur veraciter removere

vere non poterit, nullo modo ferendum eſt nobis, vel vobis, ut locum paſtoris lupus obtineat. Has autem litteras idcirco aperte ſigillari præcepimus, ut certiorem vobis auctoritatem traderemus. Data Romæ decimoſeptimo Kalendas Novembris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

XI. AD ALBERTUM COMITEM, ET EJUS UXOREM.

Laudat fidem & religionem eorum. Quorumdam epiſcoporum ſcelera reprehendit. Monet ut perſiſtant, & decreta apoſtolicæ ſedis de ſimoniacis & incontinentibus ſacerdotibus retineant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Alberto comiti & ejus uxori, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

GRatias Deo referimus, quod vel laici & mulieres ad dominum mentes erigunt, & cultum religionis libenter intellectu capiunt, & tenere contendunt. Nam illi qui propter lucrandas animas epiſcopi vocati & conſtituti ſunt, & ſubditos ſuos verbo & exemplo viam veritatis docere deberent, his temporibus ſeducti a diabolo non ſolum legem Dei deſerunt, ſed impugnare, & omni conatu ſubvertere non deſiſtunt. Quo minus mirandum eſt, ſi ipſi inferiores ordines a delicto non prohibent, quorum aut ordinatio fuit hæretica, aut vita omni immunditia & facinoribus cooperta: qui, dum in ſemetipſis propria ſcelera nec corrigunt nec attendunt, ſubditorum quoque crimina aut per negligentiam aut timore propriæ conſcientiæ portant. De quibus recte per prophetam dicitur: *Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Quapropter quidquid illi contra vos, immo contra juſtitiam garriant, & pro defendenda nequitia ſua vobis qui illiterati eſtis objiciant, vos in puritate & conſtantia fidei veſtræ permanentes, quæ de epiſcopis & ſacerdotibus ſimoniacis, aut in fornicatione jacentibus, ab apoſtolica ſede accepiſtis, firmiter credite & tenete. Data Romæ ſeptimo Kalendas Novembris, indictione decimatertia.

Pſal. 68.

XII. AD HALBERSTADENSEM EPISCOPUM.

Laudat ejus erga Romanam eccleſiam obſervantiam, quam ex ejus animi dolore perſpexerat, quod legati apoſtolici in illo regno non eo quo decebat honore ſuſcepti fuiſſent; quam rem eis contigiſſe mavult, quam apoſtolicæ ſedis auctoritatem violaſſe.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Halbiſtetenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Burchardo Alberſtatenſi

OStendis, frater, te ſanctam Romanam eccleſiam ſincero affectu diligere; quando id movet cor & animum tuum, legatos ſedis apoſtolicæ in regno veſtro non eo quo oportuit honore ſuſceptos fuiſſe, nec ea, quæ Chriſtiana religio poſtulabat, & adhuc poſtulat, prout neceſſe foret, efficere potuiſſe. Verum nos multo magis hæc illis accidiſſe volumus, quam ut ipſi hominibus magis quam Deo placere cupientes, veritatem & libertatem illius quæ in eis repræſentabatur auctoritatis aliqua ſimulatione violaſſent. Nam ſi principibus & divitibus terræ veſtræ regnare pro libidine, & juſtitiam Dei conculcare taciti conſentire vellemus, profecto amicitias, munera, ſubjectiones, laudem, & magnificas ab eis honorificentias habere poſſemus. Quod quia loco in quo ſumus, & officio quod tenemus minime congruit, nihil eſt quod nos a caritate Chriſti, ipſo protegente, ſeparare poſſit, quibus mori tutius eſt, quam legem ejus derelinquere, aut pro mundi gloria impiorum potius, ſi ſint potentes, quam eorum perſonas reſpicere, qui, licet ſint pauperes, legem ſui conditoris exquirunt, mandata diligunt, vitam potius quam juſtitiam deſerunt. Tuæ igitur unanimitatem fraternitatis debita cum gratulatione ſuſcipientes, hanc flammam in pectore tuo ſemper creſcere cupimus, ut in ea quam erga ſanctam & apoſtolicam eccleſiam habere cœpiſti dilectione proficias: ſpem vero in noſtra caritate, immo beati Petri protectione, & ejus apoſtolica indubitanter benedictione habere confidas. Data Romæ VII. Kalendas Novembris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

XIII. AD SALOMONEM REGEM Hungarorum.

Queritur, quod cum Hungariæ regnum juris ſit ſancti Petri, a Teutonicorum rege in beneficium acceperit. Monet ut illud, correcto errore ſuo, ab apoſtolica ſede recognoſcat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Salomoni regi Hungarorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* De Salomone rege Hungarorum Lambecius ad annum 1074.

LIteræ tuæ ad nos tarde propter moram nuntii tui allatæ ſunt: quas quidem multo benignius manus noſtra ſuſcepiſſet, ſi tua incauta conditio non adeo beatum Petrum offendiſſet. Nam ſicut a majoribus patriæ tuæ cognoſcere potes, regnum Hungariæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ proprium eſt, a rege * Stephano olim beato Petro cum omni jure & poteſtate ſua oblatum & devote traditum. Præterea * Henricus piæ memoriæ imperator ad honorem ſancti Petri regnum illud expugnans, victo rege, & facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam coronamque tranſmiſit, & pro gloria triumphi ſui, illuc regni direxit inſignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cum ita ſint, tu tamen in cæteris quoque a regia virtute & moribus longe diſcedens jus & honorem ſancti Petri, quantum ad te, imminuiſti, & alienaſti, dum ejus regnum a rege Teutonicum in beneficium, ſicut audivimus, ſuſcepiſti. Quod ſi verum eſt, qualiter gratiam beati Petri, aut noſtram benevolentiam ſperare debeas, tu ipſe, ſi juſtitiam vis attendere, non ignoras, videlicet te non aliter eam habiturum, nec ſine apoſtolica animadverſione diu regnaturum, niſi ſceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, apoſtolicæ, non regiæ, majeſtatis beneficium recognoſcas; neque enim nos timore, vel amore, aut aliqua perſonali acceptione, quantum Deo adjuvante poterimus, debitum honorem ejus, cujus ſervi ſumus, irrequiſitum relinquemus. Verum ſi hæc emendare, & vitam tuam, ut regem decet, inſtituere, & Deo miſerante, adornare volueris, procul dubio dilectionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſicut matris dilectus filius, & noſtram in Chriſto amicitiam plene habere poteris. Data Romæ V. Kalendas Novembris, indictione decimatertia.

* De ſancto Stephano I. Hungarorum rege Hermanno Contracto in chronico anni 1038. Chartuitius epiſcopus in ejus vita apud Surium tomo quarto. Leo Oſtienſis libro ſecundo capite ſeptuageſimo nono & alii.

* De expeditione Henrici II. Imperatoris contra Hungaros Hermannus Contractus in anno 1044.

ANNO CHRISTI 1074.

XIV. AD GUARNERIUM ARGENTINENSEM ET BURCHARDUM BASILEENSEM EPISCOPOS.

Ut curam advocatiæ monaſterii ſanctæ Crucis a Leone nono conſtructi, juxta ejuſdem pontificis conſtitutionem, Gerardo ejus nepoti majori natu adjudicent, & Hugonem ab ea excludant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guarnerio Argentinenſi & Burchardo Baſileenſi epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Loquitur de Leone nono.

NOn ignorare vos credimus dominum noſtrum beatæ memoriæ Leonem papam monaſterium ſanctæ Crucis in terra hæreditatis ſuæ fundatum, ac propriis opibus ejus conſtructum, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui pie & ſancte præſidebat, in proprium jus tradidiſſe; quatenus venerabilis ille locus ſub alis ſancti Petri tutior & liberior in divino famulatu proficeret. Verum, ſicut nos certa relatione comperimus, nepotes illius Hugo videlicet & Gerardus, ſua potius quam quæ Dei ſunt quærentes, nec tam ſanctiſſimi viri excommunicationem timentes, dum inter ſe de advocatia contendunt, monaſterii bona diripiunt, & quæ ad ſuſtentationem ancillarum Dei conſtituta ſunt, ſacrilegis invaſionibus militibus ſuis prædam faciunt. Quapropter fraternitatem veſtram multum rogamus & admonemus, ut pro amore & debita ſancto Petro obedientia, ambos in locum aliquem veſtro conventui aptum convocetis, & cauſam utrinque diligenter inquirentes, finem contentioni eorum imponere ſummopere ſtudeatis, in nullo quidem ab ea quæ in privilegio prælibati patris noſtri Leonis papæ deſcripta eſt conſtitutione & determinatione digredientes. Ibi enim inter cætera ejus apoſtolica ſanctione decretum eſt, ut qui de progenie ſua in caſtro * Egeneſchen cæteris major natu fuerit, curam advocatiæ ſolus teneat, & in omnem poſteritatem ejus generis hæc poteſtas ita procedat. Juxta quam ordinationem Gerardum quidem juſtitias agere, & advocatiam magis merito quam Hugonem adminiſtrare putamus, quia ætate priorem eſſe intelleximus. Quod ſi & vos ita eſſe cognoveritis, ex parte beati Petri, & noſtra apoſtolica, veſtra etiam epiſcopali auctoritate, Hugoni interdicite, ne ulterius ullo modo de eadem advocatia ſe intromittat, neque monaſterium, aut bona ejus, cujuſcumque modi ſint, aliqua læſione, vel contrarietate impetat, alioquin ſciat ſe apoſtolici gladii ictum nullatenus evadere poſſe, & non ſolum a gratia beati Petri, ſed a communione totius eccleſiæ judicio ſancti Spiritus & apoſtolica ſententia excommunicatum ac condemnatum penitus ſeparari. Quidquid igitur inde factum fuerit, per literas veſtras nobis quantocius indicare curate. Data Romæ quarto Kalendas Novembris, indictione XIII.

* Rugesheim

XV. AD HUMBERTUM ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM, ET CÆTEROS.

Ut clericos Lingonenſes moneant, ut deſiſtant ab injuriis, & ſatisfaciant de damnis monaſterio Pultarienſi illatis: quod ſi facere renuerint, eos ab introitu eccleſiæ arceant; &, ſi perſeveraverint, excommunicationi ſubdant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Humberto archiepiſcopo Lugdunenſi, & Agino Auguſtodunenſi, & Rodulpho Matiſconenſi epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ANNO CHRISTI 1074.

HUmbertus Pultarienſis abbas, diu apud nos pro neceſſitatibus monaſterii ſui commoratus, multas adverſitates & inquietudines conqueritur, ſe a clericis pati Lingonienſibus: cujus injuriæ tanto vehementius nos attingunt, quanto ſolicitudines apoſtolicæ diſpenſationis per beatum Petrum, cui ſervi ſumus, & cui monaſterium illud ſpeciali & proprio jure ſubjectum eſt, nobis præ cæteris incumbunt. Sed quia longum erat ſingulas querimoniarum abbatis cauſas hic comprehendere, fraternitatem veſtram rogamus, & apoſtolica auctoritate monemus, ut ex ore ipſius illatas ſibi moleſtias & monaſterii detrimenta audiatis, & diligenter attendatis, convocatiſque præſcriptis clericis ad faciendam emendationem & ſatisfactionem, prout juſtum fuerit, ſuper omnibus de quibus in eos conqueritur abbas, noſtra vice & apoſtolica auctoritate commoneatis. Quod ſi vos, immo beatum Petrum, & ejus per nos adminiſtrata monita contempſerint, & juſtitiam facere renuentes in pertinacia temeritatis ſuæ perſtiterint, ab introitu eccleſiæ arcere eos & excludere nullatenus prætermittatis. Sin vero nec pro hujuſmodi diſtrictione voluerint reſipiſcere, & illatas beato Petro injurias, utpote privilegia ejus tranſgreſſi, cæteraque in quibus abbatem & monaſterium ejus indignis offenſionibus læſerunt, digna reſipuerint ſatisfactione emendare, noſtra apoſtolica auctoritate juſſi atque ſuffulti eos anathematis gladio percuſſos a corpore & communione totius eccleſiæ ſeparate, & canonico judicio condemnate. Quidquid autem inde factum fuerit, nobis per veſtras literas ſine mora notificate. Data Romæ tertio Idus Novembris indictione decimatertia.

XVI. AD RICHERIUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

De hominibus ſui epiſcopatus a paribus.

Gregorius, &c. *Richerio Senonenſi archiepiſcopo ſalutem*, &c.

Data Romæ tertio Idus Novembris, indictione decimatertia.

XVII. AD SIGEBALDUM abbatem.

Arguit quod ſibi ſuaſerit, ut Albericum monaſterio ſancti Anaſtaſii, alio amoto, reſtitueret, quem poſtea cognovit multis eſſe criminibus diffamatum. Præcipit ut aut monaſterium Albericus reſtituat, aut ipſe una cum eo Romam veniat de objectis criminibus reſponſurus.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Sigebaldo abbati monaſterii ſancti Salvatoris in Peruſia, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRaternitatem tuam, quam religioſam tenemus, admodum miramur nobis juſtum non dediſſe conſilium, ſecundum quod a pluribus dicitur, de Alberico ſcilicet multis criminibus involuto, & (quod eſt pejus) etiam a venerabilis memoriæ domno Petro, aliiſque duobus epiſcopis ab omni honore eccleſiaſtico ſub excommunicatione amoto, quem ſancti Anaſtaſii monaſterio ex noſtra permiſſione reſtituiſti: alterum vero meliorem ex abbatiæ honore, ut fertur, vi ac ſine ratione

eje-

ANNO CHRISTI 1074.

eleciſti. Quod cum audiſſemus, valde nobis diſpli- A cuit, noſtraque caritas ut talia corrigantur has literas tibi direxit. In his igitur unum ex duobus tibi ac prædicto Alberico præcipimus, ut monaſterium quod ei non recte dediſti dimittat, & alteri injuſte rejecto reddat, aut tecum Romam veniens ex illis criminibus, in quibus accuſatur, in noſtra præſentia veritate ſe defendat. Sin autem neutrum horum obedire non vult, a ſacra ſede apoſtolica intelligat ſe procul dubio excommunicandum. Hæc itaque nullatenus negligas præcipimus. Peccatum enim maximum tecum incurrimus, ſi omittimus hoc, quandoquidem ita eſt, ſicut nobis multorum teſtimonio eſt intimatum. Data Romæ Idibus Novembris, indictione decimatertia.

XVIII. AD GUILIELMUM COMITEM Pictavenſem.

Ut una cum epiſcopis ac nobilibus regni Franciæ admoneat Philippum regem deſiſtere a confuſione eccleſiarum, atque a deprædationibus: alioquin ipſum regem, & quoſcumque ei obedientiam præſtantes, minatur ſe excommunicaturum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo comiti Pictavenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Licet Philippi regis Francorum iniquitates ad C notitiam tuam perveniſſe dubitandum non ſit, utile tamen duximus, quantum de eiſdem iniquitatibus doleamus tibi innoteſcere. Nam inter cætera ſcelera, quibus non ſolum Chriſtianos, ſed & Paganos videtur ſuperaſſe principes, poſt eccleſiarum, quas ſibi licuit confundere, varias deſtructiones, adeo regiæ dignitatis poſthabuit verecundiam, ut avaritia potius inflammante, quam ratione aliqua poſcente, Italiæ negotiatores, qui ad partes veſtras venerant, deprædatus fuerit. Qua de re, quia epiſcopos Franciæ literis noſtris eum convenire monuimus, te quoque ſanctum Petrum & nos pure diligentem, & (ut credimus) de ejus nobiſcum periculis contriſtatum, præcipue monemus, quatenus ex illis atque nobilioribus Franciæ melioribus quibuſdam adhibitis, iniquitates ſuas ſibi notificetis, & ut ipſe ſtultorum ſuggeſtionibus renuntiando, atque bonorum & ſapientium conſiliis adhærendo incipiat jam a confuſione eccleſiarum manum retrahere, & ad exemplar bonorum Franciæ regum pravos mores ſuos commutare, deprædationes quas ſupra commemoravimus, unde oratores ſancti Petri impediuntur, capiuntur, atque multis modis afficiuntur, ſine dilatione emendare. Qui ſi conſiliis veſtris acquieverit, nos eum qua debemus caritate tractabimus: alioquin, ſi in perverſitate ſtudiorum ſuorum perduraverit, & ſecundum duritiam & impœnitens cor ſuum iram Dei & ſancti Petri ſibi theſaurizaverit, nos Deo auxiliante, & nequitia ſua promerente, in Romana ſynodo a corpore & communione ſanctæ eccleſiæ ipſum, & quicumque ſibi regalem honorem vel obedientiam exhibuerit, ſine dubio ſequeſtrabimus, & ejus quotidie ſuper altare ſancti Petri excommunicatio confirmabitur. Diu eſt enim quod iniquitates ſuas portavimus: diu eſt quod ſanctæ eccleſiæ injuriam parcendo adoleſcentiæ ſuæ diſſimulavimus. Nunc autem adeo perverſitas morum ſuorum ſe notabilem reddidit, ut ſi tantæ valetudinis, tantæque fortitudinis eſſet, quantum Pagani imperatores ſanctis martyribus intulerunt, nos timore aliquo tot & tantas iniquitates ſuas nullo modo impunitas dimitteremus. Data Romæ Idibus Novembris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

XIX. AD RICHARDUM BITURICENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Significat ſe ei & Turonenſi archiepiſcopo litem inter Dolenſem monaſterium & abbatem ſancti Sulpitii commiſiſſe, monetque ut eam decidat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Richardo Bituricenſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

B Dolenſe monaſterium, ſicut novit fraternitas tua, juris ſancti Petri eſſe dignoſcitur, cui ſi aliquod diſcrimen inferretur, ſpeciali ſolicitudine ſuccurrere debemus. Proinde proclamatione ipſius monaſterii ſuper abbate ſancti Sulpitii jamdudum pulſati commiſimus confratri noſtro Rodulpho Turonenſi archiepiſcopo quæſtionem utriuſque monaſterii una tecum diligenter diſcutere, & ad legitimum, Deo auxiliante, definitionis finem perducere. Studeat igitur fraternitas tua ſic ſe præfato confratri noſtro in hac cauſa auxiliatricem impendere, quatenus in inquiſitione hujus rei non ſit nobis neceſſarium elaborare. Data Romæ I decimoſeptimo Kalendas Decembris, indictione decimatertia.

XX. AD RICHERIUM SENONENSEM Archiepiſcopum.

Ut a Lanzelino parochiano ſuo, qui multa ſcelera in archiepiſcopum Turonenſem perpetrarat, dignam emendationem faciendam curet: quod ſi ille facere recuſaverit, canonicam in eum cenſuram exercere jubet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Richerio Senonenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

D Confrater noſter Rodulphus Turonenſis archiepiſcopus veniens ad nos, innotuit ſe non parvam injuriam a quodam parochiano tuo, nomine Lanzelino, ſuſtinuiſſe. Aſſerit enim ipſum in via ſibi armata manu obviaſſe, & quibuſdam ſuorum deprædatis, quibuſdam etiam vulneratis, & (quod crudelius eſt) in faciem ſuo proprio conſanguineo interfecto, multis contumeliis ſe dehoneſtaſſe. Unde fraternitatem tuam admonemus, ut præfatum Lanzelinum convenias, & tanti ſceleris præſumptionem digne emendare facias: quod quidem fraternitas tua etiam ſine noſtrarum literarum admonitione facere debuiſſet; & ſi ita eſt ut dicitur, prius ad nos vindictæ quam proclamationis venire fama debuiſſet, ſi in te fraterna caritas vigeret. Quod ſi ipſe ſpiritu ſuperbiæ ductus ſatisfacere recuſaverit, canonicam ſuper eum cenſuram exercere non differas. Data Romæ decimoſeptimo Kalendas Decembris, indictione decimatertia.

XXI. AD ABBATEM BELLILOCENSEM.

Ut archiepiſcopo Turonenſi pareat: ſin aliquam idoneam excuſationem habeat, ad ſynodum una cum nuntio ipſius archiepiſcopi veniat, vel nuntios mittat, de ſua inobedientia & objectis criminibus reſponſurus.

Gre-

ANNO CHRISTI 1074.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei abbati Bellilocenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

COnfrater noſter Rodulphus Turonenſis archiepiſcopus retulit nobis te nullam ſibi obedientiam vello impendere, teque uſuris cæteriſque ſceleribus effrenata licentia deſervire. Quapropter admonemus, ut prædicto confratri noſtro debitam non deneges obedientiam. Quod ſi aliquam te cognoſcis idoneam poſſe prætendere excuſationem, cum prædicti confratris noſtri nuntio ad ſynodum, quam in prima ſeptimana quadrageſimæ celebraturi ſumus, venias, vel idoneos nuntios mittas: quatenus & de inobedientia archiepiſcopi, & de criminibus tibi objectis reſpondeas. Non enim poſſumus, quod in laicis legaliter reprehendimus, in te indiſcuſſum, & (ſi verum eſt quod infertur) ſine condigna pœna puniendum relinquere. Data Romæ decimoſeptimo Kalendas Decembris, indictione decimatertia.

XXII. AD HUGONEM
De ſancta Maura.

Ut juſte retenta eccleſiæ Turonenſis bona archiepiſcopo reddat, &, ſi quid deberi putet, cum eius nuntio Romam ad ſynodum veniat, alioquin excommunicandus.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hugoni militi de ſancta Maura.

CONfrater noſter Rodulphus Turonenſis archiepiſcopus conqueritur, quod tu bona eccleſiæ ſuæ injuſte retineas, & neque timore Dei, neque reverentia beati Mauritii, ad juſtitiam faciendam velis mentem tuam inclinare. Unde apoſtolica auctoritate monemus, ut, ſi ita eſt, de bonis illis dignam ſatisfactionem prædicto confratri noſtro offeras. Quod ſi fortaſſe ab eodem archiepiſcopo præjudicium tibi fieri claruerit, cum nuntio ad futuram ſynodum noſtram venias: quatenus, utrinque auditis rationibus, unuſquiſque veſtrum proclamationis ſuæ juſtitiam conſequatur. Quod ſi huic admonitioni noſtræ inobediens fueris, in eadem ſynodo, ad quam te vocamus, ſine dubio excommunicaberis. Data Romæ decimoſeptimo Kalendas Decembris, indictione XIII.

XXIII. AD ISEMBERTUM PICTAVENSEM
epiſcopum.

Confirmat interdictum a ſuo legato adverſus eum factum: & a ſacrorum participatione excludit, uſque ad futuram ſynodum, ad quam venire jubet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Iſemberto Pictavenſi epiſcopo.

QUoniam interdictus a legato noſtro Giraldo Oſtienſi epiſcopo obedire contempſiſti, concilium noſtro præcepto congregatum violenter conturbaſti, * nobis quoque præceptis de cauſa ſancti Hilarii inobediens extitiſti, auctoritate apoſtolorum Petri & Pauli interdictum a noſtro legato epiſcopale officium non ſolum confirmamus, verum etiam te a communione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeparamus, uſque ad futuram ſynodum, quam Deo annuente, in prima hebdomada quadrageſimæ celebraturi ſumus, niſi forte periculo mortis imminente, & hoc præcedente ſatisfactione ſacramento confirmata. Præcipimus etiam eadem apoſtolica auctoritate, ut in futuro concilio jam dicto te nobis repræſentes, & de his omnibus, & cæteris, quæ tibi illata ſunt, rationem redditurus venias. Quod ſi non feceris, noveris te in eadem ſynodo abſque ſpe futuræ reconciliationis deponendum. Data Romæ * decimoſexto Kalendas Decembris, indictione XIII.

* *f.* noſtris *Morin mauris quoque.*

ANNO CHRISTI 1074.

* XVII.

XXIV. AD GOZELINUM BURDIGALENSEM
archiepiſcopum, & Guilielmum ducem Aquitaniæ

Præcipit ut Pictavenſi epiſcopo, niſi ad ſynodum, ſicut illi præceperat, venerit, a nemine obedientia præſtetur. Burdigalenſi archiepiſcopo curam rerum eccleſiaſticarum, Guilielmo vero comiti juſtitiæ adminiſtrationem, committit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Gozelino Burdigalenſi archiepiſcopo, atque Guilielmo duci Aquitaniæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum fieri volumus veſtræ dilectioni, nos Iſemberto Pictavenſi epiſcopo mandaviſſe, * quoniam interdictus a legato noſtro Giraldo Oſtienſe epiſcopo (*uſque ad id quod ait.* abſque ſpe futuræ reconciliationis deponendum) Quod ſi obſervare noluerit, apoſtolica vobis auctoritate præcipimus, ut nullus veſtrum ſibi obediat, neque eum pro epiſcopo habeat. Tibi autem, Gozeline Burdigalenſis archiepiſcope, eccleſiaſticas res committimus tractandas: populum & clerum ne ſibi obediat commoneas. Tibi vero Guilielme comes, juſtitiam committo tractandam, atque in veſtris manibus cauſam ſancti Hilarii regendam, & juſtitiam inde exhibendam committimus. Data Romæ decimoſexto Kalendas Decembris, indictione decimatertia.

* Ex ſuperiore epiſtola.

XXV. AD ANNONEM COLONIENSEM
Archiepiſcopum

Monet ut cauſam inter * Oſenburgenſem epiſcopum & Corbejenſem abbatem & quandam abbatiſſam ab apoſtolicis legatis ei commiſſam definiat. Quod ſi perficere non poſſit, commoneat eos ad ſynodum venire, præterea clericis caſtitatem ſervandam inculcet.

* Oſnaburgenſem.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Annoni Colonienſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

UT diligentia tua, dilectiſſime frater, reminiſci poteſt, legati noſtri Ubertus Præneſtinus & Giraldus Oſtienſis epiſcopi ad partes veſtras deſtinati, litem quæ inter Bennonem * Oſenburgenſem epiſcopum &.... Corbejenſem abbatem ac quandam abbatiſſam verſabatur, ad ſe ut dirimeretur delatam, tuæ venerandæ ſolertiæ juſte diffiniendam commiſerunt. Verum neſcio qua obſtante cauſa adhuc indiſcuſſa remanere nobis perhibetur. Quapropter caritatem tuam, frater cariſſime, iterum duximus adhortandam, ut præfatum negotium diligenter audias, & legitime diffinias. Cæterum ſi aliqua ratio qua hoc perficere nequeas obſtiterit, his ſibi literis oſtenſis nos ad ſynodum in prima proximæ quadrageſimæ hebdomada agendam adire commoneas; quatenus controverſia inter

* Oſnaburgenſem

ter

ter eos diu protracta, omni occasione propulsa, A canonicum finem accipiat. Præterea solicitudinem tuam ex parte beati Petri communis patris & domini instanter admonemus, ut non solum in ecclesiæ tuæ diœcesi, sed etiam in omnibus suffraganeorum tuorum parochiis, presbyteros, diaconos & subdiaconos admonitionibus tuis caste vivere facias: quoniam, ut fraternitas tua novit, cæteræ virtutes apud Deum sine castitate nihil valent, sicut nec sine cæteris virtutibus castitas. In hoc igitur diligens & solicitus studeat, quatenus, sicut in aliis virtutibus tuis, tibi Petrum apostolorum debitorem faciat. Data Romæ decimoquarto Kalendas Decembris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

XXVI. AD DIONYSIUM PLACENTINUM episcopum.

Significat abbatem sancti Savini monasterium resignasse, tamen ejus curam illi commisisse, donec alius abbas eligatur. Monet ut ei rei una cum monachis det operam: ideo legatos mittit, nec non dirimendæ controversiæ causa, quæ inter eum & abbatem sancti Sepulcri plebemve Placentinam versatur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Dionysio Placentino episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

RIgizonem abbatem monasterii sancti Savini, quem ad audientiam nostram tua solicitudo direxit, recepimus, & tanta investigatione discussimus, ut prælibatum monasterium nostris refutaret in manibus. Absit enim ut nos eis dignitates ecclesiasticas defendere conemur, qui sibi eas interventu pecuniæ arripere præsumpserunt. Verum ne præmissum monasterium gravem rerum suarum pateretur jacturam, illud præfato abbati, eousque, salvo tuæ ecclesiæ jure, custodiendum commisimus, quoad ibi abbas solenniter eligatur, qui Deo dignus, & prædicti monasterii fratribus acceptus, habeatur. Quapropter, diligentissime frater, talis ibi tua fratrumque simul diligentia provideatur, ut nos non appareat potius ad detrimentum monasterii vel fratrum, quam ad utilitatem sui vel augmentum egisse quod egimus, ac tu dignas inde laudes inter homines habeas, & apud Deum ex hoc salubri negotio indulgentiam peccatorum & animæ tuæ perpetuam salutem invenias, quæ tunc efficaciter acquiritur, cum Deo sacris in locis famulantibus caritatis officio pie consulitur. Porro legatos nostros, præsentium videlicet latores, ob hoc ad vos usque direximus, ut ad quem finem instans negotium perveniat aspiciant, & controversiam quæ inter te & abbatem sancti Sepulcri, plebemve Placentinam, sive * Bonizonem subdiaconum, versatur, intentius audiant, ut calumniari nitentibus obstructa licentia, cujus partis tergiversatio justitiam impediri contendat, advertant, & sancta Placentina ecclesia post tot temporum interstitia, post tot tantaque litigia, se saltem nunc optatam & optandam pacem tuæ nobilitatis prudenti clementia recipere congaudeat: quatenus prænominatæ ecclesiæ debita quiete perfruenti Deo servire liceat: tu vero, hujuscemodi supervacaneis occupationibus propulsis, in nostri conditoris laudibus & servitio delectari, & in lege ejus die ac nocte meditari valeas, & ad veram beatitudinem pervenias, atque apud nos calumniantium improbitas locum ulterius non habeat. Data Romæ quinto Kalendas Decembris, indictione decimatertia.

*Bonizonem

XXVII. AD MONACHOS MONASTERII sancti Savini.

ANNO CHRISTI 1074.

Ut abbatem canonice eligant, & pro se, & Romanæ ecclesiæ statu ad Deum preces fundant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei congregationi monasterii sancti Savini Placentiæ constituti, salutem & apostolicam benedictionem.

RIgizonem abbatem vestrum ad audientiam nostram venientem suscepimus, & tanta examinatione discussimus, ut monasterium nostris refutaret in manibus. Verum ne prælibatum monasterium grave rerum suarum pateretur dispendium, illud sibi eousque commisimus, quoad in prædicto B monasterio alter solenniter eligatur, qui Deo dignus & sacris canonibus conveniens inveniatur. Quapropter prætentibus vos hortamur apicibus, ut neglecta omni nefandi pretii taxatione, posthabita consanguinitatis & amicitiæ gratia, talem vobis eligere secundum regulam sancti Benedicti studeatis, cum quo Deo servire concorditer & sincere valeatis. Rogamus vos interea, carissimi fratres, ut pro recuperatione status sanctæ Romanæ ecclesiæ, suique incolumitate, ac pro me, ut sibi consulere valeam, Deum, cui fideliter famulamini, jugiter exoretis. Data Romæ quinto Kalendas Decembris, indictione decimatertia.

XXVIII. AD LEMARUM BREMENSEM Archiepiscopum.

Invehitur in eum, quod legatis apostolicæ sedis concilium, sicut ipse jusserat, celebrare prohibuerit, quodque ab eisdem Romam vocatus venire contempserit: quare suspendit eum ab officio, quousque Romam ad synodum accedat.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei * Lemaro Bremensi archiepiscopo.*

* alias Liemario, ut apud Lambertum anno 1072. & alibi.

QUia susceptæ beneficii, quo te sancta Romana ecclesia voluit honestare, te immemorem, potius ingratum cognovimus, oblitum etiam promissionem canonicamque obligationem, qua sanctæ Romanæ ecclesiæ te fidelem, te diligere, eique ex corde obedire canonice obligasti, non immerito super te dolendo movemur, non sine causa tibi, quem fidelem filium credebamus, irascimur. Heu inversi mores, & tempora immutata! Quem murum inexpugnabilem pro sancta Romana ecclesia, cui licet indigni præsidemus, putabamus, quem scutum fidei, quem gladium Christi sumere debere, si oporteret, tum officio tuo, tum prædicto debito pro sancta Romana ecclesia, * pro nobis etiam nostrisque successoribus credebamus, jam eum nostrumque inimicum nostrumque oppugnatorem invenimus: tuasque injurias, a te turpissimam & inauditam repulsam licet injuste patimur. Legatis quippe nostris * Alberto Prænestinensi & Giraldo Ostiensi episcopis, quos ad partes illas ad id destinavimus, ut in unum archiepiscopis, episcopis, abbatibus, religiosisque clericis convocatis, vice & auctoritate nostra fulti, quæ corrigenda essent, corrigerent, quæ religioni addenda essent adderent, pro viribus impedisti. Adhæc ut & concilium fieret prohibuisti. Ab eisdem etiam Romam vocatus, ad institutum terminum, festivitatem scilicet sancti Andreæ, non venisti. Ad hæc igitur & quamplura etiam alia corrigenda ad proximam synodum, quæ proxime

* atque

* Huberto

Vide Lambertum in anno 1074.

quadrageſimæ prima hebdomada celebrabitur, Deo annuente, apoſtolica auctoritate tibi venire præcipimus, & invitamus. Prædictis etiam delictis nobis perſuadentibus ab omni epiſcopali officio prædicta auctoritate, donec ad nos venias, te ſuſpendimus. Data Romæ ſecundo * Idus Decembris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

* *forte* Nonas.

XXIX. AD SIGEFREDUM MOGUNTINUM archiepiſcopum.

Queritur ſe fruſtratum ea ſpe atque opinione quam de eo conceperat. Monet ut ad ſynodum cum ſuis ſuffraganeis veniat: vel, ſi forte impediatur, nuntios mittat, qui tum reditus, tum mores ſuorum ſuffraganeorum indicare poſſint.

De Sigefredo Lambertus anno 1079. 1072 & alibi pallium.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Sigefredo Moguntino archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

RECordari credimus fraternitatem tuam, quam puro amore ante hujus noſtræ adminiſtrationis ſarcinam te dileximus, & quomodo ejuſdem noſtri amoris intuitu ſecretorum tuorum nobis pauciſque aliis commiſiſti conſilium. Cujus rei gratia licet ex eo tempore bene de te ſperavimus, ex eo tamen quod Cluniacenſi monaſterio reliquum vitæ tuæ conferre voluiſti, majorem ex religione tua fidem ſuſcepimus: verum juxta quorumdam relationem aliter quam ſperabamus te egiſſe comperimus: quod ſi negligenter irrequiſitum tranſire permittimus, fraternum tibi amorem minus impendere non ſine magno taciturnitatis periculo probamur. Quapropter apoſtolica auctoritate religionem tuam admonemus, ut ad ſynodum, quam, Deo annuente, in prima ſeptimana quadrageſimæ celebraturi ſumus, cum ſuffraganeis tuis, videlicet Ottone Conſtantienſi, Guarnerio Strazburgenſi, Henrico Spirenſi, Herimanno Bambergenſi, Imbrico Auguſtenſi, Adelbero Guertzpurgenſi, ſi potes venias. Quod ſi aliqua infirmitate, quod abſit, præpeditus venire nequiveris, tales ad nos ſtudeas nuntios dirigere, quorum ſecure conſilio inniti, & quorum teſtimonio quaſi præſentiæ tuæ credere poſſumus. Et hoc perdiligentiſſime fraternitas tua perpendat, ut neque precibus, neque gratia alicujus dimittas, quin introitum & converſationem prædictorum epiſcoporum diligentiſſime inquiras, & per eoſdem nuntios tuos nobis inſinues. Ne igitur mireris, quod plures ex parochia tua quam ex aliis invitavimus, cum tua amplior ſit cæteris, & in ea ſint quidam non laudandæ opinionis. Data Romæ ſecundo Nonas Decembris, indictione decimatertia.

XXX. AD HENRICUM REGEM Romanorum.

Lætatur quod legatos apoſtolicos benigne excepерit, & ſibi devotæ ſervitutis obſequium præſtiterit, & det operam, ut in regno ſuo ſimonia & fornicatio clericorum extirpetur. Monet fidos ac prudentes conſiliarios ſibi adſciſcat, Mediolanenſi eccleſiæ jus ſuum reſtituat, & epiſcopos vocatos ad ſynodum venire curet, quibuſcum legatum mittat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUanquam, fili cariſſime, cauſam Mediolanenſis eccleſiæ non ita compoſueris, quemadmodum literarum ad nos miſſarum ſeries pollicitatioque continebat; tamen, quia legatis noſtris te benevolum tractabilemque præbuiſti, eorumque interventu quaſdam res eccleſiaſticas laudabiliter correxiſti, nobis quoque per eos congruæ ſalutationis & devotæ ſervitutis exhibitionem tranſmiſiſti, gratanter accepimus. Sed & illud quod piæ memoriæ Agnes mater tua imperatrix Auguſta apud nos conſtanter teſtificata eſt, iidemque legati epiſcopi atteſtati ſunt, ſimoniacam ſcilicet hæreſim funditus de regno tuo extirpare, & inveteratum morbum fornicationis clericorum toto anniſu corrigere velle, vehementer nos hilaravit. Filiæ quoque noſtræ fideliſſimæ veſtræ Beatrix commiſſa, & filia ejus Mathildis, non modice nos lætificavere, ſcribentes nobis de amicitia & ſincera dilectione veſtra; quod libentiſſime accepimus: quarum conſilio, ſed & perſuaſu dilectiſſimæ matris veſtræ Auguſtæ, ad hoc inducti ſumus, ut has vobis literas ſcriberemus. Quamobrem, licet peccator, memoriam tui inter Miſſarum ſolennia ſuper corpora apoſtolorum & habui & habebo, ſuppliciter obſecrans, ut Deus omnipotens, & hæc tibi bona ſtabiliat, & ad præfectum eccleſiæ ſuæ ampliora concedat. Moneo autem te, fili excellentiſſime, & ſincera caritate exhortor, ut in his rebus tales tibi conſiliarios adhibeas, qui non tua, ſed te diligant, & ſaluti tuæ, non lucro ſuo, conſulant: quibus ſi obtemperaveris, Dominum Deum, cujus cauſam tibi ſuggerunt, protectorem propitiumque habebis. Porro de cauſa Mediolanenſi, ſi viros religioſos & prudentes ad nos miſeris, quorum ratione & auctoritate clareſcat ſanctæ Romanæ eccleſiæ bis ſynodali judicio firmatum poſſe aut debere mutare decretum, juſtis eorum conſiliis non gravabimur acquieſcere, & animum ad rectiora inclinare: ſin autem impoſſibile eſſe conſtiterit, rogabo & obſecrabo ſublimitatem tuam, ut pro amore Dei & reverentia ſancti Petri eidem eccleſiæ ſuum jus libere reſtituas: & tunc demum regiam poteſtatem * recte obtinere cognoſcas, ſi regi regum Chriſto ad reſtaurationem defenſionemque eccleſiarum ſuarum faciendam dominationis tuæ altitudinem inclinas, & verba ipſius dicentis cum tremore recogitas: *Ego diligentes me diligo, & honorificantes me honorifico: qui autem me contemnunt erunt ignobiles.* Præterea noverit ſublimitatis tuæ dignatio, nos Sigefredo Moguntino archiepiſcopo literas miſiſſe, evocantes eum ad ſynodum, quam Deo auctore proximæ quadrageſimæ prima hebdomada celebraturi ſumus. Quod ſi venire non poſſe patuerit, tales mittat legatos, qui vicem ejus concilio repræſententent. Similiter Bambergenſem, Strazburgenſem, Spirenſem, adeſſe præcipimus, introitus ſui & vitæ rationem poſituros. Qui ſi forte, ut eſt hominum protervia, venire diſtulerint, regiæ tuæ poteſtatis impulſu petimus ut venire cogantur: cum quibus volumus a latere tuo legatos tales tranſmitti, qui nos fideliter doceant & de ingreſſu & de vita eorum: quorum relatione, cognita veritate, ad liquidum certius poſſimus de indubitatis proferre judicium. Data Romæ ſeptimo Idus Decembris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

* Forte, *recte ut.* H.

Prov. 8. 1. Reg. 2. 30.

XXXI. AD EUNDEM.

Summum in eum amorem teſtatur. Rogat ut avertat aures ab his qui diſcordiam inter ſe & illum ſeminant. Recenſet Chriſtianorum calamitates, qui in tranſmarinis partibus a Paganis vexabantur: ad quos ſublevandos ſe Chriſtianos omnes provocaſſe, ſeque paratum eſſe affirmat:

tum

ANNO CHRISTI 1079.

tum ea cauſa eo contendere, tum ut orientalis eccleſiæ cum Romana unio fieret.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico glorioſo regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SI Deus modo aliquo ſuæ pietatis concederet, ut mens mea tibi pateret, indubitanter ſcio ſua largiente gratia nullus te a mea dilectione poſſet ſeparare. Attamen de illius confido miſericordia, quia quandoque clarebit, quod te ſincera caritate diligam. Ad hoc enim me commune præceptum omnium Chriſtianorum dirigit, ad hoc etiam imperatoria majeſtas, & apoſtolicæ ſedis conſueta poteſtas impellit: quia ſi te, ut oportet, non diligo in vanum de miſericordia Dei, meritis beati Petri confido. Sed quia die nocteque in vinea Domini laborare, per multa pericula etiam uſque ad mortem deſiderio, non ſolum tibi, quem Deus in ſummo culmine rerum poſuit, per quem multi poſſunt aut a recto tramite aberrare, aut Chriſtianam religionem obſervare, ſed etiam minimo Chriſtiano, adjuvante Deo, ſemper ſtudebo ſanctam & condignam caritatem cuſtodire. Hac enim ſine veſte regales nuptias adire qui tentaverit, dedecus inimane ſuſtinebit. Heu, proh dolor! hæc vigilanti animo non attendunt, qui diſcordiam ſeminare inter nos quotidie diſponunt, ut his retibus diabolico inſtinctu præparatis ſua poſſint captare commoda, ſua palliare vitia, quibus iram Dei, & gladium ſancti Petri, contra ſe inſana mente provocant. Moneo itaque te, & hortor, cariſſime fili, ab his aures tuas averte, & eis auditum indubitanter præbe, qui non ſua, ſed quæ ſunt Jeſu Chriſti quærunt, neque honorem ſuum vel lucrum juſtitiæ præponunt: ut eorum conſilio hujus vitæ gloriam non amittas, ſed eam quæ eſt in Chriſto Jeſu fiducialiter acquiras. Præterea in loco tuæ magnitudini, quia Chriſtiani, ex partibus ultra marinis, quorum maxima pars a Paganis inaudita clade deſtruitur, & more pecudum quotidie occiditur, genſque Chriſtiana ad nihilum redigitur, ad me humiliter miſerunt, nimia compulſi miſeria implorantes, ut modis quibus poſſem eisdem fratribus noſtris ſuccurrerem, ne Chriſtiana religio noſtris temporibus, quod abſit, omnino deperiret. Ego autem nimio dolore tactus, & uſque ad mortis deſiderium ductus, magis enim vellem pro his animam meam ponere, quam eos negligens univerſo orbi ad libitum carnis imperare, procuravi Chriſtianos quoſque ad hoc provocare, ad hoc impellere, ut appetant, defendendo legem Chriſti, animam ſuam pro fratribus ponere, & nobilitatem filiorum Dei luce clarius oſtentare. Quam admonitionem Italici & ultramontani, Deo inſpirante, ut reor, immo etiam omnino affirmo, libenter acceperunt, & jam ultra quinquaginta millia ad hoc ſe præparant, ut ſi me poſſunt in expeditione pro duce ac pontifice habere, armata manu contra inimicos Dei volunt inſurgere, & uſque ad ſepulchrum Domini, ipſo ducente, pervenire. Illud etiam me ad hoc opus permaxime inſtigat, quod Conſtantinopolitana eccleſia de ſancto Spiritu a nobis diſſidens, concordiam apoſtolicæ ſedis * expectat. Armeni etiam fere omnes a catholica fide aberrant, & pene univerſi orientales præſtolantur, quid fides apoſtoli Petri inter diverſas opiniones eorum decernat. Inſtat enim noſtro tempore ut impleatur, quod prius redemptor ſpeciali gratia dignatus eſt apoſtolorum principi indicare ac præcipere, dicens: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides*

Quibus conſiliariis & quieſcendum.

a. Cor. 13.

* expet ac

Luc. 22.

Concil. General. Tom. XX.

A *tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Et quia patres noſtri, quorum veſtigia licet indigni ſequi optamus, partes illas pro fide catholica confirmanda ſæpe adierunt, nos etiam adjuti precibus omnium Chriſtianorum, ſi Chriſto duce via patuerit, quia non eſt via hominis in manu ejus, & a Domino greſſus hominis diriguntur, illuc tranſire pro eadem fide & Chriſtianorum defenſione compellimur. Sed quia magna res magno indiget conſilio, & magnorum auxilio, ſi hoc Deus me permiſerit incipere, a te quæro conſilium, &, ut tibi placet, auxilium, quia ſi illuc favente Deo vero, poſt Deum tibi Romanam eccleſiam relinquo, ut eam & ſicut ſanctam matrem cuſtodias, & ejus honorem defendas. Quid B tibi ſuper his placeat, & quid prudentia tua divinitus aſpirata decernat, mihi quantocius potes remittas. Nam ſi de te pluſquam plurimi putent non ſperarem, verba hæc fruſtra proferrem. Sed quia forſan non eſt homo, cui de ſinceritate dilectionis meæ adhuc indubitanter credas, Spiritui ſancto, qui omnia poteſt, committo, ut menti tuæ ſuo more indicet quid tibi cupiam, quantumve te diligam: & eodem modo circa me tuam mentem componat, ut impiorum deſiderium depereat, & bonorum accreſcat. Hæc enim duo deſideria circa nos duos, licet diverſo modo, inceſſanter invigilant, & ſecundum voluntatem eorum, a quo prodeunt, decertant. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis & C auctoritate beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, a cunctis peccatis te abſolvat, & per viam mandatorum ſuorum incedere faciat, atque ad vitam æternam perducat. Data Romæ ſeptimo Idus Decembris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1079.

XXXII. AD MANASSEM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Accipit excuſationem archiepiſcopi Rhemenſis, qui non viſitavit limina apoſtolorum: ſeque magnam delectationem capturum, ſi rex Franciæ ſcelera ſua correxerit; ſin minus, ei adverſari in futurum, legatoſque commendat.

D *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Manaſſæ Rhemenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

TAntis dilectionis amplexibus ſanctam Romanam eccleſiam & nos ſui debito te diligere putamus, tanto dilectionis fervore in ſuo & noſtro amore te debere fervere, ut nimium ſit nobis hæſitare, quin apoſtolorum limina, ſi tibi in tegra adeſſet facultas & libera, viſitares. Nunc igitur caute & diligenter, ut debes, accipias, malum inauditum, ſcelus deteſtabile, quod Philippus rex Franciæ, immo lupus rapax, tyrannus iniquus, Dei & religionis ſanctæ eccleſiæ inimicus, E Italis & aliarum provinciarum mercatoribus contra Deum & regni ſui honorem fecit, & alia quorum ad aures noſtras clamores frequentiſſime venerunt, ſi, prout juſtitia dictaverit, correxerit, nos procul dubio lætari, gratiarum actionibus Deum laudare, ut pro perdita & inventa ove, ſciat fraternitas tua. Si vero contra hæc (quod nolumus) egerit, Deum procul dubio ſibi inimicum, ſanctamque Romanam eccleſiam & nos, cui licet indigni præſidemus, viribus & modis omnibus ſibi adverſari promittimus. Si legati noſtri, ut putamus, ad partes tuas venerint, de his & quæ nobis ſcripſiſti, pluribuſque aliis, tecum & te auxiliante tractaturi, vice Petri ſuſcipe, vice noſtra

* Sanctis

dilige: ut quanto apoſtolorum principi amore no- A cum inveneris nulla ratione, ſine periculo tuæ animæ
ANNO CHRISTI 1074. biſque adhæreas, in his etiam probare queas. Data Romæ ſexto Idus Decembris, indictione decimatertia.

& damnatione, res ſancti Gaudentii hujuſmodi nefario pacto te poſſe retinere, ſtudeas eas pro amore ſancti Petri ac noſtro quantocius eccleſiæ reddere, necnon ab aliis injuſte retenta recuperare. Nuntios quoque noſtros ad partes tuas venturos, ſicut ſancti Petri gratiam noſtrumque beneficium habere deſideras, ne deſiſtas in omnibus adjuvare. Data Romæ Idibus Decembris, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

XXXIII. AD CUNIPERTUM TAURINENSEM EPISCOPUM.

Arguit quod ad ſynodum vocatus non venerit, & monaſterio ſancti Michaelis moleſtiam intulerit. Præcipit ut ad aliam ſynodum accedat, & ne dictum monaſterium detrimento afficiat.

* Cuniberto *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Cuniperto Taurinenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

LIcet adverſus præſumptionem tuam durius invehi deberemus, quia vocatus ad ſynodum, quam circa feſtivitatem ſancti Andreæ celebravimus, venire contempſiſti, & venerabili monaſterio ſancti Michaelis, neque reſpectu divini timoris, neque intuitu apoſtolicæ defenſionis, inquietudinis manum ſubtrahere voluiſti; adhuc tamen fraternam tibi dilectionem reſervamus, & debitæ ſatisfactionis tuæ fructum expectamus. Quapropter iterum te apoſtolica auctoritate monemus, ut ad ſynodum, quam in prima ſeptimana quadrageſimæ celebraturi ſumus, venias. Nos enim abbatem præfati monaſterii uſque ad prædictam ſynodum nobiſcum retinebimus, quatenus auditis utrinque rationibus tam eccleſia tua, quam monaſterium illud propriam conſequatur juſtitiam. Interim etiam monemus, ut nullam inquietudinem præfato loco inferas. Si vero nis noſtris literis inobediens fueris, quod ſancti patres in hujuſmodi negotiis fecere, nos facere, & locum illum auctoritate beati Petri defendere compelles. Data Romæ ſecundo Idus Decembris, indictione decimatertia.

XXXIV. AD RAINERIUM.

Decernit irrita eſſe quæcumque ab abbate ſancti Gaudentii geſta ſunt. Quæ vero ipſe Rainerius cum illo contraxit, diffinienda differt in nuntii ſui adventum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rainerio illuſtri viro ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam devotionem tuam ac fidem, ſicut te decet, erga beatum Petrum jamdudum probavimus, & præmium te dignum tuis operibus te accepturum minime dubitamus, de ſervitio & juſtitia ejus tibi confidenter mandamus: ſperantes nobilitatem tuam non ſolum ſe devotam præbere, ſed etiam alios quos poterit ad obſequium perurgere. Quia igitur notum tibi credimus eſſe, cariſſime, * quemadmodum abbatem ſancti Gaudentii, ſceleratum immo invaſorem hæreticum, pro ſua nequitia juſte damnavimus, nunc tibi notificandum eſſe cenſemus, quod omnia quæ ab ipſo perditionis filio de rebus eccleſiæ illicite, utpote ab hæretico, perpetrata ſunt, vel alienata, canonica & legali auctoritate caſſanda & penitus evacuanda eſſe decernimus. De his vero quæ tecum reſtit iniquus, videlicet de eccleſiaſticis cautionibus, tui reſpectu & caritate taliter diffinias, ut cum venerit ad te nuntius noſter, ſapientes viros tecum habeas, qui Deum timeant, & te diligant, quorum conſilio cauſam diſcutias, &

* quemadmodum Hereticum

XXXV. AD GUILIELMUM PAPIENSEM epiſcopum.

Arguit quod ad ſe vocatus non venerit. Præcipit B ut accedat ad concilium, in quo ei datur locus defendendi conjugium ſororis ſuæ cum Azone, quem illius conſanguineum eſſe teſtes affirmabant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo Papienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LIcet contra nos id egiſſe videaris, ut nec etiam apoſtolicam benedictionem tibi mittere deberemus, ſcilicet, quia ad conſtitutum tibi terminum nec veniſti, nec legalem excuſationem miſiſti; malumus tamen de pietatis modeſtia reprehendi, quam canonum rigorem ſequendo inobedientiam tuam acriter ulciſci. Quapropter apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, ut ad ſynodum, quam Deo annuente celebraturi ſumus prima hebdomada quadrageſimæ, venias & de cauſa ſororis tuæ reſpondeas. Licet enim clariſſimum ſit eam Guidonem marchionem conſanguineum Azonis marchionis maritum habuiſſe, illud etiam ſacramentis & teſtibus in præſentia noſtra probatum ſit, eandem ſororem tuam atque Azonem quartam propinquitatis lineam nondum excedere; dabimus tamen vobis audientiam in præfata ſynodo, quatenus ſi legalem defenſionem vos habere confiditis, & teſtimonia & ſacramenta ante nos facta improbare poteritis, conjugium illorum permaneat. Alioquin, ſi hoc tunc facere non poteritis, vel a prædicta Synodo vos ſubtraxeritis, nullam deinceps inde fieri quæſtionem apoſtolica auctoritate inhibemus. Unde in ſacramento, quo prædictum Azonem conſtrinximus, ita cauti fuimus, ut cum licentia noſtra, ſi rationes veſtræ idoneæ fuerint, ipſe poſſit eam reducere, atque in uxorem habere. Data Romæ decimoſeptimo Kalendas Januarii, indictione decimatertia.

XXXVI. AD COMITISSAM MATHILDEM.

Præcipit ut a conſortio Azonis ſe ſejungat: quod ſi illum ſuum conſanguineum non eſſe probare ſe poſſe confidat, in proximo concilio ſe ejus cauſam cogniturum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Mathildi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUaliter teſtibus & ſacramentis in præſentia noſtra probatum ſit, te habuiſſe virum conſanguineum Azonis, te etiam & Azonem marchionem in quarta propinquitatis linea conſanguineos eſſe, ipſi qui eidem cauſæ interfuerunt poterunt tibi referre. Unde quia Azonem marchionem ſacramento conſtrinximus, nullam deinceps ſine licentia noſtra maritalem tecum converſationem habere, tibi etiam ex parte beati Petri præcipimus, ut

ut a conſortio & cohabitatione ſua, omnino te auferas, & de perpetrata iniquitate ita digne pœniteas, quatenus gratiam Dei valeas recuperare, & tanti tamque turpiſſimi inceſtus infamiam declinare. Quod ſi fortaſſe præjudicium te pati exiſtimas, & teſtimonia, atque ſacramenta de conſanguinitate veſtra improbare poſſe confidis, damus tibi audientiam in proxima Romana ſynodo, ubi Deo auxiliante neque ad dexteram neque ad ſiniſtram in executione juſtitiæ declinabimus, ſed quod juſtum eſt ſtatuemus. Data Romæ XVII. Kal. Januarii, indictione XIII.

ANNO CHRISTI 1074.

XXXVII. AD UNIVERSOS FIDELES.

Hortatur ad defenſionem Chriſtianorum, qui in transmarinis partibus ab infidelibus premebantur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus fidelibus ſancti Petri, * *maxime ultramontanis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* deſi maxime

AD vos jam perveniſſe credimus, quæ ſit noſtra voluntas, & quid ex parte ſancti Petri * dixerimus de adjutorio faciendo fratribus noſtris, qui ultra mare in Conſtantinopolitano imperio habitant, quos diabolus per ſe ipſum a fide catholica conatur avertere, & per membra ſua non ceſſat quotidie pecudes enecare crudeliter. Sed quia invidet bonis deſideriis, tentat, ſi pot eſt, nos impedire, ne illi gratia divina largiente, liberentur, & nos dando animas noſtras pro fratribus noſtris coronemur. Proinde ex parte beati Petri rogamus, monemus & invitamus, ut eo modo, quem portitor horum dixerit, ad nos quidam veſtrum veniant, qui Chriſtianam fidem vultis defendere, & cæleſti regi militare, ut cum eis viam (favente Deo) præparemus omnibus qui cæleſtem nobilitatem defendendo per nos ultra mare volunt tranſire, & quod Dei ſunt filii, non timent oſtendere. Itaque, fratres cariſſimi, eſtote ad pugnandum fortiſſimi pro laude illa & gloria, quæ omne deſiderium ſuperant, qui hactenus fortes fuiſtis pugnare pro rebus quas non poteſtis detinere, nec ſine dolore poſſidere. Nam per momentaneum laborem æternam poteſtis acquirere mercedem. Omnipotens Deus, qui omnem legem ſuam in præcepto abbreviavit caritatis, det vobis ſic toto corde, tota anima, tota virtute diligere, ut proximos veſtros ſicut vos ipſos diligentes mereamini, ſi oportuerit, pro eis animas veſtras ponere. Data Romæ XVII. Kal. Januarii, indictione XIII.

* direximus.

XXXVIII. AD UBERTUM COMITEM, & Clerum Firmanum.

Ut auxilium præſtent archidiacono, cui procurationem epiſcopatus Firmani commiſerat, donec de idoneo paſtore provideatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Uberto comiti, & univerſo clero, populoque Firmano, in fidelitate ſancti Petri perſiſtentibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUamquam pleraque nobis de archidiacono veſtro reprehenſibilia relata fuerint, eo tamen in noſtra præſentia poſito, & diligenter ſuper his quibus arguebatur inquiſito, nihil niſi quod ad fidelem pertinere videbatur obedientiam in ipſo deprehendere potuimus. Conſiderantes ergo neceſſitatem viduatæ eccleſiæ, procurationem totius epiſcopatus interim ei commiſimus; donec divina providente clementia, cum noſtra ſolicitudine, tum regis conſilio, & diſpenſatione idonea ad regendam eccleſiam & epiſcopalem dignitatem perſona reperiatur. Quapropter admonemus vos, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut unanimiter ſibi ad hæc peragenda veſtra conſilia &, adjutoria præbeatis, & ea quæ de bonis eccleſiæ diſperſa & confuſa ſunt recuperare & ſalubriter ordinare modis cum omnibus adjuvetis. Si quis vero contra præfatam eccleſiam aliquid injurioſe commiſit, aut facere conatur, abſque dilatione emendare & reſtituere ſtudeat. Quod ſi qua temeritate negexerit, ſciat ſe ex apoſtolica auctoritate in bannum caſurum eſſe, ſi dives eſt, centum librarum: ſin vero de mediocribus, in detrimentum totius ſubſtantiæ ſuæ. Agite ergo ut appareat vos ingenuos & fideles eſſe veſtræ matris eccleſiæ filios, & omnia quæ ad honorem & utilitatem ejus pertinent, ita veſtris ſtudiis ſub providentia archidiaconi ſtrenue peragantur, ut omnipotentis Dei gratiam, & apoſtolicæ benedictionis ſalutem mereamini. Data Romæ * ſecundo Kalendas Januarii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1074.

* XI.

XXXIX. AD DUCEM ET POPULUM Venetiarum.

eſtatur ſuam in eos dilectionem. Hortatur ut patriarchæ nimia egeſtate oppreſſo quæ ſunt neceſſaria ad vitam tuendam pro decentia tantæ dignitatis ſuppeditent.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dominico duci, & populo Venetiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum eſſe credimus, non ſolum his qui nobiſcum morati ſunt, ſed etiam pleriſque veſtrum, quod jam ab ineunte ætate terram veſtram & libertatem hujus gentis valde dileximus, atque ob id nonnullorum principum & nobilium perſonarum inimicitias ſuſtinuimus. Poſtquam vero apoſtolici regiminis onus & officium, licet indigni, ſuſcepimus, tanto ferventius in dilectione veſtra noſter exarſit affectus, quanto per generalis curæ debitum in adminiſtrationem veſtræ ſalutis ſolicitius adſtricti ſumus. Quapropter literas ad vos direximus, ut nobilitatem veſtram ad reſpiciendum decus & ſublimitatem antiquæ dignitatis ſuæ excitare poſſimus, ne ex longa, quod abſit, negligentia dilapſum honorem gemat, quem adhuc ſtantem, dum poteſt, colere & ſervare non laborat. Scitis enim quoniam præ multis terrarum partibus divina diſpenſatio terram veſtram patriarchatus honore ſublimavit, cujus dignitatis eminentia ex ipſa ſui nominis & officii prærogativa adeo anguſta & rara eſt, ut non amplius quam quatuor in toto mundo reperiantur. Quod cum ita ſit, apud vos tamen hoc tantum decus, & tam excelſi gloria ſacerdotii ex inopia rerum temporalium, & diminutione poteſtatis ſuæ adeo vileſcit, & a competenti ſtatu honoris ſui penitus corruit, ut tanta tenuitas rerum nec ſimplicem epiſcopatus ſedem condecere, aut ejus neceſſitatibus ſufficere poſſe videatur. Unde vos tanti beneficii divinæ munificentiæ ingratos & immemores eſſe deprehendimus, timentes ne quaſi degeneres filii divitias & hereditatem nobiliſſimæ matris veſtræ, videlicet Gradenſis eccleſiæ, diſſipantes, inde obſcuriores efficiamini, unde poſt apoſtolicam ſedem omnibus quæ ſunt in occidente

gen-

gentibus clariores extitiſtis. Nos equidem memi- A
ANNO CHRISTI 1074. nimus. Dominicum patriarcham beatæ memoriæ anteceſſorem hujus propter nimiam egeſtatem locum deſerere voluiſſe: & hic quidem pari neceſſitate dicit ſe circumventum eſſe. Quapropter ſicut cariſſimos filios vos admonemus, ut memores priſtinæ nobilitatis & gloriæ collatum vobis honorem, & apoſtolicæ ſedis erga vos benevolentiam, ulterius non negligatis, ſed convenientes in unum qualiter anteſignati patriarchatus dignitatem debita cum veneratione & rerum temporalium amplificationem ſuſtententis, & cum Dei adjutorio ad culmen ſuæ celſitudinis relevetis, communi conſilio pertractetis. Indicavit quidem nobis hic confrater noſter patriarcha, te ducem, & pleroſque veſtrum quam optimam ſuper hac re habere vo- B luntatem: propter quod & fiducialius ad explendum opus boni propoſiti veſtram exhortari incipimus dilectionem. Quidquid igitur inde inter vos conſultum & conſtitutum fuerit, nobis per literas aut certo nuntio quantocius renuntiate: quoniam ſi pro gloria & nobilitate, tam veſtri, quam præfati loci, & ſacerdotii, aliquid ſtatueritis, ut æquum eſt, pro meritis veſtris gratulabimur: ſin vero aliqua minus honeſta vos occaſio retraxerit, procul dubio tanti miniſterii nomen inter vos vileſcere, & debito honore privari non patiemur. Data Romæ ſecundo Kalendas Januarii, indictione decimatertia.

XL. AD UNIVERSOS FIDELES. C

Ut legatos ſuos congruo honore recipiant, eiſque obedientiam præſtent.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus ſancti Petri fidelibus, ad quos portitores præſentium venerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum vobis eſt, quod ſuccreſcente nequitia, & diabolica fraude uſquequaque invaleſcente, multorum jam caritas friguit, & totius religionis ſtudium in ſancta eccleſia pene defecerit. Sed quia impoſſibile eſt noſtram in tot & tam diverſas ſolicitudines præſentiam exhiberi, miſimus D ad vos dilectos ſanctæ Romanæ eccleſiæ filios, vi-
* Gelasium *vel ſi ubique* delicet * Gepizonem abbatem ſancti Bonifacii, & Maurum abbatem ſancti Sabbæ, per quos & noſtra vobis repræſentetur auctoritas, & noſtra vice ea quæ ad utilitatem ſanctæ eccleſiæ pertinent cum Dei adjutorio ſtudioſa procuratione peragantur. Vos igitur mempres divini per evangelium
Luc. 10. dicti: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*; eos, ſicut de noſtra amicitia, imo de gratia ſancti Petri cujus nuntii ſunt, curam habetis, debita cum veneratione & caritate recipiatis; & in omnibus quæ vel cauſa legationis eorum, vel fatigationis neceſſitas poſtulaverit, fidelem illis obedientiam & conſenſum præbeatis. Præterea ſi contigerit eos ex conſiderata & competenti neceſſitate negotiorum dividi, & ſeparatim in diverſas partes proficiſci, ad quoſcumque alter eorum venerit, eum ſicut nos audiatis, & quod noſtræ deberetis præſentiæ in eo oſtendere & exe-
Anno Ch. 1075. qui non dubitetis. Data Romæ quarto Nonas Januarii, indictione decimatertia.

XLI. AD FERETRANOS ET EUGUBINOS ANNO CHRISTI 1075.

Significat ſe legatos ea de cauſa miſiſſe, ut dent operam ut idoneus paſtor in eorum eccleſia eligatur. Monet ut eis obedientiam exhibeant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Feretrano, atque clero & populo Eugubino, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EX quo eccleſiam veſtram paſtore viduatam eſſe cognovimus, multa pro vobis ſolicitudine anxii fuimus, & quamquam multa & gravia nos negotia occupent, ea tamen cura qualiter divina miſericordia dignum vobis patrem provideat noſtro cordi indeſinenter adhæret, atque eo magis hac de cauſa ſolicitamur, & attentius Deo preces effundimus, quoniam in retroactis temporibus non ſat vigilantem vobis paſtorem præfuiſſe cognoſcimus. Quapropter miſimus ad vos hos religioſos ſanctæ Romanæ eccleſiæ filios, videlicet abbatem ſancti Sabbæ, & abbatem ſancti Bonifacii, ut ſi forte in eccleſia veſtra talis perſona, quæ huic regimini congrua ſit, reperiatur, diligenter inquirant, & eam, ſicut dignum eſt, veſtra electione collaudatam, & canonico decreto probatam, nobis ad ordinandum quantocius præſentare ſtudeant. Sin vero inter vos talis reperiri non poſſit, ipſi cum omni diligentia & ſolicitudine aliunde aliquem, qui vobis ſecundum Deum præeſſe poſſit, invenire procurent, & ad ſuſcipiendam epiſcopalis officii ordinationem ad nos ſine mora tranſmittant. Vos igitur in omnibus eis credite, & obedite; ſcientes eos in hac re, cuſtodiente Deo, nihil niſi veſtram ſalutem & eccleſiæ veſtræ honorem attendere. Præterea quidquid theſauri vel ornamenti in eccleſia veſtra habetur, illorum oculis præſentate; quatenus ex eorum providentia & commendatione in tali cuſtodia relinquatur, ut nec eccleſia detrimentum ſentiat, nec in aliquem veſtrum aliqua ſuſpicionis infamia cadat. Data Romæ quarto Nonas Januarii indictione decimatertia.

XLII. AD GUIBERTUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Ad ſynodum vocat in proxima quadrageſima ex more habendam.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guiberto Ravennati archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

COram oculis habes, frater cariſſime, & quaſi palpare manibus potes miſerabilem ſanctæ eccleſiæ perturbationem, & jam per longa tempora E inimicorum & impugnatorum ejus inſenſatam & omnino irrefrenatam præſumptionem: contra quos, quoniam nos qui in ſortem miniſterii ſacerdotalis, & regnum Dei electi ſumus, omni cura & ſtudio ſurgere & pugnare convenit, ſicut jam per aliquot annos in apoſtolica ſede fieri conſuevit in prima hebdomada quadrageſimæ ſynodum, Deo annuente, celebrare diſpoſuimus: ad quam fraternitatem tuam ſingulari admonitione, & multo caritatis affatu, poſtpoſita omni negligentia, venire rogamus & invitamus: quatenus tua aliorumque fratrum noſtrorum annitente prudentia, & ſpirituali tam fortitudine quam ſapientia impii a

ſuis

ſuis conatibus arceantur, & Chriſtiana religio in ea qua primum fundata eſt libertate & pace roboretur. Data Romæ ſecundo Nonas Januarii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1073.

XLIII. AD HUGONEM DIENSEM EPISCOP.

Ut recipiat a ſubditis ea quæ eccleſiæ reſtituere volunt, eoſque abſolvat, fide accepta ad ſynodum veniendi.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hugoni in Burgundia Dienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VIdetur nobis ut quod filii eccleſiæ tuæ de rebus eccleſiaſticis volunt tibi reddere recipias, eoſque abſolvas tali tenore, ut data fide quidam illorum promittant tecum venire ad nos Romam, videlicet, Deo auctore, ad ſynodum celebrandam, ut illic quod nobis ratum viſum fuerit peragant. Melius enim nobis placet, ut pro pietate interdum reprehendaris, quam pro nimia ſeveritate in odium eccleſiæ tuæ venias. Debes quidem filios tuos quia rudes ſunt & indocti conſpicere, & ad meliora paulatim provocare, quia nemo repente fit ſummus, & alta ædificia paulatim ædificantur. Data Romæ Nonis Januarii, indictione decimatertia.

XLIV. AD JUDITH HUNGARORUM REGINAM.

Plures recenſet cauſas ſinceræ erga eam dilectionis. Conſolatur ipſam, & ad patientiam hortatur. Demum ſe omnia quæ ad ejus honorem & ſalutem pertinent libenter curaturum aſſerit.

De Judith Salomonis Hungarorum regis uxore Lambertus anno 1063. & 1063.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Judith Hungarorum reginæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MUltæ ac diverſæ cauſæ ſunt, propter quas intimo & ſincero cordis affectu te diligimus. Primo, quoniam ex univerſalitate ſuſcepti regiminis omnibus qui in Chriſto ſunt debitores ſumus. Deinde quoniam clariſſimus imperator Henricus pater tuus, & Agnes mater tua jam nunc non humanitus, ſed Dei miſericordia cælitus imperatrix Auguſta, ex quo me cognoverunt, pro ſua magnitudine honorifice & præ ceteris ſanctæ Romanæ eccleſiæ filiis caritative habuerunt, & maxime quia nunc eadem mater & domina tua, poſtpoſitis ſæcularibus cauſis & honoribus, apoſtolorum limina tota devotione & veneratione complectitur: ex cujus quidem præſentia inter hujus ſæculi nequam perturbationes ſæpe nobis accepta ſolatia conferuntur. Præterea multum te commendat nobis tua præclara & inclyta fama, quod in tam tenera ætate inter aſperam & incognitam gentem generis tui gloriam decoraſti: quippe quæ in excelſo nata imperio nihil in actibus & in habitudine tua niſi decus imperiale hactenus demonſtraſti. His, inquam, de cauſis nos, quibus fallere quemquam nefas eſt, in loco germanæ ſororis te diligimus, &, ſi quid orationes noſtræ apud Deum valent, non infructuoſam erga te noſtram fore amicitiam in Dei pietate confidimus. Scias etiam quod de tribulationibus & anguſtiis, quas te ſuſtinere cognovimus, valde dolemus, & divinam clementiam pro quiete & lætitia tua frequenter & ſuppliciter imploramus. Et ſi quando locus aut tempus opportunitatem dederit, temporalibus quoque ſubſidiis te honorare quammaxime cupimus. Ceterum ea quæ nunc tibi inſtat adverſitas non te terreat, nec mentem tuæ generoſitatis deprimat: ſed, ſi quid mœſtum aut grave ingruerit, vultu regalis conſtantiæ geſtuque diſſimula, & moleſtas, quas Deus avertat, cauſas naturali morum tuorum virtute patienter tolera. Fiduciam & ſpem firmam habens in Deo ſalvatore noſtro, quoniam ipſi cura eſt de te, qui nunquam derelinquit ſperantes in ſe: & quanto nunc animum tuum ſolicitudinibus verberari ſinit acerbius, tanto eum ex vicina & potenti virtute conſolationis ſuæ lætificabit uberius. Ipſe enim nihil ſine cauſa præcipit, nihil ſine ratione permittit, qui regum & imperatorum omniumque cauſarum æquus arbiter & moderator exiſtit. Verum inter omnia te id agere & ſtudere monemus, ut præclarum nomen vitæ ac nobilitatis tuæ ab ineunte ætate nactum in dies amplificetur & creſcat, quoniam integritas famæ licet præ cunctis terrarum opibus corona ſit nobilium & ignobilium, tanto tamen unicuique plus ornamenti & gloriæ tribuit, quanto eum eminentia generis altius extollit. Illi enim ſua humilitate teguntur, iſti vero innata ſibi celſitudine produntur. Age ergo ut omnibus quæ regnum ſert & imperium tanto te excellentiorem oſtendas, quanto ea omnia mutari cognoſcis. Tuam vero naturam & imperiale germen, quod te eſt, nullis ſucceſſibus nulliſve adverſitatibus mutari poſſe proponas. De cetero quod nos matrem tuam de cauſa tua compellare rogaſti, pro certo ſcias, nos omnia quæ ad honorem & ſalutem tuam pertinent & conſulendo libenter ei intimare, & perſuadendo ut fiant apoſtolica benigne adjutoria exhibere. Deus autem omnipotens qui eſt mœſtorum conſolatio, infirmantium fortitudo, præſentem vobis lætitiam cito conferat, & veram æternamque gloriam ſupernæ felicitatis tribuat. Data Romæ quarto Idus Januarii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1073.

XLV. AD RODULPHUM SVEVIÆ, & Bertulphum Carentanum, duces,

Invehitur in epiſcopos, qui inobedientes erant in exequendis apoſtolicæ ſedis decretis de ſimoniacis & fornicariis clericis: quare duces monet ut quoſcumque ſimoniacos aut fornicarios cognoverint, nullatenus recipiant: Rodulphum vero hortatur, ut pretium quod beneficiorum cauſa a clericis acceperat in pios uſus eroget.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rodulpho duci Sueviæ, atque ** Bertulpho duci Carentano ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* alias Bertholdo, ut apud Lambertum anno 1073. & alibi. ** Bertholdo.

SCimus quoniam prudentia veſtra miſerabilem Chriſtianæ religionis deſolationem perſpicaciter perpendit, quæ pro peccatis noſtris in ea nunc extremitate eſt poſita, ut infeliciora tempora nemo viventium viderit, nec a tempore beati Silveſtri patris noſtri ſcripturarum traditione repererit. Verum hujus tanti mali nos caput & cauſa ſumus, qui ad regendum populum prælati, & pro lucrandis animabus epiſcopi vocati & conſtituti ſumus. Ab eorum namque principatibus, velut a quibuſdam initiis ſubditorum bona vel mala veniunt, qui, aut mundanas dignitates, aut magiſterium ſpirituale ſuſceperunt, qui dum nihil aliud niſi gloriam & voluptates ſæculi quærunt, ſine ſua & populi confuſione vivere nequeunt: quoniam in malefactis prava ſectantes deſideria, & ſuæ

& ſuæ auctoritatis jura per culpam ligant, & aliis peccandi per exemplum frena relaxant. Neque enim per ignorantiam aut improvidi delinquunt, ſed præſumptuoſa obſtinatione Spiritui ſancto reſiſtentes, divinas quas cognoverunt leges abjiciunt, & apoſtolica decreta contemnunt. Sciunt namque archiepiſcopi & epiſcopi terræ veſtræ, quod & omnibus fidelibus notum eſſe debet, quoniam in ſacris canonibus prohibitum eſt, ut hi qui per ſimoniacam hæreſim, hoc eſt interventu pretii, ad aliquem ſacrorum ordinum gradum vel officium promoti ſunt, nullum in ſancta eccleſia ulterius miniſtrandi locum habeant, nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, miſſas celebrare, aut ſecundum inferiores ordines miniſtrare altari debeant. Quæ cum eos ſancta & apoſtolica mater ecclesia jam a tempore beati Leonis papæ ſæpe in conciliis tum per legatos, tum per epiſtolas in ſe & commiſſas ſibi plebes, utpote ab antiquioribus neglecta renovare & obſervare commonuerit, rogaverit, & accepta per Petrum auctoritate juſſerit; adhuc tamen inobedientes (exceptis perpaucis) tam execrandam conſuetudinem nulla ſtuduerunt prohibitione decidere, nulla diſtrictione punire, non attendentes quod ſcriptum eſt, *quia ariolandi peccatum eſt repugnare, & quaſi crimen idololatriæ nolle acquieſcere*. Cum igitur illis apoſtolica, imo ſancti Spiritus mandata ſpernentibus, & ſcelera ſubditorum criminoſa foventibus patientia, divina miniſteria indigne tractari, populum teduci intelligimus, alio quolibet modo contra hæc vigilare nos convenit, quibus cura dominici gregis præ cunctis incumbit. Multo enim melius nobis videtur juſtitiam Dei vel novis reædificare conſiliis, quam animas hominum una cum legibus deperire neglectis. Quapropter ad te & ad omnes de quorum fide & devotione confidimus nunc convertimur, rogantes vos, & apoſtolica auctoritate admonentes, ut quidquid epiſcopi dehinc loquantur aut taceant, vos officium eorum quos aut ſimoniace promotos & ordinatos, aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis: & hæc eadem adſtricti per obedientiam tam in curia regis, quam per alia loca & conventus regni notificantes ac perſuadentes, quantum poteſtis, tales ſacroſanctis deſervire myſteriis, etiam vi, ſi oportuerit, prohibeatis. Si qui autem contra vos quaſi iſtud officii veſtri non eſſe aliquid garrire incipiant, hoc illis reſpondete: Ut veſtram & populi ſalutem non impedientes de injuncta vobis obedientia ad nos nobiſcum diſputaturi veniant. Quia vero te, Rodulphe, dico ducem & cariſſimum ſancti Petri filium, ad religionis ſpiritum deſideranter anhelare confidimus, unde nos conſuluiſti, quidquid nobis perfectius viſum eſt, ad correctionem tuam tibi intimamus, ut quantumcumque pretii te pro diſponendis in eccleſia clericis accepiſſe recordaris, aut in utilitates ejuſdem eccleſiæ, ſi attinere ei videtur, aut in uſus pauperum expendas, ut nulla in te reprehenſibilitatis macula remanente inter electos regni cæleſtis cives adſcribi merearis. Data Romæ tertio Idus Januarii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1077.

Reg. 15.

XIII.

XLVI. AD GEPITIUM ET MAURUM Abbates.

ANNO CHRISTI 1077.

Mandat ut reſtituenda curent bona eccleſiæ Piſaurenſis a ſuo epiſcopo incaute alienata, & litem inter epiſcopum & alios definiant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Gepitio abbati ſancti Bonifacii, & Mauro abbati ſancti Sabbæ, in legatione Marchiæ conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MAndamus vobis, ut diligenter conveniatis homines illos, quibus Michael Piſaurenſis epiſcopus eccleſiæ ſuæ bona incaute tribuit, eiſque auctoritate apoſtolica omnia eccleſiæ & epiſcopo reſtituere præcipiatis, atque prout oportuerit cogatis: & inſuper epiſcopum, ſi inobedientes fuerint, ex parte ſancti Petri & noſtra corporaliter ſub banno inveſtire palam ſtudeatis, eoſque gratiam ſancti Petri & noſtram amiſſuros, ſi rebelles extiterint, aperte inſinuetis. Epiſcopos quoque, & comites, cunctoſque ſancti Petri fideles firmiter præcipientes rogate, quatenus epiſcopo Piſaurenſi ad eos expugnandos ſpirituali & ſæculari auxilio, prout neceſſe fuerit, fideliter ſubveniant: maxime eos qui pretio recepto terram adhuc violenter & ſuperbe retinere non verentur præ ceteris acerrime corrigatis, & bona eccleſiæ epiſcopo intromittentes reſtituatis. Omnes etiam lites inter epiſcopum & adverſarios ejus ad utilitatem ſanctæ Mariæ Piſaurenſis eccleſiæ definire procuretis, nullius negligentiæ interveniente incuria. Data Romæ Idibus Januarii, indictione decimatertia.

XLVII. AD RAINERIUM, &c.

Nuntiat ſe præcepiſſe Cluſino epiſcopo, qui Guidonem multis criminibus irretitum, & ab Alexandro pontifice prædeceſſore ſuo a quadam præpoſitura expulſum, reſtituerat, ut eo amoto alium in ejus locum ſubſtitueret. Jubet ne dicto Guidoni ad retinendam præpoſituram auxilio ſint.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rainerio filio * Ugizonis, atque Rainerio filio Bulgarelli uxori quoque Peponis donnæ Guillæ, filiis etiam comitis Ardingi, omnibuſque in Cluſino comitatu commorantibus, tam majoribus quam minoribus Chriſti ſanctique Petri fidelibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Ugucciones & ſic alibi.

COnſtat vobis fieri notiſſimum, Guidonem eccleſiæ Chriſti martyris & virginis Muſtiolæ perjurium multipliciter incurriſſe, nec non & fornicationem publice, adulterii quoque crimen ſuſtinuiſſe, ſatisfactionem denique exhibere omnimodo devitaſſe. Qua de re a felicis memoriæ domno Alexandro noſtro prædeceſſore, & a prælatione ejuſdem eccleſiæ irrevocabiliter eſſe expulſum, ne pro contumacia inobedientiæ, ſi unquam ulterius ad eamdem præſumpſiſſet aſpirare præpoſituram, perpetuo anathemati ſubditum. Quia vero confrater noſter Lanfrancus Cluſinus epiſcopus quorumdam ſuorum fidelium quæ carnis ſunt ſapientium conſilio fretus, eumdem Guidonem tentavit eidem canonice iterum præponere contra Romanæ eccleſiæ auctoritatem, contraque omnium familiarium, tam clericorum, quam laicorum, unanimem conſpirationem, eumdem ſubjicimus epiſcopum ſatisfactioni dignæ pœnitentiæ, eo ſcilicet

licet tenore, quo nominatum Guidonem a nobis publice excommunicatum, & a præpositura & claustrali communione dejiciat, alterumque loco ejus secundum Deum substituat. Vos ergo, dilectissimi filii, si Deum vultis habere propitium, sanctumque Petrum peccatis vestris ferre subsidium, cavete omnino, ne præfato sacrilego Guidoni aliquod contra Deum nostrumque judicium ad retinendam præpositurам, vel aliquod de rebus sanctæ Mustiolæ præbeatis auxilium sive consilium. Procul dubio enim, si (quod absit a vestra nobilitate) auxiliari sibi quocumque modo tentaveritis, & ea quæ de bonis ecclesiæ amicis suis dedit pro retinenda præpositura retineri feceritis, excommunicationis ejus participes eritis. Si vero, ut decet Christianos viros, operam studebitis dare, eo expulso ecclesiam Dei, matremque utique vestram ad pristinum statum revocare, inter sanctos Dei in superno regno incorruptibilem possidebitis hereditatem, adepti peccatorum indulgentiam per ineffabilem Dei clementiam. Data Romæ Idibus Januarii, ind. XIII.

ANNO CHRISTI 1078.

XLVIII. AD GEPITIUM ET MAURUM Abbates.

Ut moneant quemdam fratricidam, qui ante peractam pœnitentiam aliam uxorem contendebat ducere, ne id faciat; sed auditurus quæ suæ salutis sunt ad se veniat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Gepitio abbati sancti Bonifacii, & Mauro abbati sancti Sabbæ, salutem & apostolicam benedictionem.

NOtum vobis est, quod Rainerius, Ugizonis quondam filius, diabolico instinctu fratrem suum interfecit, unde dignæ pœnitentiæ nondum se subdidit, nec perfecte pœnituit: sed immemor tanti facinoris, & promissionis defensionum ecclesiasticarum, quam in suscipiendo fictam pœnitentiam fecit, necnon & pauperum Christi, animæ suæ salutem oblivioni tradens, aliam studet uxorem ducere. Ideoque vestram fraternitatem sollicitam esse volumus, quatenus eum conveniatis, & modis quibus potestis illum moneatis dulciter & aspere, quantum opus fuerit, & vobis necessarium videbitur, ut nullo modo id facere præsumat, sed nos adeat ad audiendum ea quæ sibi de salute sua dicere debemus. Si forte (quod non optamus) vos audire & nobis obedire renuerit, omni modo certum illum reddite, quod nos, Deo adjuvante, quidquid justum & canonicum visum fuerit facere non negligemus. Data Romæ decimoseptimo Kalendas Februarii, indictione decimatertia.

XLIX. AD HUGONEM ABBATEM Cluniacensem.

Deplorat suum & ecclesiæ miserrimum statum; unde orationem pro se ad Deum effundi petit: vultque abbatem ad comprimendam impiorum sævitiam exhortari omnes fideles.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Hugoni Cluniacensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

SI posset fieri, optarem te pleniter scire, quanta tribulatio me angustat, quantusque labor quotidie innovatus fatigat, & accrescens valde perturbat, ut secundum tribulationes cordis mei fraterna compassio mihi te necteret, & in profusione lacrymarum coram domino cor tuum effunderet, ut pauper Jesus, per quem omnia facta sunt, & qui omnia regit, manum porrigeret, & tolita pietate miserum liberaret. Ego enim sæpe illum rogavi, prout ipse dedit, ut aut me de præsenti vita tolleret, aut matri communi permodo prodesset: & tamen de magna tribulatione adhuc non eripuit, neque vita mea prædictæ matri, cujus me catenis alligavit, ut sperabam, profuit. Circumvallat enim me dolor immanis, & tristitia universalis, quia orientalis ecclesia instinctu diaboli a catholica fide deficit, & per sua membra ipse antiquus hostis Christianos passim occidit, ut quos caput spiritualiter interficit, ejus membra carnaliter puniant, ne quando divina gratia respiscant. Iterum cum mentis intuitu partes occidentis, sive meridiei, aut septemtrionis video vix legales episcopos introitu, & vita, qui Christianum populum Christi amore, & non sæculari ambitione regant, invenio, & inter omnes sæculares principes, qui præponant Dei honorem suo, & justitiam lucro, non cognosco. Eos autem inter quos habito, Romanos videlicet, Longobardos, & Normannos, sicut sæpe illis dico, Judæis & Paganis quodammodo pejores esse redarguo. Ad meipsum cum redeo, ita me gravatum propriæ actionis pondere invenio, ut nulla remaneat spes salutis, nisi de sola misericordia Christi. Nam si non sperarem ad meliorem vitam, & utilitatem sanctæ ecclesiæ venire, nullo modo Romæ, in qua coactus, Deo teste, jam a viginti annis inhabitavi, remanerem. Unde fit, ut inter dolorem qui quotidie in me renovatur, & spem quæ nimis, heu, protenditur, mille quassatus tempestatibus quoquomodo moriens vivo. Et eum qui me suis alligavit vinculis, & Romam invitum reduxit, illicque mille angustiis præcinxit, expecto. Cui frequenter dico: Festina, ne tardaveris; accelera, ne moreris, meque libera amore beatæ Mariæ, ac sancti Petri. Sed quia non est pretiosa laus, neque sancta oratio cito impetrans in ore peccatoris, cujus est vita laudabilis, & actio sæcularis, precor, exoro, rogo, ut eos qui merentur audiri pro vitæ meritis, vigilanti cura rogites, ut pro me Deum exorent ea caritate eaque dilectione, qua debent universalem diligere matrem. Et quia utraque manu debemus uti pro dextera ad comprimendam impiorum sævitiam, oportet nos, quando quidem non est princeps qui talia curet, religiosorum tueri vitam, fraterna te monemus caritate, ut inquantum potes vigilanti studio manum præbeas, eos monendo, rogando, exhortando, qui beatum Petrum diligunt, ut si vere illius volunt esse filii & milites, non habeant illo cariores sæculares principes: quia illi misera & transitoria vix tribuunt, ille vero beata & æterna a cunctis peccatis solvendo promittit, & in cælestem patriam potestate sibi tradita perducit. Volo quidem luce clarius intelligere, qui revera sint illi fideles, & qui eumdem cælestem principem non minus pro cælesti gloria diligunt, quam eos quibus pro ipse terrena, & misera subjiciuntur. Data Romæ undecimo Kalendas Februarii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1077. Lege, pauper Jesus. H.

L. AD SANCIUM REGEM ARAGONIÆ.

Censet absurdum esse, ut is, qui ex illegitimo concubitu natus erat, ad episcopatus gradum, ad quem ab eo postulabatur, ascenderet. Ait se dedisse negotium episcopo, qui morbi causa epi-

ANNO CHRISTI 1073.

epiſcopatu ſe abdicare volebat, ut conſtitueret ſibi hujuſmodi coadjutorem, qui illius epiſcopatus poſt ejus obitum adminiſtrationem ſuſcipere poſſet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Sancio regi Hiſpaniarum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam erga reverentiam ſanctæ & apoſtolicæ ſedis regiam nobilitatem tuam pia devotione & amore fervere intelligimus, te & regnum tuum dignis honoribus ſublimari cupimus, & apoſtolicam benevolentiam non ſolum in noſtro, verum etiam in quocumque tempore tibi & cauſis tuis ſinceræ caritatis affectum præbere deſideramus. Ceterum, quod nos de cauſa Aragonenſis epiſcopatus & conſuluiſti, & te quodammodo velle ſignificaſti, diu & multum volentes, & cum filiis ſanctæ Romanæ eccleſiæ pertractantes, incongruum fore pervidimus, quoniam in eo canonica decreta nobis obviare cognovimus. Veniens enim ad nos, ſicut noſti, confrater noſter Sancius Aragonenſis epiſcopus, multa nobis de infirmitate corporis ſui conquerens, deferendi epiſcopatum a nobis ſuppliciter licentiam poſtulavit, quod enim morbo confectus & pene conſumptus diutius competenti miniſterio regere & cuſtodire non poſſit. Atque ut facilius hoc impetraret, indicavit nobis de duobus clericis, quorum alterum in epiſcopatum eligi tuam & ſui ipſius voluntatem atque conſilium fore nuntiavit: de quorum vita & converſatione eum interrogantes, alia omnia, præter quod de concubinis nati erant, bona ſatis & honeſta accepimus. Et quia venerandi canones ad ſacerdotii gradum tale promovendi contradicunt, probare eos non ſatis cautum fore putavimus; ne quidquam a nobis contrarium ſanctis patribus in exemplum & auctoritatem poſteris relinquatur. Solet enim ſancta & apoſtolica ſedes pleraque conſiderata ratione tolerare, ſed nunquam in ſuis decretis & conſtitutionibus a concordia canonicæ traditionis diſcedere. Quapropter noverit dilectio tua nos ita conſuluiſſe & præcepiſſe epiſcopo, ut ipſe quantum poſſit epiſcopali officio in ſpiritualibus inſiſtens, & auxilia comprovincialium epiſcoporum petens, ad peragendas exteriores & interiores curas talem clericum in eccleſia conſtituat, qui ad tantam procurationem providus, &, ſi res poſtularet, ad percipiendam epiſcopalis officii dignitatem & ordinem ſit idoneus. Quo per annum unum aut amplius in eccleſia conſiſtente, ſi divina clementia interim epiſcopo vires corporis & ſanitatem reddiderit, ſicut juſtum eſt, ipſe in loco ſuo ſuper dominicum gregem vigilans conſiſtat: ſi vero infirmitas & debilitas corporis ſui adaucta fuerit, & adminiſtrationem commiſſæ ſibi curæ nequaquam exequi poterit, tunc demum, ſi illius vita, mores, & diſciplina probabilis fuerit apoſtolicæ ſedi eius tuis & epiſcopi literis, nec non ſub teſtimonio cleri ejuſdem eccleſiæ denuntietur, & de ordinatione eccleſiæ deliberato conſilio certa vobis & ſalubris, annuente Deo, reſponſio dabitur. Verum hæc nequaquam tam abſolute dixiſſemus, niſi quod epiſcopo ſe excuſanti, & impedimentum ſuæ infirmitatis proponenti, fraternæ compaſſionis auditum denegare non potuimus. Hæc igitur, dilecte fili, prudenter conſidera, & ad obſervanda noſtra monita epiſcopum quantum potes adjuva; quatenus & tu a beato Petro apoſtolorum principe ad regendum tibi commiſſum populum adjuvari, ejuſque meritis a peccatorum tuorum vinculis abſolutus æternæ beatitudinis gloria in regno Chriſti & Dei merearis perfrui. Data Romæ * octavo Kalendas Februarii, indictione decimatertia.

Ob morbum epiſcopi poteſt conſtitui coadjutor in jurisdictione exercenda.

ANNO CHRISTI 1073. * IX.

LI. AD SUENUM REGEM DANORUM.

Queritur quod ad ſe non ſcripſerit. Hortatur ad rectam regni adminiſtrationem. Significat legatos ad eum miſſos ea de cauſa, ut ſatisfacerent de his quæ ab Alexandro pontifice petierat: ob Germaniæ perturbationem eſſe reverſos. Quare petit ab ipſo, ut nuntios ad ſe mittat, & filium ſuum apoſtolicæ ſedis ducem contra quoſdam hæreticos conſtituat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Sueno regi Danorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Suenon Regis Danorum mentionem facit Lambertus anno 1073.

CUm adhuc in ordine diaconatus eramus, ſæpe dilectionis tuæ literas & legatos accepimus, in quibus magnificentiæ tuæ promptum erga nos animum fore intelleximus. Poſtquam vero, quod digni non ſumus, ad locum altioris curæ miniſteriique pervenimus, amorem tuum in ſubtracta viſitatione tepuiſſe deprehendimus, qui ſcriptis tuis tamdiu carere neſcio cur meruimus. Nos equidem jam nunc non ſolummodo regum & principum, ſed omnium Chriſtianorum, tanto propenſior ſolicitudo coarctat, quanto ex univerſali regimine quod nobis commiſſum eſt omnium ad nos cauſa vicinius ac magis proprie ſpectat. Verum quia eminentiam tuæ nobilitatis præ ceteris regnorum principibus tam peritia literarum, quam ſtudio eccleſiaſticæ exhortationis, pollere intelleximus multo fiducialius ad te ſcripta noſtra dirigimus, exiſtimantes in te tanto facilius lucrifacere quanto in eruditione & prudentia morum amplius dignoſceris profeciſſe. Rogamus igitur, & ſincera te caritate monemus, ut commiſſa tibi regni gubernacula, ſecundum Deum adminiſtrare ſtudeas, & nomen regalis excellentiæ congrua ac conſonanti virtutum proprietate geras: quatenus eam, per cujus principatum ſubjectis imperas, in corde tuo ſemper regnare juſtitiam oſtendas. Noſti enim quod gloria, & vana hujus mundi delectatio labilis eſt & deceptoria: noſti quod univerſa caro ad finem quotidie properat, quod nec volenti aut nolenti mortis neceſſitas * * pareat. Noſti quod reges æqua conditione ut pauperes futuri ſunt pulvis & cinis, & quod omnes ad diſtrictum judicium futuri examinis venturi ſumus: quod nunc non ſolum nobis qui ſacerdotes ſumus, ſed & regibus ceteriſque principibus tanto concuſſius timendum & expavendum eſt, quanto pro nobis & ſubditis noſtris rationem poſituri ſumus. Age ergo, dilectiſſime, ut ita vivas, ita regnes, ut tunc æterni regis & judicis faciem ſecurus aſpicias, & pro bene geſta terrenæ dignitatis gloria cæleſtis regni ſublimem & incomparabilem coronam, Deo donante, recipias. De cetero notum ſit tibi, quod legatos ad te deſtinavimus, qui ſuper his quæ pro honorificentia regni tui, tum de metropolitana ſede, tum de quibusdam aliis rebus, quas in tempore domini noſtri Alexandri papæ ab apoſtolica ſede & poſtulaſti & invicem promiſiſti, tibi reſponderi ac tecum acturi eſſent; ſed propter perturbationem Teutonicæ terræ periculoſum tunc fore cognoſcentes ad nos reverſi ſunt. Quapropter ſi qua de his tibi cordi ſunt, & ſi te ac regnum tuum, ſicut per legatos tuos aliquotiens accepimus, apoſtolorum principi pia devotione committere & ejus auctoritate fulciri volueris, fideles nun-

* Forte, pateat. H. * paret

nuntios ad nos ſine dilatione tranſmittere ſtude : A repræſentare minime auſus fueris aut volueris, &
ANNO CHRISTI 1075. quatenus per eos tuam in omnibus edocti voluntatem, deliberato conſilio, quid tibi reſpondendum, quidque ſuper his omnibus agendum ſit, perſpicere ac providere valeamus. Præterea ſi ſancta Romana mater eccleſia contra profanos & inimicos Dei tuo auxilio in militibus & materiali gladio opus habuerit, quæ ſpes nobis de te habenda ſit, itidem tua certa legatione cognoſcere cupimus. Eſt etiam non longe a nobis provincia quædam opulentiſſima juxta mare, quam viles & ignavi tenent hæretici, in qua unum de filiis tuis, ſi eum, ſicut quidam epiſcopus terræ tuæ in animo tibi fore nuntiavit, apoſtolicæ aulæ militandum dares cum aliquanta multitudine eorum qui ſibi fidi milites eſſent, ducem ac principem & defenſorem Chriſtianitatis fieri optamus. Data Romæ octavo Kalendas Februarii, indictione decimatertia.

perdurans in malitia tua ſæpe dictis fratribus damna vel moleſtias aliquas amplius inferre præſumpſeris, aut illata mala quantum potes emendare & reſtituere non ſtudueris, eandem quam præfatus anteceſſor noſter excommunicationis in te ſententiam protulit, noſtra apoſtolica auctoritate confirmatam eſſe cognoſcas: & non ſolum te, qui tantæ præſumptionis dux & auctor es, ſed omnes, qui in rapina & deprædatione bonorum eccleſiæ vel infeſtatione clericorum aliquo modo conſilium vel adjutorium ſive conſenſum tibi dederint, pari anathematis judicio condemnatos eſſe ſcias. Data Romæ in ſynodo ſecunda, Kalendis Martii, indictione decimatertia. ANNO CHRISTI 1075.

B

LII. AD * LEURALDUM CLERICUM Aurelianenſem. LEURARDUM.

Increpat de injuriis Aurelianenſibus clericis illatis. Jubet eum ad ſe una cum ipſis clericis decidendæ eorum controverſiæ cauſa præſtituta die venire: interim nullam ipſis moleſtiam inferre, & clericum quem captivum tenebat dimittere. Minatur ſe excommunicationem a ſuo prædeceſſore in eum latam confirmaturum, ſi non obtemperet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * *Leuraldo Aurelianenſi clerico.* * Ewaldo Mutin. Cenitardo

ADmiranda res eſt & valde deteſtabilis, quod adeo induratum cor habes, & in tanta ferocitate perſiſtis, ut a perſecutione fratrum Aurelianenſis eccleſiæ, unde pro culpis tuis te ſeparatum audivimus, nec divini terrore judicii, nec apoſtolicæ animadverſionis jam experta ultione manu retrahere velis. Meminimus enim dominum & anteceſſorem noſtrum venerandæ memoriæ Alexandrum papam pro compeſcendo furore, & nefandis temeritatis tuæ auſibus, anathematis in te jaculum conſorſiſſe, & ne ulterius perturbationem D aliquam ſupradictis fratribus inferres, aut de honoribus & eccleſiaſticis officiis, quæ contra regulas & auctoritatem canonum acquiſieras, te intromitteres, apoſtolicis juſſionibus interdixiſſe. Contra quæ, quamvis audaciam tuam iterum ſe erexiſſe non dubia relatione multorum fratrum cognoverimus, apoſtolica tamen adhuc utentes manſuetudine debitæ ultionis gladium * exercere, interim parcimus, donec ſi ad humilitatem præmiſſis admonitionibus flecti poſſis comprobemus: reſervantes tibi adhuc in omnibus, de quibus accuſaris, apoſtolicam audientiam, & defenſionis locum, ſi modo tua te non retrahit conſcientia. Apoſtolica igitur tibi auctoritate præcipimus, ut in proximam feſtivitatem omnium ſanctorum in E noſtram præſentiam venias, & adventum tuum Aurelianenſibus clericis, quibus adverſum te cauſa eſt, ut & ipſi præſentes fiant, ſine ſimulatione notifices: quatenus ex utraque parte diſſenſionis veſtræ cauſis & occaſionibus diligenter inquiſitis & cognitis, litem veſtram æquo fine decidere, Deo opitulante, poſſimus. Interim vero clericum, quem in captione tenes, abſque omni ſuæ perſonæ & bonorum ſuorum detrimento dimittas: nullam penitus contrarietatem canonicis præfatæ eccleſiæ aut per te facias, aut ab aliquo tuorum fieri permittas. Quod ſi te nulla juſtitia ſultum nobis * Forte, ea ſerva. H.

LIII.

Concordiam ſuper controverſia inter Moravenſem & Pragenſem epiſcopos de quibuſdam bonis a ſe in concilio ambarum partium aſſenſu compoſitam exponit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

QUoniam ad memoriam ſemperque dilucidandam cauſarum negotiorumque veritatem nihil aptius, nihil durabilius, quam ſcripturarum paginas æſtimamus, qualiter lis & diſcordia, quæ inter confratres noſtros, videlicet Joannem Moravenſem epiſcopum, & * Geboardum Pragenſem, de quibuſdam decimis & curtibus diu C protracta eſt, tandem per pactionis convenientiam in apoſtolica ſede determinata ſit, per litteras noſtras non modo præſentibus, ſed & futuris, notum fieri volumus. Hæc enim cauſa, cum in ſecundo noſtri pontificatus anno, reſidentibus una nobiſcum in baſilica Salvatoris multis fratribus, convocatis etiam & coram poſitis ſupradictis epiſcopis, ad audientiam noſtram & totius ibidem congregati concilii perlata ſit, diu & multum inquiſita atque rimata, tanta ambiguitate & perplexionibus involuta videbatur, ut ad ſinceram veritatis & juſtitiæ explorationem per ea quæ tunc adhibita ſunt judicia perduci non poſſet. Verum ne illorum altercatio abſque pacis interventu diutius aut fraterna odia aut aliqua periculoſa hinc vel illinc ſtudia accenderet, cum conſilio fratrum noſtrorum cauſam ita ex æquo dirimi conſtituimus, ut omnia, de quibus inter eos contentio foret, per medium dividerentur, & hic unam ille alteram partem interim abſque omni inquietudine tenerent, donec ſi apertiora judicia ſive ſcripto aut congruis teſtibus invenire poſſent diligentiſſime inveſtigarent. Ad quod faciendum, ne forte ſuſcitandæ litis infinita alterutri daretur occaſio, terminum quoque eis decem annorum præfiximus, ut qui certis approbationibus ad juſtitiam ſe pertingere poſſe confidit, intra prælibatum terminum proclamandi & conſequendi jus eccleſiæ ſuæ licentiam & poteſtatem habeat: & ſi alterum horum, vel utroſque, quod non optamus, interim obire contigerit, ſucceſſores eorum in eadem pactione & conſtitutione permanere debeant. Ex ea autem parte qua præfatus terminus, aut ſub ſilentio, aut non oſtenſa veritatis & juſtitiæ, propter quam clamet, aprobatione tranſductus fuerit, nullus deinceps locus, nulla acclamandi occaſio, aut ſuper hac re renovandæ quæſtionis licentia ſuperſit. Hoc igitur modo prænominatos epiſcopos in noſtra præſentia pacificatos, & præſcriptæ diffinitioni gratum, ut * videatur, adhibentes aſſenſum, ad propria cum * Hieronymum alias Geboardum

* Forte, videbatur. H.

ANNO CHRISTI 1075.

apoſtolica benedictione & fraterna caritate dimiſimus. Hoc ab omnibus inviolatum & perpetuo inconcuſſum fore apoſtolica auctoritate præcipimus atque ſancimus. Datâ Romæ ſexto Nonas Martii, indictione decimatertia.

LIV. AD PLACENTINOS.

Scribit ſe depoſuiſſe in ſynodo Dionyſium eorum epiſcopum: & omnes quicumque ei fidelitatem juraverant a ſacramenti vinculo abſolviſſe. Ait ſe curaturum ut omnes fideles ad eum expellendum ipſis auxilio ſint.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis catholicis Placentinæ eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SUper confuſione eccleſiæ veſtræ, dilectiſſimi filii, diu ad nos querela delata eſt, & contritio animarum rerumque veſtrarum factam per iniquum paſtorem ſæpenumero paternum cruciavit affectum. Expectavimus arborem malam, ut faceret bonos fructus, ſed plantatio iniqua radicitus vitiata & ſicca per totum patientia deterior eſt, terram occupat; quinetiam ad infamiam totius eccleſiæ germinat fructum reprobum in communem mortem, & in veſtræ perditionis exemplum. Quem olim omni officio privatum, reddita ſibi ſola communione eccleſiæ, multis minis ac precibus conteſtati ſumus, ut procuraret habere pacem vobiſcum, redditis & reſtitutis quæ abſtulerat, * cum aqua miniſterii, & ſpem majoris beneficii dedimus, ſi mandata ſervaret. Sed Deo nolente ſub hujus miſericordiæ velamento operiri peccata inobedientiæ ejus, qua ſæpe offenderat nos, & opera impunita relinqui, iterum mentitus eſt, atque vir manifeſte ſacrilegus, & multorum ſcelerum reus, monita noſtra poſthabuit. Quapropter immutabili ſententia ſanctæ ſynodi & irrevocabili conſenſu omnium circumſedentium fratrum Dionyſium quondam dictum epiſcopum abſque ulla unquam ſpe reconciliationis ab omni epiſcopali honore depoſuimus, & in perpetuum negandam ſibi audientiam decrevimus: & quicumque ſibi fidelitatem juraverunt, ne contra hoc decretum ſint, ab omni vinculo ſacramenti abſolvimus: Dabimus etiam operam, ut omnes fideles ſancti Petri adjuvent vos in expellendo lupo, & ordinando paſtore, qui res veſtras diripuit, & corpora animaſque ſequentium ſe in foveam, ſicut oculus tenebroſus, mittit. Unde vos cives Dei confortamini, quia Deus nobiſcum eſt, & licet adverſentur nobis turritæ urbes terræ Chanaan, & gigantea corpora filiorum Enach, dux tamen noſter Jeſus cum ſono intrepidus terram promiſſionis ingreditur. Eſt enim & ipſe gigas ad currendam viam, qui dicit: *Confidite, ego vici mundum*. Quod ſi quis pro defenſione juſtitiæ moriatur ex vobis, precibus apoſtolorum Petri & Pauli ab omnibus peccatis liberetur. Data Romæ v. Nonas Martii, indictione decimatertia.

* Forte, ſequor miniſterii. Huic reſtitutionem

* Joan 16.

LV. AD LAUDENSES.

Lætatur ipſos eorumque epiſcopum contra ſimoniacam hæreſim & clericorum fornicationem inſurgere. Hortatur ut perſiſtant, & epiſcopo obediant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Laudenſis eccleſiæ filiis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ANNO CHRISTI 1075.

GAudemus, dilectiſſimi, de veſtro pio religionis affectu, quos audivimus adverſus deteſtandam ſimoniacam hæreſim & presbyterorum fornicationem divinæ legis zelo ſuccenſos laudabiliter inſurgere. Gaudemus quoque ſuper fratre coepiſcopo noſtro veſtro paſtore domno Opizone, qui ſe intantum nobis ejuſdem zelo pietatis fervere detexit, ut ad hanc perficiendum ſanctæ hujus ſedis obnixe flagitaſſet auxilium. Quapropter hortamur vos, & ut filios cariſſimos monemus, quatenus in his peſtibus deteſtandis, ſimoniaca videlicet hæreſi & fornicatione miniſtrorum ſacri altaris conterenda, & penitus extirpanda, cum jam dicto paſtore veſtro, fratre noſtro, ad omnipotentis Dei ſanctæque eccleſiæ honorem, totiuſque patriæ ſalutem, ut pii filii inſiſtatis. In ordinandis quoque recte & canonice eccleſiis ei totis viribus auxilium præbeatis. Immo in cunctis quæ ipſe ad Dei honorem veſtramque ſalutem agere diſponit ei obedienter obtemperetis; ut ſanctæ matris veſtræ eccleſiæ apud vos munditia polleat, quam Chriſtus ſine macula & ruga caſtam ſibi copulavit ſponſam. Hæc autem quicumque ſervaverit, de omnipotentis Dei gratia confidenter præſumat, apoſtolicamque benedictionem ſe habere cognoſcat. Qui vero in his quæ præfati ſumus ei obſiſtere tentaverit, eumque in omnibus quæ Dei ſunt non adjuverit, contremiſcat ſe divinæ animadverſionis apoſtolicæque maledictionis ultionem incurrere, pro gratia & benedictione quas non curat habere. De adminiſtratione vero altaris quod ſupra corpus beati Baſſiani confeſſoris ſitum eſt, omnino præcipimus, ut nullus ei adminiſtrare præſumat, qui vel pretio in eamdem introierit eccleſiam, vel qui fornicator eſt, aut turpis lucri ſectator. Data Romæ quinto Nonas Martii, indictione decimatertia.

1 DICTATUS PAPÆ.

Quod Romana eccleſia a ſolo domino ſit fundata.
Quod ſolus Romanus pontifex jure dicatur univerſalis.
Quod ille ſolus poſſit deponere epiſcopos vel reconciliare.
Quod legatus ejus omnibus epiſcopis præſit in concilio, etiam inferioris gradus, & adverſus eos ſententiam depoſitionis poſſit dare.
Quod abſentes papa poſſit deponere.
Quod cum excommunicatis ab illo, inter cætera, nec in eadem domo debemus manere.
Quod illi ſoli licet pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare, de canonica abbatiam facere, & econtra divitem epiſcopatum dividere, & inopes unire.
Quod ſolus poſſit uti imperialibus inſigniis.
Quod ſolius papæ pedes omnes principes deoſculentur.
Quod illius ſolius nomen in eccleſiis recitetur.
Quod unicum eſt nomen in mundo.
Quod illi liceat imperatores deponere.
Quod illi liceat de ſede ad ſedem neceſſitate cogente epiſcopos tranſmutare.
*Quod de omni eccleſia * quocumque voluerit clericum valeat ordinare.*

* quocumque

Quod

1 Hunc ſuppoſititium eſſe poſt alios probat Pagius ad an. Chr. 1077. n. 8.

ANNO CHRISTI 1075.

Quod ab illo ordinatus alii eccleſiæ præeſſe poteſt, ſed non militare, & quod ab aliquo epiſcopo non debet ſuperiorum gradum accipere.

Quod nullo ſynodus abſque præcepto ejus debet generalis vocari.

Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur abſque illius auctoritate.

Quod ſententia illius a nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.

Quod a nemine ipſe judicari debeat.

Quod nullus audeat condemnare apoſtolicam ſedem appellantem.

Quod majores cauſæ cujuſcumque eccleſiæ ad eam referri debeant.

Quod Romana eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, ſcriptura teſtante, errabit.

Quod Romanus pontifex, ſi canonice fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur ſanctus, teſtante ſancto Ennodio Papienſi epiſcopo, ei multis ſanctis patribus ſeventibus, ſicut in decretis beati Symmachi papæ continetur.

Quod illius præcepto & licentia ſubjectis liceat accuſare.

Quod abſque ſynodali conventu poſſit epiſcopos deponere & reconciliare.

Quod catholicus non habeatur qui non concordat Romanæ eccleſiæ.

Quod a fidelitate iniquorum ſubjectos poteſt abſolvere.

LVI. AD MANASSEM RHEMENSEM Archiepiſcopum.

Arguit quod negligens fuerit in cauſa Catalaunenſium clericorum. Epiſcopum Catalaunenſem propter inobedientiam deponendum eſſe ſtatuit, cui vult præcipi, ut clericis Catalaunenſibus bona erepta reſtituat. Quod ſi parere noluerit, mandat excommunicari: addens ut ille vel coram ſuis legatis vel coram ſe compareat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Manaſſe Rhemenſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SI te paſtoralis regiminis cura, prout oportet, ſolicitum redderet, clericorum Catalaunenſis eccleſiæ cauſa, totiens ad nos relata, jamdudum competentem terminum accepiſſet. Sed quoniam negligentia tua, & epiſcopi prædictæ civitatis inobedientia, hucuſque protracta eſt, neceſſe nobis fuit clericis tamdiu afflictis ſuccurrere, & inobedientis contumaciam apoſtolicæ auctoritatis vigore contundere. Multis enim modis præfatus Catalaunenſis epiſcopus noſtræ juſſioni parere contempſit. Primo enim vocatus ad ſynodum venire neglexit. De ore noſtro præſentialiter de reſtitutione beneficiorum clericorum præcepta ſuſcipiens, obaudire deſpexit. Literis deinde noſtris admonitus, iterum quæ præcepimus adimplere ſprevit. Quamobrem propter tam enormem inobedientiæ temeritatem apoſtolica auctoritate omni epiſcopali officio privandum cenſuimus; & hæc per te ſtrenue compleri omni mora poſtpoſita ſtatuimus. Denuo etiam firmiter præcipimus, ut ei nihilo minus injungas ex noſtra & tua parte, quatenus prædictis clericis erepta bona & beneficia, omni excuſatione poſtpoſita, ubicumque manere voluerint, reſtituat; adjuncto & reſtaurato quod de uſibus rerum ſuarum perdiderunt, ex quo nos ei præcipimus. Hac vice, ſi huic noſtro præcepto obtemperare noluerit, omnimodo a corpore & ſanguine Domini arceatur, donec per obedientiam diſcat ſanctæ Romanæ eccleſiæ colla ſubmittere, cui per inobedientiam non erubuit recalcitrare. Si vero legati noſtri ad Galliarum partes uſque ad Kalendas Octobris ierint, ante præſentiam illorum ſe paratum ad expurgationem ſuam præſentare procuret. Sin autem, ad feſtivitatem omnium ſanctorum ante nos ſe expurgandum, omni occaſione remota, præſentet. Data Romæ quarto Nonas Martii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1075.

LVII. AD FESULANOS.

Increpat eos quod ſuperfluis querimoniis contra ſuum epiſcopum repetendis eccleſiæ Feſulanæ damna inferant. Unde eis ſilentium imponit; ſe autem nullo modo paſſurum eccleſiam devaſtari.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Feſulano clero & populo, majoribus videlicet atque minoribus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MIramur ſatis quod de cauſa * Iraſmundi epiſcopi veſtri Romanæ eccleſiæ ſufficit, quibuidam veſtrum non ſufficere, & querimoniam multis ac diururnis inquiſitionibus, immo divinis indiciis, ad finem perductam ſuperfluis diſputationibus repetere, & ſic Feſulanæ eccleſiæ poſt longas tribulationes ipſas reliquias conſumere. Si enim epiſcopus omnium quæ ſibi objecta ſunt reus teneretur, & divino judicio atque humana examinatione innocens non approbaretur, deceret tamen vos matrem veſtram, Feſulanam videlicet eccleſiam, quæ non peccavit, immunem cuſtodire, & vindictam peccantis in detrimentum confuſionemque minime convertere. Deceret etiam, ut quos miſerabilis paupertas & ruina eccleſiæ veſtræ compatiendo non tangit, verecundia ſæculi, & infirmata & omnino contemptui habita quæſtio veſtra ſilentium imponere debuiſſet. Unde admonemus, ut inter vos ulterius non ſint ſchiſmata & contentiones, ſed quod nos ſentimus, quod nobis ſufficit, quod Romana approbat eccleſia, vos idipſum ſentiatis & teneatis: ſcientes quia nos nullo modo patiemur ſub hujuſmodi occaſione ſcandali, ſeu inutilium diſceptationum vanitatibus eccleſiam noſtram devaſtari, ſed ejus miſeriæ atque neceſſitati, prout Deus conceſſerit, non ſolum loquendo, ſed & vindictam contra ipſius inimicos exercendo ſubveniemus. Data Romæ * quarto Nonas Martias, indictione decimatertia.

* Traſmundi

* III

LVIII. AD MANASSEM RHEMENSEM Archiepiſcopum.

Ut Noviomenſem epiſcopum ad Brugenſem villam, a Trajectenſis epiſcopi juriſdictione ereptam, ſi id ſibi conſtiterit, reſtituendum compellat: ſi quid autem juris ſe putat habere, in ſynodo cauſam agat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Manaſſe Rhemenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

COnfratris noſtri Trajectenſis epiſcopi Wilelmi querelam de Brugenſi eccleſia, in Noviomenſi epiſcopio ſita, literis ipſius expoſitam accepimus, quam & ante dominum & prædeceſſorem noſtrum papam Alexandrum depoſitam, necdum competenti termino contigit definiri. Adſtruit autem epiſcopus Trajectenſis eamdem eccleſiam traditione antiqua ſedi ſuæ delegatam ducentis ferme

De Wilhelmo Trajectenſi epiſcopo vide Lamberti anno 1076.

me annis abſolute & quiete ad uſus ſtipendiarios canonicorum Trajectenſium detentam, donec Raboth Noviomenſis epiſcopus abſque ullo canonico judicio ſibi eam ſubripuit, &, ut affirmant legati (quod gravius eſt & omnino illicitum) alteri cuidam clerico vendidit. Quapropter ſuffraganeum tuum Noviomenſem epiſcopum per te conveniendum eſſe cenſuimus, & de tanta perverſitate, ſi ita eſſe conſtiterit, ſeverius increpandum, ac ſubinde admonendum, immo etiam compellendum, ut canonum ſtatuta ſequendo, eccleſiam Trajectenſem, quæ tanto tempore poſſedit ſua expoliatione ſine mora * inducat, ac poſtea, ſi quid habet quod jure conqueratur, ſynodali judicio diſceptare contendat. Quod ſi hic auctoritati noſtræ vel monitis tuis obtemperare neglexerit, tamdiu epiſcopali privetur officio, quoadusque cauſas eccleſiaſticas non potentiæ magnitudine, ſed juſtitiæ cenſura, finiri oportere doceatur. Hujus ergo negotii deciſionem per te ſtudioſe & impigre volumus adimpleri, & literis inditam nobis quamcitius poteris notificari. Data Romæ tertio Nonas Martias, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1075.

* rela ducat

LIX. AD MONACHOS ROMANENSES.

Eorum abbatiam ſub Romanæ eccleſiæ protectione recipit, illique bona conceſſa & concedenda confirmat. Vetat in ea canonicum ordinari, niſi qui regulariter victurum profeſſus fuerit, nec abbatem niſi regularem, & a fratribus regularibus electum. Eccleſiam Dienſi epiſcopo conſecrandam committit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratribus conſiſtentibus in abbatia Romana ſuper fluvium Iſeram conſtitutam, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FIdelitatis ac devotionis veſtræ ſtudia, quæ per legatos veſtros noſtris auribus intimaſtis, accepimus. Petiſtis ut * Romana eccleſia libertate, quam veſtra eccleſia ab anteceſſoribus noſtris hactenus habuit, vos donaremus. Scripſiſtis etiam (quod nos valde lætificat) quoſdam ſcilicet veſtrum regularem canonicamque vitam * incepiſſe: quibus quædam eccleſiæ veſtræ bona vos conceſſiſſe denuntiaſtis, rogantes ut hæc noſtra firmaremus auctoritate. Veſtræ itaque bonæ intentioni congaudemus, & ut ſemper in melius proficiatis optamus, petitionibuſque veſtris obtentu filii noſtri Hugonis Dienſis epiſcopi, & veſtri dilectione annuimus; & Romanam libertatem (ſicut poſtulaſtis) concedimus. Illa vero quæ fratribus veſtris regularibus præpoſitus veſter Herimannus & vos donaſtis & ſtatuiſtis, quæ & literis ad nos miſſis inſeruiſtis, videlicet quidquid ipſi de bonis ejuſdem eccleſiæ prius habere videbantur, & quicumque ex vobis ei ſe ſociare regulariter voluerint, vel quod illis de ſuis aliquid dederit, nos quoque donamus. Poſſeſſiones autem & diſpenſationes eccleſiæ illis qui nunc habent, aut ad regularem vitam converſis, aut de ſæculo migrantibus, & terras quæ deinceps prædictæ eccleſiæ datæ fuerint, ad menſam fratrum regulariter inibi viventium pertinere, & nullum ulterius ibidem fieri aut ordinari canonicum, niſi qui regulariter ſe victurum profeſſus fuerit, noſtra auctoritate ſtatuimus. Præpoſitum, vel abbatem, ſeu cujuslibet diſpenſationis eccleſiaſticæ miniſtrum, niſi quem communis electio fratrum regulariter viventium ſuæ profeſſionis ſecundum Deum elegerit, vobis præferri apoſtolica auctoritate prohibemus. Ne quis autem hæc a nobis ſalubriter ſtatuta violare præſumat, virtute ſancti Spiritus, & poteſtate nobis a Deo collata, interdicimus. Eccleſiam veſtram, quam per legatum apoſtolicæ ſedis reconciliari quæſiſtis, præſato filio noſtro Dienſi epiſcopo, qui & Romanus & Viennenſis eccleſiæ filius eſt, conſecrandam commiſimus. Data Romæ * VII. Idus Martii, ind. XIII. * VIII.

* Romanæ Eccleſiæ.

* Forte ſuſcepiſſe. H.

ANNO CHRISTI 1075.

LX. AD OTTONEM CONSTANTIENSEM epiſcopum.

Mandat ut litem inter eum & Augenſem abbatem dirimat. Quod ſi fieri nequeat, ambo ad ſe veniant. Interim neuter alteri moleſtiam inferat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ottoni Conſtantienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIcut tua ſuper Ecardo abbate * Augenſis monaſterii, ita & illius ſuper te nobis eſt illata querimonia. Verum quia nos fatigationibus veſtris parcere cupimus, conſulendo mandamus vobis, ut utrinque communes amicos, & ſapientes viros veritatis amatores, juſtitiæ magis quam amicitiæ faventes convocetis: quorum conſilio, opportuno tempore & loco convenientes, litem veſtram æquis rationibus & aliqua congrua pactione dirimi in commune aſſenſum detis. Quod ſi peccatis facientibus fieri nequeat, commonitos vos ex præſenti auctoritate eſſe volumus ut circa feſtivitatem omnium ſanctorum ambo ad apoſtolorum limina veniatis, quatenus, annuente Deo, cauſam veſtram diligenti examinatione diſcutiamus, & diuturnam diſcordiam juſto fine decidamus. Interim vero præcipimus, ut omni lite inter vos ſopita, quaſi per manum beati Petri & noſtram, firma pax poſita atque condicta teneatur, ut neutra pars alteram moleſtiis vel contrarietate provocare aut inquietare audeat. Nec leve vobis videatur tanto mediatore interpoſito pacis jura diſſolvere: quoniam qui in hac conſtitutione apoſtolicæ auctoritati reverentiam & fidem non exhibuerit, ex ipſa ſua temeritatis impietate adverſus ſe & cauſam ſuam fidem & judicium provocabit. Data Romæ tertio Idus Martii, indictione decimatertia.

* Augiæ divitis.

LXI. AD DIETWINUM EPISCOPUM Leodienſem.

Reprehendit eum tamquam ſimoniacum; monetque ut reſipiſcat, fornicationem e clero extirpet, & a contumeliis abbati de ſancto Huberto inferendis abſtineat: utque eccleſiam quamdam in ſua diœceſi vel per ſe vel per Metenſem epiſcopum conſecret: eique ſuorum peccatorum abſolutionem impartitur.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Leodicenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

JAm multo tempore audivimus, & multorum relatione comperimus, te per plura in epiſcopatu adverſus inſtituta ſanctorum patrum feciſſe, videlicet in venditionibus eccleſiaſticarum dignitatum, & canonicarum præbendarum. Unde tibi multum condolemus, & ſatis obſtupeſcimus, cum tantum honorem gratis ſuſceperis, & cum prudentes & religioſos viros inveneris, honores eccleſiaſticos gratis non erogaveris, ſed declinaſti ab exem-

* Leodienſi Dietwinus dicebatur, ut apud Lambertum anno 1075.

exemplo tui antecessoris introductione novæ con-
ANNO CHRISTI 1075. fœtudinis. Ratione igitur justitiæ his de causis sententia in te esset animadvertenda; sed parcimus propter senilem ætatem, & quia carissimus frater noster Herimannus Metensis episcopus, tuæ ecclesiæ filius, te multum apud nos excusavit, imputans aliis quæcumque super his male dispoſueris, quorum consilio usus fueris, commonemus ergo te apostolica auctoritate, ut quid egeris attendas, & judicium ad quod properas expavescas, & amplius desistas ab hujusmodi transgressionibus, & in quibuscumque poteris studeas corrigere, immutando quæ egeris. Præcipimus etiam ut admoneas & coerceas quoscumque sacri ordinis ministros casse vivere, & concubinas omnino derelinquere, & extermina nefas secundum patrum traditionem, quod temporibus modernis inolevit ex taciturnitate pastorum, ne cum male operantibus propter silentium damneris, & ipsi æternæ mortis incurrant periculum. Compertum est nobis te contumelias quorumdam consilio intulisse abbati
* Imberto de sancto * Huberto propter privilegium quod a nobis suscepit; sed excusamus eum, quod contra detrimentum & honorem ecclesiæ tuæ nihil fecerit: unde te monemus & rogamus, ut permittas eum in pace & in omni tranquillitate. In diœ-
Nanucen- si cesi etiam tua * Manucensis comitis ecclesiam, quam adhuc consecrare distulisti, rogamus ut consecres: si vero ex debilitate corporis id agere nequiveris, committe hanc obedientiam carissimo filio nostro Metensi episcopo. Quod si non acquieveris, justam & rationabilem causam quare dimiseris rescribas. Et quia in extremo videris positus, fraterna compassione ducti, auctoritate beati Petri apostolorum principis absolvimus te a peccatis tuis, & Dominum pro te exoramus, ut interventu beatorum apostolorum inter electos æternum merearis consortium. Data Romæ decimo Kalendas Aprilis, indictione decimatertia

LXII. AD SICHARDUM EPISCOPUM Aquilejensem.

Exponit statuta in concilio contra concubinarios & simoniacos clericos. Præcipit ut ea servari curet.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Sichardo fratri coepiscopo Aquilejensi, salutem & apostolicam benedictionem.

FRaternitatis tuæ prudentiam latere non debet, neque tui ordinis dignitatem ignorare oportet, quæ statuta quæque decreta in peracto concilio præteritæ quadragesimæ consilio confratrum nostrorum ac totius conventus assensu, sequentes sanctorum patrum auctoritatem, statuimus. Decrevimus enim, quod si quis eorum ordinum qui sacris altaribus administrant, presbyter scilicet, diaconus, uxorem vel concubinam habet, nisi illis omnino dimissis dignam pœnitentiam agant, sacris altaribus penitus administrare desistant, nec aliquo ecclesiæ beneficio ulterius potiantur, sive potitis fruantur. Qui vero simoniace, videlicet per interventum pecuniæ, sunt promoti, ut absque ulla spe recuperationis deponantur, apostolica censura statuimus. Monemus itaque te, dilectissime frater & coepiscope, immo apostolica tibi auctoritate præcipiendo mandamus, ut tu in diœcesi tua simoniacos omnino deponas, & fornicatoribus clericis, nisi a fornicatione abstinuerint, præfata conditione officium & beneficium penitus interdicas, & suffraganeos tuos, sive literis tuis, sive viva voce, ad te convocatos, ut idem faciant summa cum diligentia moneas. Data Romæ decimo Kalendas Aprilis, indictione decimatertia. ANNO CHRISTI 1075.

LXIII. AD GEUSAM HUNGARIÆ DUCEM.

Commendat eum ob res præclare gestas Ostendit Hungariæ regnum non nisi Romanæ ecclesiæ subjici, & merito ejus consanguineum, qui illud a Teutonicorum rege acceperat, eo fuisse privatum. Hortatur ad ecclesiarum curam habendam, & ad obedientiam apostolicis legatis præstandam.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei * Geusæ Hungariæ duci, salutem & apostolicam benedictionem.*

* *Geusa*, ſic lib. 1. epiſtola 58 & infra 70. Lambertus autem anno 1071. & 1074. hunc appellat Jo-jadem. Sed Bonfinius rerum Hungaricarum decade lib. 3. & 4. *Geisam* vocat.

LIcet per legatos, quos pridem ad nos direxisti, miserimus tibi literas, quas nondum te asseris percepisse, iterum tamen pro caritatis affectu, qua omnes reges & principes ut filios admonemus, scribimus ad te desiderantes tibi cum justitia quæcumque sunt honoris & gloriæ. Multa quippe bona de te mihi relata sunt, atque ex tuis actibus honesta fama ad aures nostras usque pervenit: pro quibus diligimus te, & cupimus, ut fama cum rei veritate semper ascendat. Notum autem tibi esse credimus, regnum Hungariæ sicut & alia nobilissima regna in propriæ libertatis statu debere esse, & nulli regi alterius regni subjici, nisi sanctæ & universali matri Romanæ ecclesiæ, quæ subjectos non habet ut servos, sed ut filios suscipit universos Quod quia consanguineus tuus a rege Teutonico, non a Romano pontifice usurpative obtinuit, dominium ejus, ut credimus divinum judicium impedivit. Cum vero res in manibus tuis sit, hortamur te, ut interim circa ecclesias curam habeas, circa religionem summum studium geras, talemque obedientiam legatis sanctæ Romanæ ecclesiæ, cum ad te venerint, exhibeas, quatenus intercessione beati Petri in gloria & honore utriusque vitæ proficias. Data Romæ x. Kal. Aprilis, ind. XIII.

Loquitur de *Salomone* rege, ut ſupra eodem libro epiſtola 13. & infra epiſt. 70.

LXIV. AD IVONEM ABBATEM sancti Dionysii.

Ut coram suis legatis ad objecta contra eum respondeat, eisque pareat, vel statuto tempore ad apostolicam sedem veniat. Interim animarum sibi commissarum curam habeat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Ivoni abbati monasterii sancti Dionysii in Parisio.

LIcet Romanæ ecclesiæ excusationem introitus tui Algisi monachi vestri verba jampridem replicaverint, licet ex parte fidem nobis dederint, crescentem tamen infamiam, & usque ad sedem apostolicam jam a pluribus delatam, indiscussam transire nec possumus nec debemus. Quapropter si contigerit hac in æstate legatos nostros ad partes illas proficisci, præcipimus ut coram eis causam objectionis tuæ diligenter exponas, & diffinitioni eorum obedienter pareas. Quod si aliquod impedimentum hoc fieri non permiserit, abhinc usque ad festivitatem sancti Andreæ de objectis responsurus ad nos venias. Interim te volumus circa curam animarum subditarum tibi strenuum solicitumque exhiberi: quatenus, cum ad nos venene-

neris, ipsum bonæ conversationis studium tam te, quam illos quibus præesse videris, valeat commendare, & Algisi bona de te referentis verba confirmare. Data Romæ octavo Kalendas Aprilis, indictione decimatertia. ANNO CHRISTI 1075.

LXV. AD MONACHOS SANCTI DIONYSII.

Hortatur ad concordiam & pacem, dum eorum abbas se de simonia purgaturus, vel coram legatis, vel eorum se veniat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei monachis monasterii sancti Dionysii, salutem & apostolicam benedictionem.

ABbatis vestri Ivonis infamia quampluribus referentibus ad aures nostras usque pervenit, videlicet quod simoniace, hoc est per interventum pecuniæ, obtinuerit abbatiam, cujus rei causa, quia hujusmodi infamiam indiscussam præterire non debemus nec possumus, per literas nostras sibi præcipiendo mandavimus, ut legatis nostris, si hac æstate ad partes illas eo venire contigerit, de objectis se purgaturum exhibeat. Quod si aliquibus intervenientibus causis legati non venerint, ab hinc usque ad festivitatem sancti Andreæ de objectis responsurum se nostræ audientiæ repræsentet. Quapropter admonemus religionem vestram ut interim inter vos nulla discordia, nullum schisma diabolica fraude natum inveniatur: ipsi enim scitis quia in scissura mentium Deus non habitat, sed religioni atque ordinis vestri observationi sedato animo ac summa cum reverentia operam dantes, prædicto abbati humiliter obediatis, ne forte, quod absit, in vestro schismate monasterium vestrum in rebus corporeis, & vos in anima damnum aliquod patiamini. Pro certo namque sciatis, quoniam nos abbatiæ sancti Dionysii solicite invigilare nunquam negligimus, sed secundum Apostolum honeste, & cum ordine facere volumus. Sicut enim nocentem justificare nobis admodum est timendum, ita & innocentem damnare valde periculosum. De cætero prudenter vos habere, dilectissimi filii, memores nostri in orationibus vestris. Data Romæ octavo Kalendas Aprilis, indictione decimatertia.

LXVI. AD BURCHARDUM Halberstadiensem Episcopum.

Præcipit, sicut ante per legatos fecerat, ut fornicationem ex clero evellat.

* Forte, *Halberstadiensi*, vel *Halberstadensi*. *Et sic in Mss.*

*Gregorius episcopus servus servorum Dei Burchardo * Helvestensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.*

NOn ignorare te, frater carissime, credimus de ordinum ecclesiasticorum castitate sanctæ sedis apostolicæ statuta antecessorum nostrorum & nostro deinceps studio per literas & legatos longe lateque promulgata. Nam & anno præcedente confratres nostri & episcopi in partes illas directi te convenerunt, & nostro nomine hujus tibi operis obedientiam studiosius inculcarunt. Sed neque propterea has rursus de eadem re tibi literas superfluas judicavimus, Apostolo dicente: *Fratres, eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Si enim fratrum nostrorum exhortatione monitus in id opus manus continuo misisti, ad hoc valebunt literæ, ut, sicut dicitur, currentem currere concitatius impellamus. Sin autem hucusque cessasti, somno torporis expulso ad evigilandum stimulo increpationis excitemus. Nos enim de taciturnitate nostra damnari metuimus, si conservis nostris, his maxime qui alios docere idonei sunt, Domini pecuniam distribuere pigritamur. Urget nos enim timor illius maledicti quod per Salomonem depromitur: *Maledictus homo qui abscondit frumenta in populo.* Et quod item per prophetam dicitur: *Maledictus homo qui prohibet gladium suum a sanguine*, id est verbum prædicationis ab increpatione carnalium. Sicut enim nos ad loquendum superiora exempla impellunt, ita & vos quæ de obedientia passim scripta leguntur adhortantur quæ dicimus fraterna caritate suscipere. Nam legitur apud Samuelem: *Melior est obedientia quam victimæ. Quasi enim scelus idololatriæ est non auscultare, & quasi peccatum ariolandi est non acquiescere.* Quod beatus Gregorius in moralibus exponens dicit: Obedientia ergo est sine qua, quamvis fidelis quisque videatur, infidelis esse convincitur. Denique novit fraternitas tua quas proponimus regulas a sanctis patribus esse præfixas, tantoque venerabilius observandas, quanto constat non suo libitu, sed Spiritus sancti promulgasse afflatu. Quamobrem, carissime frater, instanter hortamur, & apostolica auctoritate præcipimus, quatenus & a legatis nostris ante cognita, & harum testimonio literarum plenius inculcata, fideliter exquaris, de agro dominico zizania eradices, frumentum conserves, castos & religiosos clericos, ut tui officii cooperatores, benigne foveas, lubricos & incontinentes aut paterne corrigas, aut incorrigibiles a sacris altaribus arceas; & nisi tuis exhortationibus acquiescentes resipiscant, nec laici etiam officium eorum ullatenus audiant: ut quos nec timor nec amor divinus compungit, pudor saltem humanus retrahat ad sobrietatem. His si vigilanter institeris, & inobedientiæ culpam poteris evadere, & a Domino præmium tibi multiplex & indeficiens comparare. Data Romæ quarto Kalendas Aprilis, indictione decimatertia. ANNO CHRISTI 1075.

Proverb. 11.

Jerem. 48.

Reliqui 4. 1. Reg. 15. Gregorius lib 35. c. 10.

Obedientia quid sit.

LXVII. AD ANNONEM COLONIENSEM Archiepiscopum.

Ut habito suorum episcoporum concilio decreta apostolicæ sedis de castitate clericorum promulget, & servanda curet. Exponit quoque se in synodo contra simoniacos statuta confirmasse.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Annoni Coloniensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

COnstat ecclesiam Coloniensem inter cæteras regni Teutonici ecclesias sanctæ & apostolicæ sedi, cui Deo auctore deservimus, ita fide & dilectione atque obsequiis ab annis prioribus esse devinctam, ut singulari familiaritate & gratia caritatis apud eam tamquam apud matrem dulcissima filia præpolleat. Quem benevolentiæ laudabilis usum ab antecessoribus nostris ad nos usque deductum non solum observare, sed etiam ampliare & augmentare pro rerum opportunitate & temporum modis omnibus sum paratus. Hinc etiam, carissime frater, de obedientia tui securior fiducialius adhortor & moneo, atque communis domini beati Petri auctoritate præcipio, ut ad castitatem clericorum prædicandam atque inculcandam, juxta patrum decreta, & auctoritatem canonum, cum suffraganeis tuis omnibus studiosius accingaris, ut sponsæ Christi, quæ maculam nescit

ANNO CHRISTI 1075. *Ephes. 5.*

scit aut rugam, candidatæ & immaculatæ sponsæ gratiosum exhibeatur officium. Novit enim fraternitas tua quia præcepta hæc non de nostro sensu exsculpimus, sed antiquorum patrum sanctiones Spiritu sancto prædicante prolatas officii nostri necessitate in medium propalamus, ne pigri servi subeamus periculum, si dominicam pecuniam, quæ cum fenore reposcitur, sub silentio abscondamus. Quamquam huic sanctæ Romanæ ecclesiæ semper licuit, temperque licebit, contra noviter increscentes excessus nova quoque decreta atque remedia procurare, quæ rationis & auctoritatis edita judicio, nulli hominum sit fas ut irrita refutare. Urget nos etiam timor illius maledicti, quod per Salomonem depromitur, *usque ad id quod in superiore epistola ait*. Obedientia ergo est, sine qua licet fidelis quisque videatur, infidelis esse convincitur. Sed ut ea quæ dilectioni tuæ injungimus compendiosius efficaciusque prosequaris, cum fratribus & coepiscopis tuis concilium te cogere suademus, in quo, quam maximo poteris clericorum cœtu congregato, leges canonicas, & sedis apostolicæ auctoritatem, tuamque & confratrum omnium, patenter promulgabis; quanta castitatis sit virtus, quamque ecclesiasticis gradibus necessaria, seu quam sponsi virginis & virginis sponsæ cubicularii sit competens, ut Deo donante nosti, latius exponens. Subinde firmiter pronuntiabis non ulterius sibi licere, quod in perniciem sui hactenus usurparunt; cum tolerabilius omnino sit cessare ab officio, quam incestam, vel etiam molestam suo salvatori ingerere servitutem, & inde sibi iram coacervare atque supplicium, unde præmium debuit emereri. Quod si te fideliter hæc & firmiter exequentem tribulatio ac persecutio invenerit, respice ad eum qui dixit: *Confidite, ego vici mundum*. Nos quoque clypeo beati Petri munitos indubitanter noveris, seu ad repellendos hostes, si possumus, seu ad protegendum te omni hora paratissimos inveniri. Illud quoque fraternitati tuæ notum esse volumus, contra simoniacam hæresim in synodo confirmasse, (nam a sanctis patribus longe ante statutum est) ac vehementer prohibuisse, ut neque ecclesiæ ullatenus vendantur, aut pro manus impositione pretium accipiatur. Quod si hoc modo ordinatus aliquis fuerit, eum a missæ celebratione & evangelii lectione omnimodis removemus & ut hæc diligenter observetis enixius admonemus. Data Romæ quarto Kalendas Aprilis, indictione decimatertia.

Quomodo nova decreta sint edenda.

Sanctus Gregorius libro 31. moral. capite 10.

Virtus castitatis necessaria ecclesiasticis gradibus.

Joan. 16.

LXVIII. AD WEZELINUM Archiepiscopum Magdeburgensem.

Ejusdem fere argumenti.

* Vezelino

*Gregorius episcopus servus servorum Dei * Wezelino Magdeburgensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.*

LEgimus Josue, cum in populo Dei magistro succedens ducatum susceperisset, ita solicita & vigilanti obedientia exercuisse officium, ut, quod de aliis raro scriptum est, cælesti fretus virtute, elementis potentialiter imperaret. Nam & fluvium Jordanem ad transitum exercitus cursum naturalem fistere fecit, & Solem volubili mobilitate in occasum anhelantem, donec adversarios ulciscerentur, quasi alter creator stare præcepit. Is etiam muros Jerico septeno perlustrans circuitu sacerdotalium clangore tubarum subruit & evertit. Vides, carissime frater, quid fervens in divinis cau-

sis animus, quid prompta obedientia meruerit. Ad hujus similitudinem facti nos, qui populum Christianum instituendi magisterium susscepimus, mentem vigilanter intendere debemus, ne adversariæ potestatis muros, contra verum Josue rebellantes, & erectos, silentio nostro stare aut roborari patiamur. Quamobrem fraternitati tuæ apostolica auctoritate injungimus atque præcipimus, ut ad castitatem clericorum prædicandam & studiosius inculcandam buccina sacerdotali vehementius & instantius instrepas, donec Jerico muros, id est defectionis opera, & sordidæ libidinis pollutiones, dissipes & subvertas, * sicut ad Prophetam: * *Posui te hodie super gentes & regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*. Non nostra decreta (quamquam licenter si opus esset possemus) vobis proponimus, sed a sanctis patribus statuta renovamus: ne nostro silentio servi dominicam pecuniam abscondentis sententiam incurramus. Elabora igitur, insta opportune, importune, ut domus Dei tibi commissa purificetur; quatenus & a nobis de obedientia tua gratias merearis, & tui laboris præmium recepturus in Domini tui gaudium lætus introducaris. Data Romæ IV. Kalendas Aprilis, indict. XIII.

Josue 6.

* Sicut ait Propheta Deest forte, dicitur. H. Jer. 1.

LXIX. AD CUNIBERTUM EPISCOPUM Taurinensem.

Arguit quod molestiis afficiat monachos sancti Michaelis. Monet ut pacem cum abbate ineat, vel statuta die ad sedem apostolicam litis dirimendæ causa accedat, interim a molestiis inferendis desistat, ne ipse cogatur illud monasterium de ejus subjectione eximere, & quos temere excommunicarat, absolvat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Cuniberto Taurinensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

DEcuerat te, frater carissime, pro reverentia quam beato Petro apostolorum principi & magistro universalis ecclesiæ debes, nobiscum etiam servare unitatem & concordiam in vinculo caritatis & pacis, & labores nostros, ut in Christo proficerent, & fructum facerent, saltim in attinentibus tibi & tecum actis juvare negotiis. Verum econtra, unde nos nec mirari nec dolere satis possumus, te immemorem nostræ dilectionis a nobis discrepare, & ea quæ colligere laboramus omni conatu ad dispergendum insistere, clamor fratrum monasterii sancti Michaelis, immo multiplex angustia, quam multorum relationibus, te faciente, eos pati audivimus, manifesta nobis indicia præbet. Meminisse enim debes quot & quanta dominus & antecessor noster beatæ memoriæ Alexander papa, & nosipsi, cum novissime apostolicam sedem & præsentiam nostram visitasses, de pace & tranquillitate ejusdem monasterii cum tua fraternitate egimus, ne diabolus servorum Dei saluti semper invidens & quieti, venenum suæ nequitiæ aliqua occasione ibi posset infundere, & devotas animas ab assidua orationum & divini famulatus meditatione divellere. Qua de re licet nobis optime promiseris, videlicet te aut competentem de omnibus cum abbate pacem facturum, aut, si id fieri non posset, sine omni læsione monasterii ad judicium apostolicæ discussionis rem denuo delaturum, tamen postquam a nobis discessisti, multo asperior atque crudelior contra venerabilem locum illum quam antea fueras, prout nobis relatum est, extitisti, & quod detrimen-

ANNO CHRISTI 1075.

tum ejus foret, non ſolum exteriori fortitudine, ſed epiſcopali etiam diſtrictione dicere & facere non pepercisti. Unde non parum adverſum te commoti eſſe poſſumus, qui ad contemptum apoſtolicæ auctoritatis noſtræque fatigationis diſpendium, noſtris conſiliis, admonitionibus, rogatibus, & juſtis officii noſtri diſpenſationibus, te obſiſtere intelligimus: ut pacem, quam ſervis Dei cum quanta per Deum cognoſcimus conſideratione juſtitiæ providere cupimus, tu nec pati poſſis, aut velis. Numquidne exiſtimas epiſcopos hanc in paſtorali regimine poteſtatem atque licentiam ſuſcepiſſe, ut monaſteria, quæ in ſuis parochiis conſiſtunt, quantum velint opprimant, & ſtudium religionis ſuæ prælationis occaſione, hæc & illa potenter exigendo, & poteſtatem ſuam exercendo, comminuant? An ignoras quod ſancti patres plerumque & religioſa monaſteria de ſubjectione epiſcoporum & epiſcopatus de parochia metropolitanæ ſedis propter infeſtationem præſidentium diviſerunt, & perpetua libertate donantes apoſtolicæ ſedi velut principalia capiti ſuo membra adhærere ſanxerunt? Percurre ſanctorum patrum privilegia, & invenies ipſis etiam archiepiſcopis officium, niſi forte ab abbate vocatis, in pleriſque cœnobiis facere prohibitum eſſe, ne forte monaſtica quies ſæcularium perſonarum frequentia & conversatione turbaretur. Hoc itaque ne & nos illorum auctoritate & exemplo de præfato ſancti Michaelis monaſterio facere cogamur, neve tu, dum immoderata quæris, ea quæ æquo tibi attinere videbantur juſte amittas, apoſtolica te auctoritate monemus atque præcipimus, ut aut pacem cum abbate congrua conventione, & in commune proviſo totius cauſæ moderamine faciat, aut, ſi peccatis impedientibus hoc fieri nequiverit, in ventura ſancti Martini feſtivitate ad apoſtolicam ſedem te convocatum præſenti auctoritate cognoſcas, quatenus, adjuvante Deo, litem veſtram dirimere & juſto fine concludere valeamus. Interim vero eadem auctoritate præcipimus, ut neque vocando ad ſynodum, nec aliquo interdicto, denique nullo unquam exactionis modo abbatem, vel ſæpe fatum monaſterium, aut ſervitores ejus, ſeu loca, vel bona illuc attinentia, per te, ſive per tuorum aliquem lædere aut inquietare præſumas; & quos anathematis vinculo ex his qui partem illam attinent alligaſti, quamquam hoc temere feceris, caritati tamen fraternæ providentes, ut tu eos abſolvas locum tibi & monita damus. Qua in re ſi tu moram feceris, aut aliqua occaſione nobis obedire renueris, noſtra apoſtolica auctoritate eos abſolutos, & ab omnibus interdicti vel excommunicationis tuæ nexibus liberos eſſe noveris. Fac igitur, dilecte frater, ut vel nunc non incaſſum tibi ſcripſiſſe videamur. Crede noſtris conſiliis, acquieſce monitis, nec libeat tibi nos plurimis occupatos diutius cauſæ hujus implicari laboribus, nec deneges nobis fraternum & unanimem conſenſum in componenda pace ſæpe fati cœnobii, ne, dum nobis, immo beato Petro, obſtare non deſieris, in graviorem culpam & irrevocabile detrimentum tuomet (quod non optamus) impetu præcipiteris. Nam ſi deinceps ultra tenorem literarum iſtarum ſupra memoratam cauſam in errorem & litigium trahere, aut monaſterio infeſtationes aliquas inferre pertentaveris, nos, divina & apoſtolica fulti auctoritate, ut monaſterium illud cum omnibus ſuis pertinentiis in perpetua libertate conſiſtat, ut nullius magiſterio vel judicio poſt Deum, niſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſubditum in propoſito ſanctæ religionis ſine laceratione Deo ſervire valeat, Deo adjuvante, procurabimus. Data Romæ quinto Idus Aprilis, indictione decimatertia.

Cur ſumm pontifices multa monaſteria de ſubjectione epiſcoporum eximebant.

ANNO CHRISTI 1075.

LXX. AD GEUSAM HUNGARIÆ DUCEM.

Optat ut pax inter eum & regem Salomonem ineatur. Significat merito jus regni a Salomone rege ad eum fuiſſe translatum. Ejus erga ſe obſervantiam requirit, & quæcumque a Romana eccleſia deſiderat ſibi literis vult aperiri.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Geuſe Hungariæ duci, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SI officii noſtri eſt omnibus ſua jura defendere, ac inter eos componere pacem, ac ſtabilire concordiam, multo magis ratio exigit, atque uſus utilitatis expoſcit, ut ſeminemus caritatem inter majores, quorum pax aut odium redundat in plurimos. Unde nobis cura eſt, & cordi pia ſolicitudo inhæret, quatenus inter te & conſanguineum tuum Salomonem regem faciamus pacem, ſi poſſumus; ut juſtitia utrinque ſervata ſufficiat unicuique quod ſuum eſt, terminum juſtitiæ non tranſeat, metam bonæ conſuetudinis non excedat, ſicque fiat in pace nobiliſſimum regnum Hungariæ, quod hactenus per ſe principaliter viguit, ut rex ibi non regulus fiat. Verum ubi contempto nobili dominio beati Petri apoſtolorum principis, cujus regnum eſſe prudentiam tuam latere non credimus, rex ſubdidit ſe Teutonico regi, & reguli nomen obtinuit. Dominus autem injuriam ſuo illatam principi prævidens, poteſtatem regni ſui ad te judicio tranſtulit. Et ita ſi quid in obtinendo regno juris prius habuit, eo ſe ſacrilega uſurpatione privavit. Petrus enim a firma petra dicitur, quæ portas inferi confringit, atque adamantino rigore deſtruit, & diſſipat quidquid obſiſtit. Quapropter ſi quid vis, ſi quid habere a Romana eccleſia digne ſperas, nobis confidenter volumus ut aperias, & quæ tua ſit devotio erga univerſalem matrem, qualiterve illi ſtatueris obedire, ſanctamque reverentiam exhibere, operibus, ſicut te decet, oſtendas. Quæ autem hic minus ſcripſimus, horum portitoribus tibi dicenda relinquimus, quia de illorum fidelitate ſatis confidimus. Omnipotens Deus, qui beato Petro poteſtatem ligandi atque ſolvendi principaliter tribuit, ejus precibus te tuoſque in Chriſto fideles a cunctis peccatis abſolvat, & ad vitam perducat æternam. Data Romæ * decimooctavo Kalendas Maii, indictione decimatertia.

* XV.

LXXI. AD WRATISLAUM BOHEMORUM DUCEM.

Commendat Fredericum ejus nepotem, ut beneficium a ſuo patre relictum illi concedat, vel aliud tribuat. Monet ut diſſidiis ſublatis pacem in ſua ditione ſervandam curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wratislao Bohemorum duci, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRedericus nepos veſter, & Romanæ eccleſiæ fidelis, nos humilibus precibus flagitavit, quatenus tuæ nobilitatis prudentiam rogaremus, ut beneficium, quod ſibi pater ſuus reliquit, eum permitteretis habere, & in omni pacis quietudine poſſidere: cujus ſupplicibus orationibus flexi, nobilitatis veſtræ ſerenitatem obnixe rogamus, ut ſi

ſcitis

ſcitis eum habere juſtitiam, tum quia os tuum & caro eſt, ductus proprietate ſanguinis, tum quia ad refugium apoſtolicæ miſerationis confugit, aut beneficium illud ſibi reddatis, aut contracambium tribuatis, quod ſibi ſit acceptabile, & tui condeceat generis dignitatem. Quod ſi juſtitiam non videtur habere, rogamus tamen ut pro caritate & reverentia beati Petri apoſtolorum principis, cujus præſidia humiliter poſtulavit, aliquod ſibi beneficium, quo poſſit honeſte vivere, tribuatis. Non pigeat itaque nobilitatem tuam in hoc noſtras preces audire, beatumque Petrum in hoc tibi debitorem facere, quoniam nos parati ſumus favere tibi in quibus poſſimus juſtitia duce. Præterea monemus, ut ſtudeatis terram veſtram, & veſtri honoris regimen firmiſſimæ pacis fœdere undique præmunire, ſcilicet ut nullius litis ſcandalum in tuo regimine verſari permittas, præcipue inter te & fratres tuos, & Pragenſem, & Holomucenſem epiſcopum: quoniam ſicut qui diſcordiæ & litibus vacant, procul dubio diaboli ſunt filii, ſic qui paci dant operam, filii Dei vocantur, ipſa veritate atteſtante, quæ ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Omnipotens Deus mentem tuam illuminet, ſicque te faciat per bona tranſire temporalia, ut merearis adipiſci æterna. Data Romæ * decimooctavo Kalendas Maii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1075.

Matth. 5.

* XV.

LXXII. AD BOHEMOS.

Hortatur ad bene caſteque vivendum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis in Bohemia conſtitutis majoribus atque minoribus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EX conſideratione ſedis, cujus licet indigni adminiſtrationem gerimus, debitores, ſicut ſcitis, ſumus fidelibus & infidelibus; fidelibus, ut quod bene proponunt perſeveranter teneant; infidelibus, ut ad creatorem ſuum credendo, & præterita facinora puniendo, convertantur. Unde quia relatione epiſcoporum patriæ veſtræ limina apoſtolorum viſitantium accepimus quoſdam veſtrum per viam mandatorum Dei incedere, quoſdam vero nonnullis periculis male vivendo ſubjacere, ſtuduimus vos paterna caritate commonere, quatenus & boni meliores fiant, & qui reprehenſibiliter vivunt, irreprehenſibiles ſe exhibeant. Primum ſcilicet vos ex toto corde, & ex tota anima, & ex omni virtute veſtra Deum & proximum ſicut voſmetipſos diligere, pacem, ſine qua nemo Deum videbit, inter vos conſtituere, non ſolum clericos, ſed & laicos caſtitatem ſervare, decimas Deo, a quo tam vitam quam vitæ ſuſtentationem ſuſcipitis, fideliter dare, eccleſiis veſtris debitum honorem impendere, eleemoſynis atque hoſpitalitati devote inſiſtere. Hæc & his ſimilia, quæ ad ſalutem animarum veſtrarum pertinent, licet pontifices veſtros ſufficienter ſcire ac vobis inſinuare non ignoremus, tamen quia verba noſtra ex reverentia beati Petri conſtat vos carius atque avidius recipere, ipſa veſtra audiendi aviditas quæ ab aliis dari poſſunt nos documenta dare compellit, ut tanto ſolicitius vobis debitum reddamus exhortationis, quanto beatum Petrum in eadem noſtra exhortatione devotius attenditis. Vos igitur, dilectiſſimi, carnalia deſideria fugite, ad cæleſtia & ſemper duratura patriæ cæleſtis gaudia mentes erigite, beatum Petrum, cui a Deo poteſtas principaliter & in terra ligandi atque ſolvendi data eſt, devotiſſimi ſervitii fidelitate debitorem facite: quatenus poſt diſſolutionem terrenæ habitationis noſtræ, cui quotidie volentes nolenteſque propinquatis, nec multo poſt in vermes & cinerem redigendi, ejus præſtantiſſimum ante diſtrictum judicem patrocinium ſentiatis. Data Romæ decimoſeptimo Kal. Maii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1075.

LXXIII. AD BOLESLAUM POLONORUM DUCEM.

Commendat ejus erga ſe obſervantiam. Mittit legatos pro epiſcoporum cauſis, qui & pauci erant, & metropolitanum non habebant. Hortatur ut illos adjuvet, bene vivat, recte ſe gerat in regimine ſuo, & pecunias regi Ruſſorum ablatas reſtituendas curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Boleslao duci Polonorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam honor, qui miniſtris & diſpenſatoribus exhibetur, ad reverentiam dominorum propriam attinere dignoſcitur, procul dubio gratanter & cum multa dilectione miniſtrantium labor officiaque ſuſcipiuntur, ab his dico qui prælatorum perſonas & auctoritatem ex corde diligere comprobantur. In hoc autem cognoſcimus, quod excellentia veſtra beatum Petrum apoſtolorum principem ſinceris affectibus diligit, & ad reverentiam ejus ardenti ſpiritu dilatatur, quoniam gratuita devotione veſtris eum oblationibus honorantes, debitorem vobis fieri deſideraſtis, &, ſicut in domino confidimus, promeruiſtis. Unde & nos, qui illius ſervi dicimur & eſſe cupimus, veſtræ caritati in Chriſto connexi ſumus, & curam miniſterii, ad quod ſub obedientia apoſtolici principatus occulto Dei diſpenſatio nos licet indignos ordinavit atque conſtituit, in ea parte, qua vobis neceſſarium & honeſtum fore cognoverimus, tanto ſolicitius vobis impartiri cupimus, quanto fidem & caritatem veſtram & in obediendo promptiorem, & in promerendo devotiorem intelligimus. Verum quia Chriſtianæ religionis ordo & provida diſpenſatio ab his permaxime poſt Deum pendet, qui dominici gregis paſtores & rectores eſſe videntur, illud nobis primo attendendum eſt, quod epiſcopi terræ veſtræ non habentes certum metropolitanæ ſedis locum, nec ſub aliquo poſiti magiſterio, huc & illuc pro ſua quiſque ordinatione vagantes, ultra regulas & decreta ſanctorum patrum liberi ſunt & abſoluti. Deinde vero quod inter tantam hominum multitudinem adeo pauci ſunt epiſcopi, & amplæ ſingulorum parochiæ, ut in ſubjectis plebibus curam epiſcopalis officii nullatenus exequi aut rite adminiſtrare valeant. Pro his igitur & aliis cauſis, quas hic ſcribere omiſimus, hos legatos ad vos direximus, quatenus vobiſcum pertractatis negotiis, quæ ad eccleſiaſticam curam & ædificationem corporis Chriſti (quod eſt fidelium congregatio) pertinere videntur, quæ emendanda ſunt, aut ipſi juxta ſanctorum patrum ſtatuta diffiniant, aut nobis diffinienda referant. Eos itaque ſicut nos audite, memores quod in miſſione diſcipulorum per evangelium veritas dicat: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Et ut fructuoſus apud vos curſus fatigationis eorum fiat, propter reverentiam apoſtolicæ legationis qua funguntur, conſiliis & benigno favore juvate. De cætero admonemus vos & exhortamur in domino, ut diem ultimum vitæ veſtræ, quem ignora-

De Polonorum duce Lambert. & Bertold. an. 1077.

Luc. 1.

tis quando veniat, & terrorem futuri judicii semper coram oculis habentes, committam vobis potestatem solicita & Deo placita administratione gerere studeatis; præparantes vobis divitias in operibus bonis, & thesaurizantes firmum & immobile fundamentum, ut vitam æternam possideatis. Scire enim debetis quoniam supernus arbiter quæ vobis commisit irrequisita non relinquet: cui tanto districtius responsuri estis, quanto ampliora sunt jura & judiciorum moderamina quæ tenetis. Deus autem omnipotens, cujus majestas est super omnes principatus & regna, dirigat cor & actus vestros ad omne opus bonum in omni prudentia & exercitatione virtutum: quatenus, expleto cursu hujus lubricæ & citò perituræ lucis, beatorum Petri & Pauli apostolorum principum meritis & intercessionibus ad veram & sempiternam gloriam pervenire mereamini: detque vobis devicta per Jesum Christum dominum nostrum inimicorum vestrorum superbia pacis & tranquillitatis gaudia, ut ex donis quoque præsentibus cognoscatis futura quanto sint desiderio appetenda. Quæ nimirum si vos delectant, inter omnia servanda vobis est caritas, quam (quod inviti dicimus) in pecunia, quam regi Russorum abstulistis, violasse videmini. Quapropter condolentes vobis, multum vos rogamus & admonemus, ut pro amore Dei & sancti Petri quidquid sibi a vobis vel vestris ablatum est restitui faciatis: non ignorantes quoniam qui aliorum bona injuste auferunt, nisi emendaverint si emendare poterint, nullatenus in regno Christi & Dei partem habere credendi sunt. Hoc autem a vobis eadem caritate, qua dicimus, pro salute animæ vestræ recipi concupiscimus. Data XII. Romæ * septimo Kalendas Maii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1073.

LXXIV. AD DEMETRIUM REGEM RUSSORUM.

Scribit Russiæ regnum eorum consensu accedente eorum filio se tradidisse: ipsorumque petitionibus se paratum ostendit. Rogat ut suos legatos benigne excipiant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Demetrio regi Russorum & reginæ uxori ejus, salutem & apostolicam benedictionem.

Demetrii regis meminit Lambertus an. 1073.

FIlius vester limina apostolorum visitans ad nos venit, & quod regnum illud dono sancti Petri per manus nostras vellet obtinere, eidem beato Petro apostolorum principi debita fidelitate exhibita, devotis precibus postulavit, indubitanter asseverans illam suam petitionem vestro consensu ratam fore ac stabilem, si apostolicæ auctoritatis gratia ac munimine donaretur. Cujus votis & petitionibus, quia justa videbantur, tum ex consensu vestro, tum ex devotione poscentis, tandem assensum præbuimus, & regni vestri gubernacula sibi ex parte beati Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque desiderio caritatis, ut beatus Petrus vos & regnum vestrum, omniaque vestra bona, sua apud Deum intercessione custodiat, & eum omni pace, honore quoque & gloria idem regnum usque in finem vitæ vestræ tenere vos faciat, & hujus militiæ finito cursu impetret vobis apud supernum regem gloriam sempiternam. Quinetiam nos paratissimos esse noverit vestræ nobilitatis serenitas, ut ad quæcumque justa negotia hujus sedis auctoritatem pro sua necessitate poterit, procul dubio continuo petitionum suarum consequetur effectum. Præterea ut hæc & alia multa quæ litteris non continentur cordibus vestris arctius infigantur, misimus hos nuntios nostros, quorum unus vester notus est & fidus amicus, qui & ea quæ in litteris sunt diligenter vobis exponent, & quæ minus sunt viva voce explebunt. Quibus pro reverentia beati Petri, cujus legati sunt, vos mites & affabiles præbeatis & quidquid vobis dixerint, ex parte nostra patienter audiatis, atque indubitanter credatis; & quæ ibi ex auctoritate apostolicæ sedis negotia tractare voluerint & statuere, nullorum malo ingenio turbare permittatis, sed potius eos sincera caritate favendo juvetis. Omnipotens Deus mentes vestras illuminet, atque per temporalia bona faciat vos transire ad gloriam sempiternam. Data Romæ XV. Kalendas Maii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1073.

LXXV. AD SVENIUM REGEM DANORUM.

Queritur de principum inobedientia erga Romanam ecclesiam. Commendat eum de debita erga sedem apostolicam observantia. Se paratum ostendit ad ei gratificandum: petitque ut per legatos sibi significet, an nunc eadem velit quæ a prædecessore suo Alexandro postulaverat.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei * Svenio regi Danorum, salutem & apostolicam benedictionem.*

* Svenon

APud antecessores nostros juris & consuetudinis erat, caritativis legationibus docere viam domini universas nationes, corripere in his quæ arguenda erant omnes reges & principes, & ad æternam beatitudinem cunctos invitare legalibus disciplinis. Plus enim terrarum lex Romanorum pontificum, quam imperatorum obtinuit. In omnem terram exivit sonus eorum: & quibus imperavit Augustus, imperavit Christus. Nunc vero reges & præsides terræ contemptores facti ecclesiasticæ legis, qui amplius justitiam servare & eam defendere debuerant, ad tot irrogandas ecclesiæ contumelias convenerunt, atque ad tantam inobedientiam, quæ secundum Samuelem similis est idololatriæ, devoluti sunt, ut fere jam quiescentibus legationibus nostris, quoniam pene sine fructu videntur, verba nostra tantummodo orando convertemus ad dominum regum, & Deum ultionum. Sed quia scimus te, & fortissimam gentem tuam, quæ freno sapientiæ tuæ moderatur, circa matrem omnium ecclesiarum debitam reverentiam exhibere, quæ tanto est beato Petro humilior, quanto in fortitudine sua sublimior. Ideo tibi dilectissimo filio nostro litteras mittimus, atque paterna affectione mandamus, ut si quid est unde indiges, quod auctoritas Romanæ ecclesiæ possit tibi juste largiri, per nuntios tuos, & per hos quos nunc mittimus, nobis notum facias, quatenus, inquantum fas est, te honoremus, & prædictam reverentiam nobilissimi regni tui merita dignitate donemus. Bonam enim famam de te accepimus, quæ precibus beati Petri & Pauli nunquam te deserat, immo ad gloriam utriusque vitæ capessendam, ut desideramus, cumuletur semper & crescat. Quia verò apud antecessorem nostrum beatæ memoriæ Alexandrum quædam expetisti, quibus beatum Petrum debitorem faceres, immo tibi & regno tuo nobile patrocinium ejus acquireres, per eosdem legatos mandes, utrum eadem voluntas sit an fuerit passa defectum, aut, quod magis optamus, susceperit augmentum. Ego enim cum in archidiaconatus officio essem, multum

Mos Romanus in officio decernendi legationes per provincias.

tum diligebam te, &, mihi videbatur, diligebar a te: ſed ubi paſtorale officium, quod in dilectione Dei & proximi quaſi in fundamento conſiſtit, licet indignus accepi, caritas quam habueram circa te major facta eſt, quæ te proficiente in melius, ſemper in majorem gradum Deo propitio augeatur. Data Romæ decimoquinto Kalendas Maii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1075. Fundamentum paſtoralis officii.

LXXVI. AD BAMBERGENSES.

Significat Bambergenſem epiſcopum ſimoniacum a ſe depoſitum. Interdicit ne quiſquam illius eccleſiæ bona diripere vel alienare præſumat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Bambergenſi eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum eſt * pene omnibus in Teutonicis partibus habitantibus, quod Bambergenſis eccleſia ſpecialis quodammodo filia adhæret matri ſuæ Romanæ eccleſiæ, cui Deo auctore deſervimus, licet indigni: ac proinde tanto ſolicitius vigilantiæ noſtræ nos oportet ſibi curam impendere, quanto familiarius apoſtolicæ ſedis eſt munimine contuenda: Unde quia quidam idiota prædictam eccleſiam ſimoniacæ perfidiæ hæretica pravitate ſubverſus invaſerat, eam a jugo ſacrilegæ pervaſionis illius provida conſideratione liberare ſtuduimus. Eximimus quidem gladium apoſtolorum principis Petri, & in eum apoſtolica auctoritate ſententiam promulgavimus. Verum quia in excluſione talium ſolent eccleſiæ multa damna pati, & bona earum diſtrahi & diſperdi, dignum duximus imminenti damno eccleſiæ præcavere, ac proinde ſacrilegis & tyrannis apoſtolica auctoritate reſiſtere, interdicendo, ne occaſione excluſionis illius res eccleſiæ auferre vel quolibet modo alienare præſumant. Quapropter ex parte Dei & apoſtolorum Petri & Pauli interdicimus, ut nullâ alicujus dignitatis, ſeu poteſtatis, ſive cujuslibet conditionis, perſona res jam ſæpe fatæ eccleſiæ, maxime theſaurum & prædia auferre, vel aliquo modo alienare injuſte diripiendo præſumat, donec omnipotens Deus per interventum beati Petri eccleſiæ illi idoneum paſtorem provideat. Si quis vero contra hujus interdictionis paginam venire tentaverit, noverit ſe gratiam ſancti Petri amittere, & apoſtolicæ animadverſionis ultione plectendum. Data Romæ XII. Kalendas Maii, indictione XIII.

* nobis

LXXVII. AD GEBOARDUM SALTZBURGENSEM Archiepiſcopum.

Increpat quod cum a ſede apoſtolica impetraſſet, ut diœceſis ſuæ portio decideretur, & in ea epiſcopus conſtitueretur, epiſcopum quidem in partem ſolicitudinis admiſerit, decimas autem omnes ſibi retinuerit; ideo monet ut eccleſiæ ſuas decimas relinquat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Geboardo Saltzburgenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Geboardo

MEminimus dilectionem tuam annis ſuperioribus apoſtolicam ſedem adiiſſe atque a prædeceſſore noſtro bonæ memoriæ Alexandro, me tetiam favente atque aſſenſum præbente, impetraſſe, ut parochiæ tuæ portionem præ amplitudine ſui decideres, atque in ea epiſcopatum & epiſcopum ad ſuperabundantem tegiminis curam ſupplendam ſtatueres. Quam tuæ mentis intentionem tanto alacrius audivimus, atque ut adimpleretur ſtuduimus, quanto te religioſius id petere, atque multorum ſaluti prodeſſe velle intelleximus. Quis enim cui ſpiritualia lucra cordi ſint, his præſertim temporibus, cum juxta apoſtolum, *Omnes quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti*, non libentiſſime amplectatur voluntatem divitias terrenas animarum ſaluti poſtponentem? Sed his diebus ad nos perlatum eſt de eodem bono propoſito tuo, quod nos vehementer contriſtavit, & lætitiæ priori quaſi quaſdam mœroris nebulas effudit. In quo prudentiam tuam & religionem multum admirati ſumus, id tibi ullatenus perſuaderi potuiſſe, ut ad hoc te factum debuiſſes inflectere. Comperimus enim, epiſcopo, ut præfati ſumus, in parte procurationis tuæ compoſito, illum quidem in ſocietatem laboris miſiſſe, ſed tibi fructum laboris, ſcilicet decimas, retinuiſſe. Quod ſi verum eſt, graviter dolemus in tam præclaro tuæ dilectionis opere cupiditatem, quæ radix omnium malorum eſt, locum ſibi potuiſſe ſurripere, ut operarium in vineam domini mitteres, & eum operis mercede fraudares. Quamobrem caritatem tuam admonitam eſſe volumus, ut quod devote Deo obtuliſti ſerenum & ſincerum ſine fuci admixtione perſolvas, plauſibilem humani favoris laudem caveas, & quod ſpe æternæ retributionis cœpiſti in ſecuritate ejuſdem remunerationis expleas, & eccleſiam ſuarum decimarum reditibus inveſtias. Data Romæ decimoquinto Kalendas Julii, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1075.

Philipp. 2.

LIBER TERTIUS REGISTRI GREGORII PAPÆ VII.

*Anno dominicæ incarnationis Milleſimo ſeptuageſimo quinto, * indictione decimatertia.*

* Immo decima quarta, ad quam pertinent ſequentes, exceptis tribus prioribus epiſtolis.

I. AD BAMBERGENSES.

Confirmat ſententiam in Herimannum epiſcopum, eo quod judicio ſedis apoſtolicæ ſe ſubtraxerat, & ſimoniace eccleſiam invaſerat ejuſque bona dilapidaverat. Eum anathematizat, & ſacerdotali officio privat; & item eos qui ab eo aliqua eccleſiæ prædia acceperunt ut ei faverent, quouſque apoſtolicæ ſedi ſe præſentet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Bambergenſi eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LItteras quas Poppo præpoſitus eccleſiæ veſtræ, cum his qui ſecum erant decepti, ſimulata pœnitentia, falſaque religione Herimanni olim dicti veſtri epiſcopi, incaute a nobis nimia ſub feſtinatione recedentes, ad vos deferre neglexerunt noſtro ſigillo inſignitas, idcirco vobis ad præſens dirigere dignum duximus, ut in eis manifeſte cognoſcatis quæ fuerit de jam dicto pſeudoepiſcopo noſtra voluntas, quamque ſententiam damnationis judicio ſanctæ apoſtolicæ ſedis in eum promulgavimus; indubitanter credentes, quoniam nullius ſupplicatio, aut fraudulenta ſuggeſtio ab eadem voluntate, ſive ſententia, ex eo quo ſe judicio ſanctæ apoſtolicæ ſedis ſubtraxit, animum noſtrum potuit revocare, vel nunquam Deo auctore mutare valebit. Verum quia ſub obtentu religionis ac mentitæ pœnitentiæ ſanctam Bamber-

bergenſem eccleſiam, ſpecialem quodammodo ſanctæ Romanæ eccleſiæ filiam, tyrannide conatus eſt confundere, bonaque illius dilapidare atque diſperdere, priorem ſententiam confirmantes, ad cumulum damnationis ejus hoc addimus, ut irrecuperabiliter ab epiſcopali officio ſemotus, a ſacerdotali quoque ſit omnino ſeclusus, quousque apoſtolicæ ſe audientiæ repræſentet, paratus eam cautionem facere, quam veſtræ eccleſiæ cognoverimus expedire. Ab epiſcopali vero officio eum ideo ſegregamus, quia ſimoniace invaſit eccleſiam. Sacerdotali quoque eum idcirco privamus, quoniam ſub ſpecie ſanctitatis viſus eſt eam dilaniare atque confundere. Et quia tanta mala contra eccleſiam quoquo modo olim ſibi commiſſam exercere non timuit, anathematis eum vinculo innodamus, quousque ſupradicto modo ſe apoſtolicæ audientiæ repræſentet, niſi forte in extremis ductus dignam pœnitentiam accipiat; eo tamen tenore, ut ſi convaluerit, ſimili modo, ut dictum eſt, ſe apoſtolicæ ſedi repræſentare feſtinet. Eodem quoque anathemate percutimus eos qui ab initio promotionis ejuſdem aliqua prædia eccleſiæ ab eo acceperunt, ut ſibi faverent ad ejus malitiam contuendam, præmaxime illos qui, poſtquam ſe apoſtolicæ ſedis judicio ſubtraxit, ab eo aliquid in prædiis vel in theſauris eccleſiæ acceperunt ad confovendum eum, ut in ſua pertinacia perſeveret, niſi reſipuerint, videlicet ut condigna ſatisfactione quod prædicto ſacrilegio peccaverunt emendent, nobilique ſuam pœnitentiam reſignare feſtinent. Data Laurenti decimotertio Kalendas Auguſti, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1075.

II. AD SIGEFRIDUM MOGUNTINUM Archiepiſcopum.

Ejuſdem fere argumenti.

* Sigifredo et alibi

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Sigefrido Moguntino archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Herimannus Bambergenſium nunc

* Lege, pervenit ſic et in Mſſ.

QUaliter * Bambergenſis Herimannus, jam nunc non epiſcopus, hoc anno Romam * pœnitens ſe habuerit, vel qualiter ſe judicio apoſtolicæ ſedis ſubtraxerit, quave fraude clericos prædictæ eccleſiæ ſub obtentu pœnitentiæ deceperit, & quomodo res ejuſdem ſibi contra Deum commiſſas eccleſiæ pejus quam prius deſtruxerit, & in clericos quondam ſibi commiſſos ſicut tyrannus ſurrexerit, veſtra, ut reos, cognoſcit fraternitas, & certa dolet triſtitia. Quocirca nos ulterius tantas non valentes impune ferre nequitias, & noviter inventas ſævitias, maxime circa eam, quæ beato Petro ſpecialiter commiſſa eſt eccleſia, judicio ſancti Spiritus per ejuſdem auctoritatem beati Petri apoſtolorum principis prædictum Herimannum ab officio epiſcopali atque ſacerdotii depoſuimus, & in perpetuo depoſitum eſſe cenſemus. Et quia hæreſi junxit ſacrilegium, & ſacrilegio apertam tyrannidem excommunicationis vinculo eum alligavimus, quouſque ſe apoſtolicæ ſedi repræſentet, quam conatus eſt non ſolum decipere, ſed etiam dolo malo irridere. Si autem ad ultimum ſibi diem pervenerit, non ei pœnitentiam & communionem denegamus ſed mox, ut poterit apoſtolicam adire ſedem, omnino illi præcipimus. Hæc ut publice maxime fratribus tibi ſubjectis coepiſcopis notifices volumus, & ex parte beati Petri præcipimus, ut ſecundum ſanctorum inſtituta patrum ſummopere procures in prædicta Bambergenſi eccleſia paſtorem ordinare; quatenus quod in prædicto ſimoniaco negligenter egiſti, comproberis emendare. Data Laurenti decimotertio Kalendas Auguſti, indictione decimatertia.

ANNO CHRISTI 1075.

III. AD HENRICUM REGEM Romanorum.

De Herimanno Bambergenſi eadem quæ in ſuperiori. Regem præterea monet, ut eccleſiam Bambergenſem recte ordinari curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INter cætera bonarum virtutum opera, fili cariſſime, ad quæ te meliorationis ſtudio aſſurgere fama referente audivimus, duobus te modis ſanctæ matri tuæ Romanæ eccleſiæ ſcilicet eminentius commendaſti. In altero quidem, quia ſimoniacis viriliter reſiſtis; in altero vero quia clericorum caſtitatem, utpote ſervorum domini, & libenter approbas, & efficaciter deſideras adimplere. Quibus de cauſis ſignum nobis propoſuiſti, opitulante Deo, altiora de te & præſtantiora quæque ſperandi. Quapropter & hæc te firmiter retinere valde optamus, & dominum Deum noſtrum ut ea tibi cumulatius augere dignetur ſuppliciter obſecramus. Cæterum de Bambergenſi eccleſia, quæ ſui fundatoris inſtitutione ſanctæ & apoſtolicæ ſedi, tamquam humeri capiti, membrum ſcilicet propinquius ſpecialiori quadam cura ſolicitudinis inhæret, vehementer dolemus, & ejus deſolationi pro viribus occurrere, opitulari, & conſulere, officii noſtri neceſſitate impellimur. Simoniacus enim ille Herimannus dictus epiſcopus hoc anno ad ſynodum Romam vocatus venire contempſit: ſed cum propius Romam acceſſiſſet, in itinere ſubſtitit, & præmittens nuntios ſuos cum copioſis muneribus, noto ſibi artificio innocentiam noſtram & confratrum noſtrorum integritatem pactione pecuniæ attentare, atque, ſi fieri poſſet, corrumpere molitus eſt. Quod ubi præter ſpem evenit, jam de damnatione ſua ſecurior, feſtinanter retroceſſit, & blandis fallacibuſque promiſſis clericorum qui ſecum erant animas lactans, ajebat ſe, ſi patriam repedare poſſet, ab epiſcopatu ceſſaturum, & monaſticæ vitæ profeſſionem ſubiturum. Quam ſponſionem qualiter impleverit, celſitudinem tuam, fili cariſſime, non latet. Quin etiam temeraria ulterius progreſſus audacia, clericos eccleſiæ ſuæ ſalutem & honorem quærentes bonis ſuis deſpoliavit, &, niſi eum tua, ut audivimus, regalis potentia refregiſſet, penitus confudiſſet. His exceſſibus diligenter conſideratis, ab epiſcopali eum atque ſacerdotali officio dejecimus. Inſuper quoniam Bambergenſem eccleſiam apoſtolica beati Petri tuitione munitam, crudelius atque moleſtius quam ante infeſtare præſumpſit, anathematis eum vinculo innodavimus, donec eccleſiaſticam dignitatem illicite uſurpatam deponat, & ſe nihilominus ſedis apoſtolicæ judicio repræſentet. Nunc ergo, excellentiſſime fili, ſublimitatem tuam hortamur, & pro noſtræ ſolicitudinis debito ſuademus, ut religioſorum conſilio virorum eadem eccleſia ita ſecundum Deum ordinetur, quatenus beati Petri, cujus nomini & defenſioni attitulata eſt, interceſſione, divinæ merearis obtinere ſuffragia protectionis. Quid vero hac ipſa de cauſa Sigefrido confratri noſtro Moguntino epiſcopo, & eidem Bambergenſi clero & populo ſcripſerim, ex litteris ad eos datis ad liquidum poteris cognoſcere.

gnoſcere. Data Romæ decimotertio Kalendas Auguſti.

ANNO CHRISTI 1074.

IV. AD SIGEFRIDUM MOGUNTINUM Archiepiſcopum.

Hortatur ad paſtorale munus fideliter obeundum. Præcipit ut inquirat, num Stasburgenſis epiſcopus ſimoniacæ labis ſit reus. Arguit eos qui concilium a ſe indictum differendum eſſe cenſebant; eique injungit ut ſimoniam & fornicationem evellendam curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Sigefrido Moguntino archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PLurimas in tuis litteris, frater, excuſabiles, & quantum ad humanum ſpectat judicium validas protuliſti rationes. Nec nobis quoque viderentur infirmæ, ſi hujuſmodi poſſent in divino nos examine excuſare. Rata ſiquidem videtur excuſatio regni motus, ac perturbatio, bella, & ſeditiones, invaſiones hoſtium, ac perditio rerum veſtrarum, inſuper & formido necis, quam noſtris dicitis fratribus imminere principis odio, vel ne hi qui de diverſis partibus invicem inimicantur, ſi in unum conveniant, uſque ad internecionis bella conſurgant. Quæ ſane omnia ſatis videntur ad cujuſpiam excuſationem idonea. Verum ſi conſideremus quantum ab humanis judicia diſtant divina, nihil pene reperimus quod in ſuperno examine excuſabile proferamus, ut ab animarum lucris retrahi ſine periculo valeamus; non damna ſiquidem rerum, non malorum ſimultates, aut ira potentum, non ipſius ſalutis quoque noſtræ vitæque diſpendium. In hoc quippe mercenarii a paſtoribus diſtant, quod hi lupo veniente, dum ſibi non ovibus metuunt, gregis direptionem diſperſionemque contemnentes, eis relictis effugiunt: paſtores vero qui ſuas diligunt oves, eas nequaquam deſerunt imminente periculo, pro quibus quoque non dubitant propriæ vitæ ſubire exitium. Quapropter oportet & nos ſtudiis paſtoralis officii inſiſtere vigilanter, atque ad domini gloriam ovium ſemper ſuarum ſalutem quærere, ad gregis cuſtodiam ſocios inſtigare, & ut recto greſſu commiſſis ovibus præcedant ſalubriter commonere. Namque ſi fratres noſtros conſideremus delinquere, & tacemus, ſi denique errare, & non eos ad rectitudinis ſemitam monendo revocare conemur, nonne & ipſi delinquimus, & errare merito judicamur? etenim qui negligit culpas emendare, commitit. Et cur Heli ſacerdos in Silo periit? & quid eſt quod dominus loquitur per prophetam? *Maledictus*, inquit, *qui prohibet gladium ſuum a ſanguine*, id eſt verbum prædicationis a carnalium vitæ interfectione. Ut autem ad id quod ad præſens premit animum, & quod quaſi cauſa eſt noſtri ſermonis, veniamus, quomodo ea patienter perferre valemus quæ de fratris noſtri Strasburgenſis epiſcopi moribus audivimus, & certa eſſe nonnulla veraci relatione cognovimus? Unde volumus atque præcipimus, quatenus unum, quod apud nos adhuc manet in dubium, ſimoniacæ videlicet hæreſeos contagium, diligenter diſcutias, & quidquid ſuper eo certum repereris nobis intimare non differas; quatenus, ſi verum fuerit, Chriſti eccleſia tantis ſordibus emundetur, & illius animæ, ne pereat, ſubveniatur; ſi vero (quod magis optamus) falſum, tanta infamia procul ab eo, adjuvante nos divina gratia, propellatur. Illi vero qui dicunt concilium quod vobis indiximus eſſe differendum, rogamus reſpondeant: Regii milites dudum ut ſe ad bella pararent admoniti, quid tunc eſſent acturi, cum hoſtes in regia aula armis jam & igne ſævirent? Dicant ergo utrum arma deberent ad ipſos hoſtes perturbandos & conterendos violenter corripere, an quid hoſtes agerent tantum inertes conſiderare? Quid enim aliud maligni ſpiritus agunt, niſi quod Chriſti eccleſiam igne vitiorum inceſſanter devaſtare contendunt? Et quid regios milites, ſanctos videlicet ſacerdotes oportet facere, niſi adverſus eorum ſævitiam clypeo caritatis munitos gladio divini verbi accinctos auctoritatis vigore conſurgere? Quod autem dicis, quoſdam fratres non poſſe ad concilium convenire ob principis inimicitiam, dicimus * ei ſufficere, ſi de ſuis clericis dirigant, qui pro eis valeant reſpondere. Sed quoniam non ignoramus, quod a pluribus carnalibus ac ſæcularibus dehorteris, ne in vinea domini pro animarum lucris fortiter ac fideliter opereris, ne tuarum forte rerum, aut odiorum potentum diſcrimen incurras, te ex parte Dei omnipotentis & auctoritate beati Petri rogamus & monemus, quatenus nullius odio aut gratia, ſeu aliqua terrenarum rerum jactura, a rectitudinis tramite declinare præſumas; quin omnia, prout Spiritus ſanctus donaverit, diligenter examines, & nobis quidquid certum conſtiterit quantocius inſinuare procures. Multum namque debet nobis videri pudendum, quod quilibet ſæculares milites quotidie pro terreno principe ſuo in acie conſiſtunt, & necis perferre diſcrimina vix expaveſcunt, & nos, qui ſacerdotes domini dicimur, non pro illo noſtro rege pugnemus, qui omnia fecit ex nihilo, quique non abhorruit mortis pro nobis ſubire diſpendium, nobiſque promittit meritum ſine fine manſurum. Hoc autem adhuc tuæ fraternitati injungimus, quatenus de ſimoniaca hæreſi ac fornicatione clericorum, ſicut ab apoſtolica ſede accepiſti, ſtudioſe perquiras, & quidquid retroactum inveneris, legaliter punias, & funditus reſeces, * ac ne quidquid ulterius fiat penitus interdicas. Data Romæ tertio Nonas Septembris, indictione incipiente decimaquarta.

ANNO CHRISTI 1075.

Diſcrimen inter mercenarium & paſtorem.

Officium paſtorale.

Jerem. 48.

* Forte, *aliter*. H. & ſic in Mutin.

* Forte, *ne quid aliter fiat*. H. & ſic in Mutin.

V. AD BEATRICEM ET MATHILDEM EJUS FILIAM.

Queritur de inconſtantia regis Henrici, qui cum ſcripſiſſet ſe occultam legationem miſſurum propter principes ſui regni, quos magis de diſcordia quam de pace gaudere intelligebat, nunc mutato conſilio omnia palam fieri volebat. Unde colligit illum pacem ex animo non cupere. De Gotefredo qui promiſſam fidem violaverat explicat quid ſentiat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Beatrici duci, & Mathildi filiæ ejus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn parum de vobis miramur, quod de his quæ per veſtras litteras mandaſtis nobis, conſulere decreviſtis, cum conſtet apud vos quod idem rex duos ac nobiles ac religioſos viros ad nos ante menſem Auguſtum legatos miſerit, qui videlicet adhuc nobiſcum manent, per quos talia mandavit: Noverit veſtra ſanctitas, pater, quoniam dum ego pene omnes principes mei regni de noſtra magis diſcordia quam de mutua pace gaudere percipio, ad vos iſtos nuntios latenter dirigo, quos ſatis nobiles ac religioſos eſſe cognoſco, & pacis bonum inter nos optare conjungi

gi nequaquam dubito. Hoc autem quod mando, neminem ſcire volo præter vos, dominam matremque meam, atque amitam Beatricem, & filiam ejus Mathildem. Me vero, adjuvante domino, de expeditione Saxonica redeunte, alios legatos dirigam, quam familiariores ac fideliores habebo, per quos omnem vobis meam voluntatem & reverentiam, quam beato Petro & vobis debeo, ſignificabo. Poſtea vero præfatis legatis dicendo mandavit, quatenus non mirarentur, nec graviter ferrent, quod promiſſos minime adhuc direxerit nuntios, eiſque non fieret oneroſum eos, donec ipſe mitteret, præſtolari, quoniam procul dubio illos miſſurus erat, & in eadem ſententia immobiliter permanebat. Nunc autem qualiter hoc conſilium verſum ſit, & quod facere latenter diſpoſuerat palam fieri velit, penitus miramur: niſi quod datur intelligi, quia ipſe nequaquam hanc cupiat pacem componi, quam modo vult palam eis fieri, quibus eam antea volebat abſcondi, & de quibus idem teſtabatur magis eos de noſtra diſcordia quam de mutua concordia lætari. Quapropter vos ſcire volumus, nos huic petitioni nullatenus conſenſuros, quoniam quod modo inventum eſt, non videtur beato Petro ac nobis honorabile velle ejus utilitati provenire. Quod ſi ad prius revertatur conſilium, id videtur ſalubrius, nobiſque ſequendum. De conſilio vero quod expetiſtis a nobis, quid vobis ſit reſpondendum Gotefredo, neſcimus, cum ille aperte infregerit quod vobis juramento promiſit, nec certum quidquam de ipſius promiſſionibus credere valeamus. Verum ſi aliquod fœdus, quod a ſanctorum patrum ſanctione non diſcrepet, inire cum eo poteritis, nobis laudandum videtur: ſin autem, caritatem, qua nos Deus conjunxit, nullo modo poſſe diſſolvi aut aliquatenus minorari, certiſſime apud vos conſtare optamus. Unde ſi vos dilexerit, eum diligemus, ſi vero ex ſua culpa odio habere cœperit, ſicut cariſſimas filias modis quibus poterimus vos diligendo, ei Deo favente reſiſtemus. Data Romæ tertio Idus Septembris, indictione decimaquarta.

hoc totum deeſt in Mutin.

DEPOSITIO REGIS HENRICI FILII imperatoris Henrici, & abſolutio omnium qui ſibi præſtiterant juramentum.

BEate Petre apoſtolorum princeps, inclina quæſumus pias aures tuas nobis, *&c. ut infra in concilio Romano III.*

VI. AD UNIVERSOS CHRISTIANOS.

Injuriam apoſtolicæ ſedis exaggerans, hortatur ad divinam opem imploranidam, ut aut impios ad pœnitentiam convertat, aut eorum conſilia reprimat: eiſque exemplum anathematizationis regis mittit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus qui cupiunt ſe annumerari inter oves quas Chriſtus beato Petro commiſit, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Omittitur tota in Mutin. hinc ſeptima ſcinia ſigno tur.

AUdiſtis fratres novam & inauditam præſumptionem, audiſtis ſceleratam ſchiſmaticorum & nomen domini in beato Petro blaſphemantium garrulitatem & audaciam, audiſtis ſuperbiam ad injuriam & contumeliam ſanctæ & apoſtolicæ ſedis elatam, qualem veſtri patres nec viderunt nec audierunt unquam, nec ſcripturarum ſeries aliquando a paganis vel hæreticis docet emerſam: cujus mali etſi aliquod unquam poſt fundatam & propagatam fidem Chriſti præceſſiſſet exemplum, omnibus tamen fidelibus pro tanto contemptu & conculcatione apoſtolicæ, immo divinæ auctoritatis, dolendum foret & gemendum. Quapropter ſi beato Petro claves regni cælorum a domino Deo noſtro Jeſu Chriſto traditas eſſe creditis, & vobis per manus ipſius ad æternæ vitæ gaudia introitum patere cupitis, cogitandum vobis eſt, quantum nunc de irrogata ſibi injuria dolere debeatis. Niſi enim hic, ubi per diſcrimina tentationum veſtra fides & corda probantur, ſocii paſſionum efficiamini, procul dubio non eſtis digni, ut participes futuræ conſolationis, & filii regni cæleſtem coronam & gloriam ſortiamini. Rogamus igitur caritatem veſtram, ut inſtanter divinam miſericordiam implorare ſtudeatis; quatenus aut corda impiorum ad pœnitentiam vertat, aut reprimendo eorum nefanda conſilia, quam inſipientes & ſtulti ſunt qui petram a Chriſto fundatam evertere, & divina privilegia violare conantur, oſtendat. Qualiter autem aut pro quibus cauſis beatus Petrus anathematis vinculo regem alligaverit, in chartula quæ huic incluſa eſt plene poteſtis cognoſcere.

VII. AD HENRICUM REGEM Romanorum.

Lætatur regem religioſis viris diſcordiæ cauſam, quæ inter eos intercedebat, commiſiſſe, quorum conſilio ait ſe eum ad eccleſiæ gremium recepturum. Hortatur ut erga Saxones devictos clementer ſe gerat, & in locum Herimanni depoſiti alium in Bambergenſi eccleſia canonice ſubrogandum curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUando litteras tuæ magnitudinis accepi, longe ab urbe * maxime cauſa infirmitatis aberamus, * cum quibus neceſſarium erat tractare quid veſtræ legationi ad plenum, ſicut oportet, reſponderem. Veſter etiam nuntius, horum videlicet portitor, ob prædictam cauſam ægritudinis timebat nobiſcum manere. Sed quia deſideramus non ſolum vobiſcum, quem Deus in ſummo rerum poſuit culmine, ſed etiam cum omnibus hominibus pacem quæ in Chriſto eſt habere, juſque ſuum unicuique obſervare, cupimus ſummopere corde & animo adhærere. Novi enim (quod te credo non ignorare) quia qui Deum revera diligunt, & Romanam eccleſiam, Romanumque imperium, * ad vindictam ſuorum criminum non pertimeſcunt, inter nos pacem & concordiam inſerere agendo vel orando concupiſcunt. Quapropter bonam concepi fiduciam, quia hanc noſtram, immo totius eccleſiæ cauſam, religioſis hominibus cœpiſti committere, qui nos non noſtra injuſte diligunt, & ut Chriſtiana inſtauretur religio * ſuam intentionem requirunt. Ego autem (ut paucis loquar) horum conſilio paratus ſum, Chriſto favente, gremium tibi ſanctæ Romanæ eccleſiæ aperire, teque ut dominum fratrem & filium ſuſcipere, auxiliumque prout oportuerit præbere; nihil aliud a te quærens, niſi ut ad monita tuæ ſalutis non contemnas aurem inclinare, & creatori tuo, ſicut te decet, non contradicas offerre gloriam & honorem. Valde quippe indignum eſt, ut honorem, quem a conſervis & fratribus noſtris exigimus, creatori & redemptori noſtro reddere contemnamus. Moveat itaque

* Forte, maxime H. * f. & ab hiis fs. & in Mutin.

* Forte, ad vindictam H.

* Forte, ſotiam. H.

ANNO CHRISTI 1073. Reg. 9. 10

que nos divina promiſſio, quæ dicitur: *Ego glorificantes me glorificabo, & qui me contemnunt, erunt ignobiles:* & offeramus ei quod placet nobis hac in * via ſæculari, ut perfruamur in cæleſtibus dono ſpirituali. De ſuperbia vero Saxonum vobis injuſte reſiſtentium, quæ divino judicio a facie veſtra contrita eſt, & gaudendum eſt pro pace eccleſiæ, & dolendum, quia multus Chriſtianorum ſanguis effuſus eſt. Vos autem in talibus plus honorem Dei & juſtitiam ejus procurate defendere, quam honori proprio providere; ſecurius enim quilibet princeps mille impios poteſt cauſa juſtitiæ punire, quam propriæ cauſa gloriæ quemlibet Chriſtianum gladio ſternere. Omnia enim creavit, & regit, qui dixit: *Ego gloriam meam non quæro.* Saluti quippe noſtræ tunc vere providemus, cum in cunctis noſtris actibus gloriam Dei proponimus. De Herimanno vero quondam nuncupato Bambergenſi epiſcopo, noverit veſtra ſublimitas quia jamdiu eſt ex quo per quemdam ejuſdem eccleſiæ clericum vobis noſtroque confratri Sigifredo Moguntino archiepiſcopo & clericis prædictæ eccleſiæ miſimus per noſtras literas, quod auctoritate apoſtolicæ ſedis ab omni epiſcopali & ſacerdotali dignitate ſit depoſitus, & anathematis vinculo alligatus, quia non timuit ſimoniace hæreſi ſacrilegium adjicere, ſanctamque eccleſiam ſibi commiſſam ſicut tyrannus devaſtare. Unde rogavimus, & ex parte beati Petri præcepimus & præcipimus, ut in prædicta eccleſia ſecundum Deum talis paſtor ordinetur, qui quod fur & latro maſtavit Deo faveute vivificet, & quod ille diſſipavit valeat reſarcire. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona proceduut, meritis & interceſſione beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ſua pietate in hac vita * vos protegat, & cum dupla victoria perducat * ad vitam æternam.

Quid ſecurius in pericipe

Joan. 8.

Quando animæ noſtræ conſulimus.

* eos

* nos ad

VIII. AD TEDALDUM CLERICUM Mediolanenſem

Arguit eum, quod ſuperſtite epiſcopo canonice electo, ſe in illius locum intruſerit. Monet ut ſynodum proxime habendam accedat, eique ad ſe venienti fidem publicam promittit, præcipiens ne interim ſacros ordines ſuſcipiat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Tedaldo Mediolanenſi clerico, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi obedierit.

veſtris

NUntiatum nobis eſt a quibuſdam noſtris fidelibus, & tuis amicis, te amicitiam noſtram cupere & expetere, quam nos quidem etiam non quæſitam gratis offerimus, quæſitam vero promptiſſime damus, ſi in his quæ Dei ſunt, noſtris monitis, immo divinæ voluntati ad juſtitiam te acquieſcere velle cognoverimus. In cauſa etenim quam ſuſcepiſſe videris, & noſtræ ſolicitudini neceſſitatem gravioris ſarcinæ ſuperaddidiſti, & teipſum quibus non oportuit implicuiſti, in qua nimirum cauſa, ſicut periculoſum nobis eſſet aliquid ultra limitem æquitatis proſequi, ita etiam juſtitiæ regulas declinare, & ſub ſilentio diſſimulare putamus. Non autem prudentiam tuam ignorare credimus, quod ad epiſcopalem cathedram, in qua poſitus es, ante te alia quæ adhuc ſuperſtes eſt fuerit aſſignata perſona: quæ niſi juſtis rationibus prius excepta fuerit, legitimum in ea tibi aut cuiquam patere locum nec canonica nec apoſtolica cenſura permittit. Nam de illo quid dicendum nobis eſt, qui dum honorem ejuſdem ſedis nefandis affectaret deſideriis, quod juſtitia ſibi denegavit, ſacrilega vi & armis invadere ac diripere non pepercit; quem ambitionis culpa, quam deſerere noluit, uſque ad juſtam damnationis tuæ perniciem traxit? De eo nobis eſt ſermo qui nobiſcum eſt, quem electum in eadem eccleſia certe cognovimus; ſed cur reprobari debeat, nulla adhuc deprehendere potuimus ratione. Quapropter, teſte conſcientia noſtra, ſincero caritatis affectu te admonemus, ut ſi eccleſiam diligis, & te pariter atque illam a periculo confuſionis eripere cupis, ad proximam ſynodum, quam in prima hebdomada venturæ quadrageſimæ, Deo annuente, celebrare diſpoſuimus, vel, ſi malles, ante ſynodum apoſtolica limina & noſtram requiras præſentiam quatenus de introitu tuo, priuſquam te gravius præcipites, æqua, opitulante Deo, examinatione peracta, quod tu ipſe tutum tibi fore cognoveris abſque impedimento & periculo animæ tuæ ſequi ac tenere poſſis. Nec dubitandum tibi credas ſi huic, qui nobiſcum eſt, dictante juſtitia ceſſandum eſſe perſpexerimus, quin in promotione tua benevola conceſſione ad honorem omnipotentis Dei & beati Ambroſii aſſenſum pariter præbeamus & ſtudium. Ad tollendam vero totius periculi ſuſpicionem, ſecuritatem tibi per manus filiarum noſtrarum Beatricis & ejus filiæ Mathildis promittimus, & indubitanter damus, ut nihil tibi, vel his qui in tuo comitatu fuerint, contrarietatis a nobis vel noſtris inferatur: ſed in rebus & perſonis veſtris, tam in veniendo quam redeundo, tuti penitus & illæſi, Deo cuſtodiente, maneatis, oſtenſa ſolummodo & confirmata ea quæ in cauſa tua fuerit tenenda ſententia. Interim quoque ex parte Dei omnipotentis, & apoſtolica beati Petri auctoritate, tibi præcipimus, ut nullum de ſacris ordinibus gradum recipere præſumas, ſciens quoniam ſi non obedieus nobis modo non crediderís, pœnitebit te quandoque, cum tuamet præcipitatione te eo merſum videbis, unde cum volueris ſalvum te eripere non poſſis. Si qui igitur non percipientes ea quæ Dei ſunt aliter tibi ſuggerere & perſuadere incipiant, oſtentantes quanta tibi ſint in rege præſidia, quanta in tua nobilitate potentia, quanta etiam in civibus tuis adjutoria, tutum tibi illis credere non exiſtimes, conſiderans quid ſcriptura dicat: *Maledictus homo qui ſpem ſuam ponit in homine.* Atque hoc in animo gerens, quod regum & imperatorum virtus, & univerſa mortalium conamina, contra apoſtolica jura & omnipotentiam ſummi Dei quaſi favilla computentur & palea, nullius unquam inſtinctu vel fiducia adverſus divinam & apoſtolicam auctoritatem obſtinata temeritate te rebellem & pertinacem fieri libeat. Data Romæ * VII. Idus Septembris, ind. XIV.

Jerem.

* VI. Decembris.

IX. AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ Mediolanenſis.

Significat ſe Tedaldum in Mediolanenſi eccleſia intruſum ad ſynodum vocaſſe. Præcipit eis ne ullus audeat eum ad ſacros ordines promovere.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratribus, & epiſcopis coepiſcopis, Gregorio Vercellenſi, Cumberto Taurinenſi, * Ingone Aſtenſi, Ogerio Eporedienſi, Opizoni Laudenſi, & cæteris ſuffraganeis ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ obedientibus apoſtolicæ ſedi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Hugoni

NOtum vobis eſſe volumus de Tedaldo Mediolanenſi clerico, quem rex præter quam no

bis literis ac legatorum verbis promiſerit in Mediolanenſem eccleſiam poſſit, quod epiſcopalem ſedem, ad quam alia prius quæ adhuc ſuperſtes eſt fuerit aſſignata perſona, non ſatis ordinate ſuſcepiſſe videtur. Quod cum per quoſdam fideles noſtros noſtram requireret amicitiam, ſcripſimus ei hoc nos multum velle & cupere, atque eo pacto facillimum convenire poſſe, ſi requiſitis apoſtolorum liminibus & noſtra præſentia cauſam promotionis ſuæ puram atque probabilem oſtendere vellet & poſſet. Ad quod exequendum amicabiliter eum vocavimus, & præfixo ſibi termino ad proximam ſynodum venturæ quadrageſimæ, aut, ſi malit, ante ſynodum firmam ſecuritatem veniendi ad nos & redeundi ex noſtra parte promiſimus, & dare parati ſumus. Inſuper etiam ne interim aliquem de ſacris ordinibus gradum recipiat apoſtolica ei auctoritate interdiximus. Quod item & vobis per eam quam beato Petro apoſtolorum principi debetis obedientiam, & ex noſtra quam per illum licet indigni ſuſcepimus, apoſtolica auctoritate interdicimus, ut nullus veſtrum ad promotionem alicujus ordinis manum ei præſumat imponere, donec oblata nobis ſua præſentia, quid de introitu ejus judicandum & ſtatuendum ſit ſincera, Deo adjuvante, poſſimus examinatione diſcernere. Quod quidem cum communi conſilio & conjuncta omnium veſtrorum diſcretione ac judicio fieri permaxime cupimus, ſi vel illius eccleſiæ cura, vel reſpectus apoſtolicæ reverentiæ, aut noſtra caritas vos ad hoc negotium convocare poterit. Videte igitur ne quis veſtrum contempto hoc interdictu ad illius pariter & ſui periculum manum extendat: quoniam ſi quis, quod non credimus, in ea præſumptione ſe occupare proruperit, continuo ſe a gratia beati Petri & noſtra dilectione, nec non a communione ſacri corporis & ſanguinis Domini ſequeſtratum eſſe cognoſcat. Verum id agite, id, ſi Dominum diligitis, efficere procurate, ut frater ille dum poteſt, dum locum habet, ſibi & eccleſiæ conſulat, paci veſtræ & ſaluti tantæ multitudinis hominum pene periclitantium providcat, nec ſuamet præcipitatione caſum petens multos ſecum ad commune periculum trahat. In quo nunc apparebit quis ſit paſtor in vobis iniquitati aperte reſiſtens, quis ſit fur ſimulationem faciens, quis latro manifeſte juſtitiæ contradicens. Conſiderate ergo quomodo caute ambuletis: quia ſicut durum eſt contra ſtimulum calcitrare, ſic aſperum eſt ſanctæ Romanæ eccleſiæ contraire, cui vos tamquam matri ſemper oportet obedire. Data Romæ ſexto Idus * Octobris, indictione decimaquarta.

Quis eſt paſtor, quis fur, quis latro.

* Decembris

ANNO CHRISTI 1075.

X. AD HENRICUM REGEM Romanorum.

Arguit quod cum excommunicatis communicet. Monet ut ſi ita eſt, ab aliquo epiſcopo abſolutionem petat. Miratur eum literis & legationibus devotum ſe erga Romanam eccleſiam oſtendere; re tamen eidem adverſari, & decreta a ſe in ſynodo edita non obſervare. Hortatur ad veram obedientiam Romanæ eccleſiæ præſtandam. Demum monet ne eccleſiaſticæ libertati velit eſſe impedimento.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico regi, ſalutem & * apoſtolicam benedictionem, ſi tamen apoſtolicæ ſedi ut Chriſtianum decet regem * obedierit.*

* Deeſt a 3 poſt. haec.

* obediat

COnſiderantes ac ſolicite penſantes, quam diſtricto judici de diſpenſatione crediti nobis per beatum Petrum apoſtolorum principem miniſterii rationem redditurі ſumus, cum dubitatione apoſtolicam tibi benedictionem mandavimus, quoniam judicio ſedis apoſtolicæ ac ſynodali cenſura excommunicatis communionem tuam ſcienter exhibere diceris. Quod ſi verum eſt, tu ipſe cognoſcis, quod nec divinæ, nec apoſtolicæ benedictionis gratiam percipere poſſis, niſi his qui excommunicati ſunt a te ſeparatis & compulſis ad pœnitentiam de tranſgreſſione tua condigna pœnitunitudine & ſatisfactione prius abſolutionem conſequaris & indulgentiam. Unde excellentiæ tuæ conſulimus, ut ſi in hac re te culpabilem ſentis, celeri confeſſione ad conſilium religioſi alicujus epiſcopi venias, qui cum noſtra licentia congruam tibi pro hac culpa injungens pœnitentiam te abſolvat, ut nobis tuo conſenſu modum pœnitentiæ tuæ per epiſtolam ſuam veraciter intimare audeat. De cætero mirum nobis valde videtur, quod totiens nobis tam devotas epiſtolas & tantam humilitatem tuæ celſitudinis per legatorum tuorum verba tranſmittis, filium te ſanctæ matris eccleſiæ & noſtrum vocas in fide ſubjectum, in dilectione unicum, in devotione præcipuum: poſtremo cum omni affectu dulcedinis & reverentiæ te commendas, re tamen & factis aſperrimum, canonicis atque apoſtolicis decretis in his quæ eccleſiaſtica religio maxime poſcit te contrarium oſtendis. Nam ut de reliquis taceamus, quod de cauſa Mediolanenſi per matrem tuam, per confratres noſtros epiſcopos quos ad te miſimus, nobis promiſeras, qualiter attenderis, aut quo animo promiſeris, ipſa res indicat, & nunc quidem ut vulnus vulneri infligeres, contra ſtatuta apoſtolicæ ſedis tradidiſti Firmanam & Spoletanam eccleſiam: ſi tamen ab homine tradi eccleſia aut donari poteſt quibuſdam perſonis nobis etiam ignotis, quibus non licet niſi probatis & ante bene cognitis regulariter manum imponere. Decuerat regiam dignitatem tuam, cum te filium eccleſiæ confiteris, honorabilius magiſtrum eccleſiæ, hoc eſt beatum Petrum apoſtolorum principem, intueri, cui, ſi de dominicis ovibus es, dominica voce & poteſtate ad paſcendum traditus es, dicente ſibi Chriſto: *Petre, paſce oves meas*, Joan. 21. & iterum: *Tibi tradita ſunt claves regni cælorum*, Matth. 16. *& quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. In cujus ſede & apoſtolica adminiſtratione dum nos qualeſcumque peccatores & indigni divina diſpoſitione vicem ſuæ poteſtatis gerimus, profecto quidquid ad nos vel per ſcripta, ut nudis verbis miſeris ipſe recipit; & dum nos aut elementa percurrimus, aut loquentium voces auſcultamus, ipſe ex quo corde mandata prodierint ſubtili inſpectione diſcernit. Quapropter providendum eſſet tuæ celſitudini, ne erga ſedem apoſtolicam in verbis & legationibus tuis aliqua inveniretur diſcrepantia voluntatis, & in his, per quæ Chriſtiana fides & ſtatus eccleſiæ ad æternam ſalutem maxime proficit, non nobis, ſed Deo omnipotenti debitam non denegares reverentiam: quamquam apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Dominus dicere dignatus ſit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Luc. 10. Scimus enim, quoniam qui fidelem Deo obedientiam exhibere non renuit, in his quæ ſanctorum patrum ſtatuta ſequentes dixerimus, veluti ſi ab ore ipſius apoſtoli accepiſſet, noſtra monita ſervare non ſpernit. Nam ſi propter reverentiam cathedræ Moyſi Dominus præcepit apoſtolis, ut quæcumque Scribæ & Phariſæi ſuper eam ſedentes dicerent, obſervarent, non dubium eſt quin apoſtolica & evangelica doctrina, cujus ſedes & fun-

ANNO CHRISTI 1073.

fundamentum Chriſtus eſt, cum omni veneratione a fidelibus per eos qui in miniſterium prædicationis electi ſunt, ſuſcipienda & tenenda ſit. Congregata namque hoc in anno apud ſedem apoſtolicam ſynodo, cui nos ſuperna diſpenſatio præſidere voluit, cui etiam nonnulli tuorum inſtitere fidelium, videntes ordinem Chriſtianæ religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum cauſas diu prolapſas, & ſuadente diabolo conculcatas, concuſſi periculo & manifeſta perditione Dominici gregis, ad ſanctorum patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione noſtra ſtatuentes, ſed primam & unicam eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam, & tritam ſanctorum viam relicto errore repetendam & ſectandam eſſe cenſuimus. Neque enim alium noſtræ ſalutis & æternæ vitæ introitum Chriſti ovibus eorumque paſtoribus patere cognoſcimus, niſi quem ab ipſo monſtratum, qui dixit: *Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & paſcua inveniet*: & ab apoſtolis prædicatum, & a ſanctis patribus obſervatum in evangelica & in omni divinarum ſcripturarum pagina didicimus. Hujus autem decreti, quod quidam dicunt, humanos divinis honoribus præponentes, importabile pondus, & immenſam gravitudinem: nos autem magis proprio vocabulo, recuperandæ ſalutis neceſſariam veritatem vocamus & lucem, non ſolum a te, vel ab his qui in regno tuo ſunt, ſed ab omnibus terrarum principibus & populis qui Chriſtum confitentur & colunt, devote ſuſcipiendam & obſervandam adjudicamus. Quamquam hoc multum deſideremus, & te permaxime deceret, ut ſicut cæteris gloria, honore virtuteque potentior, ita eſſes & in Chriſti devotione ſublimior. Attamen ne hæc ſupra modum tibi gravia aut iniqua viderentur, per tuos fideles tibi mandavimus, ne pravæ conſuetudinis mutatio te commoveret, mitteres ad nos, quos ſapientes & religioſos in regno tuo invenire poſſes: qui ſi aliqua ratione demonſtrare vel adſtruere poſſent, in quo ſalvo æterni regis honore, & ſine periculo animarum noſtrarum promulgatam ſanctorum patrum poſſemus temperare ſententiam, eorum conſiliis condeſcenderemus. Quod quidem etſi a nobis tam amicabiliter monitus non fuiſſes, æquum tamen fuerat, ut prius in quo te gravaremus, aut tuis honoribus obſtaremus, rationabiliter a nobis exigeres, quam apoſtolica decreta violares. Verum quanti aut noſtra monita aut obſervantiam juſtitiæ feceris, in his quæ poſtmodum a te geſta & diſpoſita ſunt declaratur. Sed quia dum adhuc longa Dei patientia ad emendationem te invitat, creſcente intelligentia tua ad obedientiam mandatorum Dei cor & animum tuum flecti poſſe ſperamus. Paterna te caritate monemus, ut Chriſti ſuper te imperium recognoſcens, honorem tuum ejus honori præponere quam ſit periculoſum cogites, & libertatem eccleſiæ, quam ſponſam ſibi cælesti conſortio jungere dignatus eſt, non jam tua occupatione impedias, ſed quo maxime creſcat Deo omnipotenti & beato Petro, a quibus & tua mereatur amplificari gloria, auxilium tuæ virtutis fideli devotione exhibere incipias. Quod nimirum, pro collata tibi ex hoſtibus tuis victoria, nunc te permaxime illis debitum fore cognoſcere debes, ut dum te memorabili proſperitate lætificant, ex conceſſis beneficiis devotionem videant. Atque hoc ut timor Dei, in cujus manu & poteſtate omne regnum eſt, & imperium, præcordiis tuis altius quam noſtra admonitio infigat, in mente habeas quid Sauli poſt adeptam victoriam, qua propheta jubente ejus eſt, de ſuo triumpho glorianti, & ejuſdem prophetæ monita non exequenti acciderit, & qualiter a Domino reprobatus ſit; quanta vero gratia David regem ex merito humiliatis inter virtutum inſignia ſubſceuta fuit. Denique ſuper his quæ in epiſtolis tuis viſa ac cognita reticemus, non antea tibi certa reſponſa dabimus, donec legati tui Rabbodi * Adelprech, & * Vodeſcal Rei, quos his adjunximus, ad nos reverſi, ſuper his quæ illis tecum agenda commiſimus tuam nobis plenius aperiant voluntatem. Data Romæ ſexto Idus Januarii, indictione decimaquarta.

ANNO CHRISTI 1073.

* Adelprecus
* Vodeſcalcus, quos

Joan. 10.

XI. AD ARNALDUM EPISCOPUM Acheruntinum

Poteſtatem facit a peccatis abſolvendi Rogerium comitem una cum ejus militibus contra Paganos pugnaturis, ſi tamen pœnitentiam egerint. Monet ut ad religionem inter Paganos propugnandam eosdem incitet. Paratum ſe oſtendit Robertum ab excommunicatione abſolvere, ſi devotum erga Romanam eccleſiam ſe oſtenderit. Injungit ut Balduino Melphitano epiſcopo poſt peractam pœnitentiam epiſcopale munus reddat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Arnaldo fratri & coepiſcopo Acheruntino, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

De Rogerio qui fuit Siciliæ comes Leo Oſtienſis lib. 3 cap. Otto Friſingenſis libro de geſtis Friderici.

NOverit fraternitas tua, quoniam Rogerius comes frater Roberti ducis apoſtolicæ ſedis benedictionem & abſolutionem requirit, ejuſque filius vocari & eſſe deſiderat. Quapropter paſtorali cura hoc laboris onus tibi imponimus, imo ex parte beati Petri imperamus, ut poſtpoſita omni torporis deſidia illum adeas, eumque hujus noſtri præcepti auctoritate fultus, ſi nobis parere, ſicut pollicitus eſt, voluerit, & pœnitentiam (ut oportet Chriſtianum) egerit, ab omni peccatorum ſuorum vinculo tam illum, quam etiam ſuos milites, qui cum eo contra paganos (ita tamen ut agant pœnitentiam) pugnaturi ſunt, peccatis maxime abſolvas. Addimus præterea, ut eam pia admonitione admoneas, quatenus ſe capitalibus criminibus cuſtodiat, & Chriſtiani nominis culturam inter paganos amplificare ſtudeat, ut de eiſdem hoſtibus victoriam conſequi mereatur. Amplius ſi de Roberto duce fratre ſuo aliquid tibi retulerit, reſpondeas ei, quoniam Romanæ eccleſiæ janua miſericordiæ omnibus patet, quicumque pœnitentiæ amore ducti offenſionis ſcandala deſerunt, & ad rectitudinis viam inoffenſo pede regredi concupiſcunt. Si igitur dux Robertus ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſicut filius parere exoptat, paratus ſum paterno amore eum ſuſcipere, & ſuo conſilio ei juſtitiam conſervare, & ab excommunicationis vinculo penitus abſolvere, & inter divinas oves eum annumerare. Quod ſi renuerit idem Robertus dux, ut cum eo ultra communicet ex parte apoſtolicæ ſedis licentiam non poterit impetrare. Hoc etiam tuæ fraternitati injungimus, ut confratri noſtro Balduino Melphitano epiſcopo, qui correctionem univerſalis matris humiliter & audivit & obſervavit, ſicut a fratribus noſtris accepimus, officium epiſcopale hujus noſtri præcepti fultus auctoritate, ex parte beati Petri, poſt pœnitentiam datam de aliquibus exceſſibus, reddas: & ſicut ego pro illo preces confratris noſtri Stephani Trojani audivi epiſcopi, ita ipſe illum de ſua ſalute noſtri ex parte monitus audi-

Romanæ eccleſiæ janua miſericordiæ omnibus patet.

re procuret, ſuamque vitam ſemper in melius, Deo adjuvante, perducat. Data Romæ ſecundo Idus Martii indictione decimaquarta. ANNO CHRISTI 1076.

XII. AD UDONEM, THEODORICUM & Herimannum epiſcopos.

Monet ut a ſchiſmaticis caveant, & quod eorum ſuaſione deliquerunt corrigant: utque epiſcopum Tullenſem, qui contra ſedem apoſtolicam inſurrexerat, moneant ut pontifici obediat: quod ſi parere noluerit, excommunicatum illum denuntient.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratribus & coepiſcopis Udoni Trevirenſi, Theodorico Virdunenſi, & Herimanno Metenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LItteras apoſtolicæ ſedis ideo vobis dirigendas eſſe cenſuimus, quia ſchiſmaticis, qui contra dominum & auctoritatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſe erexerunt, non ſponte vos conſenſiſſe intelleximus. Qua in re qualiter reſipiſcere vos oporteat, cum eamdem, quam nos habemus fidem, & de ſanctorum patrum libris ſcientiam habeatis, omiſimus ſignificare, ſperantes fraternitatem veſtram ſtultiſſimam inimicorum noſtrorum præſumptionem deteſtari, & in ea qua debetis, & ſoliti eſtis devotione & amore ſanctæ apoſtolicæ ſedi fideliter uniri. Unde rogamus & admonemus, ut quod ſchiſmaticorum perſuaſione deliquiſtis competenti emendatione corrigatis, ut ſicut mater veſtra de exceſſu veſtro condoluit, ita de ſatisfactione lætetur. Volumus etiam ut vice noſtra Pipponem Tullenſem epiſcopum admoneatis, quatenus ea quæ ſibi injunximus deinceps facere non omittat. Decuerat enim ut de objectis ſibi debuiſſet reſpondere magis, quam contra auctoritatem principis apoſtolorum ad defenſionem iniquitatum ſuarum arma corripere, atque regem ſolicitare id contra nos præſumere, quod nunquam licuit, neque, Deo annuente, licebit in aliquem clericorum fieri. Qui ſi verba exhortationis noſtræ contempſerit, auctoritate beati Petri eum a communione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeparatum eſſe ſibimet notificetis; & non ſolum in anima, ſed in corpore ipſius principis apoſtolorum, ultione digna fore puniendum. (*a*)

XIII. AD ROSELLANOS.

Exponit ſententiam latam in cauſa quæ vertebatur inter eccleſiam Roſellanam & Populonienſem.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Roſellanæ eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia officii noſtri eſt diſcordes ad concordiam revocare, diſcordiam inter Roſellanam, & Populonienſem eccleſiam graviter exortam diligenti examinatione diſcuſſimus. Tandem poſt varias utrinque prolatas rationes claruit non ſolum per privilegia apoſtolicæ ſedis, verum etiam per quoddam diffinitionis ſcriptum, prætentia Silveſtri papæ, & clericorum Romanorum judicio confirmatum, quidquid in quæſtione fuerat Roſellanæ eccleſiæ pertinere. Unde collaudatione tam epiſcoporum, quam etiam Romanæ eccleſiæ clericorum, præfatam litem eo tenore decidimus, ut inveſtitura Roſellano epiſcopo deinceps conceſſa, ſi ante proximum dominicæ aſcenſionis feſtum aliquam ſcriptionem Populonienſis epiſcopus oſtenderit, quæ oſtenſa nobis papæ Silveſtri juſte improbare videatur, Populonienſis epiſcopus ad reclamandum & renitendum licenter admittatur. Sin autem ab eadem feſtivitate hujuſmodi controverſia perpetuum ſilentium habeat, & Roſellana eccleſia apoſtolicæ ſedis iterata diffinitione fulta, in perpetuum ab hac quæſtione quieſcat, & inſuper deinceps * privilegium diffinitionem noſtram latius continens munitum, prædia, quorum lis tantis temporibus ventilata eſt, ſine aliqua moleſtatione poſſideat. ANNO CHRISTI 1076. * Forte *privilegium munita*. H

XIV. AD DOMINICUM PATRIARCHAM Gradenſem.

Gratias agit de ejus obſervantia erga Romanam eccleſiam. Oſtendit ideo Teutonicos & Longobardos epiſcopos contra ſe inſurgere, quia eorum criminibus obviam iret. De Giraldo Sipontino epiſcopo reſpondere in aliud tempus differt.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dominico patriarchæ Gradenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia matrem tuam ſanctam Romanam eccleſiam (ſicut in tuis literis continetur) te puro corde venerari, noſque pro amore apoſtolorum principis ſincera caritate diligere profiteris, fraternitati tuæ grates referimus, & rependendo vicem ejuſdem dilectionis tam eccleſiæ tuæ, quam tibi ſalvo libramine æquitatis honori veſtro providere ſemper parati ſumus. Quoniam vero mirari ac nimium te dolere dixiſti, quod Longobardi, atque nonnulli Teutonicorum epiſcopi in nos inſaniendo tam vehementi odio inardeſcunt, nullius culpæ noſtræ conſcientia inde redarguit. Sed ſcimus ob nil aliud eos illo conamine niti, niſi quod ex præcepto Dei, atque ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum illorum perverſitatibus obviamus, eoſque ad rectum tramitem juſtitiæ reducere, ſi poſſibile eſſet, ex debito ſolicitudinis divina diſpenſatione nobis ſuperimpoſitæ procuramus. De literis autem a fraternitate tua nobis directis, nullo ſtudio comperire potuimus, quod hinc illuc fuerint reportatæ. Super quæſtione quoque conſfraternitas tua de Giraldo Spontino epiſcopo nobis ſuggeſſit, ad præſens pro abſentia epiſcopi vobis reſpondere non poſſumus. Cum autem venerit, Deo concedente, cauſa diligenter exquiſita, * juſtitiæ providebimus. Principis vero vani negotium nulla ratione videre poſſumus, ut ad præſens illum quem poſtulat conſequi poſſit vel debeat habere effectum. Data Romæ indictione decimaquarta. * Forte, *juſta*. H.

XV.

(*a*) *In cod. Mutin.* poſt puniendum *hæc addunt*. Verum id agite; id ſi Deum diligitis procurate; ni frater ille, dum poteſt, dum locum habet ſibi & Eccleſiæ conſulat, pari veſtræ & ſaluti tantæ multitudinis hominum pene periclitantium providere ne in ſuamet præcipitatione caſſum petens multos ſecum ad commune periculum attrahat, in quo nunc apparebit, quis ſit paſtor in nobis iniquitati aperte reſiſtens; quis ſit fur ſimulationem faciens, quis latro manifeſtæ juſtitiæ contradicens. Conſiderate ergo quomodo caute ambuletis, quia ſicut durum eſt contra ſtimulum calcitrare, ſic aſperum eſt S. R. Eccleſiæ contraire cui nos tanquam matri ſemper oportet obedire.

ANNO CHRISTI 1076.

XV. AD WIFREDUM MEDIOLANENSEM Militem.

Inſinuat Normannos cupidos eſſe componendæ pacis, ſeque ſperare eos ad fidelitatem ſancti Petri reverſuros: cum Henrico quoque rege ſe pacem habiturum, ſi mores mutaverit. Hortatur ut in eccleſiæ defenſione perſeveret, & alios idem facere moneat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wifredo * Mediolanenſium epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Mediolanenſi militi

QUia ſolicitum te de honore Chriſtianæ fidei literis tuis ſignificaſti, æquum duximus prudentiæ tuæ reſcribere. Scias igitur Normannos verba componendæ pacis nobiſcum habere: quam liocntiſſime jam feciſſent, & beato Petro, quem ſolummodo dominum & imperatorem poſt dominum habere deſiderant, humiliter ſatisfeciſſent, ſi voluntati eorum in quibuſdam annueremus. Sed, Deo auxiliante, hoc non cum detrimento, ſed cum augmento Romanæ eccleſiæ in proximo ſperamus facere, & eos ad fidelitatem beati Petri firmiter & ſtabiliter revocare. Cum rege quoque Alemaniæ de componenda pace multis jam vicibus quidam aures noſtras interpellaverunt; quibus nos reſpondimus, cum eo nos pacem velle habere, ſi ipſe cum Deo pacem ſtuduerit habere, & ea quæ ad periculum ſanctæ eccleſiæ, & ad cumulum perditionis ſuæ commiſit, juxta quod ſæpe a nobis admonitus eſt, emendaverit. Sed quia in potentia divinæ virtutis, magis quam in homine fidem, ſpem, & omnes cogitatus noſtros, collocavimus, volumus, ut tu etiam, quem ad confortandos Chriſti milites animum & fortitudinem reſumpſiſſe intelligimus, firmiter in Deo confidas: & expecta ejus auxilium & conſolationem tibi & omnibus juſtitiam & legem Dei diligentibus adfuturam, & diaboli membra non niſi quantum Deus permiſerit innocentiæ noſtræ nocitura. Ecce diabolus palam in mundo dominatur, ecce omnia membra ſua ſe exaltaſſe lætatur, ſed qui dixit: *Joan. 16.* *Confidite quia ego vici mundum*, det vobis certiſſimam fidem feſtinanter ſe eccleſiæ ſuæ ſuccurrere, & diabolum & membra ejus omnino confundere. Antiquas enim & noſtri temporis conſiderantes permutationes probabiliter, invenimus dominium diaboli tanto minus duraviſſe, quanto magis viſum fuit exaltari, & in Chriſtianam religionem prævaluiſſe. *Epheſ. 6.* Tu itaque, cariſſime fili, confortare in domino, & in potentia virtutis ejus, & eos conforta quos in Chriſtiana fide cognoveris permanere: eos autem qui fidem Chriſtianam operibus negavere ut reſipiſcant admone, ut erubeſcant in ſervitute diaboli vivere. Quæ autem hic minus ſcribimus, cum locuti fuerimus cum fidelibus ſancti Petri, plenius indicabimus, vobiſque adjutorium, Deo favente, dare curabimus. Omnipotens Deus meritis ſuminæ dominæ & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli atque beati Ambroſii precibus mentes veſtras illuminet, & in lege ſua vos ſemper ſtabiliat, ut mereamini cum his annumerari qui diabolum cum ſuis membris judicabunt, & cum Chriſto ſemper regnabunt. Data Romæ indictione decimaquarta.

ANNO CHRISTI 1076.

XVI. AD RICHERIUM ARCHIEPISCOPUM Senonenſem.

Queritur de injuriis ab Aurelianenſi epiſcopo eccleſiæ ſuæ illatis, de illius inobedientia & ſimonia. Vult eum moneat ut ſuæ eccleſiæ ſatisfaciat, &, niſi paruerit, excommunicetur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Richerio Senonenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRaternitatem tuam intellexiſſe credimus, quantum injuriæ Aurelianenſis eccleſiæ negligentia epiſcopi fui, imo agente ipſo, fuſtinuerit, & quam injuſte patientia apoſtolicæ ſedis abuſus fuerit: quæ iniquitates ſuas auribus noſtris delatas non ſolum diſcutere diſtulit, verum etiam regis Francorum eum ejicere cupientis accuſationibus nullum aſſenſum præbuit, imo quidquid in periculum ſuum fieri excogitaverat, ſtudio vigiantiſſimæ ſoliciſudinis impedivit. Non enim videbantur hujus accuſationis verba, etiamſi vera eſſent, ſuſcipienda, neque in eum aliquid, niſi legali diſcuſſione & judicio, promulgandum. Sed ipſe hujus manſuetudinis & tantæ caritatis oblitus, fructum inobedientiæ matris ſuæ Romanæ eccleſiæ dicitur reddidiſſe, privilegium venerandæ memoriæ anteceſſoris noſtri papæ Alexandri confringendo, & excommunicato a nobis Eurardo impudenter communicando, & non ſolum ipſam decaniam, ſed fere omnia eccleſiæ miniſteria ſimoniace vendendo, a Deo ſuſpenſam, ut olim apoſtolicæ ſedis ſententiam operum ſuorum nequitia merito videatur in ſe provocaſſe. Unde volumus religionem tuam præfatum epiſcopum commonere, quatenus Deo & eccleſiæ ſuæ ſatisfaciat, & ita emendare ſtudeat, ut & querela clericorum omnino ſopiatur, & infamia ſua ad aures apoſtolicæ ſedis ulterius ſuper his exceſſibus non referatur. Quod ſi forte literis noſtris, quæ per te ſibi mittuntur, & commonitioni tuæ inobediens extiterit, auctoritatem beati Petri principis apoſtolorum, uſque ad dignam ſatisfactionem a communione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti eum ſepares: quatenus quantum factis ſuis dominum offenderit vel in hoc recognoſcat. Data * Romæ menſe Aprili, ind. XIV.

* alibi Romæ.

XVII. AD RAINERIUM EPISCOPUM Aurelianenſem.

Arguit eum temeritatis, præcipitque ut canonicos & Joſchelinum præpoſituram, Benedictum vero canoniam poſſidere ſinat, & pauperum canoniam reſtituat, donec Romam de ſuis criminibus rationem redditurus veniat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rainerio Aurelianenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi obedierit.

GRaviter & uſque ad ulciſcendam tuæ temeritatis audaciam contra te merito commoveremur, niſi apoſtolica manſuetudine detineremur. Ipſe enim meminiſſe debes & potes, qualiter venerandæ memoriæ prædeceſſor noſter Alexander papa * decaniam ſanctæ crucis, viſo donationis tuæ ex eadem præpoſitura decreto, illud canonicis tuis deferentibus, eis per munimina apoſtolicæ foborationis juxta morem tuæ donationis confirmaverit, & ſubſcripto anathemate apoſtolicæ auctori-

* de Decania

ANNO CHRISTI 1076.

ſanctitatis, tam te, quam omnes homines, a violentia jam dictæ præpoſituræ per privilegium ſuæ confirmationis compeſcuerit. Cujus anathema excommunicato * Lurardo communicando, quodque etiam durius eſt, (ſicut dicitur) ab eo pretium accipiendo, temerario auſu incurrere non timuiſti, & totam eccleſiam perturbare nefario faſtu ſuperbiæ ductus pro nihilo habuiſti. Unde præſumptionem tuam juſte quidem coercere apoſtolicæ animadverſionis vindicta deberemus, ſed ſpe futuræ emendationis adhuc exceſſus tuos ſuſtinemus. Apoſtolica itaque tibi auctoritate præcipimus, quatenus a tanta temeritate jam animum revoces, & prædictam præpoſituram canonicis, & * Joſchelino qui eam ab eis habet, in tuta pacis tranquillitate poſſidere permittens, nullam deinceps illis moleſtiam inferas. Volumus enim eos ſic cuncta quæ illis præpoſituræ ſunt in integrum poſſidere cum omni pacis quiete, ut privilegium beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Alexandri papæ, nec in minima qualibet parte videatur infringi. Quin etiam præcipimus, ut abhinc uſque ad feſtivitatem omnium ſanctorum, tam de his, quam de multis aliis quæ tibi objiciuntur, rationem redditurus te noſtro conſpectui repræſentes, & interim hæc omnia quæ ſuperius memorantur canonici, & Joſchelinus, * quæ ab eis præpoſituram tenet, in pace poſſideant, abbatiamque ſuam idem Joſchelinus cum omnibus ſuis aliis rebus mobilibus & immobilibus ſimiliter teneat, & in pace nullam controverſiam a te aliquo modo ſubmiſſam patiendo poſſideat. Benedictus quoque canoniam ſuam ſub eadem pacis tranquillitate interim habeat. Præcipimus etiam ut canoniam conceſſam alimoniæ pauperum, quam ab eo uſu ſubtractam diceris vendidiſſe, ad eumdem uſum reſtituas. Siquidem his noſtris præceptis ac monitis obedienter obtemperaveris, & quæ in illis continentur cuncta patienter impleveris, lætabimur propter pacem eccleſiæ, alioquin ſcias te ab omni epiſcopali officio eſſe ſuſpenſum, & a communione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeparatum. Data Romæ menſe Aprili, indictione decimaquarta.

* Lurardo

* Joſchelino qui eam

* Forte, qui. M. lin. & in Mſcto.

XVIII. AD SIMEONEM EPISCOPUM In Hiſpania.

Commendat ejus erga Romanam eccleſiam obſervantiam. Hortatur ut apoſtolicæ ſedis decreta firmiter amplectatur, & Romanum ordinem obſervari curet. Reſpondet ei ſe velle apoſtolicæ ſedis decreta de celebrandis eccleſiæ officiis ab illis cuſtodiri: ideo monet ut ea in Hiſpania & Gallicia ſervari curet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Simeoni Hiſpaniarum epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

COmnitis fraternitatis tuæ literis, gaudio ſumus repleti, quoniam eam etiam erga Romanam eccleſiam fidem & devotionem geris in eis plene agnovimus, & quod non adulterino eam more deſerere, ſed legitimæ prolis ſucceſſione amplecti deſideras. Quapropter, carriſſime frater, neceſſe eſt, ut bene inceptum recto itinere gradiatur: nec hæretica debet pravitate minui, quod apoſtolica conſtat traditione ſancitum. Apoſtolica enim ſedes, cui quamvis immeriti Deo auctore præſidemus, ipſo gubernante firma permanſit ab ipſis primordiis; eoque fluente illibata perpetuo permanebit, teſtante eodem domino: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* His itaque fulta præſidiis Romana te cupit ſcire eccleſia, quod filios, quos Chriſto nutrit, non diverſis uberibus, nec diverſo cupit alere lacte, ut ſecundum apoſtolum ſint unum, & non ſint in eis ſchiſmata: alioquin non mater, ſed ſciſſio vocaretur. Quapropter notum ſit tibi cunctiſque Chriſti fidelibus ſuper quibus conſuluiſti, quod decreta, quæ a nobis, imo a Romana conſtat eccleſia prolata ſive confirmata, in peragendis a vobis ejuſdem eccleſiæ officiis inconcuſſa volumus permanere, nec eis acquieſcere, qui lupotum morſibus & veneficiorum molimine vos inficere deſiderant. Nec dubitamus quod, ſecundum apoſtolum, introeant in vos lupi graves, lupi rapaces, non parcentes, quibus reſiſtendum fortiter eſt in fide. Ideoque, dilectiſſime frater, certa, & uſque ad ſanguinis effuſionem, ſi opportunum fuerit, defuda. Indignum enim & pro ridiculo poteſt haberi, quod ſæculares homines, pro tam vili pretio, tamque Deo odibili commercio, ſeipſos periculo ultroneos exhibeant, & fidelis quiſque irruentibus cedat hoſtibus terga. Non enim ab eis poterit acquiri virtus qui facile corruunt quo trahuntur. Quod autem filii mortis dicunt ſe a nobis literas accepiſſe, ſciatis per omnia falſum eſſe. Procura ergo, ut Romanus ordo per totam Hiſpaniam & Galliciam, & ubicumque poteris, in omnibus rectius teneatur. Data Romæ menſe Maii, indictione decimaquarta.

Luc. 22.

Alter. 20.

XIX. AD CYRIACUM CARTHAGINENSEM Archiepiſcopum.

Cum in Africa duo tantummodo reperirentur epiſcopi, vult ut alium eligant, & ad ſe conſecrandum mittant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Cyriaco Carthaginenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad aures noſtras, quod Africa, quæ pars mundi eſſe dicitur, quæque etiam antiquitus, vigente ibi Chriſtianitate, maximo epiſcoporum numero regebatur, ad tantum periculum devenerit, ut in ordinando epiſcopo tres non habeat epiſcopos. Qua in re maximum Chriſtianæ religionis periculum conſiderantes, & in maximo agro paucis operariis defudantibus, corde tenus compatientes, conſuluimus vobis, videlicet tibi & illi qui nuper manum impoſuimus, ut aliquam perſonam ſecundum conſtitutionem ſanctorum patrum eligatis, nobiſque eam literis veſtris fultam mittatis, quatenus ipſo Deo cooperante, a nobis ordinato vobiſque remiſſo, neceſſitati eccleſiarum, ut ſancti canones præcipiunt, epiſcoporum ordinationibus ſuccurrere valeatis: & ut Chriſtiana gens quotidie gaudeat, atque proficiat paſtorali regimine, & labor, qui ſupra vires vos opprimit, levior ſit ex ſociorum neceſſaria adminiſtratione. Data Romæ menſe Junii, indictione decimaquarta.

ANNO CHRISTI 1076.

XX. AD HIPPONENSES.

Hortatur ad obedientiam archiepiſcopi, & ad mutuam caritatem ſervandam.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Hipponenſi in Mauritania Sitiphenſi, id eſt in Africa, conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SErvandum archiepiſcopum, quem a vobis electum ad nos conſecrandum miſiſtis, juxta petitionem veſtram ſecundum legem noſtram, divina favente clementia conſecravimus, atque conſecratum, noſtriſque legalibus moribus, inquantum B poſſibilitas ſpatiumque temporis indulſit, diligenter inſtructum, ad vos remiſimus. Quem cum omni devotione mutuæ caritatis omnique reverentia Chriſtianæ religionis rogamus ac paterna caritate vos monemus ſuſcipere, & omnem obedientiam divinæ legis vos hortamur ſibi humillter exhibere: quatenus populi * Saracenorum qui circa vos ſunt videntes ſinceritatem fidei veſtræ, puritatem quoque mutuæ inter vos divinæ caritatis ac fraternæ dilectionis potius ad æmulationem, quam ad contemptum Chriſtianæ fidei, ex veſtris operibus provocentur: oportet enim vos conſiderantes glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Agite igitur, dilectiſſimi filii, ſecundum præceptum Domini noſtri Jeſu Chriſti dicentis ad diſcipulos ſuos: C

omnes populi

Joan. 15. 1. Joan. 4.

Diligite vos invicem, ſicut ego dilexi vos. Majorem caritatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Apoſtolus quoque Paulus magiſter

1. Tim. 2.

& doctor gentium dicit: *Si Dominus noſter Jeſus Chriſtus poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis, ac dedit ſanguinem ſuum redemptionem pro multis, debemus & nos pro fratribus animam ponere.* Sic itaque vos ſedulos erga cultum Chriſtianæ religionis exhibete, dilectiſſimi atque amantiſſimi fratres, quatenus poſt hujus vitæ elagus ad portum perpetuæ quietis atque æternæ beatitudinis feliciter pervenire poſſitis, largiente ipſo redemptore Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus * per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

* infinita

XXI. AD ANZIR REGEM MAURITANIÆ.

Scribit ſe Servandum epiſcopum juxta ejus petitionem conſecraſſe. Gratias agit de muneribus miſſis, & de captivis Chriſtianis dimiſſis. Commendat quoſdam ab Alberico & Cincio Romanis ad eum miſſos.

Anzir

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Anzir regi Mauritaniæ Sitiphenſis provinciæ in Africa, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

NObilitas tua hoc in anno literas ſuas nobis E miſit quatenus Servandum presbyterum epiſcopum, ſecundum Chriſtianam conſtitutionem ordinaremus: quod, quia petitio tua juſta & optima videbatur facere ſtuduimus. Miſſis etiam ad nos muneribus Chriſtianos, qui apud vos captivi tenebantur, reverentia beati Petri principis apoſtolorum, & amore noſtro dimiſiſti, alios quoque captivos te dimiſſurum promiſiſti. Hanc denique bonitatem creator omnium Deus, ſine quo nihil boni facere, imo nec cogitare poſſumus, cordi tuo inſpiravit: ipſe qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum in hac intentione mentem tuam illuminavit. Nam omnipotens Deus, qui omnes homines vult ſalvos facere, & neminem perire, nihil eſt quod in nobis magis approbet, quam ut homo poſt dilectionem ſuam hominem diligat, & quod ſibi non vult fieri, alii non faciat. Hanc itaque caritatem nos & vos ſpecialibus nobis quam ceteris gentibus debemus, qui unum Deum, licet diverſo modo, credimus & confitemur, qui eum creatorem ſæculorum, & gubernatorem hujus mundi quotidie laudamus & veneramur. Nam ſicut apoſtolus dicit: *Ipſe eſt pax noſtra qui fecit utraque unum.* Sed hanc tibi gratiam a Deo conceſſam plures nobilium Romanorum per nos cognoſcentes, bonitatem & virtutes tuas omnino admirantur & prædicant. Inter quos duo familiares noſtri Albericus & Cincius, & ab ipſa pene adoleſcentia in Romano palatio nobiſcum enutriti, multum deſiderantes in amicitiam & amorem tuum devenire, & de his quæ in patribus noſtris placuerit tibi libenter ſervire, mittunt ad te homines ſuos, ut per eos intelligas quantum te prudentem & nobilem habeant, & quantum tibi libenter ſervire velint & valeant. Quos magnificentiæ tuæ commendantes rogamus, ut eam caritatem, quam tibi tuiſque omnibus ſemper impendere deſideramus, eis pro amore noſtro & recompenſatione fidelitatis prædictorum virorum impendere ſtudeas. Scit enim Deus, quia pure ad honorem Dei te diligimus, & ſalutem & honorem tuum in præſenti & in futura vita deſideramus. Atque ut ipſe Deus in ſinum beatitudinis ſanctiſſimi patriarchæ Abrahæ poſt longa hujus vitæ ſpatia te perducat corde & ore rogamus.

ANNO CHRISTI 1076.

1. Tim. 2.

Matth. 7.

Ephes. 2.

LIBER QUARTUS REGISTRI

GREGORII PAPÆ VII.

Anno dominicæ incarnationis milleſimo ſeptuageſimo-ſexto, indictione decimaquarta *

* Attamen omnes fere ad xv. pertinent.

I. AD UNIVERSOS CHRISTIANOS.

Queritur de Henrici regis perfidia, & malis quæ D eccleſia ab eo patiebatur. Monet ut eum ad veram pœnitentiam provocent: quod ſi audire noluerit, viriliter illi reſiſtant. Eos vero qui regi adhæſerant, ſi reſipiſcere voluerint, ad eccleſiæ gremium admittant. Illos autem qui a communione regis ſe non ſubtraxerint, vitandos eſſe demonſtrat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus in Chriſto fratribus, epiſcopis videlicet, abbatibus atque ſacerdotibus, ducibus etiam, principibus atque militibus, omnibuſque Chriſtianam fidem & beati Petri honorem revera diligentibus, in Romano imperio habitantibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem

GRatias agimus omnipotenti Deo, qui propter nimiam caritatem ſuam qua dilexit nos proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: qui ultra meritum, ultra ſpem etiam bonorum * hominum eccleſiam ſuam protegit, gubernat & defendit. Scitis enim, fratres cariſſimi, quia hoc periculoſo tempore, quando antichriſtus in ſuis membris jam operatur, ubique vix aliquis ſolet inveniri, qui revera & Deum & honorem ejus diligat, ejus præcepta ſeculari commodo & gratiæ terrenorum principum præponat. Sed ille qui non repellit plebem ſuam, & quotidie

* fere omnium

ANNO CHRISTI 1076.

die peccatores a ſiniſtra in dexteram commutat, vos propitio ac ſereno vultu reſpexit, & contra ſuos inimicos ad ſalutem multarum gentium erexit, ut magis vobis libeat in periculo tranſitoriæ vitæ conſiſtere, quam æterni regis gloriam & honorem humanæ gratiæ poſtponere. Hæc itaque facientes, non aure ſurda apoſtolorum principem dicentem * tranſitis · *Genus electum, regale ſacerdotium, obedire magis oportet Deo quam hominibus.* Nam veſtra fraternitas minime ignorat, quanto tempore ſancta eccleſia inauditas pravitates & diverſas iniquitates regis, & utinam Chriſtiani, & veſtri ſuſtinuit, & quantæ ruinæ quantæque calamitati, ipſo antiquo hoſte auctore præcedente, patuit. Cui nos fraterna dilectione & amore patris & matris ejus ducti, adhuc in diaconatu poſiti admonitionis verba tranſmiſimus: & poſtquam ad officium ſacerdotii licet indigni, venimus, ut reſpiceret ſummopere, & frequenter per viros religioſos procuravimus. Ipſe vero quid contra egerit, & quomodo malum pro bono reddiderit, vel qualiter calcaneum ſuum contra beatum Petrum erigendo, ſanctam eccleſiam, quam ſibi omnipotens Deus commiſit, ſcindere procuraverit, veſtra novit caritas, & per omnia mundi jam perſonuit climata. Sed quia noſtri eſt officii homines, non vitia diligere, & pravis, ut reſipiſcant reſiſtere, & impietates, non homines abhorrere; auctoritate B. Petri apoſtolorum principis monemus vos, & ut cariſſimos fratres rogamus, amodo ſtudete illum de manu diaboli eruere, & ad veram pœnitentiam provocare, ut eum poſſimus, Deo favente, ad ſinum communis matris noſtræ, quam conatus eſt ſcindere, fraterna ducti caritate revocare: ita tamen, ut nulla poſſit fraude recidiva clade Chriſtianam religionem confundere, & ſanctam eccleſiam pedibus ſuis conculcare. Quod ſi vos non audierit, & diabolum potius quam Chriſtum ſequi elegerit, & eorum qui pro ſimoniaca hæreſi jam per longa tempora excommunicati ſunt conſilium vobis prætulerit, divina inſpirante potentia, ſimul inveniamus, ſimulque ſtatuamus, ut dominum homini præponentes, univerſali eccleſiæ jamjam pene labenti ſuccurramus viriliter. Quicumque ex his reſipuerit qui prædictum regem non erubuerunt omnipotenti Deo præponere, & Chriſtianam legem, ſi non verbis, operibus tamen negare, ſicut dicit apoſtolus: *Ore quidem fatentur Deum, factis autem negant*: vos fratres mei & contacerdotes illos auctoritate B. Petri ſuſcipite, & ad gremium matris noſtræ ſanctæ eccleſiæ reducite, ut mereamini gaudium in cælo angelis Dei innovare. In omnibus tamen, ſicut decet cariſſimos filios, honorem pii patris veſtri apoſtolorum principis præ oculis habete. Quicumque autem epiſcoporum vel laicorum timore vel gratia humana ſeducti a communione regis ſe non ſubtraxerunt, ſed ei favente animam ſuam & illius diabolo tradere non timuerunt, ſi non reſipuerint, & condignam pœnitentiam egerint, nullam cum eis communionem vel amicitiam habeatis. Iſti enim ſunt qui animam ſuam & regis odio habent & occidunt, & regnum, patriam, Chriſtianamque religionem confundere non erubeſcunt. Sicut enim nobis imminet quod per prophetam dicitur. *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, animam ejus de manu tua requiram, & maledictus qui prohibet gladium ſuum a ſanguine*, id eſt verbum correctionis a prave viventium increpatione; ita illis imminet, ſi non obedierint, ira divini judicii & ultio, teſtante Samuele, * idolatriæ ſcelus. Teſtis nobis eſt Deus, quia nulla nos commoda ſæculariſve reſpectus contra pravos principes & impios ſacerdotes impellit, ſed conſideratio noſtri officii, & poteſtas qua quotidie anguſtamur, apoſtolicæ ſedis. Melius eſt enim nobis debitam mortem carnis per tyrannos, ſi oportuerit, ſubire, quam noſtro ſilentio, timore vel commodo Chriſtianæ legis deſtructioni conſentire. Sanctos quidem patres noſtros dixiſſe ſcimus: Qui pravis hominibus ſui conſideratione officii non contradicit, conſentit, & qui reſecanda non auſert, committit. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis dominæ noſtræ cæleſtis reginæ ac beatorum apoſtolorum Petri & Pauli interceſſione corda veſtra confirmet & cuſtodiat, & Spiritus ſui gratiam ſuperinfundat, ut quæ ſunt ei placita facientes mereamini ſponſam ejus, matrem videlicet noſtram, de faucibus luporum eripere, atque ad ſupernam illius gloriam ab omnibus peccatis abſoluti pervenire. Data Laurenti octavo Kalendas Auguſti, indictione decimaquarta.

ANNO CHRISTI 1076.

* *f.* audito a Petr.

Tit. 1.

Ezech. 3, Jerem. 48

* Idolatriæ ſcelus

II. AD HERIMANNUM EPISCOPUM Metenſem

Oſtendit quicumque Henrico regi communicaverint, ſive epiſcopi ſive laici ſint, excommunicatos eſſe; errare autem eos qui aſſerunt reges excommunicari non poſſe auctoritate & exemplis ſanctorum pontificum: imo pontifices regibus longe præſtare demonſtrat. Aſſerit epiſcopis licentiam ſe impartiſſe eos abſolvendi qui regi communicaverant: regem autem, niſi ſibi prius de ejus pœnitentia conſtiterit, ſe non abſoluturum. Moneri præterea vult epiſcopum Tullenſem ab archiepiſcopo Treverenſi, ne in negotiis cujuſdam monaſterii ſe interponat. Quædam præterea de Mathilde & Gotifredo ſubjungit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Herimanno Metenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MUlta interrogando a me valde occupato requiris, & nuntium qui me nimis impellat ad ſui licentiam tranſmittis. Quocirca ſi non tatis reſpondeo, patienter feras rogo. Qualiter itaque in corpore meo me habeam, vel qualiter Romani ſeu Normanni circa me ſuos mores oſtendant, horum portitor tibi dicat. De aliis autem rebus, ſuper quibus me interrogaſti, utinam beatus Petrus per me reſpondeat, qui ſæpe in me qualicumque ſuo famulo honoratur vel injuriam patitur. Epiſcopi namque qui ſint excommunicati, ſacerdotes, vel laici, non eſt opus ut a me quæratis, quia indubitanter illi ſunt qui excommunicato regi Henrico (ſi ſibi eſt dici rex) communicare cognoſcuntur. Non enim verentur humanam gratiam vel timorem regis æterni præcepto præponere, neque timent ſuo favore ad iram Dei omnipotentis eumdem regem impellere. Ille quidem ſuis communicando ſfamiliaribus excommunicatis pro ſimoniaca hæreſi excommunicationem incurrere non timuit & ut alii ſecum communicando excommunicentur attrahere non erubeſcit. De talibus quid reſtat ut ſentiamus, niſi quod in pſalmis didicimus: *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus?* Et iterum. *Omnes ſimul inutiles facti ſunt in voluntatibus ſuis?* Eis autem, qui dicunt: Regem non oportet excommunicari; licet pro magna fatuitate nec etiam eis reſpondere debeamus tamen ne impatienter illorum inſipientiam prætierire videamur, ad ſanctorum patrum

Pſal. 13. Pſal. 52.

trum dicta vel facta illos mittimus, ut eos ad ſanam doctrinam revocemus. Legant itaque quid beatus Petrus in ordinatione ſancti Clementis populo Chriſtiano præcepit de eo quem ſcirent non habere gratiam pontificis. Addiſcant cur apoſtolus dicat: *Habentes in promptu ultiſci omnem inobedientiam*. Et de quibus dicit: *Cum hujuſmodi nec cibum ſumere*. Conſiderent cur Zacharias papa regem Francorum depoſuerit, & omnes Francigenas a vinculo juramenti quod ſibi fecerant abſolverit. In regiſtro beati Gregorii addiſcant quia in privilegiis, quæ quibuſdam eccleſiis fecit, reges & duces contra ſua dicta venientes, non ſolum excommunicavit, ſed etiam ut dignitate careant judicavit. Nec prætermittant quod beatus Ambroſius non ſolum regem, ſed etiam revera imperatorem Theodoſium moribus & poteſtate non tantum excommunicavit, ſed etiam ne præſumere in loco ſacerdotum in eccleſia manere interdixit. Sed forte hoc volunt prædicti viri intelligere, quod quando Deus eccleſiam ſuam ter beato Petro commiſit dicens: *Paſce oves meas*, reges exceperit. Cur non attendunt, vel potius erubeſcendo confitentur, quia ubi Deus beato Petro principaliter dedit poteſtatem ligandi & ſolvendi in cælo & in terra, nullum excepit, nihil ab ejus poteſtate ſubtraxit? Nam qui ſe negat non poſſe eccleſiæ vinculo alligari, reſtat ut neget non poſſe ab ejus poteſtate abſolvi. Et qui hoc impudenter negat, ſe a Chriſto omnino ſequeſtrat. Quod ſi ſancta ſedes apoſtolica divinitus ſibi collata principali poteſtate ſpiritualia decernens dijudicat, cur non & ſæcularia? Reges quidem & principes hujus ſæculi, qui honorem ſuum & lucra temporalia juſtitiæ Dei præponunt, ejuſque honorem negligendo proprium quærunt, cujus ſint membra, cuive adhæreant, veſtra non ignorat caritas. Nam ſicut illi qui omni ſuæ voluntati Deum præponunt, ejuſque præcepto pluſquam hominibus obediunt, membra ſunt Chriſti; ita & illi de quibus ſupra diximus, membra ſunt antichriſti. Si ergo ſpirituales viri cum oportet judicantur, cur non ſæculares amplius de ſuis pravis actibus conſtringunt? Sed forte putant quod regia dignitas epiſcopalem præcellat. Ex eorum principiis colligere poſſunt, quantum a ſe utraque differunt. Illam quidem ſuperbia humana reperit, hanc divina pietas inſtituit: illa vanam gloriam inceſſanter captat, hæc ad cæleſtem vitam ſemper aſpirat. Et addiſcant quid beatus Anaſtaſius papa Anaſtaſio imperatori de his dignitatibus ſcripſerit, & quid beatus Ambroſius in ſuo paſtorali inter has dignitates decreverit. Honor, inquiens, & ſublimitas epiſcopalis, ſi regnum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Hæc non ignorans Conſtantinus Magnus imperator, non, primum ſeſſionis, ſed ultimum inter epiſcopos elegit locum. Scivit enim quia *ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus dat gratiam*. Interea notum ſit fraternitati tuæ, quia literis acceptis quorumdam fratrum noſtrorum præſulum & ducum auctoritate apoſtolicæ ſedis licentiam dedimus his epiſcopis excommunicatos a nobis abſolvere, qui non timuerunt ſe a communione regis abſtinere. De ipſo autem rege omnino contradiximus, ut nullus eum præſumat abſolvere, quouſque illius certa pœnitentia & ſincera ſatisfactio nobis per idoneos teſtes fuerit notificata, ut ſimul inveniamus qualiter, ſi eum divina pietas reſpexerit, ad honorem Dei & illius ſalutem eum abſolvamus. Non enim nos latet, quod ſint aliqui veſtrum, qui aliqua occaſione quaſi a nobis accepta, timore, vel humana gratia ſeducti præſumerent eum, ſi non contradiceremus, abſolvere, vulnerique pro medicina vulnus adhibere: quibus ſi aliqui revera epiſcopi contradicerent, non eos juſtitiam defendere, ſed inimicitias exercere judicarent. Epiſcoporum autem, qui excommunicato regi communicare præſumunt, ordinatio & conſecratio apud Deum, teſte beato Gregorio, ſit execratio. Cum enim obedire apoſtolicæ ſedi ſuperbe contemnunt, ſcelus idololatriæ, teſte Samuele, incurrunt. Nam ſi ille Dei dicitur, qui ad ſerienda vitia zelo divini amoris excitatur, profecto eſt ſe Dei denegat, qui in quantum ſufficit increpare vitam carnalium recuſat. Et ſi ille maledictus eſt qui prohibet gladium ſuum a ſanguine, id eſt prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione, quanto amplius ille maledictus eſt, qui timore, vel favore impellit animam fratris ſui in æternam perditionem? Ut autem maledicti & excommunicati poſſint benedicere, & divinam gratiam, quam non timent operibus denegare, alicui largiri, in nullius ſanctorum patrum præcepto poteſt inveniri. Interea jubemus ut alloquamini venerabilem archiepiſcopum Trevirenſem, fratrem videlicet noſtrum, ut Tullenſi epiſcopo, ne ſe intromittat de abbatiſſa monaſterii montis Romarici, interdicat, & quidquid contra eam ſtatuit, una tecum irritum ducat. De Mathilda vero communi noſtra filia, & beati Petri fideli ancilla, quod vis volo, ſed in quo ſtatu ſit menſura, Deo gubernante, adhuc certum non teneo. Gotifredi autem quondam illius viri indubitanter ſcias, quod frequenter apud dominum, licet peccator, habeam memoriam: quia non me illius inimicitia vel aliqua impedit vanitas, ſed motus fraterna dilectione tua, & Mathildæ deprecatione, illius exopto ſalutem. Omnipotens Deus interceſſione cæleſtis reginæ ſemper virginis Mariæ, & auctoritate beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, a ſe illis conceſſa, te noſtroſque omnes fratres in quocumque ſunt ordine, qui Chriſtianam defendunt religionem, & apoſtolicæ ſedis dignitatem, a cunctis peccatis abſolvat, vobiſque augens fidem, ſpem & caritatem, in ſuæ legis defenſione corroboret, ut mereamini ad æternam pervenire ſalutem. Data Tiburi octavo Kalendas Septembris, indictione decima quarta.

ANNO CHRISTI 1076.

1. Cor. 10.
2. Cor. 5.
Joan. 21.
Matth. 16.
Jacob. 4.

III. AD GERMANOS.

Ut regem Henricum in ſynodo excommunicatum, & regia dignitate privatum, ſi vere pœnituerit, benigne ſuſcipiant, remotis ab eo pravis conſiliariis, bonis adhibitis; eo etiam monito, ne eccleſiæ libertatem impugnet. Interim ne quiſquam epiſcopus eum abſolvat, quouſque apoſtolicæ ſedis conſenſus accedat. Quod ſi vere non pœnituerit, eligant alium idoneum regem, quem ſe confirmaturum ait, de conſilio tamen Agnetis imperatricis, cui ſe jurejurando obſtrinxerant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus dilectis in Chriſto fratribus, & coepiſcopis, ducibus, comitibus, univerſis quoque fidem Chriſtianam defendentibus, in regno videlicet Teutonico habitantibus, ſalutem & omnium peccatorum abſolutionem per apoſtolicam benedictionem.

SI literas quibus Henricus dictus rex in ſancta ſynodo judicio ſancti Spiritus excommunicatus eſt diligenter perpenditis, quid de eo debeat fieri indubitanter cognoſcetis. Ex illis enim intelligitur cur ſit anathematis vinculo alligatus, & a

regia dignitate depoſitus, & quod omnis populus A
ANNO CHRISTI 1076. quondam ſibi ſubjectus a vinculo juramenti eidem
promiſſi ſit abſolutus. Sed quia nos contra eum
non movit, Deo teſte, ſæcularis ſuperbia, nec
vana mundi cupiditas, ſed ſanctæ ſedis & univer-
ſalis matris eccleſiæ ſolicitudo & diſciplina, mo-
nemus vos in domino Jeſu, & rogamus, ſicut ca-
riſſimos fratres, ut eum benigne, ſi ex toto cor-
de ad Deum converſus fuerit, ſuſcipiatis, & cir-
ca eum non tantum juſtitiam, quæ illum regnare
prohibet, ſed miſericordiam, quæ multa delet ſce-
lera, oſtendatis. Eſtote quæſo memores humanæ
conditionis, & communis fragilitatis: nec vos
prætereat pia & nobilis memoria patris ejus & ma-
tris, quibus non poſſunt noſtra ætate ad imperii
gubernacula inveniri æquales. Sic tamen adhibete B
vulneribus ejus oleum pietatis, ne vino diſciplinæ
neglecto cicatrices ejus in pejus (quod abſit) pu-
treſcant, & honor ſanctæ eccleſiæ Romanique im-
perii noſtra negligentia magnæ ruinæ pateſ-
cat. Procul ab eo pravi removeantur conſiliarii,
qui pro ſimoniaca hæreſi excommunicati non eru-
buerunt dominum ſuum propria lepra contamina-
re, & per diverſa crimina eum ſeducendo ad ſcin-
dendum ſanctam eccleſiam provocare, & in iram
Dei & ſancti Petri impellere. Adhibeantur il-
li conſiliarii, qui non ſua tantum, ſed eum di-
ligant, & ſæculari lucro per omnia Deum præpo-
nant. Non ultra putet ſanctam eccleſiam ſibi ſub-
jectam ut ancillam, ſed prælatam ut dominam.
Non inflatus ſpiritu elationis conſuetudines ſuper- C
biæ contra libertatem ſanctæ eccleſiæ inventas de-
fendat, ſed obſervet ſanctorum patrum doctrinam,
quam pro ſalute noſtra eos docuit poteſtas divi-
na. Quod ſi de his & aliis jure ab eo exigendis
nos ſecuros modis quibus oportet reddiderit, ſta-
tim volumus per veſtros idoneos legatos de omni-
bus informari, ut quid debeat fieri communi con-
ſilio, Deo aſpirante, valeat inveniri. Illud autem
inter omnia ex parte beati Petri interdicimus, ut
nullus veſtrum eum præſumat ab excommunicatio-
ne abſolvere, quouſque eis quæ prædiximus no-
bis indicatis, apoſtolicæ ſedis conſenſum & iteratum
reſponſum recipiatis. De diverſorum quidem di-
verſis conſiliis dubitamus, & humanam gratiam,
vel timorem ſuſpicionis habemus. Quod ſi exigen- D
tibus multorum peccatis (quod non optamus) ex
corde non fuerit ad Deum converſus, talis ad
regni gubernacula, Deo favente, inveniatur, qui
ea quæ prædiximus, & cetera quæ videntur Chri-
ſtianæ religioni & totius imperii ſaluti neceſſaria,
ſecreta ac indubitabili promiſſione obſervaturum
promittat. Ut autem veſtram electionem, ſi valde
oportet, ut fiat apoſtolica auctoritate firmemus,
& novam ordinationem noſtris temporibus corro-
boremus, ſicut a ſanctis noſtris patribus factum
eſſe cognoſcimus, negotium, perſonam, & mores
ejus, quantocius poteſtis nobis indicate, ut ſan-
cta & utili intentione incedentes mereamini, ſicut
nobis notæ cauſæ, apoſtolicæ ſedis favorem per
divinam gratiam, & beati Petri apoſtolorum prin- E
cipis per omnia benedictionem. De juramento au-
tem quod factum eſt cariſſimæ filiæ noſtræ Agne-
ti imperatrici Auguſtæ, ſi filius ejus ex hac vita
ante ipſam migraret, non eſt opus adhuc dubita-
re, quia ſi nimia pietate circa filium ducta juſti-
tiæ reſtiterit, vel juſtitiæ favens ut abjiciatur a
regno conſenſerit, quid reſtet, voſipſi comprehen-
dite. Hoc tamen videtur laudabile, poſtquam cer-
tum fuerit apud vos (ut omnino firmatum) quod
ejus filius a regno removeatur, conſilium ab ea
& a nobis requiratur de inventa perſona ad regni
gubernacula. Tunc aut noſtro communi conſilio
aſſenſum præbebit, aut apoſtolicæ ſedis auctoritas
omnia vincula quæ videntur juſtitiæ contradicere
removebit. De excommunicatis autem jam me
vobis dediſſe licentiam, qui fidem Chriſtianam (ut
decet epiſcopos) defenditis, ut abſolvatis recordor,
& adhuc hoc idem confirmo, ſi revera reſipuerint,
& humiliter pœnitentiam egerint. Data Laurenti
tertio Nonas Septembris, indictione incipiente de-
cimaquinta.

ANNO CHRISTI 1076.

IV. AD DOLENSES.

Cum non poterit eorum petitioni, contradicenti-
bus canonibus, ſatisfacere in ordinando archi-
epiſcopo quodam juvene ab eis electo, ejuſdem
juvenis rogatu abbatem ſancti * Melarii archiepi- * Melanii
ſcopum ordinaſſe ait; cui nos obedire monet

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Dolenſi in Britannia, ſalutem & apoſtolicam benedictionem

MIſiſtis ad nos quemdam juvenem, petentes
vobis a nobis illum ordinari pontificem: cui
quidem petitioni, quoniam ſacri canones contra-
dicunt, aſſenſum præbere nequaquam potuimus.
Nos denique cognoſcentes eccleſiam veſtram diu
nequiſſimi pervaſoris tyrannide oppreſſam, ex de-
bito & noſtri officii conſideratione, apoſtolico ful-
ti præſidio, prout valemus in domino, reformare
cupimus. Quapropter ejuſdem juvenis rogatu aſſen-
ſuque ſociorum ejus ſancti * Melarii abbatem Ivo- * Melanii
nem nomine, quem ad nos veſtra legatione mi- & in ſeq. Matio.
ſiſtis, virum utique (ut vos bene noſtis) prudem-
tem, bonum, ornatum moribus, omnique religione
dignum, vobis in patrem & archiepiſcopum
conſecravimus, monentes & obſecrantes, ut ſicut
beati Petri apoſtoli, noſtrique illius licet indigni
famuli gratiam optatis ſic ei ut patri & rectori
per omnia obedientiam exhibeatis. Data Romæ
v. Kalendas Octobris, indictione incipiente xv.

V. AD EPISCOPOS BRITANNIÆ Armoricæ.

Scribit ſe abbatem ſancti * Melarii, non approbato * Melanii
ob juvenilem ætatem a Dolenſibus electo, in & in ſeq. Matio.
Dolenſem archiepiſcopum conſecraſſe, & palli-
um eidem conceſſiſſe: ea tamen conditione, ut
controverſia diſcutiatur, quæ cum Turonenſi ar-
chiepiſcopo de ſubjectione & obedientia agebatur:
uſum tamen pallii illi confirmat. Præcipit ut
ei tamquam archiepiſcopo obedientiam exhibe-
ant, & ad bona eccleſiæ recuperanda auxilium
præſtent.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis Britanniæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn ignorare vos credimus, qualiter Dolenſis
clerus & populus ad nos direxit juvenem
quemdam ſatis præclarum genere, ut audivimus,
poſtulantes ut eum illis in epiſcopum ordinaremus.
Cujus cauſam (ſicut oportuit) examinantes, hone-
ſtos quidem mores pro modulo ætatis ſuæ, ſed
nondum ſatis maturos aut inſtructos ad portandum
epiſcopale pondus, in eo probavimus: propter quod
onerare eum tam gravi ſarcina nec ſibi nec
nobis cautum fore pervidimus. Deo autem aſpi-
rante adinvenimus in comitatu ſuo perſonam huic
dignitati, ætate, ſcientia & morum gravitate multo
magis congruam, videlicet Ivonem abbatem ſancti

Mo-

ANNO CHRISTI 1076. * Melarii

* Melarii, quem licet invitum, atque obedientia adſtrictum, cum multa petitione & electione illius, & aliorum qui cum eo venerant, epiſcopum ordinavimus. Honorem quoque & uſum palii pro veſtra & totius provinciæ dilectione ei conceſſimus, eo quidem tenore, ut opportuno tempore nullatenus ſe exhibere recuſet ad diſcutiendam querimoniam, quam confrater noſter Rodulphus Turonenſis archiepiſcopus de ſubjectione ſedis illius, & denegata ſibi obedientia jamdiu apud noſtram & anteceſſorum noſtrorum ſecit audientiam. Quod ſi ratione & juſtitia demonſtrante, ut ei ſubjecta eſſe debeat, apparuerit; nos quidem ſanctæ Turonenſi eccleſiæ jus ſuum conſervari, & debitam ſubjectionem a Dolenſi eccleſia exhiberi volumus, & apoſtolica auctoritate cenſemus, uſum tamen pallii non minus huic ſuiſque ſucceſſoribus, donec eorum introitus & vita probabilis fuerit, concedimus atque firmamus. Sin vero ab hujus ſubjectionis jugo eam abſolutam eſſe legali defenſione conſtiterit, quæcumque ſibi dignitatis privilegia de cetero competere viſa fuerint, apoſtolica non denegabit auctoritas, atque interim, ut ei ſicut archiepiſcopo ſubjectionem & obedientiam exhibeatis, præſenti auctoritate conſtituimus. Hoc itaque pacto eum conſecratum & ornatum ad ſedem non humano conſilio ſed divinitus ei aſſignatam remittentes, vobis valde commendatum eſſe volumus, ut ſicut nos in eo caritatem veſtram & totius provinciæ principatum honoravimus, ita & vos quam pro eo ſuſcepimus ſolicitudinem & pietatis affectum nobiſcum ſuſcipiatis; ipſum quidem cum omni honore & reverentia ſuſcipientes, & ut bona eccleſiæ jam per multos annos a ſacrilegis diſperſa pervaſoribus recuperare valeat adjuvantes; quatenus illa ſedes olim nobilis & potens ad gloriam priſtini decoris, Deo opitulante, veſtris reformetur ſtudiis, veſtriſque reſtituatur temporibus. Sic etenim, ſic, fratres dilectiſſimi, vocavit nos Deus & Pater domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſi in corpore dilecti filii ſui membrorum dignitatem obtinere cupimus, adinvicem etiam fraternis affectibus & officiis intimi amoris connexi ſimus. Agite ergo ut veſtra fraternitas erga hunc fratrem & eccleſiam ſibi commiſſam talis exiſtat, quatenus & apud dominum omnipotentem pro veſtræ beatitudinis præmio gloriemur, & inter tot hujus ſæculi nequam conſligentes turbines, de conſolatione veſtræ cooperationis nos non tantum, ſed & mater veſtra ſancta & apoſtolica lætetur eccleſia. Data Romæ quinto Kalendas Octobris, indictione xv.

VI. AD HENRICUM LEODIENSEM epiſcopum.

Reſcribit, ſi excommunicato regi Trajectenſis epiſcopus ſcienter communicarit, & ſine ſatisfactione obierit, cum eo nec mortuo poſſe communicari: ſin minus, illum abſolvit, & ſacrificia pro eo fieri optat. Rogat poſtremo pro eccleſiæ tranquillitate preces ad Deum effundi

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico Leodienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Vide Lambertum anno 1073.

QUod de cauſa Wilielmi Trajectenſis epiſcopi nos conſuluiſti, prudentia tua non tam a nobis, quam a communi ſanctorum patrum ſententia, indubitanter expreſſum addiſcere & intelligere poteſt; quorum ſtatuta ſervantes aut defendentes, ſi quando judicium de negotiis eccleſiaſticis fecimus vel facimus, non nova aut noſtra proferimus, ſed ab eis per Spiritum ſanctum prolata ſequimur & exercemus. Vide ergo & diligenter attende quid eorum auctoritas in eos decreverit, qui ad ſubvertandas ſacras regulas, ad ſcindendam unitatem corporis Chriſti, quod eſt eccleſia, ſchiſmaticis atque hæreticis calliditatibus armati ultro contra patres inſurgunt, aut ſcienter cum excommunicatis communicant: & non ſolum ſuper hoc, de quo fraternitas tua quæſivit, ſed ſuper omnibus qui in eadem cauſa tenentur, eorum quorum veſtigia, Deo auctore, perpendimus, pro nobis reſponſa ſuſcipe. Quod ſi nullo ſchiſmate, quod contra ſanctam & apoſtolicam eccleſiam præſumptum contra ultimum quemlibet eccleſiæ miniſtrum fieri nullatenus debuiſſet, ipſe aut quicumque ſua ſponte ſubſcripſit, & regi excommunicato ſcienter communicans ſine pœnitentia & ſatisfactione diſceſſit vel diſceſſerit, ab illa ſanctorum patrum ſententia diſcrepare non poſſumus, videlicet, quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare audemus. Sin vero invitus ſubſcripſit, & regi excommunicato juxta prohibitionem ſanctorum canonum non communicaverit, apoſtolica auctoritate eum abſolvimus, & ut orationes, ſacrificium & eleemoſynæ pro eo domino offerantur, non ſolum annuimus, ſed & valde deſideramus. De cetero rogamus dilectionem tuam, ut ſine intermiſſione orationem ad dominum facias, & in hoc ipſum fratres quos poſſis ac ſubditos invites atque commoneas, quatenus per miſericordiam ſuam eccleſiam diu & valde laborantem reſpiciat, & quam inter tot & tantorum turbinum fluctus miſerabiliter afflictam & pene conquaſſatam videt, ne penitus demergatur eripiat, & ad litus tranquillitatis pro ſua pietate reducat. Data Romæ quinto Kalendas Novembris, indictione decimaquinta.

Orationes, ſacrificia & eleemoſynæ pro defunctis.

VII. AD HENRICUM, ARDERICUM, Et Wifredum.

Etſi eccleſia frequentes patiatur perſecutiones a Normannis & Henrico rege, ſperat tamen ſe Henricum devicturum, ſicut antea Normannos devicerat. Nuntiat Teutonicos, niſi rex reſipuerit, alium regem electuros, illoſque in domino excitat & confirmat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico, Arderico, VVifredo, fidelibus ſancta apoſtolicæ ſedis legitimis filiis Mediolanenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MAniſeſta apoſtoli ſententia eſt, quod *omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patiuntur*. Quæ ſententia cum apoſtolica ſede ad nos quaſi hereditario jure pervenit, cum hinc bona eccleſiæ Normanni multoties perjuri conantur auferre, ex altera parte ſimoniaci cum Henrico rege eorum decreta ſanctorum patrum cum omni religione moliuntur evertere: ſed confidimus in domino, qui ſuperbiam Normannorum paulo ante ſub manu noſtra ſubſtravit, quod adverſus apoſtolicam ſedem non diu prævalebunt. Nos tamen ſacrilegæ invaſionis eorum nunquam erimus conſentiendo participes. De conſpiratione autem hæreticorum & regis, quomodo a catholicis epiſcopis & ducibus, & multis aliis in Teutonicis partibus aperte impugnetur, vos qui illis prope eſtis latere non credimus. Ad tantum enim numerum fideles Romanæ eccleſiæ pervenerunt, ut niſi ad ſatisfactionem veniat rex, alium regem palam dicant eligere, quibus nos favere ſervata juſtitia promiſi-

ANNO CHRISTI 1076.

misimus, promissumque firmum tenebimus. Vos A itaque confortamini in domino, quoniam per misericordiam Dei prope est redemptio vestra, & ad tertium superandum non adhuc virtus Petro defecit, qui duos illos priores Widonem & Gotifredum contra Romanam ecclesiam calcitrantes ab episcopali sede dejecit. Data Romæ secundo Kalendas Novembris, indictione decimaquinta.

VIII. AD EPISCOPOS TUSCIÆ.

Ut Senensem episcopum, qui Henrico regi communicaverat, & absolutionem petierat, omnes ipsi aut duo viciniores episcopi convèniant, eique pœnitentiam injungant, qua peracta se eum absoluturum pollicetur. Interim si in periculum B vitæ inciderit, ei absolutionem impartitur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, episcopis Tusciæ, Constantino Aretino, Rainerio Florentino, Leoni Pistoriensi, Anselmo Lucensi, Lanfranco Clusino, salutem & apostolicam benedictionem.

NOn ignorare credimus fraternitatem vestram, qualiter comprovincialis vester Rodulphus Senensis episcopus, hoc in anno sine nostra licentia regem excommunicatum adiens, contra omnem ecclesiasticam auctoritatem communicando cum eo ejusdem excommunicationis laqueum incurrerit. Qua de re quamquam eum propria accuset & reum judicet conscientia, a nulla tamen communione, C sicut excommunicatum oportuerit, se abstinere curavit: sed omnia tam in ministerio quam exteriore conversatione præsumens, peccati sui maculas in multos dispersit, & nihil in se quod ad delictum pertineat habitu vel conversatione demonstrans, a nobis per legàtos suos ad satisfaciendum de culpa recipi postulat, & absolvi. Quod quidem nos minime faciendum esse judicavimus, nisi prius eum pro reatus sui pœnitentia ad formam & habitudinem amissæ communionis per aliquod tempus humiliatum fore cognosceremus. Proinde fraternitati vestræ scripsimus, admonentes ut eum, si potestis, omnes, aut duo de vicinioribus, in loco congruo quantocius conveniatis, & injungentes ei, prout vobis visum fuerit, pœnitentiam, ut in pri- D vatum locum se recipiat, &, sicut in sacris statutum est canonibus, a Christiana communione se abstineat, commoneatis. Ad quod si exhibere se prompta obeditione non recusaverit, & qui culpam non cavit ad faciendam pœnitentiam pro humana verecundia sibi non pepercerit, tunc demum requisita, vel ipse, vel per legatos suos, cum testimonio literarum vestrarum apostolica clementia, de ejus absolutione quidquid, Deo donante, dignum fore perviderimus, respondere & agere non denegabimus. Interim vero si ad periculum vitæ divino judicio, quod nos non optamus, eum venire contigerit, & ad pœnitentiam, sicut supra diximus, humiliatus fuerit, auctoritate beatorum E apostolorum Petri & Pauli, & ea quam nos licet indigni per eos suscepimus, absolutus participationem & gratiam sacrosanctæ communionis accipiat. Data Romæ Kalendis Novembris, indictione xv.

IX. AD RICHERIUM ARCHIEPISCOPUM Senonensem.

Si Aurelianensis episcopus litteras apostolicas, quibus pontifex eum ad se venire præceperat, se non vidisse affirmaverit, ejus gesta adhuc se æquanimiter laturum: sin minus, ab omni episcopali officio & communione corporis domini suspendit. Præcipit ut Romam ad concilium veniat, & ipsum Aurelianensem episcopum secum venire commoneat, aliosque clericos diversa jura prætendentes.

ANNO CHRISTI 1076.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Richerio Senonensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

NOn credimus latere fraternitatem tuam, quod literis nostris Rainerium Aurelianensem episcopum commonuimus ad nos venire, quatenus de multis sibi objectis, & maxime de confusione Aurelianensis ecclesiæ responderet. Qui ita admonitionem nostram contempsit, ut neque ipse veniret, neque aliquam rationabilem absentationis suæ excusationem transmitteret, cujus ut inobedientiæ plenius culpam cognosceres, exemplar literarum quas olim sibi misimus religioni tuæ ostendere curavimus: quas si sacramento firmaverit se non vidisse, neque suo ingenio, quod non viderit, remansisse, facta sua adhuc æquanimiter ferimus. Aliter autem, secundum tenorem hujus conditionis jurejurando minime facto, decernimus eum ab omni episcopali officio esse suspensum, & a communione corporis & sanguinis domini separatum, nisi forte sibi mortis periculum supervenerit. Et quia non solum necessitas & tribulatio illius ecclesiæ, verum etiam multa alia regni vestri negotia exigunt, ut Romano concilio fraternitas tua interesse debeat, admonemus te, ut omni remota occasione ad proximam synodum nostram venias, & jam dictum Aurelianensem episcopum tecum venire commoneas. Volumus etiam ut & is qui nunc tenet decaniam cum eodem episcopo veniat. Sed & Joschelinum qui injuste se expoliatum, & plurima sua pro reparatione bonorum ecclesiæ expendisse deplorat, nec non Everardum, & aliquos de clericis ostensuros tam decretum proprium episcopi, quam etiam venerandæ memoriæ Alexandri papæ prædecessoris nostri privilegium, venire præcipimus: quatenus uniuscujusque rationem diligentissime possimus inquirere, & quæ corrigenda sunt ita, Deo auxiliante, corrigere, ut quisque justitiam suam habeat, & ecclesia omnino quietcat. Interim autem ad firmissimam & inviolabilem pacem ejusdem ecclesiæ decernimus, ut illi qui nunc decaniæ præest utque ad audientiam nostram ejusdem decaniæ possessio relinquatur. Joschelino vero quidquid ante initium hujus litis tenuit sine contradictione tenere permittatur. Benedicto autem non solum præbendam suam, sed etiam ea quæ occasione hujus discordiæ videtur perdidisse, in integrum restituenda fore jubemus. Data Romæ IV. Nonas Novembris, indictione XV.

X. AD ADILAM FLANDRIÆ Comitissam,

Respondet clericos fornicarios missas celebrare non debere, sed extra chorum esse pellendos. Quod ut fiat præcipit, & Huberto cuidam archidiacono fidem non esse adhibendam, qui in hæresim lapsus fuerat.

*Gregorius episcopus servus servorum Dei * Adilæ * Adela. Flandrensi comitissæ, salutem & apostolicam benedictionem.*

PErvenit ad aures nostras, quod quidam vestrum dubitant, utrum necne sacerdotes ac Levitæ: seu ceteri qui sacris altaribus administrant, in fornicatione persistentes missæ debeant celebrare officium

cium. Quibus ex auctoritate ſanctorum patrum A
ANNO CHRISTI 1076. reſpondemus, nullo modo miniſtros ſacri altaris in fornicatione exiſtentes miſſas debere celebrare officium; quin etiam extra choros eſſe pellendos, quouſque pœnitentiæ dignos fructus exhibeant. Unde apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, quatenus nullos eorum qui in ſcelere perdurant, ad ſacrum myſterium celebrandum ſuſcipiatis, ſed undecumque poteritis tales ad miſſas celebrandas acquiratis, qui caſte Deo deſerviant; his talibus prorſus ab omnibus eccleſiæ beneficiis procul expulſis; neque Huberti archidiaconi verba ſuſcipiatis, ſeu aliquibus ſuis ſermonibus faveatis: quia, ut audivi in hæreſim lapſus eſt ſuis pravis contentionibus, & ab Huberto legato hujus ſanctæ Romanæ ſedis apud Monaſterium publice eſt B convictus. Data Romæ quarto Idus Novembris indictione decimaquinta.

Pœna clericorum concubinariorum.

XI. AD ROBERTUM FLANDRIÆ Comitem.

Ut perſequatur ſimoniacos ſacerdotes & fornicarios. Invehitur in epiſcopos, qui apoſtolicæ ſedi inobedientes erant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Roberto comiti Flandrenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad apoſtolicam ſedem, quod in terra C tuæ dominationis qui vocantur ſacerdotes in fornicatione poſiti non erubeſcant cantando miſſam tractare corpus & ſanguinem Chriſti, non attendentes quæ inſania quodve ſcelus eſt uno eodemque tempore corpus meretricis & corpus attrectare Chriſti. Quapropter ex parte omnipotentis Dei & auctoritate beati Petri apoſtolorum principis te rogamus, ac tibi omnino præcipimus, ut ubicumque potes huic ſceleri reſiſtere, & ſimoniacis contradicere, nullius ratio, vel gratia te poſſit retorquere. Qui enim dixit: *Omnis qui audit, dicat veni*: nullum alicujus ordinis excepit: & quicumque vult a patrefamilias denarium accipere, procuret in vinea domini laborare. Hæc quidem univerſalis mater præcepit his qui vocantur epiſ- D copi, dicere ſicut oportet, ſed quales ſint, a fructibus eorum poteſtis cognoſcere: qui non per oſtium ingredientes in ovile ovium, ſed aliunde aſcendentes fures ſunt & latrones. Per oſtium quippe ingreditur, id eſt per Chriſtum, qui ſecundum ſacros canones epiſcopus conſtituitur. Nam quod in divina ſcriptura dicitur: *Sacerdotes mali ruina populi*, in noſtro tempore luce clarius comprobatur. Plurimi enim eorum qui vocantur epiſcopi non ſolum juſtitiam non defendunt, ſed etiam ne clareſcat multis modis occultare nituntur. Tales vero non epiſcopo, ſed Chriſti habeto inimicos: & ſicut illi non curant apoſtolicæ ſedi obedire, ita vos nullam eis obedientiam exhibete. *Nam præpoſitis non obedire, ſcelus eſt incurrere idololatriæ*, E juxta verba prophetæ Samuelis, quæ B. Gregorius in ultimo libro moralium, ubi de obedientia loquitur, procuravit explanare. Hæc noſtra verba, licet ruſtica, cum communi fideli noſtro Ingelranno, qui diu nobiſcum in ſacro palatio manſit, vel cum aliis veritatis amatoribus frequenter legite, & omnes clericos & laicos ut veritatem ſciant & proferant provocate, ut bona fratribus veſtris nuntiantes inter angelos ſortem mereamini accipere, & cum electis in cæleſti patria gaudere. Data Romæ quarto Idus Novembris, indictione decima quinta.

Dan. 10. Matth. 10.

Ezech. 13.

1. Reg. 15. Beatus Gregorius l. 35. cap 10.

XII. AD GERMANOS.

ANNO CHRISTI 1077.

Nuntiat Henricum regem humillimam pœnitentiam egiſſe, ſeque omnium adſtantium ſupplicationibus cum abſolviſſe, accepto fidelitatis juramento. Mittit exemplar jurisjurandi. In Germaniam ſe iturum pollicetur. Hortatur interim ut in fide & in amore juſtitiæ perſeverent.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, ducibus, comitibus, cæteriſque principibus regni Teutonicorum Chriſtianam fidem defendentibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam pro amore juſtitiæ communem noVide Lambertum, Bertoldum anno 1077. Leonem Oſtienſem lib. 3. c. 48. biſcum in agone Chriſtianæ militiæ cauſam & periculum ſuſcepiſtis, qualiter rex humiliatus ad pœnitentiam abſolutionis veniam impetraverit, & quomodo tota cauſa poſt introitum ejus in Italiam hucuſque deducta ſit, veſtræ dilectioni ſincera caritate indicare curavimus. Sicut conſtitutum fuit cum legatis qui ad nos de veſtris partibus miſſi ſunt, in Longobardiam venimus circiter viginti dies ante terminum, in quo aliquis ducum ad Cluſas nobis occurrere debuit, expectantes adventum illorum, quatenus ad partes illas tranſire poſſemus. Verum cum jam decurſo termino hoc nobis nuntiaretur, his temporibus præ multis (quod nos quidem credimus) difficultatibus, ducatum nobis, G obviam mitti non poſſe, nec aliunde copiam ad vos tranſeundi haberemus, non parva ſolicitudine, quid potiſſimum nobis agendum foret, circumventi ſumus. Interim vero regem adventare certe cognovimus: qui etiam priuſquam intraſſet Italiam, ſupplices ad nos legatos præmittens, per omnia ſe ſatisfacturum Deo & ſancto Petro ac nobis obtulit, & ad emendationem vitæ ſuæ omnem ſe ſervaturum obedientiam repromiſit, dummodo apud nos abſolutionis & apoſtolicæ benedictionis gratiam impetrare mereretur: quod cum diu multis conſultationibus differentes acriter eum de ſuis exceſſibus per omnes qui intercurrebant nuntios redargueremus, tandem ſemetipſum nihil hoſtile aut temerarium oſtentans, ad oppidum Canuſii, Pœnitentia Henrici regis. in quo morati ſumus, cum paucis advenit, ibique per triduum ante portam depoſito omni regio cultu miſerabiliter, utpote diſcalceatus, & laneis indutus, perſiſtens, non prius cum multo fletu apoſtolicæ miſerationis auxilium & conſolationem implorare deſtitit, quam omnes qui ibi aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem & compaſſionis miſericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes, omnes quidem inſolitam noſtræ mentis duritiam mirarentur, nonnulli vero in nobis non apoſtolicæ ſeveritatis gravitatem ſed quaſi tyrannicæ feritatis crudelitatem eſſe clamarent. Denique inſtantia compunctionis ejus, & tanta omnium qui ibi aderant ſupplicatione devicti, tandem eum relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam & ſinum ſanctæ matris eccleſiæ recepimus, acceptis ab eo ſecuritatibus quæ inferius ſcriptæ ſunt, quarum etiam confirmationem per manus abbatis Cluniacenſis, & filiarum noſtrarum Mathildis, & comitiſſæ Adelaidæ, & aliorum principum, epiſcoporum, & laicorum, qui nobis ad hoc utiles viſi ſunt, recepimus. His itaque ſic peractis, ut ad pacem eccleſiæ & concordiam regni (ſicut diu deſideravimus) omnia plenius, Deo adjuvante, coaptare poſſimus, ad partes veſtras data primum opportunitate tranſire cupimus. Hoc enim dilectionem veſtram indubitanter ſcire volumus, quoniam

ANNO CHRISTI 1077.

ſicut in deſcriptis ſecuritatibus cognoſcere poteſtis, ita adhuc totius negotii cauſa ſuſpenſa eſt, ut & adventus noſter, & conſiliorum veſtrorum unanimitas permaxime neceſſaria eſſe videantur. Quapropter in ea fide quam cœpiſtis, & amore juſtitiæ, omnes permanere ſtudete: ſcientes nos non aliter regi oblatos eſſe, niſi quod puro ſermone (ſicut mihi mos eſt) in his eum de nobis ſperare dixerimus, in quibus eum ad ſalutem & honorem ſuum, aut cum juſtitia, aut cum miſericordia, ſine noſtræ & illius animæ periculo adjuvare poſſimus.

JUSJURANDUM HENRICI regis Teutonicorum.

EGo Henricus rex de murmuratione & diſſenſione, quam nunc habent contra me archiepiſcopi & epiſcopi, duces, comites, ceterique principes regni Teutonicorum, & alii, qui eos in eadem diſſenſionis cauſa ſequuntur, infra terminum quem dominus papa Gregorius conſtituerit, aut juſtitiam ſecundum judicium eius, aut concordiam ſecundum conſilium ejus, faciam, niſi certum impedimentum mihi vel ſibi obſtiterit, quo tranſacto, ad peragendum idem paratus ero. Item ſi idem dominus papa Gregorius ultra montes, ſeu ad alias partes terrarum ire voluerit, ſecurus erit ex mei parte, & eorum quos conſtringere potero, ab omni læſione vitæ & membrorum ejus, ſeu captione, tam ipſe, quam qui in ejus conductu & comitatu fuerint, ſeu qui ab illo mittuntur, vel ad eumdem quibuſcumque terrarum partibus venerint in eundo, & ibi morando, ſeu inde redeundo, neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo conſenſu, quod contra honorem ſuum ſit: & ſi quis ei fecerit, cum bona fide ſecundum poſſe meum illum adjuvabo. Actum Canuſiæ quinto Kalendas Februarii, indictione decimaquinta.

XIII. AD RODULPHUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

Non debere eum conqueri de pallio conceſſo epiſcopo Dolenſi, cum id a ſe factum ſit ſalvo Turonenſis eccleſiæ jure, de quo exploratius ſe ſententiam laturum eſſe affirmat, cum aut ipſe in Germaniam, ut deſtinavit, tranſierit, aut archiepiſcopus ipſe una cum Dolenſi epiſcopo Romam vocatus acceſſerit. Interim quare id fecerit cauſam reddit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rodulpho Turonenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUod de conſecratione Dolenſis epiſcopi, & conceſſo ſibi honore pallii, adverſum nos conquereris, pro voluntate potius quam ratione facere videris, qui nos in ea re eccleſiæ, cui, Deo volente, præeſſe dignoſceris, totius juſtitiæ locum reſervaſſe cognoſcis. Cum enim audivimus principes illius terræ contra antiquam & peſſimam conſuetudinem, pro reverentia Dei omnipotentis, & apoſtolicæ auctoritatis, ulterius in ordinandis epiſcopis nec dominium inveſtituræ tenere, nec pecuniæ commodum quærere velle, atque ob hoc ad apoſtolicam miſiſſe ſedem, ut in præfato loco juxta ſanctorum patrum ſtatuta legalis ordinaretur epiſcopus, devotioni eorum valde congaudendum & petitionibus annuendum dignum duximus. Verum quam caute nos Turonenſis eccleſiæ & ejus dignitati proviſerimus, in literis illis, quas ad Britannicos principes & epiſcopos miſimus, (quod & te cognoviſſe putamus) aptiſſime continetur. Quapropter fraternitas tua ſine omni murmuratione diſcuſſionem & juſtam diffinitionem hujus cauſæ expectare non renuet: quoniam & quod factum eſt conſideratione fecimus, & quod faciendum diligenti inquiſitione (ſicut res magna & ambigua poſtulat) pertractare & exequi volumus. Neque id in longum, Deo providente, protelabitur: quoniam ſi in partes regni Teutonicorum, prout deſtinavimus, hoc in tempore tranſierimus, inde aut noſmetipſi ad vos pertranſiemus, aut tales qui hanc cauſam ſincera exploratione diſcutiant atque diffiniant mittere procurabimus. Quod ſi eo modo noſtræ diſpoſitionis conſilium tranſigi non poſſe contigerit, congruo tempore & te & Dolenſem epiſcopum ad præſentiam ſedis apoſtolicæ convocabimus, & ibi cauſam veſtram utrinque diligenter examinatam, prout ſincera veritas & juſtitia exquiſierit, ad irrevocabilem, Deo favente, finem perducemus. Data in Longobardia in loco qui dicitur Carpineta. Kalendis Martii, ind. xv.

XIV. AD CARNOTENSES.

Ne deinceps in epiſcopum recipiant Robertum perjurum & ſimoniacum, & ut alium legitimum paſtorem eligant. Quod ſi quis non canonice epiſcopus factus ſit, ipſe, omnes fautores ejus, & conſentientes, excommunicentur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſo clero & populo Carnotenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUamquam id ipſum ad aures veſtras pervenisſe credamus, tamen, ut nulla inter vos diverſi rumoris aut opinionis diſſenſio cauſam Dei impedire valeat, præſentem epiſtolam vobis notificare dignum duximus, quod Robertus monachus, qui eccleſiam veſtram nefanda ambitione occupavit, in terribili culpa perjurii ſe obligavit, cum epiſcopatum illum haud dubie a noſtro legato commonitus (ſicut ſupra corpus beati Petri apoſtolorum principis juraverat) dimittere noluit, & alia quæ in eodem ſacramento tenebantur intregit. Unde apoſtolica vos auctoritate monemus, atque præcipimus, ut eum nullatenus deinceps pro epiſcopo aut domino habeatis, nec aliquam ſibi obedientiam vel ſervitium exhibeatis. Verum ne eccleſia illa diutius ſine paſtore remaneat, vel introitus ejus ſimoniacæ ſubrepționis ulterius pateat, eadem auctoritate vobis præcipimus, ut præmiſſis orationibus atque triduano jejunio cum eleemoſynis, pro nullius timore vel gratia, pro nulla unquam occaſione prætermittatis, quin talem vobis in epiſcopum eligatis, qui non aliunde ſicut fur & latro, ſed per oſtium intrans paſtor ovium vocari & eſſe debeat. Illud enim ſcitote, quoniam ſi quis ad ſedem illam contra regulam ſanctorum patrum aſpiraverit, ipſum & omnes fautores ejus vel in ea re conſentientes apoſtolica cenſura & anathematis gladio feriemus, & a corpore totius eccleſiæ decidemus. Quapropter mementote, quod nemo pro vobis paſſus, nemo pro vobis mortuus eſt niſi Chriſtus, cujus libertatem ſicut dilecti filii Dei tenentes & defendentes, jugum iniquitatis aut aliquod dominium ad perditionem animarum veſtrarum vobis imponi nullatenus patiamini; ſcientes quod nunquam vobis in hac cauſa apoſtolica deerit auctoritas & defenſio. Data Carpinetæ quarto Nonas Martii, indictione decimaquinta.

Joan. 10.

XV. AD

ANNO CHRISTI 1077.

XV. AD RICHERIUM ARCHIEPISCOPUM Senonenſem, &c.

Ut in Roberti locum alium a clero & populo Carnotenſi canonice eligendum curent, & in epiſcopum conſecrent: & eumdem Robertum ac Hugonem fratrem compellant reſtituere quæ eccleſiæ abſtulerant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Richerio Senonenſi archiepiſcopo & coepiſcopis ſuffraganeis ejus, excepto eo qui interdictus eſt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn ignorare credimus fraternitatem veſtram quibus de cauſis Robertum monachum, aliquando dictum Carnotenſem epiſcopum, ab epiſcopali ſede & officio canonica & apoſtolica cenſura privavit, quamquam adhuc eamdem ſedem ad confuſionem ſuam contra ſacramentum quod ſupra corpus beati Petri apoſtolorum principis fecit occupare non deſierit. Verum quoniam eccleſiam illam canonicam electionem in aliquam idoneam perſonam facere admonuimus, admonemus & vos ut eidem electioni eam quam oportet, aut per vos aut per idoneos nuntios veſtros, diligentiam adhibentes, quem electum canonice cognoveritis, & manus imponere, & in epiſcopum conſecrare, nulla occaſione recuſetis: ſcientes quoniam ſi illud timore aut gratia cujuſquam prætermiſeritis, nos tamen inordinatum eum nullatenus relinquemus, & vos eo honore & dignitate, quam ignobiliter deſerere non erubeſcitis, deinceps indignos fore judicabimus. Præcipimus etiam divina juſtitia & apoſtolica auctoritate, ut eumdem Robertum & fratrem ejus Hugonem commoneatis, quatenus præfatæ Carnotenſi eccleſiæ & clericis ejus, quæ abſtulere, omnino reſtituant, & deinceps nullam eis injuſtitiam facere præſumant. Quod ſi infra tres hebdomadas poſtquam hanc epiſtolam videritis adimplere contempſerit, uſque ad dignam ſatisfactionem & emendationem eos a liminibus eccleſiæ veluti raptores & ſacrilegos exterminate. Data Carpinetæ quarto Nonas Martii, indictione decimaquinta.

XVI. AD CLERICOS ROMANENSES.

Salutem & benedictionem tamquam excommunicatis illis non mittit. Præcipit ut coram Dienſi epiſcopo compareant, ut diſcutiatur cauſa quæ inter ipſos & Viennenſem archiepiſcopum de juriſdictione cujuſdam loci vertebatur, eique nec non Viennenſi epiſcopo in omnibus obſequentes ſe exhibeant: ſin minus, eorum contumaciam impunitam ſe non prætermiſſurum minatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Romanenſibus clericis

QUod ſalutem & apoſtolicam benedictionem vobis ex more non mittimus, propter excommunicationem, quam pro culpis veſtris incurrere nos timuiſtis, ſicut ſacra præcepit auctoritas, prætermittimus. Scribere tamen vobis, & admonere ſuper his quæ ad correctionem veſtram pertinent, ipſa * apoſtolica moderaminis manſuetudo & conſueta pietas a nobis exigit. Conqueritur enim adverſum vos confrater noſter * Wormundus venerabilis Viennenſis archiepiſcopus, quod ei antiquam debitam poteſtatem loci veſtri contradicere præſumpſeritis, quam ab initio proprii juris Vienenſis eccleſiæ extitiſſe, & haſtenus ſub diſpoſitione ſuorum anteceſſorum fuiſſe non ignoraris: indicans etiam vos hanc contradicendi ſibi occaſionem irrationabiliter & callide prætendere, ut idem locus juris S. Petri, & ſub ejus dominio neſcio quibus auctoribus vel conceſſionibus eſſe debeat. Unde & nos cauſam iſtam multo cautius oportet attendere, & qualiter rectiſſime diſcutiatur providere, ut nec apoſtolicæ ſedi, nec Viennenſi eccleſiæ alicujus præjudicii aut incommoditatis gravamen videamur inferre. Nam ſicut ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ eccleſiæ jura & dignitates ſuas conſervari cupimus, ita & membris ejus, videlicet ceteris eccleſiis, ex hujus providentia & auctoritate oportere digniſſimum eſſe perpendimus. Quapropter apoſtolica vos auctoritate monemus, atque præcipimus, ut ad diſcutiendam cauſam iſtam confratri noſtro Hugoni venerabili Dienſi epiſcopo, cui & vicem noſtram in aliis commiſimus, ſine omni contradictionis mora vos repræſentetis: & quidquid ipſe ſuper hac re juſtum fore providerit atque judicaverit, obedienter exequi nullatenus prætermittatis. Exhibentes etiam vos in omni obedientia & humilitate eidem vicario noſtro & præfato Viennenſi archiepiſcopo, ad ſatisfaciendum ſuper his quibus vos reprehenſibiles & merito corrigendos appellaverint. Videte ergo quam attentis auribus & obedientibus animis nos in his omnibus audiatis: ſcientes quoniam ſi denuo ad nos veſtræ inobedientiæ & temerariæ reſultationis contumacia perlata fuerit, inultam eam & condigna ſeveritate impunitam nullatenus apoſtolica diſſimulabit auctoritas, & introitu eccleſiæ veſtræ omnibus hominibus præſenti auctoritate prohibito, eam etiam quam præfati fratres noſtri ultionis in vos ſententiam & judicium exercuerint, perurgenti in vos diſtrictione ratum ac firmum eſſe cenſemus. Data apud caſtrum quod dicitur Carpum, XIV. Kal. Aprilis, indictione XV.

XVII. AD WILIELMUM REGEM Anglorum.

Cauſam Dolenſis epiſcopi propter ejus ſcelera ab epiſcopatu ejecti ita tractatam fuiſſe, ut accuratius tractari non poſſe videretur. Ejus tamen precibus legatos deſtinaſſe, qui eam iterum in eadem eccleſia pertractent, in quorum determinatione eum acquieturum non dubitat. Ad ejus gloriam ſe paratum oſtendit: cetera Huberto legato ſe in mandatis daturum, cui fidem adhibeat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei VVilielmo regi Anglorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CAuſam unde nos in literis veſtris rogaſtis, ita jam ad extremum deductam eſſe putavimus, ut nihil in ea quod ulterius retractandum eſſet reſtare videretur. Nam cum in Dolenſi eccleſia epiſcopum ordinavimus, ita hunc pro quo excellentia veſtra intervenit ad dejectionem ſuam ex propriis facinoribus, & ad ultimum ex inobedientia ſe præcipitaſſe, non ſolum per clericos & religioſas perſonas illius eccleſiæ, ſed etiam per legatum noſtrum Leuzonem monachum, intellexeramus, ut magis ſibi de malis in eccleſiam commiſſis & corruptiſſima vita ſua timendum & plangendum, quam pro recuperatione epiſcopatus proclamandum, aut quidquam ſperandum fore judicaremus. Attamen ne deprecationem veſtram ſine ea qua oportet cura & benignitate ſuſcepiſſe videamur.

apoſtolici

* Wormundus

ANNO CHRISTI 1076.

mur, &, ſi aliquis per ſubreptionem, quod non credimus, nos fefellit, ad inquirendum & corrigendum minus ſoliciti inveniamur, legatos noſtros, videlicet confratrem noſtrum Hugonem venerabilem Dienſem epiſcopum, & dilectum filium noſtrum Hubertum ſanctæ Romanę eccleſię ſubdiaconum, & ipſum etiam Leuzonem monachum, ſi ereptum ab infirmitate poterimus illuc mittere, decrevimus, qui cauſam diligenti inquiſitione diſcutiant, &, ſi quid in ea dictante juſtitia mutandum vel emendandum fuerit, conſequenti ratione & auctoritate exequi ſtudeant. Nuſquam enim hoc negotium rectius aut diligentius quam in eadem eccleſia pertractari poſſe videtur, ubi & hic & illi præſentes eſſe valeant, & veſtri etiam intereſſe fideles: qui rationem & juſtitiam plene percognitam certis aſſertionibus vobis indicare queant. Nec dubitamus equidem quin veſtra cellitudo diffinitioni juſtitiæ concorditer acquieſcat: quoniam licet in vobis per miſericordiam Dei multæ & egregiæ ſunt virtutes, hæc tamen eſt præclara & famoſiſſima, & quæ gloriam veſtram Deo præcipue commendat & hominibus, quod juſtitiam, quam vos facere prompti eſtis, aliis etiam facientibus diligitis atque probatis. De cetero ſcitote eminentiam veſtram, & ſæpe cognitam devotionem ejus, nobis gratiſſimam eſſe, qui & vos ipſos, & quidquid ad gloriam ſublimitatis veſtræ Deo auctore proficere poteſt, ſemper in corde & viſceribus noſtris cum magno deſiderio & affectu intimæ caritatis amplectimur, & ad voluntatem veſtram in omnibus quæ apud nos impetrare quæſiveritis, quoad poſſumus, & ſecundum beneplacitum Dei, nos audere cognoſcimus, flecti & annuere parati ſumus. Quia vero præfatum filium noſtrum Hubertum ad vos uſque dirigere deſtinavimus, plura vobis ſcribere non neceſſarium duximus, quoniam in omnibus quæ ex noſtra parte vobis refert, ipſum quaſi certiſſimam epiſtolam noſtram & verba noſtra fideliter continentem ſore, nec nos dubitamus, nec veſtram excellentiam dubitare volumus. Deus autem omnipotens meritis & interceſſionibus apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium ſanctorum ſuorum, tibi & ſereniſſimæ reginæ Mathildi uxori tuæ, & clariſſimis filiis veſtris, omnium peccatorum veſtrorum indulgentiam & remiſſionem & abſolutionem tribuat; & cum vos de rebus mundanis eximi juſſerit, ad æternum regnum ſuum & veram gloriam tranſire faciat. Data Bibianelli XII. Kal. Aprilis, ind. XV.

XVIII. AD CANONICOS ANICIENSES.

Confirmat excommunicationis ſententiam a Dienſi epiſcopo legato latam in Stephanum Anicienſis eccleſiæ invaſorem: ideo ab omni ſacramento præſtito eos abſolvens, præcipit ne ei amplius obedientiam exhibeant, & ut alium paſtorem eligant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Anicienſibus canonicis.

NOtum eſt vobis qualiter Stephanus Anicienſis eccleſiæ invaſor & ſimoniacus, deſpecto ſacramento quod nobis ſuper corpus ſancti Petri de liberatione ejuſdem eccleſiæ fecerat, eam occupare & tyrannica oppreſſione affligere non ceſſat. Unde ſcire vos volumus, quia ſicut confrater noſter Hugo Dienſis epiſcopus, cui vices noſtras in Galliarum partibus agendas commiſimus, illum excommunicavit, ſic & nos excommunicavimus, & a gremio ſanctæ eccleſiæ ſeparavimus. Quapropter apoſtolica auctoritate præcipimus vobis, ut colla veſtra de ſub jugo ejus excutientes, ne illi adhærentes diabolo, cujus ipſe membrum factus eſt, ſerviatis, ſed ab illo ſicut ab excommunicato oportet caveatis, & de excommunicatione, quam incurriſtis, coram prædicto Dienſi epiſcopo ſatisfacientes ipſius conſilio paſtorem vobis ſecundum dominum eligatis. Quod ſi feceritis, ab omni ſacramento & obligatione quam præfato ſimoniaco contra dominum feciſtis ex parte ſancti Petri vos abſolvimus. Si vero etiam nunc noſtræ ſalutari juſſioni recalcitrare præſumpſeritis, pari vos anathemate condemnatos ſciatis. Data Bibianelli decimo Kalendas Aprilis, indictione decimaquinta.

ANNO CHRISTI 1076.

* Bibianelli & ſi ſemper

XIX. AD GALLIARUM EPISCOPOS

Confirmat ſententiam in Anicienſem epiſcopum latam, ut in ſuperiori epiſtola. Excommunicat præterea omnes qui conſilium ei dederint ut in ſua hæreſi permaneat. Prohibet quoque oblationes in eadem eccleſia fieri, quamdiu ab eo detineatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis Galliarum epiſcopis, & cunctis ordinibus ſub eis conſtitutis, quibus pro merito debetur, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum eſſe volumus caritati veſtræ, quod Stephanus Anicienſis eccleſiæ invaſor & ſimoniacus juravit nobis ſuper corpus beati Petri, ut eccleſiam ipſam dimitteret, & paſtorem in ea ſecundum dominum eligere atque conſtituere per fidem adjuvaret, quandocumque legatus apoſtolicæ ſedis cum literis noſtris id eum facere per ſacramentum moneret. Poſtea vero commonitus a confratre noſtro Hugone Dienſi epiſcopo hujus ſpecialiter negotii literas a nobis habente, quamvis eidem vices noſtras in Galliarum partibus commiſiſſemus, eccleſiam non ceſſat opprimere, & filios ejus duplici contritione, corporali ſcilicet & ſpirituali, conterere. Unde excommunicationem, quam prædictus legatus noſter ſuper eum fecit, nos confirmamus, ipſumque & omnes qui deinceps conſilium ei dederint ut in hac hæreſi permaneat, ex parte Dei & ſancti Petri anathematizamus, donec reſipiſcant. Contradicimus etiam, ut nullam pecuniam aliquis offerat in podio ſanctæ Mariæ, ſive ad altaria, ſive ad manus ſacerdotum, donec eccleſia liberetur a tam impia oppreſſione: quia oblationes fidelium prædictum Stephanum a Deo apoſtatare atque contra eum faciunt ſuperbire. Vobis autem, fratres coepiſcopi, hanc excommunicationem atque contradictionem in parochiis veſtris per diverſa loca recitare, & ex parte veſtra confirmare, apoſtolica auctoritate præcipimus. Data Bibianello decimo Kalendas Aprilis, indictione decimaquinta.

XX. AD JOSFREDUM EPISCOPUM PARISIACENSEM.

Walterum quemdam ab archiepiſcopo Rhemanſi excommunicatum, & a ſe ſub cautela abſolutum, ab archiepiſcopo, ſi culpa vacaverit, abſolvi jubet. Quod ſi ille facere noluerit, vult ut ipſe abſolvat: ſi vero in culpa fuerit, ad ſatisfactionem coarctet. Eodem quoque pacto Azonem quemdam canonicum abſolvat, monachis ſancti Lamberti, qui extraneo abbati obedire noluerant, excommunicationis ſententiam relaxet, & Cameracenſes, ſi hominem ideo com-

ANNO CHRISTI 1077.

combuſſerint, quia ſimoniacos & fornicarios A missas celebrare non debere aſſereret, excommunicet, ſeque eccleſiæ fidelem miniſtrum exhibeat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Jofredo Parifiacenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VIr iſte videlicet præſentium portitor Walterus de Duaco ad nos veniens, multis ſupplicationibus nobis inſtitit, quatenus ei per apoſtolicæ pietatis miſericordiam conſilium abſolutionis noſtro interventu impenderemus apud confratrem noſtrum Rhementem archiepiſcopum, qui eum excommunicaverat: indicans nobis, quod de cauſa propter quam excommunicatus ſit multotiens ad diſceptationem & faciendam juſtitiam ante excommunicationem & poſt excommunicationem ſe paratum obtulerit. Verum quia relationi ſuæ ſine legitima diſcuſſione credere non ſatis cautum aut rationabile eſſe putavimus, diffinitam ſententiam pro eius abſolutione dare noluimus, eam ſolummodo miſericordiam ex gratia & indulgentia apoſtolorum Petri & Pauli, ad quorum limina veniebat, ſibi concedentes, ut in eundo & redeundo ſacræ communionis licentiam haberet, uſque in octavum diem poſtquam rediret ad patriam. Cæterum, ne diutius aliqua indigna occaſione ſub excommunicationis nexibus teneatur, apoſtolica te auctoritate monemus, ut fultus his literis noſtris archiepiſcopum convenire ſtudeas, & perquiſita ac cognita mera hujus negotii veritate, ſi iſte aut pro ſua innocentia aut congruæ ſatisfactionis exhibitione tibi abſolvendus videbitur, continuo archiepiſcopum, ut eum ſine contradictione abſolvat ex noſtra parte commoneas: qui ſi aliqua hoc excuſatione renuerit, tu ipſe eum noſtra vice abſolvere nullatenus prætermittas. Si vero iſtum in culpa eſſe, & quod juſtum fuerit exequi nolle conſtiterit, uſque ad dignam ſatisfactionem ſub excommunicationis vinculo coarctari debere decernimus. Præterea Azo quidam canonicus eccleſiæ ſancti Amati de prænominato loco, pro quodam dicto, licet vero, nimis leviter & irreverenter prolato, a conſortio fratrum ſe ejectum eſſe innotuit. Quem ſimiliter apoſtolicæ miſerationis clementiam pro ſua reconciliatione implorantem itidem tibi committimus, ut ſi alia eum culpa damnationi magis debita non accuſat, pro hac in capitulo fratrum clauſtrali diſciplina correctum, & pœnitentia caſtigatum, in ſocietatem fratrum ad proprium locum cum caſtitate recipi facias. Eſt & alia cauſa quam cum omni ſolicitudine te ſuſcipere & peragere volumus, videlicet duorum fratrum monaſterii ſancti Remigii, Roberti & Lamberti, qui ſe ab archiepiſcopo idcirco excommunicatos, &, exacto quodam fratre eorum laico, omni miſeria circumventos eſſe dicunt: quoniam cuidam extraneo abbati interventu pecuniæ, & omnino contra regulam ſancti Benedicti, & auctoritatem ſanctorum patrum, indigne illis & præfato monaſterio pro abbate appoſito obedire, & ſub ejus regimine in eodem cœnobio manere noluerint: nec in his omnibus quidquam eis profuiſſe pro confuſione monaſterii, & habenda juſtæ defenſionis ſuæ licentia, ad audientiam ſedis apoſtolicæ proclamaſſe. Quod ſi ita eſt, quam graviter archiepiſcopus in hac cauſa, maxime de contemptu apoſtolicæ auctoritatis, ſe culpabilem fecerit, tu ipſe perpendere potes. Quapropter de his & de multis aliis aptioris loci & temporis opportunitatem conveniendi eum, Deo auxiliante, præſtolantes, illud ad præſens tuæ fraternitati committimus, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut eum, omni occaſione remota, ſententiam excommunicationis, quam in præfatos monachos protulit, relaxare commoneas, & eos deinceps ſine omni infeſtatione & perturbatione in pace manere dimittat: recognoſcens, & ſuperni judicis judicium timens, quod eis tanta mala ſine deliberatione juſtitiæ ſub appellatione apoſtolicæ ſedis fecerit. Si vero eum in hac re pro ſua magnitudine & arbitrio contradicentem & minus obedientem inveneris, tu ipſe fultus noſtra auctoritate eos abſolvas, & abbatem illum, qui præfatum monaſterium ſancti Remigii nefanda ambitione occupaſſe dicitur, ita commoneas, ut aut in partibus illis confratri noſtro Hugoni venerabili Diensi epiſcopo, cui vices noſtras commiſimus, aut aliis legatis noſtris, ſi eos in Gallia ſynodum celebraturos cognoverit, ſe repræſentare pro reddenda ratione ſui introitus nullatenus prætermittat, aut ad nos in proxima feſtivitate omnium ſanctorum veniat: commonitis etiam fratribus eiuſdem monaſterii, qui adverſus eum de cauſa illicitæ ſubreptionis ſuæ in abbatiam conqueruntur, ut & ipſi ſecundum præſcriptam terminationem ad diſcutiendum hoc negotium ſe præſentes exhibeant. Item relatum nobis eſt, Cameracenſes hominem quemdam flammis tradidiſſe, eo quod ſimoniacos & presbyteros fornicatores miſſas non debere celebrare, & quod illorum officium minime ſuſcipiendum foret, dicere auſus fuerit. Quod quia nobis valde terribile, &, ſi verum eſt, omni rigore canonicæ ſeveritatis vindicandum eſſe videtur, fraternitatem tuam ſolicite hujus rei veritatem inquirere admonemus: &, ſi eos ad tantam crudelitatem impias manus ſuas extendiſſe cognoveris, ab introitu & omni communione eccleſiæ auctores pariter & complices hujus ſceleris ſeparare non differas, & nobis hujus rei certitudinem, nec non quidquid de ſuperioribus cauſis effectum fuerit, per literas tuas quam citiſſime poſſis indicare ſtude. De cætero rogamus te & multum admonemus, ut omnibus confratribus & coepiſcopis tuis per totam Franciam ex apoſtolica auctoritate ſignifices, quatenus & illis ſacerdotibus, qui a turpitudine fornicationis ceſſare noluerint, omne officium ſacris altaribus miniſtrandi penitus interdicant, & tu ipſe in omni loco & conventu id prædicare non ceſſes. Et ſi in hac re aut epiſcopos tepidos, aut illos qui ſacrorum ordinum nomen & officium indigne pro ſupradictis criminibus uſurpare præſumunt, rebelles eſſe cognoveris, omni populo ne eorum ulterius officium ſuſcipiat ex parte beati Petri & noſtra apoſtolica auctoritate ubique interdicas, ut vel hoc modo confuſi ad emendationem vitæ ſuæ, & ad caſtitatem religioſæ continentiæ, redire cogantur. Age ergo, ut ſancta & univerſalis mater eccleſia te fidelem miniſtrum & cooperatorem noſtræ, immo apoſtolicæ, ſolicitudinis, Deo adjuvante, cognoſcat, & nobis, quod valde deſideramus, de libertate & fructu tui ſacerdotalis officii ad præſens gaudere, & in poſterum per miſericordiam Dei confidenter ſperare poſſe proveniat. Data Bibianello VIII. Kalendas Aprilis, indictione XV.

ANNO CHRISTI

Pour leurs égarements

XXI. AD HERIMANNUM EPISCOPUM Metentem.

Committit ei cauſam inter epiſcopum Leodienſem & abbatem ſancti Laurentii, qui a dicto epiſcopo de monaſterio ſuo ejectus ad ſedem apoſtolicam appellaverat.

ANNO CHRISTI 1077.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Herimanno Metenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PRæſentium portitor literarum Vulpodo abbas monaſterii ſancti Laurentii Leodii ad nos veniens multis ſupplicationibus nos exoravit, quatenus cum apud epiſcopum Leodienſem, qui eum de monaſterio ſuo ejecerat, ut clementius in illum ageret apoſtolicis interventibus juvaremus: tantum nobis de cauſa ſua indicans, quod de objectis ſibi reſpondere paratus fuerit; ſed legales reſpondendi & expurgandi ſe inducias habere nullatenus potuerit, quamquam eas ſub vocatione divini nominis & reſpectu beati Petri quæſierit. Epiſcopus autem prius nobis in epiſtola ſua quædam indigna de ejus actibus indicaverat. Ut igitur in hac ambiguitate neutri quod juſtum eſt denegare videamur, fraternitatem tuam rogamus, & apoſtolica auctoritate hanc cauſam ſuſcipiat admonemus, & eam diligenti inquiſitione percognitam eo ordine quo canonica inſtituta præcipiunt tractari & diffiniri faciat: procurans equidem ut iſte cum tanto moderamine & tibi conſervata juſtitia ad audientiam admittatur, quatenus non incaſſum apoſtolicam miſericordiam & jus ſuffragia quæſiſſe videatur. Data Bibianello octavo Idus Aprilis, indictione decimaquinta.

XXII. AD HUGONEM EPISCOPUM Dienſem.

Præcipit ut congregata ſynodo epiſcoporum Franciæ cauſa Cameracenſis electi diſcutiatur, qui poſt ſui legitimam electionem inveſtituram ab Henrico rege acceperat, ignorans & regem excommunicatum, & hujuſmodi inveſtituram a pontifice prohibitam. Quod ſi ita eſſe jurejurando affirmaverit, ejus electionem confirmat: vultque ut in concilio cauſæ nonnullarum eccleſiarum definiantur, Cluniacenſis abbas ad ſynodum vocetur pro Arvernenſis eccleſiæ cauſa; & inter cætera decretum de non accipiendis inveſtituris a laicis promulgetur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hugoni venerabili Dienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

GErardus Cameracenſis electus ad nos veniens qualiter in eodem Cameracenſi eccleſia ad locum regiminis aſſignatus ſit prompta nobis confeſſione manifeſtavit, non denegans poſt factam cleri & populi electionem donum epiſcopatus ab Henrico rege ſe accepiſſe: defenſionem autem proponens, & multum nobis offerens, ſe neque decretum noſtrum de prohibitione hujuſmodi acceptionis, nec ipſum Henricum regem a nobis excommunicatum fuiſſe, aliqua certa manifeſtatione cognoviſſe. Cui cum nos congruis rationibus oſtenderemus, quam grave eſſet, etiam omni ignorantia cum excuſante, ſanctæ apoſtolicæ ſedis ſynodale decretum tranſgredi, & hujuſmodi participatione cum homine excommunicato commaculari, ad ſatisfaciendum promptus donum quod accepiſſe viſus eſt continuo in manus noſtras reſutavit, & omnino cauſam ſuam noſtro judicio cum ſui ipſius ad omnem voluntatem noſtram ſubjectione & obauditione reliquit. Pro cujus humiliatione, & maxime quoniam canonicam electionem in eo præceſſiſſe audivimus, ad miſericordiam moti ſumus, & confiſi in teſtimonio quod nonnulli confratrum noſtrorum epiſcoporum cum multis pro eo ſupplicationibus ad nos per epiſtolas ſuas direxerunt, videlicet quod ejus præcedens vita & converſatio multum honeſta & laudabilis fuerit, ad promotionem ejus diſcretæ moderationis conſideratione aſſenſum præbere non indignum duximus. Attamen ne iſtud aliis, quorum cauſa & converſatio huic longe diſſimilis & impar conſtiterit, ad exemplum vel occaſionem quærendæ miſericordiæ in poſterum fore debuiſſet, illud conſtituimus, ut coram te & confratre noſtro Rhemenſi archiepiſcopo & aliis comprovincialibus epiſcopis ita ſe per ſacramentum purgare debeat, quod ei ante acceptionem illam; & ut dicitur, inveſtituram epiſcopatus regem excommunicatum fuiſſe, & illud decretum noſtrum de prohibitione hujuſcemodi inveſtiendi & accipiendi eccleſias, neque per legatum noſtrum, neque ab aliqua perſona, quæ ſe his ſtatutis interfuiſſe & ea audiſſe fateretur, ſignificatum & indubitanter notificatum fuerit. Quapropter admonemus fraternitatem tuam, ut concilium in partibus illis convocare & celebrare ſtudeas, maxime quidem cum conſenſu & conſilio regis Francorum, ſi fieri poteſt. Sin autem aliqua occaſione in id conſentire noluerit, in Lingonenſi eccleſia conventum celebrandi concilii inſtituas, atque hoc cum conſilio & prudenti diſpoſitione fratris noſtri Lingonenſis epiſcopi facias; ſciens quoniam in omnibus fidelem adjutorem & cooperatorem non ſolum nobis, ſed & * ibi, & omnibus legatis noſtris, ſe deinceps fore promiſit, & nos in ec multam ſpem habemus & fiduciam. Comes etiam Tebaldus per legatos ſuos eamdem nobis promiſſionem fecit, ut ſi Rex legatos noſtros recipere nollet, ipſe cum ſumma devotione reciperet, & eis omnem quam poſſet aptitudinem celebrandi ſynodum, & eccleſiaſtica exquirendi negotia, locum, conſilium auxiliumque daret. Stude ergo ut præfatum confratrem noſtrum Lingonenſem epiſcopum convenias, & communi conſilio ubi vobis melius videbitur, ſynodum inſtituite, & convocatis illuc archiepiſcopo Rhemenſi, & cæteris quotquot poſſis archiepiſcopis & epiſcopis Franciæ, primo omnium cauſam ſupra memorati Cameracenſis electi diſcutere ſtudeas, videlicet ut ſecundum præſcriptam ſacramenti determinationem ſe coram omnibus expurget; & inſuper, ne in mortem illius qui in ignem projectus eſt conſenſerit, in eodem ſe ſacramento defendat. Quod ſi factum fuerit, præcedentem ejus electionem confirmandam eſſe apoſtolica moderatione decernimus, & te cum confratre noſtro Rhemenſi archiepiſcopo de ejus conſecratione, prout oportet, ſtatuere volumus, niſi forte alia ſibi quæ nos ignoramus obſtiterint; quæ tamen in providentia veſtra examinanda relinquimus. Illud vero commune malum pene totius terræ, videlicet quod altaria venduntur, & quod iſte etiam in officio ſui archidiaconatus ſe feciſſe non denegat, ne deinceps fiat, tam huic, quam cæteris omnibus, interdicito. De cætero admonemus dilectionem tuam, ut reliquas cauſas & negotia, videlicet Catalaunenſis epiſcopi, Carnotenſis eccleſiæ, Anicienſis, Arvernenſis, nec non monaſterii ſancti Dionyſii, & alia quæ neceſſaria eccleſiaſticæ religioni apparuerint pro commiſſa tibi vice noſtra, quantum Deo auxiliante potueris, ita diligenter tractare & ad finem perducere ſtudeas, quatenus in eis noſtra deinceps poſſit ſolicitudo, & longa fatigatio ſublevari. Volumus etiam, ut fratrem noſtrum Hugonem venerabilem Cluniacenſem abbatem tecum ſynodo

ANNO CHRISTI 1077.

* Forte, ubi. H.

ANNO CHRISTI 1077.

intereſſe ex noſtra parte convitare rogando & multum inſtando procures, cum propter alia multa, tum maxime, ut cauſa Arvernenſis eccleſiæ competenti & firma determinatione cum Dei & illius adjutorio finiatur. Confidimus enim in miſericordia Dei, & converſatione vitæ ejus, quod nullius deprecatio, nullius favor aut gratia, nec aliqua prorſus perſonalis acceptio, cum a tramite rectitudinis dimovere poterit. Si igitur divina clementia huic noſtræ diſpoſitioni effectum dederit, inter cætera quæ tua fraternitas agenda ſuſcepit hoc attentiſſime perpendat & exequi ſtudeat, ut congregatis omnibus, & in conventu reſidentibus, manifeſta & perſonanti denuntiatione interdicat, ut pro conſervanda deinceps in promovendis epiſcopis canonica & apoſtolica auctoritate nullus metropolitanorum, aut quivis epiſcoporum, alicui, qui a laica perſona donum epiſcopatus ſuſceperit, ad conſecrandum illum imponere manum audeat, niſi dignitatis ſuæ honore officioque carere & ipſe velit. Similiter etiam ut nulla poteſtas, aut aliqua perſona, de hujuſmodi honoris donatione vel acceptione ulterius ſe intromittere debeat. Quod ſi præſumpſerit, eadem ſententia & animadverſionis cenſura, quam beatus Hadrianus papa in octava ſynodo de hujuſmodi præſumptoribus, & ſacræ auctoritatis corruptoribus ſtatuit atque firmavit, ſe adſtrictum ac ligatum fore cognoſcat. Quo capitulo ſcripto, atque, in præſentia omnium lecto, ad collaudationem & confirmationem ejus univerſum cœtum illius conſeſſus admoneas. Eos autem qui poſt recenſitam a nobis hujus decreti auctoritatem inveſtituram epiſcopatus per manus ſæcularium dominorum & poteſtatum ſuſceperunt, & qui eis in ordinationem manum imponere præſumpſerunt, ad nos ſuper hac re rationem reddituros venire apoſtolica auctoritate commoneas atque præcipias. Data juxta Padum, in loco qui dicitur Ficarolo, quarto Idus Maii, indictione decimaquinta.

Octava ſynodus Can. 22.

XXIII. AD BERNARDUM DIACONUM, & Bernardum abbatem.

Ut ab Henrico & Rodulpho regibus iter iturum petant, ut ad Teutonicorum partes ſe conferre poſſit: quorum alter, qui id præſtare noluerit, excommunicetur, & regni gubernaculis interdicatur; qui vero paruerit, in regia dignitate confirmetur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Bernardi ſanctæ Romanæ eccleſiæ diacono, & Bernardo Maſſilienſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Lambertus in Ann.

FRaternitati veſtræ notum eſſe non ambigimus, qtia ideo ab Urbe confiſi de Dei miſericordia & adjutorio beati Petri egreſſi ſumus, ut ad Teutonicorum partes, compoſituri inter eos (ad honorem Dei & utilitatem ſanctæ eccleſiæ) pacem, tranſiremus. Sed quia defuerunt qui nos ſecundum quod diſpoſitum erat conducerent, impediti adventu regis in Italiam, in Longobardia inter inimicos Chriſtianæ religionis non ſine magno periculo remanſimus, & adhuc, ſicut deſideramus, ultra montes proficiſci nequivimus. Quocirca monemus vos, & ex parte beati Petri præcipimus, ut fulti auctoritate hujus noſtri præcepti, noſtraque vice ab eodem apoſtolorum principe accincti, utrumque regem, Henricum videlicet atque Rodulphum, commongatis, quatenus viam nobis illuc ſecure tranſeundi aperiant, & adjutorium atque ducatum per tales perſonas, de quibus vos bene confiditis, præbeant, ut iter nobis Chriſto protegente pateat. Deſideramus enim cum conſilio clericorum atque laicorum ejuſdem regni, qui dominum timent & diligunt, cauſam inter eos, Deo favente, diſcutere: & cujus parti magis ad regni gubernacula juſtitia favet demonſtrare. Scitis enim quia noſtri officii & apoſtolicæ ſedis eſt providentiæ majora eccleſiarum negotia diſcutere, & dictante juſtitia diffinire. Hoc autem quod inter eos agitur negotium tantæ gravitatis eſt tantique periculi, ut ſi a nobis fuerit aliqua occaſione neglectum, non ſolum illis & nobis, ſed etiam univerſali eccleſiæ magnum & lamentabile pariat detrimentum. Quapropter ſi alteruter prædictorum regum huic noſtræ voluntati ac deliberationi parere & ad veſtra monita locum dare renuerit, ſuamque ſuperbiam atque cupiditatis faces contra honorem Dei omnipotentis accendens, ad deſolationem totius Romani imperii anhelare tentaverit, omnibus modis omnique ingenio uſque ad mortem, ſi oportet, noſtra vice, immo beati Petri auctoritate, ei reſiſtite, & totius regni gubernacula contradicendo tam illum, quam omnes ſibi conſentientes a participatione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſeparate: illud ſemper habentes in memoria, quia ſcelus idololatriæ incurrit, qui apoſtolicæ ſedi obedire contemnit, & quod beatus Gregorius doctor ſanctus & humillimus decrevit, reges a ſua dignitate cadere, ſi temerario auſu præſumerent contra apoſtolicæ ſedis juſſa venire. Alteri autem qui noſtræ juſſioni humiliter paruerit, & obedientiam univerſali matri (ſicut decet Chriſtianum regem) exhibuerit, convocato concilio omnium clericorum & laicorum quos advocare poteritis, conſilium & adjutorium in omnibus præbete, & in regia dignitate per auctoritatem beatorum apoſtolorum Petri & Pauli noſtra vice confirmate, omnibuſque epiſcopis, abbatibus, clericis, ac laicis, in omni regno habitantibus, ut ſibi fideliter (ſicut oportet) regi obediant & deſerviant ex parte omnipotentis Dei præcipite. Data Carpinetæ * ſecundo Kalendas Junii, indictione decimaquinta.

Lib. 2. poſt epiſt. 18 indictione 12. impropriſſime Medardi.

* XV.

XXIV. AD GERMANOS.

Ejuſdem argumenti.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei archiepiſcopis, epiſcopis, ducibus, comitibus, & univerſis Chriſti fidelibus clericis & laicis, tam majoribus quam minoribus, in regno Teutonicorum conſiſtentibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum fieri vobis volumus, fratres cariſſimi, quia legatis noſtris, Bernardo videlicet ſanctæ Romanæ eccleſiæ fideli filio & diacono, itemque Bernardo abbati religioſo Maſſilienſis monaſterii, præcipimus, ut utrumque regem, Henricum videlicet & Rodulphum, aut per ſe aut per idoneos nuntios admoneant, quatenus viam mihi pro diſcutiendo negotio, quod peccatis facientibus inter eos ortum eſt, ad vos, Deo favente, ſecure veniendi præbeant. In magna enim triſtitia & dolore cor noſtrum fluctuat, ſi per unius hominis ſuperbiam tot millia hominum Chriſtianorum temporali & æternæ morti traduntur, & Chriſtiana religio confunditur, Romanumque imperium ad perditionem perducitur. Uterque namque rex a nobis, immo ab apoſtolica ſede, cui

licet indigni præſidemus, adjutorium requirit. Et A
ANNO CHRISTI 1077. nos de miſericordia omnipotentis Dei & adjutorio beati Petri confidentes, parati ſumus cum veſtro conſilio, qui Deum timetis & Chriſtianam fidem diligitis, æquitatem cauſæ utrinque decernere, & ei præbere auxilium, cui juſtitia ad regni gubernacula favere dignoſcitur. Quapropter ſi alteruter eorum ſuperbia inflatus aliquo ingenio quo minus ad vos venire poſſumus obſtiterit, & de ſua injuſtitia timens judicium ſancti Spiritus refugerit, inobediens factus reſiſtendo ſanctæ & univerſali matri eccleſiæ, hunc velut membrum antichriſti, & deſolatorem Chriſtianæ religionis, contemnite, & ſententiam, quam noſtri legati contra eum noſtra vice dederint, conſervate: ſcientes quia Deus ſuperbis re- B
Jac. 4. ſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Alteri vero qui humiliter ſe habuerit, & judicium (decretum vero a Spiritu ſancto, per vos autem prolatum) non contempſerit (indubitanter enim credimus quod ubicumque duo vel tres in nomine
Matth. 18. domini congregati fuerint, præſentia ejus illuminantur) illi, inquam, ſervitium & reverentiam ſecundum quod noſtri præfati legati decreverint, exhibete annitentes, & modis omnibus ei obſequentes, ut regiam dignitatem honeſte poſſit obtinere, & ſanctæ eccleſiæ jam pene labanti ſuccurrere. Non enim a corde noſtro debet excidere, quod qui apoſtolicæ ſedi obedire contemnit,
1 Reg. 15. Loco ſupra cit. 2. ſcelus idololatriæ incurrit, & quod beatus Gregorius doctor ſanctus & humillimus reges decre- C
vit a ſuis dignitatibus cadere, & participatione corporis & ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti carere, ſi præſumerent apoſtolicæ ſedis decreta contemnere. Si enim cæleſtia & ſpiritualia ſedes beati Petri ſolvit & judicat, quanto magis terrena & ſæcularia? Scitis autem, fratres cariſſimi, quia ex quo tempore ab Urbe eximus, in magno periculo inter inimicos Chriſtianæ fidei manſimus: & tamen neutri prædictorum regum neque terrore neque amore flexi aliquod contra juſtitiam adjutorium promiſimus. Magis enim volumus mortem, ſi hoc oportet, ſubire, quam propria voluntate devicti, ut eccleſia Dei ad confuſionem veniat, conſentire. Ad hoc enim nos D
ordinatos & in apoſtolica ſede conſtitutos eſſe cognoſcimus, ut in hac vita non quæ noſtra ſed quæ Jeſu Chriſti ſunt quæramus, & per multos labores patrum ſequentes veſtigia ad futuram & æternam quietem, Deo miſerante, tendamus. Data Carpinetæ ſecundo Kalendas Junii, indictione decimaquinta.

XXV. AD NEHEMIAM ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM.

Cauſam aſſignat cur epiſtolæ latorem apud ſe tamdiu retinuerit, eumque commendat. Illius promotioni ad ſacerdotium non adverſatur. Monet regem nuper electum commoneat, ut per legatos debitum obſequium ſedi apoſtolicæ E
præſtet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Nebemiæ Strigonienſi in Hungaria archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn admirari te volumus qua de cauſa fratrem iſtum, videlicet harum literarum portitorem, tamdiu nobiſcum retinuerimus: nam cum ad nos venit in regnum Teutonicorum tranſire diſpoſueramus, quatenus inter regem Henricum & principes terræ pacem & concordiam componere, Deo adjuvante, poſſemus; acceptis etiam per ſacramentum ab eodem Henrico rege ſecuritatibus, quas ex parte illius ad profectionem noſtram tunc oportere putavimus: cujus rei exitum expectantes, interim hunc nobiſcum manere præcepimus, ut & certum hujus negotii finem, & ſi qua alia neceſſaria viderentur, vobis hoc revertente mandaremus. Cæterum quia cauſa, ſicut vobis notum eſſe credimus, ad graviſſimam litem, & pene ad totius patriæ diviſionem excrevit, neque nobis hoc in tempore tranſire opportunum eſſe vidimus, diutius hunc tenere noluimus; ſcribentes per eum fraternitati tuæ, & multum admonentes, ut ei apud te profit, quod cum tanta fatigatione & periculo & apoſtolicam quæſivit miſericordiam, & tam longam apud nos fecit moram. Hoc enim ſcire te volumus, quoniam quamdiu nobiſcum fuit, quietum in illo ſpiritum & ad ſerviendum Deo devotum eſſe cognovimus. Quapropter ſecundum miſeriam horum temporum, & ad comparationem earum perſonarum quas pro infirmitate & neceſſitate toleramus, hunc quoque miſericorditer portandum eſſe non indignum duximus: ſiquidem ea quæ nobis de ſua manifeſtavit conſcientia, & de quibus a ſe reprehendi confitetur, a ſua confeſſione & relatione non diſcrepant. Quod autem ad ſacerdotii gradum promoveri deſiderat, etſi nos ex imperii auctoritate non decernimus, reſpectu tamen indulgentiæ non contradicimus, nec denegandum ſibi eſſe judicavimus, ſi quidem alia, quæ nos lateat, ordinationi ſuæ gravior cauſa non obſtiterit, & deinceps vitam & mores ſuos ad dignitatem tanti miniſterii congrue inſtituere & perſeveranter, Deo miſerante, ſervare voluerit. De cætero admonemus fraternitatem tuam, ut regem qui inter vos electus eſt cum aliis tuis confratribus & principibus terræ alloquaris, notificantes & conſulentes ſibi, ut apertius nobis ſuam voluntatem, & erga reverentiam ſedis apoſtolicæ debitam per idoneos legatos denuntiet devotionem: & ita demum, quod ad nos attinet, ad honorem Dei omnipotentis & beati Petri apoſtolorum principis benigne ſibi reſpondebimus, & excellentiæ ſuæ ad ſuam & totius regni utilitatem ſanctæ & apoſtolicæ auctoritatis ſtudium cum omni caritate & benevolentia exhibere curabimus. Cetera vero, quæ longum erat in epiſtola, viva fideliter voce nuntiabit, ſicut in ejus ore poſuimus. Data Carpinetæ v. Idus Junii, indictione decimaquinta.

XXVI. AD DOMINICUM PATRIARCHAM GRADENSEM ET CÆTEROS EPISCOPOS VENETIÆ.

Mittit Gregorium legatum pro eccleſiaſticis cauſis tractandis, cui eos obedire præcipit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dominico patriarchæ Gradenſi, & cæteris epiſcopis Venetiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AUdivimus in eccleſiis veſtris multa emerſiſſe negotia, quæ ut ſincera exploratione diſcutiantur, & canonicæ traditionis diffinitione terminentur eccleſiaſticæ religionis ordo depoſcit, & a nobis tam veſtra dilectio, quam officii noſtri debita ſolicitudo, requirit. Quamquam enim ex conſideratione creditæ nobis diſpenſationis debitores ſimus univerſis eccleſiis, ſpeciali tamen cura vobis & veſtris cauſis aſtringimur; cum propter ſingularem quamdam cohærentiam quam ad

ſan-

ANNO CHRISTI 1077.

ſanctam Romanam & apoſtolicam habetis eccleſiam, tum propter vicinitatem, quæ nunquam nos vel quæ apud vos ſunt diu ignorare, vel quæ nos debemus & poſſumus veſtræ fraternitati denegare patitur. Quapropter miſimus ad vos hunc dilectum filium noſtrum Gregorium & diaconum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quatenus una vobiſcum de eccleſiaſticis cauſis, & Chriſtianæ religionis ſacrosanctis inſtitutionibus, quæ neceſſaria ſunt, Deo adjuvante, pertractans, noſtra vice quæ corrigenda ſunt corrigat, quæ ſtatuenda conſtituat, & eccleſiaſticæ libertatis atque juſtitiæ diu & in multis neglectas rationes & ſtudia ad formam canonicæ & apoſtolicæ diſciplinæ reducere, & per auxilium divinæ gratiæ efficaciter valeat confirmare: cui * nos cum omni caritate aſſidentes ita favere & unanimiter aſſenſum præbere ſicut fratres cariſſimos admonemus: quatenus in illo appareat, quantam reverentiam in beatum Petrum apoſtolorum principem habeatis, de cujus domo & familia mittitur: quanta etiam de noſtra dilectione vobis cura ſit, qui eum de ſinu noſtro miſimus, utpote per quem noſtra apud vos ſolicitudo, & a Domino Deo nobis conceſſæ poteſtatis auctoritas vicaria diſpenſatione repræſentatur & geritur. Data Carpinetæ * quinto Idus Junii, indictione decimaquinta.

A in communione ſanctæ matris eccleſiæ apoſtolica indulgentia & benedictione reſtitui. Quod cum factum fuerit, ſi noſtra monita, immo verbum Dei, ea qua oportet veneratione ſuſcipitis, volumus, & apoſtolica vos auctoritate monemus, ut cum omni caritate & obedientia ſibi aſſiſtatis, quatenus cum conſilio confratris noſtri patriarchæ & aliorum epiſcoporum illius provinciæ, nec non cum adjutorio ducis, & omnium veſtrum, de ſtatu eccleſiarum, & Chriſtianæ religionis ordine ac diſpenſatione, quæ neceſſaria ſunt juxta formam a ſanctis patribus traditam pertractare poſſit, ac, Deo adjuvante, noſtra vice diſponere. Data Carpinetæ quinto Idus Junii, indictione decimaquinta.

ANNO CHRISTI 1077.

Forte vos.

* Kalendis.

XXVII. AD DOMINICUM SILVIUM DUCEM ET POPULUM VENETIÆ.

B

Queritur eos cum excommunicatis communicaſſe. Mittit legatos qui eos peracta pœnitentia ab excommunicatione abſolvant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dominico Silvio duci, & populo Venetiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MEminiſſe debetis quanta vobis apud ſanctam & apoſtolicam ſedem multis jam temporibus & caritatis benevolentia & honorificentiæ gratia ſit exhibita. Et nos quidem, teſte conſcientia noſtra, non ſolum poſtquam ad pontificatum venimus, ſed & antea pluribus annis vos & terram veſtram valde dileximus, & non ſine aliqua nonnullorum indignatione & inimicitia ad providendum honori veſtro prompti fuimus: multum gaviſi pro dilectione quam erga univerſalem omnium fidelium matrem, videlicet ſanctam Romanam eccleſiam, habuiſtis, & libertate quam ab antiqua ſtirpe Romanæ nobilitatis acceptam conſervaſtis. Verum his temporibus, quod ſine magno dolore non dicimus, non ſolum noſtros exacerbatis affectus, ſed omnipotentis Dei gratiam vobis procul dubio nimium labefactaſtis: quoniam nescio quibus peccatis facientibus a ſtatu rectitudinis excidiſtis, & ultra extra conſortium membrorum Chriſti & eccleſiæ facti eſtis, ſectantes & recipientes eos qui pro ſuis ſceleribus excommunicati ſunt, & exorbitantes a fide & catholica ſanctorum patrum unitate, doctrina, & corroborata divinitus auctoritate, per omnem inobedientiam & contumaciam in laqueum diaboli ceciderunt, & miniſtri, immo ſervi ſatanæ, a quo captivi tenentur, facti ſunt. Quocirca dolentes de periculo animarum veſtrarum, & ad reconciliationem divinæ gratiæ vos revocare cupientes, miſimus ad vos hunc dilectum filium noſtrum Gregorium & diaconum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ut pœnitentiam agentes ab excommunicationis vinculo, in quod participando cum excommunicatis prolapſi eſtis, poſtitis abſolvi, & C D E

XXVIII. AD HISPANOS.

Monet illos pro paſtorali officii ſui cura ad pie ſancteque vivendum. Præterea commonet Hiſpaniæ regnum antiquis conſtitutionibus juris eſſe ſancti Petri, quod cum temporum injuria & Saracenorum tyrannide memoria labi cœperit, & modo ipſi Saracenos vicerint legatos mitti, ut illis ſignificent quantum beato Petro debeant, & eorum debitum in memoriam illis revocent.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei regibus, comitibus, cæteriſque principibus Hiſpaniæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn ignorare credimus prudentiam veſtram, quin ſancta & apoſtolica ſedes princeps & univerſalis mater ſit omnium eccleſiarum & gentium quas divina clementia ad agnitionem ſui nominis in fide Domini ac ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti per evangelicam & apoſtolicam doctrinam venire præordinavit: quibus hanc curam & perpetuam debet exhibere ſolicitudinem, ut ſicut ad conſervandam catholicæ fidei veritatem, ita quoque ad cognoſcendam & tenendam juſtitiam documenta & ſalutifera adminiſtret monita. Ad cujus diſpenſationis officium, quando ſecundum voluntatem Dei, quamquam invīti & indigni conſtituti ſumus, creditum nobis miniſterium valde pertimeſcimus, ſcientes quoniam & his qui prope & his qui longe ſunt debitores ſumus, nec apud ſuperbum judicem excuſationis locum habere poterimus, ſi noſtra taciturnitate eorum aut ſalus negligitur aut culpa fovetur. Cujus rei tam in propheticis quam evangelicis paginis multa nobis documenta, & cum terribilibus minis exempla propoſita ſunt, quæ egregius ille prædicator & apoſtolus intuens ait: *Neceſſitas evangelizandi mihi incumbit: væ enim mihi, ſi non evangelizavero.* Quapropter & nos, dilectiſſimi, qui præſentes ſecundum deſiderium noſtrum verbo non poſſumus, ſaltem abſentes per epiſtolam de ſalute veſtra vos admonere curavimus: ſcribentes vobis, ſicut in vos affectum debitæ caritatis habemus, primum quidem, ut gratias agentes Deo, qui vos regeneravit in ſpem vivam & incorruptibilem æternæ vitæ gloriam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſemper illum timeatis, & ex toto corde diligatis, transferentes in illum omne deſiderium veſtrum ſupra omnes divitias & honores hujus ſæculi, ſupra omnes non ſolum humanas, ſed & angelicas creaturas; ambulantes coram illo in omni fide & devotione ſicut electi filii, & in ſortem hæreditatis regni Dei per immenſam gratiam bonitatis ejus vocati, non detinentes ſecundum ſæcularem concupiſcentiam in

Cu

inju-

ANNO CHRISTI 1077.

injuſtitia quæ de veritate & æquitate ſua Deus vobis cognoſcere dedit, vel daturus eſt, ſed exhibentes vos fideles miniſtros ad faciendam juſtitiam, ad tuendam libertatem Chriſtianæ fidei & religionis in omni virtute & adminiſtratione regiæ poteſtatis veſtræ, ad laudem & gloriam nominis ejus qui vos multa gloria ſublimavit. Nam, quod ſemper vobis cordi eſſe volumus, inquit dilectoribus ſuis Sapientia per Salomonem: *Ego diligentes me diligo; honorificantes me honorabo*: contemptoribus vero minatur dicens: *Qui autem me contemnunt, erunt ignobiles*. Et apoſtolus Paulus generalem futuri ſententiam manifeſtans ait: *De juſto judicio Dei qui reddet unicuique ſecundum opera ejus*: His quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam; his autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Nolite ergo ſublime ſapere, aut propter eminentiam præſentis gloriæ humanæ conditionis, quæ æqua eſt regum & pauperum, obliviſci. Sed, ſicut idem apoſtolus monet, *humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis*. Nolite ſpem ponere in incerto divitiarum hujus ſæculi, ſed in illo, de quo ſcriptum eſt: *Per me enim reges regnant*, & alibi: *Quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: in quo & theſaurizate vobis divitias bonorum operum; conſtruentes ſtabile fundamentum, & melioris atque indeficientis ſubſtantiæ poſſeſſionem, ubi vitam ducatis æternam. Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus, cujus artifex & conditor Deus*. Et profecto voſipſi ſcitis, & quotidie videtis, quam fluxa & fragilis eſt vita mortalium, quam fallax & deceptoria ſpes præſentium. Semper enim volentes nolentesque ad finem curritur, & ſub tam certo periculo, nunquam tamen quam ſit vicina mors prævidere poſſumus: nec unquam diu tenetur quidquid de præſenti vita vel ſæculo quæritur aut poſſidetur. Quamobrem penſantes ſemper quæ ſint noviſſima veſtra, quantaque cum amaritudine de præſenti ſæculo nequam exituri, & in putredinem terræ ac ſordes pulveris reverſuri eſtis, quamque ſub diſtricto examine de factis veſtris rationem reddituri ſitis, contra futura pericula vos communite. Arma veſtra, opes, potentiam, non ad ſæcularem pompam tantum, ſed ad honorem & ſervitium æterni regis vertite: commiſſa vobis regni gubernacula ita gerite, ſic adminiſtrate, ut veſtræ virtutis & rectitudinis ſtudium omnipotenti Deo gratum juſtitiæ poſſit eſſe ſacrificium; quatenus & vos in ipſo ſperare poſſitis qui dat ſalutem regibus; & potens eſt eripere de manu mortis, ut ſuperinduat vos eminentiori claritate, & gaudiis vitæ perennis, & de caducis honoribus quos nunc habetis transferat vos in regnum gloriæ æternæ ſuæ, ubi nec beatitudo finem, nec gloria corruptionem, nec dignitas habet comparationem. Præterea notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem facere non eſt liberum, vobis autem non ſolum ad futuram, ſed etiam ad præſentem gloriam valde neceſſarium, videlicet regnum Hiſpaniæ ex antiquis conſtitutionibus beato Petro & ſanctæ Romanæ eccleſiæ in jus & proprietatem eſſe traditum. Quod nimirum hactenus & præteritorum temporum incommoda, & aliqua anteceſſorum noſtrorum occultavit negligentia. Dum poſtquam regnum illud a Saracenis & Paganis pervaſum eſt, & ſervitium quod beato Petro inde ſolebat fieri propter infidelitatem eorum & tyrannidem detentum, ab uſu noſtrorum tot annis interceptum eſt, pariter etiam rerum & proprietatis memoria dilabi cœpit. Verum quia divina clementia conceſſa vobis in hoſtes illos ſemperque concedenda victoria, terram in manus veſtras tradidit, ulterius vos cauſam hanc ignorare nolumus, ne quod ſupernus arbiter & legum ac juſtitiæ conditor de recuperanda & reſtituenda juſtitia & honore ſancti Petri, ejuſque ſanctæ & apoſtolicæ ſedis, veſtræ gloriæ ad bene merendum contulit, aut nobis ex taciturnitate in negligentiæ culpam, aut vobis ex ignorantia, quod abſit, ad detrimentum propoſitæ & divinitus oblatæ retributionis obveniat. Confidimus enim in miſericordia Dei, qui virtutem vobis dedit & victoriam, ut hanc etiam voluntatem vobis tribuat, quo cognita veritate potius ſtatuta Chriſtianorum principum & exempla ſequamini, quam eorum impietatem qui Chriſtianum nomen magis cupiunt perſequi quam venerari. Miſimus autem ad vos confratrem noſtrum Amatum venerabilem Elloreníem epiſcopum, cui & vicem noſtram ad partes illas dedimus, adjungentes ſibi hunc abbatem ſancti Pontii, virum venerabilem, fide & morum honeſtate probatum, ut quod nos de inſinuatione hujus cauſæ veſtræ celſitudini ſuccincte ſcripſimus, ipſi vobis, ſi neceſſe ſit, latius apertiuſque manifeſtent, & quantum ratio poſtulaverit, notitiam veritatis præſenti denuntiatione & certa aſſertione demonſtrent. Quorum conſiliis in his quæ ad Dominum pertinent, & ſaluti animarum veſtrarum neceſſaria ſunt, indubitanter poteſtis credere, ſicut nos in ipſis per ſtudium religionis & actuum ſuorum comprobavimus, & vos in eorum poteritis converſatione perpendere. Igitur quod ad nos pertinuit, aut providendum ex officio aut ſatisfaciendo juſtitiæ debito, Deo miſerante, fecimus, quid veſtræ cauſa ſalutis a vobis exigat, & quantum beato Petro apoſtolorum principi debeatis indicavimus, ne ignorantia obſit, nec ſub vana ſecuritate labentis lucis & temporis damnoſa vobis, quod abſit, ſubrepat negligentia. Vos autem quid veſtrum ſit attendite, quid fides & Chriſtiana devotio veſtri principatus ad imitationem piiſſimorum principum exequi debeat prudenti conſilio pertractate, diſponite, atque ſtatuite; & ita vos erga honorem beati Petri & ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ promptos atque magnificos exhibite, ut veſtra virtus & gloria, quæ Deo donante illuſtri victoria pollet, apoſtolicis interceſſionibus clarior fiat & excelſior, & eorum vos ſemper benedictio muniat, auctoritas a peccatis abſolvat, defenſio tutos & illæſos ab omni periculo protegat, quorum poteſtate divinitus illis tradita univerſitas hominum tam in cælo quam in terra ligatur & ſolvitur, & cæleſtis regni janua cunctis aperitur & clauditur. Data Carpinetæ quarto Kalendas Julii, indictione decimaquinta.

ANNO CHRISTI 1077.

Prov. 8. — 1. Reg. 2. — Rom. 2. — Prov. 8. — 1. Tim. 6.

LIBER QUINTUS REGISTRI GREGORII PAPÆ VII.

Anno ab incarnatione Domini millemo ſeptuageſimo ſeptimo, indictione decimaquinta. *

I. AD CANONICOS SANCTI MARTINI LUCENSIS.

Arguit eos quod contra ſua monita, & poſt promiſſam ſatisfactionem, canonicatus ac præben-

* Præter duas reliquas omnes pertinent ad indictionem primam.

das emerem. Quare omnibus qui eas ſic adepti fuerint, introitum majoris eccleſiæ & earum retentionem omnino interdicit. ANNO CHRISTI 1077.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei canonicis ſancti Martini Lucenſis eccleſiæ.

MEminiſſe debetis, quotiens & cum quanta cura vos monuerimus apud vos manentes, ne terrena peritura commoda majoris quam animas veſtras æſtimantes, ita vos ad obedientiam juſtitiæ exhiberetis, ut ulterius ſub excommunicationis vinculo, quod in acquirendis contra apoſtolica decreta præbendis vos incurriſſe manifeſtum erat, non permaneretis. Verum, ut ipſa res indicat ſubſtantiam veſtræ licet iniquæ poſſeſſionis pretioſiorem quam vosmetipſos facitis, qui ſpretis admonitionibus noſtris, & contempta apoſtolica auctoritate, pro luctis temporalibus, & explenda cupiditate veſtra, ſub maledicto anathematis poſt promiſſam nobis ſatisfactionem recidivo ac deliberato prævaricationis crimine jacere non pertimeſcitis. Quapropter quoniam tantæ præſumptionis contumaciam, & tam immanis avaritiæ culpam, noſtra nec taciturnitate diſſimulare, nec patientia non modo ad veſtrum, ſed ad illorum etiam cum quibus communicatis periculum, diutius fovere audemus, præſenti auctoritate omnibus qui inter vos contra apoſtolica privilegia beati Leonis papæ canonicas pecunia adepti ſunt, introitum majoris eccleſiæ, videlicet ſancti Martini, & eaſdem canonicas vel præbendas ulterius retinendi licentiam & poteſtatem ex parte omnipotentis Dei & beati Petri apoſtolorum principis uſque ad condignam ſatisfactionem interdicimus. Data Florentiæ tertio Idus Auguſti, indictione decimaquinta.

II. AD EPISCOPOS ET CLERICOS CORSICÆ.

Pro ſuo paſtorali officio mittit legatum epiſcopum Piſanum electum, qui vice ſua quæ ad religionem pertinent exequatur; cui ut debitam obedientiam exhibeant præcipit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis, clericis, conſulibus, majoribus & minoribus in inſula Corſica * *conſiſtentibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* exiſtentibus

QUoniam propter multas occupationes ad peragendum noſtræ ſolicitudinis debitum, ſingularum provinciarum eccleſias per noſmetipſos viſitare non poſſumus, neceſſarium valde eſt ut exigente ratione vel tempore aliquem modo ad illas partes mittere ſtudeamus, per quem commiſſa nobis ſecundum voluntatem Dei repræſentetur auctoritas, & dominici gregis ſalus atque communis provideatur utilitas. Scimus enim quoniam ſine detrimento & magno animarum periculo eſſe non poteſt, cum illius diligentia, ad quem ſumma negotiorum & curæ neceſſitas præcipue ſpectat, diu ſubditis ac commiſſis ſibi fratribus deeſt. Quapropter conſiderantes, & valde timentes, ne hujuſmodi erga vos providentiæ tamdiu prætermiſſum ſtudium & nobis in negligentiæ culpam reputetur, & veſtræ ſaluti (quod abſit) pernicioſum aut contrarium fuerit, data primum opportunitate, miſimus ad vos hunc fratrem noſtrum Landulphum Piſanæ eccleſiæ electum epiſcopum, cui & vicem noſtram in vobis commiſimus, ut ea quæ ad ordinem ſacræ religionis pertinent rite exequens, juxta prophetæ dictum, evellat & deſtruat, ædificet & plantet: cui vos obedire & unanimiter aſſiſtere volumus, admonentes, & apoſtolica auctoritate præcipientes, ut eum cum omni caritate & honore ſuſcipientes, talem ſibi honorem & reverentiam exhibeatis, qualem ex conſtitutione ſanctorum patrum iis exhibere oportet quos ſancta & apoſtolica ſedes in partem ſuæ ſolicitudinis aſſumendos, quibuſque vicem Romani pontificis committendam eſſe prævidet. Data Senæ Kalendis Septembris, indictione incipiente prima. ANNO CHRISTI 1077.

III. AD RODULPHUM ET RAINERUM EPISCOPOS.

Monet ut in eccleſia Volaterrana, quoniam de idonea epiſcopi perſona convenit, ab omnibus generalem electionem fieri procurent, & eum ſua vice confirment quidquid actum fuerit ſignificent, & electum pro ſuſcipienda conſecratione ad ſe quamprimum mittant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Radulpho Senenſi epiſcopo, & Rainerio * *Florentino, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Florentino epiſcopo

NOn ignorare vos credimus quantum ſolicitudinis quantumque fatigationis habuerimus, id agentes, ut in Volaterrana eccleſia ſecundum dominum, & auctoritatem canonum, utilis & idoneus eligeretur epiſcopus. Et quia ſecundum voluntatem Dei in perſonam Bonoiſi Mantuani archipresbyteri & noſtra conſilia & voluntas eorum qui de illa eccleſia ſunt convenit, apoſtolica vos auctoritate monemus, ut eamdem eccleſiam adeuntes, qualiter generalis electio fiat ab omnibus curetis, & eam ſicut moris ex antiqua ſanctorum patrum traditione fuiſſe cognoſcitis, noſtra vice confirmetis. Quo facto & rem quam ordinate facta fuerit nobis ſine dilatione certis literis veſtris indicate, & electum pro ſuſcipienda conſecratione quantocius ad nos cum ſolenni decreto cleri & populi deſtinate. Data Romæ decimoſexto Kalendas Octobris, indictione prima.

IV. AD CORSOS.

Lætatur, quod inſulam Corſicam, quæ antiquitus juris erat ſancti Petri ab invaſoribus vindicantes, ad apoſtolicæ ſedis ditionem reverti velint: in qua voluntate eos confirmat. Paratiſſimum ad eam rem auxilium pollicetur. Monet, ut legato ſuo qui provinciæ regimen ſuſcipiet fideliter obſequantur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis & viris nobilibus, cunctiſque tam majoribus quam minoribus in inſula Corſica conſiſtentibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SCitis fratres & cariſſimi in Chriſto filii non ſolum vobis, ſed multis gentibus manifeſtum eſſe, inſulam, quam inhabitatis, nulli mortalium, nullique poteſtati, niſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ ex debito vel juris proprietate pertinere: & quod illi qui eam hactenus violenter, nihil ſervitii, nihil fidelitatis, nihil penitus ſubjectionis aut obedientiæ beato Petro exhibentes, tenuerunt, ſemetipſos crimine ſacrilegii, & animarum ſuarum gravi periculo obligaverunt. Cognoſcentes autem per quoſdam fideles noſtros & veſtros amicos vos ad honorem & juſtitiam apoſtolici principa-

cipatus, ſicut oportere cognoſcitis, velle reverti, & diu ſubtractam ab invaſoribus juſtitiam beato Petro veſtris temporibus veſtriſque ſtudiis redhiberi, valde gaviſi ſumus: ſcientes vobis hoc non ſolum ad præſentem, ſed etiam ad futuram provenire utilitatem & gloriam. Nec diffidere quidem, aut quidquam in hac cauſa vos dubitare oportet: quoniam ſi modo veſtra voluntas firma & erga beatum Petrum fides immota permanſerit, habemus per miſericordiam Dei in Tuſcia multas comitum & nobilium virorum copias ad veſtrum adjutorium, ſi neceſſe fuerit, defenſionemque paratas. Quapropter, quod in hac re opportuniſſimum nobis viſum eſt, miſimus ad vos fratrem veſtrum Landulphum Piſanæ eccleſiæ *epiſcopum, cui etiam inter vos vicem noſtram in ſpiritualibus commiſimus, ut terram ex parte beati Petri & noſtra vice ſuſcipiat, & eam cum omni ſtudio & diligentia regat, & de omnibus rebus ac cauſis beato Petro & nobis per illum pertinentibus ſe intromittat: cui vos pro amore & reverentia ejuſdem beati Petri apoſtolorum principis obedire & fideliter in omnibus aſſiſtere volumus, & apoſtolica auctoritate monemus: & ut magis ſecurus magiſque ad omnia inter vos promptus eſſe valeat, fidelitatem quoque, ſi poſtulaverit, præmiſſa tamen ſancti Petri & noſtra noſtrorumque ſucceſſorum, non denegetis, nec aliqua occaſione ſibi facere recuſetis. Data Romæ decimoſexto Kalendis Octobris, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1077.

* in epiſcopum electum

V. AD AQUILEJENSES.

Illud ſe inter omnia præcipue deſiderare ſcribit, ut in unaquaque eccleſia talis eligatur, qui nomen & officium paſtoris habere dignus ſit: idcirco legatos ſe miſiſſe ad inquirendum diligenter de qualitatibus ab eis in epiſcopum electi: quem ſi idoneum reperierint, confirment: ſin minus alius eligatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Aquilejenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ANtiqua & nota ſacræ inſtitutionis eſt regula, non ab hominibus, ſed ab Jeſu Chriſto Deo & Domino noſtro pleniſſima ſuæ ſapientiæ conſideratione, & veritatis diffinitione ſancita, ipſo dicente in evangelio: *Qui intrat per oſtium paſtor eſt ovium, qui autem non intrat per oſtium, ſed aſcendit aliunde, fur eſt & latro.* Quapropter quod in eccleſia diu peccatis facientibus neglectum, & nefanda conſuetudine corruptum fuit, & eſt, nos ad honorem Dei & ſalutem totius Chriſtianitatis innovare & reſtaurare cupimus, videlicet ut ad regendum populum Dei in unaquaque eccleſia, exigente tempore, talis & eo ordine eligatur epiſcopus, qui juxta veritatis ſententiam non fur & latro dici debeat, ſed nomen & officium paſtoris habere dignus exiſtat. Hæc quidem noſtra voluntas, hoc noſtrum eſt deſiderium, hoc, miſerante Deo, noſtrum, quoad vixerimus, indefeſſum erit ſtudium. Cæterum quod ad ſervitium & debitam fidelitatem regis pertinet, nequaquam contradicere aut impedire volumus. Et ideo nihil novi, nihil noſtris adinventionibus ſuperinducere conamur, ſed illud ſolummodo quærimus, quod & omnium ſalus poſtulat & neceſſitas ut in ordinatione epiſcoporum, ſecundum communem ſanctorum patrum intelligentiam & approbationem, primo omnium evangelica & canonica ſervetur auctoritas. Quod autem nobis de electione apud vos facta ſignificaſtis, gratanter accepimus: & ſi ita rite factam eſſe conſtiterit, ut in nullo vobis ſacra contradicat auctoritas, teſte conſcientia noſtra valde gaudemus, & omnipotenti Deo gratias agimus. Verum quia (ſicut ſupra diximus) in hujuſmodi cauſa non ſecundum arbitrium noſtrum, ſed per viam & doctrinam orthodoxorum patrum incedere cupimus, miſimus ad vos hos legatos noſtros harum literarum portitores, ut cauſam undique diligenter inquirant; & ſi eum quem vos elegiſtis, vita, moribus & ſcientia ad apicem tantæ dignitatis idoneum & regulariter aſſignatum eſſe perſpexerint, electionem veſtram (ſicut juſtum eſt) noſtra vice confirment: ſin autem in eo aliquid contrarium & dignum reprehenſione, quo minus ad epiſcopale regimen pervenire debeat, invenerint; amoto illo, talem ſtudeatis eligere perſonam, quæ tanto honori & officio congruat, & quam noſtra per eoſdem legatos repræſentata auctoritas approbare & confirmare debeat. Illud enim ſcitote, quod ſi legalem & canonicam electionem vos feciſſe cognoverimus, omnia vobis & eccleſiæ veſtræ, quæ apoſtolica debet & valet auctoritas, cum omni caritate præſidia exhibeamus: & ſi quis aliter ad ſedem illam aſpirare præſumpſerit, procul dubio non ſolum contra eum, ſed etiam contra omnes fautores ſuos gladium ſancti Petri, & apoſtolicæ animadverſionis jaculum diſtricte vibratum & emiſſum ſentiet. Data Romæ decimoquinto Kalendas Octobris, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1077.

VI. AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ Aquilejenſis.

Monet eos diligenter curent, ut electio epiſcopi Aquilejenſis, propter quam legatos mittit, canonice fiat; ſchiſmaticis autem canonicæ electioni annitentibus miſericordiam pollicetur: ſi vero contra nitantur, aut ſi quis illam ſedem occupet, graves minatur pœnas.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis Aquilejenſis eccleſiæ ſuffraganeis, his qui ſe vere fratres * exhibuerunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem: illis vero qui non ſolum a caritate fraternitatis, ſed ab unitate etiam eccleſiæ ſchiſmatica pravitate diſceſſerunt, debitæ ſolicitudinis exhortationem.*

* exhibent

CLerus & populus Aquilejenſis eccleſiæ, legatis ad nos literiſque directis, nuntiaverunt nobis, defuncto nuper Sichardo epiſcopo ſuo, ſe archidiaconum ejuſdem eccleſiæ in locum illius regiminis elegiſſe, poſtulantes ut & nos electioni eorum noſtræ auctoritatis aſſenſum confirmationemque adhiberemus. Verum quia rem tantopere perſpiciendam adhuc incognitam in prima auditione tam ſubito approbare tutum non fuit, miſimus illuc legatos noſtros, ut cauſam & ordinem electionis ſubtili exploratione perquirant, & quidquid inde aut confirmandum aut reprobandum eſt, diligenti circumſpectione faciant. Monemus igitur & vos, quorum quidem multum intereſt, ut in hac re veſtræ ſolicitudinis ſtudium adhibeatis; quatenus, auxiliante Deo, talis ſit qui in culmine tantæ dignitatis præſidere debeat, ut vobis, qui ei manus imponere debetis, non triſtitiæ aut periculo, ſed gaudio & honori, & commiſſæ ſibi plebi ſaluti eſſe valeat. Vobis autem, qui neſcio an timore aut qua occaſione ſeducti manus & linguas veſtras novo & inau-

Joan. 10.

inaudito ſchiſmate polluiſtis, & ob hoc in laqueum anathematis incidiſtis, ſeorſum dicimus, quoniam ſi in præfata Aquilejenſi eccleſia aliquis dignus & idoneus in epiſcopum vobis ſincera voluntate annitentibus electus fuerit, cum conſilio illius & eorum fratrum qui in ſinu ſanctæ matris eccleſiæ firmiter perſtiterunt, quantam ſub obtentu divinæ gratiæ potuerimus miſericordiam vobis exhibere, & erratus veſtri pondus, quantum, Deo ſolatiante, audere & poſſe dabitur, portare parati ſumus. Sin autem vos contra hoc niti, & impedimenti objectiones quærere & invenire cognoverimus, in eam autem partem conſentire, ut contra divinam & canonicam auctoritatem quiſpiam ſibi ſedis illius occupationem præſumat, procul dubio & ille dignam ſuæ iniquitatis mercedem inveniet, & de vobis ſancta & apoſtolica ſedes, quanto provocata gravius, tanto culparum rationes exiget diſtrictius, judicabit acerbius. Data Romæ decimoquinto Kalendas Octobris, Indictione prima.

ANNO CHRISTI 1077.

VII. AD UDONEM TREVIRENSEM & ſuffraganeos.

Significat ſolicitudinem ſuam de regni Teutonicorum perturbatione ſedanda: qua de re ad omnes principes literas miſiſſe, ut tanto malo opem ferant: quæ cum an ad eos pervenerint neſciat, iterum exemplaria mittit una cum ſacramento Henrici regis, qui eo contempto ſuos legatos capi permiſerit. Hortatur eos ad eccleſiaſticam libertatem, & ad communem ſalutem defendendam.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Udoni Trevirenſi archiepiſcopo, & ejus epiſcopis ſuffraganeis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DE motu & perturbatione regni Teutonicorum quantam ſolicitudinem quantamque jam per longum tempus anxietatem ſuſtinuerimus, ille præ omnibus novit, qui omnium ſecretorum cognitor eſt & inſpector verus. Cui, etiam ſi tales exaudire dignatur, multas ſupplicationes fecimus, & faciemus, commonitis & exoratis multis fratribus & religioſis congregationibus ad ſtudium earumdem ſupplicationum, ut miſereretur gentis illius, nec ſineret eam in propria armari viſcera, & ad ruinam domeſticæ fortitudinis in bello confligere, ſed totius diſcordiæ cauſas ſua potenti virtute compeſceret, & ſua moderatione ſine funeſto & luctuoſo fine componeret. Literas quoque jam ante tres menſes & eo amplius illuc direximus, videlicet legatis noſtris Bernardo diacono noſtro, & item Bernardo religioſo Maſſilienſi abbati, quem captum eſſe audivimus, nec non & univerſis principibus terræ tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus perſonis, in quibus quod nobis ad evitandam cædem, incendia, & alia belorum pericula, optimum & in tanti negotii diffinitione juſtiſſimum videbatur, eos conſulendo & hortando cum omni ſtudio exequi admonuimus; & ut fortius inſiſterent apoſtolica auctoritate injunximus. Verum quia nobis non ſatis compertum eſt, utrum ad vos pervenerint illæ literæ, aut ſi perlatæ ſint, ne forte de earum veritate aliquid dubitetis, eaſdem vobis de noſtris exemplaribus reſcriptas mittere curavimus, admonentes vos, & per veram obedientiam præcipientes, modis omnibus operam detis, ut cauſa ſecundum ſententiam earum literarum pertractata finem habeat & accipiat. Miſimus etiam vobis ſacramentum quod rex Henricus nobis per fideles ſuos quoſdam fecit, data quidem propria manu ſua in manum abbatis Cluniacenſis, ut perlecto eo cognoſcatis quam recte quamque honeſte pro ſuo nomine ſe erga nos habuerit: quippe a cujus fidelibus legati noſtri poſtea capti ſunt, videlicet * Gerardus Oſtienſis epiſcopus in Longobardia, Bernardus abbas Maſſilienſis in terra Teutonica; unde eum nihil adhuc dignum feciſſe cognovimus. Quamquam nos nunquam eum in aliqua cauſa, Deo providente, hac occaſione contravenire, juſtitiam circumvenire aut gravare velimus, ſicut etiam poſt cœptum negotium nunquam apud nos aut precibus aut aliqua oſtentatione amicitiarum vel inimicitiarum obtinere potuit, ut quidquam pro eo præter quod juſtum videretur dicere vel cenſere vellemus. Atque in ea re quoad vixerimus incunctanter, Deo adjuvante, perſiſtere nullo periculo vitæ vel mortis deterrebimur. Agite ergo, dilectiſſimi fratres, ut appareat quantum libertatem eccleſiæ & communem ſalutem omnium diligatis: ſcientes, quoniam ſi cauſa neglecta fuerit, & ad graviorem (quod abſit) exacerbationem venerit, non ſolum genti veſtræ & regno Teutonicorum, ſed quoad fines Chriſtianitatis ſunt, damna, pericula, confuſionem, & inæſtimabiles miſeriarum cauſas, pariet. Data Romæ ſecundo Kalendas Octobris, Indictione prima.

ANNO CHRISTI 1077.

* Bernardus

VIII. AD RICHERIUM, RICHARDUM, & eorum ſuffraganeos.

Aurelianenſis epiſcopi multa ſcelera perſtringens, præcipit eis, ut ad examen illius actionum convenientes, eum ad reſpondendum literis convocent: qui ſi vel venire noluerit, vel de objectis non ſe purgaverit, depoſitum & privatum illum declarent, quam ſententiam jubet promulgari, & in ejus locum * Saxonem quemdam ſubrogari.

* Saxonem de quo ep. XIV. XV.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Richerio Senonenſi archiepiſcopo, & Richardo * Biturigenſi, eorumque ſuffraganeis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Biturigenſi & ſi jam pr.

SIcut quorumdam veſtrum novit fraternitas, multis jam clamoribus multiſque literis elaboravimus, ut Aurelianenſis eccleſia ad priſtinum ſuæ nobilitatis ſtatum revocaretur: ſed peccatis, ut credimus, populi promerentibus, ita pſeudoepiſcoporum ibidem occupatio prævaluit, quod adhuc omnino ſpinas confuſionis ſuæ extirpare non potuimus. Quanta enim inobedientia Rainerius dictus eorum epiſcopus contra auctoritatem ſedis apoſtolicæ ſe armaverit, & in quantam confuſionem quantumque detrimentum eccleſiam illam perduxerit, licet vos ſcire non dubitamus, quoſdam tamen exceſſuum ſuorum religioni veſtræ nominatim dicere procuravimus. Dicitur ſiquidem legitimam ætatem non habens contra decreta ſanctorum patrum ſine idonea cleri & populi electione eccleſiam invaſiſſe. Dicitur etiam huic iniquitati illud addidiſſe, ut in promotione clericorum archidiaconatus & abbatias per negotiationem vendendo, nullam honeſtatem nullumque Dei timorem ſervaverit. Super hoc etiam bis & ter fraterna caritate a nobis vocatus, non ſolum ad nos venire neglexit, ſed etiam aliquem, qui eum de objectis legitime excuſaret, mittere contempſit, & a nobis interdictus, quinimo a communione corporis & ſanguinis Domini ſeparatus, officium epiſcopale celebrare non timuit. Benedi-

ANNO CHRISTI 1077.

dum etiam deferentem literas noſtras in captione ſuorum ad contemptum apoſtolicæ ſedis diu affici permiſit. Quapropter iniquitatem ejus deinceps non ferentes, apoſtolica auctoritate vobis præcipimus, ut ad examinationem actuum ſuorum in locum quem magis aptum probaveritis conveniatis, ad quem prius literis veſtris eum convocetis, ibique de ſupradictis vobis reſpondeat, &, ſi poteſt, ſe innocentem reddat. Quod ſi forte in ſuperbia ſua permanens infra quadraginta dies admonitionis venire contempſerit, aut veniens de omnibus ſupradictis canonice ſe non expurgaverit, judicio ſancti Spiritus & auctoritate apoſtolica ſententiam damnationis & depoſitionis ſine omni ſpe reſtitutionis in eum promulgamus. Quam vos, ſicut decet, ſequentes per aures circumſtantis populi diffundite, & Saxonem ipſum, de quo vos mihi ſcripſiſtis, qui beati Petri conſilium & noſtrum expetiit, in loco illius depoſiti ſecundum Deum ſubrogate. Data Romæ ſecundo Nonas Octobris, Indictione prima.

IX. AD RAINERIUM EPISCOPUM Aurelianenſem.

Præcipit ut intra L. dies ad locum quem Senonenſes & alii epiſcopi, quibus id commiſit, probaverint, conveniat de objectis criminibus ſe purgaturus. Quod ſi parere neglexerit, vel ſe non purgaverit, damnationis ſententiam ſine ſpe reſtitutionis in eum promulgat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Rainerio dicto Aurelianenſi epiſcopo.

LIcet non alias niſi damnationis literas ab apoſtolica ſede jam ex longo tempore inobedientia tua promeruerit, nos tamen ex radice infructuoſæ mentis tuæ aliquid boni in vanum excutere tentantes, hanc noſtram tibi curavimus mittere legationem, videlicet ut in præſentia confratrum noſtrorum Richerii Senonenſis archiepiſcopi, & Richardi Biturigenſis, nec non ſuffraganeorum ſuorum, & aliorum religioſorum qui Deum timeant, reſponſurus de objectis venias. Quibus literas noſtras miſimus, ut ipſi in eo loco, quem magis habilem & aptum probaverint, conveniant, & cauſam tuam diligenter perquirant. Terminum autem examinandi hujus negotii infra quadraginta dies poſt receptionem literarum noſtrarum præfigimus. Et quia de objiciendis tibi cautum te atque providum reddere volumus, ea tibi ante pertractationem negotii inſinuamus. Dicere ſiquidem legitimam ætatem non habens, contra decreta ſanctorum patrum, ſine idonea cleri & populi electione te eis injeciſſe. Diceris enim huic iniquitati illud addidiſſe, ut in promotiones clericorum, archidiaconatus & abbatias per negotiationem vendendo, nullam honeſtatem nullumque Dei timorem ſervaveris. Super hoc etiam, ut nobis videtur, bis & ter fraterna caritate a nobis vocatus, non ſolum ad nos non veniſti, ſed etiam aliquem, qui te de objectis juſte excuſaret, mittere contempſiſti. Stupenſus etiam ab epiſcopali officio, & a communione corporis & ſanguinis Domini, publicas miſſas celebrare non timuiſti. Clericum etiam deferentem literas noſtras diu in captione tuorum ad contemptum apoſtolicæ ſedis diu affici permiſiſti. Quapropter ſi cognoſcis te ſuper his omnibus inculpabilem, ad conventum confratrum noſtrorum adire atque reſpondere nulla ratione prætermittas. Quod ſi in ſuperbia tua permanens aut illuc venire contempſeris, aut veniens de his omnibus canonice te non expurgaveris, judicio ſancti Spiritus, & auctoritate apoſtolicæ ſedis, ſententiam damnationis ſine omni ſpe reſtitutionis in te promulgamus. Data Romæ ſecundo Nonas Octobris. Indictione I.

ANNO CHRISTI 1077.

X. AD REGEM DANIÆ.

Commendans ejus patris defuncti obſervantiam erga Romanam eccleſiam, hortatur ut orationibus & eleemoſynis illi ſuffragetur, atque ejus in Romanam eccleſiam obſequium imitetur, & in regni adminiſtratione, præcipue in tuenda eccleſia, cupit ut legatos ad ſe mittat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei regi Danorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SAncta & univerſalis mater noſtra, Romana eccleſia ſcilicet, quanta dilectionis & amoris inſtantia erga patris tui curam & honoris tui ſolicitudinem invigilaverit, te plene noſſe, nec tui memoria excidiſſe dubitamus, videlicet cum ipſe reminiſci poteris, quam puram ſemper, & in omnibus ſervitutis & debitæ obedientiæ reverentiam circa beati Petri apoſtoli honorem exhibuerit. Suis namque temporibus, ut apoſtolica teſtatur eccleſia, tam devotum, tam fidum, tamque unicum in amoris ſui ſtudio fuiſſe filium novimus, ut pene in regibus nullus inveniretur ſecundus, & ni diabolico inſtinctu incentivas vitiorum illecebras imitans corporis ſui frena laxaſſet, inter optime Deo placentes reges illum cælicas ſedes inhabitare nequaquam dubitaremus. Sed quoniam credimus, apoſtolis quibus fidelis extitit opitulantibus, Domini illum miſericordia & gratuita pietate lamenta pœnitentiæ ante vitæ ſuæ finem contrito corde arripuiſſe, veniam poſſe conſequi non dubitamus, immo ſui memores in orationibus noſtris ſibi concedi caritatis affectu rogamus, & te, ut optimum decet filium, ei ſuccurrere largis eleemoſynarum ſubſidiis & eccleſiarum orationibus hortamur. Decet enim ut qui te ſui corporalis & ſæcularis regni ſeu honoris hæredem ut bonus pater reliquit, ſpiritualibus auxiliis, prout eſſe poterit, ne videatur fraudari; quatenus res, quæ tibi decus paterni miniſtrant regni, manibus pauperum delatæ, in cælo patri conferant auxilium requiei. Nunc vero, fili cariſſime, apoſtolica te invitatione monemus, ut patris tui fidem & dilectionem, quam erga apoſtolicam gerit eccleſiam corde proſpicias, fide intendas, mente advertas, & ſic te filium beati Petri apoſtoli exhibeas, quatenus ſereno te vultu conſpiciens in hæreditatem ſuperni regni, in locum piæ retributionis, ut dignam ſobolem introducat. Si vero te devotum proſpexerit, profecto vocem pii tui magiſtri aſſumeris, dicet: *Volo ut ubi ego ſum, & hic ſit meus.* Sic enim a Domino poteſtatem accepiſſe credimus, ut quem ligaret ligatus, & quem ſolveret, in cælis eſſet ſolutus. Et idcirco iterum iterumque monemus, ut te ita dignum acceptabilemque, prout fragilitas humana permiſerit, Domino concedente, omni annixu perficere ſatagas, ut tam præſentis quam etiam futuri regni ſublimitatem obtinere valeas. Quod ſi forte pater etiam tuus, diabolo ſuadente, aliqua incurrit animæ detrimenta, cælum potius, immo cæli Dominum, hortamur attendas quam terram, & contra ea tui creatoris invincibilia arma corde quotidie puro expoſcas; quatenus & profectu apoſtolici filii lætemur, & tuis compari-

Suffragia pro defunctis.

Joan. 17.

ribus regibus incitamenta valeas præbere virtutum. Monemus insuper, carissime, ut tibi commissi a Deo regni honorem omni industria, solertia, peritiaque custodias. Sit vita tua digna, sapientia referta, justitiæ & misericordiæ condimento saleque condita, ut de te vera sapientia, quæ Deus est, dicere queat: *Per me reges istæ regnant*. Pauperum & pupillorum ac viduarum adjutor indeficiens esto: sciens pro certo quoniam ex his operibus & condimentis amor tibi reconciliatur Dei. Audivimus insuper, nec dubitamus, quod Dei ecclesia, quæ mater & domina nostra est, sicut in multis aliis terrarum partibus, ita in vestris ab iniquis hominibus & diaboli membris comprimatur, & non ut decet tueatur & veneretur. Ad cujus auxilium & tuitionem in omnibus & super omnia te invigilare volumus, & paterne monemus. Nam talibus non resistere, quid aliud est quam fidem negare? Quapropter monemus & obtecramus, ut posthabito omni humano odio, invidia postposita, etiamsi incubuerit morte, eam eruere, protegere, fovere, tueri, & ab insidiantium faucibus luporum eripere pro posse labores; sciens pro certo, quod nullam orationem, nullumque gratius sacrificium in supremi arbitri oculis poteris offerre. Vorum insuper nostrum tale, Deo teste est, quod sæpe velimus nuntios tuos videre, per quos possemus tui salutem, animæ videlicet & corporis, plenius agnoscere, & te mutua vice, prout Deus concederet, apostolicis institutionibus excitare. Omnipotens Deus, a quo bona cuncta procedunt, meritis beatissimorum apostolorum Petri & Pauli te, carissime fili, custodiat, & sua virtute & pietate corroboret: quatenus sic in ipso temporalia administrare valeas, ut post hujus vitæ metam æterni regni gloriam obtinere merearis. Data Romæ octavo Idus Novembris, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1077.

Proverb. 8.

Regem non tueri ecclesiam est fidem negare.

XI. AD HUGONEM DIENSEM EPISCOPUM.

Confirmat excommunicationem ac depositionem ab eo factam cujusdam juvenis in Carnotensi ecclesia intrusi. Ad quam regendam cum abbas sanctæ Euphemiæ a rege Francorum postularetur, præcipit ut voluntate omnium diligenter perquisita, quidquid pro ejus canonica electione, vel contra eam inveneris, per literas sibi significet.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Hugoni Diensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

QUid de negotio Carnotensis ecclesiæ actum sit, tua relatione, remota omni ambiguitate, sicut oportuerat, cognoviſſe vellemus. Pervenit enim ad aures nostras te excommunicasse, & irrecuperabiliter deposuisse quemdam juvenem illuc indigne appositum pro episcopo: quod quidem, si ita est, nobis multum placet, & præsenti auctoritate confirmamus. Cæterum fraternitati tuæ notum esse volumus, Philippum regem Francorum iterata postulationum missione ad nos direxisse pro Roberto abbate monasterii sanctæ Euphemiæ de Calabria, qui & hoc in anno, cum in Longobardia eramus, per nos transiit in Franciam, ut eum ad regimen Carnotensis ecclesiæ episcopum probaremus & ordinaremus. Reversus est etiam ille idem Robertus abbas ad nos, dicens se donum episcopatus offerente rege refutasse, nec quidquam inde sine nostro consilio facere voluisse vel facturum esse: veneruntque cum eo duo clerici prædictæ ecclesiæ referentes nobis, & multum affirmantes, pene omnium qui de eadem ecclesia sunt majorum & meliorum voluntates in hunc convenisse; non tamen aliquam de eo electionem factam esse. Verum quia, sanctorum patrum statuta sequi & observare cupientes, nihil de eo aut de promotione ejus sine electione ecclesiæ nobis probandum esse judicavimus, nec idipsum quod isti nobis de voluntate absentium referebant satis constabat, prudentiam tuam admonemus, ut ecclesiam illam aut per te, aut per fidelem & probatam tibi personam, visitare studeas, & voluntatem omnium tam majorum quam minorum super hac re diligenti inquisitione cognoscas. Quod si causam ex omni parte divina miseratione & dispensatione ita coaptare posse videris, ut illorum in hunc, quem supra diximus, abbatem voluntas libera, consideratio prudens, electio canonica, & sanctorum patrum regulis consonans dignoscatur, quam citissime nobis certa literarum tuarum significatione indicare procures: ut quæ ad effectum hujus dispensationis necessaria sunt, Deo auctore exequi & implere possimus. Sin autem aliter aliquid inveneris, quod & causa potior & ratio probabilior administret, itidem nobis notificare non differas: quatenus in quo oporteat nobis & ecclesiæ providere, ac salubriter, Deo adjuvante, quod officii nostri est impendere * valeamus.

ANNO CHRISTI 1077.

valeamus. Datum Romæ indict. I.

XII. AD MICHAELEM REGEM SCLAVORUM.

Ut alios nuntios mittat, per quos, causa inter Spalatanum & Ragusanum episcopos diligenter cognita, ejus petitioni satisfacere possit.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Michaeli Sclavorum regi, salutem & apostolicam benedictionem.

COgnoscat debitæ tuæ devotionis circa sedem apostolicam reverentia, Petrum apud vos dictum nostrum legatum adhuc ad nostram non advenisse præsentiam, suas tamen misisse literas, quæ ita vestris dissonantes existunt, quod vestram causam, seu Ragusanæ ecclesiæ, penitus finire nequivimus. Quapropter Petrum Antibarensem episcopum atque Ragusanum, sive alios idoneos nuntios, ad nos mittere oportet, per quos de lite quæ inter Spalatanum archiepiscopum ac * Ragusanum, justitia possit inquiri, ac canonice diffiniri, tuique regni honor a nobis cognosci. Tunc vero re cognita, tuæ petitioni juste satisfacere, secundum quod cupimus, valebimus, ac in dono vexilli, & in concessione pallii, quasi carissimum beati Petri filium, dictante rectitudine audiemus. Data Romæ quinto Idus Januarii, indictione prima.

Ragusinum & sic semper.

XIII. AD GUIBERTUM RAVENNATEM Archiepiscopum, &c.

Temeritatem eorum in offendenda sancta Romana ecclesia incusans, saluti ipsorum consulens, ad synodum eos vocat, promittens eos securos fore, seque justitiæ rigorem temperaturum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Guiberto Ravennati archiepiscopo, omnibusque suffraganeis ejus & universis episcopis & abbatibus in marchia

chia Firmana & Camerina, & in Pentapoli & Æmilia & Longobardiæ partibus conſtitutis.

ANNO CHRISTI 1077.

SAlutem vobis cum apoſtolica benedictione libenter mitteremus, ſi veſtræ temeritati ſanctorum patrum auctoritas non obſtitiſſet. Quam graviter enim ultra quam Chriſtianos oporteret beatum Petrum apoſtolum ejuſque ſanctam Romanam eccleſiam, veſtram utique omnium fidelium matrem, offenſam atque commotam reddiſtis, Deus eſt teſtis, ſanctorumque patrum regula, veſtraque conſcientia. Sed quoniam humanum eſt peccare, Deique peccantibus converſis veniam tribuere; ipſa quæ ejuſdem Dei & Domini ſanguine fundata eſt eccleſia ad gremium suum redire vos adhuc ut mater expectat: neB quaquam in veſtra graſſari deſiderat nece, immo veſtræ cupit ſaluti occurrere. Quapropter moti tam veſtra quam omnis gregis Chriſti nobis commiſſi ſalute, ex omnipotentis Dei parte & Romanæ eccleſiæ, univerſalis videlicet matris, apoſtolica auctoritate monemus & invitamus vos, ut ad ſynodum, quam, Deo auctore, in proxima venturæ quadrageſimæ prima hebdomada celebraturi ſumus, conveniatis: ſcientes vos ſecuros fore ab omni læſione vitæ & membrorum, rerumque veſtrarum, & ab omni ſæculari injuria, eorum ſcilicet quos conſtringere poterimus. Scitis etiam quod apud nos nullius unquam odium aut preces ſeu turpis jactantia locum obtinere poterit, quo contra vos in aliquo injuſtitiam exC ercere poſſit, immo rigorem juſtitiæ (prout poſſimus) temperantes, indulgere vobis quantum ſine detrimento animarum veſtrarum & noſtro periculo poterimus parati ſumus. Deſideramus enim potius, Deo teſte, veſtræ ſaluti & populi vobis crediti conſulere, quam noſtro ſæculari commodo in aliquo providere. Data Romæ quinto Kalendas Februarii, indictione prima.

XIV. AD AURELIANENSES.

Ut Sanzoni, qui confutatis omnibus ſibi ab æmulis obiectis criminibus coram epiſcopis delegatis, dignum ſe Aurelianenſi epiſcopatu, ad quem electus fuerat, demonſtravit, omnem hoD norem ac reverentiam exhibeant, donec diffinitivam ſententiam, adhuc ſuſpenſam, declaret.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Aurelianenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LIteras a vobis delatas apoſtolicam ſedem accepiſſe non ignorare vos credimus, quibus electio epiſcopalis facta in Sanzone eccleſiæ veſtræ clerico intimabatur: quibus quoniam honeſtatem ejus jampridem agnovimus, fidem accommodare aſſenſumque præbere parati ſumus. Sed quonam inſtinctu quove actu neſcimus inopinatæ literæ nihil priorum ſenſus habentes, immo contraria ſententes, ad noſtram præſentiam delatæ ſunt, noſtram diffinitivam ſententiam, ne facere aliquid ſuper hoc negotio præcipitanter & inordinate videremur, quoadusque nobis aut nuntium ſeu literas veſtras mittatis, per quas omnia ejuſdem negotii acta plenius cognoſcamus, ſuſpendere dignum duximus. Tamen unum vos ſcire volumus, quod clericos illos, qui a vobis literas nobis detulerant, quique Sanzoni contraria ſentiebant, una cum prænominato Sanzone coram epiſcoporum noſtrorum præſentia diligenter perſcrutari A fecimus: quatenus, utriuſque partis veritate prænoſcita, quid improbandum abigeremus, quidve approbandum laudaſſemus. Tandem pene omnia, quæ ſui emuli ſibi objecerant, Sanzo ipſe confutatus, ſibi magis favere juſtitiam nobis dignis aſſertionibus demonſtravit. Verum quia nihil ſuper hoc negotio aliiſque ſuis cauſis abſque noſtro apoſtolico conſenſu conſiliove agere cupit, immo ſe ſuaque omnia ſub tutela ſedis apoſtolicæ conſtituit, quantum ſibi juſte ſubvenire, Deo concedente, poſſumus, non denegamus. Interea apoſtolica manſuetudine tam vos, quam cæteros ubicumque poſſeſſionem habet, monemus, & auctoritate præcipimus, ut omnem honorem omnemque reverentiam ſibi exhibere non denegetis, ac eum cum omnibus quæ ſua ſunt tute & ſine omni moleſtia ſeu inquietudine manere permittatis: ſcientes quod ſi aliter feceritis (quod non credimus) ac ei honorem reverentiamque ſubtraxeritis, & eum & quæ ſua ſunt quiete & ſecure manere minime permiſeritis, ita in vos ſicut in hoſtes noſtros & apoſtolicæ ſedis adverſarios vindictam & apoſtolicæ ultionis gladium exeremus. Nos vero cum prædicto viro Sanzone, Deo juvante, tale conſilium adinveniemus, quod honor veſtræ eccleſiæ & utilitas in omnibus melius quam ſolito vigebit. Data Romæ * quinto Kalendas Februarii indictione prima. * IV

XV. AD GERMANOS.

Legatos apoſtolicos in ſynodo Romana pro concilianda pace in regno Teutonico fuiſſe deſignatos ait, quos impedire ſi quis præſumat, eum excommunicat. Præſentium portitorem hac de cauſa directum fuiſſe, ut cum archiepiſcopo Trevirenſi de loco & tempore conventus ſtatuat, quo legati apoſtolici ſecurius ire poſſint.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei archiepiſcopis, epiſcopis, clericis, ducibus, principibus, marchionibus, omnibuſque majoribus & minoribus in Teutonico regno conſtitutis, exceptis his qui canonica excommunicatione tenentur, ſalutem & apoſtolicam * benedictionem.* * benedictionem ſi decretis R. II obediru.

NOtum vobis fieri volumus, fratres cariſſimi, quod in ea ſynodo, quam nuper Romæ celebravimus, inter multa alia quæ de ſtatu ſanctæ * eccleſiæ, Deo cooperante, peregimus, de ruina & confuſione nobiliſſimi regni veſtri diligenter tractantes, hoc ſalutiferum & opportunum pro reparatione pacis veſtræ fore putavimus, ut religioſi legati apoſtolicæ ſedis ad partes veſtras dirigantur, qui archiepiſcopos, epiſcopos, & religioſos clericos, nec non laicos ad id idoneos, in loco qui utrique parti habilis & congruus ſit, convenire commoneant, ut aut pacem, Deo auxiliante, inter vos componat, aut cui parti juF ſtitia faveat veraciter addiſcant. Nam in eadem ſynodo diffinitum eſt, quod nos contra eam partem, quæ pacem faſtu ſuperbiæ refutaverit, & cui juſtitia non faverit, omni conamine omnibuſque modis poteſtate beati Petri inſurgamus. Et quia nonnullos de regno veſtro intelleximus magis jurgium & diſcordiam quam pacem diligere, ex parte omnipotentis Dei & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli interdicimus, ut nullus ſit qui aliquo ingenio aut ſtudio ſeu violentia impediat prædictos viros ad reſtaurandam regni veſtri concordiam convenire, aut convenientes juſtum & legalem huic diſcordiæ finem imponere. * Romanæ eccleſiæ.

re. Ad reprimenda etiam mala ingenia & illicitos conatus, judicio ſancti Spiritus, & auctoritate apoſtolicæ ſedis, anathematizavimus & anathematizamus, quicumque ſive rex, ſive archiepiſcopus, ſive epiſcopus, ſive dux, ſive marchio, ſive alicujus dignitatis vel ordinis perſona ſit, præſumpſerit ullo modo hanc ſalutiferam conſtitutionem perturbare, videlicet qui operam dederit, ne prædictus conventus fiat, aut concordia tantæ perturbationis. Adjecimus etiam eidem anathemati, ut quicumque hujus iniquitatis præſumptor fuerit, non ſolum in anima, ſed etiam in corpore, & in omnibus rebus ſuis vindictam omnipotentis Dei ſentiat, & in omni congreſſione belli nullas vires, nullumque in vita ſua triumphum obtineat, ſed duplici contritione proſtratus ſemper vileſcat & confundatur, ut ſic ſaltem ad pœnitentiam redire addiſcat. Præſentium vero portitorem ad hoc vobis dirigimus, ut una cum venerabili fratre noſtro Treverenſi archiepiſcopo, qui Henrico favet, & altero, qui utilis & religioſus ad hoc ſit opus, epiſcopus ex parte Rodulphi locum & tempus prædicti conventus ſtatuant; quatenus legati noſtri, quos præfati ſumus, ſecurius & certius ad vos venire, & quæ omnipotenti Deo placeant, ipſo auxiliante, vobiſcum valeant perficere. Data Romæ ſeptimo Idus Martii, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1078.

XVI. AD UDONEM TREVIRENSEM.

Hortatur ut pro componenda in regno Teutonicorum pace laboret; & notificato pontificis de pace conſilio ad ſe veniat, ne legatos fruſtra & cum periculo mittat. Monet ut cui juſtitia favet ipſe quoque faveat, atque alios idem facere moneat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Udoni Trevirenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUanta nobis ſolicitudo quantaque triſtitia ſit de perturbatione immo de diſſidio regni veſtri olim clariſſimi & potentiſſimi, in communibus literis quas hoc in anno ad vos miſimus ſatis vobis declaratum eſſe putamus. Verum quia res de die in diem pernicioſius implicari videtur, nobis quoque cura cum nimia anxietate altius in mente figitur. Proinde quidquid nobis ſuper hac re ad præſens melius viſum eſt, quod noſtra providentia vel auctoritate intervenire potuiſſet, maturare curavimus: quod tua fraternitas literis, quibus id ſingulariter ſcriptum eſt, pleniùs cognoſcet. Rogamus igitur & admonemus prudentiam tuam, in qua multum confidimus, ut ſecundum tenorem earumdem literarum ſine omni dilatione de cauſa hac te intromittas, & omnibus tam minoribus quam majoribus, quoad potes, quid a nobis deliberatum, & qualiter tibi injunctum ſit, notum facias: ut miſerante Deo, & adjuvantibus his qui Dominum diligunt, tam feralis diſcordiæ furorem aut penitus compeſcere & (quod maxime optamus) ad plenam pacem reducere poſſimus; aut ſi illud peccatis impedientibus minime obvenire poterit, ſaltem nos in tanto fratrum noſtrorum periculo culpam negligentiæ declinemus. Notificato autem conſilio & decreto noſtro, & requiſitis utrinque reſponſionibus, ut eam certitudinem & conſenſum inveniatis, ne in mittendis legatis nobis dubitandum non ſit, ordinatis & confirmatis omnibus quæ ad proſequendum hoc negotium loco, tempore vel cæteris convenientiis neceſſaria ſunt, volumus ut tu & frater ille qui tecum hujus rei mediator eſſe debuerit, conſeſtim ad nos veniatis: quatenus cognitis ſecuritatibus, & quæ ſpes pacis eſſe debeat, legatos noſtros tam ſine periculo quam ſine deſperatione fruſtus laboris & fatigationis eorum vobiſcum mittere valeamus. Nec durum tibi ſit, frater, ſubire quod imponimus; quoniam ex quo in eccleſia locum ſacerdotii & officium ſuſcepiſti, nihil Deo dignius aut animæ tuæ ſalubrius feciſti, quam ſi in hac re nequitiam diabolicæ fraudis elidere, & ſaluti tot millium hominum, opitulante Deo, conſulere potueris: & ſi hoc fatigationi tuæ pro voto non ſucceſſerit, tibi tamen apud illum certa manet retributio, apud quem non infectum reputabitur omne bonum quod juſta & perſeveranti voluntate concipitur. Illud tamen a dilectione tua omnino nobis exhiberi volumus, ut etiamſi illum alium, quem hujus rei mediatorem te habere ſupra diximus, ſocium itineris habere non poſſis, tu tamen ad nos venire nullatenus prætermittas. Præcipimus etiam tibi ex auctoritate B. Petri, ut cui juſtitia favet, tu omnino faveas, & hoc idem facere clericos & laicos quos poteris ex parte noſtra commoneas. Treva etiam a vobis proviſa uſque ad quindecim dies poſt conventus ſolutionem illeſa ſervetur. Volumus autem ut apud regem diligenter procures, quatenus legati noſtri qui in partibus illis ſunt, Bernardus ſcilicet diaconus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & Bernardus Maſſilienſis abbas, ſi voluerint, licenter & ſecure ad nos redire valeant. Data Romæ ſeptimo Idus Martii, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1078.

XVII.

Significat ſe temperantiam potius quam rigorem canonum ſecutum, cauſas epiſcoporum Franciæ & Burgundiæ diſcuſſiſſe, & cum ſingulis mitius egiſſe; præcipue vero cum Manaſſe Rhemenſi archiepiſcopo, cujus etiam juramenti exemplar adjicit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

QUia conſuetudo ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui Deo auctore licet indigni deſervimus, eſt quædam tolerare, quædam etiam diſſimulare, diſcretionis temperantiam potius quam rigorem canonum ſequentes, cauſas epiſcoporum Franciæ atque Burgundiæ, qui ſuſpenſi ſeu damnati a legato noſtro Hugone Dienſi epiſcopo fuerant, non ſine gravi labore diſcuſſimus. Deniqùe Manaſſem Rhemenſem archiepiſcopum, qui in multis accuſatus fuerat, ſeſeque a ſynodis, ad quas Hugo Dienſis epiſcopus eum invitavit, ſubtraxerat: quia ſententia ſuper eum data non Romanæ eccleſiæ gravitate & ſolita manſuetudine videbatur, in proprium gradum officiumque reſtituimus, ea quidem ratione, ut ſupra corpus ſancti Petri juraret hoc modo:

Ego Manaſſes Rhemenſis archiepiſcopus pro ſuperbia non dimiſi quod non venerim ad ſynodum Auguſtodunenſem, ad quam me Dienſis epiſcopus vocavit. Si vocatus nuntio vel literis apoſtolicæ ſedis fuero, nullo malo ingenio & nulla fraude me ſubtraham, ſed veniens diffinitioni & judicio hujus eccleſiæ fideliter obediam. Quod ſi domino papæ Gregorio vel ſucceſſori ſuo placuerit me de objectis ante legatum ſuum reſponde- Juramentum.

re,

re, idem per omnia faciam. Theſauros autem, ornamenta, & prætia Rhemenſis eccleſiæ mihi commiſſa ad honorem ipſius eccleſiæ fideliter tractabo, & ad reſiſtendum juſtitiæ ea non abalienabo. ANNO CHRISTI 1078.

Hugoni quoque Biſuntino archiepiſcopo, quia literæ, quibus invitabatur ad ſynodum, a clericis ſuis retentæ, & non ſibi oſtenſæ fuerant, ſuſpenſo in eadem ſynodo epiſcopale officium reddidimus, hac conditione, quod debeat ſe de objectis coram legato noſtro, ſi ei viſum fuerit cum ſuffraganeis aut convicinis epiſcopis expurgare. Richerio vero Senonenſi archiepiſcopo interdictum reddimus officium. Promiſit enim in manu noſtra, quod ſive per ſe, ſive per nuntium ſuum cauſam, pro qua ad ſynodum præfati legati noſtri non venit, coram eodem legato debeat exponere, & in negotiis eccleſiaſticis pro poſſe ſuo conſilium & auxilium fideliter & humiliter ſibi impendere, ejuſque animum placare. Gotefredus autem Carnotenſis epiſcopus, quia non invitatus & abſens judicatus fuerat, epiſcopali officio a nobis reſtitutus eſt; hoc quidem tenore, quod cauſa ſua ante legatum noſtrum debeat retractari atque diffiniri. Richardus Biturigenſis archiepiſcopus, quia irato animo, & non ſynodali judicio, dimiſit eccleſiam ſuam, virgam & annulum recepit, promittens ſe de objectis coram legato noſtro ſatisfacere. Rodulphus Turonenſis archiepiſcopus, quia legales accuſatores non habuit, ſacerdotali & epiſcopali officio reſtitutus eſt, etiam epiſcopis, qui eum accuſaverant, ab accuſatione deficientibus, & quia cauſa ſua ab anteceſſore noſtro beatæ memoriæ Alexandro retractata & determinata fuerat, videbatur, quod non ſine certa accuſatione deberet retractari. Nobis tamen viſum fuit, quod legatus noſter cum legato Dienſis epiſcopi Turonis debeat proficiſci, & convocare omnes ſuffraganeos epiſcopos, necnon clerum & populum, & ex parte beati Petri illos commonere, ut qualiter electus fuerit vel ordinatus veraciter profiteatur: ut, ſi clarueriteum de objectis innocentem eſſe, quæſtio accuſationis ſuæ omnino deinceps ſopiatur. Sin autem certiſſime, & unde dubitari non poſſit contra eum teſtimonium datum fuerit, canonica ſententia feriatur. Actum Romæ * ſeptimo Idus Martii, indictione prima.

* VI.

XVIII. AD EPISOPUM SPIRENSEM.

Epiſcopale officium exercendi facultatem illi concedit, dum opportuno tempore de objectis ſibi criminibus ſatisfaciat, atque omnem venalitatem ab eccleſia Dei ejiciat, & in officio ſuo vigilans & ſtudioſus appareat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico Spirenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia in ſuſceptione Spirenſis eccleſiæ veremur te contra decretum apoſtolicæ ſedis virgam de manu regis ſcienter ac temerarie ſuſcepiſſe, epiſcopale officium hactenus te agere non conceſſimus. Quod ſi ſecundum legati tui verba decretum noſtrum ante inveſtituram pro certo non cognoviſti, officium epiſcopale faciendi facultatem & licentiam tibi concedimus; eo tamen tenore, ut opportuno tempore nobis vel legatis noſtris de objectis te ſatisfacturum repræſentes. Et quia in Romanis conciliis, tam a nobis, quam ab anteceſſoribus noſtris, promulgatas conſtitutiones non, ſicut decuit, te ſervaſſe comperimus, videlicet ut omnem venalitatem de eccleſia tua ejiceres, negligentiæ non parvæ fraternitatem tuam arguere poſſumus. Unde apoſtolica auctoritate interdicimus, ejectis illis qui in eccleſia tua per pecuniam promoti ſunt, ut neque archidiaconatus, neque archipresbyteratus, neque aliquid, quod ad ſpiritualem curam videatur pertinere, pretio dari permittas; ſed ſecundum domini præceptum dicentis: *Gratis acceſiſtis, gratis date*, te irreprehenſibiliter habens, & clericos non caſte viventes rigore paſtorali corrigens, ſicut olim negligens & deſidioſus fuiſti, ita deinceps in adminiſtratione ſuſcepti officii vigilans & ſtudioſus appareas: quatenus in fine vitæ tuæ omnipotentem dominum clementem & miſericordem operis tui rectitudo tibi faciat. Data Romæ decimoquarto Kalendas Aprilis, indictione 1. ANNO CHRISTI 1078. Matth. 10.

XIX. AD GUILIELMUM REGEM ANGLORUM.

Legatum ſe mittere, ut diligenter & pie examinet, an epiſcopus Rothomagenſis pro ſua ægritudine paſtorali moderamini præeſſe valeat: ſi autem infirma valetudo ita eum oppreſſerit, ut minus aptus tali muneri reperiatur, omnino alius canonice eligatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo regi Anglorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

OFficii noſtri cura exigit, ut eccleſiis paſtoribus viduatis ſolicite ſubvenire properemus. Quia vero inter reges, tum more honeſtatis quanites, tum liberali prudentia qua muniris, te ſpeciali dilectione amplectimur, dignum eſt ut eccleſiis quæ ſunt in regno divina diſpoſitione tibi commiſſo ſpecialiter cavere ſtudeamus. Unde Rothomagenſi eccleſiæ, quam dudum paſtore deſtitutam ægritudine impediente audivimus, ſuccurrere hoc modo diſpoſuimus. Hubertum ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconum, quem experimento nobis & tibi fidelem didicimus, liberali gloriæ tuæ, fili cariſſime, mittimus, qui cum viris religioſis epiſcopis & abbatibus ejuſdem etiam eccleſiæ fratribus prædictum archiepiſcopum adeat, diligenti & pia conſideratione examinet, an paſtorali moderamini præeſſe, ut oportet, valeat. Si vero valetudine corporali ſic judicent deſtitutum, ut amodo epiſcopali non ſit aptus regimini, prius admonitionibus ſibi perſuadere non deſiſtant, ſioportuerit, etiam auctoritate apoſtolica ut ſuo conſenſu ordinetur eccleſia. At ſi valetudo ſic eum oppreſſerit, ut inſenſatum & officii ſui obliviоſum reddiderit, non dijudicans quanti ſibi & univerſæ patriæ ægritudo ſit detrimenti, præcipimus auctoritate apoſtolica virum tanto ponderi competentem, bene moratum & ſapientem, univerſorum conſenſu canonice eligi & in archiepiſcopum promoveri. Data Romæ ſecundo Nonas Aprilis, indictione prima.

XX. AD RAINERIUM AURELIANENSEM EPISCOPUM.

Increpat quod patientia Romanæ eccleſiæ abuſus, ſcelus ſceleri addendo, cuncta pene eccleſiæ ſuæ ornamenta dilapidaverit: quamobrem illi præcipit ut omnibus reſtitutis ad ſynodum in ſuis partibus celebrandam conveniat, & legatis

ANNO CHRISTI 1078.

gatis de omnibus quæ illi objecta fuerunt rationem reddat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Rainerio Aurelianensi.

QUanta in Deum & tui ordinis salutem commiseris, si sanæ mentis te velles ostendere, a tui memoria excidisse pejora operando nequaquam monstrares. Decuerat te summopere meditari, quantam erga te patientiam Romana ostendit ecclesia, quæ dum ultra quam oportuit est misericordia, ipsius misericordia quodammodo versa est tuo opere in culpam. Qua quidem sic nimium impudens abuteris, ut cogas nos tuis agitatos stimulis in te districtæ æquitatis censura insurgere. Inter cætera namque quæ olim perversa mente egisti, ut vulnus vulneri infligeres, sicut nobis insinuatum est, pene cuncta ecclesiæ tibi commissæ ornamenta, pallia videlicet, calices, thuribula, planetas, & cætera sacrata Deo, non ad utilitatem Dei & præfatæ ecclesiæ non in adjutorium pauperum & captivorum, sed ad libitum tuum & inanem gloriam atque superbiam distraxisti. Quod quidem quantum nos contristat advertere poteris. Nunc itaque apostolica tibi auctoritate præcipimus, ut omni excusatione semota quidquid abstulisti juste restituas, & restitutis omnibus ad synodum, quæ vestris in partibus celebranda erit, conveniat; ibique coram legatis nostris, videlicet Hugone Diensi, & Hugone abbate Cluniacensi, nec non & Rogerio subdiacono nostro, de his & aliis quæ tibi intentantur rationem canonice exponas. Quod si forte de omnibus quæ tibi objecta fuerint canonice te non expurgaveris, ac ablata secundum nostram jussionem non reddideris, judicio sancti Spiritus & auctoritate apostolica sententiam anathematis & depositionis sine omni spe recuperationis in te promulgabimus. Data Romæ octavo Kalendas Maii, indictione 1.

XXI. AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

Ut legato, quem ad regem Hispaniæ mittit, auxilium præbeat. De Berengario sententiam suam fratres quos cum legato mittit nuntiaturos scribit. Tribulationes suas exponit, pro quibus misericordiam domini implorari petit.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Hugoni Cluniacensi abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

DIversarum gentium concursione, & multorum negotiorum fatigatus meditatione ei parum scribo quem multum diligo. Abbatem itaque, sicut rex Hispaniæ rogavit, & vos consilium dedistis, Deo auctore, episcopum consecravimus; & ad eumdem regem sacerdotem cardinalem Richardum, vicem nostram illi committentes, in Hispaniam dirigimus, cui ut præbeas auxilium & idoneum socium fraternitatem tuam rogamus. De Berengario, unde nobis scripsistis, quid nobis videatur, vel quid disposuerimus, fratres quos tibi remittimus cum prædicto cardinali nostro nuntiabunt. Vos autem certa fide, immo & oratione, Dei omnipotentis misericordiam implorate, ut mentes nostras secundum suam voluntatem dirigat, & in magna tempestate nos gubernans ad portum suæ pietatis perducat. Tot enim angustiis premimur, tantisque laboribus fatigamur, ut ii qui nobiscum sunt non solum pati nequeant, sed nec etiam videre possint. Et licet cælestis tuba clamet, unde quisque secundum suum laborem mercedem recipiet, & bonus rex manifestet: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ, domine, lætificaverunt animam meam*; tamen frequenter hæc vita nobis est tædio, & mors carnis desiderio. Sed cum pauper Jesus ille pius consolator, verus Deus & verus homo, manum porrigit, valde tristem & afflictum lætificat; dum vero memet dimittit, nimis me conturbat: in me quippe semper morior, sed in eo interdum vivo, & cum viribus omnino deficio. Ad illum gemens clamo: Si Moysi & Petro tantum pondus imponeres, credo quia illos gravaret. Quid ergo de me qui nihil ad eorum comparationem valeo fiet? Restat ergo ut aut tu ipse cum tuo Petro pontificatum regas, aut me succumbere, & eumdem pontificatum confundi cernas. Tunc ad illud recurro: *Miserere mei, domine, quia infirmus sum.* Et illud; *Tanquam prodigium factus sum multis: & tu adjutor fortis.* Nec illud obliviscor: *Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Omnipotens Deus, qui per sanctum officium quod committit peccatori mira pietate peccatores justificat, potestate beati Petri mihi valde indigno commissa te tibique omnes fratres creditos a cunctis peccatis absolvat, & ad sinum Abrahæ patriarchæ nostri lætos perducat. Data Romæ Nonis Maii, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1078.

Luc. 6.

Psal. 93.

Psal 6.

Psal 70. Matth. 3

XXII. AD HUBERTUM ET TEUZONEM.

Monet ut cum suffraganeis, abbatibus, & clericis Dolensis ecclesiæ adsint una cum Diensi episcopo & abbate Cluniacensi, quibus controversia inter Evetium & alium quemdam de archiepiscopatu commissa est: ac curent, ut Anglorum rex eo legatum suum mittat, quo hujusmodi causa terminetur

Gregorius episcopus servus servorum Dei Huberto subdiacono & Teuzoni monacho, salutem & apostolicam benedictionem.

PErvenit ad nos frater noster * Evetius Dolensis archiepiscopus, exhibens se pro discutienda controversia quæ de introitu ejus in episcopatum orta est, proclamante illo de expulsione sua quasi injusta, qui ante ordinationem hujus eamdem sedem quamlibet perverso, ut dicitur, accessu ceperat, & nefaria conversatione tenuerat. Ad quam exhibitionem se vocatum ajebat a confratre nostro Hugone Diensi episcopo: quod & ipse qui tunc præsens aderat fatebatur: ac propterea se recusasse redire vobiscum, aut in aliquam partem vertere, donec ab ore nostro quid sibi agendum foret, quove se exhibendum intelligeret. Verum quia Diensis episcopus, ut diximus, præsens aderat, commisimus sibi negotium istud, ut in concilio, quo causam Rhemensis archiepiscopi & aliorum episcoporum Franciæ, adjuncto sibi abbate Cluniacensi tractaturus est, etiam hoc regulariter diffinire procuret. Quapropter admonemus & vos, ut ibidem aut alter vestrum, aut ambo, fieri possit, adsitis, & episcopos ac religiosos abbates illius parochiæ, nec non clericos & laicos ejusdem ecclesiæ, qui utramlibet partem aut accusare aut defendere idonei videantur, adesse commoneatis. Procurantes etiam ut Anglorum rex ex sua parte legatum illuc dirigat tam prudentem quam religio-

Evetius.

ligioſam perſonam: quatenus cauſa iſta, ſubla- A
ANNO CHRISTI 1078 to favore partium omnique perſonali acceptione, ad effectum juſtæ diffinitionis, Deo diſponente, perveniet; & quod ibi inde ſtatutum ac diffinitum fuerit, ita ab omnibus conſona voce ſententiaque firmetur, ut calumnioſæ proclamationis improbitas, & reiterandæ quæſtionis omnis undique occaſio omniſque penitus licentia decidatur. Data Lateranis undecimo Kalendas Junii, indictione prima.

XXIII. AD GAUSFREDUM
Et alterum Gausfredum comites.

Ut omnes epiſcopos & abbates Britanniæ, & clericos & laicos Dolenſis eccleſiæ ſcientia præ- B ſtantes convenire faciant concilio celebrando; in quo inter cætera diffinienda eſt cauſa inter Evetium ordinatum archiepiſcopum & quemdam alium qui ſe de eo injuſte expulſum querebatur.

* Gaufredo *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Oelo* * *Gausfredo Rhedonenſi, item Gausfredo filio Eudonis, nobilibus comitibus Britanniæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

NOn ignorare vos credimus, quantam moleſtiam quantamque perturbationem ſuſtineat Dolenſis eccleſia, & confrater noſter * Evetius archiepiſcopus, quem ibi ordinavimus, ab illo qui prius ſedem occupans, ac remordente eum C conſcientia ſua, ut dicitur, exſpoliatam deſerens, nunc injuſte ſe expulſum conqueritur. Qua de re cum præfatus archiepiſcopus ſuam nobis exhiberet præſentiam; quoniam abſente illo qui ſuper eum conqueritur cauſam diſcutere, nulla ratione potuimus, totum hoc negotium confratri noſtro Hugoni Dienſi epiſcopo, cui vicem noſtram dedimus, committere neceſſarium duximus, ut eo tempore & loco illud diligenti inquiſitione pertractare ac diffinire ſtudeat, ubi qui in hac cauſa utrinque neceſſarii ſint convenire & intereſſe valeant. Statuimus enim præfatum confratrem & vicarium noſtrum celebrare concilium propter multa & magna negotia, quæ in regno Francorum emerſa apoſtolicæ auctori- D tatis examinatione atque judicio indigent: ubi & hoc negotium, Deo auxiliante, diffiniri volumus atque cenſemus. Quapropter multum rogamus & admonemus excellentiam veſtram, ut huic cauſæ quantum poteſtis operam detis, & epiſcopos, nec non religioſos abbates terræ illius, clericos quoque & laicos eiuſdem eccleſiæ, qui idonei tam ſcientia quam religione videantur, ad præfatum concilium, juxta quod vobis ſignificatum fuerit, conveniatis: quatenus, opitulante divina clementia, per ſinceram explorationem in hac cauſa Dei quidquid juſtitia & populi requirat ſalus evidenter appareat, & deciſa penitus hac lite & querimonia, diu & nimium indigne lacerata, E quam præfati ſumus Dolenſis eccleſia per miſericordiam Dei veſtro ſtudio veſtraque juvante & procurante potentia, receptis bonis ſuis, pacem etiam & tranquillitatem recipere, & in ſtatu ſuæ incolumitatis venire & permanere valeat. Da-

* Laureati 21 Kal. Maii ta * Lateranis undecimo kalendas Junii, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1078

LIBER SEXTUS REGISTRI
GREGORII PAPÆ VII.

Anno dominicæ incarnationis, millesimo ſeptuageſimo octavo, indictione ſecunda.

I. AD GERMANOS.

Monet ne faveant neve communicent iis, qui contra interdictum apoſtolicæ ſedis impedire conantur conventum epiſcoporum & laicorum habendum coram legatis apoſtolicis de jure Henrici & Rodulphi in Teutonicorum regno. Interim eos certiores facit, ſe nullo modo injuſtæ parti fauturum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus clericis & laicis in regno Teutonico conſtitutis, qui excommunicationis vinculo non tenentur, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUæ & quanta cura nobis fuerit & eſt, ut peſtilentia & clades & deſolatio a veſtro regno auferatur, & pax, honeſtas & ſolitum decus vobis reddatur, in ſynodo quæ hoc anno in quadrageſima Romæ celebrata fuit declaravimus. Judicio enim ſancti Spiritus decrevimus & præcepimus, ut in regno veſtro conventus omnium epiſcoporum, & eorum laicorum qui Deum timent & inter vos pacem deſiderant, fieret; & coram noſtris legatis decerneretur, ſi Henrico vel Rodulpho, qui de regni gubernaculo inter ſe decertant, amplius juſtitia faveret. Injuſtior enim pars ratione devicta, & beati Petri auctoritate conſtricta, facilius cederet, & ab interitu animarum & corporum, Deo propitiante, ceſſaret. Juſtior vero pars amplius de Deo confideret, & adjuta beati Petri poteſtate, & omnium juſtitiam diligentium conſenſu, de victoria omnino ſperaret, neque utramque mortem timeret. Sed quia pervenit ad nos quod inimici Dei & filii diaboli quidam apud vos contra interdictum apoſtolicæ ſedis prædictum conventum procurarent in irritum ducere, & non juſtitia, ſed ſuperbia, ac totius regni deſolatione ſuas cupiditates anhelent implere, & Chriſtianam religionem deſtruere, monemus vos, & ex parte beati Petri præcipimus, ut talibus nullum adjutorium præbeatis, neque illis communicetis. In prædicta enim ſynodo jam omnes ſunt excommunicationis & anathematis vinculo innodati, & ut nullam victoriam poſſint obtinere, poteſtate beati Petri ſunt alligati, ut ſaltem coacti confundantur, & a morte animarum ſuarum & deſolatione patriæ veſtræ revocentur. Vos autem, fratres cariſſimi, de me nullo modo dubitetis, quod injuſtæ parti ſcienter aliquo modo faveam. Magis enim pro veſtra ſalute deſidero mortem ſubire, quam totius mondi gloriam ad veſtrum interitum arripere. Quod ſi aliqui de falſitate confiſi literis vel verbis aliter vobis indicaverint, nullo modo illis acquieſcatis: Deum enim timemus, & pro ejus amore quotidie affligimur: & ideo ſuperbiam & oblectamenta ſæculi parvipendimus, quia cito apud eum conſolari indubitanter credimus. Omnipotens & miſericors Deus, qui ultra ſpem, ultra meritum miſeretur, & conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, aperiat cor veſtrum in lege ſua, & confirmet vos in præ-

ANNO CHRISTI 1078.

præceptis ſuis, ut auctoritate beati Petri a cunctis peccatis abſolutos vos ad cœleſte regnum perducat regnaturos. Data Capuæ kalendis Junii, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1078.

II. AD MANASSEM RHEMENSEM. ARCHIEPISCOPUM.

Oſtendit legatos Romanos eſſe non tantum qui Romæ nati vel educati, aut ad aliquam ibi dignitatem promoti ſunt, ſed omnes quibus Romanus pontifex vices ſuas committit. Quapropter eum arguit, quòd Dienſi epiſcopo legato ſuo non obtemperaverit, privilegia quoque prout neceſſitas vel utilitas exegerit poſſe commutari. Monet ut coram legatis ſe de objectis canonice purget. Scribit per literas ſuas mandaſſe, ut quæ ipſe de nonnullis epiſcopis conquerebatur indagarentur, & canonice judicarentur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Manaſſe Rhemenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUm vos ea a ſede apoſtolica flagitatis, quæ & honorem præſulatus veſtri condeceant, & a præcedentium patrum auctoritatibus nequaquam diſſentiant, fidentes petite, ſpe certiſſimi poſtulate; ſcientes omni ambiguitate remota nos petitionibus hujuſmodi paratos annuere, cum quia vos fraterna dilectione in Chriſto amplectimur, tum etiam nihilo minus quia ad hæc quorumdam fidelium noſtrorum qui vos diligunt precibus & interventionibus ſedulis promovemur. Quocirca fraternitatem veſtram rogatam atque commonitam volumus, ne debeat graviter ferre, ſi ſtudeamus ad tempus pro communi honeſtate atque proficuo petita contra utilitatem eccleſiæ denegare. Hæc autem omnia ad id præmiſſa noveritis, quia petitis in literis veſtris, ne adverſus privilegium, quod ab hac apoſtolica ſede vos habere fatemini, cogamini niſi ſoli mihi aut Romanis legatis ſuper objectis quibuslibet reſpondere. Quod ſi vos Romanos legatos intelligere videremini quoslibet cujuslibet gentis, quibus Romanus pontifex aliquam legationem injungat, vel (quod majus eſt) vicem ſuam indulgeat, & laudaremus ſane petita, & petitis libenter annueremus. Sed quia præmittendo Romanis, continuo ſubjungitis, non Ultramontanis, oſtenditis vos tantum eos velle Romanos habere legatos, qui vel Romæ nati, vel in Romana eccleſia a parvulo educati, vel in eadem ſint aliqua dignitate promoti, miramur nimium prudentiam veſtram eouſque perductam, ut precaremini benevolentiam noſtram jura ſedis apoſtolicæ debere imminuere, idque nobis in ſolius veſtri negotiis non debere licere, quod in negotiis omnium prædeceſſores noſtri ſine omni contradictione & licitum & legitimum tenuere. Noſtis enim & Oſium epiſcopum in Nicæno, & Cyrillum in Epheſino concilio, Romanorum vice (eiſdem concedentibus) functos fuiſſe pontificum. Syagrio quoque Auguſtodunenſi epiſcopo Lugdunenſis antiſtitis ſuffraganeo papam Gregorium celebrandi generalis in Gallia concilii vicem ſuam legiſtis indulſiſſe. Sed quid hæc de epiſcopis loquimur, cum idem ſanctus papa monachum quemdam Hilarium nomine in Africæ partibus literarum ſuarum auctoritate fultum uſque adeo ſuum fecerit eſſe vicarium, ut per eum ibidem concilium generale celebraretur, & quidquid ſynodus ſancta decerneret ad finem eo exequente perduceretur? Ne igitur ad tantum velit culmen veſtra fraternitas erigi, ut quæ in cauſis omnium Romanis pontificibus rata fuerunt & licita, in veſtri ſolius cauſa irrita velitis & illicita reddi. Ad id autem quod de privilegio dicitis, breviter interim reſpondemus, quod poſſunt quædam in privilegiis pro re, pro perſona, pro tempore, pro loco concedi, quæ iterum pro eiſdem, ſi neceſſitas vel utilitas major exegerit, licenter valent commutari. Privilegia ſiquidem non debent ſanctorum patrum auctoritatem infringere, ſed utilitati ſanctæ eccleſiæ proſpicere. Inde eſt quod Arelatenſis eccleſia, non-ſolum a beato Gregorio doctore dulciſluo, ſed etiam a pluribus ejus ſanctis anteceſſoribus, cum haberet vicem ſedis apoſtolicæ, ut omnes epiſcopos totius regni Francorum, quod tunc latius extendebatur, ad concilium convocaret, eoſque in judicio conſtrinxerit: (ſine cujus licentia nullis ex ſupra dictis epiſcopis longe a ſuo epiſcopatu fas erat abire) poſt aliqua tempora pro quibuſdam cauſis prædicta poteſtas & auctoritas ceſſavit, & ſuam vicem aliis quibus placuit, ſedes apoſtolica conceſſit. Rhemenſis etiam cui præſides eccleſia quodam tempore primati ſubjacuit, & ei ut magiſtro poſt Romanum pontificem obedivit. Quod & de pluribus aliis eccleſiis poteſtis invenire, ſi ſanctorum patrum dicta & acta procuratis diligenter inveſtigare. Nec id dicimus ut privilegia veſtræ eccleſiæ contra rationem vel infringi velimus vel imminui: de quibus vita comite ſuo tempore ore ad os otioſius collocuturi ſumus. Sed interim dilectionem veſtram ex parte beati apoſtolorum principis Petri admonemus, ut, quemadmodum vobis Romæ poſitis conſtituimus, coram Dienſi epiſcopo, & Cluniacenſi abbate, quibus in his vicem noſtram commiſimus, occaſionibus cunctis obſtaculiſque remotis, ſuper objectis omnibus ſitis reſpondere parati, legaliter ſatisfacere, canonice purificari: ne ſi aliud a vobis (quod abſit) agatur, tergiverſationi & fugæ & conſcientiæ ſcelerum, non exactioni juſtitiæ & æquitatis a pluribus adſcribatur. De archiepiſcopo autem Viennenſi, quem conquerimini in diœceſi veſtra & depoſuiſſe presbyteros, & eoſdem iterum in gradum priſtinum reſtituiſſe, & de epiſcopis Laudunenſi & Sueſſionenſi ſuffraganeis veſtris, qui Ambianenſem epiſcopum vobis inconſultis & neſcientibus Romæ etiam poſitis conſecrarunt, & de Manaſſe, qui vos & eccleſiam veſtram, quia malefactis non poteſt, maledictis infeſtare non ceſſat; & de cæteris omnibus ſuper quibus conqueſtionem vobis collibuerit facere, miſimus literas noſtras commemoratis confratribus noſtris, Dienſi videlicet epiſcopo & Cluniacenſi abbati, ut cuncta ſtudeant diligenter inquirere, ſolicite diſcutere, diſcuſſa & indagata ad purum, juſte, legaliter, & canonice judicare. His noſtris monitis obſecundantes per omnia beatorum apoſtolorum Petri & Pauli benedictione in præſenti donemini, & in futuro a peccatorum vinculis abſoluti omnium ad eorum conſortium, eisdem interventoribus, provehi mereamini. Data * ad ſanctum Germanum undecimo Kalendas Septembris, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1078.

S. Gregorius epiſt. l. 4. ep. 30.

apud & ſequ.

Oſius Cordubenſis epiſcopus legatus ſedis apoſtolicæ in Nicæno concilio. Sanctus Gregorius l. 1. epiſt. indictione 11. epiſt. 22.

III. AD HUGONEM EPISCOPUM Dienſem.

Ut querelis Rhemenſis archiepiſcopi finem imponere procurent, eumque, ſi paruerit, adjuvent; cui etiam literarum ſupraſcriptarum exemplar mittit.

ANNO CHRISTI 1078.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hugoni Diensi epiſcopo, & Hugoni Cluniacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia in ſanctæ Dei, cui divina diſpoſitione præſidemus, eccleſiæ regimine ſolicite nos vigilare oportet, veſtris aſſiduis precibus nobis ut divinum obtineatis præſidium depoſcimus. Quapropter vos ſummopere ſtudium adhibere admonendo mandamus: quatenus inquiratis, & canonice, prout poteſtis, finem imponere procuretis negotiis, unde Rhemenſis archiepiſcopus confrater noſter ſuis literis nobis conqueſtus eſt. Conqueritur enim de confratre noſtro archiepiſcopo Viennenſi Warmundo, qui in ſuo archiepiſcopatu presbyteros depoſuit, & eoſdem reſtituit. Quin etiam conqueritur, quod duo ſuffraganei ejuſdem Rhemenſis, Laudunenſis ſcilicet & Sueſſionenſis, poſtpoſita canonica auctoritate, Ambianenſem auſi ſunt epiſcopum conſecrare, dum ipſe eſſet nobiſcum Romæ, & de ſe ſententiam humiliter expectaret. Quod vos digna & ſolerti indagatione diſcutere & cognoſcere omni modo ſtudete, an ita ſeſe res habeat, ut prædiximus nos ſuis literis intellexiſſe; præſertim ſi idem Ambianenſis contra Romanæ ſynodi & apoſtolicæ ſedis decretum de manu laici nefanda ambitione & temerario auſu inveſtituram ſuſcipere præſumpſit, canonici rigoris ſeveritate taliter in eum vindicare & punire obnixe ſatagite, ut ejus exempla cæteri imitari timeant. De Manaſſe autem, de quo ſimiliter conqueritur, qui Oebali ſuorumque refugio, & auxilio illum & eccleſiam fatigare non ceſſat, laborare ut ad pacem redeat, & ab inquietatione eccleſiæ & perſecutione archiepiſcopi quieſcat. Quod ſi forte in ſua contumacia perſiſtens obedire renuerit, niſi illum juſtam excuſationem habere cognoveritis, quodcumque vobis juſtius videtur facite. De aliis autem neceſſitatibus eumdem archiepiſcopum (ſi tamen vobis obedierit) ſicut dignum eſt adjuvate, eique commiſſam eccleſiam auctoritate beati Petri (quod & de aliis eccleſiis vos oportet agere) defendite. Ipſe autem, ſicut ex ſuis cognovimus literis quas vobis direximus, inducias quærit, ut ſubterfugiat, cui qualiter reſcripſimus vobis etiam per exemplar indicamus. Vos autem, fratres mei cariſſimi, viriliter & ſapienter agite, veſtraque omnia in caritate fiant, ut oppreſſi vos prudentes defenſores inveniant, & opprimentes amatores juſtitiæ recognoſcant. Omnipotens Deus Spiritum ſanctum cordibus veſtris infundat, voſque per viam ſibi placitam perducat, & ad ſocietatem ſanctorum patrum pervenire faciat. Data ad ſanctum Germanum XI. Kalendas Septembris, ind. I.

IV. AD HENRICUM LEODIENSEM epiſcopum,

Temeritatis eum arguit, quod contra Romanæ eccleſiæ auctoritatem verba jactaverit, monetque ut Weremboldi cuiuſdam cauſam, qui ſe una cum uxore injuſte ab eo excommunicatum conqueſtus fuerat, adhibitis Trevirenſi & Metenſi epiſcopis, definiat: quem timore mortis ſe abſolviſſe ait, accepta ſponſione ab eo omnibus ſatisfaciendi. Contemptores ſynodi illos vocat, qui ſynodum a ſe in Teutonicis partibus indictam impedimento fuerint ne cogeretur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico Leodienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi contemptoribus Romanæ ſynodi habitæ in præterita quadrageſima non communicat.

ANNO CHRISTI 1077.

LEctis fraternitatis tuæ literis, non parum mirati ſumus, non ea te qua decuit apoſtolicam ſedem pro reverentia ſibi ſcripſiſſe, ſed nos de abſolutione illius parochiani tui, qui olim ad nos venit, mordaci invectione reprehendiſſe, tamquam apoſtolicæ ſedis non eſſet auctoritas quoſcumque & ubicumque vult ligare & abſolvere. Unde ſcias nos adverſus temeritatem tuam graviter commotos fuiſſe, niſi apoſtolicæ ſedis conſuetudo nos detineret, & niſi mens noſtra de literis olim ſuper hoc negotio tibi tranſmiſſis quodammodo dubitaret. Soliciti etenim ſumus, ne literæ illæ fraude alicujus aut falſitate immutarentur. Et ideo exemplar earum ad cognoſcendam voluntatem noſtram tibi oſtendendum eſſe putavimus, ut ſi eaſdem eſſe & non immutatas claruerit, intelligas te aut ſpiritu præſumptionis aut ignorantia contra auctoritatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ verba jactaſſe, quaſi imitando orientales, qui contra beatum papam Julium obloqui præſumpſerunt, eo quod ipſe ſanctiſſimum Athanaſium patriarcham ſine aſſenſu eorum abſolverat; tibique deinceps caveas, ne hujuſmodi contra nos temeritate reſcribas, ſed potius ad documenta ſanctorum patrum quæ te loqui & ſcribere doceant humiliter recurras, & ſecundum tenorem literarum, quarum exemplar tibi tranſmittimus, prædicti hominis negotium ad finem perducere ſtudeas. Vir iſte, Weremboldus nomine, conqueſtus eſt ſe injuſte a te excommunicatum cum uxore ſua eſſe; unde ſibi vix fidem adhibere poſſumus. Tamen monemus prudentiam tuam, ut ad notitiam religioſorum confratrum noſtrorum, Trevirenſis ſcilicet archiepiſcopi & Metenſis epiſcopi, hujus rei cauſam deferre facias, eorumque conſilio & judicio diffinire procures. De veſte vero monachica, & velo impoſito, & pecunia ablata, eorumdem teſtimonio & juſtitiam facere & rationem ponere non recuſes; quatenus ſibi occaſionem proclamandi auferas, & teipſum ab omni accuſatione protegas, juſtitiæ integritate & canonica auctoritate ſervata in omnibus. Contemptores quippe ſynodi in prædicta noſtra ſalutatione illos notamus, qui aliquo ingenio vel violentia conati ſunt impedire ne concilium aut conventus fieret in Teutonicis partibus: in quo ſolerti inquiſitione recognoſceretur utrum Henrico an Rodulpho magis juſtitia faveret de gubernaculo regni. Præterea ſcire vos volumus nos horum portitorem abſolviſſe ab excommunicatione, timore mortis, facta ab eo promiſſione in noſtra manu ſe omnia facturum ſecundum veſtram juſſionem conſilio prædictorum epiſcoporum factam. Data in burgo Aquæpendentis octavo Idus Octobris, indictione ſecunda.

V AD HERIMANNUM METENSEM epiſcopum.

Monet ut Tullenſem epiſcopum adjuvet, cui conceſſit ut coram quatuor epiſcopis, ſi propter regni commotionem ſex ſimul convocare non poſſit, ſe expurget. Eum arguit quod bona eccleſiæ quibuſdam militibus ad ſe defendendum largitus ſit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Herimanno Metenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOvit dilectio tua, frater cariſſime, quanto jam tempore Tullenſis epiſcopus fatigatus labo-

laboraverit, atque multis anguſtiis ſudaverit pro repellenda ea quam ſibi injuſte objectam eſſe contendit infamia. Sed quia propter imminentem regni commotionem ſex fimul epiſcopos ad expurgationem ſuam convocare non poteſt, hoc ei patenter competientes pietate conceſſimus, ut quatuor epiſcopis ad præſens ſecum jurantibus expurgatus, epiſcopale officium per omnia faciat. De duobus autem qui ſtatuto judicio intereſſe debent, inducias uſque ad quadrageſimam a nobis accepit. Unde, quia tu in eadem diœceſi poſitus es, monemus & exhortamur tuam mihi dulciſſimam caritatem, & apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, ut ſi præfatum Tullenſem epiſcopum culpabilem indubitanter eſſe cognoveris, fraternam manum auxilii (ut juſtum eſt) ei præbere non differas: ſcriptum eſt enim: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et item: *Si quis viderit fratrem ſuum neceſſitatem habentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Præterea pervenit ad nos quod propter inſtantem inimicorum tuorum infeſtationem tuæ bona eccleſiæ largitus ſis quibuſdam militibus: & eo modo honoris tui dignitas quotidie (quod non optamus) minuatur atque decreſcat. Proinde tuam volumus admonitam eſſe prudentiam, ne alicujus magnitudine tribulationis coactus eccleſiaſticas cuiquam hereditates largiaris, unde multum te poſtea pœniteat, cum quod modo turbatus egeris, nullo modo emendare potueris. Oportet autem ut totam ſpem tuam in domino ponas: certiſſime ſciens quia *Dominus non derelinquit ſperantes in ſe.* Confidimus enim omnipotentem dominum, veſtris aliorumque religioſorum, quos in partibus veſtris plures eſſe cognoſcimus, orationibus placatum, pacem eccleſiæ ſuæ cito eſſe daturum. Data * Sutrii undecimo Kalendas Novembris, indictione ſecunda.

ANNO CHRISTI 1076.

Galat. 6.

1 Joan. 3.

Eccl. 19

* Sutrii

Pontif. in Gregorio ſeptimo

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, anno ſexto pontificatus domini Gregorii papæ ſeptimi, menſis Novembris die decimaſeptima, indictione ſecunda, Romæ. Ego Marro Gisleri filius, habitator in ducatu Spoletano, pro redemptione animæ meæ & parentum meorum, dono, trado atque offero beato Petro apoſtolorum principi, & ſuper altare ejus omnia quæ mihi pertinent de Caſtro, quod vocatur * Moricicla, poſitum inter Muricem & Clarignanum, quod conquiſitum habeo per concambiationem a Litaldo & Hugone nepotibus Hugonis filii Aſcari in plebe de Luzano, reſervato uſufructu diebus vitæ meæ, & Brutuli filii mei, & filiorum Brutuli, ſi maſculi fuerint de legitimo conjugio procreati.

* Moricida

VI.

Declarat ex ſuo præcepto concordiam factam inter epiſcopum Taurinenſem & abbatem ſancti Michaelis, & quibus condionibus. Se in eos ulturum ait qui non acquieverint, & injuſtam cauſam defenderint.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

NOtum tam præſentibus quam poſteris fieri volumus cauſam * Cumberti Taurinenſis epiſcopi & abbatis ſancti Michaelis, qualiter finiendam eſſe poſuimus. Venientes enim ante noſtram præſentiam, poſt plura annorum curricula, quibus conqueſti ſunt alter adverſus alterum, ex voluntate acquieſcentes & obedientes noſtro

* Al. Cunipertus. Al.

Concil. Generak. Tom. XX.

juſſui, pacem inter ſe nobis præcipientibus fecerunt. Quibus ex auctoritate apoſtolica interdiximus, ne alter alteri occaſionem diſcordiæ ulterius præberet. Sed epiſcopus abbati & prædicto monaſterio emendet quæ ei abſtulit, niſi quantum abbas ei condonaverit. Similiter & abbas epiſcopo faciat. Et hoc in exiſtimatione Aſtenſis epiſcopi & epiſcopi Aquenſis, nec non & abbatis Fructuarienſis. Si autem epiſcopus voluerit & potuerit probare illud monaſterium in proprietate & allodio ſui epiſcopi eſſe conſtructum, in ſequenti ſynodo uterque ſe præſentent, & in eo juſtam & legalem diffinitionem accipiant. Si vero aliquo impedimento ceſſaverint, legatos ſuos dirigant, quatenus eis ipſi reportent qualiter & quando finem eorum negotio imponamus. Quod ſi epiſcopus cognita veritate cognoverit idem monaſterium non eſſe conſtructum in allodio ſui epiſcopatus, vel abbas perpenderit quod epiſcopus circa hoc negotium juſtam & veram habeat rationem, ſine aliqua diſceptatione vel controverſia ei qui veritatem & juſtitiam habuerit acquieſcat: procul dubio ſcientes, quia eum qui injuſtam cauſam habens defendere tentaverit, vel aliquod patrocinium vel potentiam ſperans injuſtum negotium agitare auſus fuerit, graviter & ſeveriſſime puniemus. Data Romæ octavo Kalendas Decembris, Indictione ſecunda.

ANNO CHRISTI 1078.

VII. AD HUGONEM DIENSEM Epiſcopum.

Ut Robertum Flandrenſem comitem ab apoſtolicæ ſedis legato & Lingonenſi epiſcopo excommunicatum, ſi non canonice id factum repererit, vel ſi ſatisfacere voluerit, abſolvat. Quod ſi ipſe facere nequiverit, per religioſas id efficiat perſonas.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hugoni Dienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia ex paſtoralis officii ſuſceptione oportet nos magnam ſolicitudinem habere de ſalute omnium filiorum eccleſiæ, debemus quantocius emendare, ſi quid noverimus aliter geſtum eſſe quam convenit rectitudini eccleſiaſticæ. Proinde notificamus dilectioni tuæ, nobis per aliquos, & maxime per Ingelrannum Flandrenſem clericum, innotuiſſe, Robertum Frandrenſem comitem ab Huberto legato noſtro, & Hugone Lingonenſi epiſcopo, per machinationes inimicorum ſuorum excommunicatum eſſe. Quod quia non debemus, ſi verum eſt, ferre, rogando mandamus fraternitati tuæ, ut, ſi tibi moleſtum non eſt, ad illas partes feſtines accedere: & ſi inveneris eum non canonice excommunicatum, abſolvas eum ex beati Petri apoſtolorum principis & noſtra parte: ſin autem, quod non optamus, canonice, & tamen voluerit ſatisfacere, iterum ne differas eum ovili dominico reconciliare: quia ipſe ſummus paſtor ovem perditam propriis humeris voluit ad gregem reportare. Si autem tibi poſſibile non eſt id per temetipſum agere, mitte perſonas religioſas pro te, quæ præordinata prædicto modo valeant finire. Data Romæ ſeptimo Kal. Decemb. Indictione ſecunda.

VIII. AD HUBERTUM, WIDONEM & Hugonem.

Quamdam villam, cum omnibus ad eam pertinentibus, clericis ſanctæ Mariæ & ſancti Audomari

ANNO CHRISTI 1078.

domari rectituendam præcipit. Quod ſi juſta A ratione ad ſuam eccleſiam pertinere crediderint, Hugonem Dienſem epiſcopum legatum adeant quadraginta dierum ſpatio; quo elapſo, ſi obedire minus voluerint, ingreſſum eccleſiæ & Chriſtianam communionem donec reſipiſcant interdicit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Huberto & clericis & omnibus comitibus de caſtro ſancti Pauli, Widoni & Hugoni, ſalutem & apoſtolicam B *benedictionem.*

CLerici ſanctæ Mariæ & ſancti Audomari adeuntes apoſtolicam ſedem, conqueſti ſunt de vobis, quod jam multo tempore ſibi & ſuæ eccleſiæ auferetis quamdam villam Reſeca nominatam, cum omnibus ad eam pertinentibus: atque cum multoties de hoc in provincialibus ſynodis coram epiſcopo veſtro, & ad ultimum coram Hugone Dienſi coepiſcopo & confratre noſtro apoſtolicæ eccleſiæ legato in Pictavenſi concilio querelam feciſſent, atque ille ex auctoritate noſtra præcepiſſet, ut coram epiſcopo veſtro, aut proclamata eccleſiæ præfatæ & clericis rederetis, aut quod veſtra jure eſſe debeant rationem diceretis, epiſcopuſque veſter tres terminos C vobis & ad ultimum provincialem ſynodum ſtatuiſſet, ut utrumlibet ageretis; vos tamen neutrum ſicut nunquam, ita quoque nec tunc facere voluiſtis. Unde ex auctoritate Dei, & ſancti Petri apoſtolorum principis, præcipimus vobis, ut, ſi ita eſt, prædictas res prædictæ eccleſiæ & clericis ejus ſine dilatione canonice reſtituatis: aut, ſi ita non eſt, & juſta ratione pro certo ſcitis ad veſtram eccleſiam eas pertinere debere, infra quadraginta dies, poſtquam literas noſtras videritis, vel ſi eas videre vitaveritis, poſtquam eas miſſas vobis cognoveritis, Hugonem præfatum coepiſcopum & fratrem noſtrum ad diem Ingelranno & fratribus ejus a vobis ante deno- D minatum atque prænuntiatum adeatis; ut utriſque partibus coram poſitis ipſe legitimum finem faciat hujus contentionis. Quod & ſi iſtud agere nolueritis infra præſcriptos dies, finitis eis, contradicimus vobis & Widoni, Hugonique & Euſtachio comitibus, Oilardo quoque ſubdefenſori præfatæ poſſeſſionis, omnibuſque vobis amodo auxilium & conſenſum ad hoc ſacrilegium præbituris, velut ſacrilegis & raptoribus, omnem penitus eccleſiæ ingreſſum, & Chriſtianam communionem, atque gratiam beati Petri apoſtolorum principis, & in vita & in morte, niſi forte pœnitentiam egeritis, & injuſte rapta eccleſiæ præfatæ canonice reſtitueritis. Si autem, quod abſit, ab omnibus Chriſtianis poſt hæc omnia, diabolica infecti malitia, in excommunicatione præſcripta incorrigibiliter perſeverare malueritis, præcipimus defenſoribus & patronis prædictæ eccleſiæ, ut eidem & clericis ejus præfatas res reſtituere omnibus modis ſatagant. Data Romæ VII. Kalen. Decembris, indictione II.

IX. AD CANONICOS ECCLESIÆ Tarvennenſis.

Ut canonicis de caſtro ſancti Pauli, niſi, ut in ſuperiori epiſtola mandavit, literis apoſtolicis obedierint, omnis eccleſiæ ingreſſus interdicatur: laici etiam non obedientes excommunicentur: Mathildem præterea vult moneri, ut quam terram maritus ejus eccleſiæ dederat, tradendam curet: & qui decimas eccleſiæ ſubtrahunt, moneri ut reddant; ſin minus damnationi ſubjaceant.

ANNO CHRISTI 1078.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei archidiaconibus Tarvennenſis eccleſiæ Rudolpho & Huberto, & canonicis, ſi canonice vixerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CLericos de caſtro ſancti Pauli, de quibus canonici ſanctæ Mariæ & ſancti Audomari per Ingelrannum & alios fratres ejus nobis ſunt conqueſti, ad civitatem Tarvennam ex auctoritate noſtra omnes convocate, & literas noſtras eis legite, quæ vobis dabuntur ex noſtra parte. Quod ſi noluerint venire, vel venientes literis noſtris non obedire, omnem eccleſiæ ingreſſum, & quod in literis noſtris eis contradicitur contradicite & inſuper quidquid de eccleſia Tarvennenſi poſſident clericali exhibitione. Laicis quoque in literis noſtris nominatis, & quicumque alii præfatis clericis poſt literas noſtras viſas vel notificatas non obedientibus conſenſum auxiliumque, ut in rapina & ſacrilegio perſeverent, præbuerint, notificate quod in præſcripta poſiti ſint excommunicatione. Mathildem viduam Arnulphi advocati, quæ terram quam maritus ſuus moriens dedit eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & quam ipſe promiſit morienti ſe liberam facere, admonete adhuc, ut quod promiſit perficiat: ſin autem, in præfata damnatione quamdiu non fecerit maneat. Rengerium, Adam, Berevvoldum, & cæteros qui ſubtrahunt decimas novarum terrarum præfatæ eccleſiæ, admonete ut reddant & ſatisfaciant: quod ſi noluerint, quouſque reſipiſcant, prædictæ damnationi ſubjaceant. Et hoc etiam addimus, ut nullus accipiat de manu omnium prælibatorum oblationem aliquam ſive in vita, ſive in morte, quouſque canonice quod peccaverunt emendent. Data Romæ ſeptimo Kalendas Decembris, indictione ſecunda.

X. AD RAVENNATES.

Monet ut epiſcopo Ravennati, ob plurima flagitia in Romana ſynodo depoſito, nullam deinceps obedientiam præſtent: qui vero auſus fuerit apoſtolicis præceptis repugnare, anathemate damnetur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Ravennatibus majoribus & minoribus, qui beatum Petrum, ejuſque filium, ſanctum videlicet Apollinarem diligunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

E QUam fideliter, quamque humiliter beato Petro, nempe apoſtolorum principi, Ravennas eccleſia ſemper adhæſerit, quantamque matri ſuæ, ſanctæ videlicet Romanæ eccleſiæ, obedientiam in omnibus exhibuerit, veſtra fraternitas optime novit. Ille autem qui nunc eccleſiæ Ravennatis epiſcopus eſſe dicitur, quomodo eam olim tam ditiſſimam, quam etiam religioſiſſimam, tyrannica deprædatione devaſtaverit, & irreligioſæ vitæ exemplo corruperit, & vos patiendo videndoque ſenſiſtis, & nos certo experimento didicimus. Sed quia his malis aliiſque quampluribus flagitiis irretitus atque pollutus, ne argui poſſit atque convinci, ſuperbiæ faſtu elatus contra apoſtolorum principem calcaneum erexit, & in inobedientia, quæ ſceleri comparatur idololatriæ, perſeveret, eum ſine ſpe recuperationis, Spiritus ſancti judicio, apoſtolicæ ſedis auc-

cto-

ctoritate, in ſancta Romana ſynodo eſſe depoſi- A
ANNO CHRISTI 1078. tum præſentium indiciis indubitanter cognoſcite. Quapropter ut nullam ei deinceps quæ epiſcopo debetur obedientiam exhibeatis, omnibus vobis beati Petri apoſtolorum principis auctoritate præcipimus. Si qui vero excommunicationis contagione vulnerati his ſalutiferis auſi fuerint repugnare præceptis, eos veluti putrida membra a toto corpore Chriſti, quod eſt eccleſia catholica, anathematis gladio reſecamus atque projicimus. Vobis autem Deum diligentibus, & beato Petro obedientibus, ex auctoritate ejuſdem apoſtolorum principis omnium peccatorum remiſſionem largimur. Data Romæ * ſeptimo Kalendas Decembris, indictione ſecunda.

* VI.

XI. AD CLERICOS SANCTI MARTINI Lucenſis.

Arguit eos inobedientiæ. Præcipit ut ſecundum privilegium anteceſſorum pontificum, communem regularemque vitam degant: ſin minus, eccleſiæ præbendam in manu epiſcopi reddant. Quod ſi neutrum facere neglexerint, omnium eccleſiarum introitum eis prohibet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clericis ſancti Martini Lucenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUm apud vos eſſemus, ſæpiſſime vos per nos C
& per confratres noſtros admonuimus, uti ſecundum privilegium anteceſſorum noſtrorum, ſancti videlicet Leonis papæ & Victoris, quod ipſorum tunc canonicorum veſtræ eccleſiæ rogatu ipſi eccleſiæ fecerunt, communem regularemque vitam duceretis: ſed vos quæ veſtra ſunt quærentes, non quæ Jeſu Chriſti, noſtras admonitiones neglexiſtis. Cumque tantæ negligentiæ & inobedientiæ, quæ ſcelus idololatriæ a ſanctis patribus dicitur, merito jure vos ſententia judicialis ferire deberet; epiſcopi tamen veſtri, & quorumdam fratrum veſtrorum precibus, apoſtolica manſuetudo ſolita pietate, ut filios uſque ad feſtivitatem omnium ſanctorum, deinde etiam interventu ejuſdem epiſcopi uſque ad ſynodum clementer vos ſuſtinuit. Ad quam præcepimus ut aliquos mitteretis de vobis, qui de veſtra nobis obedientia reſponderent. Quod quia minime factum, ut decuerat, jam nunc æquitatis non poſſumus differre cenſuram. Proinde per veram obedientiam moneo, ut communem vitam vivatis, ſicut ſanctus Leo papa eccleſiæ noſtræ inſtituit, & ſicut Romana eccleſia intelligit, id eſt ut omnia eccleſiæ bona in communem utilitatem redigantur, & communiter, ſicut ſupra dictum eſt, expendantur: aut, ſi id facere recuſatis, eccleſiæ præbendam in manu epiſcopi ad eccleſiæ utilitatem reddatis. Quod ſi neutrum horum, quod abſit, facere recuſatis, ex auctoritate Dei omnipotentis, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, omnium eccleſiarum introitum vobis uſque ad emendationem congruam prohibemus. Data Romæ quarto Kalendas Decembris, indictione ſecunda.

XII. AD LANDULPHUM EPISCOPUM Piſanum.

Piſanæ eccleſiæ epiſcopatum cum omni jure ei confirmat, & tam ea quæ antiquitus collata, quam quæ modo a Mathilde, & quæ in futurum ab aliis conferentur, concedit. Vicem ſuam ei atque ſucceſſoribus committit in inſula Corſica, & pro labore quem primus in ea reſtituenda ad Romanæ eccleſiæ dominium ANNO CHRISTI 1078 ſuſcipiet medietatem, duobus vero ejus ſucceſſoribus quartam partem omnium reditum largitur, arces tamen ſub ditione Romanæ eccleſiæ reſervat, quorum cuſtodes illis, ſi neceſſitas exegerit vult obedire.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Landulpho Piſano ſuiſque ſucceſſoribus.

SUpernæ miſerationis reſpectu ad hoc univerſalis eccleſiæ curam ſuſcepimus, & apoſtolici B moderaminis ſolicitudinem gerimus, ut juſtis precantium votis attenta benignitate faveamus, & libramine æquitatis omnibus in neceſſitate poſitis, quantum Deo donante poſſumus, ſubvenire debeamus. Unde poſtulante te, frater Landulphe, ut eccleſiam, cui Deo volente præeſſe dignoſceris, ejuſque bona ab adverſariorum impetu & infeſtatione noſtræ apoſtolicæ auctoritatis munimine tueremur; inclinati juſtis precibus tuis conceſſione præſentis privilegii confirmamus tibi epiſcopatum prædictæ Piſanæ eccleſiæ cum omni jure ſuiſque pertinentiis. Et quia Piſana eccleſia quæ in præficiendis ſibi paſtoribus a conſtitutionibus ſanctorum patrum deviaverat, tandem pro reſtitutione antiquæ libertatis ſuæ ſalubre conſilium matris ſuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſuſcepit, ita ut te, non aliunde ſed per oſtium, quod Chriſtus eſt, intrantem, gaudeat nobis ordinantibus habere paſtorem, indulgemus, concedimus atque firmamus ſibi tam ea quæ ab antiquis temporibus juſte collata ſunt, quam ea quæ divina pietate per ſereniſſimam filiam noſtram Mathildem pro remedio animæ matris ſuæ in eadem eccleſiæ ſepultæ concedere dignata eſt, videlicet locum qui dicitur Schannellum cum caſtellis & pertinentiis ſuis, & alia quæ in futurum, Deo auctore, a fidelibus legaliter conferenda ſunt. Præterea fidei & religionis tuæ gratum in te fructum exuberare cognoſcentes, committimus tibi tuiſque ſucceſſoribus vicem noſtram in Corſica D inſula: ſi tamen ipſi conſenſu Romani pontificis & electione Piſani populi ita canonice intraverint, ſicut te conſtat intraſſe: ut ſecundum quod Deus tibi tradidit, quæ ad Chriſtianam religionem pertinere videntur, vigilanti ſtudio epiſcopos, clericos, populumque ejuſdem inſulæ doceas, atque morum honeſtate confirmes, juxta propheticum ſermonem, *ut evellas, & deſtruas, ædifices, & plantes*. Quæ nimirum inſula, a jure & dominio ſanctæ Romanæ eccleſiæ per quorumdam pravorum hominum invaſionem ſubtracta, ut prudentiæ tuæ ſtudio excluſis invaſoribus ſecundum antiquum morem ad dominium ejuſdem Romanæ eccleſiæ revocetur; concedimus tibi per quem Piſana eccleſia ad antiquum ſui decorem reducta eſt, & qui E prius in reſtitutione prædictæ inſulæ elaboraturus es, medietatem omnium reditum, & totius pretii medietatem quæ de placitis acquiretur: duobus vero ſucceſſoribus tuis quartam partem redituum & totius pretii quæ de placitis acquiretur. Ita tamen ut arces & quæque munita loca per te acquirenda in poteſtate noſtra & ſucceſſorum noſtrorum permaneant, eo tenore, ut, ſi neceſſitas exegerit, cuſtodes eorumdem locorum tibi ſucceſſoribuſque tuis, ſalvo jure & honore Romanæ eccleſiæ, obediant. Dignum quippe eſt ut, ſi ad imperium & conſenſum ſanctæ Romanæ eccleſiæ paſtoralem ſecundum dominum ſuſceperint di-

dignitatem, habeant ex largitione apoſtolicæ ſedis A
ANNO CHRISTI 1078. temporalium rerum ſuſtentationem & decorem. Hoc etiam addendum eſſe cenſuimus, ut in agendis placitis nuntius noſter ſemper interſit. Actum Romæ ſecundo Kalendas Decembris, indictione ſecunda.

XIII. AD OLAVUM NORVEGIÆ REGEM

Confirmat eum in fide, &, quia propter locorum diſtantiam & linguæ ignorantiam non poteſt mittere viros qui eum in lege Domini erudiant, rogat ut juniores & nobiles e regno ſuo ad apoſtolicam ſedem mittat, qui divinis legibus edocti apoſtolicæ ſedis mandata ad eum ferre & prædicare poſſint. Fratribus præterea B regis Danorum diviſionem regni cupientibus nullo pacto opem ferat, ſed curet potius ut rex fratres ſuos cum caritate ſuſcipiat. Ad bona piaque opera illum hortatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Olavo Norvecchorum regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

* Norvegorum, fi & in Mariu.

Licet ex univerſali cura ſanctæ & apoſtolicæ ſedis, cui divina miſeratione præſidemus, debitores ſimus omnibus qui Chriſti fidem colunt, de vobis tamen, qui quaſi in extremo orbis terrarum poſiti eſtis, tanto nos majoris ſolicitudinis ratio neceſſitaſque circumſtat, quanto vos C eorum qui in Chriſtiana religione vos inſtruant minorem copiam & neceſſaria minus ſolatia habere cognoſcimus. Quapropter oblata opportunitate ſcripſimus vobis ad confortandam aliquo modo gloriam veſtram in fide quæ eſt in Chriſto Jeſu, qui ſecundum propoſitum voluntatis æterni Patris Dei cooperante Spiritu ſancto pro ſalute mundi homo factus eſt, de intemerata Virgine
1 Petr. 1. natus, mundum reconcilians Deo per mortem ſuam, delens peccata noſtra per redemptionem quæ eſt in ſanguine ipſius, & devicta morte in ſemetipſo convivificavit ac reſuſcitavit nos in ſpem vivam, in hæreditatem immarceſſibilem, incontaminatam, incorruptam. In quo, ſicut confidimus in miſericordia ejus, vobis parata eſt æterna ſalus & vita; ſi tamen in illo ſpem firmam uſque ad finem tenueritis: credentes (ſicut dicit apoD
Coloſſ. 2. ſtolus Paulus) *quoniam in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Propter quod ſervite ei cum omni timore & humilitate, memores quod pſalmiſta dicat: *Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium*. Sitque ſemper
Pſal. 21. in ore, ſit ſemper in corde veſtro, quod hunc verſiculum paucis interpoſitis ſequitur: *Et anima mea illi vivet, & ſemen meum ſerviet ipſi*. Notum autem vobis eſſe volumus, quoniam deſiderium noſtrum eſt, ſi quo modo poſſemus ad vos aliquos de fratribus mittere, qui fideles & docti eſſent ad erudiendum vos in omni ſcientia & doE ctrina in Chriſto Jeſu: ut ſecundum evangelicam & apoſtolicam doctrinam decenter inſtructi in nullo vacillantes eſſetis, ſed radicati atque fundati ſuper ſtabile fundamentum, quod eſt Chriſtus Jeſus, abundantius atque perfectius in virtute Dei creſceretis, & ſecundum operationem fructum fidei æterna retributione dignum redderetis. Quod quia nobis, tum propter longinquitatem terrarum, & maxime propter ignotas linguas valde difficile eſt, rogamus vos (ſicut & regi Danorum denuntiavimus) ut de junioribus & nobilibus terræ veſtræ ad apoſtolicam aulam mittatis; quatenus ſub alis apoſtolorum Petri & Pauli ſacris ac divinis legibus diligenter edocti, apoſtolicæ ſedis ad vos mandata referre, non quaſi ANNO CHRISTI 1078. ignoti, ſed cogniti, & quæ Chriſtianæ religionis ordo poſtulaverit apud vos, non quaſi rudes aut ignari, ſed lingua ac ſcientia moribuſque prudentes digne Deo prædicare & efficaciter, ipſo adjuvante, excolere valeant. Relatum quoque nobis eſt, fratres regis Danorum ad veſtram ſe contuliſſe excellentiam, ut veſtris viribus copiiſque nitentes, quatenus cum illis regnum dividat, fratrem cogere intendant. Quæ quidem res quantum ad regni detrimentum, quantum ad confuſionem populi Chriſtiani, quantumque ad deſtructionem eccleſiarum, quibus quotidie vicina Paganorum crudelitas inhiat, & totius terræ deſolationem attineat, per ſemetipſam nos veritas, quæ Chriſtus eſt, in evangelio docet, cum dicit: *Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, &* Luc. 11. *domus ſupra domum cadet*. Unde eminentiam veſtram id ſummopere cavere monemus, ut nullius unquam perſuaſione in hac parte cuiquam aſſenſum præbeatis vel adjutorium, ne peccatum hoc (quod abſit) in vos retorqueatur, neu de diſſidio regni illius contra vos & regnum veſtrum divina indignatio concitetur. Hoc autem vos procurare libenter volumus, atque conſulimus, ut præfatus rex Danorum fratres ſuos in regnum cum caritate ſuſcipiat, & ita eis de reliquis bonis & honoribus, ubi poteſt, diſtribuat, ut nec illos indigna anguſtet neceſſitas, nec regni ſtatus labefactetur aut dignitas. De cætero ſemper cogitate de ſpe vocationis veſtræ, & attenti ad
Matth. 8. ea quæ Dominus in evangelio dicit: *Quia venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abrahamo, Iſaac, & Jacob in regno cælorum*, nolite tardare, currite, feſtinate. De ultimis finibus eſtis: ſed ſi curritis, ſi feſtinatis, primis patribus in regno ſociati eritis. Sit curſus veſter fides, amor & deſiderium. Sit iter veſtrum mundi gloriam aſſidue meditari eſſe caducam, & ideo cum amaritudine potius quam delectatione tenendam. Sit veſtræ potentiæ uſus & exercitatio, ſubvenire oppreſſis, defendere viduas, judicare pupillos, juſtitiam non ſolum diligere, ſed etiam tota virtute defendere. His namque veſtigiis, hoc theſauro, his opibus, de terreno ad cæleſte regnum, de fluxo & fragili ad certum & perenne gaudium, de caduca & tranſitoria ad æternam & ſemper permanſuram pervenitur gloriam. Deus autem omnipotens, qui dives & copioſus eſt in miſericordia, meritis & auctoritate apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra per illos nobis, licet indignis, divinitus conceſſa, abſolvat te & omnes fideles tuos ab omnibus peccatis veſtris, & dirigat vos in omnem voluntatem ſuam, ut in hac vita vos promereri faciat quod in æterna beatitudine multipliciter vobis adaucta corona retribuat. Data Romæ * decimooctavo Kalendas Januarii, in- * XIX.
dictione ſecunda.

XIV. AD WELFONEM DUCEM.

Nullam contra ſe murmurationis cauſam fore oſtendit, ſi diligenter perpendat quæ in ſynodo ſtatuta ſunt. Si fideli corde Deo adhæſerit, victoriam eum adepturum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Welfoni duci, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SI diligenter ſecundum æquitatem pontificalis officii, non ſecundum propriam voluntatem perpenditis quæ agimus, quæ dicimur de commu-

ni negotio, immo maxima perturbatione regni A
ANNO CHRISTI 1079 veſtri, non contra nos murmurabitis, ſed per viam patrum noſtrorum nos incedere, Deo duce, meritis beati Petri apoſtoli cognoſcetis. Perpendite quod ſanctus Spiritus per nos licet indignos dignatus eſt in ſancta ſynodo hoc in anno Romæ in quadrageſima celebrata ſtatuere, & cognoſcetis quantum valeat, quantum poſſit auctoritas & poteſtas beati Petri. Agite itaque omnipotenti Deo & beato Petro ſemper grates, & non contra nos murmurando, ſed beato Petro gratias referendo, meliora ſperate. Mihi credite, fratres cariſſimi, quia qui de falſitate & calliditate, non de juſtitia & ſimplicitate confidunt, omnino decident, & hos B. Petri gladius devorando confundet. Quid autem ſit actum in quaB drageſimali ſynodo, ſive in ea quam in menſe Novembri fecimus, veſtri fideles qui interfuerunt, & noſtræ literæ vobis miſſæ indicare poſſunt, Vos autem de juſtitia confidentes, & de B. Petri adjutorio præſumentes, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, quia ſi fideli corde & ſtabili Deo adhæſeritis, cito vobis victoria & pax arridebit. Omnipotens Deus meritis beatæ Mariæ cælorum reginæ, per auctoritatem B. Petri apoſtolorum principis mihi valde indigno commiſſam, te tuoſque omnes ſocios, qui juſtitiam amatis, & beati Petri ſedem diligitis, a cunctis peccatis abſolvat, & ad vitam æternam perducat. Data Romæ tertio Kalendas Januarii, indictione ſecunda.

XV. AD MONACHOS MASSILIENSES.

Abſentiam ſui abbatis ut æquo ferant animo hortatur, quem illis cito remiſſurum affirmat: eorum monaſterium, ſicut Cluniacenſe, apoſtolicæ ſedi unire deſiderat: reliqua harum literarum portitori dicenda relinquit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimis fratribus in monaſterio Maſſilienſi commorantibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CONtriſtavi vos, immo B. Petrus commovit, turbavit, & ipſe ſanabit. Filius namque illius abbas veſter venit ad nos, & pro ejus amore factus eſt obediens uſque ad corporis captionem; & quia paratus fuit, ſi oporteret, mori, & ex hoc habebit retributionem. Sed ſicut ſcitis, fratres mei, rari ſunt boni qui etiam Deo in pace ſerviant, ſed rariſſimi qui pro illius amore perſecutiones non timeant, vel qui ſe contra inimicos Dei indubitanter opponant. Proinde Chriſtiana religio (heu proh dolor!) pene deperiit, & impiorum ſuperbia nimis accrevit. Prædictus autem pater * noſter re vera apoſtolorum principem diligens in ejus acie nobis adhæſit, & adjutorium, Chriſto gubernante, nobis impendit; non ſurda aure intendens quod dicit apoſtolus: *Si fuerimus ſocii paſſionum, erimus & conſolationum*. Sed quia caritas, licet ratio vos conſoletur, ad dolorem vos impellit, eo quod tantum patrem tamque vobis ducem quaſi longo tempore amiſeritis, rogamus vos ex parte omnipotentis Dei & amore beati Petri, patienter ſupportate nos; quia cito, Deo adjuvante, eum vobis iterum remittemus: & ex hoc auctoritate beati Petri apoſtolorum principis nobis valde indignis commiſſa indulgentiam omnium peccatorum veſtrorum promittimus & abſolutionem cum benedictione concedimus. Confidimus namque de nimia pietate altiſſimi, & de ineffabili clementia reginæ cæleſtis, quia beati Petrus & Paulus locum veſtrum amplius ſolito cuſtodient & tuebuntur, qui pro illorum ſervitio damnum & incommodum habere videtur. Deſideramus enim locum B. Pauli & veſtrum ita unire, ut ſicut jam ex longo tempore Cluniacus, apoſtolicæ ſedi ſpecialiter adhæreat, & ſpeciali eccleſiæ hujus adjutorio & benedictione congaudeat. Moveat vos, fratres cariſſimi, ſumma dilectio Chriſti, ut nos ſicut voſipſos diligatis, & manum adjutorii in magna tempeſtate poſitis porrigatis, illud ſemper præ oculis habentes: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Quod autem minus ſcripſimus, horum portitori dicenda reliquimus. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis & interceſſione Dei genitricis & virginis per auctoritatem beatis Petro & Paulo apoſtolorum principibus conceſſam vos reſpiciat, voſque ſemper innovet & cuſtodiat, vobiſque quod ſit novum canticum indicet, & in ſancta jubilatione inflammet; ut perfecte ſciatis humanam fragilitatem deflere, & ineffabilem Dei benignitatem cognoſcere, ut in ejus amore ſemper creſcentes ad ejus certam notitiam & mirabilem lætitiam, cæleſti matre ducente, mereamini pervenire. Data IV. * Nonas Januarii, indictione ſecunda,

ANNO CHRISTI 1079.

Galat. 6.

* Kal.

XVI. AD BERENGARIUM GERUNDENSEM epiſcopum.

C Amplectitur devotionis ejus affectum erga ſedem apoſtolicam, utque in eo perſiſtat hortatur, & inter Raymundi filios pacem conciliet: quod ſi minus conſequi poſſit, ſaltem inducias fieri curet, interim eis denuntians alterum eorum, per quem ſteterit ne pax ſequatur, excommunicandum fore: alterum vero, qui apoſtolicæ ſedi obedierit, ad obtinendam hæreditatem paternam juvandum. Præterea ut Narbonenſis epiſcopi ejus fratris ſaluti conſulat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Berengario Gerundenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIcut per filium noſtrum Maſſilienſem abbatem didicimus, paratum eſſe te dicis in obedientia & fidelitate B. Petri firmiſſimo animo & conſtanti perſiſtere, & ſecundum præceptum noſtrum vitam tuam deinceps moreſque componere, cupiſque & deſideras præ cæteris qui in partibus veſtris ſunt nobis familiariter adhærere. Sed & nos ad ſuſcipiendum tantæ devotionis affectum ſinum paternæ dilectionis extendimus, & modis omnibus pio circa nos amori tuo favemus: ita plane, ut tu (ſicut promittis) in amore Petri & ſolicitudine eccleſiaſticæ religionis & pacis Chriſtianæ ſemper excreſcas, dignumque te apoſtolica familiaritate ex obedientia ſinceriſſima reddas. Itaque in primis negotium tibi, de quo multum curamus, injungimus. Comperimus enim quod inter filios Raymundi Berengarii per vanitatem & ſuperbiam, & maxime per conſilium impiorum, nimirum ex invidia diaboli, diſcordia oritur. Et ego inde nimis contriſtor, tum pro amore patris eorum, qui me ſatis ex quo cognovit dilexit, tum etiam quia ſuper Chriſtianam gentem, quæ in partibus illis magno impiorum Saracenorum odio laborare dignoſcitur, grave ſentio periculum imminere. Unde præcipimus tibi, ut adjunctis tecum religioſis vicinis tuis abbatibus, [ſcilicet Tumerienſe, Ripollenſe, & ſancti Cucufati, & quoſcumque alios Deum timen-

ANNO CHRISTI 1079.

mentes clericos laicosque poteris invenire, pacem inter illos reformare & componere ſtudeas. Quod ſi acquieſcere monitis veſtris fortaſſe noluerint, oſtenſis eis præſentibus literis ad tenendam eos treugam firmiſſimam uſque ad determinatum tempus ex auctoritate noſtra conſtringite, infra quod nos tales illuc ex latere noſtro nuntios dirigamus, qui cauſam litis eorum ita juſte diffiniant, ut non ſe ad gratiam alicujus nec præmio nec favore deflectent. Porro hoc illis debes firmiter inculcare, quia ſi nobis inobedientes extiterint, & in fraterno odio remanere, diabolo inſtigante, maluerint, illi quidem ex cujus culpa vel ſuperbia pax iſta remanſerit, gratiam ſancti Petri auferimus, eumque ſicut membrum diaboli, & deſolatorem Chriſtianæ religionis, cum omnibus fautoribus ſuis, feſtinabimus a communione Chriſtianæ ſocietatis abſcindere; ita ut nullam deinceps victoriam in bello, nullam proſperitatem habere poſſit in ſæculo. Alteri vero qui humiliter paci conſenſerit, debitamque obedientiam apoſtolicæ ſedi exhibuerit, ſtatuemus ex gratia ſancti Petri inexpugnabile apoſtolici favoris auxilium, eumque, ſicut filium ſanctæ Romanæ eccleſiæ condecet, ad obtinendam hæreditatem dignitatemque paternam modis omnibus procurabimus adjuvare, & omnibus Chriſtianis in partibus illis, ut ei faveant, eumque ad obtinendum principatum adjuvent, apoſtolica auctoritate præcipiemus. Quidquid autem de hoc a te inter eos diffinitum fuerit, quantocius nobis literis intimare, immo ſi opportunum fuerit, teipſum nobis repræſentare curabis. Præterea de fratre tuo Narbonenſi, magis quam hactenus fueris, volo te eſſe ſolicitum: quia ego ſatis de perditione illius doleo, & miror ſi tu illum, cui gemina germanitate cohæres, ad ſalutem non ſtudes reducere: cum ſcias quia pro ſola vel carnali vel ſpirituali affinitate alicujus, Chriſtianus homo in tanti periculo articuli ſeipſum debet * apponere. Age ergo & fraterna caritate ſuccenſus illum ex noſtræ fiducia admonitionis aggredere, commemorans illi & præteritos longævæ ætatis exceſſus, & propinquum jam ſibi divinæ ultionis inminere judicium, ſi forte poſſis eum ab ipſo mortis æternæ limine revocare, & de ſalute tramortis non ſolum cordis gaudium, verum etiam maximum æternæ retributionis a divina largitate præmium, promereri. Data Romæ quarto * Nonas Januarii, indictione ſecunda.

* Forte opponere H. vid. & ſic ed. Mabill.

* Kal.

XVII. AD ABBATEM CLUNIACENSEM.

Hugonem haud dubie intelligit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * *N. venerabili Cluniacenſi abbati & cariſſimo fratri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SI Romani ad veſtras partes, ſicut veſtratos ad nos, ſæpe venirent, frequentius tibi literis ſeu verbis qualiter circa nos geruntur quæ terrena ſunt vel cæleſtia indicaremus: ſed quia dum ſatis intendis aulicos nutrire, de ruſticis parum tibi eſt curæ, ultra hæc debes ad memoriam reducere, quia pauper noſter & pius redemptor ſic in cælo angelos paſcebat, ut in terris peccatores non ſolum non deſpiceret, ſed etiam cum eis cibum ſumeret. Cur, frater cariſſime, non perpendis, non conſideras, in quanto periculo, in quanta miſeria ſancta verſatur eccleſia? Ubi ſunt qui ſe ſponte pro amore Dei opponant periculis, reſiſtant impiis, & pro juſtitia & veritate non timeant mortem ſubire? Ecce qui Deum videntur timere vel amare, de bello Chriſti fugiunt, ſalutem fratrum poſtponunt, & ſeipſos tantum amantes quietem requirunt. Fugiunt paſtores, fugiunt & canes gregum defenſores. Invadunt oves Chriſti, nullo contradicente, lupi, latrones. Tuliſti vel recepiſti ducem in Cluniacenſem quietem, & feciſti ut centum millia Chriſtianorum careant cuſtode. Quod ſi noſtra exhortatio apud te parum valuit, & apoſtolicæ ſedis præceptum in te obedientiam non invenit, cur gemitus pauperum, lacrymæ viduarum, devaſtatio eccleſiarum, clamor orphanorum, dolor & murmur ſacerdotum & monachorum, te non terruerunt, ut illud quod apoſtolus dicit non poſtponeres, videlicet: *Caritas quæ ſua ſunt quærit*; & illud, in corde, ut ſoles, haberes: *Qui diligit proximum legem implevit*. Quid tibi * dicent B. Benedictus, & Gregorius, quorum alter præcipit ut per annum proberur novitius, alter vero prohibet ut ante triennium miles non efficiatur monachus. Hæc ideo dicimus, quia quod vix aliquis princeps bonus invenitur, dolemus. Monachi vero, Deo miſerante, ſacerdotes & milites, & non pauci pauperes, per diverſa loca qui Deum timent reperiuntur: principes autem Deum timentes & amantes in toto occidente vix aliqui inveniuntur. Omittimus jam de hac re tibi ſcribere: quia confido de miſericordia Dei, caritas Chriſti quæ in te ſolet habitare me vindicando cor tuum transfodiet, & quantus mihi dolor eſſe debeat de bono principe ablato matri ſuæ oſtendet. Quod ſi non illo pejor ei ſucceſſit in regimine, poſſumus habere conſolationem. Præterea monemus fraternitatem tuam, ut in talibus cautius te habeas, omnibuſque virtutibus dilectionem Dei & proximi præponas. Hæc etiam te compellant ut manum orationis nobis porrigas, omneſque fratres tibi creditos ad hoc provocare ſtudeas, ut merearis de virtute in virtutem proficere, & ad perfectionem ſummæ caritatis pervenire. Data Romæ quarto Nonas Januarii, Indictione ſecunda.

Philipp. 4. Rom. 13.

* dicunt

XVIII. AD EVRARDUM EPISCOPUM Parmenſem.

Arguit quod abbatem ad ſynodum venientem ceperit. Jubet ut eum dimittat. Quamobrem eum ab epiſcopali officio ſuſpendit, quouſque Romam veniat. Si non paruerit, eccleſiæ introitum interdicit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * *Everardo Parmenſi epiſcopo.*

* Everardo

DIu eſt quod te pura & ſincera caritate dileximus: ſed quod abbatem ad nos venientem, & ad ſanctam ſynodum properantem cepiſti, non æquam vicem dilectioni noſtræ reddidiſti. Magnum quidem facinus & officio tuo indignum, cujus neſcio juſſu vel inſtinctu, contra talem virum præſumpſiſti. qui ſi quid tibi debebat, tamen quia ad nos veniebat, teneri non meruit. Quapropter apoſtolica auctoritate præcipimus tibi, ut ſi nondum dimiſiſti eum, acceptis his literis continuo cum honore perduci facias ad Mathildem. Interim vero ab epiſcopali officio, propter hoc quod illum remoratus es, abſtineas, uſquequo ad nos ipſe venias: ſin autem, quod non ſperamus, neque his mandatis noſtris, ut dimittas ſcilicet, obtemperare volueris, eccleſiæ introitum omnino tibi ex parte beati Petri interdicimus. Data in ſynodo decimo ſexto Kalendas Martii, indictione ſecunda.

XIX.

ANNO CHRISTI 1079.

XIX. AD HAREMANNUM, Uldericum, &c.

In ſynodo definitum aſſerit, quod niſi triginta dierum ſpatio bona eccleſiæ Bambergenſis reddiderint, excommunicationi ſubjaceant.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Haremanno, Udelrico, Frederico, *Mazelino, Heroldo, *Goteboldo, militibus Bambergenſis eccleſiæ.*

* Mazolino & ſic infra. * Gotebaldo

INtelleximus jamdiu, quod vos, ſcilicet Haremanne & Udelrice, acceperitis bona ipſius eccleſiæ pro introitu Bambergenſis epiſcopi * He.... jam depoſiti, quodque vos, Frederice, Mazelino, Herolde, Wirinto, poſt illius excommunicationem ab hac ſede bona ejuſdem eccleſiæ ab eo ſimiliter accepiſtis. Intelleximus etiam te, Goteboldе, quando captus tenebatur epiſcopus, jam memoratæ eccleſiæ bona de manu regis accepiſſe. Sciatis igitur in eo concilio quod nuper celebravimus, ut niſi inter terminum viginti dierum, poſtquam hæc legationis noſtræ verba ad veſtras aures perwenerint, res jam dictæ eccleſiæ quas injuſte detinetis aut reddideritis, aut de manu epiſcopi acceperitis, periculo excommunicationis ſubjaceatis. Si vero reſipiſcentes ad epiſcopum veneritis, & ſæpe nominata bona reſtitueritis, liceat epiſcopo vos excommunicationis vinculo ſolvere. Data in ſynodo decimotertio Kalendas Martii, indictione 11.

* Heremanni

XX. AD CENTULLUM COMITEM.

Præclaras virtutes quibus præditus erat denigrare eum aſſerit, dum conſanguineam ſuam uxorem haberet. Suadet ut a tanto facinore abſtineat, epiſcopos & eccleſiam veneretur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Centullo comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Patres boni principis.

AUdivimus de te per tales quibus fidem habemus ea quæ Chriſtianum principem bonis omnibus debeant commendare, quia ſis videlicet amator juſtitiæ, defenſor pauperum, & propagator pacis. Unde te in dilectionem & gratiam ſicut filium eccleſiæ Romanæ ſuſcipimus, & ut in bonis cœptis de die in diem proficere ſtudeas admonemus. Tamen reprehenſibile quoddam in te eſſe cognovimus, quia ſcilicet conſanguineam tuam habes uxorem: & inde nimis cavendum tibi, ſcilicet ne ex occaſione culpæ iſtius cætera quæcumque agis bona diſpereant. Age ergo, & ſecundum conſilium Amati epiſcopi Florenſis, & Bernardi Maſſilienſis abbatis, ſiquidem ad veſtras partes poterit pervenire, prædictum reatum emendare, & pœnitentiam inde agere ſtude, ne pro hoc animam tuam perdas, & nobilem ſeminam, quæ ſub tutela tua eſt commiſſa confundas. Ante omnia eccleſiam Dei venerari ſemper & honorare atque defendere ſtude, & epiſcopis quaſi patribus tuis reverentiam & obedientiam exhibe. Scias pro hoc te & in hoc ſæculo majorem gloriam, & in futuro vitam promereri perpetuam. Si facultas tibi eſſet veniendi ad nos, deſideraremus te videre, ac plenius de animæ tuæ ſalute inſtruere. Data Romæ quinto Idus Martii, Indictione ſecunda.

ANNO CHRISTI 1079.

XXI. AD ARELATENSES.

Reprehendit eos nulla pene cura moveri ſuam eccleſiam paſtore eſſe deſtitutam. Propterea Wapincenſem epiſcopum mittit, ut aut epiſcopum eligant, aut promittant ſe in paſtorem ſuſcepturos quemcumque ipſe ad eos miſerit. Cætera quæ dicenda forent epiſcopo injunxiſſe ſignificat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſo clero & populo Arelatenſis eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam ſublata paſtorali cuſtodia gregi non parva imminere perpendimus, multa pro vobis ſolicitudine angimur, multo dolore compungimur, quod eccleſiam veſtram tamdiu vigilantia paſtoris & regimine idonei gubernatoris deſtitutam eſſe cognoſcimus. Quod in hac re minus quam oportet vos eſſe ſolicitos, immo quaſi propriæ ſalutis oblitos, nulla pene cura vel affectione permotos deprehendimus, majoris nobis triſtitiæ cauſa conſiſtit: quoniam perniciоſius fere nihil eſt, quam contra mala urgentia nulla ratione conſurgere, & ſuæ ſaluti in ſupremo diſcrimine aut neſcire aut nolle conſulere. His itaque curis ac tantæ deſolationis veſtræ cauſa ſtimulante, miſimus ad vos fratrem noſtrum videlicet Leodegarium Wapincenſem epiſcopum, quatenus cum illius conſilio aut talem perſonam ſecundum Deum eligatis, quam vicarius noſter Hugo Dienſis epiſcopus literis ſuis nobis commendet, aut ſi apud vos, quod credimus, tanto regimini digna inveniri perſona non poteſt, in manu fratris noſtri Leodegarii Wapincenſis epiſcopi firmetis vos illum ſuſcipere in paſtorem, quem conſecratum & honore pallii inſignitum vobis ex parte ſancti Petri miſerimus. Cogitare enim debetis, quoniam ſecundum electionem gratiæ Dei de numero ovium Chriſti eſtis, & nequaquam ſecure vivetis, niſi qui ejus vice vobis præſit, & contra incurſus callidi inſidiatoris aſſidua circumſpectione, auxiliante Deo, vos muniat, habeatis. Agite ergo, ne quis vos ad proſpiciendum de honore eccleſiæ veſtræ, & communi ſaluti animarum veſtrarum impedire valeat, & ne viſitatio legationis noſtræ fruſtra ad vos facta eſſe videatur, per quam vobis caritas noſtra repræſentatur & auctoritas: ſcientes quoniam quidquid ex utroque, Deo auctore, debemus & poſſumus ad profectum veſtrum vobis exhibere promptam & indefeſſam voluntatem gerimus. Cætera quæ dicenda ſunt fratri noſtro Leodegario injunximus: cui legationi, quantum ad hoc pertinet negotium, ita volo ut credatis, ac ſi a nobis viva voce in auribus veſtris dicerentur. Data Romæ Kal. Martii, ind. 2.

XXII. AD COMITISSAM MATHILDEM.

Reſpondet ſuper conjugio Theodorici ducis & ſuper ejus intromiſſione de componenda inter ſe & Henricum regem pace, & de duce excommunicato a Metenſi epiſcopo.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecta in Chriſto filia Mathildi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam animi noſtri voluntatem ſuper ea re ſcire cupiens, miſiſti nobis; quod Theodoricus dux optaret ſibi conjugio copulare quon-

ANNO CHRISTI 1079.

dam uxorem marchionis Petroni, mandamus tibi: ille enim non eſt adeo notus nobis, nec illa nobis ita commiſſa, ut aliquid inde agere velimus. De eodem duce item ſignificaſti, quod ſi placeret nobis, de componenda pace inter nos & Henricum regem ſe intromitteret. Super hoc itaque reſpondemus. Legatus regis in præſentia univerſalis ſynodi juravit ex præcepto Domini ſui eum noſtris mandatis per omnia obtemperaturum. Ea quoque de cauſa & ſpe nos jam miſiſſe legatos noſtros credo tuam ſcientiam non latere. Excommunicatum vero jam ſæpe dictum ducem ab epiſcopo Metenſi, quia non ignoras, nos ſententiæ in illum prolatæ noveris aſſenſum dediſſe, & eam firmaviſſe, niſi infra viginti dies poſtquam mandata noſtra reſciverit, juſſis noſtris obedierit, & niſi civitatem & bona S. Stephani, quæ injuſte invaſit, libera dimiſerit, & eccleſiæ ſatisfecerit. Data Romæ v. Nonas Martii, indictione 2.

XXIII. AD AURELIANENSES.

Eccleſiæ eorum ærumnis conſulere deliderans, Sanzonem, quem in epiſcopum optaverant, ſe libenter ſuſcepiſſe: ne tamen Rainerio epiſcopo adhuc ſuperſtite, quem illi inutilem eſſe aſſerebant, præjudicium faciat, legatos ſe miſſurum ait, qui rem inſpiciant, ut ipſe deinde electionem confirmare poſſit. Interim nullus eccleſiæ bona diſtrahat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Aurelianenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Scitis incunctanter quod de eccleſiæ veſtræ ærumnis & anguſtiis, quam ſpecialiter dileximus, & quæ una ex nobiliſſimis Galliæ eccleſiis quondam fuit, & adhuc erit, Deo favente, nos valde dolemus, & quia illi qualiter ſubvenire debeamus ſoliciti ſumus, & ut ad priſtinum decus & gloriam redeat nos impenſe operam damus. De Sanzone item filio noſtro, quem vobis in epiſcopum optatis, noveritis quia libenter eum ſuſcepimus, & paterno amore tractavimus. Sed quia Rainerius dictus epiſcopus, & eccleſiæ veſtræ, ut dicitur, inutilis, nondum ex toto conſtat ab ea ſeparatus, ne videamur alicui præjudicium facere, neu ob alicujus amicitiam forte quis ſuſpicetur nos contra juſtitiam facere velle, legatos noſtros ad vos mittere diſpoſuimus, qui veritate diſcuſſa diligenter & probata, de eo poſſint ex auctoritate noſtra, immo beati Petri, prout juſtitia dictaverit, ſententiam dare. Poſtea vero electionem veſtram ſecundum Deum confirmare, & quibus modis oportere videbitur, corroborare ſecundum canonica inſtituta curabimus. Interim vero res ejuſdem eccleſiæ, tam vobis quam omnibus apud quos ubicumque reperiuntur, ex parte B. Petri monendo præcipimus, ut nemo diſtrahere vel demoliri præſumat, videlicet prædia & ornamenta quæ illi pertinere noſcuntur. Quod ſi quis contra hanc noſtra præcepta temerarie conari tentaverit, ſciat ſe gratiam B. Petri amiſſurum, & anathematis gladium, niſi reſipuerit, incurſurum. Datæ Romæ tertio Nonas Martii, indictione 2.

XXIV. AD AMATUM EPISCOPUM Elorenſem.

Cauſam inter abbates ſanctæ Crucis & ſancti Severi diligenter ei & Dienſi epiſcopo terminandam committit: decernens interim quod in lite eſt ex integro abbatiæ ſanctæ Crucis reſtituendum eſſe.

ANNO CHRISTI 1079.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Amato Elorenſi epiſcopo in Vaſconia, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

* Id eſt Oloronenſi in ed. Merlin. Oroleuſi.

JOzelinus archiepiſcopus Burdigalenſis confrater noſter veniens ad limina apoſtolorum, duxit nobis ad memoriam, qualiter olim actum ſit de diſcordia monaſterii ſanctæ Crucis & ſancti Severi, quidve diffinitionis in Romana eccleſia ſuſceperit. Nam & literas olim a nobis ſuper hac re abbati S. Severi tranſmiſſa invenimus, & abbatem ſecundum tenorem earum inobedientem tuiſſe cognovimus. Unde ne præjudicium ſibi aliqua pars fieri ſuſpicetur, cenſuimus cauſam illam ante te & confratrem noſtrum Hugonem Dienſem epiſcopum diligenter eſſe retractandam: ita ut uterque auditores legitimum, Deum auxiliante, huic negotio finem imponatis. Adjudicavimus etiam ut illud quod in lite eſt ex integro abbatiæ ſanctæ Crucis reſtituatur, quatenus poſſeſſione ſibi reddita canonicum & legale ſit quod acturi eſtis, & in executione judicii noſtri irreprehenſibiles appareatis. Quod ſi ille inobediens fuerit, & memoratæ eccleſiæ inveſtituram abbatiæ ſanctæ Crucis non reſtituerit, illum ſicut rebellem a communione corporis & ſanguinis Domini merito ſeparate. Data Romæ octavo Idus Martii, indictione ſecunda.

XXV. AD ARNALDUM ABBATEM ſancti Severi.

Dienſi & Olorenſi epiſcopis commiſiſſe ſignificat, quid agendum foret in controverſia inter eum & abbatem ſanctæ Crucis: quare præcipit ut illis pareat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Arnaldo abbati ſancti Severi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

POſt receſſionem tuam proxime factam, ſcias nos literas quaſdam reperiſſe, in quibus inobedientiam tui liquido deprehendimus. Proinde notum tibi ſit, nos eam cauſam ſcilicet, quæ inter te & abbatem ſanctæ Crucis eſſe dignoſcitur, diligentius diſcutiendam fratribus & coepiſcopis Hugoni Dienſi & Amato Olorenſi legatis noſtris commiſiſſe: & quidquid iſti de ea re ſtatuerint judicantes, hoc deinceps vobis eſſe ratum firmumque tenendum. Attamen interim, ut illam poſſeſſionem, ſcilicet eccleſiam ſanctæ Mariæ de Solaco, de qua lis inter vos orta eſt, abbatiæ ſanctæ Crucis ex integro reſtituas, apoſtolica auctoritate præcipimus, & ut quiete donec ad judicium veniat poſſidere permittas ex parte beati Petri jubendo monemus. Indignum quippe eſt, & canonicis inſtitutis nimis alienum ducimus, cauſam quæ ventilanda eſt ad examen debere deduci, niſi de rebus in lite poſitis ille qui vim patitur prius fuerit reveſtitus. Juxta ergo quod & monuimus & præcepimus, iterum inculcare curavimus ne te ulterius ſuper hac re, ſicut hactenus, inobedientem reperire valeamus. Quod ſi inobedientia tua auribus noſtris iterum fuerit delata, ſcias indubitanter te iram beati Petri & noſtram incurriſſe, & dignæ animadverſionis ſententiam in periculum ordinis tui provocaſſe. Data Romæ octavo Idus Martii, indict. ſecunda.

XXVI.

ANNO CHRISTI 1079.

XXVI. AD FULCARDUM, * &c.

* præpoſitum & canonicos Inſulenſes.

Mandat ut Lambertum, quem ipſi contra ſua mandata male tractaverant, ſuſcipiant, eique ablata reſtituant: niſi paruerint, eos punieturum minatur.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Fulcardo Inſulanæ congregationis præpoſito, cæteriſque ejuſdem congregationis canonicis tam minoribus quam majoribus, licet aliter * meritis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* mereatis

NOn modicum offendiſtis nos ſuper injuria & expoliatione rerum Lamberti filii noſtri a vobis illata, immo in perſona ſua nobis facta, præcipue cum per Ingelrannum noſtrum vobis mandaverimus, ut ei nullam injuriam inferretis propter obedientiam quam ſibi injunximus. Mandamus ergo vobis, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ſicut canonicis ſpecialiter munitis privilegiis B. Petri, quatenus hunc filium noſtrum Lambertum fratrem & concanonicum veſtrum cum omni benevolentia & dilectione ſuſcipiatis, & ſua ſibi integre reſtituatis: remittentes vobis, ipſo eode. interveniente, quidquid in eo & nobis deliquiſtis, eo videlicet tenore, ne deinceps contra noſtra & ſanctorum canonum decreta agere præſumatis. Quod ſi facere neglexeritis, (quod abſit) rurſumque clamor ad nos ſeu ad vicarium noſtrum venerabilem virum Hugonem Dienſem epiſcopum venerit & gratiam B. Petri & noſtram perdetis, & nos ulterius nullo modo patiemur inultos, ſed ſicut dignum fuerit gladio B. Petri contemptum noſtrum vindicabimus. Data Romæ ſecundo Idus Martii, ind. 2.

XXVII. AD MONACHOS DOLENSIS monaſterii.

Præcipit ut amoto Gualterio, quem in abbatem contra excommunicationem elegerant, quique in concilio depoſitus fuerat, Viennenſem archiepiſcopum in abbatem ſuſcipiant. Pro eorum autem inobedientia coram Dienſi epiſcopo compareant, eique obediant; ſin minus, excommunicationem in eos latam ſe confirmaturum ait.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei monachis Dolenſis monaſterii.

NOveritis Gualterium, quem vobis in abbatem contra excommunicationem apoſtolicæ ſedis conſtituiſtis, collaudatione Romani concilii a nobis irrecuperabiliter eſſe depoſitum: & ſi de adminiſtratione abbatiæ veſtræ ſe ulterius, cognitis his literis, intromiſerit, omnino excommunicandum. Quapropter apoſtolica vobis auctoritate præcipimus ut confratrem noſtrum Wormundum Viennenſem archiepiſcopum, quem vobis in abbatem, Deo annuente, ordinavimus, ſine omni contradictione ſuſcipiatis, & ei ſicut patri & abbati per omnia toto cordis affectu obediatis: & quia non modicum pro inobedientia veſtra incurriſtis delictum, præcipimus vobis, ut dominica prima poſt pentecoſten, ſcilicet in octavis, coram vicario noſtro Hugone Dienſe epiſcopo ſatisfacturi, Valentiæ videlicet urbi vos repræſentetis, & quod ipſe vobis præceperit obedienter teneatis. Quod ſi ipſi ſpiritu ſuperbiæ his noſtris literis inobedientes fueritis, excommunicationem

A a præfato vicario noſtro ſuper vos factam ab illo die nos confirmaſſe indubitanter ſciatis. Data Romæ * octavo Kalendas Aprilis, indictione ſecunda.

ANNO CHRISTI 1079. * XIII.

XXVIII. AD * NOBILES BITURICENSES. Ejuſdem argumenti.

* principes regionis Bituricæ.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rodulpho, Odoni, Epponi, Umbaldo, Everardo, Bozoni, Giraldo, Adelardo, & cæteris principibus Biturice regionis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi obedierint.

MIramur temeritatem & inſolentiam præſumptionis veſtræ, quod contra fas & excommunicationem apoſtolicam vobis delatam, abbatiam Dolenſem, quam in tutelam hactenus habuiſtis, * immo etiam ad cumulum detrimenti tam animarum veſtrarum quam corporum, abjecto eo quem manibus propriis, Deo volente, vobis in abbatem conſecravimus, Gualterium invaſorem irrecuperabiliter depoſuimus, & ei res eccleſiæ ſuiſque fautoribus ſub excommunicatione interdiximus. Confratri autem noſtro Wormundo Viennenſi archiepiſcopo abbatiam Dolenſem conceſſimus, immo reddidimus. Vos ergo monemus, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut abjecto invaſoris prædicti dominio, abbati veſtro, jure canonico, Wormundo Viennenſi archiepiſcopo ſincera mente & puro corde obediatis. Quod ſi rebelles Deo & beato Petro in his deinceps fueritis, a dominica prima poſt pentecoſten, ſcilicet in octavis, cum Dolenſibus monachis, niſi ſatisfecerint coram vicario noſtro Hugone Dienſi epiſcopo Valentiæ, vos excommunicationi ſubjacebitis. Si autem patri veſtro ſpirituali confratri noſtro Wormundo Viennenſi archiepiſcopo obedientiam & auxilium exhibueritis, gratiam Dei & beati Petri percipietis. Te autem, Rodulphe, quia in his plus cæteris tibi a Deo conceſſa eſt poteſtas, rogamus te & præcipimus, ut eum in abbatiam ſine ſimulatione & dolo reſtituas, & totius iræ ſive diſcordiæ oblitus, ei ut filius cariſſimus cohæreas; quatenus gratiam Dei & peccatorum tuorum indulgentiam ab ipſo cui data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi percipias. Data Romæ decimotertio Kal. Aprilis, Indict. ſecunda.

* invaſioni immo &

XXIX. AD LADISLAUM HUNGARORUM Regem.

Regis devotionem erga ſedem apoſtolicam laudat. Comites quoſdam ac milites eccleſiæ fideles injuſte in exilium relegatos commendat. Ad eccleſiarum defenſionem hortatur; legatoſque ad ſe mittere jubet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ladislao Hungarorum regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIcut fidelium tuorum crebra relatione cognovimus, idemque ipſum noſtris atteſtantibus ratum habemus, excellentia tua ad ſerviendum beato Petro, quemadmodum religioſa poteſtas debet, & ad obediendum nobis ut liberalem filium decet, toto affectu & cordis intentione parata eſt. Unde nimirum devotionem mentis tuæ ſuper hoc ſtudio non indigne laudamus, eique ſincere congratulamur, quod quidem optimorum regum ſequendo veſtigia illuſtrat, ſervando tam

ANNO CHRISTI 1079.

in moribus normam juſtitiæ, quam etiam licam nobilitatis in ſanguine. Igitur quia de celſitudinis tuæ liberalitate & obedientia ſatis confidimus, ad quiddam noſtræ univerſali ſolicitudini congruens, quod honori quoque tuo non parum concordat, invitare te non dubitamus: quatenus in eo & illa quæ de te verbis ſolis credita ſunt eſſe vera facti indicio pateant, & nobis ſit aperta firmior cauſa, qua te præ cæteris regiæ dignitatis amplius ſpecialiuſque diligere merito debeamus. Itaque comites illos vel . . . videlicet D. . . & C. . . eorumque milites, quos beato Petro fideles juſtitiæque fautores injuſta (ut accepimus) ſententia in exilium expulit, tibi commendatos eſſe ex parte noſtra optamus. Et quia hactenus illis ſubvenire ex induſtria propria claritudo tua curavit, ſentiant ſibi nunc ob fidelitatem beati Petri noſtramque commendationem ſolatii auxiliique munus copioſius acceſſiſſe. De cætero prudentiam tuam monemus, ut viam juſtitiæ ſemper ſtudeas irreflexo calle tenere, & viduas & orphanos & peregrinos paterna pietate tueri, eccleſias non modo non laedere, ſed etiam ab arrogantium & invaſorum petulantia & temeritate defendere, nec non & alia quæ recte intelliges, procures diligenter ſervare. Illud quoque nihilo minus ſcire te volumus, quoſdam nomine tuo legatos ad nos olim veniſſe, quibus item nos iſtud injunximus, ut dilectioni tuæ ſuggererent, quatenus alios deſtinare, quo certiores efficeremur, cenſeret. Verum nobis adhuc in incerto manet, an ad te mandata noſtra perlata ſint, an aliquos poſtea miſeris; liquet autem neminem a te legatum ad nos poſt inde veniſſe. Quare decrevimus ad te iterum idem repetendo ſcribere, itidemque de comitibus, quod jam poſtulavimus, iterando inculcare: quo & nuntios, ſi nondum miſiſti, non ulterius mittere negligas, & prænominatis omnibus præſidii manum familiarius proniuſque in cunctis porrigere ſtudeas. Omnipotens & miſericors Deus, a quo bona cuncta procedunt, per merita & interceſſiones beatæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ, & beatorum Petri & Pauli, greſſus tuos per viam deducens juſtitiæ, conſtanter dirigat uſque ad finem, & ſic hujus vitæ temporalia regni gubernacula faciat temperare, quatenus æterna promerendo valeas adipiſci. Data Romæ duodecimo Kal. Aprilis, indictione ſecunda.

XXX. AD LANFRANCUM ARCHIEPSCOpum Cantuarienſem.

Arguit quod ſe non viſitaverit a tempore aſſumptionis ſuæ: cujus cauſam cum regem eſſe noverit, hortatur ut eum moneat, ne quid injuſtum contra Romanam eccleſiam præſumat ipſeque ad ſe quantocius veniat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Lanfranco Cantuariorum archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUod ex illo tempore, quod ſacerdotale ſummæ ſedis jugum cervici noſtræ, licet indigni, ſuſcepimus, venire ad nos non multum curavit fraternitas tua, quanto minus hoc de dilectione tua ſperare potuimus, eo amplius ſtupentes miramur: & niſi apoſtolica manſuetudo, nec non & amoris pignus antiquum nos hucuſque detinuiſſet, profecto nos hoc graviter ferre jamdudum tibi conſtitiſſet. Verum, ſicut certiſſime compertum habemus adventum tuum vel motus regis, ejus ſcilicet quem inter cæteros illius dignitatis ſpecialius ſemper dileximus, vel maxime tua culpa nobis negavit, & te quidem, ſi vel priſci amoris memoria ſupereſſet, vel debita matri Romanæ eccleſiæ dilectio in mente remaneret, non debuit aliquis aut mundanæ poteſtatis terror, aut cujuſquam perſonæ ſuperſtitioſus amor, a conſpectu noſtro retrahere. Illum vero ſi contra apoſtolicam ſedem novus arrogantiæ tumor nunc erigit, ſive contra nos ulla libido ſeu procacitas jactat, tanto gravius feremus, quanto eum dilectione noſtra indignum ſe feciſſe conſtiterit. Quod tamen ne illi accidat, religio tua poterit hoc modo vitare, ſi ei diligenter aperiendo, & conſtanter admonendo conſilium dederis, ne contra matrem omnium Romanam eccleſiam quid injuſtum præſumat, neve quid a religioſa poteſtate alienum petulanter audeat, & neque tuam neque alicujus devotionem ab apoſtolicæ ſedis viſitatione ulterius coercere attentet. Igitur decet fraternitatem tuam negligentiæ ſuæ exceſſus ſapienter corrigere, atque ad apoſtolicam ſedem quantocius properare, teque ipſum noſtris obtutibus, ut optamus, utque ſæpe mandavimus, præſentare; quatenus nos de his & de aliis negotiis præſentialiter conferre, atque utilitas eccleſiæ de noſtro colloquio augmentum valeat, Deo favente, percipere. Data Romæ octavo Kalend. Aprilis, Indictione ſecunda.

XXXI. AD INCOLAS PROVINCIÆ.

Præcipit ut bona monaſterii ſancti Petri ſub excommunicationis pœna reſtituant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, principibus, clericis, laicisque in Provincia commorantibus, exceptis his qui excommunicationi ſubjacent, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum vobis omnibus eſſe putamus, quod monaſterium S. Petri, ſitum in loco qui Mons major dicitur, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſpeciali quodam jure ſubjectum eſt, & apoſtolicæ ſedis privilegiis ex tempore longo munitum. Unde quia nobis pro ſuſcepti regiminis ſolicitudine imminet eccleſiis omnibus providere, illis præcipue debemus vigilanter proſpicere, quæ Romanæ apoſtolicæque ſedi quodammodo vicinius hærent, & ejus tutela maxime ſperant defendi. Quapropter, quoniam audivimus aliquos veſtrum bona memorati monaſterii contra jus & honeſtum ſacrilega manu invaſiſſe, diſtrahere, atque diripere, paterno affectu monemus, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut quicumque res illius monaſterii vi tenere invaſas noſcuntur, digna cum ſatisfactione emendare feſtinent, ac nemo deinceps contra animæ ſalutem bona ipſius eccleſiæ violenter attrectare præſumat. Quicumque ergo his ſalubribus mandatis noſtris contraire, & bona eccleſiæ (ſicut dictum eſt) ſacrilego auſu contra interdictum noſtrum detinere tentaverit, admonitus ſemel, atque iterum, & tertio, per convenientes inducias, ſi emendare contempſerit, iram & furorem omnipotentis Dei contra ſe per excommunicationem apoſtolicam provocabit. Obedientibus vero apoſtolica auctoritate, & beati Petri, nobis licet indignis conceſſa, poteſtate peccatorum ſuorum veniam indulgemus. Data Romæ ſecundo Kal. Aprilis, Indictione ſecunda.

ANNO CHRISTI 1079.

XXXII. AD ISEMBERTUM EPISCOPUM Pictavenſem.

Rorgonis bona, ad Hugonem ejus germanum ſpoliantia, ablata ſub excommunicationis pœna reſtitui mandat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Iſemberto Pictavenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad aures noſtras, quod bona Rorgonis de Coequo, quæ mortuo ipſo, in poteſtatem germani ſcilicet Hugonis noſtri fidelis & filii jure debent concedere, Hugo * Delezini injuſte præſumpſit invadere. Unde quia prænominatum Hugonem clericum noſtrum, & res ipſius in tuitionem apoſtolicæ ſedis ſuſcepimus, fraternitati tuæ invitando præcipimus, ut ſuper his curam vice noſtra gerens, duci Guilielmo hæc eadem ſignificando ſuggeras; quatenus in hac etiam re quantum beato Petro ſit fidelis oſtendat. Verum in primis volumus ut dilectio tua ſtudeat memoratum * Leziniacenſem ex parte noſtra cum jam dicto duce convenire, nec non illum de temeritate ſua redarguendo de ſatisfactione monere. Quod ſi admonitus ſemel, iterum, ac tertio, per competentes inducias in pertinacia ſua duraverit, & mandatis noſtris inobediens juſtitiæ parere contempſerit, apoſtolica auctoritate præcipimus, ut eum quouſque reſipiſcens ablata reſtituat, vinculo anathematis illiges; quod idem poſtmodum nos firmaturos non dubites. Data Romæ Idibus Aprilis, Indict. ſecunda.

* de Lezinia-co in cod. Mss. Delezi-ni

* Delezinia-cenſem.

XXXIII. AD HUGONEM ABBATEM Cluniacenſem

Ut bona, quæ Matiſconenſis eccleſia quiete poſſederat, ab ipſo ablata aut reſtituat aut cambio compenſet: ſin minus, Dienſi epiſcopo & abbati ſancti Pauli lis inter eos terminanda committitur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hugoni Cluniacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LAndericus Matiſconenſis frater & coepiſcopus noſter ad apoſtolorum limina veniens, conqueſtus eſt apud nos eccleſiæ ſuæ jura a te ſibi auferri, quæ de prædeceſſorum ſuorum temporibus, etiam ſimoniacorum, quiete viſa eſt poſſidere. Nos ergo dignum eſſe & competens adjudicavimus, ut quæ bona temporibus irreligioſorum eccleſia ſine moleſtia tenuit, eiſdem ſub paſtore religioſo in Romana eccleſia ordinato privari abſque ratione non debeat. Quapropter dilectionem tuam monemus, ut res illas, ſuper quibus prædicta Matiſconenſis eccleſia queritur, ſi uſque ad ſupra memorati fratris noſtri tempus poſſedit, deinceps quoque aut quiete retinere permittas, aut concambium competens reddere ſtudeas. Quod ſi inter vos hanc cauſam non poteſtis ipſi componere, volumus fratrem noſtrum Dienſem epiſcopum & ſancti Pauli abbatem negotio huic intereſſe: quatenus eorum adhibita diligentia finem lis invenire rectum & congruum valeat, ac ulterius inter vos diſſenſio nulla remaneat. Sine concordia namque neque religioſitatem * dicimus quidquam valere, neque aliud opus, etſi bonum videatur, aliquid eſſe. Data Romæ decimo octavo Kal. Maii, Indict. ſecunda.

* Forte, dubium. Ed.

ANNO CHRISTI 1079.

XXXIV. AD GEBUINUM ARCHIEPISCOpum Lugdunenſem.

Confirmat primatus dignitatem Lugdunenſi eccleſiæ ſuper quatuor provincias conceſſam, dummodo ſimoniace archiepiſcopus electus non fuerit.

PRIVILEGIUM LUGDUNENSIS ECCLESIÆ.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Gebuino Lugdunenſi archiepiſcopo.* * Gebuerio

ANtiqua ſanctorum patrum, quibus licet indigni & longe meritis impares in adminiſtratione hujus ſedis ſuccedimus, veſtigia, inquantum divina dignatio permittit, imitari deſiderantes, jus, quod unicuique eccleſiarum pro merito & dignitate ſui ipſi contulerunt, nos ex eorum ſucceſſibus conſideratione decet illæſum & immutabile conſervare, & munimine decretorum noſtrorum ad perpetuam ſtabilitatem corroborare. Quapropter quia, dilectiſſime in Chriſto frater Gebuine, poſtulaſti a nobis quatenus dignitatem ab anteceſſoribus noſtris conceſſam eccleſiæ, cui Deo auctore præeſſe dignoſceris, confirmaremus, & quæque ſua ab infeſtatione hoſtili apoſtolicæ ſedis defenſione tueremur, inclinati precibus tuis confirmamus primatum ſuper quatuor provincias Lugdunenſi eccleſiæ tuæ, & per eam tibi tuiſque ſucceſſoribus, his tantum qui nullo interveniente munere electi vel promoti fuerint, videlicet a manu, ab obſequio, & a lingua. A manu, ut nullum pretium prorſus a ſe vel ab aliquo tribuatur. Ab obſequio, ut nihil inde ſervitii faciat, ſicut quidam intentione eccleſiæ prælationis potentibus perſonis ſolent deferre. A lingua, ut neque per ſe neque per ſubmiſſam perſonam preces effundat. Sed neque his qui per ſæcularem poteſtatem ad hanc dignitatem pervenerint, videlicet dono vel confirmatione alicujus perſonæ quæ ſanctæ religioni videatur obviare, & contra puram & authenticam ſanctorum patrum auctoritatem venire. Sed his nimirum hanc dignitatem concedendam eſſe ſancimus, qui pura & ſincera electione tibi ſucceſſerint, & ita per oſtium intraverint, ſicut fraternitatem tuam cognovimus intraſſe. His vero qui aliter intraverint, videlicet qui juxta dominicam ſententiam non per oſtium, ſed aliunde ut fures & latrones aſcenderint, non ſolum primatum hujus dignitatis non concedimus, verum etiam omni honore eccleſiaſtici regiminis indignos & alienos fore adjudicamus. Provincias autem illas quas vobis confirmamus, dicimus Lugdunenſem, Rothomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem, ut hæ videlicet provinciæ condignam obedientiam Lugdunenſi eccleſiæ exhibeant: & honorem, quem Romani pontifices reddendum eſſe ſcriptis propriis præfixerunt, humiliter & devote perſolvant ſalva in omnibus apoſtolicæ ſedis reverentia & auctoritate. Præterea juxta tenorem poſtulationis tuæ, eccleſiæ tuæ hujuſmodi privilegia præſenti auctoritatis noſtræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus; ſtatuentes nullum regum, *& reliqua uſque in finem, ſicut in privilegio conſtat, quod eſt in capite hujus libelli.* Data Romæ duodecimo Kalendas Majas, indictione ſecunda.

Species ſimoniæ. Quid a manu. Quid ab obſequio Quid a lingua.

XXXV.

ANNO CHRISTI 1079.

XXXV. AD ROTHOMAGENSEM Turonenſem, & Senonenſem, archiepiſcopos.

Ut archiepiſcopo Lugdunenſi ſuper eos ex antiqua patrum auctoritate primati a ſe confirmato obedientiam præſtent. Rationem & originem diverſorum in eccleſia graduum declarat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratribus & coepiſcopis Rothomagenſi, *Turonenſi, & Senonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

*Turonenſi, Bituricenſi

SIcut novit fraternitas veſtra, ſedes apoſtolica, cui licet indigni, Deo auctore, præſidemus, divina gratia inſpirante, Spiritu ſancto edocta, per diverſas provincias & regna præſules; archiepiſcopos & primates ordinavit: cujus conſtitutione & auctoritate Lugdunenſis eccleſia primatum ſuper quatuor provincias, videlicet Lugdunenſem, Rothomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem per annorum longa curricula obtinuiſſe cognoſcitur. Sanctorum igitur patrum nos, inquantum Deo favente valemus, exempla ſequi cupientes, eccleſiæ memoratæ primatum, quem ipſi decretis ſuis conſtituerunt atque ſanxerunt, eorum freti poteſtate ſubinde confirmare ſtudemus. Ad hoc enim divinæ diſpenſationis proviſio gradus & diverſos conſtituit ordines eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diverſitate connexio, & recte officiorum gigneretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim univerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi hujuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſervaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non poteſt, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit: quia dum ſint angeli, ſint archangeli, liquet quia non æquales ſunt, ſed in poteſtate & ordine, ſicut noſtis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos qui ſine peccato ſunt iſta conſtat eſſe diſtinctio, quis hominum abnuat huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmittere? Hinc etenim pax & caritas mutua ſe vice complectuntur, & manet firma concordia in altera Deo placita dilectione ſinceritas. Quia igitur unumquodque tunc ſalubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem poſſit recurri præpoſitus. Provinciæ autem multo ante Chriſti adventum tempore diviſæ ſunt maxima ex parte, & poſtea ab apoſtolis & beato Clemente prædeceſſore noſtro ipſa diviſio eſt renovata, & in capite provinciarum, ubi dudum primates legis erant ſæculi, ac prima judiciaria poteſtas, ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis neceſſe erat, qui ad aulam imperatorum vel regum confugere non poterant, vel quibus permiſſum non erat, confugiebant pro oppreſſionibus vel injuſtitiis ſuis, ipſoſque appellabant quoties opus erat, ſicut in lege eorum præceptum erat. Ipſis quoque civitatibus, vel locis celebrioribus, patriarchas vel primates qui unam formam tenent, licet diverſa ſint nomina, leges divinæ & eccleſiaſticæ poni & eſſe juſſerunt, ad quos epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, confugerent, eoſque appellarent, ut ipſi nomine primatum fruerentur, & non alii. Reliquas vero metropolitanæ civitates, quæ minores judices habebant, licet maiorum comitum eſſent, haberent tamen metropolitanos ſuos, qui prædictis juſte obedirent primatibus, ſicut & in legibus ſæculi olim ordinatum erat, qui non primatum, ſed aut metropolitanorum archiepiſcoporum nomine fruerentur. Et licet ſingulæ metropoles civitates ſuas provincias habeant, & ſuos metropolitanos habere debeant epiſcopos, ſicut prius metropolitanos judices habeant ſæculares; primates tamen, ut præfixum eſt, tunc & nunc habere juſſæ ſunt, ad quos poſt ſedem apoſtolicam ſumma negotia conveniant, ut ibidem quibus neceſſe eleventur, & juſte reſtituantur, & hi qui injuſte opprimuntur juſte reformentur, atque fulciantur, epiſcoporumque cauſæ, & ſummorum negotiorum judicia, ſalva apoſtolicæ ſedis auctoritate, juſtiſſime terminentur. Quapropter apoſtolica vobis auctoritate præcipimus, ut ſæpe dictæ Lugdunenſi eccleſiæ honorem & reverentiam a maioribus noſtris de eccleſiis veſtris præfixam ita vos exhibere humiliter & devote procuretis, quemadmodum vobis a ſuffraganeis veſtris reddi debere non dubitatis. Omnipotens & miſericors Deus pacis juſtitiæque, ſerenus inſpector cordi veſtro clementer inſpirare dignetur, ut per viam æquitatis concordiæque firmos gradus mihi in hoc ſæculo tendere taliter ſtudeatis, quatenus pro temporalibus æterna ſumpturi, ad cæleſtis Jeruſalem fines mereamini pervenire. Data Romæ * duodecimo Maii, indictione ſecunda.

ANNO CHRISTI 1079.

* XII. Kal

XXXVI. AD CANONICOS LUGDUNENSES.

Præcipit ut ſicut eorum decanus beneficia ſine conſenſu fratrum acquiſita renuntiaverat in ſuis manibus, ſic hi qui vel contra excommunicationem, vel pretio beneficia obtinuerant, in manibus ſui archiepiſcopi renuntient.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei canonicis Lugdunenſis eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUidam veſtrum ad nos cum archiepiſcopo ſuo venientes, poſtquam de eccleſiæ veſtræ ſtatu & utilitate nos conſuluerunt, ſine apoſtolica benedictione receſſerunt. Quod quidem licet merito indigne tulerimus, tamen apoſtolica manſuetudine diſſimulamus, & dum cupimus ſaluti veſtræ conſulere, illorum exceſſus omittimus inſequi. De filio vero noſtro veſtræque decano eccleſiæ B. . . . notificamus dilectioni veſtræ, quod prudenti ac ſalubri conſilio ductus obedientias eccleſiæ, cæteraque beneficia, quæ ſine communi conſenſu fratrum acquiſierat, in manus noſtras ſponte renuntiavit, & ſe ulterius non intromiſſurum promiſit. Ad cujus formam tam his qui furtim ſe ſubduxerunt, quam etiam abbatibus, vel cujuſcumque clericalis ordinis omnibus eccleſiæ veſtræ quicumque obedientias, vel eccleſiæ diſpenſationes pretii pactione, vel contra excommunicationem Landerici Matiſconenſis epiſcopi, quam in capitulo veſtro fecit, adepti ſunt, apoſtolica auctoritate præcipimus, ut in manus fratris noſtri Gebuini archiepiſcopi veſtri refutare ſine dilatione procurent. Volumus ſiquidem, ut nobilitatem, qua inter omnes Gallicanas eccleſias veſtra hucuſque reſplenduit in religionis exemplo, nunc quoque vigilanter cuſtodiat, & ut gloriam, quam hactenus præ cæteris illis habuit in dignitate, nunc augere incipiat in forma religionis. Noverit autem dilectio veſtra, quoniam ſi noſtris ſalubribus juſſis obtemperantes hactenus male habita cenſueritis juſte dimittere, ita vobis providebimus in utroque, ut & temporalibus commodis non deſtituamini, & erroris veniam de divina miſe-

misericordia consequi valeatis. Quod si quis contra salutem propriam animo indurato, postquam ad notitiam ejus hanc nostra præcepta pervenerint, ultra viginti dies eis inobediens fuerit, illi omnium ecclesiarum ingressum, & corporis, & sanguinis Domini communionem, quousque resipiscat, apostolica interdicimus auctoritate. Data Romæ duodecimo Kalendas Maii, indictione secunda.

ANNO CHRISTI 1079

XXXVII. AD JORDANUM PRINCIPEM CAPUANUM.

Argnit quod beato Petro fidem non servaverit, novercam suam nubere coegerit, episcopum ad apostolorum limina venientem spoliaverit, & ecclesiam sancti Benedicti deprædatus sit. Monet ut his delictis satisfaciat.

Jordani meminit Leo Ostiens. lib. 3. capite 46. & alibi.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Jordano Capuano principi.

Sicut nonnulli noverunt, olim te nos admodum dilexisse, & honorem tuum tam in præsenti sæculo adaugere, quam in futuro servare studuimus hactenus. Existimavimus enim te, ut nobilem deceret filium, fidem beato Petro servaturum, & decus ipsius in cunctis pro viribus tuis adauctarum. Verum longe nos fefellit opinio; & qui de te nihil tale pridem quivimus credere, nunc advertimus de hac perfidia tua multos non fuisse mentitos. Ecce enim dudum novercam tuam & dominam contra jus & fas de ecclesia trahere invitam & reclamantem, eamque nubere nolentem nuptiis tradere violentissime præsumpsisti. Episcopum ad apostolorum limina venientem nuper ausus es impedire, & quod ferebat more prædonum auferre. Novissime ecclesiam beati Benedicti sacrilego ausu intrare, deprædari, & violare non timuisti: & qui bona ecclesiarum, quoniam fere cuncta quæ tenes earum sunt, defendere debueras, tu potissime temerator ipsarum & dilaniator existis. Quapropter ex parte beati Petri monemus te, ut si ipsius iram, & beati Benedicti indignationem non vis incurrere, super his omnibus nobis justitiam facias. Quod si contempseris, ad dominum omnipotentem nos reclamabimus; de cujus misericordia confidimus, quod dabit nobis consilium, quid in tantam arrogantiam & immoderatam superbiam tuam facere debeamus. Romæ undecimo kalendas Maii, indictione secunda

XXXVIII. AD HENRICUM EPISCOPUM AQUILEJENSEM.

Usum pallii, præter alias solennitates in privilegio contentas, in duabus aliis festivitatibus, ipsi tantum, non successoribus, concedit pro meritis ejus.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Henrico carissimo in Christo fratri & coepiscopo Aquilejensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Tuæ dilectio fraternitatis per legatum suum humiliter exoravit, quatenus sibi, præter eas solennitates quæ in privilegio ecclesiæ vestræ continentur, in beati Udalrici confessoris Christi atque pontificis, sed & in beatæ Afræ martyris, festivitatibus usum pallii concederemus: cujus ecclesiastici honoris excellentia sicut pravis & inobedientibus juste denegatur, ita bonis & morum honestate præditis apostolica moderatione promeritis quandoque supererogandæ fore videtur. Proinde quia te sinceræ dilectionis erga nos affectum habere confidimus, quia legatos nostros Albanensem videlicet episcopum & Paduensem benigne tractasse, & fideliter, sicut oportuit, adjuvisse dignosceris, postremo quia pro componenda pace multum desudasse probaris, petitionem tuam libenter accepimus. Hujus igitur tibi præcepti auctoritate concedimus, ut in solemnis beati Udalrici confessoris atque pontificis, & beatæ Afræ martyris, in missarum celebritate pallio utendi licentiam habeas. Quod tamen tibi in tua vita, non loco tuo, concessum esse cognoscas. Data Romæ decimosexto kalendas Julii, indictione secunda

ANNO CHRISTI 1079

XXXIX. AD RAINALDUM EPISCOPUM CUMANUM.

De Pergamensis ecclesiæ electo multa ad se crimina perlata retert, quæ omnia ipso adhortante emendari vult: sin minus, illum apostolica auctoritate ab eo diligenter de objectis examinari, absolvi, vel condemnari. De his qui a simoniacis nescienter & sine venalitate ordinati sunt quid sentiendum statuit.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Rainaldo Cumano episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

Tua nobis, frater carissime, missis literis curavit intimare dilectio, Arnulphum Pergamensis ecclesiæ electum nostro libenter & consilio credere & præcepto obedire. Nos equidem vestræ caritatis, sicut nostis, experientiæ indubitanter credimus. Verumtamen multa de prædicto viro ad nostra ex quorumdam relatione pervenire notitiam, quæ si vera, quod absit, esse constiterit, nos valde contristant, & in eo non levi sunt ultione plectenda. Conqueritur enim Gorzo miles ejus & signifer, cum duobus fratribus atque coheredibus suis, castellum quod dicitur Rocha de Glizione, quod hactenus utpote proprii juris sine omni contradictione tenuerunt atque possederunt, nunc tam sibi quam consortibus suis a supradicto Arnulpho violenter, &, quod dictu nefas est, fraudulenter esse subreptum, cui tamen militi prius cujusdam quasi securitatis & fœderis, tanquam ad tollendum suspicionis metum, quædam fertur callide sacramenta præbuisse, & postposito Dei timore cupiditatis perfidiam incurrisse. Nec tali contentus facinore B.... presbyterum præfati * Gorzi clericum deprædari, & suis, ut asserit, omnibus spoliare non metuit. Præterea pestiferas simoniace hæresis nundinas exercere, & inter cætera archidiaconatum Pergamensis ecclesiæ quinquaginta librarum pretio vendidisse perhibetur. Huc accedit, quod servos Dei, quos ut religiosum virum decet tueri, & in cunctis adjuvare deberet, e contrario infestare & molestare conatur. Tuæ igitur fraternitatis solicitudo corripiendo sive exhortando studeat atque provideat, quatenus sæpedictus electus hæc omnia emendare festinet, & tam coram Deo, quam coram hominibus, bonum testimonium habere procuret. Si vero vel omnia hæc, vel quædam fortasse negare voluerit, volumus atque præcipimus, ut apto tempore & loco nostræ vicis auctoritate eum de objectis diligenti examinatione discutias, & remota omni occasione quod justitia dictaverit modis

* Gortonis

omni-

ANNO CHRISTI 1079.

omnibus exequaris. Quod autem M.... presbyter filius noſter interrogare curavit, quid de his qui a ſimoniacis neſcientes & ſine pretio ordinati ſunt apoſtolicæ ſedis miſericors cenſura decernat, hoc obſervare te volumus, eos qui ante tempus Nicolai papæ ſine venalitate a ſimoniacis ad aliquem gradum promoti ſunt, ſi tamen vita eorum irreprehenſibilis eſſe probatur, per manus impoſitionem confirmatos in ſuis ordinibus permanere & miniſtrare poſſe. Data Romæ undecimo kalendas Julii, indictione ſecunda.

XL. AD BOSONEM.

Ut eccleſiam ſancti ſepulchri, quam Simoni regendam committit, liberam dimittat. Quod ſi quid juris in ea ſe putet habere, ſe coram legato in concilio rationem dicturus præſentet; alioquin, ſententiam excommunicationis a legato in eum latam ſe confirmaturum.

* Brisoni *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei* * *Boſoni.*

ECcleſiam ſancti ſepulchri de Novo vico, quæ juris eccleſiæ Hieroſolymitanæ & cenſualis ejus eſſe dicitur, huic noſtro clerico Simoni regendam commendavimus; quam ab omni moleſtia & calumnioſa omnium hominum infeſtatione liberam eſſe volentes ſub tutela noſtra eſſe decernimus. Quapropter quoniam te illam tyrannice invaſiſſe audivimus, te præſenti pagina commonemus, ut, ſi Deum & ſanctos apoſtolos tibi vis habere propitios, ab invaſione prædictæ eccleſiæ de cætero ceſſare penitus debeas, nullamque ulterius præfato Simoni moleſtiam, vel clericis ibi Deo ſervientibus inferre præſumas: ſed (ut dictum eſt) libera ab omni perturbatione ſecura ſanctæ Hieroſolymitanæ eccleſiæ, cui fidelium illam devovit intentio, Deo propitio, ex noſtra auctoritate in perpetuum conſervetur. Quod ſi aliquid juſtitiæ in ſupradicta eccleſia te habere confidis, ante legatum noſtrum Dienſem epiſcopum in concilio, quod proxime celebraturus eſt, te præſentare debebis; ſciens hoc, quod in nullo contra juſtitiam te volumus prægravare. Si autem monita noſtra, immo Dei verba (quod abſit) audire contemnens, ab illicita & interdicta invaſione ſupradictæ eccleſiæ te cohibere nolueris, excommunicationem, quam in te pro ipſa eccleſia legatus noſter Hugo Dienſis epiſcopus in concilio Pictavenſi jaculatus eſt, auctoritate apoſtolica confirmamus. Data Lateranis quarto kalendas Junii, indictione ſecunda.

LIBER SEPTIMUS REGISTRI GREGORII PAPÆ VII.

Anno dominicæ incarnationis, millesimo ſeptuageſimo nono, pontificatus vero domini Gregorii anno ſeptimo, indictione ſecunda *.

* Ad tertium pertinent quæ ſequuntur.

I. AD HUBERTUM SUBDIACONUM.

Increpans ejus moram, reditum proparare jubet. Significat ſe * Zeuzoni non commiſiſſe ut adverſus Angliæ regem verba faceret. Vult regem moneat, ut debitum honorem eccleſiæ reddat. Rothomagenſis archiepiſcopi ſacerdotis filii promotionem non approbat, nec quæ ipſe Hubertus cum Lingonenſi epiſcopo egerat; quæ Dienſi epiſcopo terminanda committit. Monet ut duos ex Angliæ & Normanniæ provinciis epiſcopos ad ſynodum venire curet.

Teuzoni

ANNO CHRISTI 1079.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Huberto ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiacono, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MIramur nimium, & nobis admodum diſpliceres cognoveris, te tantas moras hactenus habuiſſe, & ad apoſtolicam ſedem tamdiu diſtuliſſe reverti. Neque vero alicujus rei excuſatio te ſatis reddere poteſt purgatum: excepto ſi vel cauſa infirmitatis, vel quod non patuerit aditus redeundi, dimiſeris. Nam pecunias ſine honore tributas quanti pretii habeam, tu ipſe optime potuiſti dudum perpendere. Quapropter ſciens quia propter multa volumus tuam præſentiam, reditum tuum quantum potes maturare procura. Significaſti autem nobis * Zeuzonem quaſi ex parte noſtra legatum adverſus Anglicum regem verba feciſſe; quæ noveris ex nobis mandata non eſſe. Verum multa ſunt unde ſancta Romana eccleſia adverſus eum queri poteſt. Nemo enim omnium regum etiam paganorum contra apoſtolicam ſedem hoc præſumpſit tentare, quod is non erubuit facere; ſcilicet ut epiſcopos, archiepiſcopos, ab apoſtolorum liminibus ullus tam irreverentis & impudentis animi prohiberet. Undevolumus ut eum noſtra vice prudentia tua ſtudeat admonere, quatenus honorem, quem ſibi a ſubditis ſuis graviter ferret non exhiberi, ſanctæ Romanæ eccleſiæ non tantopere laboret imminuere, & debitas gratias agendo gratiam B. Petri procuret acquirere. Nos enim amicitiæ noſtræ priſtinæ circa eum memores, & apoſtolicam manſuetudinem, quantum Deo auctore poſſumus, imitantes, hucuſque illius culpæ pepercimus: qui ſi his, & ſimilibus quæ tibi nota ſunt, modum non impoſuerit, omnino ſciat ſe iram beati Petri in ſe graviter provocaturum. Audivimus etiam Rothomagenſem archiepiſcopum ſacerdotis filium eſſe. Quod ſi verum deprenditur, noveris promotioni illius nos aſſenſum nequaquam tribuere. De eo autem quod in Flandria cum Lingonenſi epiſcopo non ex monitis noſtris intelleximus te feciſſe, ſcias & contra rationem & injuſte fuiſſe præſumptum, cum nos in partibus illis Dienſi epiſcopo præcipue ſolicitudinis noſtræ vicem de omnibus commiſerimus. Quamobrem monemus, ut ipſum quantocius procures adire, & cum eo rationem facti ponere; quatenus in ea re ipſe quod corrigendum fuerit corrigat, & quod confirmandum corroboret. Præterea monemus te, ut ex parte beati Petri præcipias, & invites tam Anglicos, quam Normannicos ex unoquoque archiepiſcopatu, vel duos epiſcopos ad Romanam ſynodum, quam in quadrageſima, Deo auctore, ſumus celebraturi, venire. Qui ſi forte murmuraverint, & ad eum terminum ſe dixerint intereſſe non poſſe, vel poſt paſcha ſtudeant apoſtolicæ ſedi ſe præſentare. Data Romæ nono kalendas Octobris, indictione tertia.

* Teuzonem *fic & in cod. Mor.*

II. AD LUCENSES.

Contra clericos infeſtos ſuis epiſcopis confirmat decreta ſummorum pontificum, ab ordinibus ac præbendis eos in perpetuum ſubmovens, & monens clerum ac populum ne illis communicent, neve auxilium præbeant.

Gre-

ANNO CHRISTI 1079

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Lucenſi clero & populo, exceptis his qui communicant atque conſentiunt excommunicatis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CLericorum veſtræ eccleſiæ diligenter cauſam examinantes, diuque in ea laborantes, nullam in eis rationem atque veritatem, ſicut decet Chriſtianos, invenimus. Quorum mirabilem & inauditam ſuperbiam, licet ſine audientia ſecundum ſynodalem ſententiam quam in ſe provocaverant punire debuerimus, manſuetudinis tamen ſpiritu res eorum audiendas eſſe dignum duximus, ut ſaltem confuſos & convictos ad ſanum conſilium ſenſumque humilitatis revocaremus. Nam ſi in eis aliquod humilitatis ſignum mens noſtra perpendiſſet, ſine aliqua a nobis miſericordia non receſſiſſent. Quibus in ſuperbia ſua perdurantibus, auctoritas beatorum martyrum atque pontificum Fabiani & Stephani coram nobis allata eſt; quam nos per omnia huic negotio convenire cernentes, eos ut rebelles & inobedientes ejuſdem auctoritatis ſententia damnavimus, quam literis noſtris inferendam eſſe exiſtimavimus, ut quantis ſint facinoribus irretiti, quantiſve contumeliis digni, liquido pateat. *Fabianus*: Statuimus, ut ſi aliquis clericorum ſuis epiſcopis infeſtus aut inſidiator fuerit, eo quod criminari tentaverit, aut conſpirator fuerit, ut mox ante examinatum judicium ſubmotus a clero curiæ tradatur, cui diebus vitæ ſuæ deſerviat, & infamis abſque ulla reſtitutionis ſpe permaneat. *Stephanus papa*: Clericus qui epiſcopum ſuum accuſaverit, aut ei inſidiator extiterit, non eſt recipiendus, quia infamis effectus eſt, & a gradu debet recedere, ac curiæ tradi ſerviendus. Hanc itaque in eos promulgantes ſententiam, exiſtimavimus, ut ſaltem terrore tantæ auctoritatis ad humilitatem converterentur. Sed ipſi dati in reprobum ſenſum, & demerſi in diabolicæ cæcitatis puteum, a communione ſanctæ eccleſiæ ſeparati & excommunicati receſſerunt. Unde nos prædictorum ſanctorum ſtatuta firmantes, ex auctoritate beati Petri eos ab ordinibus & præbendis eccleſiæ ſancti Martini in perpetuum ſubmovemus, & decernimus ita ut nullum deinceps inter canonicos ejuſdem eccleſiæ locum teneant, aut præbendarum aliquod ſolatium ſeu ſpem in poſterum habeant. Vos itaque, dilectiſſimi filii, admonemus, immo apoſtolica auctoritate interdicimus, ut ſcelerotis contumaciæ actibus eorum non communicetis, neque conſilium aut auxilium contra dominum impendatis, ſed ut ipſi illæſi & immunes a damnatione eorum permaneatis, illique ad pœnitentiam confundantur, intra ambitum civitatis veſtræ eos cohabitare non permittatis; & ut tota provincia eorum præſentia & contagione mundetur, operam detis. Quod niſi feceritis, & eos magis quam juſtitiam & ſalutem animarum veſtrarum dilexeritis, totius excommunicationis eorum in vos periculum inducetis, & iram Dei in præſenti & in futura vita ſine dubio ſentietis, eos vero qui illis, ne in ſuperbia ſua permaneant & confundantur, reſtiterint, gratia beati Petri remunerandos cenſemus, & promittimus. Data Romæ Kalendis Octobris, indictione tertia.

III. AD GERMANOS.

Excuſat ſe de quibuſdam ſibi objectis, in legatos culpam rejiciens, ſi quid contra apoſtolica mandata aut vi aut dolo egerint, eoſque ad perſeverantiam hortatur.

ANNO CHRISTI 1079

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus fidelibus ſancti Petri in Teutonico regno commorantibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad nos quod quidam ex vobis de me dubitant, tanquam in inſtanti modo neceſſitate uſus ſim ſæculari levitate. Qua certe in cauſa nullus veſtrum præter inſtantiam præliorum majores me & patitur anguſtias, & ſuffert injurias. Quotquot enim Latini ſunt, omnes cauſam Henrici præter admodum paucos laudant ac defendunt, & pernimiæ duritiæ ac impietatis circa eum me redarguunt. Quibus Dei gratia omnibus ſic reſtitimus hactenus, ut in neutram adhuc partem, niſi ſecundum juſtitiam & æquitatem, ſecundum noſtrum intellectum declinaremus. Nam ſi legati noſtri aliquid contra quod illis impoſuimus egerunt, dolemus: quod ipſi tamen (ſicut comperimus) tum violenter coacti, tum dolo decepti fecerunt. Nos vero injunximus eis, ut locum ac terminum communiter ſtatuerent opportunum, ad quem ſapientes noſtros, & idoneos legatos, propter diſcutiendam cauſam veſtram dirigeremus, atque ut in ſedes ſuas epiſcopos reſtituerent, & abſtinere ab excommunicatis docerent. Si quid contra hæc vel decepti vel coacti fecerunt, non laudo. Sciatis indubitanter quoniam, Deo gubernante, nemo hominum, ſive amore, ſive timore, aut per aliquam cupiditatem potuit me unquam, aut amodo poterit ſeducere a recta ſemita juſtitiæ. Vos itaque ſi revera & in caritate non ficta fideles Dei atque ſancti Petri eſtis, nolite in tribulationibus deficere, verum ut boni æmulatores in incepta fidelitate immobiles perdurate: quoniam *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Impræſentiarum modo nihil vobis aliud de prædicto negotio mandare poſſumus, quia nuntii noſtri nondum ſunt reverſi; quibus utique venientibus (ſecundum quod ab ipſis intellexerimus) vobis, quantocius poſſumus, veraciter indicabimus. Data Romæ Kalendis Octobris, indictione tertia. *Matth. 10.*

IV. AD WEZELINUM.

Ut regem Dalmatiæ apoſtolica auctoritate conſtitutum infeſtare deſiſtat. Monet ſi quid adverſus eum habeat, ab apoſtolica ſede judicium expetat, alioquin excommunicationis ſententiam cum omnibus ſuis fautoribus incurſurus

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wezelino nobili militi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SCias nos de prudentia tua multum mirari, ut qui te eſſe dudum beato Petro & nobis fidelem promiſeris, contra eum quem in Dalmatia regem auctoritas apoſtolica conſtituit tu modo coneris inſurgere. Quapropter nobilitatem tuam monemus, & ex parte beati Petri præcipimus, ut adverſum jam dictum regem deinceps arma capere non præſumas: ſciens quod quidquid in illum auſus fueris, procul dubio te in apoſtolicam ſedem facturum. Si vero adverſus ipſum aliquid te forte dicis habere, a nobis judicium debes expetere, & expectare juſtitiam potius quam contra eum ad injuriam ſedis apoſtolicæ manus tuas armare. Quod ſi te tuæ temeritatis non pœnituerit, ſed contra mandatum noſtrum con-

ANNO CHRISTI 1079.

turnaciter ire tentaveris, ſcias indubitanter quia gladium beati Petri in audaciam tuam evaginabimus, & eodem pertinaciam tuam, & omnium qui tibi in ea re faverint, niſi reſipiſcas, multabimus. Si vero obediens, ſicut Chriſtianum decet, prudenter extiteris, gratiam beati Petri, & apoſtolicæ ſedis benedictionem, ſicut obtemperans filius conſequeris. Data Romæ quarto Nonas Octobris, indictione tertia.

V. AD ACONUM REGEM DANORUM.

Gratulatur ei fidem & Chriſtianæ religionis cultum, & quod ſanctam Romanam eccleſiam matrem agnoſcens ejus documenta ſibi expoſcat. Hortatur ad majorem in dies profectum, ut ſuo exemplo ſubditos ad ſaniora conſilia provocet. Cupit aliquem prudentem clericum ab eo ad ſe mitti, qui & illius gentis mores tibi exponat, & rediens apoſtolicæ ſedis mandata ad eum perferat.

* Canuto

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Aconi regi Danorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SIncero caritatis affectu dilectioni tuæ congratulamur, quia licet in ultimis terrarum finibus poſitus, ea tamen quæ ad Chriſtianæ religionis cultum pertinere noſcuntur, vigilanter ſtudes inquirere, & quod ſanctam Romanam eccleſiam matrem tuam & univerſorum recognoſcens, ipſius documenta tibi exoptas & expoſcis. Volumus etiam atque monemus, * in his ſtudiis & deſideriis devotio tua perſiſtens, & quantum pietas divina præſtiterit creſcens, nullatenus a propoſito recto deficiat, ſed ad meliora quotidie, ſicut prudentem virum & regiam decet conſtantiam, roboretur. Animadvertere ſiquidem debet excellentia tua, quod quanto pluribus ſuperemineat ac dominatur, tanto magis ſibi ſubditos poteſt exemplo ſuo, aut ad deterius (quod abſit) inflectere, aut ad ſanum conſilium ignavos etiam provocare. Intueri quoque prudentiam tuam neceſſe eſt, temporalis vitæ gaudia quam ſint caduca, quam fugitiva, quæ, etſi vita diu credo retur manſura, tamen ſæpe multis adverſis ex improviſo ſurgentibus ſecura ſtare non poſſunt. Unde ſummopere curare oportet, ut ad illa quæ tranſire neſciunt, & habentem deſerere nequeunt, greſſus tuos conſtanter dirigas, & affectum mentis intendas. Cuperemus nimium certe de veſtris aliquem prudentem clericum ad nos venire, qui & veſtræ gentis mores ſeu continentias ſciret nobis pleniter intimare, & apoſtolicæ ſedis documenta ſive mandata plenius eruditus ad vos poſſet perferre. Data Romæ Idibus Octobris.

* Forte, ut in bas. H.

VI. AD ALPHONSUM REGEM Caſtellæ.

Gratulatur de ejus fide & obedientia erga apoſtolicam ſedem. Hortatur ad perſeverantiam boni operis. Mittit claviculam auream, in qua de catenis beati Petri continetur, & legatum ſuum ei commendat plura ſuo nomine relaturum.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei carissimo in Chriſto filio * Alphonſo, glorioſo regi Hiſpaniarum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* alias Adephonſo

OMnipotenti Deo laudes & gratias agimus, qui gloriam veſtram gratia ſuæ viſitationis illuſtrans, B. Petro apoſtolorum principi fide ac devotione conjunxit, cui omnes principatus & poteſtates orbis terrarum ſubjiciens, jus ligandi atque ſolvendi in cælo & in terra contradidit. Qua de re & vobis merito gaudendum eſt, quoniam eo ampliora vobis parata ſunt præmia, quo divina dignatio correctionem regni veſtri, quod diu in errore perſtiterat, uſque ad veſtra reſervavit tempora, ut veritatem Dei & juſtitiam, qua illi qui vos præceſſerunt rectores & principes, & univerſus populus, tot annis tum cæcitate ignorantiæ, tum obſtinata temeritate caruerant, veſtra mereretur ſuſcipere ſublimis humilitas & fidelis obedientia. Verum quia omne opus bonum non tam ab inceptu, quam ex fine ſuo retributionis debitum ſpectat, excellentiam veſtram paterna caritate monemus, ut quod a legatis noſtris de religione fidei & eccleſiaſtici ordinis accepiſtis, & adhuc, Deo auctore, accepturi eſtis, firmiter teneatis: quia ſicut certa ſpes ſalutis eſt his qui in obſervatione fidei & doctrinæ hujus ſanctæ apoſtolicæ ſedis permanent, ita illis qui ab ejus concordia & unitate exorbitaverint, haud dubiæ damnationis terror immi net. Et quidem de vobis bene ſperamus, quoniam relatione dilecti filii noſtris Richardi cardinalis presbyteri ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quem nunc ſecundo ad vos mittimus, bonam voluntatem vos habere intelleximus. Sed quoniam devota corda ſemper admonitione gaudent, & iſtæ etiam virtutes exercitio indigent, hortamur eminentiam veſtram, ut ab hac terrena & caduca dignitate ad illam quæ cæleſtis & æterna eſt mentem levet: hac utatur ſicut tranſitoria & cito peritura; illam appetat quæ æternitatem pariter habet & gloriæ plenitudinem. Attendere enim & ſollcite penſare debetis, quoniam quotidie ad finem vitæ volentes nolenteſque properatis, & quidquid divitiarum, honoris, potentiæ, nunc arridet, vicina mors, cum minime putatur rapiet, & omnia tenebris & amaritudine claudet. Quæ ergo in illis ſpes, quæ gloria, quæ delectatio, aut deſiderium eſſe debet, quæ ſe amantes decipiunt, ſequentes fugiunt, habentes derelinquunt? Quanto autem in his quiſque minus delectatur, minuſque elatione ſuper ſe rapitur, tanto ſecurius ad ea quæ vera ſunt bona deducitur. Cujus rei exemplum ipſe dominus ac ſalvator noſter Jeſus Chriſtus aperte monſtravit, cum oblatum ſibi ab hominibus regnum pia humilitate reſpuit, nec ſpeciem quidem terrenæ ſublimitatis in oculis hominum gerere voluit, qui in hunc mundum, ut nos ad regnum cæleſte perduceret, venit. Quapropter ſicut cariſſimum filium vos admonemus, ut hæc ſedulo vobiſcum cogitantes, coram illo vos exhibeatis humilem, qui vos conſtituit valde ſublimem, & inter omnia & præ omnibus Deo placere ſtudentes, commiſſa vobis regni gubernacula ita adminiſtrare cum Dei adjutorio procuretis: quatenus veſtra eminentia nullum futuræ abjectionis aut infortunii caſum ſentiat, ſed ad coronam incorruptibilis regni, & ſolium æternæ gloriæ tranſeat. Ut autem noſtra exhortatio cordi veſtro altius imprimatur, ex more ſanctorum miſimus vobis claviculam auream in qua de catenis beati Petri benedictio continetur; quatenus per ejus præſentia patrocinia uberiora erga vos beneficia ſentiatis, & in amore ipſius de die in diem ferventes accendamini, promerentes ut omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia a nexibus ferreis liberavit, ejus meritis & interceſſionibus vos ab omnium peccatorum veſtrorum vin-

vinculis abſolvat, & ad gaudia æterna perducat. Ad hunc commendamus vobis hunc dilectum filium noſtrum, quem, ſicut ſupra diximus, nunc ſecundo ad vos mittimus, ut eum ſicut nos audiatis, & in omnibus ſibi favorem exhibeatis; quatenus non fiat inanis curſus & labor illius apud vos, ſed pro commiſſa ſibi legatione ea quæ de eccleſiaſticis cauſis tractanda invenerit, efficaciter exequi, & ad ſtatum rectitudinis, Deo adjuvante, perducere valeat. Cætera vero quæ hic minus continentur, in ejus ore poſuimus, cui vos in nullo credere dubitetis, per quem noſtram vobis auctoritatem repræſentari cognoſcitis. Data Romæ decimo octavo Kalendas Novembris, ind. III.

ANNO CHRISTI 1079.

VII. AD RICHARDUM CARDINALEM.

Conſtituit eum abbatem Maſſilienſem a fratribus poſtulatum. Hortatur ad onus fideliter ſuſcipiendum. Deſiderare ſe ait monaſterium ſancti Pauli & monaſterium Maſſiliense unire: & poſt monaſteriorum ejus rectam diſpoſitionem, legationem ſuam in Hiſpaniam perſequi jubet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Richardo cardinali in legatione Hiſpaniæ conſtituto, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

UNanimitas fratrum Maſſilienſium, in literis ſuis ſanctæ memoriæ fratris tui memorans obitum, novo me dolore ſauciavit: petens inſuper contemplatione amoris ſancti fratris tui, teque velut ipſum alterum futurum ſperans, uti ſibi te concederem in abbatem; quod & feci. Volo ergo ut fratres tuos nullo modo pertinaciter reſiſtendo contriſtes, ſed voluntati Dei & ſanctorum fratrum facile acquieſcas. Volumus etiam atque monemus, ut, inquantum potes, ſpes tantorum fratrum de te vana non fiat, ſed Spiritum ſanctum fratris tui viriliter induas, ſæcularia ac juvenilia deſideria ut mortem fugias, ſanctæ regulæ medullitus te adſtringas, ne occaſione tuæ juventutis monaſterium ſanctum, quod avertat Deus, patiatur aliquod detrimentum religionis. Notum autem tibi facio, quia deſiderium mihi eſt monaſterium beati Pauli apoſtoli & monaſterium Maſſilienſe tanta caritatis unione conſtringere, ut & illud ſemper pro amore beatiſſimi Pauli ex apoſtolica auctoritate ſuccreſcat, & beatiſſimi Pauli monaſterium ad ſanctam religionem ex illius monaſterii religione proficiat. Poſtquam autem, Deo auctore, monaſteria tua bene compoſueris, legationem tibi commiſſam ad Hiſpanias perficere non moreris. Data Romæ IV. Nonas Novembris, indictione III.

VIII. AD MONACHOS MASSILIENSES.

Dolet de obitu eorum abbatis, quorum monaſterium quemadmodum Cluniacenſe apoſtolicæ ſedi unir. Electionem Ricardi cardinalis in abbatem ab eis factam confirmat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto Maſſilienſis congregationis fratribus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn dubitamus fraternitatis veſtræ dilectionem mœroris & triſtitiæ plenam ſuper venerandi patris ſui exceſſu vehementi dolore conſtringi, de cujus tranſitu profecto nemini majus incommodum quam nobis aut æque magnum eveniſſe putamus, qui talem tantumque adjutorem nobis e latere ſubductum ſentimus. Itelleximus ſiquidem in ipſis prudentia & conſilio, ſi vita aliquamdiu comes maneret, plurimum utilitatis, Deo favente, non ſolum in Tranſalpinis, verum etiam in Italiæ partibus, cum multorum ſalute, ſanctæ Romanæ eccleſiæ perventurum. Unde nos quoque tanti culminis onus, quod ultra vires eſt, ſuſtinentes, ejuſmodi ſolatio ſublato, cum neminem, aut vix paucos ſuffragatores ſimiles inveniamus, quanto mentis angore teneamur, liquido quidem poteſtis & ipſi perpendere. Verum quia omnipotentis Dei inæſtimabilis providentia omnia juſte & ſapienter diſponit, judicia ejus, nimirum recta conſilia ipſius, æquitatis & miſericordiæ plena nobis ſunt, fratres, æquanimiter ferenda. Et quoniam memoratus pater veſter, quod vivendo promeruerit, obcundo incunctanter eſt Abrahæ ſinu receptus, nos dulci illius memoria a vobis ſtricti, præcipue etiam divino amore monente, locum veſtrum ſpecialiter diligere, juvare, & ab omnibus violentiis, ſicut eccleſiæ Romanæ ſpecialiter hærentem, defendere decrevimus: & quemadmodum Cluniacenſe monaſterium longo jam tempore ſedi apoſtolicæ conſtat eſſe unitum, ita quoque veſtrum deinceps, ut eidem ſedi ſimiliter hæreat in perpetuum volumus atque ſancimus. Audivimus autem, quod caritas veſtra filium noſtrum & presbyterum cardinalem Richardum loco germani ipſius in abbatem velit eligere, quam denique electionem nos approbamus, & apoſtolica auctoritate firmamus: in hoc item vobis obnoxii, & quaſi vinculis geminatis annexi, quod ſanctæ Romanæ eccleſiæ filium rectorem vobis appetitis. Oportere igitur arbitramur omnium bonorum diſpenſatorem exorare, quatenus ipſum eum ſaluti veſtræ ita vigilantem proviſorem efficiat, ut is pro ſalubri cura & talentis multiplicatis æternæ hereditatis dona percipiat, & præmia beata reportans matrem ſuam lætificet. Data Romæ * quinto Nonas Novembris, indictione tertia. * III.

ANNO CHRISTI 1079.

IX. AD ASTENSEM, TAURINENSEM, & Aquenſem epiſcopos.

Ut cujuſdam Bonifacii conjugium cum muliere germano ſuo defuncto olim deſponſata prohibeat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratribus & coepiſcopis, Aſtenſi, Taurinenſi, & electo Aquenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad nos quod Bonifacius marchio, germanus Mainfredi & Anſelmi, nuper interemptorum, ejuſdem Anſelmi deſponſatam conatur ſibi in conjugium copulare. Quod quam ſit flagitii plenum, quam a Chriſtianæ religionis legibus alienum, nemo qui ſacros canones novit poteſt ambigere. Quapropter dilectioni veſtræ præcipimus, ut illum noſtra vice convenientes, commoneatis, quatenus contra ſanctorum patrum ſtatuta tali tamquam nefario connubio deſiſtat ulterius operam dare. Quod ſi ſe ad hoc perpetrandum juramento putat adſtrictum teneri, pernicioſæ obligationis ſtultum pactum non obſervandum, ſed in irritum devocandum eſſe cenſemus, & vobis taliter habendum mandamus. Sin vero contra ſalutem ſuam animo indurato in placito tam nefando perſtiterit, & ſalubribus monitis,

nitis, ſicut Chriſtianum decet, obtemperare contempſerit, vos in eum primi canonicam ſententiam promulgate, quam nos exinde, Deo auctore, firmabimus, & apoſtolica poteſtate roborabimus, ne cæteri hoc exemplo ducti aut in deteriora labantur, aut ſimilia ſibi licere forte exiſtiment. Data Romæ tertio Nonas Novemb. ind. 3. ANNO CHRISTI 1079.

X. AD * BRITANNOS. * UNIVERSOS.

Queritur de falſæ pœnitentiæ conſuetudine, quæ inter cætera vitia tunc temporis in eccleſia inoleverat: cui malo ut remedium afferat mittit eo legatum Oloreníem epiſcopum, ut eo præſide in ſynodo congreganda de ea re diligenter pertractetur: interim ipſe quæ vera ſit pœnitentia exponit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei epiſcopis, ſacerdotibus, principibus, aliiſque omnibus in Britannia commorantibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi obedierint.

SAcerdotalis culminis dignitas tum imperitia, tum negligentia ſacerdotum, ſicut veſtra dilectio novit, ex longo iam tempore peccatis exigentibus fuit collapſa. Ex qua quidem re, quaſi ex peſtifera radice, innumera mala exorta ſunt, adeo ut uſque ad hæc noſtra tempora, inter cætera quæ malc pullulant vitia, falſæ nihilo minus pœnitentiæ conſuetudo inoleverit. Quapropter quia nobis pro officii noſtri conſideratione & ſolicitudinis magnitudine imminet hæc & hujuſmodi quantum poſſumus, Deo largiente, corrigere; volumus atque apoſtolica auctoritate præcipimus, ut legatum noſtrum, Amatum videlicet Oloreníem epiſcopum, cui vicem noſtram in partibus veſtris commiſimus, ſtudeat veſtra fraternitas reverenter convocare, & ut illo agente ſynodale concilium congregetur, ubi cum aliis quæ ad ſalutem pertinent animarum, etiam de pœnitentiæ conſultatione diligentius pertractetur. Qua in re hoc ſummopere vos cavere oportet, alioſque monere debetis, quia ſi quis in homicidium, adulterium, perjurium, vel aliquid hujuſmodi lapſus, in aliquo talium criminum permanſerit, aut negotiationi, quæ vix agi ſine peccato poteſt, operam dederit, aut arma militaria portaverit, excepto ſi pro tuenda juſtitia ſua vel domini, vel amici, ſeu etiam pauperum, nec non pro defendendis eccleſiis, (nec tamen ſine religioſorum virorum conſilio ſumpſerit, qui æternæ ſalutis conſilium dare ſapienter noverunt) aut aliena bona iniuſte poſſederit, aut in odium proximi ſui exarſerit, veræ pœnitentiæ fructum facere nullatenus poteſt. Infructuoſam enim pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa, vel ſimili deteriori, vel parum minori, permaneatur. Unde quiſquis digne vult pœnitere, neceſſe eſt ut ad fidei recurrat originem, &, quod in baptiſmo promiſit, diabolo ſcilicet pompiſque illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo ſentiendo mandatis ipſius obedire, ſolicitus ſit vigilanter cuſtodire. Quicumque ergo taliter pœnituerit, quoniam aliter ſimulatio dici poteſt, non pœnitentia, illi peccatorum ſuorum remiſſionem apoſtolica freti poteſtate largimur, inſuper æternæ beatitudinis gaudia de omnipotentis Dei miſericordia confiſi promittimus. Data Romæ * octavo Kalendas Decembris, Indictione tertia. * VII.

XI. AD URATISLAUM BOHEMORUM Regem. ANNO CHRISTI 1079.

Monet ut eccleſias ab invaſoribus defendat. Divinum officium in Sclavonicam linguam verti prohibet. Legatos quos petierat ſe miſſurum promittit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Uratislao Bohemorum duci, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

HUjuſmodi ſalutationis noſtræ conſuetudinem, ſcilicet apoſtolicæ benedictionis, eam tibi mittentes, non ſine hæſitatione modo ſervavimus, propterea quod videris excommunicatis ipſe communicare: quicumque * enim bona eccleſiarum invadunt, id eſt ſine certa licentia epiſcoporum vel abbatum diripiunt, vel ab aliqua perſona accipiunt, non ſolum ab apoſtolica ſede hoc tempore, verum etiam a multis ſanctis patribus, ſicut in ſcripturis eorum reperimus. Verum utcumque ſe res habeat, ſaluti tuæ internæ providere non modo ex antiqua tui dilectione movemur, verum etiam ex ſuſcepti honoris, immo laboris intuitu, profecto compellimur, eo magis quod multorum profectui tua ſublimitas eſſe poteſt exemplum. Neque enim hoc tibi relinquitur, vel dicere vel cogitare: Meum non eſt alienam vitam vel mores in ſpiritualibus exquirere ſive diſtringere. Procul dubio namque tantorum reus exiſtis, quantorum vias ab interitus præcipitio poteras volens reflectere. Illud quoque vigili mente pertractes oportet, ne honorem tuum divino honori, ſive pecuniam præponas juſtitiæ, neu quod in te cinerem a ſubdito tibi conſimili fieri non ſine gravi animadverſione patereris, in creatorem tuum & omnium præſumi æquanimiter feras. Indubitanter etenim non Dei, ſed diaboli membra, & falſi Chriſtiani convincuntur, qui ſuas injurias perſequuntur uſque ad ſanguinem, & Dei contumelias negligunt uſque ad oblivionem. Divitias autem potentia tua quas habet, non ob meritum datas, ſed ob ſolicitudinem putare debet ſibi commiſſas. Denique non tantum ſæcularibus oneri videtur inopia, quantum ſpirituales viros gravant divitiæ, ſimul etiam diffuſa poteſtas. Perpendunt quippe ſi ille cui una ovis ſub necis ſuæ conditione committitur non ſolum centum eodem pacto non cuperet recipere, verum etiam illa ne aliquo caſu diſpereat haud ſine timore ſolicitus eſt obſervare, quod ſibi tanto ſit irremiſſius vigilandum magiſque timendum, quanto ſuper plures curam ſeu poteſtatem acceperit. His ita * perſpectis, ad majorem te mentis vigilantiam præſentis ſæculi fugacitas invitat: & cum illud quod in hac luce magis diligitur, vita ſcilicet præſens, ad occaſum * furti feſtinet, profecto quo magis ad diſtricti examinis diem propinquas, eo amplius ad æterna præmeditanda & adipiſcenda te ſana ratio mittit. Hæc itaque noſtra monita, ſive mandata volumus, immo jubemus, ut ante ſuæ mentis oculos excellentia tua ſæpius ponat, & crebrius legendo, & audiendo meditetur, non quod elegantius ſcripta nequeas in ſanctorum paginis invenire, ſed quia hæc ad te ſpecialiter ex nobis, immo ex beato Petro miſſa ſunt, & iſta frequentius recogitando poteris Deo propitiatore ad potiora cognoſcenda exſurgere. Quia vero nobilitas tua poſtulavit, quo ſecundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annuemus

* Forte, alienum. H.

* forsitan

* Forte, furtim. H. ſi. & cod. Matth.

ANNO CHRISTI 1080.

remus officium, ſcias nos huic petitioni tuæ ne- A quaquam poſſe favere. Ex hoc nempe ſæpe volventibus liquet non immerito ſacram ſcripturam omnipotenti Deo placuiſſe quibuſdam locis eſſe occultam, ne, ſi ad liquidum cunctis pateret, forte vileſceret & ſubjaceret deſpectui, aut prave intellecta a mediocribus in errorem induceret. Neque enim ad excuſationem juvat, quod quidam religioſi viri hoc quod ſimpliciter populus quærit patienter tulerunt, ſeu incorrectum dimiſerunt, cum primitiva eccleſia multa diſſimulaverit, quæ a ſanctis patribus, poſtmodum firmata Chriſtianitate, & religione creſcente, ſubtili examinatione correcta ſunt. Unde ne id fiat quod a veſtris imprudenter expoſcitur auctoritate beati Petri inhibemus, neque ad honorem omnipoten- B tis Dei huic vanæ temeritati viribus totis reſiſtere præcipimus. De legato autem noſtro, quem mitti ad ſe tua devotio popoſcit, noveris item nos preces tuas ad præſens commode efficere minime potuiſſe: tamen in hoc anno, divina favente clementia, tales procurabimus invenire perſonas; quæ & negotiis veſtris valeant utiliter deputari, & neceſſitudines veſtras plenius cognoſcentes ad notitiam noſtram deducere. Ut ergo tute poſſimus ad vos legatos noſtros dirigere, neceſſe arbitramur & volumus, ut filium noſtrum Fredericum, & hunc Felicem ad nos iterum ſtudeas aut horum alterum mittere, quatenus ita poſſint quo deſtinabimus ſecure venire. Data Romæ quarto Nonas Januarii, indictione tertia.

C

XII. AD MANASSEM ARCHIEPISCOPUM Rhemenſem.

Ejus excuſationem nullatenus admittens, ad Lugdunenſe concilium eum alias vocatum venire præcipit coram legatis apoſtolicis objectis criminibus reſponſurum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Manaſſe Rhemenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MIramur fraternitatis tuæ prudentiam ad hoc tot occaſiones invenire, ut in infamia ſua D & eccleſiæ ſuæ tempore longo permaneat, & quod opinio relinquitur judicium ſubterfugere videatur, cum magis ad hoc profecto eam decuerit laborare, ut ſuſpicionem tanti reatus a ſe & eccleſia ſua excluderet. In præterito ſi quidem anno ad argumentum excuſationis tuæ quamdam nobis obtuliſti auctoritatem, te videlicet non alicujus, ſed noſtræ tantum præſentiæ ſubdendum fore judicio: unde, ut etiam nunc apparet, in literarum noſtrarum exemplaribus digniſſime reprehenſus es. Nunc vero immemor promiſſionis tuæ, qua Romæ te ſupra corpus beati Petri obligaſti, aliam excuſationem obtendis, timore videlicet diſſidentis regni, ad Lugdunenſe concilium, ad quod vocatus es, venire non poſſe. E In qua re quantum excuſatio tua nutet, liquido valet perpendi. Nam neque legatus Romanæ eccleſiæ in negotio tuo contemnendus fuit, qui (ſicut noſcit fraternitas tua) maximis & præcipuis conciliis, videlicet Nicæno & Chalcedonenſi, aliiſque multis præfuit, & hujuſmodi quæſtionibus certum diffinitionis terminum dedit; neque illud nunc aſſumendum tibi fuit, te Lugdunum non poſſe venire, cum omnia viæ illius pericula, ſi qua ſunt, tutiſſimis & ſecuriſſimis ductoribus poſſes tranſire, Lugdunenſi ſcilicet archiepiſcopo, & Lingonenſi epiſcopo, qui fraternæ caritate tractarent, & ſine omni formidine ad prænominatum perducerent locum. Ad quem nimirum locum ſponte & ſine invitatione aliqua accedendum fuit, ut ſi immunis es a culpa, collaudatione ſynodali infamiæ tuæ ſilentium daretur, & non ſolum per Dienſem, ſed per confratrem noſtrum Albanenſem epiſcopum, & per abbatem Cluniacenſem, quem eidem ſynodo intereſſe ſperamus, res tua diligentius retractaretur: * quod ſi aliqua nimis dura in te daretur ſententia, juſtitiæ moderamine utentes, non ſolum contra te non agerent, verum etiam pro te laborante præpropere dictum vel factum corrigerent. Quod ſi forte ad prædictum concilium non iveris, * aurem debitæ obedientiæ matri tuæ Romanæ eccleſiæ diu te ſupportanti non inclinaveris; ſi quid contra te Dienſis cum conſenſu religioſorum fratrum noſtrorum egerit, non ſolum ſententiam in te prolatam non immutabimus, verum etiam apoſtolica auctoritate firmabimus. Quod ſi fraternitati tuæ videbitur prolatæ ſententiæ rationabiliter poſſe obviari, volumus te magis coram vicario noſtro, Dienſi videlicet epiſcopo aliiſque religioſis, in patria illa, ubi accuſatorum & defenſorum major copia invenitur, rationes tuas exponere, quam Romam per tot labores & difficultates, ubi utrumque deeſt, fruſtra ſpe judicii querere. Interea fraternitatem tuam ex parte omnipotentis Dei per auctoritatem beati Petri monemus, ut, ſi te in hac cauſa culpabilem cognoſcis, potius quam aliquo ſeculari ingenio te excuſandum exiſtimes, ſtudeas animam tuam per dignos pœnitentiæ fructus liberare. Data Romæ tertio Nonas Januarii, indictione III.

ANNO CHRISTI 1080

* Forte, ſed ſ. H.

* Forte, & aurem M. ſ. & in cod. Mor.

XIII. AD THEODORUM VIRDUNENSEM Epiſcopum.

Ut Arnulphum comitem, qui epiſcopum Leodicenſem ad ſedem apoſtolicam venientem depræda tus eſt, & jurare compulit ſe res ablatas nunquam repetiturum, conventu habito ad pœnitentiam & ſatisfactionem cogat: alioquin, eccleſiæ introitum & corporis ac ſanguinis dominici communione interdicat: & niſi intra quindecim dies reſipuerit, anathematis gladio una cum ſuis fautoribus eum feriat. Ultoribus epiſcopi injuriarum peccatorum veniam pollicetur, epiſcopum a coacto juramento abſolvens.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Theoderico Virdunenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad nos fratris & coepiſcopi noſtri Henrici * Leodicenſis gravis calamitas, quem ad apoſtolorum limina venientem Arnulphus comes rebus ſuis omnibus, quas ſecum ferebat, expoliatum, ad augmentum nequitiæ, poſt ſuorum ereptionem compulit gladiis jurare quod ablata nunquam repeteret, & quod a nobis ſuper tali tantoque facinore ſibi veniam impetraret. Quod immane flagitium ut cognovimus, profecto vehementer doluimus, cum propter impeditam fratris noſtri devotionem, tum propter illius deteſtabilem audaciam; quæ niſi digna animadverſione vindicata fuerit, reſtat ut ei ſuiſque ſimilibus, ſi qua deteriora ſunt & poſſunt, perpetrandi concedatur occaſio: verumtamen, ne forte judicemur potius iræ conſulere, quam parere juſtitiæ, volumus atque apoſtolica auctoritate præcipimus, ut fraternitas tua quoſcumque

* Leodienſis & ſic ſemper

poteſt

ANNO CHRISTI 1080.

poteſt epiſcopos, abbates, ſacerdotes, & clericos, ſtudeat adunare, & conventu habito ſuper hac re illum improbum ad pœnitentiam & ſatisfactionem invitare. Quod ſi in malitia ſua perdurans aut pœnitentiam agere, aut ablata noluerit digna cum ſatisfactione reſtituere eccleſiæ introitum, & corporis & ſanguinis dominici participationem, tua ei fraternitas interdicat: datiſque ſibi quindecim dierum induciis, ſi infra illud ſpatium non pœnituerit, & ad emendationem ſceleris ſui non venerit, anathematis eum gladio fulta præcepto auctoritatis apoſtolicæ feriat: quod certe nos exinde omnibus modis firmabimus. Ac poſtmodum quidem volumus atque jubemus, ut in illum dilectio tua quibus valebit modis inſurgat. Quicumque enim illius nefandæ præſumptioni auxilium aut aſſenſum dederit, ſciat ſe gratiam Dei & beati Petri procul dubio amiſſurum. Quicumque vero prædicti confratris noſtri, immo beati Petri, injurias pro viribus ſuis ulciſci contenderit, ei nos apoſtolicam benedictionem tribuimus, & de divinæ pietatis munere confiſi peccatorum ſuorum veniam pollicemur. Nolumus etiam prudentiam tuam ignorare, nos ſæpe dictum coepiſcopum ab illius malitioſe coacti juramenti conditione abſolviſſe, ſanctæque eccleſiæ contumeliam vindicandi licentiam ipſi dediſſe: quem ut in omnibus pro poſſe ſtudeas adjuvare iterum iterumque monemus atque rogamus. Data Romæ tertio Kalendas Februarii, indictione tertia.

A

B

C

XIV. AD HENRICUM LEODICENSEM Epiſcopum.

Dolet de contumelia illi ab Arnulpho illata, abſolvitque eum a juramento violenter præſtito, ac mandat ut contra Arnulphum inſurgens ejus ſceleris pœnas ſumat. Significat ſe Virdunenſi epiſcopo præcepiſſe ut illum in ea re adjuvet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico Leodicenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

COgnita tuæ fraternitatis adverſitate & contumelia tibi, immo beato Petro, illata, * animirum valde dolere ſumus coacti. De juramenti vero injuſtiſſima obligatione dilectioni tuæ ſic reſpondemus, non debere exiſtimari eam ullis juramenti vinculis poſſe teneri, quæ tam nefandiſſime coacta juraverit. Unde & apoſtolica te auctoritate abſolvimus, ut non tuæ vel alicujus conſcientiæ ob hoc videaris innexus aut debitor eſſe. Inſuper etiam eadem freti poteſtate fraternitati tuæ licentiam damus, immo hortamur, ut contra injurias beato Petro illatas, niſi præſumptor ille pœnituerit, digneque ſatisfecerit, quibus viribus poteſt, inſurgat, atque illum omnibus modis infeſtet, & de eo tanti ſceleris pœnas, Deo opitulante, petat & ſumat. Indignum namque nobis videtur, exemplumque cæteris improbis audendi pejora futurum, ſi hoc flagitium iſte impune ſuſceperit. Unde etiam fratri noſtro Virdunenſi epiſcopo, aliiſque beati Petri fidelibus, ſummopere præcipimus, ut dilectionem tuam unanimiter adjuvantes eum tyrannum & Chriſtianæ religionis conculcatorem impugnent, & armis tam carnalibus quam ſpiritualibus undique & ubique, quantum poſſunt, inſequentes coarctent. Data Romæ tertio Kalendas Februarii, Indictione tertia.

D

XV. AD BRITANNOS ET TURONENSES.

ANNO CHRISTI 1081.

Controverſiam inter eccleſiam Turonenſem & Dolenſem per legatos apoſtolicæ ſedis auditis utriuſque partis juribus vult diffiniri.

Diffinitio ſynodalis inter archiepiſcopum Turonenſem, & epiſcopum Dolenſem de pallio.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis Britanniæ, clero & populo in Turonenſi provincia conſtitutis.

NOtum eſſe volumus, controverſiam inter eccleſiam veſtram & Dolenſem peſtifere ortam multum nobis in Romana ſynodo laborem ingeſſiſſe, ſed tamen, Deo miſerante, poſt longam diſcuſſionem, quam juſtius potuimus, hanc quæ ſubſcribitur diffinitionem inveniſſe. Archiepiſcopus ſiquidem veſter eccleſiam Turonenſem jus ſuum in Britannia perdidiſſe conquerens, Romanorum pontificum auctoritatem in medium duxit, quæ perſpicue probat Britanniam Turonenſi eccleſiæ quemadmodum ſpirituali matri & metropoli ſuæ ſubjectionem & reverentiam debere. Dolenſis vero epiſcopus non ſolum auctoritatem audientiæ noſtræ non exhibuit, verum etiam ipſa verba ſua ad defenſionem prolata nulla certitudine cui fides danda eſſet ſulta videbantur. Tamen quia in patriâ ſua quamdam auctoritatem ſe reliquiſſe aſſerebat, viſum nobis fuit ut ad retractandum negotium illud induciæ darentur, & pro hac aliiſque cauſis legati apoſtolicæ ſedis dirigerentur; ut auditis utriuſque partis rationibus, ſi cognoverint Britannos auctoritatem authenticam apoſtolicæ ſedis, videlicet eorum pontificum quorum ordinatio & vita digna & legalis fuerit, habere, per quam poſſint ſe a ſubjectione prædictæ Turonenſis eccleſiæ ſubtrahere, quieti deinceps permaneant in ſua libertate. Quod ſi contigerit eos hujus auctoritatis, quam modo diximus, non poſſe habere defenſionem, ſopita deinceps & in æternum omni controverſia Turonenſem eccleſiam matrem & metropolim ſuam recognoſcant, & eam quæ decet metropolitanum archiepiſcopo veſtro ſubjectionem & obedientiam exhibeant, reſervato Dolenſi epiſcopo pallii uſu: ita tamen ut nullus ſucceſſorum ſuorum aliquo in tempore ad hanc dignitatem aſpiret, ſed (ſicut ſupra diximus) tam ipſi videlicet in eccleſia Dolenſi conſtituendi, quam etiam cæteri Britanniæ epiſcopi magiſterio Turonenſis archiepiſcopi in perpetuum ſubditi permaneant. Data Romæ octava Idus Martias, Indictione tertia.

XVI. AD HUBERTUM EPISCOPUM Tarvannenſium.

EJus contumaciam accuſans, præcipit ut quandocumque vocatus fuerit coram Dienſi epiſcopo apoſtolicæ ſedis legato omnino ſe præſentet de multis ſibi objectis criminibus ſeipſum purgaturus. Ejus canonicis, qui quamdam villam uſurpaverant divinum officium interdicit, & ab eo interdici vult.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Huberto Tarvannenſium epiſcopo.

QUod ſalutem & apoſtolicam benedictionem tibi non mandamus, ea maxime cauſa eſt, quod in regiſtro noſtro legitur te ab Hugone

hujus

ANNO CHRISTI 1080.

hujus ſanctæ ſedis legato apud Monaſteriolum hæreticum publice convictum, & poſtea, antequam eſſes ab hac infamia expurgatus, audivimus ſimoniace epiſcopum factum. Deinde quod apoſtolicæ ſedis præcepta ſuper te & ſuper canonicos tuos de caſtro ſancti Pauli promulgata pro quadam villa * Keſſeca nominata, quam cum ſuis pertinentiis canonici S. Mariæ & S. Audomari ſæpe in præſentia noſtra conqueſti ſunt ſibi & ſuæ eccleſiæ auferri, prout ipſi iterum conquerantur, penitus deſpexiſti. Ac propterea excommunicationem, quæ in noſtro regiſtro ſcripta eſt, tu cum eis incurrendo, ſine reſpectu Dei & apoſtolicæ reverentiæ divinum officium, ſicut audivimus, celebrare præſumpſiſti. Pro quibus & aliis pluribus a fratre noſtro Hugone Dienſi epiſcopo ſemel & iterum ad concilium vocatus, & poſtea a nobis ad ſynodum Romanam invitatus ut te expurgares, quia non veniſti, nec canonice excuſaſti, niſi apoſtolicæ pietatis manſuetudo nos diſpenſatorie ad tempus ſuſtineret, ſententiam juſtæ depoſitionis tua inobedientia, quæ vere eſt idololatria, jamdudum ſuſcepiſſet. Sed tamen adhuc tibi paterno parcentes affectu, quia diutius tot & tanta quæ de te dicta ſunt ferre nullo modo honeſte poſſumus, apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ubi & quando prædictus frater noſter Hugo Dienſis epiſcopus te vocaverit, de his vel aliis ſatisfacturus, occaſione poſtpoſita, ita paratus & circumſpectus advenias, ut, ſi te innocentem & falſo accuſatum ſcis, cum Dei auxilio & conſcientiæ puritate ab omnibus objectis & objiciendis canonice expurgari poſſis. Præterea omne divinum officium omnibus canonicis de caſtro ſancti Pauli, te ſolo interim uſque ad audientiam excepto, interdicimus: & ipſis & locis eorum, quoque præfatam villam cum eccleſia & aliis ſuis pertinentiis canonice eccleſiæ ſanctæ Mariæ & S. Audomari reſtituerint, & coram Hugone Dienſi epiſcopo de inobedientia & excommunicatione ſatisfecerit: & niſi tu ſtatim viſa præceptione noſtra prædictis canonicis tuis, & omnibus locis eorum, & præcipue ubi canonici denominati ſunt, omne divinum officium interdixeris, omne officium tuum auctoritate apoſtolica interdictum noveris. Data Romæ ſeptimo Kalendas Aprilis, Indictione tertia.

* Reſeca & ad. Mingar. Reſeca.

XVII. AD DOLENSES MONACHOS.

Mandat ut duo monaſteria, quæ Lemovicenſis epiſcopus eccleſiæ ſuæ ab ipſis ſubtracta conqueſtus fuerat, uſque ad adventum apoſtolicæ ſedis legati eidem epiſcopo reſtituant. Quod ſi quid in ea re juris ſe credant habere, coram legato oſtendant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dolenſibus monachis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRater & coepiſcopus noſter Lemovicenſis conqueſtus eſt nobis in ſynodo, quam nuper Romæ Deo opitulante celebravimus, quod veſtra fraternitas eccleſiæ ſuæ duo monaſteria ſubtrahit. Teſtatus eſt etiam ipſe frater & coepiſcopus noſter atque legatus noſter Hugo Dienſis epiſcopus, quod vos pro hac cauſa ad duo concilia, ſcilicet ut inter vos & prælibatum epiſcopum exinde juſtitiæ finem componeret, admonuit: ſed, ut ipſe aſſerit, nullam juſtitiam ſeu obedientiam exhibere voluiſtis. Quapropter ſynodalis conventus decrevit, ut prætata monaſteria in poteſtate Lemovicenſis eccleſiæ redire debeant, & ſine contradictione veſtra, ſeu veſtrorum uſque ad adventum legati noſtri quiete ab ipſa eccleſia poſſideantur. Nos itaque juxta fratrum noſtrorum conſenſum atque conſilium quod ſupra deliberatum eſt confirmantes, mandamus vobis atque præcipimus, ut uſque ad præfixum terminum permittatis prædictam eccleſiam Lemovicenſem ipſa monaſteria retinere. Si vero in eis aliquid juſtitiæ vos habere confiditis, legati noſtri adventum expectantes, cauſam veſtram illi opportuno loco & tempore, ubi poſſit Lemovicenſis epiſcopus intereſſe, repræſentate. Ante cujus audientiam cauſa veſtra diligentius ventilata & plenius cognita juſtitiæ finem inveniat, & inter vos omni lite ſopita quiſque veſtrum ſuo jure contentus injuriam facere deſinat. Data Romæ * Kalendis Aprilis, Indictione tertia.

ANNO CHRISTI 1080.

* VIII. Kal.

XVIII. AD WILIELMUM AUXIENSEM Archiepiſcopum,

Arguens eum inobedientiæ præcipit ut Pezanenſem abbatem cogat Aureliacenſi abbati reſtituere quandam eccleſiam illi monaſterio ab apoſtolica ſede conceſſam, contumaci eccleſiæ introitu interdicto.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wilielmo Auxienſi * archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* epiſcopo

MIramur prudentiam tuam ita ſe apoſtolicæ ſedi inobedientem exhibuiſſe, ut negotium, quod tibi vicarii noſtri commiſerunt, ad exequendum tu non curans parere, contemnſeris ad effectum perducere. Siquidem injuncta tibi eſt ab eis cura juſtitiam faciendi Petro abbati * Aureliacenſis cœnobii juris hujus ſanctæ Romanæ eccleſiæ de Dodone abbate Pezanenſe, qui ex longo tempore invaſam detinet eccleſiam juris itidem beati Petri, ſed præfato monaſterio Aureliacenſi conceſſam, quæ nominatur ſancta Maria Dalmairaci. Qua in re quantam beato Petro reverentiam habueris in hoc evidenter apparet, quod & invaſor eccleſiam calumnioſe adhuc occupare non deſinit, & prædictus abbas Aureliacenſis apoſtolicas aures ob id interpellare compellitur, præſertim cum ſupra nominatus Pezanenſis convictus, & a legatis noſtris Stephano cardinale & Gerardo Oſtienſi coepiſcopo adjudicatus debere illam eccleſiam reddere, quia non fecerit excommunicationem incurrerit. Quapropter dilectionem tuam monemus, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ſæpe dictum Pezanenſem abbatem cogas Aureliacenſi præfixam eccleſiam unde lis eſt reſtituere, & condigna ſatisfactione ipſum ſibi placabilem reddere. Quod ſi forte ſpiritu ſuperbiæ induratus acquieſcere noluerit, & monaſterio illi quod invaſum eſt, officium divinum, & invaſori, noſtra auctoritate omnis eccleſiæ interdicas introitum. Nam non inter religioſos monachos, ſed nec inter laicos, debet annumerari qui ſacrilegium perpetrare non timet. Data Romæ * ſecundo Idus Aprilis, Indictione tertia.

* Aureliacenſis & Aredenſe.

* Pridie Idus Octobris.

XIX. AD BITURICENSES, NARBONENSES & Burdigalenſes.

Præcipit ut beneficia Aureliacenſi cœnobio ablata reſtituantur, & obſequium atque fidelitas a vicecomite exhibeatur abbati, quem ſe obligaſſe ſignificat, ne ulli militi ultra unum manſum de

ANNO CHRISTI 1080.

de poſſeſſione eccleſiæ daret. Confirmat monaſterii Viacenſis refutationem a principe in manu abbatis conſenſu epiſcopi & clericorum factam.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus in Bituricenſi, nec non Narbonenſi, ſeu Burdigalenſi, provinciis conſtitutis, exceptis his qui apoſtolica excommunicatione tenentur, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CLamor abbatis Aureliacenſis cœnobii, quod proprii juris B. Petri conceſſione fundatoris ſcilicet B. Geraldi eſſe dignoſcitur, auribus noſtris inſonuit, videlicet ſuper quibuſdam perſonis qui injuſte detinent beneficia prædicti monaſterii a prædeceſſoribus ſuis ſub fidelitate & dominio pro defenſione eccleſiæ ſibi & ſuis anteceſſoribus olim conceſſa. Præcipue conqueritur ſuper Berengario Carlatenſi vicecomite, qui propria cupiditate ductus, debitum ſervitium & fidelitatem abbati exhibere negat, niſi beneficium quod immerito detinet adhuc etiam de jure eccleſiæ augeatur. Proinde apoſtolica auctoritate præcipimus, quatenus omnis, qui beneficium præfatæ eccleſiæ ad hoc aliquando ſuſcepiſſe cognoſcitur, ſubjectionem & fidelitatem abbati perſolvat, & ſervitium pro beneficio largiri non deneget, & ab exactione illicitæ augmentationis deſiſtat: aliter enim invaſor & ſacrilegus eſſe comprobatur. Nos vero detrimentum ſupradicti cœnobii agnoſcentes, abbatem ſub promiſſione fidei ſuæ in manu noſtra obligavimus, ut nulli militum liceat illi ultra unum manſum de poſſeſſione eccleſiæ dare ſub hac vel alia occaſione, neque alicui alteri perſonæ, niſi communis utilitas fratrum regulariter degentium poſtulaverit, & apoſtolicæ æquitati renuntiare auſus fuerit. Monaſterium autem * Mauriacenſe cum omnibus ſibi adjacentiis, & eccleſias ſcilicet * Dalmairaci & montis Salvii, & cæteras, nec non terras & poſſeſſiones in quacumque ſupraſcriptarum provinciarum ablatas, ſeu malis conſuetudinibus oppreſſas, monaſterio Aureliacenſi ſcriptis ſive teſtibus olim juſte conceſſas, apoſtolica auctoritate præcipimus reſtitui, & ſine inquietudine aliqua permitti. Monaſterium quidem Viacenſe in manu abbatis refutatum a principibus ipſius terræ conſenſu epiſcopi & clericorum ſibi ſuiſque ſucceſſoribus concedimus & confirmamus, & fautoribus refutationis apoſtolicam benedictionem largimur: & eos qui eccleſias ſive prædia præfati monaſterii injuſte detinent, abſque ulla dilatione reddi jubemus. Qui ergo his mandatis noſtris ſpiritu ſuperbiæ acquieſcere noluerit, præcipueque Berengarius, ſi obedire contempſerit, gratiam beati Petri amittet, & iram omnipotentis Dei incurret. Obtemperantibus autem gratiam Dei & apoſtolicam benedictionem de miſericordia divina confiſi largimur. Data Romæ ſecundo Idus Aprilis, indictione tertia.

* Maſſac. * Dalmac.

XX. AD MANASSEM ARCHIEPISCOPUM Rhemenſem.

Depoſitionis ſententiam a legato contra eum in Lugdunenſi concilio prolatam ſe confirmaſſe ait: licentiam tamen adhuc ſe expurgandi coram quibuſdam epiſcopis indulget, dummodo interim ejus accuſatorum res in integrum reſtituantur, & Rhemenſem eccleſiam relinquat, & in alium locum ſecedat, clericoſque in ea ſecure Deo ſervire permittat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Manaſſe Rhemenſi.

ANNO CHRISTI 1080.

SCiat fraternitas tua, quod depoſitionis ſententiam, a legato noſtro Dienſi epiſcopo in Lugdunenſi concilio religioſorum virorum conſilio prolatam, & nos dictante juſtitia in Romana ſynodo apoſtolica auctoritate firmavimus. Sed tamen contra morem Romanæ eccleſiæ nimia ut ita dixerim, miſericordia ductus, adjunctis tibi Suetionenſi, Laudunenſi, Cameracenſi, Catalaunenſi, epiſcopis, vel eorum ſimilibus, cum aliis duobus quorum teſtimonio æque confidamus, ſi de juſtitia confidis, & eos habere poteris uſque ad feſtivitatem ſancti Michaelis purgandi licentiam tibi indulgemus; ea videlicet conditione, ut Manaſſæ & Brunoni, & cæteris qui pro juſtitia contra te locuti fuiſſe videntur, rebus ſuis in integrum reſtitutis uſque ad aſcenſionem Domini proximam Rhemenſem eccleſiam a tua occupatione ex toto liberam deferas, & Cluniacum * aut Caſam Dei cum uno clerico & duobus laicis tuis ſtipendiis religioſe victurus ſecedas. Quod ſi facere volueris, prædicto Dienſi epiſcopo prænuntiare procures, ut in ejus præſentia ſacramento confirmes, de rebus prædictæ eccleſiæ te nihil interim diſtracturum, niſi quantum tibi & prædictis ſociis competenter ſufficerit. Clericos autem, qui tanto tempore pro juſtitia exilium paſſi ſunt, in eccleſia ſecure Deo ſervire permittas. Et quoniam laborioſum tibi fuerit ad nos uſque venire, concedimus ut coram Dienſi epiſcopo & abbate Cluniacenſi, aut ſi abbatem deeſſe contigerit, coram Amato, prædicto modo cum prædictis teſtibus de infamia te expurges. Quod ſi huic noſtræ diſpenſationis præcepto obedire contempſeris, ſcias quoniam iniquitatem tuam ulterius portare non poſſumus, & depoſitionis ſententiam, non ſolum immutabiliter permanſuram, ſed etiam nullam tibi audientiam in poſterum relinquendam. Data Romæ decimoquinto Kalendas Maii, indictione tertia.

* ac caſam

XXI. AD ACONUM REGEM DANORUM.

Hortatur ad perſeverantiam in obedientia apoſtolicæ ſedis, & ad imitandum regis patris, quem valde commendat, virtutes. Monet ut curet ne temporis calamitates in ſacerdotum culpas, quibus honorem exhibendum eſſe docet, eius ſubditi transferant, nec in mulieres eamdem ob cauſam ſæviant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Acono regi Danorum, epiſcopis, principibus, clero & populo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam veſtræ dilectionis amor Deo & beato Petro pronam obedientiam debitamque reverentiam (in quantum potuimus intelligere) ſtuduit hactenus propenſius exhibere, non dubium habemus quin idcirco vobis triumphum & gloriam præ cæteris gratia divina contulerit. Quod ſi in eodem ſtudio perſeverando veſtræ devotionis affectus in finem permanere curaverit, pro certo & eam quam nunc habetis gloriam retinere, & ampliore, Domino auxiliante, valebitis deinceps adipiſci. Te itaque ſpecialiter, fili cariſſime, cui regni curam providentia divina commiſit, paterno monemus affectu, ut excellentiſſimi parentis tui regias probitates & virtutes egregias imitari ſatagas: ejus quidem præcipui mores in-

ANNO CHRISTI 1080.

in tantum cæteris regibus præmituerunt, ut cunctis posthabitis, nec ipso etiam imperatore Henrico, qui sanctæ Romanæ ecclesiæ propinquius hæsit, excepto, singulari amore illum nobis amplectendum judicaverimus: de cujus nos obitu vehementer nimiumque dolentes, ut ipsum tibi proponas exemplum, volumus, hortamur, iterumque monemus; quatenus inde possis ornamenta virtutum propagando educere, unde videris nobilissimi sanguinis lineam trahere. Denique cogitare debes & vigilanter perpendere hæc terrena quam caduca & frivola sint, quam incessanter ad occasum cuncta festinent, ut eis confidere nulla stabilitas suadeat, ut in illis habendis timor horribilis lateat: sicque fugitivis perspicaciter agnitis & sapienter despectis, poteris ad illa stabilia & sempiterna mentis acumen extendere, quæ ad sese obtinenda animum tuum invitent, & ad quæ concupiscenda bonorum te exempla accendant. Inter cæteras ergo virtutes, quas animo tuo imitandas censueris, ecclesiarum defensionem in mente tua volumus eminere, sacerdotalis ordinis reverentiam proximum locum tenere, ac deinde justitiam & misericordiam in cunctis te judiciis discrete servare. Illud interea non prætereundum, sed magnopere apostolica interdictione prohibendum videtur; quod de gente vestra nobis innotuit, scilicet vos intemperiem temporum, corruptiones aeris, qualscumque molestias corporum, ad sacerdotum culpas transferre. Quod quam grave peccatum sit, ex eo liquido potestis advertere, quod Judæis etiam sacerdotibus ipse salvator noster lepra * puratos eis mittendo honorem exhibuerit, cæterisque servandum esse quæ illi dixissent præcepit; cum profecto vestri, qualescumque habeantur, tamen illis longe sint meliores. Quapropter apostolica auctoritate præcipimus, ut hanc pestiferam consuetudinem de regno vestro funditus extirpantes, presbyteris & clericis honore & reverentia dignis tantam contumeliam contra salutem vestram ulterius non præsumatis inferre; volentes eis occultas divini judicii causas imponere. Præterea in mulieres ob eamdem causam simili immanitate barbari ritus damnatas quidquam impietatis faciendi vobis fas esse nolite putare, sed potius discite divinæ ultionis sententiam digne pœnitendo avertere, quam in illas insontes fruſtra feraliter sæviendo iram Domini multo magis provocare. Si enim in his flagitiis duraveritis, procul dubio vestra felicitas in calamitatem vertetur, & quibus victis hucusque soliti fuistis dominari, eorum * nimirum jugum ferre superati nec resistere valentes cogemini. Si vero nobis, immo B. Petro, in his obedientes fueritis, sicut de clementia divina confidimus, & peccatorum vestrorum veniam, & apostolicam benedictionem, poteritis consequi. Data Romæ decimotertio Kalendas Majas, indictione tertia.

* Propurgatos. H. vetus.

* Forte, olim hunc H.

XXII. AD ARNALDUM CENOMANENSEM episcopum.

Episcopale officium a legato apostolico interdictum reddit. Abbatem Johelem absolvit. Rainaldum invasorem & perjurum deponit, in cujus locum Johelem prædictum restitui mandat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Arnaldo Cenomanensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

EPiscopale officium, quod tibi legatus noster interdixerat, justitia dictante reddimus, Abbatem Johelem absolvimus. Rainaldum invasorem, quia per ambitionem perjuravit, deponimus, ut nec in illo quod cupivit, nec in alio monasterio ulterius abbas existat. Quapropter volumus, ut jam dictum Rainaldum cedere facias, & Johelem in loco suo abbatem restituas. Data Romæ octavo Kalendas Majas, indictione tertia.

ANNO CHRISTI 1080.

XXIII. AD GUILIELMUM regem Anglorum.

Suum in eum amorem testatus ad debitam obedientiam sedi apostolicæ præstandam hortatur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Guilielmo regi Anglorum, salutem & apostolicam benedictionem.

NOtum esse tibi credo, excellentissime fili, priusquam ad pontificale culmen ascenderem, quanto semper te sinceræ dilectionis affectu amavi, qualem etiam me tuis negotiis, & quam efficacem exhibui: idsuper ut ad regale fastigium crescres quanto studio laboravi. Qua pro re a quibusdam fratribus magnam pene infamiam pertuli, submurmurantibus quod ad tanta homicidia perpetranda tanto favore meam operam impendissem. Deus vero in mea conscientia testis erat, quam recto id animo feceram, speransque per gratiam Dei, & non inaniter confidens de virtutibus bonis quæ in te erant, quia quanto ad sublimiora proficeres, tanto te apud Deum & sanctam ecclesiam (sicut & nunc, Deo gratias, res est) ex bono meliorem exhiberes. Itaque nunc tamquam dilectissimo filio, & fideli S. Petri & nostro, sicut in familiari colloquio facerem, consilium nostrum, & quid te postmodum facere deceat, paucis aperio. Quando enim complacuit ei qui exaltat humiles, ut sancta mater nostra ecclesia ad regimen apostolicæ sedis invitum satis ac renitentem, Deo teste, me raperet, continuo nefanda mala, quæ a pessimis suis patitur, officii mei (quo mihi clamare & nunquam cessare injunctum est) necessitate compulsus, amore quoque ac timore convictus, dissimulare non potui; amore quidem, quia S. Petrus a puero me in domo sua dulciter nutrierat, & quia caritas Domini Dei nostri, me quasi aliquid æstimans, tanti pastoris vicarium ad regendam sanctam matrem nostram elegerat; timore autem, quia terribiliter divina lex intonat, dicens: *Maledictus homo qui parcit gladio suo a sanguine*, id est qui doctrinam subtrahit ab occisione carnalis vitæ. Nunc igitur, carissime & in Christo semper amplectende fili, cum & matrem tuam nimium tribulari conspicias, & inevitabilis nos succurrendi necessitas urgeat, talem te volo, & multum pro honore tuo & salute in vera & non ficta caritate moneo, ut omnem obedientiam præbeas; & sicut, cooperante Deo, gemma principum esse meruisti, ita regula justitiæ & obedientiæ forma cunctis terræ principibus esse merearis: tot procul dubio in futura gloria principum princeps futurus, quot usque in finem sæculi exemplo tuæ obedientiæ principes salvabuntur: & si quidam illorum salvari noluerint, tibi tamen retributio nullatenus minuetur. Non solum autem, sed & in hoc mundo tibi & hæredibus tuis victoria, honor, potentia, sublimitas amplius cælitus tribuetur. Exemplum tibi teipsum propone. Sicut enim velles ab eo quem ex misero & pauperrimo servo potentissimum regem fecisses, non immerito honorari, sic & tu, quem ex servo peccati mi-

Forte, ut

ANNO CHRISTI 1080.

fero & pauperculo (ita quippe omnes naſcimur) potentiſſimum regem Deus gratis fecit, honoratorem tuum, protectorem atque adjutorem tuum omnipotentem ſolum honorare ſemper ſtudioſe feſtina. Nec ab hoc impediat te peſſimorum principum turba. Nequitia enim multorum eſt, virtus autem paucorum. Glorioſius eſt probato militi multis fugientibus in prælio ſtare. Pretioſior illa eſt gemma quæ rarius invenitur. Immo quanto magis potentes hujus ſæculi ſuperbia ſua & impiis actibus excæcati cornunt in profundum, tanto magis te, qui præ illis multum Deo carus inventus es, pie humiliando decet erigi, & obediendo ſublimari, ut ſit ſicut ſcriptum eſt: *Impius impie agat adhuc, & qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc, & juſtus juſtificetur adhuc.* Plura tibi adhuc exhortando ſcriberem: ſed quia tales miſiſti qui me ſatis de tua prudentia, honeſtate, juſtitia, ſimul cum filio noſtro Huberto lætificaverunt, ſapienti viro ſatis eſſe dictum judicavi: ſperans quia omnipotens Deus, ſupra quam dicimus, in te & per te ad honorem ſuum dignabitur operari. Quæ vero in literis minus ſunt, legatis tuis tibi voce dicenda committimus. Ipſe autem omnipotens Deus & pater noſter hoc tuo cordi, carissime fili, ita inſpirare atque plantare miſericorditer dignetur; quatenus & in hoc ſæculo merito virtutum tuarum regnum tuum & potentiam augeat, & in futuro cum ſanctis regibus ad regna ſuper cæleſtia inexcogitabiliter meliora feliciter introducat. Amen. Cenomanenſi epiſcopo tuis precibus juſtitia dictante faventes officium epiſcopale reddidimus. Abbatem quoque monaſterii S. Petri, quod eſt Cenomanni, abſolvimus. Data Romæ VIII. Kalendas Maii, indictione tertia.

Apoc. 22.

XXIV. AD WILIELMUM ABBATEM Hirſaugienſem,

Approbat quod curam monaſterii ſancti Salvatoris ſuſceperit, eumque vicarium ſuum conſtituit ut ad procurandum ut ibi abbas canonice ordinetur. Prohibet principibus ſæcularibus, ne in eo loco quidquam juris habeant. Privilegium ab Alexandro II. olim deceptione inducto conceſſum Everardo abrogat. Conſtantienſis eccleſiæ præſide a Romana eccleſia diſcordante concedit, ut abbas a quocumque religioſo epiſcopo quæ ad epiſcopale officium pertinent ſuſcipiat, vel ad apoſtolicam ſedem recurrat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wilielmo abbati Hirſaugienſis monaſterii, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam pervenit ad nos, quod religio tua curam monaſterii ſancti Salvatoris juris apoſtolicæ ſedis, cui etiam duodecim aurei, quorum viginti unciam faciunt, ex eodem monaſterio annis ſingulis perſolvi debent, ſiti in villa * Scaphuſa, in epiſcopatu Conſtantienſi, obſecrante Comite Burcardo, viriſque religioſis hortantibus, eo dumtaxat tenore ſuſceperit, ut prædictus comes, qui ſibi in præfato monaſterio quaſdam quaſi proprias conditiones vendicabat, dimiſſa atque renuntiata omni ſæculari poteſtate, locum ipſum liberum eſſe permitteret, ſtudium dilectionis tuæ probantes, quod factum eſt apoſtolica auctoritate firmamus; & quia per locus ille (ſicut audivimus) ad religionis ſtatum, Domino miſerante, cœpit aſſurgere; nos, inquantum valemus, perpetuam illic ſanctitatis ſtabilitatem providere cupientes, fraternitati tuæ ſuper cœnobium illud ſolicitudinis noſtræ vicem committimus, ſcilicet ut fratres ibi diſciplinis regulariter inſtruere, mores eorum vitamque competenter inſtruendo ea quæ ad animarum ſalutem pertinent vigilanter providere, ac maxime ut inibi abbas ſecundum Deum ordinetur procures. Præterea ut ſæpefati monaſterii fratres ſine inquietudine propoſitum ſuum valeant ſecurius & propenſius exequi, ac omnipotenti Domino debitæ devotionis obſequium inſtanter & gratanter exolvere, volumus & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut nullus ſacerdotum, regum, vel ducum, aut comitum, ſeu quælibet magna aut prava perſona, præſumat ſibi in eo loco aliquas proprietatis conditiones, non hæreditarii juris, non advocatiæ, non inveſtituræ, non cujuslibet poteſtatis, quæ libertati monaſterii noceat, vendicare, non ornamenta eccleſiæ, ſive poſſeſſiones invadere, minuere, vel alienare: ſed ita ſit ab omni ſæculari poteſtate ſecurus, & Romanæ ſedis libertate quietus, ſicut conſtat Cluniacenſe monaſterium, & Maſſilienſe manere: abbas autem advocatum quem voluerit eligat. Quod ſi is poſtmodum non fuerit utilis monaſterio, eo remoto alium conſtituat. Privilegium autem quod bonæ memoriæ prædeceſſor noſter Alexander contra ſanctorum patrum ſtatuta aliqua ſubreptione vel deceptione inductus eidem loco fecit, in quo Everardo comiti ejuſque poſteris advocatiam & præficiendi abbatis poteſtatem, & totius rei adminiſtrationem conceſſit, nos canonicæ correctionis ſententia per apoſtolicam functionem utentes infirmamus, infringimus, atque caſſamus; &, ne per hoc alicujus temeraria cupiditas in audaciam ſuæ perditionis erumpat, apoſtolica auctoritate in irritum revocamus. Si quis ergo contra hoc ſalubre præceptum noſtrum pertinaciter ire tentaverit, gratiam beati Petri ſe non dubitet amiſſurum; admonituſque ſemel, bis, & tertio per competentes induciias, ſi non reſipuerit, & ſi delictum ſuum emendare contempſerit, ſciat ſe divino anathemate innodatum, & a corporis & ſanguinis Dominici communione alienum. Illud etiam ad Romanæ libertatis munus confirmandum ſubjungentes adjicimus, ut ſi aliquo tempore Conſtantienſi eccleſiæ præſidens ab apoſtolica ſede diſcordaverit, eique inobediens fuerit, (*quod*, confirmante Samuele, *peccatum ariolandi & idololatriæ ſcelus eſt*, dicente quoque beato Ambroſio: Hæreticum eſſe conſtat qui Romanæ eccleſiæ non concordat) liceat abbati ſibi ſuiſque a quocumque religioſo epiſcopo placuerit ordinationes, conſecrationes, & quæ ad epiſcopale officium pertinent, expetere atque ſuſcipere, vel ad apoſtolicam ſedem recurrere. Obſervatores autem hujus noſtri præcepti remiſſionem omnium peccatorum ſuorum & gratiam bonam a Domino conſequantur. Actum Lateranis octavo Idus Maii, indictione tertia.

1 Reg. 15.

* Suſuſa

ANNO CHRISTI 1080.

* VII.

XXV. AD GUILIELMUM REGEM ANGLORUM.

Hortatur ut Dei honorem ſuo præponat honori, Deumque totis viribus integro corde diligat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo regi Anglorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

GRediinus prudentiam veſtram non latere, omnibus aliis excellentiores apoſtolicam & regiam dignitates huic mundo ad ejus regimina omni-

ANNO CHRISTI 1080.

omnipotentem Deum diſtribuiſſe. Sicut enim ad A mundi pulchritudinem oculis carneis diverſis temporibus repræſentandam Solem & Lunam omnibus aliis eminentiora diſpotuit luminaria; ſic nō creatura, quam ſui benignitas ad imaginem ſuam in hoc mundo creaverat, in erronea & mortifera traheretur pericula, providit in apoſtolica & regia dignitate per diverſa regeretur officia. Quia tamen majoritatis & minoritatis diſtantia religio ſic ſe movet Chriſtiana, ut cura & diſpenſatione apoſtolicæ dignitatis poſt Deum gubernetur regia. Quod licet, fili cariſſime, tua non ignoret vigilantia, tamen ut pro ſalute tua indiſſolubiliter menti tuæ ſit alligatum divina teſtatur ſcriptura, apoſtolicam & pontificalem dignitatem reges Chriſtianos cæteroſque omnes ante divinum B tribunal repræſentaturam, & pro eorum delictis rationem Deo reddituram. Si ergo juſto judici, & qui mentiri neſcit, creaturarum omnium creatori tremendo judicio te ſum repræſentaturus, judicet diligens ſapientia tua, an debeam vel poſſim ſaluti tuæ non diligentiſſime cavere, & te mihi ad ſalutem tuam, ut viventium poſſideas terram, debeas vel poſſis ſine mora non obedire. Provideas ergo, ut pro te inceſſanter inſiſtas, ſi te diligis, Deum honoremque Dei tibi tuoque præponere honori; Deum munda mente, toris viribus, integro corde diligere. Crede mihi, ſi Deum pura mente, ut audis, & ut ſcriptura præcipit, dilexeris, ſi Dei honorem, ut debes, in omnibus tuo præpoſueris, qui ficte neſcit diligere, qui potens eſt C etiam te præponere, hic & in futuro te amplexabitur, & regnum tuum omnipotenti ſui brachio dilatabit. Data Romæ octavo Idus Maii, indictione tertia.

XXVI. AD MATHILDEM REGINAM ANGLORUM.

Ejus fidem commendat. Munera, quæ offert, nulla alia ſe expetere ait, quam vitam caſtam, rerum ſuarum in pauperes erogationem, & proximi dilectionem.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Mathildi Reginæ Anglorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INgenuitatis veſtræ lectis literis, quam fideli mente Deo obedias, quanta dilectione fidelibus tuis adhæreas, intelleximus. Nos quoque quomodo mentis tuæ memoria præſentes contineat, ex amplitudinis tuæ promiſſionibus non minus percipimus: quibus deſignaſtis, ut quidquid de veſtris vellemus, ſi notum vobis fieret, ſine mora ſuſciperemus. Quod, filia cariſſima, qua ſuſcepimus dilectione, & quæ munera a te optamus, ſic intelligas. Quod enim aurum, quæ gemmæ, quæ mundi hujus pretioſa mihi a te magis ſunt expectanda, quam vita caſta, rerum tuarum in pauperes diſtributio, Dei & proximi dilectio? Hæc & his ſimilia a te munera optamus: ut integra & ſimplicia diligas nobilitatem tuam precamur, dilecta obtineas, habita nunquam derelinquas. His armis & ſimilibus virum tuum armare, cum Deus tibi opportunitatem dederit, ne deſiſtas. Cætera, quæ dimiſimus, per Hubertum filium & fidelem communem mandamus. Data Romæ octavo Idus Maii, indictione tertia.

XXVII. AD ROBERTUM REGIS Anglorum filium.

ANNO CHRISTI 1080.

Monet ut patris monitis acquieſcat, eique in omnibus honorem exhibens obediat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Roberto filio regis Anglorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CErti rumores morum tuorum, & tuæ prudentiæ, & liberalitatis, qui uſque ad nos pervenerunt, partim dilectione parentum, partim tua, nos lætificaverunt. Qui verō e contra quorumdam pravorum conſilio aures noſtras moleſtaverunt, ut priores hilarem, ſic ſiniſtri nos reddidere triſtem. Nunc vero quia per Hubertum filium noſtrum audivimus te paternis conſiliis acquieſcere, pravorum vero omnino dimittere, lætamur. Inſuper monemus & paterne precamur, ut menti tuæ ſemper ſit infixum, quia quam forti manu, quam divulgata gloria, quidquid pater tuus poſſideat, ab ore inimicorum extraxerit, ſciens tamen ſe non in perpetuum vivere, ſed ad hoc tam viriliter inſiſtere, ut hæredi alicui ſuo dimitteret. Caveas ergo, fili dilectiſſime, admonemus, ab hinc pravorum conſiliis acquieſcas, quibus patrem offendas, & matrem contriſteris. Sint tibi indiſſolubiliter in- *Deut. 5. Exod. 20.* fixa præcepta & monita divina: *Honora patrem, & matrem, ut ſis longævus ſuper terram.* Et illud: *Qui maledixerit patri, vel matri morte moriatur.* Si vero ex honore patris & matris longior tibi tribuitur vita, e contra ſi dehoneſtas, quid tribuatur, liceat videas. Si autem ex maledictis mortem filio divina ſcriptura intonat, multo certius ex malefactis certiorem mortem inſinuat. Quid ergo reſtat, ſi membrum Chriſti vis vivere, & in mundo iſto honeſte converſari? Pravorum conſilia ex officio noſtro præcipimus penitus dimittas. Patris voluntati in omnibus acquieſcas. Data Romæ VIII. Idus Maii, indictione III.

XXVIII. AD EPISCOPUM BENEVENTANUM.

Vult ut quemdam convictum hæreticum exquirat & examinet: ſi reſipiſcentem invenerit, in nullo læſum dimittat; ſin minus, per pœnitentiam ad ſanam doctrinam reducere curet; ſi obſtinatum, ex archiepiſcopatu expellat; utque ejus cauſam una cum abbate montis Caſſini & quibuſdam epiſcopis diffiniat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratri & coepiſcopo Beneventano R..... ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRaternitati tuæ notum facimus, præſentium latorem Joannem presbyterum, virum quidem (ſicut ex profeſſione ſua cognovimus) orthodoxum, nobis ex parte Synnadenſis archiepiſcopi Armeni conqueſtum eſſe ſuper quodam nefario, quem nos ex ore ſuo convictum hæreticum adjudicavimus: quod is ob hanc impietatem de Armenia expulſus gravem contra Armeniam ejuſdem hæreſis gignat Latinæ apoſtolicæque eccleſiæ ſuſpicionem, immo vero judicium. Unde nos illius eccleſiæ Armenorum ſcilicet fidem (ſicut ex hujus verbis didicimus) comprobantes, dilectioni tuæ monendo præcipimus, ut præfatum

hæreticum, qui manus noſtras, judicium ſuæ perfidiæ formidans, ſuffugit, diligenter exquiras, & ſolerter examines. Si igitur illum reſipuiſſe, & ad catholicam fidem rediiſſe, intelligentiæ tuæ conſtiterit, ſane edoctum & confirmatum ac in nullo læſum dimittas incolumem. Si vero nondum ad matris eccleſiæ gremium & rectam fidem de ſui erroris gravitate converſus fuerit, ad ſanæ doctrinæ conſilium per pœnitentiæ tramitem eum reducere commonendo procures. Quod ſi veris rationibus ſaluberrimis monitis tuis diabolico ſpiritu induratus acquieſcere, & ſinceris intellectibus fidei conſentire noluerit, ne rabies illius ignaros latere, & ſic incautos valeat lædere, jubemus ut eum facias perfidiæ nota in aperto ſignari, ac deinde ex toto archiepiſcopatu tuo ipſum expultum, hæreſim ejus cunctis detegendo ubique, quantum potes, ut apoſtatam & Chriſtianæ unitatis inimicum non deſinas perſequi. Ut autem eum invenire, repertumque citius poſſis agnoſcere, nomen ipſius Macharum, & loci in quo moratur Frigentium, ſubjungimus. Hoc etiam tibi præcipimus, ut junctus religioſo abbati montis Caſſini cunctiſque tuis coepiſcopis præfati hæretici cauſam diſcutias, diſcuſſamque diffinias. Inſuper ferrum, quod nos ſibi portare contradiximus, ulterius ferre interdicito, ne hac hypocriſi incautas mentes amplius decipiat. Petuniam vero, quam tanta fraude acquiſivit, noſtro præcepto ſibi auferas, pauperibuſque diſtribuas.

Macharius

LIBER OCTAVUS REGISTRI

GREGORII PAPÆ VII.

Anno dominicæ incarnationis milleſimo octuageſimo, pontificatus vero domini Gregorii anno ſeptimo, indictione tertia.

I. AD SYNNADENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Dolet quod audierit Armenorum eccleſiam a rectitudine catholicæ fidei in quibuſdam deviaſſe. Quod an ita ſit ab eo ſcire cupit: & quid ipſe de his & de omnibus ad fidem pertinentibus ſentiat ſibi per literas & nuntios vult ſignificari, & an quatuor concilia generalia recipiat. Monet ut credat quod catholica credit eccleſia: non deſiſtere a ſacrificando in eccleſia ſua azyma. Græcorum calumnias ſignificat, quibus etiam graviore injuria Romanam eccleſiam in hoc perſequuntur nihil facientem: quorum tamen fermentum nec reprobat nec vituperat. Hortatur ut extremi judicii diem præ oculis habeat. Deumque precatur, ut eum in concordi fidelium unitate cuſtodiat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei G..... dilecto in Chriſto fratri Synnadenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SUmmæ ſedis ſpecula, cui, Deo auctore, licet indigni præſidemus, ac univerſalis eccleſiæ ſolicitudo, quam ipſius diſponente providentia gerimus, compellit nos ſicut de illorum, qui ſe a Chriſti corpore ſeparant, perditione vehementer dolere, ita quoque de eorum, qui recta ſentiunt, & unitatem fidei ſervare noſcuntur ſalutari conſenſu, ineffabili lætitia congratulari. Proinde quoniam veſtram, ſcilicet Armenorum, eccleſiam a rectitudine fidei, quam ab apoſtolis & ſanctis patribus traditam univerſalis eccleſia tenet, in quaſdam pravas exorbitaſſe ſententias nobis relatum eſt, profecto nimium paterni affectus compaſſione doluimus. Quorumdam ſiquidem relatione didicimus in celebrandis ſacrificiorum ſalutiferis ſacramentis aquam vino penitus apud vos non admiſceri, cum nemo Chriſtianus, qui ſacra novit evangelia, dubitet e latere Domini aquam cum ſanguine emanaſſe. Audivimus etiam quod contra morem ſanctæ eccleſiæ veſtræ non ex balſamo ſanctum chriſma, ſed ex butyro, conficiat, & quod Dioſcorum Alexandrinum hæreſiarcham ob perfidiæ ſuæ duritiam in concilio Chalcedonenſi depoſitum atque damnatum veneretur & approbet. Hæc autem licet præſentium portitor tuus legatus ita eſſe coram nobis negaverit, tamen ex fraternitate tua ſcire firmius cupientes, volumus ut per hunc eumdem Joannem presbyterum, & de iſtis rebus quid ſentias, & de cæteris ſicubi hæſitas, ad nos procures cum ſigillo tuo reſcribere, ac deinceps dilectionis tuæ literas ad apoſtolicam ſedem frequenter dirigere. Volumus etiam caritatem tuam literis ſuis ſignificare, utrum veſtra recipiat quod eccleſia univerſalis amplectitur, fidem ſcilicet quatuor conciliorum, quæ a ſanctis patribus comprobata, a Romanis pontificibus Silveſtro, Leone, aliiſque, apoſtolica ſunt auctoritate firmata. Inter quos nihilo minus beatiſſimus Gregorius papa doctor egregius majoribus * eccleſiæ Alexandrinæ, Antiochenæ, aliiſque, in epiſtola ſua ſeſe eam tenere his verbis teſtatus eſt: Quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſicut ſancti evangelii quatuor libros, ſic quatuor concilia ſuſcipere & venerari me fateor, Nicænum ſcilicet, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur, Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur, Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorii impietas judicatur, Chalcedonenſe vero, in quo Eutychis Dioſcorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione cuſtodio quia in his velut in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit & cujuslibet vitæ atque actionis norma continet. Quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo epiſtola quæ Ibæ dicitur erroris plena reprobatur, Theodorus perſonam mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſtantiis ſeparans ad impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur, ſcripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, auſu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero quas præfata veneranda concilia perſonas reſpuunt reſpuo, quas venerantur amplector, quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere quos ligant, aut religare quos ſolvunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. His itaque ſanctiſſimi viri præcipuique doctoris verbis diligenter declaratis, prudentiam tuam caritatis affectu commonendam cenſuimus, ut elauſulam quam in illa laude ſubjungitis: Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis; iſtam videlicet: Qui crucifixus * eſt pro nobis: quoniam nulla orientalium, præter veſtram, ſed nec ſancta Romana habet eccleſia; vos totius ſcandali occaſionem pravique intellectus ſuſpicionem vitantes, ſuperaddere de cætero mittatis. Si enim vas electionis beatiſſimus Paulus de ſumendis cibis melius ſibi eſſe non manducare neque bibere, quam ut frater ſcandalizatur

ANNO CHRISTI 1080.

Sanctus Gregorius libro 1. epiſt. 24.

* Forte, confeſſio H ſic & in cod. Martin.

* Forte ex. H.

1. Cor. 8.

re-

retur, asserit, considerare debetis quam grave & periculosum sit, ubi saniori intellectu vitari potest, fratribus de fide scandalum generare. Quapropter fraternitas tua ecclesiæ cujus sibi cura commissa est tenendum putet, & credat, sufficere, quod catholica in orbem terrarum diffusa ecclesia Spiritu sancto illustrante edocta sentire cognoscitur, & tenere declaratur. De reliquo, quia cognovimus ecclesiam vestram azyma sacrificare, & ob hoc a Græcis dumtaxat imperitis quasi de hæresi reprehendi, volumus vos de temeraria garrulitate illorum multum mirari, sed nec ab instituto desistere: scientes eorum procacitatem non modo vobis hanc velut calumniam objicere, verum etiam de simili causa, graviori vero injuria, hucusque contra sanctam Romanam ecclesiam insurgere, quæ per beatum Petrum, quasi quodam privilegio, ab ipsis fidei primordiis a sanctis patribus omnium mater ecclesiarum adstruitur, & ita usque in finem semper habebitur; in qua nullus unquam hæreticus præfuisse dignoscitur, nec unquam præficiendum, præsertim Domino promittente, confidimus. Ait enim Dominus Jesus: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*. Et illi quidem suum fermentatum commendantes, reprehensionis in nos levissima verba contumaciter joculari non desinunt. Nos vero azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentatum nec vituperamus nec reprobamus, sequentes apostolum dicentem *mundis esto omnia munda*, sed ad detegendam & contemnendam Græcorum temeritatem nunc ista sufficiant. Dilectioni vero tuæ iterum inculcando mandamus, ut de suprascriptis, & de aliis quæ ad finem pertinere cernuntur, qualiter teneas per memoratum presbyterum, aut per alium idoneum nuntium tuas ad nos literas mittere studeas. Insuper etiam, licet solertiam tuam bene doctam credamus, ex debito tamen eam caritatis affectu paucis monemus, quasi districti examinis diem semper præ oculis habens, commissæ tibi solicitudinis sarcinam cogitet: & quantum illum sine dilatione celeriter approximare considerat, tanto de reddenda pecuniæ ratione propensius vigilare non negligat; quo severus fœnerator, idemque rigidus arbiter non de male infosso talento quid deputet pœnis, inveniat, sed de multiplicato lucro arridens vos ad fructum beatæ retributionis percipiendum invitet. Omnipotens Deus, cujus est quidquid recte sapimus, sentimus, & credimus, ipse mentem tuæ fraternitatis uberius illuminando per sani intellectus tramitem dirigat, & te in concordi fidelium unitate conservans ita gubernet atque custodiat, ut & subjectos tibi populos efficaciter de divina scientia possit instruere, & cum ipsis sempiternam gloriam ingredi, pro eis vero valeas præmia summa percipere. Data octavo Idus Junii.

ANNO CHRISTI 1080.

Luc. 22.

(1) *Juramentum Roberti Ducis.*

EGo Robertus, Dei gratia & sancti Petri, Apuliæ & Calabriæ & Siciliæ dux, ab hac hora & deinceps ero fidelis sanctæ Romanæ ecclesiæ, & apostolicæ sedi, & tibi domino meo Gregorio universali papæ. In consilio vel facto, unde vitam aut membrum perdas, vel captus sis mala captione non ero. Consilium quod mihi credideris, & contradixeris ne illud manifestem, non manifestabo ad tuum damnum me sciente. Sanctæ Romanæ ecclesiæ tibique adjutor ero ad tenendum, acquirendum, & defendendum regalia sancti Petri, ejusque possessiones pro meo posse contra omnes homines, excepta parte Firmanæ marchiæ, & Salerno, atque Amalphi, unde adhuc facta non est diffinitio, & adjuvabo te ut secure & honorifice teneas papatum Romanum. Terram sancti Petri, quam nunc tenes vel habiturus es, postquam scivero tuæ esse potestatis, nec invadere nec acquirere quæram, nec etiam deprædari præsumam absque tua tuorumque successorum, qui ad honorem sancti Petri ordinati fuerint, certa licentia, præter illam quam tu mihi concedes, vel tui concessuri sunt successores. Pensionem de terra sancti Petri, quam ego teneo, aut tenebo sicut statutum est, recta fide studebo, ut illam annualiter sancta Romana habeat ecclesia. Omnes quoque ecclesias, quæ in mea persistunt dominatione cum illarum possessionibus dimittam in tua potestate, & defensor ero illarum ad fidelitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ. Et si tu vel tui successores ante me ex hac vita migraveritis, secundum quod monitus fuero a melioribus cardinalibus, clericis Romanis & laicis, adjuvabo ut papa eligatur & ordinetur ad honorem sancti Petri. Hæc omnia suprascripta observabo sanctæ Romanæ ecclesiæ, & tibi cum recta fide, & hanc fidelitatem observabo tuis successoribus ad honorem sancti Petri ordinatis, qui mihi, si mea culpa non remanserit, firmaverint investituram a te mihi concessam. Actum Ciprani tertio Kalendas Julii.

ANNO CHRISTI 1080.

Investitura domini Gregorii papæ, qua Robertum ducem investivit.

EGo Gregorius papa investio te, Roberte dux, de terra, quam tibi concesserunt antecessores mei sanctæ memoriæ Nicolaus & Alexander. De illa autem terra quam injuste tenes, sicut est Salernus, & Amalphia, & pars marchiæ Firmanæ, nunc te patienter sustineo, in confidentia Dei omnipotentis, & tuæ bonitatis, ut tu postea exinde ab honorem Dei & sancti Petri ita te habeas, sicut & te agere & me suscipere decet sine periculo animæ tuæ & meæ. Actum ut supra.

Constitutio reddendi census in die resurrectionis domini, duodecim videlicet denariorum Papiensis monetæ, de tota Apulia, Calabria, & Sicilia.

EGo Robertus Dei gratia & sancti Petri, Apuliæ, & Calabriæ, & Siciliæ dux, ad confirmationem traditionis & ad recognitionem fidelitatis, de omni terra quam ego teneo proprie sub dominio meo, & quam adhuc nulli ultramontanorum ita concessi ut teneat, promitto me annualiter pro unoquoque jugo boum pensionem, duodecim scilicet denarios Papiensis monetæ, persoluturum beato Petro, & tibi domino meo Gregorio papæ, & omnibus successoribus tuis, aut successorum tuorum nuntiis. Hujus autem pensionariæ redditionis erit semper terminus finito quoque anno sanctæ resurrectionis dies dominicus. Sub hac vero conditione hujus persolvendæ pensionis obligo me & meos sive heredes sive successores tibi domino meo Gregorio papæ & successoribus tuis.

II. AD

(1) Hoc iuramentum ad an. 1077. pertinere, contendit Pagius ad an. Ch. 1080. n. 5.

ANNO CHRISTI 1080.

II. AD HUGONEM ABBATEM Cluniacenſem.

Perſtringit ſcelus Roberti monachi ſimoniaci, quem jubet ab abbate ſuo corrigi, & ab introitu eccleſiæ & omni eccleſiaſticô miniſterio ſeparari. Regem quoque illius fraude deceptum moneri vult, niſi reſipuerit, excommunicandum fore, & omnes fideles in partibus Hiſpaniæ fore ſolicitandos. Monet etiam abbatem curare, ut ſui monachi in Hiſpaniæ partibus diſperſi ad proprium monaſterium redeant: & nullam ibidem ordinationem vires habituram ſignificat, niſi quæ legati apoſtolici auctoritate fuerit comprobata.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hugoni venerabili Cluniacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUanta impietas a monaſterio veſtro per Roberti monachi veſtri præſumptionem exierit, ex literis Richardi legati noſtri, abbatis videlicet Maſſilienſis potes cognoſcere. Qui nimirum Robertus Simonis magi imitator factus, quanta potuit malignitatis aſtutia adverſus beati Petri auctoritatem non timuit inſurgere, & centum millia hominum, qui laboris noſtri diligentia ad viam veritatis redire cœperant, per ſuggeſtionem ſuam in priſtinum errorem reducere. Cujus iniquitati non ſolum te conſenſiſſe non credimus, verum etiam pro immanitate ſceleris nobiſcum triſtari, & ad exercendam debitam ultionem animum habere intelligimus, præſertim cum fidei noſtræ antiquum præbeas experimentum, de honore ſanctæ Romanæ eccleſiæ idem nobiſcum ſentire, & ad executionem juſtitiæ, quæ frigeſcente caritate jam pene terris exciſſit, libertatem rectitudinis retervaſſe. Ab hac utique animi concepta certitudine nullus rumor, nulla ſuggeſtio, poterit nos divellere: ſed neque illi, qui de multis adverſum vos negotiis murmurant, ante tempus fraternæ collocutionis ad ſuſpicandum aliud poterunt nobis ſcandalum generare. Nam, ut de aliis taceamus, pene omnes qui nobiſcum ſunt fratres, niſi freno rationis noſtræ retinerentur, amorem ab eis loco veſtro exhibitum in gravem inimicitiam convertiſſent. Quapropter, ſalutem veſtram ſicut noſtram diligentes, monemus ut ſubditos veſtros corrigentes, hujuſmodi murmurationis occaſionem religionem veſtram diligentibus nobis non præbeatis. Specialiter autem admonemus ut Robertum illum, qui ſupradictæ iniquitatis auctor extitit, qui diabolica ſuggeſtione Hiſpanienſi eccleſiæ tantum periculum invexit, ab introitu eccleſiæ, & ab omni miniſterio rerum veſtrarum, ſeparetis, donec ad vos redeat, & temeritatis ſuæ dignam ultionem ſuſcipiat. Regem quoque illius fraude deceptum diligenter literis tuis intelligere facias, beati Petri iram & indignationem, atque, ſi non reſipuerit, graviſſimam adverſum ſe & regnum ſuum ultionem provocaſſe, quod legatum Romanæ eccleſiæ indecenter tractavit, & falſitati potius quam veritati credidit. De quibus digne Deo & beato Petro ſatisfacturus, ſicut legatum noſtrum dehonestavit, ita ſe ſibi per debitam humilitatem & condignam reverentiam commendabilem faciat ac devotum. Significare etiam te ſibi dignum ducimus, nos eum, ſi culpam ſuam non correxerit, eſſe excommunicaturos, & quotquot ſunt in partibus Hiſpaniæ fideles ſancti Petri ad confuſionem ſuam ſolicitaturos. Qui ſi minus præceptioni noſtræ obedirent, non gravem exiſtimaremus laborem nos ad Hiſpaniam proficiſci, & adverſum eum quemadmodum Chriſtianæ religionis inimicum dura & aſpera moliri. Tui etiam ſtudii ſit, ut monachi in eiſdem partibus injuſte diſperſi ad proprium redeant monaſterium & nulla ibidem ordinatio vires obtineat, niſi quæ legati noſtri fuerit auctoritate probata. Volumus etiam, ut alteram epiſtolam noſtram regi prædicto deferri præcipias. Data * Ciprani quinto Kalendas Julii, indictione tertia.

ANNO CHRISTI 1080.

* Caſperani, *ed. Mar.* Coperani

III. AD ALPHONSUM CASTELLÆ Regem.

Monet ut remotis malis conſiliariis, legati apoſtolici ſalutaribus monitis acquieſcens, de emendatione ſua ſe & Dei eccleſiam lætificet. Illicitum connubium cum uxoris ſuæ conſanguinea initum reſpuat, & ne ſe ab inceſtæ mulieris amore abripi ſinat. Robertum monachum ſeductorem ac regni perturbatorem debitas temeritatis ac ſceleris pœnas daturum ſignificat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo in Chriſto filio regi Adelphonſo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DIci non poteſt, fili cariſſime, quantum nos referente filio noſtro apoſtolicæ ſedis legato Richardo, nobis cognita præclara tua obedientia lætificaverat. Tu enim coram Deo ſemper in viſceribus noſtris eras, tu apud homines maximum nobis exemplum egregiæ virtutis eras, de te apud alios reges gloriabamur, te vere Chriſtianum regem, & ideo vere regem nos habere in parte Domini Jeſu contra membra diaboli gaudebamus. Unde & bona tua fragrantia multas jam regiones aſperſerat, & velut Sol quidam in occiduis natus orientem verſus cæleſtis luminis radios emittebat. At nunc comperto quod diabolus tuæ ſaluti, & omnium qui per te ſalvandi erant, more ſuo invidens, per membrum ſuum quemdam Robertum pſeudomonachum, & per antiquam adjutricem ſuam perditam feminam, viriles animos tuos a recto itinere deturbavit, quantum de te primo fueramus gaviſi, tantum nunc confundimur, erubeſcimus, contriſtamur. Quapropter ut cognoſcas quantum circa te pie ſolliciti ſumus, per bonitatem & gloriam Chriſti te paterna voce monemus & conteſtamur, remove a te quantocius conſiliarios falſitatis; *corrumpunt* 1. Cor. 15. quippe *mores bonos colloquia prava*. Acquieſce autem per omnia legato noſtro fratri Richardo; quem niſi prudentem & religioſum cognoviſſem, noſtras ei vices nullatenus commiſiſſem. Non te a ſalutaribus monitis atque inſtitutis noſtris inceſtæ mulieris amor abripiat, quia *mulieres apo-* Eccleſ. 19. *ſtatare faciunt ſapientes*. Ipſum quippe regem ſapientiſſimum Salomonem inceſtus mulierum turpiter amor dejecit, & florentiſſimum regnum Iſrael Dei judicio pene totum de manu poſteritatis ejus abripuit. Proinde per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per potentiam adventus ejus, nec non & ex auctoritate beatiſſimorum apoſtolorum Petri & Pauli, iterum monemus, atque præcipimus, ne teipſum deſpicias, ne in gloria tua maculam ponas, ne poſteritatem carnis tuæ inutilem & reprobam facias. Vires reſume: illicitum connubium, quod cum uxoris tuæ conſanguinea iniſti, penitus reſpue. De tua emenda-

ANNO CHRISTI 1080.

datione nos & totam ecclesiam Dei cito lætifica, ne, si inobediens (quod avertat Deus) esse malueris, iram Dei omnipotentis incurras, & nos (quod valde inviti dolentesque dicimus) beati Petri gladium super te evaginare cogamur. Prædictum sane nefandissimum Robertum monachum seductorem tui & perturbatorem regni, ab introitu ecclesiæ separatum, intra claustra monasterii Cluniacensis in pœnitentiam retrudi decernimus. Sed abbas Cluniacensis nos imitando id faciet: eadem enim via, eodem sensu, eodem spiritu ambulamus. Deus autem omnipotens nos de tua correctione cito exhilarare dignetur, fili carissime.

IV. AD RICHARDUM.

Consolatur eum de hostium persecutionibus. Adpatientiam hortatur, promittens se interim curaturum ut Robertus pseudomonachus sui sceleris pœnas luat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Richardo carissimo filio, salutem & apostolicam benedictionem.

QUia missis literis significasti nobis antiquum hostem opus tuum ad utilitatem Christianam ex parte directum per membra sua non præter solitum impedisse, ac per hoc fraternitatem tuam tristitiam nimiam incurrisse, nos quoque tibi merito compatientes, eodem tecum afficimur mœrore. Sed cum memoriæ reducitur quanta & qualia apostoli, successores etiam eorum, in ædificatione fundamenti ecclesiæ partim a paganis partim a falsis Christianis sint passi, de misericordia Domini confisi resumimus vires, victoriæ triumphum plenissima fiducia de eodem hoste procul dubio, ut nostri priores, expectantes. Patientia atque perseverantia imprælientiarum religioni tuæ omnino sunt necessariæ, scienti dictum ab apostolo non coronari nisi qui legitime certaverit, debita præmissa exhortatione: nos tamen studio tuo in nullo deerimus, Cluniacensi abbati mittendo querelæ tuæ literas una cum nostris, quatenus Robertum pseudomonachum quamcitius ad monasterium redire compellat, eumdem ab ingressu ecclesiæ coerceat, & tam gravis pœnitentiæ squalore diutino afficiat, quod in pravo contra te, immo contra Deum, commisso opere, mulctationem sentiat pœnitentiæ.

V. AD EPISCOPOS APULIÆ & Calabriæ.

Queritur de quorumdam episcoporum præsumptione contra Romanam ecclesiam: quos tamen, ut alios simules, tum Alexandri papæ cum suo tempore, confusos remansisse narrat: sed postea obdurato corde, qui ad sensum redire debuerant, denuo adversus eamdem conspiratse, & Ravennatem episcopum hæresiarcham constituisse. Quare sperans eorum superbiam præceps ruituram, & quietem sanctæ ecclesiæ confusis hostibus dilatandam fore, hortatur eos ut laboranti ecclesiæ orationibus succurrant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo fratribus & coepiscopis per Principatum, & Apuliam, & Calabriam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

FRaternitatem vestram credimus non latere; quod plures satanæ discipuli, qui falso nomine per diversas regiones censentur episcopi, diabolica inflammati superbia, sanctam Romanam ecclesiam conati sunt confundere; sed per auxilium omnipotentis Dei, & auctoritatem beati Petri, iniqua eorum præsumptio, sicut eis verecundiam & confusionem, ita apostolicæ sedi gloriam contulit & exaltationem. Siquidem a minimo usque ad maximum, * videlicet H... qui vertex * regem, qui vertex & auctor pestiferi consilii fuisse probatur, per plurima corporum & animarum pericula persensit, quantas beati Petri auctoritas ad ulciscendam eorum iniquitatem vires obtineat. Scitis enim quia tempore domini nostri papæ * A.... quod idem * H..... injuriæ ecclesiæ beati Petri per * Cadulum inferre excogitaverit, & in quantam quamque turpissimam, mundo teste, confusionis foveam cum eodem Cadulo cadere meruit, & quanto honore quantisque triumphis in exercitatione illius certaminis * R. P. nostra profecerit. Scitis etiam quam detestandis conspirationibus ante annos tres, præcipue Longobardorum episcopi se adversum nes eodem H..... principante armaverunt, & quod per defensionem beati Petri illæsi & incolumes non sine magna nostra nostrumque fidelium honoris exaltatione remansimus. Illis vero priorem arbitrantibus non sufficere sibi confusionem, a planta pedis usque ad verticem apostolicæ ultionis quantum * ferierit gladius, adhuc plaga incurabilis præstat indicium. Sed in his omnibus obduratas meretricum more frontes gerentes, & impudentia sua iram sibi justi judicii thesaurizantes, qui respectu contumeliæ suæ ad sensum redire debuerant, patrem suum secuti, qui dixit: *Ponam sedem meam ab Aquilone, & ero similis altissimo*: pristinam conspirationem adversus Dominum & sanctam universalem ecclesiam conati sunt innovare, & hominem sacrilegum, & sanctæ Romanæ ecclesiæ perjurum, nec non per universum * R... orbem nefandissimis sceleribus denoratum * W..., dicimus sanctæ Ravennatis ecclesiæ devastatorem, antichristum sibi & hæresiarcham constituere. In quo nimirum satanæ conventu illi interfuere quorum est vita detestabilis, & ordinatio hæretica immensitate multimodi criminis. Siquidem ad hanc insaniam illa demum eos desperatio traxit, quod neque precibus, neque servitiorum aut munerum promissionibus, scelerum suorum veniam apud nos maluerit impetrare, nisi forte vellent judicio ecclesiastico nostræque censuræ se, mediante misericordia, sicut decet officium nostrum, submittere. Hos itaque nullis rationibus fultos, immo omnium criminum conscientia perditissimos, tanto magis vilipendimus, quanto ipsi se altiora conscendisse confidunt. Per misericordiam quippe Dei, & orationem beati Petri, quæ Simonem magum, eorum utique magistrum, ad altiora tendentem mirabiliter dejecit, speramus ruinam eorum non diu remoraturam, & quietem sanctæ ecclesiæ, victis & confusis hostibus suis, more solito gloriosissime dilatandam. Vos itaque, dilectissimi fratres, innocentiam communis matris vestræ sanctæ Romanæ ecclesiæ perpendentes, & quantum diabolus membra sua ad inferendam prætatæ Romanæ ecclesiæ inquietudinem exerceat, considerantes sicut decet, & officii vestri debitum exigit, orationibus aliisque modis, quibus laboranti matri succurrendum est, operam studiumque impendite: quatenus appareat vos legitimos ejus filios esse, ipsiusque contumeliam, partita nobiscum laboris diligentia, ex corde sentire. Quod si fueritis socii compassionis, eritis, auxi-

* scilicet Henricum regem. H.
* Porte, regem. H.
* Alexandri
* Henricus
* Qui alibi Cadulum H. Cadulum.
* Reverenda Paternitas Hoc est, republica. H.
* ferverit. H.
Isaiæ 14.
* Hoc est, Romanum H.
* Hoc est, Fabricem. H. Gibertum.

auxiliante Deo, lætitiæ participes & conſolatio-
ANNO CHRISTI 1080. nis. Cætera quæ non inſeruimus, legatis noſtris, quibus ſicut nobis credere poteſtis, referenda commiſimus. Data Cicani duodecimo Kalendas Auguſti.

VI. AD EOSDEM.

Ut Michaeli imperatori Conſtantipolitano ab imperatoria dignitate injuſte ejecto, & apoſtolicæ ſedis ac Roberti ducis auxilium imploranti, ſubveniant. Præcipit militibus qui apud eum militare voluerint, ut ei fideliter inſerviant: mandatque epiſcopis, ut eos milites moneant, ut rectam fidem erga eum ſervent, timorem & amorem Dei præ oculis habeant, & in bonis operibus perſeverent, ſicque illos a peccatis abſolvant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratribus & coepiſcopis in Apulia & Calabria commorantibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum eſſe prudentiæ veſtræ non dubitamus, glorioſiſſimum imperatorem Conſtantinopolitanum, Michaelem * videlicet, ab imperialis excellentiæ culmine indigne potius & malitioſe, quam juſte aut rationabiliter, eſſe dejectum, qui auxilium beati Petri, necnon filii noſtri glorioſiſſimi ducis Roberti flagitaturus Italiam petiit. Quapropter nos, licet indigni, ſedis ipſius curam gerentes, compaſſionis viſceribus moti, precibus illius, nec non ejuſdem ducis annuendum eſſe cenſuimus, & a fidelibus beati Petri ſubveniendum ſibi fore putavimus. Igitur quia inter cetera multimoda ſuffragia, iſtud non minus profuturum memorati principes exiſtimant, ſcilicet ut milites auxiliatores, recta fide, non diſſimilibus animis ire conſtanter in adjutorium & defenſionem prætati imperatoris debeant, apoſtolica auctoritate præcipimus; quatenus illi qui militiam ipſius intrare ſtatuerint, in contrariam partem proditoria tergiverſatione tranſire non audeant, verum (quod Chriſtianæ religionis honor & debitum poſtulat) ei præſidium fideliter impendat. Dilectioni quoque veſtræ nihilo minus præcipiendo mandamus, ut eos qui cum eodem duce & prædicto imperatore tranſfretaturi ſunt, diligentiſſime (ut veſtrum officium exigit) moneatis condignam pœnitentiam agere, & rectam fidem (ſicut decet Chriſtianos) circa illos ſervare; in omnibus actibus ſuis timorem Dei & amorem præ oculis habere, & in bonis operibus perſeverare, ſicque illos fulti noſtra auctoritate, immo beati Petri poteſtate, a peccatis abſolvite. Data octavo Kalendas Auguſti

* Ducem intelligit qui Paraplanacius dicebatur & purpuram ſolverat, die 4 Aprilis anni 1078.

VII. AD UNIVERSOS FIDELES.

Multorum principum auxilium promiſſum ſibi præſto eſſe ſignificans, ſe Ravennam armata manu venturum ait, ut eam eccleſiam de manibus impiorum eripiat. Quare hortatur ut eorum impiorum ſuperbiam & conatus una ſecum contemnant: unde ſanctæ eccleſiæ pacem divina clementia ſtabiliendam fore ſperent.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratribus & coepiſcopis Chriſtianam religionem defendentibus, cæteriſque clericalis ac laicalis ordinis Sancti Petri fidelibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum ſit dilectioni veſtræ, nos tam per noſipſos, quam & per legatos noſtros cum duice * R... & Jordane, cæteriſque potentioribus Normannorum principibus fuiſſe locutos, qui profecto unaniniter promittunt ſe (ſicut jurati ſunt) ad defenſionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ noſtriſque honoris contra omnes mortales auxilium impenſuros. Idipſum quoque nobis, & qui circa Urbem longe lateque ſunt, & in Tuſcia cæteriſque regionibus, principes firmiter pollicentur. Unde poſt Kalendas Septembris, poſtquam tempus frigeſcere cœperit, cupientes * ſanctam Ravennatem eccleſiam de manibus impiis eripere, & patri ſuo beato Petro reſtituere, partes illas armata manu (ſicut de Domino ſperamus) petemus, ac per ipſius auxilium nos eam liberaturos haud dubie credimus. Quapropter nos audaciam impiorum, eorumque qui nos, immo in beatum Petrum, ſe erexerunt, machinationes pro nihilo ducentes, volumus atque hortamur vos ſuperbiam conatuſque illorum æque nobiſcum contemnere, tanto de ruina eorum certiores, quanto eos ad altiora niti aſcendere cernitis. Talibus namque Propheta imprecans ait: *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*; aperte declarans quia audax impietas eo magis caſui vicinior extat, quo amplius ſe aſcendiſſe exiſtimat. Vos ergo qui Deum timetis, & beati Petri fidelitatem tenetis, de miſericordia Domini nullatenus hæſitantes prorſus ſperate, & nefandorum perturbationem merita ruina cito ſedandam, & ſanctæ eccleſiæ pacem & ſecuritatem (ſicut de divina clementia confidentes promittimus) proxime ſtabiliendam.

ANNO CHRISTI 1080. * Roberto

* S. R.

VIII. AD ALPHANUM EPISCOPUM Salernitanum.

Gratulatu. de beati Matthæi apoſtoli corporis inventione. Hortatur epiſcopum, ut reliquias debita veneratione proſequatur, ac moneat ducem R. . . . & ejus conjugem, ut tam inſigni patrono reverentiam & honorem decenter exhibeant, & ejus opem promereri contendant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratri & coepiſcopo Salernitano Alphano ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DIvinæ pietatis reſpectui gratias ingentes referimus, cujus dignatio theſaurum magnum totique mundo profuturum noſtris temporibus miſericorditer revelavit. Non immerito tuæ quoque dilectioni gratulamur, quæ tantæ lætitiæ cælitus revera oſtenſæ participes nos efficere ſolicite procuravit. Credimus ſiquidem & incunctanter aſſerimus de tanti corporis inventione, non ſolum ipſum beatum Matthæum apoſtolum, verum etiam cæteros coapoſtolos, cum ſanctis omnibus, ipſiſque cæleſtibus ſpiritibus, & glorioſa Dei genitrice Maria, mortalibus congaudere, atque ipſorum omnium ſtudia circa humanum genus hoc tempore quam aliis multo propenſiora multumque eſſe * uberantiora. Si enim cæteris temporibus ſanctorum nos patrocinia pia non deſerunt, certiſſime tunc potiſſimum ſperanda ſunt eorum auxilia, cum ſanctiſſima eorum corpora nobis quaſi rediviva divino nutu manifeſtantur: & ſicut per corporei aſpectus intuitum tamquam fides cernitur, ſpes jam tenetur, ita eorum beneficia tunc erga devotos renovari uberiuſque redundare credendum eſt. Unde & jam ſancta univerſalis eccleſia dudum magnis turbinibus variiſque tempeſtatum procellis impulſa, clamorem ſuum a Domino exauditum non dubitet, ſed ad quieti litoris ſecuritatem alacres oculos e vicino in-

* *f.* exuberantiora, *pro* uberantiora, *ut in cod. Mutin.*

en-

tendens, beati Matthæi apoſtoli præſidium juxta A
ANNO CHRISTI 1080. contempletur: quoniam jam nunc dubie agit in portu, cui ſuam præſentiam oſtendit gubernator antiquus. Quapropter de tanti theſauri revelatione tua fraternitas exultet in Domino, beatiſſimas reliquias debitæ venerationis obſequiis dignis amplectens, glorioſum ducem R.... ipſiuſque nobiliſſimam conjugem hortetur, & moneat, quatenus tam inſigni patrono, qui te eis demonſtrare dignatus eſt, reverentiam & honorem decenter exhibentes, ipſius gratiam & auxilium ſibi tuiſque promereri niſibus ſummæ devotionis contendant. Data Romæ decimoquarto Kalendas Octobris.

IX. AD GERMANOS.

B

Calamitatum eccleſiæ cauſam peccatis adſcribit; ſed patientia & ſpe opus eſſe oſtendit. Hortatur itaque primum ſacerdotes, ut ſubditorum actiones corrigant, deinde cæteros omnes, ut fiduciam in Domino conſtituant: ſperat tamen nonnullos ad gremium matris eccleſiæ converſum iri.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, diverſique ordinis ac poteſtatis clericis & laicis in Teutonico regno morantibus, illis duntaxat qui ſanctæ Romanæ eccleſiæ fideliter obediunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Jab 1. QUoniam nihil in terra ſine cauſa fit, ſicut C ſapientis verba teſtantur, quod dudum ſancta eccleſia fluctuum procellarumque mole concutitur, quodque tyrannicæ percuſſionis hactenus rabiem patitur, non niſi peccatis noſtris exigentibus evenire credendum eſt. Nam judicia quidem Dei veriſſimę omnia juſta ſunt: ſed inter hæc omnia, cariſſimi, diſpoſitionis divinæ patientiæ virtus habenda eſt, & ſpei certitudo ad cæleſtis miſericordiæ reſpectu firmiter eſt extendenda: cujus manus nec ad exaltandam fidelium humilitatem imbecillis, nec ad dejiciendam hoſtilis elationis ſuperbiam invenitur invalida. Quod ſi culparum morbis pœnitentiæ medicamen adhibuerimus, & exceſſus ac negligentias noſtras ipſi diſtricte corrigendo ad juſtitiæ formam mores noſtros inſtituerimus, profecto, ſuperna virtute auxiliante, & inimicorum rabies cito peribit, & diu deſideratam pacem atque ſecuritatem eccleſia ſancta recipiet. Quare vobis ſpecialiter, qui in ſacerdotalis regiminis apice præſidetis, nunc loquimur, ad quorum ſolicitudinem ſubditorum vita pertinere dinoſcitur, & quos de commiſſi gregis cura in venturo examine rationem reddere convenit, ut ſubjectorum actus & converſationem, nulla gratia vel timore præpediente, diligenter inſpiciatis, & diſcretæ correctionis acie quæ amputanda ſunt reſecare, ſecundum quod a matre veſtra ſancta Romana eccleſia accepiſtis, non negligatis; illud propheticum in memoria Pſal 4. ſemper habentes: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*, B *& ſperate in Domino*. De cætero dilectionem omnium veſtrum monemus atque hortamur, fiduciam veſtram in Domino & in potentia virtutis ejus conſtituite: quoniam fini appropinquavit adverſariorum malitia, ita ut qui deſperantes in Dominum & ſanctam Romanam omnium matrem eccleſiam ſe extulerunt, temeritatis pœnas, haud multum tardante merita ruina, perſolvant. Nonnulli tamen, quod de cunctis optaremus, per miſericordiam Dei de errore ſuo & iniquitatis via pœnitentes ad gremium matris converturtur eccleſiæ. Data x. Kal. Octobris.

X. AD ORZOCCUM JUDICEM Calaritanum.

ANNO CHRISTI 1080.

Devotionem ejus erga beatum Petrum in honore præſtito legato apoſtolico agnoſcens, monet ut quæ ab ipſo legato audivit memoria teneat: neve moleſte ferat, quod quemdam archiepiſcopum barbam radere coegit; ſed ipſum ut paſtorem ſuſcipiens, de ejus conſilio omnem poteſtatis ſuæ clerum barbam radere compellat. Se noluit ait aſſenſum iis dare qui terram ipſius invadendi facultatem ſibi concedi petierunt, neque daturum, ſi fidem ſervare voluerit: immo ſi quis id attentaverit, a ſe prohibitum iri, eumque beati Petri auxilium, ſi in ejus fidelitate permanſerit, habiturum.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei glorioſo judici Calaritano * Orzocco, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Forte ex libro Gregorii ut lib. 1. ep. 42. H.

GRatias omnipotenti Deo referimus, quod tua ſublimitas beatum Petrum recognoſcens, debitum honorem & reverentiam legato noſtro Populonienſi epiſcopo Vu.... exhibuit: ac proinde ita devotionem tuam in illo ſuſcipimus, quaſi nobis, immo beato Petro præſtiteris, dicente Domino: *Qui vos recipit, me recipit*. Dilectionem Matth. 10 ergo tuam monemus, ut ea quæ a præfato legato noſtro atque Azone prudenti viro audiviſti, alta memoria ſemper retineas, ſi tui memoriam in nobis ante Dominum jugiter eſſe deſideras. Nos enim memorati epiſcopi hortatu & precibus, qui ſe a te reverenter ſuſceptum honorificeque tractatum teſtatur, apud illum, cujus vice licet indigni fungimur, te in mente ſpecialiter deinceps habere optamus. Nolumus autem prudentiam tuam moleſte accipere, quod archiepiſcopum veſtrum Jacobum conſuetudini ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris omnium eccleſiarum, veſtræque ſpecialiter obedire coegimus; ſcilicet ut quemadmodum totius occidentalis eccleſiæ clerus ab ipſis fidei Chriſtianæ primordiis barbam radendi morem tenuit, ita & ipſe frater noſter veſter archiepiſcopus raderet. Unde eminentiæ D quoque tuæ præcipimus, ut ipſum ceu paſtorem & ſpiritualem patrem ſuſcipiens & auſcultans, cum conſilio ejus omnem tuæ poteſtatis clerum barbas radere facias atque compellas: res quoque omnino renuentium, niſi demum conſenſerint, publices, id eſt juri Calaritanæ eccleſiæ tradas, & ne ulterius inde ſe intromittant conſtringas, nec non ipſum ad honorem eccleſiarum defendendum promptiſſime adjuves. Præterea nolumus ſcientiam tuam latere, nobis terram veſtram a multis gentibus eſſe petitam, maxima ſervitia ſi eam permitteremus invadi, fuiſſe promiſſa; ita ut medietatem totius terræ noſtro uſui vellent relinquere, partemque alteram ad fidelitatem noſtram ſibi habere. Cumque hoc non ſolum a Nortmannis & a Tuſcis ac Longobardis, ſed etiam a quibuſdam ultramontanis crebro ex nobis eſſet poſtulatum, nemini in ea re unquam aſſenſum dare decrevimus, donec ad vos legatum noſtrum mittentes animum veſtrum deprehenderemus. Igitur quia devotionem beato Petro te habere in legato ſuo monſtraſti, ſi eam, ſicut oportet, ſervare volueris, non ſolum per nos nulli terram veſtram vi ingrediendi licentia dabitur, ſed etiam, ſi quis attentaverit, & ſæculariter & ſpiritualiter prohibebitur a nobis ac repulſabitur. Auxilium denique B. Petri, ſi in ipſius fidelitate

perſeveraveritis, procul dubio quod non deerit vobis, & hic & in futurum promittimus. Data tertio Nonas Octobris. ANNO CHRISTI 1080.

XI. AD REGEM SVECIÆ.

Gaudet quoſdam ſacri verbi miniſtros illius terram ingreſſos, ſeque de ejus ſalute ſpem magnam habere aſſerit, cum Gallicana eccleſia de theſauris ſanctæ matris Romanæ eccleſiæ acceperit. Atque ut is uberiorem religionis gratiam aſſequatur, vult ſibi ab eo aliquem mitti, qui gentis illius mores ſibi recenſeat, & mandata apoſtolica ad eum referat. Interim commiſſum ſibi regnum in juſtitia regat,

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei I.... glorioſo Suetoorum ** Suconum regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

QUoniam regni tui terram quoſdam ſacri verbi miniſtros fuiſſe ingreſſos audivimus, noverit excellentia tua nos in domino multum lætari. Deinceps quoque de ſalutis veſtræ reparatione plurimum ſpei indubitanter habere, Gallicana ſiquidem eccleſia non vos alienis documentis inſtruxit, ſed quod de theſauris matris ſuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ accepit ſalubri vobis eruditione contradidit. Quapropter, ut Chriſtianæ religionis & doctrinæ gratiam obtineatis uberiorem, volumus celſitudinem tuam aliquem epiſcopum, vel idoneum clericum, ad apoſtolicam ſedem dirigere, qui & terræ veſtræ habitudines gentiſque mores nobis ſuggerere, & apoſtolica mandata de cunctis pleniter inſtructus ad vos certius queat referre. Interim vero monemus, ut prudentia tua commiſſum ſibi regnum in concordiæ juſtitiæque cuſtodia dirigat atque diſponat, ac ita circa ſubjectos pacis jura & æquitatis diſtrictionem ſervare inter cætera virtutum ſtudia ſatagat, quatenus per temporalis regiminis ſolicitudinem mereatur æterni percipere ſecuritatem, & cum juſtis vocem totius jucunditatis plenam in extremo examine digne poſſit audire: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod* Matth. 25. *vobis paratum eſt ab origine mundi.* Data quarto Nonas Octobris.

XII. AD FIRMANOS, RAVENNATES, & Tuſcos.

Queritur Ravennatem eccleſiam ab ejus ſacrilego archiepiſcopo devaſtatam: quo in Romana ſynodo excommunicato ac depoſito, ipſam eccleſiam in priſtinum ſtatum reducere, eique de idonea perſona providere cupiens, præcipit ut ſibi in ea re unanimes ſint adjumento.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis, abbatibus, clericis, atque laicis in marchia Firmana, Tuſcana, & in exarchatu Ravennati conſtitutis, qui ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſicut Chriſtianos oportet obediunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PRudentiæ veſtræ notum eſſe non dubitamus, quanto religionis cultu ſancta Ravennas eccleſia pollere, quantiſque rerum neceſſariarum copiis ſolita ſit præteritis annis affluere, quodque magis illius intereſt, quam ſpeciali dilectione matri ſuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ ab ipſo fidei Chriſtianæ principio ſemper adhæſerit. Cujus antiquum decus in ſpiritualibus & ſeculari-

bus profecto cum reminiſcimur, non ſine gravi mœrore eam in tanta devaſtatione laborantem nunc cernimus, & ut apertius intelligatis, certe perſuaſorem deſtructoremque ipſius Vu..... dictum archiepiſcopum ita religionem ejus diſperdidiſſe, & bona dilapidaſſe, non minori fere dolore ſuſtinuimus, quam ſi idem ſanctæ Romanæ eccleſiæ pro audacia ſua feciſſet. Verum cum cætera facta illius perpenduntur, hæc non tantopere miranda videntur. Quippe qui perjurium de inobedientia & infidelitate committere non timuit, quique contra ipſam apoſtolicam ſedem, cui perjeraverat, conſpirare pro minimo habuit, eamque invadere cogitans, eodem modo diſſipare vehementiſſime cupiit, homo ſuperbiſſimus, neſandorum ſcelerum ſibi conſcius; cui mirum debet videri, ſi adepta poteſtate, ubi licuit ita ſe habuit? Sed illius facinora commemorare ſuperſedeo, quæ per totum fere Romanum orbem ſe prodiderunt, pro quibus ipſe in ſancta ſynodo Romæ celebrata omnium epiſcoporum qui aderant conſona ſententia, jam ex triennio gladio anathematis ſine ſpe recuperationis percuſſus eſt; ea non præterierunt notitiam veſtram. Præfatam igitur Ravennatem eccleſiam de manibus violentis eripere, & ad priſtinum ſtatum pro officio quod licet indigni gerimus redigere cupientes, talem perſonam eligendam atque in ea præficiendam fore ſentiimus, cujus religio nec non prudentia, Deo favente, & interius lumen in ea ſanctitatis reformare, & exteriorum rerum damna norit ſtudeatque reficere. Quamobrem nos in hujus noſtræ neceſſariæ diſpoſitionis effectu veſtro plurimum egentes auxilio, invitamus, rogamus, atque apoſtolica auctoritate vobis præcipimus, ut in reſtauratione illius antiquitus ſanctæ eccleſiæ omnes unanimiter conſenſum & pro poſſe adjutorium tribuentes, eam de ſervili oppreſſione, immo tyrannica ſervitute, eripere & priſcæ libertati reſtituere nobiſcum procuretis, ac in reperiendo idoneam illi regimini perſonam ſummopere laborantes invigiletis. Quicumque enim in hac re ſtudium devotionis impenderint, non dubie credimus eos & apoſtolicam gratiam promerituros, & apud divinam clementiam patronum ſibi Beatum Apollinarem, ſi in bonis perſeveraverint, certiſſime acquiſituros. Data Idibus Octobris.

ANNO CHRISTI 1080.

XIII. AD RAVENNATES.

Ejuſdem argumenti.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus clericis & laicis Ravennæ morantibus, qui beatum * Petrum apoſtolum diligunt, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſicut Chriſtianos oportet, obedient, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* beatum Apollinarem

CRedimus non latere veſtram ſcientiam, Ravennatem eccleſiam ſedi apoſtolicæ præ cæteris vicinius hærere ſolitam fuiſſe, eamque ſpecialiter ab ipſa dilectam, quidquid dignitatis & honoris antiquitus per beatum * A.... tenuit, munere ſcilicet præfatæ ſedis conceſſum habuiſſe. Poſtquam vero ſuperbiæ auctor & diſcordiæ ſeminator diabolus per membra ſua eamdem eccleſiam contumacia intervenlente a Romana diviſit, quæ damna, quæ detrimenta non modo religionis, ſed etiam bonorum ſuorum veſtra pertulit, maximeque per tyrannidem * Vu.... dicti archiepiſcopi, quantam in utraque re deſtructionem perpeſſa ſit, ſatis voſipſi noviſtis. Et hujus

* Apollinarem. H. ſi & in cod. Martin.

* Vuibert. R. & in cod. Martin.

ANNO CHRISTI 1080. Habita in Synodo Rom. II.

jus quidem tanto vesaniorem dilacerationis morsum sustinuit, quanto eum desperatiorem impuA rior conscientia retrorsum abire subegit. Denique sceleratus, sacrilegus, atque perjurus, postquam hujusmodi nefaria in universali synodo, cunctis qui aderant episcopis consentientibus atque laudantibus, digna suis moribus damnationis animadversione mulctatus est, non confestim resipiscens ad sani cordis consilium rediit, sed patrem suum diabolum imitans, sibique iram in die iræ thesaurizans, quidquid gravius cogitare, quidquid superbissimum potuit audere, molitus est. Et quia se unam ex nobilissimis ecclesiam vestram ex maxima parte destruxisse parum existimabat, sanctam Romanam sedem, sicut omnes aperte norunt, invadere, secumque eam in ruiB nam & præcipitium trahere est meditatus. Proinde quoniam nos pro eminentia loci, cui, Deo auctore, quamvis indigni præsidemus, cum solicitudinem nostram monemur universis extendere, tum circa quodammodo nobis conjunctiores diligentius compellimur invigilare, ecclesiæ vestræ devastationem non aienam putantes, sed quasi nostræ, cujus specialis filia est, condolentes, cum consilio atque auxilio omnium vestrum qui Deum timetis volumus & desideramus ad antiquum specimen & religionis statum, in quantum domino largiente poterimus, eam reducere. Igitur illo putrido membro gladio excommunicationis exciso, atque ita ut inter sacerdotes etiam in æternum non debeat connumerari depositoC dilectionem vestram monemus, ac pro salute vestra rogamus, ut toto affectu mentisque intentione talem personam una cum confratribus nostris episcopis & archidiacono, cæterisque diaconis, quos propterea ad vos nostra vice direximus, studeatis eligere, quæ tanto honori, scilicet vestri archiepiscopatus regimini, secundum Deum videatur competere. Non ulterius ecclesiam vestram ancillari servitute opprimi ab impiis manibus patiamini, sed sicut boni filii eam nobiscum in maternam, hoc est Romanæ ecclesiæ, libertatem vendicare satagite: quatenus & honorem Dei, dum sponsæ ejus sanctæ ecclesiæ libertatem diligitis, vos ostendatis amare, & æternæ beatitudinis hereditatem quasi liberi filii merito posD sitis & debeatis sperare. Data Idibus Octobris.

XIV. AD RAVENNATES, FIRMANOS, & Spoletinos.

Commendat eis electum Ravennatis ecclesiæ archiepiscopum. Hortatur ut ei debitam reverentiam exhibeant, præcipueque contra illius ecclesiæ damnatum devastatorem adjuvent.

Gregorius episcopus servus servorum Dei omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, atque militibus in parochia Ravennati, & in Pentapoli, nec non & in marchia Firmana, & in ducatu Spoletino, commorantibus, illis videlicet qui beatum Petrum diligunt, neque vinculis excommunicationis tenentur, salutem & apostolicam benedictionem.

NOtum vobis esse credimus, fratres carissimi, quia ubique terrarum religiosi viri clerici & laici per gratiam Dei nos diligunt, & ea quæ dicimus sive præcipimus libenter approbant & obedienter suscipiunt; illi videlicet qui justitiam discernunt, & intentionem nostram cognoscunt. Inimici autem crucis Christi, immo hostes animarum suarum, in nos insurgere, & dementiæ

ANNO CHRISTI 1080.

cucitate perculsi contra salutem suam sanctam ecclesiam conculcare conantur. Quod multum profecto gaudemus, intuentes illos qui Deum diligunt rebus nostris favere, & non hos; sed illos dumtaxat, qui oderunt animam suam inimicos nobis existere: quorum quidem odium hac maxime de causa, sicut vos scitis, incurrimus, quia ipsos de laqueis diaboli eruere, & ad sinum matris ecclesiæ reducere curavimus. Vos itaque, quos ab illorum perfidia remotos & alienos existimamus, oportere tunc credimus, ut qualem habeatis animum circa nos, immo B. Petrum, cujus vice licet indigni fungimur, demonstretis: & si, quemadmodum arbitramur, vos fideliter geritis, manifestis indiciis, cum tempus adest, & res expostulat, declaretis. Est autem in quo devotionem vestram egregie potestis ostendere, si decreta atque statuta sedis apostolicæ pro posse vestro studetis atque satagitis adjuvare. Igitur Ravennatem archiepiscopum fratrem nostrum R.... quem post longas & innumeras pervasorum occupationes nuperrime sicut olim a beato Petro Apollinarem, ita hunc Ravennas ab ecclesia Romana meruit accipere, studium vobis sit, tum propter amorem sanctissimi martyris, cujus sede & reliquiis illa decoratur ecclesia, tum propter apostolicæ sedis debitam reverentiam, consiliis & auxiliis vestris confirmare, atque ei contra illius sancti loci sacrilegum damnatumque devastatorem Vu.... modis omnibus subvenire. Præcipimus namque, ut juxta consilium legati nostri qui defert has literas, prædicto confratri nostro archiepiscopo consilium & auxilium vestrum ita firmiter promittatis, ut dum inimici audierint, rebus suis cogantur & jure possint timere, cum vero amici & fideles nostri cognoverint, una nobiscum de promissis vestris certissime queant sperare. Data tertio Idus Decembris.

XV. AD VALVENSES.

Invehitur in Transmundum quemdam, qui a se increpatus quod episcopatum dimiserit, & monitus ne se in eo amplius intruderet, ausus sit ipsam ecclesiam pervadere. Præcipit nullam ei obedientiam exhiberi, sed bona ecclesiæ de manibus ejus eripi, legatoque apostolicæ sedis in ea re auxilium præberi.

Gregorius episcopus servus servorum Dei omnibus in episcopatu Valvensi habitantibus majoribus atque minoribus, sive potestatem in eo habentibus, qui gratiam beati Petri cupiunt, salutem & apostolicam benedictionem. Valvensi

TRansmundus vester dictus episcopus ad nos venit, quem nimirum nos duris verbis increpuimus, propterea quod episcopatum sine ratione dimiserat. Præcepimus etiam illi propter istam stultitiam, ut de episcopatu se deinde non intromitteret, sed iret ad montem Cassinum, ibique tamdiu esset, donec cum ipso præfati loci abbate aliisque religiosis & prudentibus viris consilium caperemus, quid de illo & vestra ecclesia esset faciendum. Quod nostrum præceptum (sicut audivimus) contemnens, & per inobedientiam idololatriæ scelus incurrens, ausus est ecclesiam interdictam ad augmentum malitiæ suæ pervadere, eamque nunc pertinaciter non metuit occupare. Proinde apostolica auctoritate præcipimus vobis, ut, si gratiam Dei & beati Petri diligitis, animarumque vestrarum periculum timetis nullus vestrum episcopalem reverentiam

illi exhibeat; ſed bona eccleſiæ de manibus illius eripientes eum ſicut invaſorem habeatis, & res eccleſiæ ne diſtrahere valeat a poteſtate ipſius defendatis. Nihilo minus quoque mandamus, ut huic legato noſtro Joanni ſubdiacono, quem ad hoc vobis direximus, auxilium in his quæ neceſſaria fuerint præbeatis: quatenus ipſe una vobiſcum quæ in hac re facienda ſunt melius poſſit implere. Data ſecundo Idus Decembris.

ANNO CHRISTI 1080.

XVI. A D N. N.

Laudat quod parentum ſuorum veſtigia imitati devotum animum erga Romanam eccleſiam gerant, utque in eo in dies magis proficiant hortatur. Commendat eis Dalmatium archiepiſcopum Narbonenſis eccleſiæ canonice electum, ut eum tanquam verum paſtorem adjuvent, & pervaſori reſiſtant,

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei R.... & B.... nobilibus comitibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUantum domus veſtra beatum Petrum jamdudum dilexerit, quantumque ipſi fidelis extiterit, profecto non modo apud vos ſcitur, ſed etiam in pluribus diverſarum gentium partibus notum habetur. Unde & de inimicis victoriam, & præ cæteris paribus ſuis honorem & gloriam hactenus obtinuiſſe longe lateque dignoſcitur. Quia vero parentum veſtrorum, ſicut nobilitatis lineam, ita quoque probitatum ſtudia vos imitari cognovimus, pro certo valde lætamur, & ut devotum animum circa beatum Petrum & matrem omnium ſanctam Romanam eccleſiam ſemper geratis, ſalubriter hortamur atque monemus, cujus vos dilectionem tenere procul dubio in nullo melius poteſtis oſtendere quam ſi inter cætera bona quæ debetis agere ſanctam eccleſiam procuratis juvare atque defendere. Itaque ſaluti veſtræ præcipue providentes rogamus, & ex parte beati Petri præcipimus vobis, ut Narbonenſi eccleſiæ jam ex longo tempore a membris diaboli pervaſæ prompte ſubvenientes, fratrem noſtrum Dalmatium archiepiſcopum, quem tandem canonice & ſecundum dominum electum & ordinatum meruit accipere, modis omnibus ſtudeatis adjuvare: illi vero pervaſori, qui non per oſtium ut paſtor, ſed aliunde, ut fur & latro ingreſſus, oves Chriſti mactat & perdit, immo diabolo tradit, modis quibus poteſtis reſiſtite, ſi gratiam omnipotentis Dei deſideratis obtinere. Agite ergo, & omnino procurate beatum Petrum apoſtolorum principem vobis adjutorem, immo debitorem, facere, qui poteſt vobis hujus vitæ & futuræ ſalutem & honorem dare vel tollere, quique neſcit fideles ſuos relinquere, ſed potius novit ſuperbis reſiſtere, & confundere, humilibus autem gratiam dare, eoſque exaltare. Data decimo Kalendas Januarii.

XVII AD CLERUM ET POPULUM Rhemenſem.

Arguit Manaſſem olim archiepiſcopum Rhemenſem, qui legati apoſtolici ſententia damnatus eccleſiam ipſam invadere præſumpſerit. Quare monet ut ei modis omnibus reſiſtant, & de epiſcopi Dienſis legati conſenſu alium paſtorem eligant, qui eorum laboranti eccleſiæ ſubvenire valeat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſo Rhemenſis eccleſiæ clero & populo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ANNO CHRISTI 1080.

NOn dubitamus ad notitiam veſtram pervenisse, quod Manaſſes olim dictus archiepiſcopus veſter, ſynodalem damnationis ſuæ ſententiam, exigentibus culpis ſuis, adjudicante confratre noſtro Dienſi epiſcopo, ſanctæ Romanæ eccleſiæ legato, ſubierit. Quam itaque diligenter perſcrutantes, & pro magnitudine iniquitatum ejus juſtiſſimam fuiſſe approbantes, eo tenore in Romana ſynodo confirmavimus, rogatu multorum fratrum, ut conceſſis ſibi induciis, ſi poſſet, ad expurgandum ſe de objectis veniendi licentiam haberet, ac liberam de ſe agendi facultatem: ita tamen, ut interim regimini ipſius eccleſiæ cederet, & in Cluniacenſi, vel in aliquo religioſo monaſterio degeret, ut cujus obedientiæ quantæque humilitatis eſſet probaretur. Verum (ſicut voſipſi ſcitis) non ſolum huic diffinitioni non obedivit, ſed ad contemptum interdictionis noſtræ, eccleſiam veſtram invadere ac impudenti devaſtatione confundere præſumpſit; utpote quam non per oſtium, ut paſtor, ſed aliunde, ut fur & ſæviſſimus prædo intravit; ad hoc ſcilicet ut gregem dominicum mactet & perdat, non ut vigilantia paſtoris protegat & defendat. Siquidem adeo in immenſum æſtuum ſuorum tetendit iniquitas, ut digniſſime damnationi atque excommunicationi ſubjaceat, ita ut in perpetuum nullam reſtitutionis ſuæ ſpem concipere debeat. Quapropter apoſtolica vos auctoritate monemus, ut perverſis actibus ejus in nullo communicetis, immo ut tollatur de medio veſtrum, & in interitum carnis ſuæ tradatur ſatanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit, ſibi modis omnibus reſiſtatis. Detis etiam operam ut communi conſilio parique voto, aſſentiente vobis prædicto confratre noſtro Dienſi epiſcopo, patrem vobis ſecundum dominum eligatis, qui eccleſiæ veſtræ diutina pſeudo-paſtorum improbitate laboranti valeat ſubvenire, & antiquam ſui libertatem, Chriſto auxiliante, vobiſcum reparare. Data ſexto Kalendas Januarii.

Joan. 10.

1. Cor. 5.

XVIII. AD HEBOLUM COMITEM.

Manaſſem archiepiſcopum Rhemenſem Hugonis Dienſis epiſcopi legati apoſtolici in concilio Lugdunenſi ſententia depoſitum denuntiat, monens ut tam ſeipſum quam alios ab ejus amicitia retrahat, eique pro viribus reſiſtat, & quem alium archiepiſcopum major cleri pars cum conſenſu legati elegerit, adjuvet.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * Hebolo nobili & glorioſo comiti ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Ebuloi

SIcut prudentia tua meminiſſe poteſt, nos longo tempore præter voluntatem tuam virorumque religioſorum qui ipſum noverant Manaſſem dictum Rhemenſem archiepiſcopum diſſimulavimus, eumque putantes correctionis ſuæ curam habere, diu profecto portavimus. Verum ille patientia noſtra abuſus, & (quod evidenter apparet) ex conſcientia prava in deſperationis foveam lapſus, non ſolum ſe prætenſæ manſuetudini ingratum exhibuit, ſed etiam in reliquum miſericordia S. Petri indignum ſe fecit, ſcilicet; ut cujus in depoſitione ſententiam vicarii noſtri Hugonis

ANNO CHRISTI 1080.

gonis Dienſis epiſcopi in concilio Lugdunenſi prolatam approbantesque ad terminum non diſſerimus, deinceps in perpetuum firmam eſſe & ratam, ipſumque ſine ſpe recuperationis depoſitum adjudicemus. Quapropter cum irrevocabili judicio epiſcopalis ſedis regimine privatum eſſe tuæ celſitudini denuntiantes, monemus, atque ex parte beati Petri præcipimus, ut tam teipſum a peſtifera amicitia illius amodo retrahas, quam & alios quos potes ab eo cuſtodire ſe doceas. Ut autem gratiam Dei, & beati Petri largius * merito, * quas ſperare ſtudium ſolertiæ tuæ non deſit, tam per teipſum quam & per quoſcumque valeas præfato depoſito pro magnitudine tua * reſiſtere, illumque archiepiſcopum, quem ſaniori conſilio pars cleri melior cum conſenſu prædicti legati noſtri, Hugonis videlicet epiſcopi Dienſis, illi ſedi elegerit, modis omnibus adjuvare. In hac igitur re ita te devotum & obſequentem mandatis apoſtolicis aperte demonſtres, quemadmodum tuis in neceſſitatibus fideles tuos exiſtere cuperes: & ſicut a fidelibus tuis non impune tergiverſationem ſibi fieri ſummis in negotiis ferres, ita procures reſpectu beati Petri, ad quem ſpectat totius eccleſiæ cauſa, rem hanc ex animo gerere, quatenus & hic cum protectorem, & in futuro patronum, ex debito mereariſ habere. Data ſexto Kalendas Januarii.

Locus obſcurus. * merearis * Lege, mereto quas ſperare ſtudium. H. ſic & in Mſſ. ſtudeas

XIX. AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ Rhemenſis.

Ejuſdem fere argumenti.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis, ſuffraganeis videlicet ſanctæ Rhemenſis eccleſiæ, his tamen qui ſe ab excommunicatis cuſtodiunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum eſſe fraternitati veſtræ credimus, quod nos iniquitates Manaſſæ, dicti Rhemenſis archiepiſcopi, longo tempore ſupportavimus, eumque ſperantes de malitia ſua converti diu nimiumque diſſimulavimus. Sed quoniam beata Maria, cujus ille ſedem perditus occupabat, noluit eccleſiam ſuam ſceleribus illius diutius pollui, quæ de eo graviora dudum latuerant, ad notitiam multorum erupere in lucem. Pro quibus ipſe in Lugdunenſi concilio, cui frater & vicarius noſter Hugo Dienſis epiſcopus præerat, eodem dictante, cunctiſque fratribus religioſis qui aderant aſſentientibus, depoſitionis ſententiam meruit. Eam itaque præfati conventus cenſuram, quam nos apoſtolica manſuetudine utentes ſubjuncto tenore temperaveramus, quoniam ille conſcientia deſperante in duritia ſua inobedientiæque contemptu voluit manere potius quam ad ſani ſenſus conſilium animum flectere, jam nunc ex apoſtolica auctoritate firmamus, atque irrecuperabiliter depoſitum eſſe in reliquum adjudicamus. Proinde fraternitatem veſtram ne ulterius illi epiſcopalem reverentiam debeat abſolvimus; immo apoſtolica auctoritate præcipimus ut nemo ei quaſi paſtori obediat, ſed quiſque pro officio ſuo & viribus ſicut invaſori reſiſtat. Quod noſtrum, potius vero ſancti Spiritus, judicium dilectio veſtra ſtudeat ſubditis ſibi cunctiſque quibus valet populis denuntiare: & ut ab ejus participatione ſibi caveant, ipſumque modis quibus poſſunt coarctent, non negligat caritas veſtra monere. De cætero volumus, & ex parte beati Petri jubemus, quatenus adhibitis illius eccleſiæ clericis, talis perſona cum conſenſu præfati legati noſtri Dienſis epiſcopi ut eligatur procuretis, quæ tanto regimini digne competere videatur. Nos enim eam electionem, quam pars cleri & populi melior, & religioſior, conſentiente prædicto noſtro vicario, fecerit, Deo favente, firmantes, apoſtolica auctoritate roboramus. Diligentia igitur veſtra ita ſe in hac re pronam, nobiſque, immo beato Petro, obedientem exhibeat, ut cognito ſtudio & vigilantia veſtra, ſi quid in præterito negligenter aut inobedienter deliquiſtis, merito propter hoc debeamus ſuffferre. Data ſexto Kalendas Januarii.

ANNO CHRISTI 1080.

XX. AD PHILIPPUM REGEM Francorum.

Rogat ne Manaſſæ Rhemenſi archiepiſcopo depoſito ullum ulterius favorem præbeat, ſed eum ab amicitia ſua repellat. Monet præterea ne electionem impediat, quam Rhemenſis eccleſiæ clerus & populus facturus erat, ſed illi quem major pars elegerit auxilium præbeat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Philippo glorioſo regi Francorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SÆpe per nuntios tuæ celſitudinis audivimus, te gratiam B. Petri noſtramque amicitiam cupere; quod & tunc nos libenter accepiſſe, & adhuc, ſi eum animum geris, noveris admodum nobis placere. In hoc enim te tuæ ſalutis amicum ſolicitumque eſſe demonſtras, ſi apoſtolicam benevolentiam, ſicut Chriſtianum regem decet, aſſequi & obtinere deſideras: quam quidem hoc pacto adipiſci multo facilius ac dignius poteris, ſi te in eccleſiaſticis negotiis diligentem devotumque reverenter exhibueris. Qua in re procul dubio minus vigilanter, multumque negligentius quam ſanum fuerit, olim habuiſſe te cerneris. Sed nos adoleſcentiæ tuæ præterita delicta ſpe correctionis tuæ portantes, ut deinceps caſtigatis moribus ad ea quæ oportet invigiles, ex debito officii noſtri monemus. Igitur inter cætera virtutum ſtudia regiæ excellentiæ convenientia, quæ tibi ineſſe optamus, cum te juſtitiæ amatorem, miſericordiæque cuſtodem exiſtere, eccleſias defendere, pupillos viduaſque protegere ſit neceſſarium, non minus ad internæ ſalutis cuſtodiam tibi eſſe pravorum conſilia ſpernenda, maximeque excommunicatorum familiaritates deteſtandas, arbitramur atque aſſerimus. Unde ſublimitati tuæ ex parte beati Petri præcipimus, ac ex noſtra rogamus, ut Manaſſæ Rhemenſi archiepiſcopo dicto, ſed propter ſuas iniquitates, quæ non prætereunt ſcientiam tuam, irrecuperabiliter depoſito, nullum ulterius favoris tui ſolatium præbeas, ſed eum ita ab amicitia tua reſcindas, atque a conſpectu præſentiæ tuæ contemptum repellas, ut te pateat inimicos ſanctæ eccleſiæ, videlicet excommunicatione induratos, reſpuendo, Deum diligere, apoſtoliciſque mandatis morem gerendo gratiam beatri Petri veraciter deſiderare. Præterea volumus, & ex parte apoſtolica jubemus, ut electionem, quam præfatæ Rhemenſis eccleſiæ clerus & populus, Deo annuente, facturus eſt, nullo ingenio aut ſtudio quo minus canonice fiat impedias: ſed & ſi quis impedire aliquo ſtudio ſæculari tentaverit, illi omni modo contradicas, atque illi quem pars fidelior & religioſior elegerit adjutorium tuum impendas. Age igitur, & jam ætate vir factus in hac re procura, ut non fruſtra tuæ juventutis cul-

culpis peperciſſe, nec in vanum te ad emendationem expectaſſe videamur: ac maxime cuiterc, ut beatum Petrum, in cujus poteſtate eſt tuum regnum & anima tua, qui te poteſt in cœlo & in terra ligare & abſolvere, tibi facias debitorem: & non pro negligentia aut veritatis diſſimulatione judicium, ſed pro diligentia juſtitiæque executione ipſius gratia æternum digne mereris auxilium. Data ſexto Kalendas Januarii.

ANNO CHRISTI 1080.

XXI. AD HERIMANNUM EPISCOPUM Metenſem.

Ad labores & pericula pro veritatis defenſione paratum excitat. Reſcribit ad ejus quæſita de auctoritate ſedis apoſtolicæ in excommunicando rege Henrico, & abſolvendo ſubditos a fidelitatis ſacramento.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Herimanno Metenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUod ad perferendos labores ac pericula pro defenſione veritatis te paratum intelligimus, divini muneris eſſe non dubitamus; cujus hæc eſt ineffabilis gratia, & divina clementia, quod nunquam electos ſuos penitus aberrare permittit, nunquam funditus labefactari aut dejici ſinit, dum eos perſecutionis tempore quadam utili probatione diſcuſſos, etiam poſt trepidationem aliquam ſemetipſos fortiores facit. Quoniam autem ſicut inter ignavos alium quo turpius alio fugiat timor exanimat, ita etiam inter ſtrenuos alium quo fortius alio agat, quo ardentius prorumpat, virile pectus inflammat. Hoc caritati tuæ exhortationis voce curavimus commendare, ut eo magis in acie Chriſtianæ religionis ſtare te delectet inter primos, quo eos non dubitas victori Deo proximos atque digniſſimos. Quod autem poſtulaſti te quaſi noſtris ſcriptis juvari ac communiri contra illorum inſaniam, qui nefando ore garriunt auctoritatem ſanctæ & apoſtolicæ ſedis non potuiſſe regem Henricum, hominem Chriſtianæ legis contemptorem, eccleſiarum videlicet & imperii deſtructorem, atque hæreticorum auctorem, & conſentaneum, excommunicare, nec quemquam a ſacramento fidelitatis ejus abſolvere, non adeo neceſſarium nobis videtur, cum hujus rei tam multa ac certiſſima documenta in ſacrarum ſcripturarum paginis reperiantur. Neque enim credimus eos, qui ad cumulum ſuæ damnationis veritati impudenter detrahunt & contradicunt, hæc ad ſuæ defenſionis audaciam tam ignorantia quam miſeræ deſperationis vecordia coaptaſſe: nec mirum: mos eſt enim reproborum, ob ſuæ nequitiæ protectionem, niti conſimiles ſibi defendere, quia pro nihilo habent mendacii perditionem incurrere. Nam, ut de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem domini ac ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti dicentis in evangelio: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & porta inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Numquid ſunt hic reges excepti? Aut non ſunt de ovibus quas Filius Dei B. Petro commiſit? Quis rogo in hac univerſali conceſſione ligandi atque ſolvendi a poteſtate Petri ſe excluſum eſſe exiſtimat, niſi forte infelix ille, qui jugum domini portare nolens, diaboli ſe ſubjicit oneri, & in numero ovium Chriſti eſſe recuſat? cui tamen hoc ad miſerorum libertatem minime proficit, quod poteſtatem Petri divinitus ſibi conceſſam a ſuperba cervice excutit: quoniam quanto eam quiſque per elationem ferre abnegat, tanto durius ad damnationem ſuam in judicio portat. Hanc itaque divinæ voluntatis inſtitutionem, hoc firmamentum diſpenſationis eccleſiæ, hoc privilegium beato Petro apoſtolorum principi cœleſti decreto principaliter traditum atque firmatum, ſancti patres cum magna veneratione ſuſcipientes atque ſervantes, ſanctam Romanam eccleſiam tam in generalibus conciliis, quam etiam in cæteris ſcriptis & geſtis ſuis univerſalem matrem appellaverunt: & ſicut ejus documenta in confirmatione fidei, & eruditione ſacræ religionis, ita etiam judicia ſuſceperunt: in hoc conſentientes, & quaſi uno ſpiritu, & una voce concordantes, omnes majores res & præcipua negotia, nec non omnium eccleſiarum judicia, ad eam quaſi ad matrem & caput debere referri, ab ea nuſquam appellari, judicia ejus a nemine retractari aut reſelli debere vel poſſe. Unde beatus Gelaſius papa Anaſtaſio imperatori ſcribens, divina fultus auctoritate quid & qualiter de principatu ſanctæ & apoſtolicæ ſedis ſentire deberet, hoc modo eum inſtruxit: Etſi, inquit, cunctis generaliter ſacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit colla ſubmitti, quanto potius ſedis illius præſuli conſenſus eſt adhibendus, quem cunctis ſacerdotibus & divinitas ſumma voluit præeminere, & ſubſequens eccleſiæ generalis jugiter pietas celebravit? Ubi prudentia tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano conſilio æquare ſe quemquam poſſe illius privilegio vel confeſſioni, quem Chriſti vox prætulit univerſis, quem eccleſia veneranda confeſſa ſemper eſt, & habet devota primatem.

Beatus Gelaſius I. epiſtola 10.

Item Julius papa orientalibus epiſcopis ſcribens, de poteſtate ejuſdem ſanctæ & apoſtolicæ ſedis ait: Decuerat vos, fratres, adverſus ſanctam Romanam & apoſtolicam eccleſiam limate & non ironice loqui: quoniam & ipſe dominus noſter Jeſus Chriſtus eam decenter allocutus ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & porta inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum.* Habet enim poteſtatem ſingulari privilegio conceſſam, aperire & claudere januas regni cœleſtis quibus voluerit. Cui ergo aperiendi claudendique cœli data poteſtas eſt, de terra judicare non licet? Abſit. Num retinetis quod ait beatiſſimus Paulus apoſtolus: *Neſcitis quia angelos judicabimus? quanto magis ſæcularia?* Beatus quoque Gregorius papa reges a ſua dignitate cadere ſtatuit qui apoſtolicæ ſedis decreta violare præſumpſerint, ſcribens ad quemdam Senatorem abbatem his verbis: Si quis vero regum, ſacerdotum, judicum, atque ſæcularium perſonarum, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens contra eam venire tentaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat: & niſi ea quæ ab illo ſunt male ablata reſtituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in æternum examini diſtrictæ ultionis ſubjaceat. Quod ſi B. Gregorius, doctor utique mitiſſimus, reges qui ſtatuta ſua ſuper unum xenodochium violarent non modo deponi, ſed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari, decrevit, quis nos Henricum non ſolum apoſtolicorum judicio-

Matth. 16.

Matth. 16.

Beatus Gregorius epiſtolarum libro 2. in privilegio monaſterii ſancti Medardi.

rum

rum contemptorem, verum etiam ipſius matris ecclesiæ quantum in ipſo est conculcatorem, totiusque regni & ecclesiarum improbissimum prædonem & atrocissimum destructorem deposuisse & excommunicasse reprehendat, nisi forte similis ejus? sicut * B. P..... docuisse cognovimus in epistola de ordinatione Clementis, in qua sic ait: Si quis amicus fuerit iis, quibus ipse de eodem Clemente dicens non loquitur, unus est & ipse ex illis qui exterminare Dei ecclesiam volunt: & cum corpore nobiscum esse videatur, mente & animo contra nos est; & est multo nequior hostis hic quam illi qui foris sunt & evidenter inimici. Hic enim per amicitiarum speciem quæ inimica sunt gerit, & ecclesiam dispergit ac vastat. Nota ergo, carissime, si * eum quem amicitia vel colloquio iis quibus papa pro actibus suis adversus est sociatur tam graviter judicat, quanta illum ipsum, cui pro actibus suis adversus est, animadversione damnat? Sed ut ad rem redeamus, itane dignitas a sæcularibus etiam Deum ignorantibus inventa non subjicietur ei dignitati quam omnipotentis Dei providentia ad honorem suum invenit, mundoque misericorditer tribuit? cujus Filius sicut Deus & homo indubitanter creditur, ita summus sacerdos caput omnium sacerdotum ad dexteram Patris sedens, & pro nobis semper interpellans habetur: qui sæculare regnum, unde sæculi filii tument, despexit, & ad sacerdotium crucis spontaneus venit. Quis nesciat reges & duces ab iis habuisse principium, qui Deum ignorantes, superbia, rapinis, perfidia, homicidiis, postremo universis pene sceleribus, mundi principe diabolo videlicet agitante, super pares, scilicet homines, dominari cæca cupiditate & intolerabili præsumptione affectaverunt? Qui videlicet, dum sacerdotes domini ad vestigia sua inclinare contendunt, cui rectius comparentur, quam ei qui est caput super omnes filios superbiæ, qui ipsum summum pontificem sacerdotum caput altissimi Filium tentans, & omnia illi mundi regna promittens ait: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*. Quis dubitet sacerdotes Christi regum & principum omniumque fidelium patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare: & iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cælis se ligari posse & solvi? Hæc, sicut beatus Gregorius in epistola ad Mauricium imperatorem directa commemorat, Constantinus magnus imperator, omnium regum & principum fere totius orbis dominus, evidenter intelligens, in sancta Nicæna synodo post omnes episcopos ultimus residens, nullam judicii sententiam super eos dare præsumpsit; sed illos etiam deos vocans, non suo debere subesse judicio, verum se ad illorum pendere arbitrium judicavit. Supradicto quoque Anastasio imperatori prælibatus papa Gelasius persuadens, ne ille intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur injuriam; subintulit dicens: Duo sunt quippe, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata pontificum, & regalis potestas: in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus omnium in divino reddituri sunt examine rationem. Et paucis interpositis inquit: Nosti itaque inter hæc illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Talibus ergo institutis, talibusque fulti auctoritatibus, plerique pontificum alii reges, alii imperatores excommunicaverunt. Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius papa Arcadium imperatorem, qui consensit ut sanctus Joannes Chrysostomus a sede pelleretur, excommunicavit.

Alius item Romanus pontifex, Zacharias videlicet, regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam eo quod tantæ potestati non erat utilis, a regno deposuit, & Pippinum Caroli magni imperatoris patrem in ejus loco substituit: omnesque Francigenas a juramento fidelitatis quod illi fecerant absolvit. Quod etiam ex frequenti auctoritate sæpe agit sancta ecclesia, cum milites absolvit a vinculo juramenti quod factum est his episcopis qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur. Et beatus Ambrosius, licet sanctus, non tamen universalis ecclesiæ episcopus, pro culpa quæ ab aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium magnum imperatorem excommunicans ab ecclesia exclusit. Qui etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non tam pretiosius sit plumbo, quam regia potestate sit altior dignitas sacerdotalis: hoc modo circa principium sui pastoralis scribens: Honor, fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & exosculata eorum dextera orationibus eorum credant se communiri. Et post pauca: Hæc cuncta, fratres, ideo nos promisisse debetis cognoscere, ut ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri Meminisse etiam debet fraternitas tua, quia major potestas exorcistæ conceditur, cum spiritualis imperator ad abjiciendos dæmones constituitur, quam alicui laicorum cause sæcularis dominationis tribui possit Omnibus nempe regibus & principibus terræ qui religiose non vivunt, & in actibus suis, Deum, ut oportet, non metuunt; dæmones, heu prob dolor! dominantur, & misera servitute confundunt. Tales non divino ducti amore, sicut religiosi sacerdotes, ad honorem Dei & utilitatem animarum præesse cupiunt, sed ut intolerabilem superbiam suam ostentent, animique libidinem expleant, cæteris dominari affectant. De quibus beatus Augustinus in libro primo de doctrina Christiana dicit; Cum vero etiam eis qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est hominibus, quilibet dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est. Porro exorcistæ, ut diximus, super dæmones a Deo imperium habent. Quanto igitur magis super eos qui dæmonibus subjecti & membra sunt dæmonum? Si ergo his tantum præeminent exorcistæ, quanto amplius sacerdotes? Præterea omnis rex Christianus ad exitum veniens, ut inferni carcerem evadat, ut de tenebris in lucem tendat, ut de peccatorum vinculis in Dei judicio absolutus appareat, sacerdotis opem supplex ac miserandus requirit. Quis autem non modo sacerdotum, verum etiam laicorum, in extremis positus pro suæ animæ salute terreni regis imploravit auxilium? Quis vero regum vel imperatorum aliquem Christianum ex impositio sibi officio valet sacro baptismate ex diaboli potestate eripere, & inter filios Dei connumerare, sanctoque chrismate præmunire? &, quod maximum est in Christiana religione, quis eorum valet proprio ore corpus & sanguinem Domini conficere? Vel cui eorum data est potestas ligandi solvendique in cælo & in

ANNO CHRISTI 1080.

* Hoc est, Beato Petro.

Forte, eum qui. H.

Matth. 4.

Sanctus Gregorius epistolarum lib. 6. epist. 31.

ANNO CHRISTI 1081.

ANNO CHRISTI 1081.

in terra? Ex quibus aperte colligitur quanta po- A teſtate præcellat dignitas ſacerdotum. Aut quis eorum poteſt aliquem clericum in ſancta eccleſia ordinare, quanto minus pro aliqua culpa eum deponere? Namque in eccleſiaſticis ordinibus majoris eſt poteſtatis deponere, quam ordinare. Epiſcopi enim poſſunt alios epiſcopos ordinare, ſed nullo modo ſine auctoritate apoſtolicæ ſedis deponere. Quis igitur, vel tenuiter ſciolus, ſacerdotes dubitet regibus anteferri? Quod ſi reges pro peccatis ſuis a ſacerdotibus ſunt judicandi, B a quo rectius quam a Romano pontifice judicari debent?

Ad ſummum quoslibet bonos Chriſtianos multo convenientius quam malos principes reges intelligi decet. Iſti enim gloriam Dei quærendo ſeipſos ſtrenue regunt: at illi non quæ Dei ſunt, ſed ſua, quærentes, ſibimet hoſtes alios tyrannice opprimunt: hi vero regis Chriſti, illi vero diaboli corpus ſunt. Iſti ad hoc ſibi imperant, ut cum ſummo imperatore æternaliter regnent: illorum vero id poteſtas agit, ut cum tenebrarum principe, qui rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, æterna damnatione diſpereant. Nec valde ſane mirandum eſt, quod mali pontifices iniquo regi, quem adeptis male per eum C honoribus diliguntur, metuuntque, conſentiunt, qui ſimoniace quoslibet ordinando Deum pro vili etiam pretio vendunt. Nam ſicut electi inſolubiliter ſuo capiti uniuntur, ita & reprobi maxime contra bonos ei qui malitiæ caput eſt pertinaciter fœderantur: contra quos profecto non tam differendum, quam pro eis eſt lacrymoſis planctibus ingemendum, ut omnipotens Deus illos a laqueis ſatanæ, quibus captivi tenentur, eripiat, & vel poſt pericula ad cognitionem veritatis tandem aliquando perducat. Hæc de regibus & imperatoribus, qui ſæculari gloria nimium tumidi, non Deo, ſed ſibi regnant. Sed quia noſtri eſt officii unicuique ſecundum ordinem vel dignitatem, qua videtur vigere, exhor- D tationem diſtribuere, imperatoribus & regibus, cæteriſque principibus, ut elationes maris & ſuperbiæ fluctus comprimere valeant, arma humilitatis, Deo auctore, providere curamus. Scimus enim quia mundana gloria, & ſæcularis cura eos permaxime qui præſunt ad elationem trahere ſolet; qua ſemper neglecta humilitate, propriam quærendo gloriam, fratribus cupiant præeminere. Proinde videtur utile maxime imperatoribus & regibus, ut cum mens illorum ſe ad alta erigere, & pro ſingulari vult gloria oblectare, inveniat quibus ſe modis humiliet, atque unde gaudeat, ſentiat plus timendum. Perſpiciat ergo diligenter; quam periculoſa, quamve timenda ſit imperatoria vel regia dignitas, in qua pauciſſimi E ſalvantur: & illi qui Deo miſerante ad ſalutem veniunt, non æque, ut multi paupertum, judicio ſancti Spiritus in ſancta eccleſia clarificantur. A mundi enim principio uſque ad hæc noſtra tempora in tota authentica ſcriptura non invenimus imperatores vel reges, quorum vita adeo fuerit religione præcipua & virtute ſignorum decorata, ſicut innumerabilis multitudinis ſæculi contemptorum, licet plures eorum credamus apud omnipotentem Deum miſericordiæ ſalutem inveniſſe. Namque ut de apoſtolis & martyribus taceamus, quis imperatorum vel regum æque ut beatus Martinus, Antonius, Benedictus, miraculis claruit? Quis enim imperator aut rex mortuos ſuſcitavit, leproſos mundavit, cæcos illuminavit? Ecce Conſtantinum piæ memoriæ imperatorem, Theodoſium, & Honorium, Carolum, & Ludovicum, A juſtitiæ amatores, Chriſtianæ religionis propagatores, eccleſiarum defenſores, ſancta quidem ecANNO CHRISTI 1081.
cleſia laudat & veneratur, non tamen eos fuiſſe tanta miraculorum gloria indicat. Præterea ad quot nomina regum vel imperatorum baſilicas ſeu altaria dedicari, vel ad eorum honorem ſancta eccleſia miſſas ſtatuit celebrari? Timeant reges aliique principes, ne quanto ſe cæteris hominibus in hac vita præferri gaudent, tanto amplius æternis incendiis ſubjiciantur. Unde ſcriptum eſt: *Potentes potenter tormenta patientur*. *Sap. 6.* B De tot enim hominibus Deo reddituri ſunt rationem, quot ſuæ dominationi ſubditos habuerunt. Quod ſi alicui religioſo privato non parvus labor eſt unam ſuam animam cuſtodire, quantus labor imminet principibus ſuper multis millibus animarum?

Præterea ſi judicium ſanctæ eccleſiæ valde conſtringit peccatorem pro unius hominis interfectione, quid erit de iis qui multa millia morti tradunt pro hujus mundi honore? qui licet ore aliquando dicant: Mea culpa pro multorum occiſione, tamen corde gaudent in ſui quaſi honoris extenſione, noluntque non feciſſe quod egerunt, neque dolent quod fratres ſuos in tartarum compulerunt. Cumque ex toto corde eos non pœniteat, C neque volunt humano ſanguine acquiſita vel detenta omittere, illorum pœnitentia apud Deum ſine digno pœnitentiæ fructu manet. Unde profecto valde eſt timendum, atque ad memoriam eorum crebro revocandum, quod, ſicut præfati ſumus, a mundi principio pauciſſimi per diverſa terrarum regna reges ſancti ex innumerabili eorum multitudine reperiuntur, cum in una tantum pontificum ſeriatim ſuccedentium ſede, videlicet Romana, a tempore beati Petri apoſtoli ferme centum inter ſanctiſſimos computentur. Cur autem hoc, niſi quia reges terræ & principes vana gloria illecti, ſicut prælibatum eſt, quæ ſua ſunt ſpiritualibus rebus præferunt? religioſi autem pontifices vanam gloriam deſpicientes, quæ D Dei ſunt carnalibus rebus præponunt. Illi in ſe delinquentes facile puniuntur, in Deum peccantes æquo animo ferunt: iſti in ſe peccantibus cito ignoſcunt, Deum offendentibus non leviter parcunt. Illis terrenis actibus nimium dediti ſpiritualia parvi pendunt: iſti cæleſtia ſedulo meditantes quæ ſunt terrena contemnunt.

Admonendi ergo ſunt omnes Chriſtiani, qui cum Chriſto regnare cupiunt, ne ambitione ſæcularis poteſtatis regnare affectent, ſed potius præ oculis habeant quod beatus Gregorius papa ſanctiſſimus in libro paſtorali admonet, dicens: Inter hoc itaque quid ſequendum eſt, quid tenendum, niſi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat? Quod ſi ad apoſtolicam ſedem, in qua rite ordinati meritis beati Petri apoſtoli meliores efficiuntur, qui Deum timent coacti cum magno timore veniunt; ad regni ſolium cum quanto timore ac tremore accedendum eſt, in quo etiam boni & humiles (ſicut in Saul & David cognoſcitur) deteriores fiunt; Nam quod de apoſtolica ſede prælibavimus, in decretis beati Symmachi papæ (licet experimento ſciamus) ſic continetur: ille ſcilicet beatus * P..... perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ miſit ad poſteros. Et poſt pauca: Quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? in quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiuntur quæ a loci deceſſore præſtantur. Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut eos qui eriguntur illuſtrat. Quapropter quos ſancta ec- * Petrus.

cleſia

ANNO CHRISTI 1081.

ecclesia sua sponte ad regimen vel imperium deliberato consilio advocant, non pro transitoria gloria, sed pro multorum salute, humiliter obediant, & semper caveant quod beatus Gregorius in eodem libro pastorali testatur: Apostatæ quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse * simul dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus, Domino attestante qui ait: *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* & paulo inferius: Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Dominum magnus: cum vero apud se magnus apparuit, apud Dominum parvulus fuit. Vigilanter quoque retineant quod Dominus in evangelio dicit: *Ego gloriam meam non quæro*, & *: Qui vult inter vos esse primus, sit omnium servus*. Honorem Dei semper suo præponant, justitiam unicuique suum servando jus amplectantur atque custodiant: non eant in consilio impiorum, sed religiosis semper acquiescendo corde adhæreant; sanctam ecclesiam non quærant sicut ancillam sibi subjicere vel subjugare, sed permaxime oculos illos, videlicet Domini sacerdotes, magistros & patres recognoscendo decenter studeant honorare. Nam si carnales patres & matres honorare jubemur, quanto magis spirituales? Et si ille qui carnali patri vel matri maledixerit morte mulctandus est, quid ille qui maledicit spirituali patri vel matri meretur? Non carnali amore illecti studeant filium suum gregi, pro quo Christus sanguinem suum fudit, præponere, si meliorem illo & utiliorem possunt invenire, ne, plus Deo diligendo filium, maximum sanctæ ecclesiæ inferant detrimentum. Patenter enim Deum & proximum (sicut Christianum oportet) non amare convincitur, qui tantæ utilitati, tamque necessariæ sanctæ matri ecclesiæ (prout melius potest) negligit providere. Hac namque virtute, id est caritate, neglecta, quidquid boni aliquis fecerit omni salutis fructu carebit. Hæc itaque humiliter agendo, & amorem Dei & proximi, sicut oportet, servando, præsumant de illius misericordia, qui dixit: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde*. Quem si humiliter imitati fuerint, de regno servili & transituro ad regnum veræ libertatis & æternitatis transibunt. Data Idibus Martii.

* f. similis.

1. Reg. 15.

Joan. 8.

Matt. 20.

Matth. 11.

XXII. AD A..... FILIAM.

Monet ut terrena despiciat, cælestiaque appetat. Hortatur ut regis conjugis animum ad amorem divinum attrahere, sanctæ ecclesiæ quantum potest prodesse, omniaque caritatis opera sectari studeat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei A.... dilectissimæ in Christo filiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

QUia ob reverentiam beati Petri apostolorum principis rogasti ut literas manu nostra scriptas excellentiæ tuæ mittamus, devotioni tuæ acquievimus. His etiam te monemus, ut summopere procures quæ sunt terrena & transitoria despicere, & cælestia æternaque semper appetere. Scribe in corde tuo, quia summa regina cæli, quæ super omnes choros angelorum exaltata esse creditur, quæ est decus & gloria omnium mulierum, immo salus & nobilitas omnium electorum: quia illa sola meruit virgo & mater edere naturaliter Deum & hominem, caput & vita omnium bonorum; in terris non dedignata est pauperem vitam gerere, & in omni sancta humilitate se custodire. Quanto enim hujus vitæ gloria quæritur, tanto minus futuræ desideratur. Illa enim mulier vere apud Deum regina dicitur, quæ mores suos in timore & amore Christi moderatur. Inde fit ut sanctæ mulieres, licet in hac vita fuerint pauperculæ, in cælo & in terra glorificentur; & multæ sæculares etiam reginæ, vel imperatrices, apud Deum & homines nec bonam famam habere mereantur. Rogamus ergo te, atque præcipimus, ut semper studeas animum Domini tui regis carissimi filii nostri ad timorem & amorem Dei attrahere, sanctæque ecclesiæ pro tuo posse prodesse, pauperes, orphanos, viduas, omnesque injuste oppressos defendere, omnibus clericis, & monachis maxime religiosis reverentiam exhibere, mortem carnis præ oculis tuis semper habere, ut ** timorem animæ merearis evadere. Eleemosynis & orationibus studium impende, & admonitionem libenter accipe: & illud semper in corde tuo revolve. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*, & *: Omnis qui se exaltat humiliabitur; & qui se humiliat exaltabitur.* Omnipotentes & misericors Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis beatæ Mariæ genitricis Dei, per auctoritatem quam dedit beato Petro apostolorum principi te a cunctis peccatis tuis absolvat, mentem tuam semper custodiat, eamque vera caritate repleat, & ad vitam perducat æternam.

ANNO CHRISTI 1081.

* *forsitan arbitror timorem: omnia enim pertinent ad humilitatem*

** Forte, mortem. H. Erasm. 9. Luc. 12.

XXIII. AD EPISCOPUM ALBANENSEM, & Principem Salernitanum.

Jubet Gallis præcipiant, ut unaquæque domus pro censu denarium unum annuatim solvat beato Petro: & Caroli imperatoris erga Romanam ecclesiam munificentiam ostendit.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nostris P..... Albanensi episcopo, & G..... principi Salernitano legatis nostra apostolicæ sedis in Gallias, salutem & apostolicam benedictionem.

VObis commissa negotia non latent etiam vos, ita ac si nostra, immo quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta digne peragite. Dicendum autem est omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquæque domus saltem unum denarium annuatim solvat beato Petro, si eum recognoscunt patrem & pastorem suum more antiquo. Nam Carolus imperator (sicut legitur in tomo ejus qui in archivo ecclesiæ beati Petri habetur,) in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras ad servitium apostolicæ sedis, id est, Aquisgrani, apud Podium sanctæ Mariæ, & apud sanctum Ægidium; excepto hoc quod unusquisque propria devotione offerebat. Idem vero magnus imperator Saxoniam obtulit beato Petro, cujus eam devicit adjutorio: & posuit signum devotionis & libertatis, sicut ipsi Saxones habent scriptum, & prudentes illorum satis sciunt.

ANNO CHRISTI 1081.

* Cum deſint epiſtolarum & dies menſium: vix certo poteſt annus deſignari.

LIBER * NONUS REGISTRI GREGORII PAPÆ VII.

I. AD ARCHIEPISCOPUM ROTHOMAGENSEM.

Arguit quod nec ipſe, nec ejus ſuffraganei, ad apoſtolorum limina venerint, nec legatos apoſtolicos adierint, & pallium a ſede apoſtolica non poſtularit. Quare prohibet, ne deinceps epiſcopum vel ſacerdotem ordinet, vel eccleſias conſecret, donec pallium impetrarit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Willelmo Rothomagenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LIteræ quas nobis miſiſti, ſatis devotionis prætendunt, ſed ad earum fidem rei penitus teſtimonium deeſt. Si enim ita ſe res haberet, non quemadmodum ſuffraganei tui, etiam tu ipſe apoſtolorum limina viſere tanto tempore parvipendiſſes. Ex quo enim nos, licet indignos, ad hujus ſedis curam dignatio divina provexit, neminem veſtrum nos vidiſſe recordamur. Quod tamen in eo minus mirandum videtur, quia legatos noſtros, qui propius vos ſunt, adire non multum curatis. Qui vero labor, aut quæ difficultas præ aliis diſſuaſit vobis per tantum ſpatii beatum Petrum negligere, cum ab ipſis mundi finibus etiam gentes noviter ad fidem converſæ ſtudeant annue tam mulieres quam viri ad eum venire? Illud quoque, niſi nos apoſtolica manſuetudo detineret, profecto ſeverius in te jam animadverſum ſenſiſſes, quod huc uſque præclarius tuæ dignitatis inſigne, videlicet pallium, ab apoſtolica ſede pro more acquirere poſtpoſuiſti. Teipſum namque non ignorare putamus, quam diſtricte ſanctorum patrum cenſura in eos judicandum ſtatuerit, qui poſt conſecrationem ſuam per tres continuos menſes pallium, quod ſui ſit officii, obtinere tepuerint.

Proinde apoſtolica tibi præcipimus auctoritate, ut quia ſanctorum patrum ſtatuta parvipendiſti, nullum deinceps epiſcopum vel ſacerdotem ordinare, ſeu eccleſias præſumas conſecrare, donec honoris tui ſupplementum, pallii videlicet uſum, ab hac ſede impetraveris. De cætero tam te quam & ſuffraganeos tuos monemus, ut præfatam culpam ſummopere emendare procuretis, ne, ſi negligentes, ut hactenus, in hoc extiteritis, poteſtatem beati Petri per nos quanto dilationem, tanto ſeveriorem pro contemptu experiamini.

II. AD ALPHONSUM REGEM Caſtellæ.

Oſtendit ſe multorum odium propter veritatem & juſtitiam incurriſſe, eaque de cauſa eoſdem ſibi detrahere. Laudat quod in eccleſiis ejus regni ſecundum morem Romanæ eccleſiæ divina officia celebranda curet. De ejus uxore & abbatia ſancti Secundi per legatos ſe reſponſurum ait. Quemdam in archiepiſcopum eligendum ſcientia carentem reſpuit, & alium de conſilio legati eligi mandat. Monet ne in regno ſuo Judæos Chriſtianis dominari permittat. De munere ad ſe a rege miſſo gratias agit, eique & fidelibus ejus omnium peccatorum abſolutionem impartitur.

ANNO CHRISTI 1081.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Adphonſo glorioſo regi Hiſpaniæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn ignorat prudentia tua, mentiri, peccatum eſſe, ſi & de otioſo verbo in diſtricto examine exigenda eſt ratio. Sed ne mendacium quidem ipſum, quod ſit pia intentione pro pace, a culpa penitus immune eſſe probari poteſt. Hæc idcirco prælibavimus, ut cum in cæteris illud peccatum eſſe non dubitaveris, in ſacerdotibus quaſi ſacrilegium conjicias; & quod tibi dirigimus, ita in re eſſe teſte veritate cognoſcas. Non nos latet multa de noſtris factis ac dictis tuis auribus ſiniſtra interpretatione deferri. Unde & pro nobis in notitiam dilectionis tuæ obtrectantibus reſpondere non alienum putavimus. Peccatorem me eſſe, ſicut verum eſt, confiteri minime piget. Verum ſi cauſa odii, vel detractionis eorum qui in nos fremunt, ſubtiliter inveſtigetur, profecto non tam alicujus iniquitatis meæ intuitu, quam ex veritatis aſſertione, injuſtitiæque contradictione, illos in nos exarſiſſe patebit. Quorum quidem ſervitia, & largiſſima munera, nos ſatis abundantius multis anteceſſoribus noſtris habere potuimus, ſi ad periculum illorum, & noſtrum, veritatem ſilere, malitiamque ipſorum diſſimulate maluiſſemus. At nos certe ex hujus vitæ termino, & temporalium commodorum qualitate perpendentes, nunquam melius quemquam poſſe epiſcopum nominari, quam cum perſecutionem patitur propter juſtitiam, decrevimus potius divinis mandatis obtemperando pravorum inimicitias incurrere, quam illis male placendo iram Dei provocare. Nunc ad induſtriam tuam ſermonem vertimus, cariſſime fili. Noverit excellentia tua, dilectiſſime, illud unum admodum nobis, immo clementiæ divinæ, placere, quod in eccleſiis regni tui matris omnium ſanctæ Romanæ eccleſiæ ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari effeceris. Denique in illo, quem hactenus tenuiſſe videmini, ſicut ſuggerentibus religioſis viris didicimus, quædam contra catholicam fidem inſerta eſſe patulo convincuntur. Quæ cum relinquere, & ad priſcam conſuetudinem, ſcilicet hujus eccleſiæ, reverti deliberaſti, non dubie te beatum Petrum patronum optare, & ſubditorum tuorum ſalutem, cæleſti gratia inſpirante, ſicut regem decet, curare monſtraſti. Quod tamen gaudium de ſapientia tua multo cumulatius referimus, cum tuæ humilitatis illuſtrem famam memoriæ interdum reducimus, & eam virtutem quæ cum regia potentia vix aut rariſſime capi ſub uno domicilio conſuevit, in corde tuo immorari conſideramus. Cæterum quod de uxore tua & de abbatia ſancti Secundi poſtulaſti, competentius reſponderi per filium noſtrum Richardum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem & legatum, & fratrem Simeonem epiſcopum, arbitrati ſumus: de illa autem perſona quæ in archiepiſcopum fuerat eligenda, dicimus, licet ſatis prudens & liberalis videatur, tamen (quemadmodum nobis notum eſt, & literæ tuæ non negant) diſciplinæ fundamento, videlicet literalis ſcientiæ peritia, indiget. Quæ virtus quam ſit non modo epiſcopis, verum etiam ſacerdotibus neceſſaria, ipſe ſatis intelligis, cum nullus ſine ea aut alios docere, aut ſeſe poſſit defendere. Quapropter ſerenitatem tuam ſtudere oportet, ut

ANNO CHRISTI 1081.

ut cum consilio præfati legati nostri Richardi A Massiliensis abbatis aliorumque religiosorum virorum eligatur inde, si inveniri potest: sin autem, aliunde expectatur talis persona, cujus religio & doctrina ecclesiæ vestræ & regno decorem conferat & salutem. Neque vero te pigeat aut pudeat extraneum forte, vel humilis sanguinis virum, dummodo idoneus sit, ad ecclesiæ tuæ regimen, quod proprie bonos exoptat, adscire, cum Romana respublica, ut Paganorum tempore, sic & sub Christianitatis titulis inde maxime, Deo favente, excreverit, quod non tam generis aut patriæ nobilitatem, quam animi & corporis virtutes perpendendas adjudicavit. Quoniam autem sicut de bonis gloriæ tuæ merito congratulari, ita & de his, quæ non conveniunt a te B fieri dolere, ac ex merito inhibere compellimur, dilectionem tuam monemus, ut in terra tua Judæos Christianis dominari, vel supra eos potestatem exercere ulterius, nullatenus sinas. Quid enim est Judæis Christianos supponere, ac hos illorum judicio subjicere, nisi ecclesiam Dei opprimere, & satanæ synagogam exaltare; & dum inimicis Christi velis placere, ipsum Christum contemnere? Caveas itaque, fili, hoc facere domino & creatori tuo, quod non impune fieri tibi sustineres a servo tuo. Memento honoris & gloriæ quam tibi super omnes Hispaniæ reges misericordia Christi concessit: atque illius voluntatem tuis actibus, quasi formam adhibendo, mutuam vicem in cunctis ei rependere stude: imo ut hic C & in futuro exaltari merearis, te in omnibus illi submittere semper memineris. Valde quippe indignum est ei unum hominem, videlicet teipsum, perfecte non subjicere, qui tibi ultra mille hominum millia subjecit, & judicio tuo commisit. De cætero regiæ munificentiæ tuæ gratulamur, cujus animi devotionem in eo plane satis agnoscimus, atque agnoscentes amplectimur, quod quanti beatum Petrum fecerit ex dono patenter ostendere voluit. Et certe cum tui cordis amorem munus illud per se satis sufficienter ostendat, tum etiam tuæ fidei meritum illud ipsum mutua vice longe vero magis commendat, multisque gentibus e cunctis mundi partibus ad gremium matris sanctæ Romanæ ecclesiæ venientibus ad honorem tuum D clare manifestat. Et quidem licet illud munus tam amplum & magnificum fuerit, ut & te regem dare, & B. Petrum recipere, convenienter decuerit; tamen in illo animi tui devotionem multo magis amplectimur, quæ quanti beatum Petrum fecerit ex dono patenter ostendit. Eo igitur, ut dignum est, decenter suscepto, donum quod domino largiente sedes habet apostolica, sinceræ tuæ devotioni remittit.

Judæis non permittenda supra Christianos potestas.

Omnipotens Deus, omnium rerum creator & rector, omniumque dignitatum ineffabilis dispositor, qui dat salutem regibus, meritis altissimæ dominæ genitricis Dei Mariæ, omniumque sanctorum, auctoritate beatorum apostolorum Petri & Pauli nobis licet indignis per eos qualicumque E commissa, te tuosque fideles in Christo ab omnibus peccatis absolvat, detque tibi victoriam de inimicis visibilibus & invisibilibus. Mentem tuam semper illuminet, ut ejus bonitatem & humanam fragilitatem diligenter perspiciendo, mundi gloriam despicias, & ad æternam beato Petro duce pervenias.

III. AD EPISCOPUM PATAVIENSEM & Abbatem Hirsaugiensem.

ANNO CHRISTI 1081.

Significat defuncto Rodulpho rege omnes sibi persuadere ut Henricum in gratiam recipiat. Monet ut Mathildem certiorem faciant, an ab eis præsidium contra Henricum expectare debeat; & ducem Welfonem aliosque moneant ut fidem beato Petro servent, atque omnes hortentur ne regis electio temere fiat, sed Deum exorent ut inimici resipiscant, & ecclesiæ suæ defensorem tribuat. In sacerdotes belli tempore rigorem canonicum temperandum esse ait. In synodo se omnes excommunicatos iterum excommunicasse.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo fratri & coepiscopo, Patavienſi A..... & venerabili Hirsaugienſi abbati Vo..... salutem & apostolicam benedictionem.

PRudentiæ vestræ ex hoc satis gratulamur, quia sicut oportebat, nuntiare nobis vera summopere studuistis, præsertim cum multa & varia ex partibus vestris apud nos referantur. Notificamus autem dilectioni vestræ, * pene omnes nostros fideles, audita * voce Rodulphi beatæ memoriæ regis, niti ad hoc nos crebris adhortationibus flectere, ut Henricum jampridem, sicut scitis, plura facere nobis paratum, cui ferme omnes Italici favent, in gratiam nostram recipiamus: adjicientes, si ille in Italiam pro velle & conatu suo non valens nobiscum habere pacem, contra sanctam ecclesiam venerit, ex vobis frustra sperandum fore auxilium. Quod quidem si nobis, qui illius superbiam parvipendimus, deficiat, non adeo grave videtur. Si vero filiæ nostræ Mathildi; cujus militum animos ipsi perpenditis, a vobis suffragatum non fuerit, quid aliud restat, nisi ut cum sui resistere recusaverint, quam utique hac in re pro insana habent, ipsa vel coacta paci illius acquiescat, aut quidquid possidere videtur amittat? Quamobrem summopere niti vos oportet eam certam reddere, an ex vobis præsidium expectare firmiter debeat. Si Henricus forte Longobardiam intraverit, admonere etiam te, carissime frater, volumus ducem Welphonem ut fidelitatem beato Petro faciat, sicut coram imperatrice Agnete & episcopo Cumano mecum disposuit, concesso sibi post mortem patris ejus beneficio. Illum enim totum in gremio beati Petri desideramus collocare, & ad ejus servitium specialiter provocare. Quam voluntatem si in eo, vel etiam in aliis potentibus viris amore B. Petri pro suorum peccatorum absolutione ductis, cognoveris, ut perficiant elabora, nosque certos reddere diligenter procura. Hac enim fiducia, ut Italici remoti ab Henrico nobis, imo B. Petro, fideliter adhæreant, Deo adjuvante, efficere credimus. Præterea admonendi sunt omnes in partibus vestris dominum timentes, ac sponsæ Christi libertatem diligentes, ut non aliqua gratia suadente, aut ullo metu cogente, properent eam temere personam eligere, cujus mores & cætera quæ regi oportet inesse a suscipienda Christianæ religionis defensione & cura discordent. Melius quippe fore arbitramur, ut aliqua mora, secundum dominum ad honorem sanctæ ecclesiæ provideatur idoneus, quam nimium festinando in regem aliquis ordinetur indignus. Scimus quidem quod fratres nostri longo certamine diversisque perturbationibus fatigantur; nobilius tamen esse

* acce mort Marianus, Scotus, & Bertoldus anno sequ.

ANNO CHRISTI 1081.

dignoſcitur, multo tempore pro libertate ſanctæ ecclesiæ decertare, quam miſerus ac diabolicæ ſervituti ſubjacere. Certant namque miſeri, ſcilicet membra diaboli, ut ejuſdem miſera ſervitute opprimantur. Certant econtra membra Chriſti, ut eoſdem miſeros ad Chriſtianam libertatem reducant. Quapropter fundendæ ſunt frequentiſſimæ orationes, & largiſſimæ dandæ eleemoſynæ, omnibuſque modis redemptor noſter exorandus, ut inimici noſtri, quos ſuo præcepto diligimus, reſipiſcant, & ad gremium ſanctæ eccleſiæ redeant, ſuæque ſponſæ, pro qua mori dignatus eſt, defenſorem & rectorem, ſicut eam decet, clementer tribuat. Niſi enim ita obediens, & ſanctæ eccleſiæ humiliter devotus ac utilis, quemadmodum Chriſtianum regem oportet, & ſicut de Rodulpho ſperavimus, fuerit, procul dubio ei non modo ſancta eccleſia non favebit, ſed etiam contradicet. De prædicto enim Rodulpho rege, quid ſancta Romana eccleſia ſperaverit, & quid ille promittebat, tu ipſe, frater cariſſime, ſatis cognoſcis. Providendum eſt ergo, ut non minus ab eo qui eſt eligendus in regem, inter tot pericula & labores ſperare debeamus. Qua de re quid promiſſionis juramento ſancta Romana eccleſia ab illo requirat, in ſequenti ſignificamus.

Juramentum regis.

AB hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem beato Petro apoſtolo ejuſque vicario papæ Gregorio qui nunc in carne vivit: & quodcumque mihi ipſe papa præceperit, ſub his videlicet verbis: *Per veram obedientiam*, fideliter, ſicut oportet Chriſtianum, obſervabo. De ordinatione vero eccleſiarum, & de terris vel cenſu quæ Conſtantinus imperator, vel Carolus, ſancto Petro dederunt, & de omnibus eccleſiis vel prædiis, quæ apoſtolicæ ſedi ab aliquibus viris vel mulieribus aliquo tempore ſunt oblata vel conceſſa, & in mea ſunt vel fuerint poteſtate, ita conveniam cum papa, ut periculum ſacrilegii & perditionem animæ meæ non incurram: & Deo ſanctoque Petro adjuvante Chriſto dignum honorem & utilitatem impendam: & eo die, quando illum primitus videro, fideliter per manus meas miles ſancti Petri & illius efficiar.) Verum quoniam religionem tuam apoſtolicæ ſedi fidelem, & promiſſis tenemus, & experimentis non dubitamus, de his ſi quid minuendum vel augendum cenſueris, non tamen prætermiſſo integro fidelitatis modo, & obedientiæ promiſſione, poteſtati tuæ, & fidei quam beato Petro debes, committimus. Quod vero de ſacerdotibus interrogaſtis, placet nobis, ut impræſentiarum, tum propter populorum turbationes, tum etiam propter bonorum inopiam, ſcilicet quia pauciſſimi ſunt qui fidelibus Chriſtianis officia religionis perſolvant, pro tempore rigorem canonicum temperando, debeatis ſufferre. De his namque pacis & tranquillitatis tempore, quod, Domino miſerante, cito futurum credimus, convenientius tractari pleniuſque poterit canonicus ordo ſervari. Cæterum de Buggone, cujus malitiam ſignificaſtis, necdum tantam poteſtatem videlicet abſolvendi, ſibi tam temere commiſiſſe, nec etiam recordamur nos aliquando eum vel ſermone vel viſu notum habuiſſe. In ſancta quidem ſynodo, quam nuper, Deo auctore, celebravimus, omnes excommunicatos uſque ad condignam ſatisfactionem rurſus excommunicavimus, & fratrum multitudinem qui aderant rogavimus, ut miſericordiam Dei quotidie exorent, quatenus illos per veram pœnitentiam ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ reducat, eiſque in bono perſeverantiam tribuat. Nullius enim hominis perditionem quærimus, ſed omnium ſalutem in Chriſto deſideramus.

Imperator efficitur miles ſancti Petri & papæ.

ANNO CHRISTI 1081.

IV. AD ABBATEM CASSINENSEM.

Ut exploret an Robertus dux apoſtolicæ ſedis auxilio venturus ſit, & an quadrageſimali tempore, quo a militia vacare ſolebat, aliquod apoſtolicæ ſedis oppidum in officio continere velit. Ducem moneri vult, ut nepotem ſuum ab invaſione terrarum ſancti Petri compeſcat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili abbati Caſſinenſi * *D..... ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Desiderio, ſic & in cod. Mariæ.

SAtis novit dilectio tua, quantum commodi de pacatione ducis Roberti ſancta Romana eccleſia ſperaverit, quantumque ex hoc inimici ejus timuerint: neque etiam te latere putamus, huic apoſtolicæ ſedi ex parte illius quid utilitatis acceſſerit. Unde quia plurimorum fidelium ſuper eo ſpes, ſicut palam cernitur, hucuſque non proceſſit, volumus ut de cætero animum ipſius qualiter ſe circa Romanam eccleſiam habeat veraciter intelligere ſtudeas. Præcipue autem ejus voluntatem in his agnoſcere diligenter te cupimus, ſcilicet ſi neceſſaria nobis expeditio fuerit, poſt paſcha, an per ſe, vel per filium ſuum, ſe decenter ſuccurſurum fiducialiter polliceatur. Si vero hoc non potuerit, quot milites poſt paſchale feſtum, ut in familiari militia beati Petri ſint, ſe deſtinaturum indubitanter promittat. Hoc etiam ſolerter procures advertere an illos dies, videlicet quadrageſimales, quibus Normanni ſolent pugna vacare, præfatus dux aſſentiat hoc pacto Deo offerre, ut una vel nobiſcum, vel cum noſtro legato, ad aliquas terras beati Petri, quo invitatus fuerit, competenter inſtructus accedat: quatenus hoc ſui obſequii ſtudio, & bonos in apoſtolica fidelitate confirmet, & rebelles ac contumaces ad debitam ſanctæ Romanæ eccleſiæ reverentiam atque ſervitium vel terrore revocet vel vi, talique modo ſuæ Deo militiæ munus gratuitum offerat. Præterea de nepote ſuo Roberto de Loritello ad ipſius ducis memoriam revoces, qualiter de illo nobis promiſit, videlicet quod idem comes ſe terras apoſtolicæ ſedis, præter quas habebat, ulterius non invaſurum ſpopondit: quas tamen pro poſſe ſuo invadere, ſicut audivimus, adhuc non deſiſtit. Suadens igitur admoneas eum, ut memorati nepotis ſui ſacrilegam compeſcat audaciam, atque hortetur illum præterita corrigendo, & in futuro ſe abſtinendo, beatum Petrum propitium ſibi facere, in cujus irritatione ruinam, & in gratia vitam & felicitatem poſſit obtinere perpetuam. De novis ultramontanis nihil certi habemus, excepto quod Henricum nunquam ſe infelicius habuiſſe pene omnes illinc advenientes affirmant.

V. AD HUGONEM DIENSEM epiſcopum.

Cum legatus epiſcopos Nortmannos, quia ſynodo, ad quam vocabantur, præſto non fuerant, depoſuiſſet; præcipit ei ut eos reſtituat, ne regem Angliæ, qui in ſedem apoſtolicam præ cæteris regibus obſequentior erat, exaſperet: & jubet ut erga omnes ejus ſubditos mitius agat. Quod idem vult erga milites quoſdam, qui

qui ad ſimoniacos & fornicarios clericos coercendos auxilium legato tulerant, obſervari. A

ANNO CHRISTI 1080.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto fratribus Hugoni Dienſi epiſcopo, & A... ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErlatum nobis eſt, quod religio veſtra omnes Normannorum pontifices, præter Rhothomagenſem, ipſumque Culturenſem abbatem, quem nos reſtituimus, ad concilium invitatos ſuſpendit. Quos tamen, ſicut nobis ſuggeſtum eſt, non tam inobedientia, quam metus regis Francorum, ſcilicet quia ſecure venire nequibant, ſubtraxit. Qua in re prudentia tua quid nobis videatur advertat. Rex Anglorum licet in quibuſdam non ita religioſe, ſicut optamus, ſe habeat; tamen in hoc quod eccleſias Dei non deſtruit neque vendit, & pacem juſtitiamque in ſubditis ſuis moderari procurat, & quia contra apoſtolicam ſedem, rogatus a quibuſdam inimicis crucis Chriſti pactum inire, conſentire noluit, presbyteros uxores, laicos decimas quas detinebant, etiam juramento dimittere compulit, cæteris regibus ſe ſatis probabiliorem ac magis honorandum oſtendit. Unde non indignum debet exiſtimari poteſtatem illius mitius eſſe tractandam, atque reſpectu probitatis ipſius ſubditorum, & eorum quos diligit, negligentias ex parte fore portandas. Denique meminiſſe poteſt dilectio veſtra, qualiter & beatus Leo papa neophytos, & beatus Gregorius Venantium expatricium, quem ſuus epiſcopus injuſte corripuerat, ſuſtinuit: & quemadmodum clementia domini Joſaphat regi Juda, qui impio Achab auxilium præbens iram divinam meruerat, indulſit. Quare volumus, ut fraternitas veſtra ſupra memoratis epiſcopis & abbatibus, non prætermiſſo Culturenſi abbate, quos ſuſpendiſtis, per præſentium portitorem reſtitutionis literas mittat: & præfatum regem in talibus ulterius ſine aſſenſu noſtro non exalperet. Videtur enim nobis multo melius atque facilius lenitatis dulcedine ac rationis oſtenſione, quam auſteritate vel rigore juſtitiæ illum Deo lucrari, & ad perpetuum beati Petri amorem poſſe provocari. Præterea innotuit nobis, quod multos milites qui prius ad presbyteros fornicarios & ſimoniacos coercendos favorem & auxilium vobis impenderant, propterea quod decimas dimittere nolebant, excommunicando turbaveritis: quales nos adhuc anathematis vinculis alligare, ſynodali judicio per diſcretionem diſtulimus. Super his igitur conſulimus atque hortamur, ut nunc pro tempore canonicum rigorem veſtra ſapientia temperet, atque hac turbationis tempeſtate quædam parcendo, nonnulla diſſimulando, ita ſtudeat moderari, ut non ex ſeveritate juſtitiæ deteriorandi occaſionem ſumant, ſed ſuſpenſo nunc judicio, ſpatium recognoſcendi æquitatem habentes, poſtmodum facilius acquieſcant: ut demum in eos tranquillitatis tempore, quod, Deo annuente, cito futurum ſperamus, id quod nunc apoſtolicæ ſedis diſcretio patienter differt, juſtitia ditimens ad ſtatum ſuum reſtauret.

Guillelmus Newbrig. rerum Anglicarum lib. 2. cap. 1.

Cum quibus rigor temperandus.

VI. AD ABBATEM MASSILIENSEM.

Quorumdam monaſteriorum, quæ ſub Romanæ eccleſiæ tutela conſtituta ſunt, curam eis committit. Dat facultatem repetendi quidquid ad eadem monaſteria pertinens ab aliis injuſte detinetur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Richardo ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinali ſacerdoti atque abbati Maſſilienſi, ſuiſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum, &c.

ANNO CHRISTI 1080.

LIcet apoſtolici nos apicis cura pro cunctis generaliter eccleſiis vigilare, ac pro omnium ſtatu vel reparatione ſolicitos eſſe admoneat, illis tamen præcipue locis noſtram curam ſpecialius exhibendam perpendimus, quæ ſub Romanæ tutela ſedis conſtituta, ſcimus ſtatus ſui confirmationem, augmentum, vel reſtitutionem ab hac potiſſimum eccleſia, cujus juris ſunt, expectare. Quia ergo quædam monaſteria, alterum in provincia videlicet ſancti Petri, quod dicitur ad Montem majorem, & alterum in Narbonenſi archiepiſcopatu ſanctæ Mariæ de Craſſa, quæ ad hujus ſedis defenſionem pertinere, propriique juris ejus eſſe noſcuntur, jamdudum ſæcularium monachorum culpa a religionis tramite deviaſſe intelleximus; ea reformare ad lapſi decoris ſpecimen valde eſſe neceſſarium duximus. Scit enim, decentius atque convenientius eſſe decernitur, deſtructa reſtruere, & ad gradum ſuum collapſa reducere, quam in dilatandis vel noviter ædificandis op tam dare. Quapropter ad prædictorum locorum reſtaurationem religionis tuæ prudentiam perutilem arbitrantes, licet tu quorumdam proborum virorum precibus adhortatus, abſque licentia noſtra de eorum cura te nolueris intromittere, nos tamen cenſuimus per tuam ſucceſſorumque tuorum ſolertiam fratribus in eiſdem cœnobiis deinceps manſuris perpetuam regularis vitæ circumſpectionem providere. Proinde circa præfata monaſteria ſolicitudinis noſtræ vicem dilectioni veſtræ committentes, volumus atque præcipimus, ut in eis quæ amputanda ſunt amputetis, quæque corrigenda ſunt corrigatis; & quæ illis diſciplinæ tenore defuerint, veſtra vigilantia & labore conferantur. Præterea quotiens eorum rectores obierint, veſtri ſit ſtudii alios cum conſenſu probabiliorum fratrum de eadem congregatione, ſi fieri poteſt; ſin autem, aliunde, ſecundum Deum & regulam ſancti Benedicti abbates eligere, ibique ſubſtituere, quos ab illo epiſcopo, in cujus diœceſi fuerint, ſi ab hac ſede excommunicatus, vel ſimoniacæ hæreſeos infamia notatus non erit, ordinandos decrevimus. Si vero alterum horum obſtiterit, abbas a Romano pontifice ſuam conſecrationem expectat, aut ad quemcunque epiſcopum ille præceperit pergere, pro ſui ordinatione licentiam habeat: cujus nihilo minus abbatis mores & vitam ſicut & ſubditorum ſuorum diſcutere, exceſſuſque corrigere, veſtræ potiſſimum providentiæ attinebit. Quod ſi forte in aliquod crimen depoſitione dignum fuerit lapſus, veſtrum erit ad apoſtolicam audientiam deferre: quatenus aut hic damnationis ſuæ ſententiam per Romanum pontificem excipiat, aut per apoſtolicum legatum ad id peragendum ſerio miſſum, dignum ſuis meritis judicium ſubeat.

Statuimus etiam, ut quidquid ad eadem monaſteria pertinere cognoſcitur, ſi ab aliquibus irrationabiliter detinetur: ex hac noſtra auctoritate repetendi exigendique ac vendicandi habeatis per omnia, Deo juvante, licentiam; quia dignum eſt ut quorum curam geritis rebus nullo modo defraudemini. Præfato igitur modo noſtræ providentiæ ac diſpoſitionis viciſſitudinem circa ſæpe dicta monaſteria tibi tuiſque ſucceſſoribus in-

ut prælibavimus, regulariter promovendis concedentes, interdicimus, ut nullus ſucceſſorum noſtrorum, vel archiepiſcoporum, aut epiſcoporum, & nemo clericalis ſeu laicalis ordinis, audeat hanc poteſtatem præſentis decreti auctoritate firmatam vobis auferre vel perturbare, ſed ea (ſicut præfixum eſt) in veſtra ſalubri ordinatione ac diſpoſitione in perpetuum inconvulſa permaneant.

ANNO CHRISTI 1081.

VII. AD UNIVERSOS CHRISTIANOS.

Præcipit ne quiſquam eccleſiam ſancti Petri, in villa Maſcharans ſitam, tutelæ apoſtolicæ ſedis commiſſam infeſtet.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Deo & beato Petro fidelibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum ſit vobis, nos eccleſiam ſancti Petri ſitam in villa quæ dicitur Maſcharans, ſub jus & defenſionem apoſtolicæ ſedis ab ipſius fundatoribus ſponte traditam ſuſcepiſſe, ob cujus donationis memoriam perpetuo retinendam, conſtituerunt, & devoverunt ſe illi, qui circa eumdem locum propter amorem & tutelam beati Petri ſibi ædificant, pro unaquaque domo cenſum annualiter octo nummos Pictavenſium perſoluturos. Quapropter apoſtolica auctoritate præcipimus, ut nemo præfatum locum apoſtolica tuitione munitum deinceps infeſtare præſumat: ſed ſub defenſione beati Petri, cujus juris eſt, quietus & ſecurus ab omni perturbatione permaneat. Si quis ergo contra hanc noſtra mandata memoratum locum vexaverit, admonitus ſemel, iterum, uſque tertio, per convenientes inducias, ſi non reſipuerit, ſciat ſe a gratia beati Petri ſeparatum; &, niſi ſatisfecerit, anathematis vinculis innodandum: quicumque vero propter apoſtolicam reverentiam ab infeſtatione ipſius loci; & læſione, ſicut Chriſtianum decet, ſe continuerit, eumque adjuvare ſtuduerit; veniam peccatorum ſuorum, & gratiam beati Petri, ſi in bonis perſeveraverit, ſe promeriturum non dubitet.

VIII. AD VENETOS.

Hortatur ut ab excommunicatis caveant. Excuſat ſe quod eorum petitioni in præſenti non annuat; promittens tamen ſe opportuno tempore poſtulationi eorum aſſenſum præbiturum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei glorioſo duci & genti Venetorum, his tamen qui non communicant excommunicatis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUantum nos ex longo tempore vos & patriam veſtram dilexerimus, non exiſtimamus ſcientiam veſtram latere. Verum poſtquam nos omnipotentis Dei dignatio ad id provexit officii, non dilectionem ex vobis, qualem oportebat, agnovimus. Sed licet antehac res ita ſeſe habuerit, tamen quia ſanæ mentis conſilio matrem veſtram, apoſtolicam videlicet ſedem, recognoſcentes, eam incipitis quærere & venerari; nos qui hujus ſedis, quamvis indigni, ſolicitudinem gerimus, honorem veſtrum tam in præſenti, quam in futuro, ſecundum Deum diligere & ſervare haud ſecus optamus. Unde paterno vos affectu adhortantes, ex parte beati Petri monemus atque præcipimus, ut ſumma diligentia & cautela vos ab excommunicatis cuſtodire curetis, ac pernicioſe caveatis amicitiam forte vel gratiam illorum captando iiſdem vos laqueis damnationis innectere. Quod autem petitioni veſtræ ad præſens in adimplendo eam non videmur annuere, non tam noſtræ velut incuriæ, quam temporum incommoditati, velitis adſcribere. Denique cum tempus opportunum (quod Domino ſavente cito futurum ſperamus) advenerit, poſtulationem veſtram reſte efficere, ac honorem veſtrum ſalva juſtitia ſervare (opitulante clementia divina) non pigritabimur. Sicut enim in ſancta eccleſia caritas circa omnes generaliter tenenda dignoſcitur, ita ſuum quibuslibet, juſtitia dictante, honorem ſpecialiter non denegandum fore, ſed habendum perpendimus. Data ſexto Idus Aprilis.

ANNO CHRISTI 1081.

IX. AD COMITEM QUEMDAM.

Gratulatur de ejus erga Romanam eccleſiam obſervantia; utque in ea perſeveret, & ab excommunicatorum communione ſe ſeparet, hortatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei T..... nobiliſſimo comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam devotionem tuam erga communem matrem, Romanam videlicet eccleſiam, fidiſſimam in omnibus, multis & probatis viris atteſtantibus, & maxime cariſſimo fratre noſtro Hugone Dienſi epiſcopo referente cognoſcimus, valde lætamur, & omnipotentis Dei ſuper hæc clementiæ grates referimus. Oramus etiam ut divina præeunte clementia ſic cœptum bonum ad finem uſque perducas: quatenus ille, cujus judicio fidelium eccleſia Chriſti committa eſt, peccatorum nexibus abſolutum in electorum te faciat ſorte conſcribi. Te itaque, cariſſime fili, hortamur, ut tuæ mentis oculos in æterni regis amore & ſpe indeſinenter figas; ne nobilitas tua, ab illius divinitate præ cæteris exaltata, terrenis ſolicitudinibus & voluptatibus emollita, vim ſpiritualis deſiderii amittat. Dignum namque eſt; ut qui tuo nutui tantam hominum multitudinem ſuppoſuit, hanc ei viciſſitudinem recompenſes, ut unum hominem, videlicet teipſum, pura ſemper mente ſibi & corde conſerves. De cauſa videlicet excommunicatorum ſuper qua conſuluiſti, nihil tibi, præter quod ſacri canones præcipiunt, reſpondere poſſumus, ſcilicet ut abſtineatis vos a communione ipſorum, prout Deus conceſſerit, & veſtra prudentia poterit. Nec enim parum tolerabilibus abſtinendo exiſtimes agere, immo credas certiſſime, quoniam in futura beatitudine geminam a Domino coronam, obedientiæ ſcilicet ac ſanctæ prædicationis, accipies. Bona namque eſt vox prædicationis cum opere, ſed non parva eſt bona actio ſine voce. Neque vos alicui licentiam peccandi dare poſſumus aut debemus, cum noſipſi hanc licentiam non habeamus; ſed peccantibus apoſtolica auctoritate ſubvenire non denegamus, & manum ſalutaris conſilii porrigere deſideramus. Illud quoque prudentiam tuam animadvertere volumus, quod ſi quiſquam illorum excommunicatorum te graviter offenderet, ab illorum amicitia uſque ad ſatisfactionem te ſubmoveres. Quod ſi hoc pro tuo honore faceres, quid pro Deo facere debes animadverte. Quapropter monemus te, cariſſime fili, ut quod a ſubjectis tibi vis fieri non negligas pro illius amore agere qui te ad ſuam imaginem creavit, & ſuo pre-

pretioſo ſanguine redemit. Data Lateranis quarto Kalendas Maii. ANNO CHRISTI 1082.

X. AD EPISCOPUM PATAVIENSEM.

Monet ut qui Henrico adhæſerant, ſi reſipiſcant, benigne ſuſcipiat, præcipue vero Burgenſem epiſcopum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri A..... Patavienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia vicem noſtram in Teutonicis partibus prudentiæ tuæ commiſimus, diſcretionem tuam diligenter monemus, ſicut jam aliis literis ad te deſtinatis (ſi pervenerint) fecimus, ut conſilio fratris noſtri Saltzburgenſis archiepiſcopi, & aliorum confratrum noſtrorum epiſcoporum eos, quos adhærendo * H. . . . a proposito veritatis erraſſe cognoſcitis, ſtudioſe revocetis: & qui redire voluerint fraterne ſuſcipiatis, & maxime Oſnaburgenſem epiſcopum, quem nobis velle fideliter adhærere audivimus, benigne ſuſcipiatis, & fraterno auxilio contra quamlibet injuriam inferendam ei occurrere, ubi opportunum fuerit, non hæſitetis; & litem quam de decimatione eccleſiæ ſuæ habet cum * Corbegenſe abbate, vel juſte ante vos terminate, aut abſque læſione ſuæ eccleſiæ certum tempus ipſius ante nos terminandæ ex utraque parte ſtatuite. Vale.

* Henrico, ſic & in ed. Mar.

* Corbeja Saxonica ad Viſurgin. Fl. ed. Marin. Corbeienſe.

XI. AD DESIDERIUM, abbatem Caſſinenſem.

Henricum regem Romam cum paucis copiis venturum ſignificat, quem, ſi ejus voluntati favere vellet, obſequentem ſibi haberet: ſed ſe mori potius paratum aſſerit, quam ejus impietati aſſenſum præbere. Monet ut ſibi in defenſione eccleſiæ adhæreat. Significat ex Mathildis literis cognoviſſe, quod rex cum Roberto duce fœdus inierit, de quo quid actum ſit ab eo vult inquiri. Romanos ad apoſtolicæ ſedis obſequium paratos oſtendit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Deſiderio venerabili cardinali ſancti Petri, & abbati Caſſinenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Marianus Scotus, & Bertoldus, eodem tom. Leo Oſtienſis lib. 3. cap. 49.

FRaternitatem tuam, dilectiſſime, cognoſcere volumus, quod (ſicut pro certo didicimus) Henricus dictus rex in ſuburbanis Ravennæ moratur, diſponens, ſi poterit, Romam circa pentecoſten venire. Quem certiſſime ſcimus ex ultramontanis & Longobardis parvam manum habere. Audivimus autem, quod ex his qui circa Ravennam, vel in Marchia, morantur, putat exercitum cum quo veniat colligere; quod fieri minime credimus, quoniam nec etiam locum ab his, per quos tranſitum habet, habere poteſt. Tu vero ipſe, amande frater, cognoſcis, quia ſi nos amor juſtitiæ & honoris ſanctæ eccleſiæ non teneret, tamque pravæ voluntati ac nequitiæ regis & ſuorum vellemus favere, nullus aliquando prædeceſſorum noſtrorum ab anteceſſoribus regibus, ſeu etiam archiepiſcopis, tam amplum & devotum ſervitium, ſicut nos, ab hoc rege, & ab archiepiſcopo, habere potuerunt. Verum quoniam illorum minas & ſævitiam pro nihilo ducimus, magis, ſi neceſſe fuerit, mortem ſuſcipere parati erimus, quam impietatibus eorum aſſenſum præbere, aut juſtitiam relinquere. Quapropter rogamus atque monemus, ut, quemadmodum te decet, ita nobis adhæreas: quatenus ſanctæ matris tuæ Romanæ eccleſiæ honor, quam de te multum confidit, nunc & ſemper robur obtineat. Hoc etiam te ſcire volumus, quod comitiſſa Mathildis literas ad nos direxit, quibus continetur hoc, quod quemadmodum a familiaribus ipſius pro certo cognovit, præfatus rex placitum cum Roberto duce habeat, videlicet hoc, ut filius regis filiam ipſius ducis accipiat, & rex duci Marchiam tribuat. Quod Romani facile credent, ſi viderint ducem adjutorium (ſicut juramento fidelitatis nobis promiſit) ſubtrahere. Sed prudentia tua ſolicite inviglilet, & quid ſuper hac re actum ſit diligenti examinatione cognoſcat. Tu ipſe etiam quantocius ad nos propera. Scias præterea quod Romani, & qui circa nos ſunt, fide & prompto animo Dei & noſtri ſervitio parati per omnia exiſtunt. ANNO CHRISTI 1082.

XII. AD VALVENSES.

Eadem quæ in epiſtola decimaquinta libri VIII.

Juramentum Bertranni comitis Provinciæ.

EGo Bertrannus Dei gratia comes Provinciæ ab hac hora & deinceps tibi domino meo papæ Gregorio & cunctis ſucceſſoribus tuis, qui per meliores cardinales ſanctæ Romanæ eccleſiæ electi fuerint, fidelis ero, & quidquid crediderit, in damnum veſtrum me ſciente non manifeſtabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta evangelia.

Aliud juramentum ejuſdem.

EGo Bertrannus Dei gratia comes Provinciæ pro remiſſione peccatorum meorum, & parentum meorum, offero, concedo, dono omnem honorem meum, quantum ad me jure parentum pertinet, omnipotenti Deo & ſanctis apoſtolis Petro & Paulo, & domino meo Gregorio papæ ſeptimo, & omnibus ſucceſſoribus ejus: ita ut quidquid placuerit deinceps domino papæ Gregorio de me, & de toto honore meo ſine ullo contradicto faciat. Eccleſias autem omnes, quæ in mea poteſtate ſunt, præfato domino meo Gregorio papæ omnino dimitto, & omnibus ſucceſſoribus ſuis: & ad ordinandas eas juſte & ſecundum Deum pro poſſe meo fideliter adjuvabo.

XIII. AD ROBERTUM COMITEM Flandriæ.

Præcipit ut ratum habeat quidquid a Lugdunenſi archiepiſcopo ſuper electione Tervannenſis epiſcopi ſtatutum fuerit, & ut clericis qui hac de cauſa Romam venerant nullam læſionem fieri permittat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Roberto nobili Flandrenſium comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErlatum nobis eſt, quod Tervannenſis archidiaconus, qui prius cum quadam parte cleri R..... contra Lambertum invaſorem elegerat, nunc ſibiipſi contrarius mutato conſilio alterum ſuppoſuerit. Quam cauſam fratri noſtro Lugdunenſi archiepiſcopo * H..... diligenter procurandam literis noſtris commiſimus: ut, niſi prior electio canonice fuerit improbata, nullum illi ſedi

Hæc epiſtola hic errore ſcriptoris locata, inferius ponenda erat

* Humberto.

di alterum ſubroget. Quidquid ergo ipſe ſuper A
ANNO CHRISTI 1081. hoc negotio fuerit executus, quia certi ſumus cum a juſtitia non receſſurum, nobilitati tuæ præcipimus, ut ratum firmumque tenere nullatenus renuat: ſed quod ille ſtatuerit quaſi noſtrum vos obſervare, cæteriſque ne contradicere audeant pro veſtri magnitudine imminere. Inſuper volumus, atque monemus, ut clericis, qui propter hoc negotium ſedem apoſtolicam petiverunt, nullam exinde læſionem faciatis, vel fieri permittatis.

XIV. AD REGES WISIGOTHORUM.

Gratulatur de gentis eorum regni ad fidem Chriſtianam converſione. Ad bona opera hortatur. B Vult clericos ſæpe ad ſe mittant, qui Romanæ eccleſiæ inſtituta edocti eos poſtea inſtruere poſſint.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Wiſigothorum glorioſis regibus L..... & A..... & populis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

*epiſcopus R. FRater noſter *epiſcopus veſter ad apoſtolorum limina veniens ſuggeſſit nobis de nova gentis veſtræ converſione, ſcilicet qualiter relicto gentilitatis errore ad Chriſtianæ fidei veritatem perveſterit. Unde plurimum in domino lætati miſeratori omnium intimo corde gratias agimus, qui mentes veſtras lumine ſuo viſitare, & de tenebris C ad lucem, de morte ad vitam dignatus eſt vos æterna ſua benignitate reducere. Simul etiam ipſius ineffabilem miſericordiam deprecati ſumus, aſſidueque poſtulare optamus, ut vos tam fidei gratia, quam & bonorum operum fructibus, & in hac vita vigere, & in futura ſanctorum cœtibus faciat annumerari. Proinde, cariſſimi filii, auctoritate ſanctæ Romanæ eccleſiæ, vice beatorum apoſtolorum Petri & Pauli nobis licet indignis conceſſa, vos admonemus, ut hujus fugitivæ vitæ incertitudinem ac temporalium rerum & gaudiorum inſtabilitatem perpendentes contemnere, & ad illa quæ ſine fine manſura ſunt, quæque humani ſenſus ac deſiderii anguſtias amplitudine ſua excedunt, memineritis aciem mentis D ſemper extendere: concordiam & dilectionem ſtudeatis adinvicem indeficienter habere; eccleſiis honorem, pauperibus vel afflictis compaſſionem, ſacerdotibus, præcipueque epiſcopis, reverentiam & obedientiam, quaſi patribus, procuretis impendere: nec non & decimas, quæ ad uſum tam ipſorum, quam eccleſiarum & pauperum proficiant, dare, totique regno indicere. Quod quidem nulli debet grave videri pro meliori parte, videlicet ſemper victura anima, quemque decimam Deo offerre, cum pro morituro corpore plurimæ gentes conjugibus ſuis tertiam rerum legibus compellantur exolvere. Præterea ad hoc ſummis animi viribus enitimini, ut qui velut in fine orbis, ita & ſæculorum ad laborandum in vineam dominicam introiſtis, inter primos remunerandi eumdem denarium undecimæ operatores percipere debeatis. Agite etiam, ut quemadmodum de predeceſſoris veſtri laudabili fama valde ſumus gaviſi, ita quoque ſtudiorum probitatumque veſtrarum opinio nos de ſe, ſicut optamus, lætificet. Quia vero noviter ad Chriſtum converſos nondum Chriſtianæ fidei & religionis doctrinam ſufficienter vos ſumpſiſſe putamus; volumus ut frequenter ad hanc ſedem clericos veſtros mittatis, taleſque perſonas provideatis ad nos deſtinare, qui & ſanctæ Romanæ eccleſiæ moribus plenius inſtrui, & inſtructi valeant ad vos docte ſalubriterque quæ ſunt agenda referre. ANNO CHRISTI 1081.

XV. AD HUGONEM DIENSEM EPISCOP.

Significat Pariſienſem & Carnotenſem epiſcopos de eo apud ſe eſſe queſtos, quod eumdem Carnotenſem non canonice accuſatum excommunicatum depoſuerit, nec ejus defenſionem admiſerit: qua de re cum ſe certiorem non feciſſet, jubet ut iis interim Romæ expectare juſſis ipſe aut veniat, aut nuntium mittat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Hugoni Dienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRater & coepiſcopus noſter Pariſienſis cum Carnotenſi ad apoſtolicam ſedem venerunt, non ſine multa quidem, ſicut ipſi referebant, & ſui fatigatione & rerum ſuarum jactura, in quibuſdam locis etiam capti, nec ſine redemptione ſui dimiſſi. Clamorem itaque ad noſtram audientiam tulerunt, quod in alterum eorum, videlicet Carnotenſem epiſcopum, tua fraternitas præjudicium fecerit, & non canonice accuſatum excommunicationis ac depoſitionis ſententiæ ſubdiderit. At hoc etiam maximum gravamen factum eſſe conqueſti ſunt, quod cum talis eſſet accuſatio, & in defenſione illius prædictus Pariſienſis epiſcopus, qui rem omnem conſtitutionis ejus novit & fecit, & Belvacenſis abſolute; duo vero archiepiſcopi, aliique duo epiſcopi qui non interfuerunt, conditionaliter videlicet, ſe ſcientibus, jurare voluerint; propter hoc tamen ſolum quod conditionem iſti quatuor apponebant defenſionis recipere juramentum nolueris. Verum cum de prudentia tua nihil incongruum temere credendum nobis eſſe putemus; præſertim quia tam viva voce, quam literis ex nobis te ſuper hac re commonitum eſſe meminimus, ut quidquid in ſynodis ageres, diligenter conſcriptum nobis dirigeres: quamquam ſe adventum ſuum tibi notificaſſe memorarent; nos tamen nuntium tuum expectantes, aut literas, illos ut cauſæ ſuæ diffinitionem perciperent per dies aliquantos detinuimus: ac poſt ingreſſum urbis ſub ea ſpe plures quam viginti dies ſunt demorati. Ubi vero illis & labore itineris, & rerum diſpendiis, magniſque ſumptibus fatigatis, nec nuntium nec literas veſtras accepimus, fratribus quoque noſtris valde compatientibus atque adjudicantibus nimis indignum eſſe apoſtolica manſuetudine, ut illi ſine conſolatione recederent, præcepimus eis, ut tamdiu adhuc expectarent, donec ex vobis reſponſum reciperemus. Fraternitati itaque tuæ jubemus, ut aut tu ipſe, quod magis optamus, de hoc & de aliis majoribus negotiis nobiſcum tractaturus advenias, aut idoneum nuntium cum literis ſuper hac re compoſitis, qui eas, ſi ſit neceſſarium, juramento comprobet, dirigas. Data Lateranis ſecundo E Nonas Decembris.

XVI. AD CLERUM ET POPULUM CARNOTENSEM.

Præcipit ut epiſcopum ſuum de falſo ſimoniæ crimine purgatum debito honore ſuſcipiant, eique ut proprio paſtori obediant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Carnotenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUod epiſcopum veſtrum tamdiu apud nos detinuimus, ſciatis nos idcirco egiſſe, ut cauſam

ANNO CHRISTI 1081.

ſam ipſius pleniter diſcutientes irretractabili finem concluderemus. Inde etiam literis noſtris ad legatum noſtrum epiſcopum Dienſem directis mandavimus, ut aut ipſe ad nos veniret, aut nuntium ſuum cum literis hujus negotii ſeriem continentibus nobis tranſmitteret. Verum apicibus illius ſuſceptis reperimus eum aliquantulum a verbis avunculi hujus, ſcilicet Pariſienſis epiſcopi, diſſentire. Sed diverſitatem ipſam diligentiſſime perſpicientes, cognovimus præfatum negotium, inviolata juſtitia, non incongrue cum miſericordia poſſe tractari. Quapropter divino freti auxilio cenſuimus ne ulterius hunc falſi criminis tanti dilaniaret infamia, ut præſentialiter per ſe & avunculum ſuum, dato ſupra ſacratiſſimum corpus beati Petri apoſtolorum principis juramento ſeſe purgaret. Non enim aut cujuslibet perſonæ gratiam, aut lucri temporalis ardorem, tantum valere credidimus, ut aliquis ſanæ mentis vir, præſertim epiſcopus, ſpreto divini horrore judicii, ultro perjurium tam grave velit patrare. Quocirca dilectionem veſtram monentes, ex parte beati Petri vobis præcipimus, ut præfatum epiſcopum veſtrum paterna cum veneratione ſuſcipiatis, eique debitum honorem deferentes ſicut paſtori obediatis. Præterea apoſtolica interdictione inhibemus, ne eum ſuper illo ſimoniacæ infamationis, quo ſe purgavit, aliiſve falſis criminibus, deinceps agitari, neve ipſum, ſicut mos eſt quorumdam prælatos criminoſis ſuſpicionibus commaculare, ulterius injuſte ſolicitari permittatis, ſed eum, ut præſignavimus, ſicut patrem ſpiritualem venerantes, offendatis vos & apoſtolicis juſſis obedientiam gerere, & ut Chriſtianos oportet animarum veſtrarum curam habere.

XVII. AD ROBERTUM DUCEM.

Cum Robertus adeptum ſe victoriam pontifici & Romanis nuntiaſſet. Hortatur ut beati Petri auxilio conſecutum ſe eam eſſe reminiſcens, debitam vicem rependat, & promiſſis ſatisfaciens Romanæ eccleſiæ ab Henrico vexatæ ſit auxilio.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Roberto glorioſo duci, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUod geſti belli proventum, & adeptæ victoriæ palmam, nobis & Romanis notificaſti, id quod decuit prudenti conſilio uſus egiſti, ut res quam ex voto amicorum glorioſe obtineras, ipſorum congratulationibus glorioſior tibi redderetur atque jucundior. Oportet interea te illum alta memoria figere, cujus favore & auxilio non ambigis res tuas jamdudum procedere. Nam ſicut ingratitudo provocat indignationem, ita devotio incunctanter accumulat gratiam. Quapropter beatum Petrum, cujus tibi adeſſe patrocinium grandia facta teſtantur, præ oculis habere ſemper memineris, ejuſque beneficiis, cum neceſſe eſt, gratam vicem rependens ipſum de cætero velut debitorem efficere tibi procurato: de quo nimirum eo magis præſumere poteris, quo amplius obſequiis illum tibi quaſi obnoxium adſtrinxeris. Memento itaque matris tuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quæ de te inter cæteros principes ſpecialiter confidit, & peculiariter diligit. Memento quod ſibi promiſiſti, & quod pollicitus es (cui etiam non promittens, ex jure Chriſtianitatis debes adimplere) cum promiſeris, non ulterius differas. Non enim ignoras, quanta perturbatio contra eam per Henricum dictum regem ſit orta, quantumque tuo, qui ſuus es filius, auxilio indigeat. Age ergo, ut quantum ſtudet filius iniquitatis adverſari, non minus debeat de tuis devotionis opitulatione mater eccleſia gratulari. Dubitavimus hic ſigillum plumbeum ponere, ne ſi illud inimici caperent, de eo falſitatem aliquam facerent.

ANNO CHRISTI 1081.

XVIII.

Ut in Lugdunenſi eccleſia archiepiſcopum idoneum ordinandum curet; quod niſi cito reperiatur ipſe ejus eccleſiæ regimen ſuſcipiat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * V..... dilecto in Chriſto fratri & coepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Quid ſi Hugo? qui Gebuino ſucceſſit ad multos annos: ita & in noſtr.

SUmmopere procurandum tibi eſt, ut in magna ſede Lugdunenſi non diu differatur ordinari archiepiſcopus, qui revera ſit miles Chriſti & defenſor juſtitiæ: pro qua non ſolum laborare, ſed etiam pro ea deſideret mortem carnis ſubire. Quod ſi cito non poteſt reperiri, ex apoſtolica tibi præcipimus auctoritate, ut rogatus a fratribus tuis, & electus ab ejuidem eccleſiæ filiis, indubitanter præſumens de adjutorio cæleſti ad regimen prædictæ Lugdunenſis ſanctæ accedas eccleſiæ, imitando dominum & patrem noſtrum beatum Petrum apoſtolum, qui de minori eccleſia Antiochena translatus eſt in Romanam. Data nono Kalendas Novembris.

XIX. AD ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM.

Terminandam ei committit cauſam abbatis, cui officium propter contumaciam, excuſabilem tamen, interdixerat: quod interim illi reddi vult. Præcipit ut privilegio, quod ab adverſariis ejus monachis ab Alexandro pontifice ſubreptum dicebatur, ſi ita eſt, caſſato, cauſaque diſcuſſa, ſecundum veritatem judicium ſuper ea proferat.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri * H.... Lugdunenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Hugoni, ſic & in Manſi.

ABbas præſentium lator retulit nobis, officium ſibi eccleſiæque ſuæ a fraternitate tua eſſe interdictum, propterea quod loco ad juſtitiam inter ipſum & abbatem de Caſa Dei diſcernendam conſtituto admonitus non interfuit: ad quem, ſicut ipſe dicit, venire non contempſit; ſed propter diſcordiam, quæ inter comites illius patriæ fuit, non auſus eſt. Proinde quia nos illius cauſam nec pleniter ſcimus, nec abſente altera parte judicare debemus, eam fraternitati tuæ committimus, ut ſtatuto utrique parti congruo loco & termino, ad finem quem juſtitia dictaverit eorum cauſam perducas. Volumus tamen ut pro amore beati Petri, a quo ſine miſericordia nemo regredi debet, inquantum cum juſtitia poteris, iſtum miſericorditer tractes, atque in manſuetudine tua is ſentiat ſe non fruſtra tantum laborem ad apoſtolicam ſedem ſumpſiſſe. Interim etiam dignum videtur, & volumus, ut, niſi hoc ad juſtitiam exequendam impediturum eſſe pro certo cognoveris, officium ſibi ſumque eccleſiæ reddas; quatenus in hoc quoque apoſtolicæ ſedis auxilium petiiſſe non cum pœniteat. Præterea idem iſte frater retulit nobis ſe cauſam, quam cum qui-

ANNO CHRISTI 1081.

buſdam monachis habebat, ad audientiam tuam detuliſſe: cujus rei examinationem, quoniam præfati monachi privilegium venerandæ memoriæ Alexandri prædeceſſoris noſtri prætendebant, noluerit facere. Quapropter quia prælibato anteceſſori noſtro a malitia quorumdam, ſicut ipſe noſti, nonnunquam ſubreptum eſt, religioni tuæ præcipimus, ut nihilo minus cauſam ipſam diſcutias: &, ſi privilegium contra juſtitiam factum eſſe deprehenderis, eo caſſato, quidquid æquitas poſtulaverit exequi noſtra auctoritate fultus non dubites. Quidquid autem ſuper his diffiniveris, noſtræ intelligentiæ ſtudeas indicare.

XX. AD EPISCOPUM CANTUARIENSEM.

Cantuarienſis epiſcopus cum Romam ſæpe vocatus nec veniret, nec excuſationem canonicam haberet, præcipit ut intra quatuor menſes Romam veniat, alioquin eum ab officio epiſcopali ſuſpendit.

* Lanfranco, in ep. Monit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * *L..... Cantuariorum archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SÆpe fraternitatem tuam apoſtolica legatione invitavimus Romam venire etiam pro fidei & religionis Chriſtianæ comprobatione: quod hucuſque, ſicut apparet, aut ſuperbe aut negligenter noſtra abutens patientia diſtuliſti, cum nec etiam canonicam excuſationem prætenderis. Non enim labor aut difficultas itineris te ſufficienter excuſat, cum ſatis notum ſit multos longe remotos, licet corpore invalidos & infirmos, & a lectulis vix valentes ſurgere, tamen beati Petri amore flagrantes ad ejus limina vehiculis properare. Quare apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, ut poſtpoſita occaſione vel inani formidine, datis induciis quatuor menſium, poſtquam hæc noſtra mandata ad notitiam tuam pervenerint, in præſentis anni feſto omnium ſanctorum Romæ adeſſe procures & fatagas, & inobedientiæ tuæ reatum per tantum temporis ſupportatum emendare non ulterius negligas. Quod ſi nec adhuc te mandata apoſtolica moverint, ſed ea diſſimulans in contemptu durare malueris, & periculum inobedientiæ incurrere non erubueris, quod eſt quaſi ſcelus idololatriæ, teſtante beato Samuele, a beati Petri gratia ſcias te procul dubio removendum, & ejus auctoritate omnino feriendum: ita videlicet, ut ſi infra prædictum ſpatium ad nos non veneris, ab omni ſis officio epiſcopali ſuſpenſus.

XXI. AD UNIVERSOS FIDELES,

Hortatur ad perſecutiones patienter ferendas.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis, abbatibus, clericis, & laicis, apoſtolicæ ſedi fidelibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SCimus, fratres cariſſimi, quia tribulationibus & anguſtiis noſtris compatimini, & in veſtris orationibus ante dominum memoriam noſtri habetis: quod idem nos erga vos agere non dubitetis; & merito: nam apoſtolus dicit; *Si patitur unum membrum; compatiuntur & cætera membra.* 1. Cor. 12. In hoc etiam credimus caritatem Dei diffuſam in cordibus noſtris, quia omnes unum volumus, unum deſideramus, & ad unum tendimus. Unum volumus, videlicet ut omnes impii reſipiſcant, & ad creatorem ſuum revertantur. Unum deſideramus, ſcilicet ut ſancta eccleſia per totum orbem conculcata & confuſa, & per diverſas partes diſciſſa, ad priſtinum decorem & ſoliditatem redeat. Ad unum tendimus, quia ut Deus glorificetur in nobis, & nos cum fratribus noſtris, etiam cum his qui nos perſequuntur, ad vitam æternam pervenire mereamur, exoptamus. Nolite mirari, fratres cariſſimi, ſi odit vos mundus, quia & noſipſi eum contra nos irritamus, qui illius deſiderio valde contradicentes opera illius condemnamus. Quid autem mirum, ſi principes mundi, & potentes ſæculi, nos pauperes Chriſti pravitatibus illorum obviantes odiunt, & quadam indignatione contra nos deſæviunt, cum aliqui ſubjecti, vel etiam ſervi, juſſi ſuas iniquitates relinquere, conantur præpoſitorum ſuorum vitam auferre, & tamen adhuc uſque ad ſanguinem rari ex noſtris impils reſtiterunt, & (quod omnino erat optandum) pauciſſimi noſtrum pro Chriſto mortem ſubierunt. Penſate, cariſſimi, penſate, quot quotidie milites ſæculares pro dominis ſuis vili mercede inducti morti ſe tradunt. Et nos quid pro ſummo rege & ſempiterna gloria patimur aut agimus? quale dedecus, & quale improperium, qualiſque deriſio oculis noſtris obiicitur, quod illi velut pro vili alga mortem ſubire non metuunt, & nos pro cæleſti theſauro & æterna beatitudine etiam perſecutionem pati devitamus.

Erigite ergo animos in vires, ſpem vivam concipite, illud vexillum præ oculis habentes ducis noſtri, ſcilicet regis æterni. Unde ipſe dicit: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Luc. 21. Et ſi volumus, divina ſuffragante gratia, hoſtem antiquum cito & fortiter confringere, omneſque verſutias ejus parvipendere, ſtudeamus perſecutiones ab eo immiſſas, & mortem pro juſtitia non ſolum non devitare, ſed etiam pro amore Dei & Chriſtianæ religionis defenſione appetere. In hoc enim omnes elationes maris & ſuperbiam ſæculi conculcabimus, & pro nihilo ducemus, & ei qui eſt caput noſtrum ſedens in dextera Dei Patris, ipſo largiente, jungemur, & conregnabimus. Clamat enim magiſter noſter: *Si compatimur, & conregnabimus.* 2. Tim. 2. Interea vobis, fratres mei, qui mecum minus valentes eſtis, fortiora bella certaminis annuntiamus, quia pius redemptor noſter cito faciet cum tentationibus noſtris etiam proventum; ne nimia fragilitate devicti, non poſſimus ſuſtinere, ſed inter qualeſcumque ſuorum fidelium poſiti addiſcamus vel in proſperitate ſibi ſervire.

Hic eſt epiſtola alia in originali, quæ eſt eadem & iiſdem verbis cum epiſtola decima ſexta libri octavi.

XXII. AD COMITEM ANDEGAVENSEM.

Dolet quod fama & egregiis virtutibus, quibus ante ornatus erat, ſeipſum ob quamdam mulierem privarit, & epiſcopum, qui eum ea de cauſa excommunicaverat, ſit inſectatus. Monet ut reſipiſcat; & ſi innocentiam ſuam probari poſſe confidat, concilium vult cogi, in quo ſuper hac re feratur ſententia. Munera ab eo ad ſe miſſa non recipit. Jubet ut epiſcopo ablata reſtituat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei * *C..... glorioſo comiti Andegavenſi.* * Gaufredo.

DOlemus ſatis quod adverſus glorioſam famam tuam per Galliarum partes diffuſam, & uſque ad apoſtolicæ ſedis notitiam perlatam, aſtutia

Hæc epiſtola debuit in ſuperioribus ſcribi, Orig.

ANNO CHRISTI 1081.

tia diaboli potuit prævalere. Sicut enim de te A lætabamur, & quodammodo unice de bonis ſtudiis tuis in ſermonibus noſtris præſumebamus, aſſerentes te non ſolum principes, ſed & ipſos reges, juſtitia & morum honeſtate ſuperare, ſic nobis gemendum videtur, prudentiam tuam a tanta gratia & a tanto virtutum culmine decidiſſe. Qua in re antiquam hoſtis humani fraudem recognoſcimus nequiſſime elaboraſſe, ut qui Adam per mulierem de paradiſo expulit, te per eumdem ſexum eadem gloria & hujus vitæ laudabili fama privaret, & multa bona tua iſto deceptionis ſuæ genere confunderet. Cujus rei gratia ab epiſcopo tuo correctus, & excommunicatus, ut a tanto periculo te & conjunctam tibi eruetes, & domum tuam a perpetua infamia liberares, non B ſolum Deo & juſtitiæ de perpetrato crimine non ſatisfeciſti, ſed & ipſum epiſcopum, cui etiamſi injuſtam ſententiam ſuper te dediſſet, obedire debueras, contra morem æquitatis tuæ tyrannice inſecutus es: cum conſtet aliquem amorem Dei non poſſe habere, qui ſpiritualis patris pro culpa inobedientiæ ſuæ gratiam & dilectionem probatur amiſiſſe. Quod nos audientes, victi amore tuo, memores etiam virtutum tuarum, quæ a religioſis viris nobis inſinuatæ fuerant, uſque modo te portavimus, ſperantes ut divina tactus miſeratione ad ſanum conſilium redires, & æterno regi, cujus judicio quotidie propinquas, te purgatum præſentare contenderes. Et quia in hoc amorem ſæculi magis quam animæ tuæ ſalutem perpendi- C ſiſti, veremur ne divina indignatio diu protractum & inemendatum facinus acriter puniat. Unde paterna te caritate monemus, ut ab hac iniquitate, quæ bonorum tuorum fructus univerſaliter diſſipat, ſapienti uſus conſilio ſurgas, & tam te quam tibi conjunctam de catena diaboli eruas. Quod ſi innocentiam tuam ſuper hoc negotio confidis poſſe probari, videtur nobis perutile ut ſynodus conſtituatur, cui legati noſtri Hugo Dienſis epiſcopus, & Richardus, vel alter eorum interſit; ut in audientia religioſorum virorum poſſit perquiri quid in te vel ſententia ſuper te promulgata debeat emendari. Deus ſcit, & conſcientia noſtra teſtis eſt, quia mens noſtra multum gauderet de te, utpote quem jampridem ſincero D & pleno amore dileximus, ſi ab hac infamia quoquomodo te liberares, & aditum lædendi te per fructum correctionis hoſti antiquo concluderes. Munera tua ideo recipienda non eſſe arbitrati ſumus, quia divinis oculis oblatio tua non acceptabilis eſſe probatur, quamdiu a peccato iſto immunem te non reddideris, & ad gratiam omnipotentis Dei, ſicut catholicum principem decet, non redieris. Licet munera tua propter illud peccatum non receperimus, tamen Dei miſericordiam pro te exorare non deſiſtemus. De cætero nobilitatem tuam monemus, atque præcipimus, ut præfato epiſcopo tuo, res quas ſibi abſtuliſti reſtituens, digne ſatisfaciendo eum placare pro- E cures, ac deinceps eum nullatenus inquietare præſumas.

Etiam injuſta epiſcopi ſui contra obediendum.

XXIII. AD TURONENSES ET ANDEGAVENSES.

Præcipit ne Andegavenſi conflixi ab archiepiſcopo Turonenſi excommunicato communicent. Præterea opem ferant archiepiſcopo, qui a comite de ſede ejectus & bonis eccleſiæ privatus fuerat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei abbatibus, clericis, & laicis, Turonenſis archiepiſcopatus, & Cenomanici.

epiſcopatus Andegavenſis, qui Deo & beato Petro, atque ſedis apoſtolicæ legatis, obediunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ANNO CHRISTI 1081.

NOtum vobis eſſe non dubitamus, Andegavenſem comitem ob nequitiam ſuam eſſe excommunicatum, quam etiam in eos qui ſibi adhærent, & favent extendi cunctis ſacram ſcripturam ſcientibus liquet. Qui tamdiu expectatus non ſolum de via ſua peſſima ad Deum, ſicut Chriſtianum oportet, non eſt converſus, ſed inſuper ad augmentum malitiæ ſuæ aliis item excommunicatis conjunctus, fratrem noſtrum Turonenſem archiepiſcopum de ſede ſua expulit, boniſque eccleſiæ penitus expoliavit. Proinde apoſtolica vobis auctoritate præcipimus, ut tam a præfato comite, quam ab omnibus ſequacibus vel complicibus ejus, vobis ſummopere caveatis, omnino vos abſtinentes a familiaritate & participatione ipſorum. De prædicto vero fratre noſtro archiepiſcopo, qui propter juſtitiam pulſus, & perſecutionem perpeſſus eſt, vobis nihilo minus præcipientes mandamus, ut ei ſicut patri veſtro fideliter devoteque obediatis, ac neceſſitatibus ipſius, ſicut boni filii, opitulari libenter ſtudeatis. Quemadmodum namque ſæpe dicto comiti faventes in ſe Dei odium procul dubio provocant, ita & huic fratri noſtro, in quibus neceſſe eſt, ſuffragantes, non dubie gratiam beati Petri, ſuorumque peccatorum abſolutionem, merentur. Præterea præcipimus nominatim B..... venerabili abbati ſanctæ Mariæ, ut literas noſtras canonicis ſancti Martini, quas eis dirigimus, ferat.

XXIV. AD ROBERTUM COMITEM.

Petitionem ejus ſuper electo Melitenſi epiſcopo non poſſe adimpleri, cum ad eccleſiam Regitanam conſecratio pertinere dicatur. Quare vult ut una cum legatis diſcutiatur, an ad eam talis conſecratio ſpectet. Trajanenſem epiſcopum ſine apoſtolicæ ſedis auctoritate electum ſe conſecratum ait, dum tamen in poſterum hujuſmodi electio non fiat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Roberto nobili comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem:

NOn dubitet prudentia tua nos libenter petitioni tuæ favere, inquantum cum Deo & ſine fratrum noſtrorum ſcandalo fieri poteſt. Non eſt enim aliqua ſæcularis apicis perſona, cui ſalva juſtitia pronius aſſenſum noſtrum præbere velimus, De eo autem quod ſuper electo Melitenſi poſtulaſti, noverit nobilitas tua nobis eſſe intimatum ad jus eccleſiæ Regitanæ pertinere. Unde non aliter annuendum poſtulationi tuæ perpendimus, niſi diligenter examinata juſtitia Melitenſem eccleſiam ad præfatæ Regitanæ parochiæ conſecrationem non attinere conſtiterit. Ad cujus rei indagationem, quia te diligimus, ſine temporum moleſta dilatione copiam tibi providimus, videlicet ut accerſitis fratribus noſtris Barenſi archiepiſcopo. V..... * & Vv..... Firmano epiſcopo & legato noſtro Vv..... ſi fieri poteſt, cum his tribus, alioquin vel horum duobus præſentibus cauſa in commune diſcutiatur. Si ergo cauſa ſolerter eventilata ab illius poteſtate inventa fuerit libera, tunc nos ſicut oportebit effectum dare precibus tuis non pigritabimur. Sin autem decet, atque neceſſe eſt, ut ſic tua devotio in his præcipue quæ Dei ſunt ſeſe æqualiter habeat, quatenus fraternæ caritatis & concordiæ

* a. duos Vv.

vinculum rumpere & dilectionis unitatem in invicem ſcindere caveat, in mente habens quod ſcriptum eſt: *Si recte offeras & recte non * dijudicas, peccaſti*. De cætero quia Trajanenſem electum a nobis conſecrari poſtulas, licet electioni ejus hoc defuerit, quod legatus apoſtolicæ ſedis & conſenſus noſter non adfuit: tamen monentes ne de futuro id fiat, tuæ dilectioni, ipſiuſque perſonæ, laudabili teſtimonio id ad præſens annuimus, ut veniens, Deo favente, per nos conſecretur.

ANNO CHRISTI 1081.

* dividas.

XXV. AD ARCHIEPISCOPUM CAPUANUM ET CÆTEROS.

Ut ſe ab excommunicatorum participatione abſtineant, eamque aliis interdicant. Iis qui perſecutionem ferre non poſſunt licentiam impartitur aut ad ſedem apoſtolicam aut ad ducem fugiendi.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri H..... Capuano archiepiſcopo, cæteriſque principatuum epiſcopis, qui beato Petro obedientes Chriſtianam religionem conſtanter defendunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

COngratulamur dilectioni veſtræ, fratres cariſſimi, quoniam digni inventi eſtis, qui pro Chriſtiana religione integra virtute fortique conſtantia inimicitias, odium & contumelias patiamini: ac optamus ut de reliquo immobili robore perſeveretis, non modo vos ab illicita & nefaria excommunicatorum participatione abſtinentes, ſed & cæteros ſacerdotes ab eorum communione interdicentes. Si qui vero fuerint qui contra interdictum veſtrum & noſtrum contumaciter miſſas & officia illis divina celebrare ſubinde præſumpſerint, pro certo habeant tales, annuente Deo, ſacris ſe miniſteriis, quæ indigne uſurpare non metuent, in perpetuum abdicandos, & ſine ſpe recuperationis amovendos. De cætero ſi quis veſtrum impiorum preſſuram ferre non valens cupit ſecedere, nobis non diſplicet. Hujuſmodi ergo vel in poteſtatem ducis glorioſi vel fratris ejus poterit ire: aut ſi ad nos venire maluerit, nos caritate qua debemus eum libenter ſuſcipiemus. Qui vero aliis exemplum factus fortiter inter impios perſeveraverit, ille procul dubio virtutis coronam gloriæque triumphum merito majorem, domino largiente, percipiet.

XXVI. AD ARCHIEPISCOPUM NEAPOLITANUM.

Præcipit ut magiſtro militum ſub excommunicationis pœna interdicat, ne ulterius Jordani perjuro & excommunicato auxilium ferat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei L..... Neapolitano archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn ignorat prudentia tua nobis imminere, ut omnibus & ubique ſalutaria conſilia provideamus, & monita vel interdicta, prout res poſtulare videtur, cunctis exhibere debeamus. Præterea non latere te volumus, ex quo cariſſimus noſter Salernitanus princeps noviter rediit, nos & nobiliſſimum magiſtrum militum, & majores atque minores veſtræ urbis quodammodo ſpecialiter cœpiſſe diligere. Unde modo valde magis dolemus, quia eos auxilium dare hominibus pravis & ab eccleſia atque Deo ſeparatis audivimus. Nam relatum eſt nobis, quod Jordani, qui ſcienter perjurus beato Petro & nobis & ob hoc anathematis nodis ligatus eſt, adjutorium faciant. Quæ res illos procul dubio & a gratia beati Petri alienos & dilectione noſtra indignos efficit: &, niſi reſipiſcentes deſinant, æternis pœnis obnoxios reddet. Proinde fraternitati tuæ præcipimus, ut præfatum magiſtrum militum, omneſque tibi commiſſos, admoneas, & pontificalis cenſuræ diſciplina prohibeas, & interdicas ut tam a præfato Jordano, quam a cæteris illius complicibus, ſeſe abſtineant, illique nullum prorſus auxilium tribuant, donec beato Petro ſatisfecerit quem perjurio abnegavit. Si quis ergo nec conſiliis tuis, nec præceptis noſtris, nec auctoritati beati Petri, obtemperans, in fidelitate vel adjutorio illius mortuus fuerit, pro illo certum eſt non eſſe orandum: & nos etiam jubemus ut nec ſepulturæ Chriſtiano more commendetur. Timendum quoque eſt, ne, ſi ab illo animum non revocaverit, divinæ ultionis iram ipſe locus veſter experiatur.

ANNO CHRISTI 1081.

XXVII. AD HERIMANNUM CARDINALEM.

Hortatur patienter ſe pro Chriſti nomine gerat, & juſtitiam defendat. De electo Corſicano vult ſibi, antequam conſecretur, teſtimonium ſuum mittat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Herimanno dilecto in Chriſto fratri ſacræ Romanæ eccleſiæ cardinali, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

GRatias omnipotenti Deo bonorum omnium largitori referimus, qui te illorum conſortio annumerare dignatus eſt, de quibus ſcriptum eſt: *Quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Hoc eſt, dilectiſſime frater, quod ſæpe legeras: *Vaſa figuli probat fornax*; & illud: Innocentiam Abel habere non poteſt, quem malitia Caim non exercet. Hæc denique & alia hujuſmodi nunc in manibus geri patenter intelligit prudentia tua: perpendit etiam quod ab ea exigitur, nec ignorat quid ſibi pro talibus in fine debetur. Quapropter, ut ſolertiæ tuæ breviter loqui ſit multa dixiſſe, admonemus, id quod memoriæ tuæ ſemper adeſſe putamus, videlicet ut veritatis ſententiam quaſi ſignaculum ſub cor tuum ponas: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Ea eſt enim juſtitiæ conſolidatio, fidei ſtabilimentum, ſpei ſecuritas, caritatis indiſſolubile vinculum, conſummatio nempe virtutum. De cætero quoniam Corſicanus electus ad conſecrandum nuper advenit, fraternitatis tuæ teſtimonio, quæ rem illius (ut arbitramur) clarius novit, ſuper eo indigemus. Cum enim nobis electio illius incognita ſit & perſona, oportet profecto non ei temere manum imponi. Proinde, frater, ut de eo quid faciendum ſit ſcire valeamus, volumus & jubemus quatenus veritatis judicium ſuper ipſo nobis deſtinare procures. Eſto memor memoris. Ora pro nobis.

Act. 9.

Sapient. 3.

Luc. 21.

XXVIII. AD UNIVERSOS FIDELES.

Ait ſe generalem ſynodum in loco tuto velle congregare, ut tantorum malorum auctorem, ac præſertim pacis inter pontificatum & regnum perturbatorem, ex occultis antris extrahat, pacemque ipſam confirmet. Paratum ſe offert ſedis apoſtolicæ innocentiam defendere. Rodulphum regem abſque ejus præcepto electum, ejuſ-

ANNO CHRISTI 1080.

juſque electores qui illum ordinarunt, niſi hoc A factum recte defendant, tam ipſos a dignitatibus ſuis, quam Rodulphum a regno, deponere minatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clericis & laicis qui non tenentur excommunicatione, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum facimus vobis, cariſſimi fratres & filii, nos admodum deſiderare, & apoſtolica auctoritate velle ſancire, ut generalis ſynodus congregetur in loco tuto & ſecuro, ſicque opportuno, ut ad eum poſſint undique terrarum clericalis ordinis & laicalis amici vel inimici ſine timore convenire. Diſponimus enim tractare, & B diligenti excuſſione detectum in faciem orbis ex occultis tergiverſationum ſuarum antris extrahere quicumque ille eſt, qui tantorum malorum, quæ jampridem in Chriſtianam religionem graſſantur & ſæviunt, cauſa & auctor exiſtit. Cujus etiam impietas & inaudita temeritas hactenus obſtitit & proturbavit, ne inter pontificatum & regnum divina pax & recta concordia fieret: quam pacem, opitulante domino, ſicut Chriſtiana devotio cupit & poſtulat, in eodem concilio inſtaurare & confirmare optamus. In qua ſynodo præterea, Deo auctore, ad honorem beati Petri, ſecundum ſanctorum patrum decreta parati erimus quod juſtum eſt facere, & iniquorum nequitiam revelantes de his quæ apoſtolicæ ſedi objiciuntur, & un- C de quidam fratrum ſubmurmurant, ipſius innocentiam evidenter oſtendere: ita tamen, ut ante omnia res ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quibus expoliata cognoſcitur, ſi dignum eſt, reſtituantur. Verum illud admodum veſtræ dilectioni notificare non dedignamur, Deo teſte, Rodulphum, qui rex ab ultramontanis ordinatus eſt, non noſtro præcepto ſive conſilio regnum tunc ſuſcepiſſe: inſuper etiam nos in ſynodo decernentes firmaviſſe, niſi archiepiſcopi & epiſcopi, qui illum ordinaverant, hoc factum ſuum recte defendere potuiſſent, tam ipſos a dignitatibus ſuis, quam & præfatum Rodulphum a regno, deponere. Enimvero interim quis hanc noſtram diſpoſitionem interturbaverit, & multi veſtrum ſciunt, & noſtram ſcientiam nequaquam fugere poteſt. Si enim Henricus rex dictus & pars ejus obedientiam quam promiſerat nobis, imo beato Petro, ſervaſſet, confidenter dico, Deo juvante, non tot mala, videlicet homicidia, perjuria, ſacrilegia, ſimoniacæ hæreſis peſtilentiæ, ac proditiones eveniſſent. Vos itaque, quos aut tantæ calamitates movent, aut divini timoris reſpectus ad Deo dignam pacem & concordiam animat, nitimini, & ſummopere laborate, ut ſynodus, qualem ſupra memoravimus, fieri poſſit: quatenus ſanctæ eccleſiæ caput, totumque corpus, quod imporum procelloſis fraudibus & machinationibus fluctuat nimirum & titubat communi omnium bonorum conſenſu & robore quieſcat de cætero, & ſtabiliter conſolidetur.

XXIX. AD ABBATEM MASSILIENSEM.

Præcipit ut moneat quoſdam, qui canoniam ſancti Saturnini apoſtolicæ ſedis patrocinio commiſſam infeſtabant, deſiſtere, & quæ contra illam egerant emendare. Niſi pareant, vult eorum audaciam compeſcat, & dictæ canoniæ curam habeat.

* *Richardo ſcilicet abbati.* *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei* * *R..... ſacræ Romanæ eccleſiæ cardinali, & abbati Maſſilienſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

ANNO CHRISTI 1080.

NOn ignorat prudentia tua canoniam ſancti Saturnini, ſitam juxta Toloſanam urbem, apoſtolicæ ſedi eſſe commiſſam: cui licet ex generali omnium eccleſiarum cura conveniat nos tuitionis auxilium providere; tamen ſpecialiter oportet nos eo magis illi loco noſtræ protectionis munimen impendere, quo amplius conſtat ejus vel injurias vel negotia ad Romanam ſedem, cujus juris eſt, attinere. Præfata igitur eccleſia, quamquam noviter, decenter tamen canonicam vitam inſtituit, atque hactenus, ſicut tua ſolertia novit, extunc regulariter vixiſſe dignoſcitur. Verum quoniam antiqui hoſtis mos eſt, eo magis dolere, invidiæque facibus uti, quo amplius videt Chriſtianam religionem creſcere, & de bonorum provectibus lucra, vel potius rapinas ſuas, diminui, contra memoratum locum jam cœpit ſæcularium exagitatio, &, quod magis mirandum ac dolendum eſt, eccleſiaſticorum odia ſuboriri. Unde & canonici querimoniam ad nos direxerunt ſuper clericis ſancti Stephani, quorum ſuggeſtione per quemdam fugitivum clericum ſibi privilegium, quod eis indulſeramus, ſubreptum eſt, quique cœmeterium, quod ante regularem ordinationem ſuam locus ille quiete per longa temporum curricula tenuit, modo auferre, atque eccleſias ad eum pertinentes in poteſtatem ſuam illicitis conditionibus redigere conantur. Conqueruntur & ſuper monachis Mojacenſibus, qui quamdam eccleſiam unde interpoſitis ſacroſanctis evangeliis ſecundum judicium legati noſtri * A..... Ellorenſis epiſcopi, collaudantibus aliis epiſcopis qui aderant, lis inter eos determinata fuerat, iterata deterius injuria per vim comitis Vv..... datis, ut fertur, muneribus occupatam detinere nituntur. Quapropter experientiæ tuæ præcipimus, ut prælibatos tam clericos quam & monachos, atque ipſum comitem literis, & quibus modis vales commonere procures, quatenus ea quæ contra D eos dictam eccleſiam inique vel odioſe geſſiſſe noſcuntur, Deo & juſtitiæ ſatisfacientes, ſicut oportet emendent: ac de cætero debitam apoſtolicis privilegiis reverentiam exhibentes, iram Dei provocare, & maledictionem ſupra ſe temerariis auſibus inducere, caveant. Epiſcopum quoque diœceſis ipſius admoneas, ut eamdem canoniam tam ipſe non inquietet, quam & alios quos prohibere valet inquietare non ſinat. De monachis tamen, quoniam Cluniacenſi abbatiæ pertinent, ipſi venerabili abbati in primis notificandum cenſemus, ut ipſe inſolentiam ſubditorum ſuorum compeſcat, & juſtitiæ acquieſcere, ſi forte noluerit, compellat. Ad ultimum vero, ſi qui illorum monitis tuis, imo beati Petri, obtemperare contempſerint, quamcumque in eorum audaciam ſententiam protuleris, ſcias auctoritate noſtra firmandam. Volumus ſiquidem & jubemus, ut circa E prænominatam canoniam ſtudium ſolicitudinis tuæ invigilet, & negotiis ac neceſſitatibus ejus facilem te pronumque exhibeas: quatenus Romanæ libertatis ſecuritate fulta, ſicut ceteræ eccleſiæ apoſtolicæ ſedi adhærentes, in ſanctæ converſationis obtentu & religionis amore, favente domino, magis magiſque proficere valeat.

* Amati O-lorenſis.

XXX. AD MILITES TERVANNENSES.

Increpans eorum ſcelus qui januis eccleſiæ effractis ſacra vaſa, ornamenta, cruces, & alia depræda-ti, epiſcopo ante altare oranti linguam, & dex-

& dextræ articulos detruncaring. Monet ut coram legatis ſatisfacturi ſe ſiſtant, &, niſi ſatiſfecerint, eos excommunicandos eſſe affirmat.

ANNO CHRISTI 1081.

* Tarvannenſibus. *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei militibus * Tervannenſibus O..... & B.....*

INtolerabilis audaciæ horribiliſque facinoris ſuper vos ad nos relatio venit, quod quanto noſtris ſæculis inuſitatum, nec a tempore Paganorum perſecutorum præſumptum eſſe vel legitur vel auditur, tanto ad juſtitiam de ſe exequendam apoſtolicæ manſuetudinis zelum movet & incitat. Denique conqueſtus eſt nobis Lambertus dictus Tervannenſis epiſcopus, quod poſt tot tantaque ſacrilegia, quibus eamdem eccleſiam deprædati fuiſtis, januas ejus infringentes, ſerica, argentea aureaque diverſi generis, & innumera ornamenta diripientes, ac ſacris crucibus comminutis, tam ipſas quam & duas capellas, & reliquias auferentes, abſtrahentes eumdem epiſcopum ab altari, ubi proſtratus orabat, linguam ei dextræque articulos ad acervum tantorum ſcelerum detruncaſtis. Qua in re nullam excuſationem teneris obtendere, quaſi de ipſius vita reproba, vel ordinatione injuſta, ſeu depoſitione irrogata: ſicut enim ſupra notavimus, nemo adhuc tale aliquid præſumpſiſſe dignoſcitur; niſi forte qui Deum non timens, & Chriſtianam reverentiam abjiciens, pro nihilo duxit manum in ſacros ordines mittere. Quapropter monemus, & ex parte beati Petri præcipimus, ut tantam nequitiam veſtram recognoſcentes, aut ante legatos noſtros Lugdunenſem archiepiſcopum & abbatem Cluniacenſem ſatisfacturi veniatis, aut ſecundum conſilium vel mandatum ipſorum ſatisfacere Deo & ſanctæ eccleſiæ nullatenus detrectetis. Volumus ſiquidem & æquum eſſe decernimus, ut quod nequiter commiſiſtis, humiliter emendetis. Quod ſi diabolico ſpiritu indurati, noſtriſque præceptis ſalutaribus inobedientes, nec pœnitentiam dignam agere volueritis, procul dubio ſciatis vos eſſe excommunicandos, & quodcumque in vos judicium legatus noſter dictaverit, auctoritate noſtra firmandum.

PRÆMONITIO IN SEQUENTEM EPISTOLAM.

Poſt epiſtolam XXX. regiſtri IX. codex Mutinenſis hanc recitat epiſtolam, quæ in editis non comparet ex quo hic ſubjungendam cenſeo.

B. Comiti Arelatenſi ad Gregorium VII. Papam de Bernardo Abbate Sanctorum P. & R. montis majoris expulſo, & Guillelmo in ejus loco ſubrogato quem comes Pontifici commendat, quia legitime creatus fuerat.

Summo Pontifici & univerſali papæ Gregorio VII. B. comes Arelatenſis, proſperam in omnibus, & æternæ perfrui beatitudi inis munera cum cæli civibus.

SUblimiſſime Domine & Princeps totius orbis terræ, ſi bene vales, congratulor valde. Si autem, quod abſit, aliter contuibor vehementiſſime. Ego enim ſum veſtri ſervus, & de injuſtitia quam hactenus paſſi eſtis ab iniquo judice ita A ſum afflictus quaſi corpore & mente flagellis maximis verberatus. De cætero, Pater Sanctiſſime, mando tibi qualiter Bernardus abbas Sancti P. & R. montis majoris, abbatia expulſus ſit juſte, & qualiter iſte ſuſceperit, quem tibi mitto Guillelmus nomine. Ille namque tanti erat flagitii, & tantæ impudicitiæ, quod pudet me aliquid dignum honeſto viro dicere. Sed unum ex pluribus nequeo tacere. Sodomitica quippe libido ultra modum in eum regnabat, & deinde ab ullo viventi corripi non poterat. Ego quoque & monachi ſupradicti loci, deteſtabilem hujuſmodi rem agnoſcentes nequivimus diu pati, ſed conſilio invicem habito audivimus Archipræſulem Lugdunenſem, qui ei benedictionem tribuerat abbatis & ejus conſilio atque judicio abbatiam quam ab Archiepiſcopo Arelatenſi, a te anathemate percuſſo ſimoniace acceperat, amiſit; & hic qui nunc præeſt paulo ante memorati Pontificis decreto regulariter ſurrogatus, atque benedictionem ab eodem ſuſcepit. Nunc ego ſupplex imploro tui clementiam, ut proprio manu abbatiam a te ſuſcipiat & privilegia olim loco illi qui eſt ditionis tuæ a patribus indulta corrobores manu propria, & novum ſibi privilegium tui ex parte attribuas. Noſcis enim quemadmodum dereliquerim, Dei, & S. Petri, & Romanæ Eccleſiæ, ac tui pro amore omnes epiſcopatus & abbatias, & nolo, ut hæc, quæ ſemper remanſit libera cuilibet viventi, niſi ſancto Petro & Romanæ Eccleſiæ, & tibi ſubjaceat. (a)

ANNO CHRISTI 1081.

XXXI.

Cum clerici Auguſtodunenſes de quodam monaſterio cum monachis Floriacenſibus contenderent, & privilegium contra æquitatem a pontifice ſubreptum diceretur, vult ut, ſi ita eſt, eo caſſato, ſententiam ſecundum juſtitiam proferat. Ipſi adverſus ſe verba jactanti quod epiſcopum Carnotenſem abſolviſſet, oſtendit id a ſe cum ratione factum.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo fratri & coepiſcopo * H..... ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* * Hugoni

CLerici quidam Auguſtodunenſes his diebus ad nos venerunt adverſus Floriacenſes monachos, ſuper quodam monaſterio ſancti videlicet Symphoriani cauſam habentes. Quam a te ante ventilatam & definitam nos retractaſſe dicebant, tuæque fraternitati aliter quam eis videretur, & ratio poſtulaſſet, ſcripſiſſe. Quod a nobis factum nequaquam recolimus, nec in regiſtro noſtro hujus cauſæ literas reperire potuimus. Noverit itaque prudentia tua quia multa tamquam a nobis deferuntur & ſcripta & dicta nobis neſcientibus. Multa etiam ſubripi poſſunt nimis ad ſingula intentis, utpote diviſis ad plurima, & intentis ad maxima, quibus vehementer arctamur. Unde in hac cauſa, quod profecto minime recordamur, ſi quid forte ſubreptum fuit, optato magis amamus corrigere, quam ab æquitate & rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere. Ad quem ergo juſtæ deciſionis terminum negotii hujus quæſtio fraternitatis tuæ conſiderata actione pervenit, imo, ſi minus adhuc ſatisfactum eſt, pervenire poterit, non ſolum non mutamus, verum.

an-

(a) In Regiſtro Mutinenſi ſuperior epiſtola ſignatur numero XXXI. quæ hic ſequitur in eodem regiſtro eſt XXXII. & ſic deinceps.

ANNO CHRISTI 1081.

auctore Deo, annuimus & laudamus: quippe cum magis rationi conſentaneum videatur ut clerici, ſi canonice vivere volunt, & in eo perſiſtere quod voverunt, ſuo quod antiquitus poſſedere non debeant carere monaſterio, quod & ipſi interventu pecuniæ obtinuiſſe monachi infamantur. Super hoc ergo indubitanter cognoſcas, quia perperam acta ſive ſubrepta damnamus, juſte acta & diffinita firmamus, & a te firmanda & ſtatuenda mandamus. De Carnotenſi autem epiſcopo, unde fraternitas tua ſubmurmurare videtur, noſti quod dilectionis tuæ intuitu longo eum tempore una cum Pariſienſi Romæ tenuimus, aut ut ipſe veniret, aut ad comprobanda objecta in eum capitula legatos & teſtes idoneos delegares. Quod cum minime feceris, juſtitiæ neceſſitate coacti, de ejus reſtitutione ſanctæ Romanæ eccleſiæ judicio acquievimus. Cui ſi ſuperna pietas aliquando reſpirare conceſſerit, liquido tua beatitudo intelligere poterit, eam multo irreprehenſibilius hoc egiſſe, quam te in matris tuæ judicialem cenſuram manum reprehenſionis extendiſſe. Decuerat quidem vos, & dignius videretur hac potius tempeſtate, & has inter quas patitur anguſtias, Dei utique æmulatione & conſcientia bona, tamquam filios ſuos conſolationum ſibi dulcia miniſtrare, quam talia mandando, & talibus eam næniis implicando, dolorem ſuper dolorem apponere, multiplicare pondera, non communicare ponderibus. Vale.

XXXII. AD ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM.

Significat ſe, antequam ejus literas accepiſſet, Tervannenſem epiſcopum abſolviſſe, accepto juramento, quod judicio ſedis apoſtolicæ vel legati acquieſceret; quare jubet ut coacto concilio, & adjuncto ſibi Cluniacenſi abbate, ſi depoſitio ejus juſta probabitur, ſententiam confirmet; ſin minus, eum in integrum reſtituat, & eos qui male illum tractaverant, niſi ſatisfaciant, excommunicet.

Mogunt. *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili * H..... Lugdunenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

QUoniam cauſa Lamberti dicti Tarvannenſis epiſcopi partim nota partim incognita nobis eſt, præſertim cum Robertus comes Flandrenſis longe alia verba in literis ſuis nobis direxerit quam prius Ingelrannus præſentialiter retuliſſet, eam fraternitati veſtræ plenius eventilandam deſtinamus. Negat ſiquidem prætatus epiſcopus ſibi notum eſſe quod eum ſynodalis per te ſententia damnaverit, vel excommunicaverit, ſeu ad ſynodum ullam vocaverit. Unde nos ante agnitum literarum tuarum tenorem, compaſſi multis laboribus ipſius, eum abſolvimus, accepto tamen ab eo prius juramento, quod ſuper epiſcopatu Dervannenſis ſedis apoſtolicæ vel legatorum noſtrorum judicium non exibit. Itaque quia res grandis eſt, & diligentioris eget inquiſitionis, præcipimus ut epiſcoporum & abbatum aliorumque religioſorum virorum concilium congreges. Et quoniam memorato epiſcopo, propter regem Francorum qui a te diſſidet, ſuſpectus es, aſſociato tibi venerabili abbate Cluniacenſi idem negotium uberius ac ſolertius tractes. Qua de re nos ita jam nunc cenſemus, ſi depoſitionis illius certiſſime cauſa juſta comprobatur, & peremptoria in eum ſententia data cognoſcitur, ipſe ab epiſcopatu ceſſans ſanctæ eccleſiæ judicium ferat. Sin autem ſe vel injuſte depoſitum fuiſſe, vel ſynodalem vocationem neſciviſſe defendere potuerit, integre ſuis & rebus & dignitati reſtituatur: ſicque deinceps canonice, ſi qua fuerint objecta ſibi, reſpondeat. Quocumque tamen dignitatis ejus ſententia ceſſerit, hoc omnino jubemus, ut de illis qui eum tam male tractaverunt, quod juſtitia poſtulat, ſibi per veſtram inſtantiam fiat, id eſt, ſi ſatisfacere contempſerint, excommunicationis in eos eorumque perfidiæ fautores gladius exeratur. Iſtud vero in hoc negotio maxime ſervare vos volumus, tum pro labore quem memoratus epiſcopus ad apoſtolicam ſedem ſubivit, cum etiam pro amore nobiliſſimi comitis Roberti, qui nobis ſuper eo petitorias literas miſit, ut cum miſericordia tractetur, &, quantum ſalva juſtitia poteſt, canonum rigor compaſſionis reſpectu temperetur. Denique ita ſe fraternitatis veſtræ ſagacitas habeat, ut nec in dextram nec in lævam declinet, ſed ex utroque unum faciens unum temperamentum medium ſalubriter teneat.

ANNO CHRISTI 1081.

XXXIII. AD ROBERTUM COMITEM FLANDRIÆ.

Ignoſcit ejus verbis quæ adverſus apoſtolicam ſedem jactaverat: deinde repetit ea quæ in præcedenti epiſtola dixerat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Roberto glorioſo comiti Flandrenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LOcuta eſt prudentia tua in literis ſuis apoſtolicæ ſedi quædam ſicut non decuit: quæ nos ſane cupientes in ſancta eccleſia te conſervare, ſupportamus adhuc, & libenter ignoſcimus, de miſericordia divina ſperantes, quod & eorum qui tibi talia perſuaſerunt imperitiam, & ſacræ Romanæ eccleſiæ auctoritatem & diſcretionem, quandoque præſentaneis affatibus oſtendemus. Proinde ſuper cauſa Lamberti dicti Tervannenſis epiſcopi, licet multo aliter ſe verba Tervannenſium clericorum, quam literæ tuæ nobilitatis habuerint; tamen quia non dubium eſt poſſe interdum ſubrepi, eam ſecundum votum tuum retractationi delegamus. Quod quidem, ut quantum decenter poſſumus tuo deſiderio annueremus, ſic peragendum providimus. Quoniam Lugdunenſis archiepiſcopus (quamvis de eo ſatis confidam) vobis ſuſpectus eſt, ne ſuſpicio prorſus ordinem rerum utiliter gerendarum impediat, gravem & illuſtrem virum Cluniacenſem abbatem ſibi aſſociare conſuimus. Itaque præcipimus, ut congregato concilio cauſam ipſius epiſcopi diligentius eventilare procurent: & ſi quidem juſte depoſitus fuiſſe comprobatus fuerit, acquieſcens, taniori conſilio ceſſet: ſin autem vel omnino injuſte vel præpropere addictus eſſe patuerit, rebus & honore ſuo recepto inſtauretur, ac deinde canonice, ſi qua ſibi fuerint objecta, reſpondeat. Quocumque tamen modo ſynodalis erga dignitatem ipſius ſententia provenerit, juſſimus ut illi qui diabolico furore ſuccenſi rem tam gravem & nefariam in eius perſonam patraverunt, quamprimum commoneantur ut ſatisfaciant. Si vero ad cumulum iniquitatum ſuarum renuerint, mandamus tam in eos, quam & in fautores, contumaciam ipſorum anathematis gladio animadverti. Quod cum fuerit ea cura qua decet impletum, tunc deinde oportebit excellentiam tuam eccleſiam adjuvare, & ipſius injuriam, ſicut decet Chriſtianum principem,

pem, defendere. Sicut autem vos unus induſtriam ANNO CHRISTI 1081. tuam in hoc negotio juſtitiæ amorem habere, ita quoque & in cauſa cæterorum clericorum & laicorum, qui membra ſunt ejuſdem eccleſiæ, te æquitatem ſervare monemus, & rogamus ut rebus eorum redditis deinceps, ſi quid de eis ſtatuendum eſt, ſecundum juſtitiam diffiniatur.

XXXIV. AD FLANDRENSES.

Cum Flandrenſis comes, & excommunicato & depoſito Tervannenſi dicto epiſcopo favens, una cum eo in eccleſiam Tervannenſem effracto oſtio irruiſſet, ex qua Tervannenſis cuncta deprædatus, clericos alios vulneraverat, alios ſemivivos ejecerat. & alios ſibi communicare nolentes a comite rebus ſuis privatos e ditione ſua expelli fecerat, præcipit ut illum adeuntes arguant, moneantque ut reſipiſcat, Tervannenſem a ſe repellat, & clericos ejectos reſtituat. Quod niſi paruerit, eum, & quicunque illi adhæſerit, excommunicatum declarat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei G..... Cameracenſi epiſcopo, * *R..... Noviomenſi,* * *R..... Ambianenſi, & omnibus eccleſiarum rectoribus atque principibus in Flandria ſub Roberto comite nobiliſſimo militantibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi obedierint.*

* Ruibodo. * Roricoai.

NOverit caritas omnium veſtrum, fratres & filii cariſſimi, quoniam licet peccatores, & ad tantum onus portandum impares ſimus; tamen cura & ſolicitudo omnium eccleſiarum paritati noſtræ a Deo commiſſa eſt. Dominus enim Jeſus Chriſtus beatum Petrum conſtituit principem apoſtolorum, dans ei claves regni cælorum, & poteſtatem ligandi & ſolvendi in cælo & in terra: ſuper quem etiam eccleſiam ſuam ædificavit, commendans ei oves ſuas paſcendas, ex quo tempore principatus ille & poteſtas per beatum Petrum ſucceſſit omnibus ſuam cathedram ſuſcipientibus, vel uſque in finem mundi ſuſcepturis divino privilegio & jure hereditario. Ex cujus ſedis ſucceſſione imminet nobis inevitabili neceſſitate, ut omnibus oppreſſis debeamus opem ferre, & contra inimicos Dei pro defendenda juſtitia, quouſque convertantur, Spiritus ſancti gladio, quod eſt verbum Dei, etiam uſque ad mortem, ſi oportuerit, pugnare. Unde volumus omnes vos ſcire A..... archidiaconem Tarvannenſem, & M..... abbatem, & L..... diaconem, & per eos multos clericorum illius eccleſiæ, nobis lacrymabilem querimoniam feciſſe ſuper comite Roberto, quem antehac pro bona fama quam ſæpe de eo audivimus, ſicut filium noſtrum cariſſimum & dileximus, & (ſi monita ſalutis ſuæ non ſpreverit) diligere volumus; dicendo quod eos omnibus bonis ſuis nudatos de terra ſua ejecerit, pro eo quod præceptis apoſtolicis obediendo noluerunt cuidam Lamberto pſeudo-epiſcopo a nobis & a legatis noſtris * H..... Lugdunenſi archiepiſcopo & * A..... epiſcopo in Meldenſi concilio excommunicato, tum pro aliis nefariis, tum pro eo quod quinque clericos ad Romanam ſynodum ire, & de malitia ejus querimoniam volentes facere, captione peſſima afflixit, & quod de eccleſia ſua canonicam diſciplinam evitans ſine licentia fugitivus evaſit. In qua excommunicatione, hæretica pravitate ſe fecit ab epiſcopis officio ſuo ſuſpenſis conſecrari, imo potius execrari diaconem, presbyterum, epiſcopum. Deinde hoſtiliter & armata manu, comite Roberto cum exercitu ſecum eunte, ad ipſam civitatem pergens, portas eccleſiæ, quas ei clerus & populus obcluſerat, in ſecuri & aſcia & aliis violentiis incidit atque confregit. Crucem quoque & imaginem ſalvatoris libellum contradictorium ante ipſas portas clauſas manu dextera ſibi quaſi porrigentis, & velut ore proprio ingreſſum eccleſiæ ſibi contradicentis, ita diabolice a portis abſtraxit, ut dexteram manum (quod nunquam antea legimus aut audivimus factum) illi evulſerit, ſicque cum lanceis & gladiis evaginatis fur & latro irrumpens, alios clericorum vulneravit, alios ſemivivos fugavit, omniumque ſibi communicare nolentium domos diripuit atque diſtraxit. Ipſum vero comitem intantum ſeduxit, ut omnes clericos ſibi obedire nolentes omnibus bonis privatos de tota terra ſua ejecerit, & duas epiſtolas noſtras tam ſuperbe ſpreverit, ut portitoribus earum contumelioſa verba & tanto principi multum indigna protulerit. Quæ omnia quantum apoſtolicæ ſedis reverentiæ ſint intolerabilia, & Chriſtianæ religioni contraria, ſi Deum timetis, eique hominem non præponitis, ſatis intelligit induſtria veſtra. Pro quibus omnibus præfato comiti exhortatorias & deprecatorias nunc tertio ſcripſimus literas, ut antichriſti membrum amplius non ſuſtentaret neque foveret, ſed magis de eccleſia oppreſſa citius propelleret, & clericis pro juſtitia exulatis omnia ſibi ablata in integrum reſtitueret: & omnia hæc mala corrigendo dignos pœnitentiæ fructus faceret infra terminum quadraginta dierum poſt literas noſtras ſibi oſtenſas, ſive notificatas. Sin autem (quod abſit, & quod Deus procul ab eo avertat) nollet, ſecundum apoſtolum, qui ait: *In promptu habentes ultiſci omnem inobedientiam:* & alibi: *Si quis non obedierit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur:* & alio loco: *Auferte malum ex vobiſmetipſis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Si nollet, inquam, obedire, ſegregatus & excommunicatus foret a corpore & a communione ſanctæ eccleſiæ, auctoritate Dei, & judicio ſancti Spiritus, quem quodammodo blaſphemat, inimicum ejus contra eum ſcienter ſuſtentando, qui totiens excommunicatus chariſmata virtutum, & dona gratiarum ejus quotidie adhuc profanare non timet, donec ſatisfaciendo pœniteat. Omnipotens Deus cordibus omnium veſtrum & cordi illius indicet ex quanto dolore cordis hæc dico: quoniam omnes Deum diligentes diligo, & illum quadam ſpeciali dilectione, ſicut jam præfatus ſum, dilexi, quia bona multoties de eo audivi: ſed diſſimulare hæc nequeo ſine animæ meæ magno periculo propter illud prophetæ: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ejus ſanguinem ejus de manu tua requiram:* & illud apoſtoli: *Non ſolum qui faciunt, ſed & qui conſentiunt, digni ſunt morte,* & beatus Gregorius ait: Mala quæ ad nos pervenerunt diſſimulare non audemus; quia qui emendare poteſt & negligit, delicti participem procul dubio ſe conſtituit: & alibi: Quiſquis contra neophytos & ſimoniacos pro officii ſui conſideratione vehementer non arſerit, cum eo non dubitet ſe habere portionem, a quo hoc piaculare flagitium ſumpſit exordium. Unde, dilectiſſimi fratres & filii, vos omnes rogamus, & per veram obedientiam ex parte beati Petri apoſtolorum principis præcipimus, ut eum perſuaſibiliter & honorifice, ſicut decet talem & tam nobilem virum, Deum tamen ſibi ſemper præponentes, unuſquiſque veſtrum opportuno tempore adeatis, rogetis, & increpetis, ne ſeipſum & totum populum illum perdat.

* Hugone * Amizo.

1 Cor. 10. 2 Theſſ. 3. 1 Cor. 5. Ezech. 3. Rom. 1

dat, apoſtatam illum defendendo. ſed quantocius a perditione eripiat longius a ſe expellendo. Vos quoque fratres G..... & Ra..... & Ro..... ſeparatim & præ cæteris rogo & præcipio, ut vos tres ſimul, vel ſemotim, cum literis noſtris, & literarum portitoribus, præfatum principem adeatis, & literas ei legatis, & conſtanter arguatis, quia tantopere defendit illum, qui quando dominum pro ſe & populo exorat, magis illum offendit, & ad iracundiam provocat. An non de talibus dicit Iſaias: *Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi & cum extenderitis manus veſtras ad me, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam*: & Malachias. *Et nunc ad vos mandatum hoc, o ſacerdotes*, ait dominus: *Si nolueritis audire, & ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, maledicam benedictionibus veſtris. Vos enim receſſiſtis a me, & ſcandalizaſtis plurimos in lege offerentes ſuper altare meum panem pollutum*: & beatus Gregorius: Maxima metuenda eſt in illis locis fore calamitas, ubi tales interceſſores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei iracundiam magis in ſe concitant, quam per ſemetipſos placare debuerant. Cuncti liquido novimus, quia cum is qui Deo diſplicet ad intercedendum pro populo mittitur, citius irati animus ad deteriora provocatur. Et alio loco: Malis ſubeſſe paſtoribus, quid eſt aliud niſi ut plebs populanda prædonibus permaneat, & inde ſumat interitum, unde protectionis debuit habere ſubſidium? Sacerdotes enim mali cauſa ſunt ruinæ populi. Item alibi: Qui improbe ad inanem gloriam locum ſcitinat ſanctitatis arripere, eo ipſo quo honorem quærit, indignus eſt. Sicut enim is qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus, ſic qui ultro ambit, vel importunum ſe ingerit, procul dubio eſt repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo exterius, interius ad profunda deſcendat? & paulo poſt: Templum dominus & ſalvator noſter ingreſſus, cœpit ejicere omnes vendentes & ementes in illo, & cathedras vendentium columbas evertit. Qui ſunt iſti vendentes & ementes, quorum cathedræ everſæ ſunt, niſi qui vendunt & emunt ſacerdotium & Spiritum ſanctum: quorum ſacerdotium ante oculos Dei cecidiſſe cathedrarum everſione patenter ſignatum eſt? & cum liqueat hanc hæreſim ante omnes alias radice peſtifera in eccleſia ſurrepſiſſe, atque in ipſo portu apoſtolicæ maledictionis telo eſſe damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur? Hæc omnia & horum ſimilia ſibi, quia virum literatum eum audivimus, dicite: conſiderantes diligenter & cum timore quia inobedientes, Samuele propheta teſtante, ſcelus incurrunt idololatriæ: ſine qua videlicet obedientia, ſicut beatus Gregorius in ultimo moralium libro declarat, infidelis quiſque convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur. Plurima ſibi in epiſtolis, ſicut & modo vobis, dixi, quia & plurimum eum dilexi; niſi enim eum multum dilexiſſem, non tam multa ſibi vel de eo dixiſſem, quia non eſt conſuetudinis noſtræ alicui tam prolixam epiſtolam facere, niſi res magna ſit valde. Quod ideo feci, quia deſideramus eum ad gremium univerſalis matris ſanctæ Roman. eccleſiæ reducere, & ſub alis beati Petri, ſicut cariſſimum filium noſtrum fovere. Quod ſi literas apoſtolicæ ſedis infra præſcriptum terminum, aliqua fraude aut ſuperbia ſuſcipere vel audire contemſerit, non ſolum ſibi non proderit, ſed etiam pro majoris inobedientiæ culpa divino judicio anathematis vinculis alligatum arctius indubitanter ſciatis, & non ſolum eum, ſed & omnes quicumque ei poſtea ſcienter in eccleſiaſticis officiis communicaverint, vel in militia ſæculari ſervierint. Quapropter rogo vos iterum, & ex parte Dei & B. Petri apoſtolorum principis præcipio, ut vobis ab eo caveatis, & nullum divinum officium intra veſtras provincias agatur, ubi vel ipſe vel aliquis ſcienter ſibi communicantium adfuerit; quouſque per Dei pietatem ſatisfecerit. Rurſum quoque monemus, quod prudentiæ veſtræ vigilanter obſervandum eſſe cognoſcimus, ne aliqua diſſimulatione præceptis apoſtolicis obtemperare negligatis, ſed ſolicite conſiderantes, ac jugi memoria beati Gregorii verba ſuper inobedientia in Samuelis ſermonibus habita retinentes, procuretis, quatenus obediendo ſicut oportet videamini cum ſaluti veſtræ proſpicere tum illius etiam conſulendo providere.

ANNO CHRISTI 1080.

Iſai. 1.

Malach. 2.

S. Greg. hom. 39. in Lucam & epiſt. lib. 9. epiſt. 69.

Simonia omnes hæreſes radices egit in eccleſia.

1. Reg. 15.

ANNO CHRISTI 1080.

☞ Observatio in sequentes Epistolas.

Tres ſequentes epiſtolas addendas hic cenſui, quod pertinere illas cognovi ad res Epiſcopi Lamberti Tervanenſis, de quibus ſuperiores epiſtolæ in regeſto contentæ agunt. Deduxi vero illas ex Tom. X. Galliæ Chriſtianæ pag. 393. in append.

EPISTOLÆ GREGORII PAPÆ VII.

Gal. Chr. a p. 393. a. 1081.

Ad R. Flandrenſium comitem de Lamberto Morinenſis ſedis invaſore.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei R. glorioſo Flandrenſium comiti ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum tibi eſſe non dubitamus quantum nos hactenus nobilitatem tuam dilexerimus, cui induſtriam inter cæteros Franciæ Principes ſatis honeſta fama commendabat. Unde quia bonis ſtudiis tuis congratulamur, cum contraria de te referuntur, multum profecto dolemus. Audivimus nuper te cuidam clerico ſacrilego Lamberto, qui publice Tarvanenſem epiſcopatum mercatus eſt, contra voluntatem clericorum illi eccleſiæ impoſito, immo ab eis omnino jampridem repudiato aſſenſiſſe, eique adjutorium & poteſtatem eccleſiam invadendi præſtitiſſe, de qualibus ipſa veritas dicit: *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro*. Et beatus papa Leo: *Non habeatur inter Epiſcopos qui non fuerit a clero electus & a populo expetitus*. Oportet ergo prudentiam tuam divinæ majeſtatis omnipotentiam & diſtrictionem præ oculis inceſſanter habere, nulliuſque mortalium gratiam vel timorem illi præterre, cui & vitam & ſalutem & honorem tuum non ambigis te debere. Ergo quia te audivimus admonitu fidelitatis, quam regi Philippo feceras ad id periculoſe eſſe inductum, ex parte omnipotentis Dei præcipimus, ut ſi prædictus Lambertus tam nefariis modis ad epiſcopatum piorupit, nullatenus ei ſacerdotalem obedientiam vel reverentiam exhibeas, ſed a male mercata & invaſa ſede alienum & extorrem facere præfatis clericis amminiculando procures. Non enim te decet æſtimare illa te adjuratione ad tam graviſſimum ſcelus adſtringi, quia pernicioſius eſt illum per quem juratur quam cui juratur, & Deum quam hominem offendere, ſimul ipſe ſatis perpendis, quia plus debetur animæ quam corpori. Et tunc profecto fidelitas per-

ANNO CHRISTI 1082.

ſpicue magis ſervatur jubenti quando talus animæ ejus corporeis commodis & iniquis prælata juſtis magis attenditur. Euge ergo ut non pro homine ſupplicium, ſed pro Dei timore expectare debeas præmium ac ſic prædictis clericis qui promotioni illius libere ex parte Dei contradixerunt, opitulari eoſque defendere procures ut quanto te gratia divina altius ſublimavit, tanto magis & bonis fiduciam & pravis terrorem præbeas, cæteriſque Principibus te imitabilem reddas. Plumbeo ſigillo idcirco ſignari literas iſtas noluimus, ne ſi forte caperentur ab impiis eodem ſigillo poſſet falſitatis quippiam fieri.

AD TERVANENSES.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Tarvanenſi eccleſiæ, præcipueque nobili comiti R. ſalutem & apoſtolicam benedictionem ſi obedierint.

SIcut aliis literis miſimus, non ignorat ſolertia tua nos jamdudum te ſatis diligere, propterea quod te bonis ſtudiis inter cæteros Franciæ Principes, fama ferente, audivimus eminere; nam potioris erga te dilectionis habendæ cauſa nobis hæc extitit, quia te chriſtianæ religionis amatorem, eccleſiaſticæque diſciplinæ & honoris ſuffragatorem ac defenſorem in quibuſdam cognovimus. Unde cum a ſolita probitate contraria forte audivimus, quantum doleamus prudentia tua perpendit. Nuper vero de te quoddam innotuit, quod ſicut a priſcis moribus tuis alienum, ita quoque penitus credere viſum fuerit indignum, videlicet quod contradicentibus Tarvanenſis eccleſiæ clericis renitentibuſque, tua protectione auxilioque fretus quidam Lambertus illius eccleſiæ ſedem invaſerit, qui publice ſimoniacus a parte divini muneris emptor, quanto ſe in tali negotio turpiorem, & impudentiorem oſtendit, tanto tuum non favorem, ſed zelum, non opem, ſed expulſionem experiri debuit. Verum quia obſtante Rege ſub ſpecie timoris, ne pejerares ad id mali inductus fuiſſe diceris, idcirco jampridem, & nunc literis te admonere cenſuimus, quatenus vanum timorem abiiciendo quod jure metuendum videtur attenderes. Noverit ergo prudentia tua fidelitatem terreno domino tunc non recte ſervari, cum cæleſtis Domini & Creatoris gratia per illam probatur offendi, & ſi corpori multo amplius animæ, ſi mortali homini, multo maxime ſempiterno Deo fidem & devotionem deberi. Proinde tam nobilitati tuæ quam & præfatæ eccleſiæ, clero & populo ex parte B. Petri præcipimus, ut prædicto Lamberto nullam epiſcopalem reverentiam exhibeatis, ſed ipſum velut furem & latronem exiſtimantes, ab invaſa ſede propellere, fautoreſque ipſius donec reſipuerint, cohibere procuretis. Quod ſi prædictus invaſor ferre præjudicium dixerit, & de re ſua ita eſſet, ut dicitur, ſe poſſe probare exiſtimaverit, audientiam legati noſtri Dienſis, immo Lugdunenſis archiepiſcopi petat, quatenus per competentem illius diſcuſſionem juſtumque judicium obtinere quod poſtulat æquitas valeat

AD ROBERTUM FLAND. COMITEM.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, R. glorioſo Flandrenſium comiti dilecto in Chriſto filio, ſalutem & apoſtolicam benedictionem

JAm ſæpe excellentiæ tuæ ſcripſimus ſuper cauſa clericorum Tarvanenſis eccleſiæ E. præpoſiti, S. Decani, J. Diaconi & reliquorum, quos malignorum mortiferis ſuggeſtionibus, bonis propriis privatos, in exilium pro apoſtolica obedientia detruſiſti, ut eos ad integrum ſicut juſtum eſt, reſtaurares, & illum hæreticum L. depoſitum & excommunicatum amplius non ſuſtentares, ſed magis eccleſiam captivatam de ejus tyrannide & oppreſſione liberares. Quod quia, ſicut illi adhuc lachrymabiliter conqueruntur, nondum pleniter peregiſti, crebris querimoniis eorum fatigati adhuc nobilitati tuæ mandamus, & ex parte Dei & Apoſtolorum Principis præcipimus, ut eccleſiam de prædicto Antichriſti membro eripias, clericiſque præfatis ſua omnia clementer reſtituas, & gratiam tuam priſtinam eis habere permittas, ut Deus omnipotens tibi ſuam gratiam hic & in futuro ſeculo tribuat, & beatus Petrus, ad cujus præſentiam confugium fecerunt, januas cæli poſt hujus vitæ felicem terminum tibi aperiat.

In exemplari liber decimus vacat.

ANNO CHRISTI 1082.

LIBER UNDECIMUS REGISTRI

GREGORII PAPÆ VII.

I. AD ROBERTUM COMITEM FLANDRIÆ.

Monet ne ulterius Tervannenſi excommunicato auxilium ferat, ſed eo expulſo epiſcopum canonice electum ſuſcipiat, & auxilium impendat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Roberto glorioſo comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad aures noſtras quod Lambertus inimicus Dei, & invaſor Tervannenſis eccleſiæ, ope & ſuſtentatione tua adhuc ſibi iram Dei theſaurizet. Qui cum traditus ſit ſatanæ, non miramur ſi ejus conſiliis ducitur, & in iniquitate perdurat. De te autem non ſolum miramur, ſed ex corde dolemus, quod virum, quem bona fama paſſim commendaverat, mala nunc intentio ad commune periculum illius patriæ retorqueret. Unde de anima tua multum timentes, monemus ut ab hac prævaricatione ad cor redieus, Dominum in prædicti hominis ſuſtentatione non offendas, ſed ab eo ſicut a peſſimo homine & excommunicato te cuſtodias; qui nimirum audientiam pro amore tuo a nobis ſibi conceſſam declinans, totum ſe a planta pedis uſque ad verticem anathemate maculavit. Pro ſcelere, aliiſque culpis præcedentibus, ſancta univerſalis eccleſia irrecuperabiliter depoſitum maledixit & anathematizavit, & extorrem omnino a communione totius eccleſiæ eſſe judicavit. Quapropter nobilitatem tuam monemus, ut non ſolum adjutorium ſibi non impendas, verum etiam dominici gregis multitudinem fœditate ſua commaculans de medio veſtrum ut putridum & inutile membrum ſtudio tuo evellatur. Injungimus etiam nobilitati tuæ, ut * G. . . . . canonice electum, & eccleſiam Tervannenſem per oſtium, id eſt per Chriſtum, ingredientem, honeſte & ſicut decet ſuſcipiatis, & ei paſtoralem exhibentes reverentiam, conſilium & auxilium impendatis: ut qui in altero Dominum offendiſtis, per hunc ſi Deo & beato Petro juſtitiam veſtram commendetis.

* Gerardum.

II. AD

ANNO CHRISTI 1083.

II. AD GUILIELMUM REGEM Anglorum.

Commemorat mutuam inter ſe dilectionem. Dolet quod epiſcopum germanum ejus in carcerem injecerit.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guilielmo regi Anglorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

COmmunis amor & ſincera devotio, quam erga beatum Petrum apoſtolum gerimus, ex longo jam tempore inter nos amicitiam junxit, atque adeo invicem inde magis convaluit, quia & ego te præ cæteris tui ordinis apoſtolicæ ſedi devotum animadverti, & tua me claritudo inter aliquos prædeceſſores tuos circa honorem apoſtolicæ ſedis credidit amplius deſudaſſe. Denique cum in malis moribus idem velle & nolle pernicioſam ſæpe factionem conficiat, conſequens videtur, ut in bonis rebus idem ſtudium animique deſiderium, diverſo quamlibet ſpatio terrarum diſjunctos, in unum dilectionis glutino copulet. Verum licet quidam regiæ poteſtatis non modicum doleant, & in nos ſæpiſſime murmurent ſe quodammodo contemni: conquerantur ſe non ſic ab apoſtolica ſede diligi, nec ita factis aut ſermonibus per nos honorari; minime tamen nos pœnitet, nec deinceps, Deo favente, pœnitebit. Speramus etenim celſitudinis tuæ induſtriam in eadem ſanctæ eccleſiæ devotione juſtitiæque ſtudio ſemper manſuram, ac in melius etiam, opitulante Domino, de cætero dilatandam. Unde merito nos oportet in ejuſdem dilectionis tenore perſeverare, immo per diuturnitatem temporum, creſcentibus meritis, magis ac magis excreſcere. Unum tamen interea nos tangit, & tangendo anguſtat, atque inter regalium tuarum virtutum inſignia monumenta lætitiam in amico corde violenter obnubilat, videlicet, quod in capiendo germanum tuum epiſcopum, non ſicut decuit propriæ honeſtati proſpiciens, ſed ſæcularem cautelam & rationem divinæ legi præponens, ſacerdotalem reverentiam minus vigilanter attendiſti. Et quidem non latere tuam prudentiam credimus ſcriptum eſſe, quod de ſacerdotibus maxime oportet intelligi: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, & alibi: *Nolite tangere Chriſtos meos*: & quod Dominus ipſe ſacerdotibus licet pravis & valde indignis honorem deferre non ſit dedignatus. Quam rem piæ memoriæ Conſtantinus præcipuus videlicet imperator intelligens, in Nicæna ſynodo nullam in epiſcopos ab ipſis etiam epiſcopis accuſationem voluit ſuſcipere, nullumque contra eos judicium præſumpſit inferre, dicens: Vos dii eſtis a vero Deo conſtituti: ideo non oportet ut nos homines Deos præſumamus judicare. Quanta etiam ſit ſacerdotii dignitas, quantaque ſublimitas epiſcopalis, beatus Ambroſius doctor ſcilicet eximius veſtram doceat magnitudinem, veſtramque inſtruat prudentiam; in paſtorali ſuo ſic ponens: Honor igitur, fratres, & ſublimitas epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. *Cætera deſunt.*

Luc. 2. v. Zach. 2.

Ruffinus lib. 1. cap. 2. hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Sanctus Gregorius epiſtolarum lib. 9. epiſt. 31. S. Ambroſius de dignitate ſacerdotali.

APPENDIX EPISTOLARUM.

ANNO CHRISTI 1083.

GREGORII PAPÆ VII.

I. AD LANFRANCUM CANTUARIENSEM epiſcopum.

De difficultatibus regiminis apoſtolatus.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo fratri in Chriſto Lanfranco venerabili Cantuariorum archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUaliter nobis apoſtolici regiminis honor & onus impoſitum ſit, & quantus undique ſtringamur anguſtiis, præſentium tibi portitor indicabit, cui reſpectu tuæ dilectionis etiam nonnulla noſtris adhuc familiaribus occulta aperuimus. De cætero in primis fraternitatem tuam rogamus, ut Deum pro nobis jugiter exorare non pigeat, & ſubditos ſibi vel conjunctos fraternis nos ſuis orationibus apud Deum juvare commoneat. Quanto enim in majori periculo poſiti ſumus, tanto amplius tuis & bonorum omnium ſuffragiis indigemus. Nos etenim ſi divinæ vindictæ judicium effugere volumus, contra multos inſurgere, & eos in animam noſtram provocare compellimur. Nam dum omnes fere, ſicut ait apoſtolus, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, quærunt, regnorum principes, & hujus mundi potentes, ut cupiditates ſuas expleant, legem Dei & juſtitiam non jam negligenter deſerunt, ſed ſummis conatibus impugnant: ut illud prophetæ nunc ſub oculis videamus impletum: *Adſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* Epiſcopi vero, & qui paſtores animarum eſſe deberent, mundi gloriam & delicias carnis inſatiabili deſiderio proſequentes, non ſolum in ſemetipſis quæ ſancta, quæque ſunt religioſa confundunt, & * ſubditos ſuos ad omne nefas operum ſuorum exemplo pertrahunt. Quibus non contraire quam nobis periculoſum reſiſtere autem, & eorum nequitiam refrænare, quam difficile ſit, tua prudentia novit. Sed quoniam quos dolores inter has patiamur anguſtias, ut ſupra diximus, huic communi filio noſtro tibi referendum * exeruimus, plura de his dicere ſuper ſedemus. Tuam vero fraternitatem, etſi monitore non egeat, impellente tamen nos ſolicitudine, admonemus, quatenus graviora uſquequaque reſecare vitia ſtudeat: & inter omnia, & præ omnibus, nefas quod de Scotis audivimus, quod plerique videlicet proprias uxores non ſolum deſerunt, ſed etiam vendunt, omnibus modis prohibere contendat. Ad hæc enim apoſtolica auctoritate fultum eſſe volumus, ut non ſolum in Scotis hoc ſcelus, ſed etiam in aliis, ſi quos in Anglorum inſula tales eſſe cognoveris, dura animadverſione punias, & radicem tanti mali prudenti ſarculo correctionis penitus extirpare non differas.

Philip. 2.

Pſalm. 2.

* ſed

* exaravimus.

II. AD MONACHOS VALLIS UMBROSÆ.

Ipſos Joannis Gualberti abbatis Vallumbroſiani diſcipulos ad imitationem magiſtri hortatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clericis, monachis, diſciplinam ſanctæ recordationis Joannis

nis Gualberti abbatis imitantibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem

ANNO CHRISTI

LIcet venerandæ memoriæ eumdem Joannem patrem veſtrum corporeis oculis non viderimus, quia tamen fides ejus puritas in Tuſciæ partibus mirabiliter reſplenduit, multum eum amore dileximus, ad cujus ſanctæ converſationis ſtudium, quamvis vos imitatores eſſe non ambigimus, ut vigor rectitudinis veſtræ ad extirpandam de agro dominico zizaniam ſolicitius invigilet, attentiuſque ferveat, paternæ vobis exhortationis verba impendimus. Vos itaque, dilectiſſimi, inquantum humana poſſibilitas permittit, vitam illius ſequentes, & vere filios ejus & hæredes ſimili vos converſatione probantes, viriliter agite & confortamini in Domino, & in * patientia virtutis ejus, documenta ſanctarum ſcripturarum, quibus hæreticorum argumenta deſtruuntur, & fides ſanctæ eccleſiæ defenditur contra membra diaboli, quæ diverſis machinationibus Chriſtianam religionem conantur evertere, mens veſtra quotidie meditetur, & ea quæ ſolet libertate in malorum confuſione erigatur. eos vero qui in vobis confidunt, & conſilium religionis veſtræ ſequi diſponunt, more prædicti patris veſtri ſuſcipite, & de his quæ ad ſalutem eorum pertinere videntur ſanctis exhortationibus inſtruite: ut non ſolum veſtra, ſed & vos ſequentium circumpoſiti populi conſiderantes ſancta opera, glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Nos autem ipſum amorem, quem patri veſtro & vobis olim impendimus, donec noſtros ſpiritus rexerit artus, exhibere deſideramus, & tanto quidem deinceps majori vos caritate fovebimus, quanto vos in divinis negotiis ferventiores eſſe probabimus, quibus non ſolum ſpirituale. ſed & ſeculare, ſi neceſſe fuerit, auxilium, Deo adjuvante, miniſtrabimus. Vos igitur omnipotentem Dominum exorate, ut ipſe vires & facultates nobis tribuat, quatenus ſuſcepti regiminis importabile pondus poſſimus tolerare, & ſanctam eccleſiam in ſtatum antiquæ religionis reducere Valete

* potentia

ANNO CHRISTI

III. AD OTTONEM CONSTANTIENSEM epiſcopum

De rebus in concilio Romano primo contra ſimoniacos & concubinarios clericos conſtitutis per ipſum in ſua diœceſi publicandis.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c.

INſtantia nuntiorum tuorum feſtinanter redire volentium, &c. *Extat infra inter apologeticos, in notis ſequentis concilii Romani primi ſub Gregorio VII.*

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

Appendicem epiſtolarum Gregorii VII brevem admodum exhibuit hoc loco Binius & poſt eum regius collector: nec paulo locupletiorem Deo dante proferemus. Verum ne diutius differamus conciliorum, quæ ſub hoc pontifice variis in locis gravibuſque de cauſis celebrata ſunt, narrationem jamdiu a lectoribus expetitam, ſupplementum illud qualecumque noſtrum ſubjiciemus anno 1085. quo Gregorius ipſe & ſcribere & vivere deſiit, hac brevi in antecedens monitione præmiſſa.

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

AD EPISTOLAS, ET DECRETA GREGORII PAPÆ VII.

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

APPENDIX.

AD HENRICUM EPISCOPUM TRIDENTINUM

Exponit juſte ſe Henricum imperatorem excommunicaſſe, & ut pontificem miſſis copiis adjuvet, rogat.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, fratri, & coepiſcopo Tridentino, Heinrico, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex Manſi Suppl. p. 138; ex collectione Monumenti Habani tom. I. pag. 116.

MIramur fraternitatis tuæ prudentiam verba noſtra neglexiſſe, ut ſecundum ea nullum decreveris dare reſponſum, maxime cum poſt ſynodalem ſententiam in Heinricum regem prolatam dilectio tua minime differre debuerit; ad cujus nimirum ſententiæ promulgationem nos juſtitiæ zelo impulſos, & non aliqua promotione injuriæ concitatos manum exercuiſſe, neque ſolertiam tuam ignorare, neque aliquem ſanæ mentis hominem putamus poſſe ambigere. Quod tamen ſi in dubium cuiquam deveniret, conſtat ejus rei rationem prius ex nobis fore ſcrutandam, quam in illum præjudicium factum temere eſſe credendum. Verum, utcumque ſese opinio habeat, factumve interpretetur, illud procul dubio clementia divina ſperantes promittimus, feſtum beati Petri non prius tranſeundum, quam in cunctorum notitia certiſſime clareat, illum juſtiſſime eſſe excommunicatum. Et inde fraternitatem tuam volumus, atque monemus, ut certos nos ſtuduerat facere utrum Deo, an hominibus magis elegerit obedire, utrumve juſtitiæ obtemperando fidem Deo, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ obſervare, quam filiis iniquitatis hærendo (*adhærendo*) conculcare cenſuerit. Rogamus ergo, atque invitamus, ut ad ſervitium beati Petri pro poſſe tuo milites mittere ſtudeas, eoſque ſi decreveris mittere, Mathildæ filiæ noſtræ notificare procures, cujus ope conducti ſecure poſſint ad nos, & ſine impedimento favente Domino pervenire.

Ibid.

EJUSDEM.

Anathema in Henricum regem a ſe latum tuetur.

Apud Anonymum Saxonem Eccardi ad ann. 1075.

B. GRegorius doctor utique mitiſſimus reges qui ſtatuta ſua ſuper unum xenodochium violarent, non modo deponi, ſed & excommunicari, ac in æterno examine damnari decrevit. Quis nos Heinricum, non ſolum apoſtolicorum judiciorum contemptorem, verum & ipſius matris eccleſiæ, quantum in ipſo eſt, conculcatorem, totiuſque regni, quantum in ipſo eſt, & eccle-

ANNO CHRISTI 1073. usque ad 1085. Reſpicit ad Nemrod qui primus ſibi principatum inter homines hic malis artibus uſurpavit, tyrannici principatus fundamenta jecit. Longe alia poſt Principatus exordia fuerunt. Sed hæc poſterius, illud

eccleſiarum improbiſſimum prædonem & atrociſſimum deſtructorem depoſuiſſe & excommunicaſſe reprehendat, niſi forte ſimilis ejus? *Et poſt aliqua*. Quis neſciat reges & duces ab his habuiſſe principium, qui Deum ignorantes, ſuperbia, rapinis, perfidia, homicidiis, poſtremo univerſis pene ſceleribus, mundi principe Diabolo agitante, ſuper pares dominari cæca cupiditate, & intolerabili præſumptione affectaverunt. Qui videlicet dum ſacerdotes Domini ad veſtigia ſua inclinare contendunt, cui rectius comparantur, quam qui eſt caput ſuper omnes filios ſuperbiæ, qui ipſum ſummum pontificem ſacerdotum caput tentans, & omnia illi mundi regna promittens ait: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me? *Et aliquantis interpoſitis* Nec valde ſane mirandum eſt, quod mali pontifices iniquo regi, quem adeptis male per eum honoribus diligenter metuunt, conſentiunt, qui ſimoniace quoslibet ordinando Deum pro vili etiam pretio vendunt. Contra quos profecto, non tam diſſerendo, quam pro eis eſt lacrymoſis planctibus gemendum, ut omnipotens Deus illos a laqueis Satanæ, quibus captivi tenentur, eripiat, & tandem vel poſt pericula ad agnitionem veritatis perducat. Sed quia noſtri officii eſt unicuique ſecundum ordinem, vel dignitatem, qua videtur vigere, exhortationem diſtribuere, imperatoribus & regibus cæteriſque principibus, ut elationes maris, & ſuperbiæ fluctus comprimere valeant, arma humilitatis curamus providere. *Et poſt panca*: quapropter quos ſancta eccleſia ſua ſponte ad regimen, vel ad imperium deliberato conſilio, advocat, non pro tranſitoria gloria, ſed pro multorum ſalute humiliter obediant, & ſemper caveant, quod B. Gregorius in libro paſtorali teſtatur; apoſtatæ angelo ſimilis efficitur, dum homo hominibus eſſe ſimilis dedignatur. *Et paucis interpoſitis*. Honorem Dei ſemper ſuo præponant, juſtitiam unicuique ſuum jus ſervando amplectantur atque cuſtodiant, non eant in conſilio impiorum, ſed religioſis ſemper adquieſcendo corde adhæreant, ſanctam eccleſiam non quærant ſicut ancillam ſibi ſubjicere; ſed permaxime oculos illius videlicet Domini ſacerdotes, magiſtros & patres recognoſcendo, decenter ſtudeant honorare, non carnali amore, vel electi ſtudeant filium ſuum gregi, pro quo Chriſtus ſanguinem ſuum fudit proponere, ſi meliorem illo, & utiliorem poſſunt invenire, non plus diligendo filium, maximum ſanctæ eccleſiæ inferant detrimentum. Patenter enim Deum & proximum, ſicut Chriſtianum oportet non amare convincitur, qui tantæ utilitati, tamque neceſſariæ ſanctæ matris eccleſiæ, prout melius poteſt negligit providere. *Et in fine epiſtolæ*: Admonemus vos fratres & coepiſcopos noſtros ne faciem principum trepidantes, veritatem eis dicere timeatis, juxta illud Gregorii: Cum in terra hominem contra quilibet pavet, ejuſdem veritatis iram cœlitus ſuſtinet.

ANNO CHRISTI 1073. usque ad 1085.

GREGORII PAPÆ VII.

EPISTOLA AD GERMANOS

Monſ. Suppl. pag. 1281.

Gregorius ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis, Ducibus, Comitibus, cæteriſque in Regno Teutonicorum, Chriſtianam fidem defendentibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex Cod. Udalrici num. CXLVI. Eccard. tom. II. pag. 146. Affert & Annaliſta Saxo Eccardi ad A. 1085. ſed mutilat. Integram recte dat Herbipolenſis in vita Gregor. c. 98.

AUdivimus inter vos quoſdam de excommunicatione, quam in Regem fecimus, dubitare, ac quærere utrum juſte ſit excommunicatus, & ſi noſtra ſententia ex auctoritate Legalis cenſuræ, ea, qua debuit, deliberatione egreſſa ſit. Quapropter, qualiter ad excommunicandum illum adducti ſumus, prout verius potuerimus, teſte conſcientia noſtra, oculis, & intellectibus omnium patefacere curabimus, non tam ut ſingulas cauſas, heu, quæ nimium notæ ſunt, quaſi noſtro clamore projiciamus in publicum, quam ut eorum opinionibus ſatisfaciamus, qui putant nos ſpiritualem gladium temere, & magis motu animi noſtri, quam Divino metu, & juſtitiæ zelo arripuiſſe. Cum adhuc in Diaconatus officio poſiti eſſemus, perlata ad nos de Regis actionibus ſiniſtra & multum inhoneſta fama propter imperialem dignitatem, & reverentiam patris, & matris ejus, nec non propter ſpem, & deſiderium correctionis ejus per literas ſæpe ammonuimus, ut a pravitate ſua deſiſteret, & memor clariſſimi generis ac dignitatis ſuæ, vitam ſuam moribus, quibus Regem, & futurum, Deo donante, deceret imperatorem, inſtitueret. Poſtquam autem ad Pontificatus apicem, licet indigni, venimus, & illi ætas pariter creſcere cœpit & iniquitas, intelligentes Deum omnipotentem tanto diſtrictius de manu noſtra animam ejus requiſiturum, quanto nobis illum ad increpandum præ cunctis libertas data fuiſſet & auctoritas, multo ſollicitius eum modis omnibus arguendo, obſecrando, increpando ad emendationem vitæ ſuæ hortati ſumus. Qui cum nobis ſæpe ſalutationes & literas mitteret, excuſans ſe cum ex ætate, quæ fluxa eſſet & fragilis, tum quod ab his, in quorum manibus cura ejus erat, multotiens ſibi male ſuaſum, atque conſultum ſit; monita noſtra de die in diem ſe promptiſſime ſuſcepturum verbis quidem promiſit, cæterum re; & exaggeratione culparum penitus conculcavit. Inter hæc quoſdam familiares ſuos, quorum conſiliis & machinationibus epiſcopatus, & multa monaſteria, inductis per pretium lupis pro paſtoribus ſimoniaca hæreſi fœdavit, ad pœnitentiam vocavimus: quatenus & bona Eccleſiarum quæ per interventum tam ſcelerati commercii ſacrilega manu ſuſceperant, venerabilibus locis, ad quæ pertinebant, cum adhuc locus eſſet emendandi, redderent, & ipſi de perpetrata iniquitate per lamenta pœnitudinis Deo ſatisfacerent. Quos cum ad hæc exequenda datas inducias ſpernere, & in conſueta nequitia pertinaciter ſtare agnovimus, ſicut dignum erat, ſacrilegos adminiſtros & membra Diaboli a communione & corpore totius Eccleſiæ ſeparavimus, & regem, ut eos a domu ſua, a conſiliis, & omni communione ſua, ſicut excommunicatos expelleret, ammonuimus. Interim vero ingraveſcente contra Regem Saxonum cauſa, cum vires & præſidia regni ex parte maxima a ſe deficere velle conſpiceret, interim direxit nobis epiſtolam ſupplicem, & omni humilitate plenam, in qua omnipotenti Deo, & beato Petro ac nobis valde ſe cul-

culpabilem reddens, preces etiam obtulit, ut, quod ex ſua culpa in Eccleſiaſticis cauſis contra canonicam juſtitiam, & decreta Sanctorum Patrum factum fuiſſet, noſtra apoſtolica prudentia, & auctoritate corrigere ſtuderemus, atque in eo ſuam nobis obedientiam, conſilium, & fidele promiſit adjutorium. Hoc idem etiam poſtea a confratribus, & legatis noſtris Humberto Præneſtino Epiſcopo, & Geraldo Hoſtienſi Epiſcopo, quos ad illum miſimus, ad pœnitentiam ſuſceptus in illorum manus per ſacras ſtolas, quas in collo tenebant, repromittendo confirmavit. Dein poſt aliquod tempus commiſſo cum Saxonibus prælio, Rex pro victoria, quam adeptus eſt, tales Deo grates & victimas obtulit, ut vota, quæ de emendatione ſua fecerat, continuo frangeret, & nihil eorum, quæ nobis promiſerat, attendens, excommunicatos in ſuam familiaritatem & communionem reciperet, & Eccleſias in eam, quam conſueverant, confuſionem traheret. Qua de re gravi dolore perculſi, quamquam potius, contempta Regis cæleſtis beneficentia, pene omnis ſpes correctionis ejus nobis ablata ſit; adhuc tamen animum temperandum fore decrevimus, magis capientes eum apoſtolicam audire manſuetudinem, quam experiri ſeveritatem. Itaque miſimus ei epiſtolas commonitorias, ut meminerit quid, & cui promiſerit, ne credat ſe poſſe fallere Deum, cujus, quanto prolixior eſt patientia, tanto ſevérior eſt, cum vindicare cœperit, ira; ne inhonoret Deum honorantem ſe, nec potentiam ſuam ad Dei contemptum, & apoſtolicam tentet extendere contumeliam, ſciens quod ſuperbis reſiſtit Deus, humilibus autem dat gratiam. Præterea miſimus ad eum tres religioſos viros, ſuos utique fideles, per quos eum ſecreto monuimus, ut pœnitentiam ageret de ſuis ſceleribus, quæ quam horrenda ſunt dicta, pluribus tamen nota, & in multis partibus terræ divulgata. Propter quæ non ſolum excommunicari uſque ad dignam ſatisfactionem, ſed etiam ab omni honore regni eum abſque omni ſpe recuperationis debere deſtitui, divinarum, & humanarum legum teſtatur & jubet auctoritas. Poſtremo niſi excommunicatos a ſua participatione divideret, nos nihil aliud de eo vendicare aut decernere poſſe, quam ut ſeparatus ab eccleſia in excommunicatorum conſortio foret, cum quibus ipſe potius, quam cum Chriſto habere partem elegerit. Sane ſi noſtra monita ſuſcipere, & vitam ſuam corrigere vellet, Deum teſtem invocavimus, & invocamus, quantum nos de ejus ſalute gauderemus, & honore, & cum quanta caritate eum in gremio ſanctæ eccleſiæ amplecteremur, utpote eum qui princeps populi conſtitutus, & amplißimi regni gubernacula tenens, catholicæ pacis & juſtitiæ defenſor eſſe deberet. Verum quanti ipſe, aut ſcripto, aut per legatos miſſa noſtra verba fecerit, ejus facta declarant; qui indigne ferens ſe a quoquam reprehendi aut corripi, non ſolum a perpetratis ad emendationem revocari non potuit, ſed ampliori conſcientiæ furore correptus, non prius ceſſavit, donec epiſcopos pene omnes in Italia, in Teutonicis vero partibus quotquot potuit, circa fidem Chriſti naufragare fecit, dum eos debitam beato Petro & apoſtolicæ ſedi obedientiam, & honorem, a Domino noſtro Jeſu Chriſto conceſſum, abnegare ſubegit. Cum igitur iniquitatem ejus ad ſummum prodiiſſe vidimus, pro his cauſis, videlicet, primum, quod ab eorum communione, qui pro ſacrilego reatu ſimoniacæ hæreſis excommunicati ſunt, ſe abſtinere noluit; demum quod pro criminoſis actionibus vitæ ſuæ pœnitentiam, non dico ſuſcipere, ſed nec omittere voluit, immutata ea, quam in manus legatorum noſtrorum promiſerat, fide, nec non quod corpus Chriſti & unitatem ſanctæ ſcindere eccleſiæ non expaverit. Pro his, inquam, culpis ſynodali eum judicio excommunicavimus, ut quem mites non potuimus, vel ſeveri ad viam ſalutis, Deo adjuvante, revocare valeamus; aut, ſi quod abſit, ne diſtrictionis quidem cenſuram pertimuerit, noſtra ſaltem anima negligentiæ aut timoris diſcrimini non ſuccumbat. Si quis igitur hanc ſententiam injuſte vel irrationabiliter prolatam eſſe putaverit, ſi talis eſt, ut ſacris regulis intelligentiæ ſenſum præbere velit, nobiſcum etiam agat, & non quod nos, ſed quid divina auctoritas doceat, quid decernat, quid conſona vox ſanctorum patrum indicet, patienter audiat, acquieſcat. Nos tamen non æſtimamus quemquam fidelium, qui eccleſiaſtica ſtatuta noverit, hoc errore teneri, ut non hoc, & ſi publice affirmare non audeat, vel in corde ſuo rectum factum eſſe perhibeat. Quanquam ſi nos, quod Deus avertat, non ſatis gravi de cauſa aut minus ordinate eum hujuſmodi vinculo ligavimus, ſicut ſancti patres noſtri aſſerunt, non idcirco ſpernenda ſententia eſt; ſed abſolutio cum omni humilitate quærenda. Vos autem Domini * qui juſtitiam Dei nec pro regia indignatione, nec pro aliquo periculo deſerere voluiſtis, fatuitates, quæ de execratione & mendacio annunciabuntur in conſummatione parvipendentes, viriliter ſtate & confortamini in Domino, ſcientes, quod illius partem defenditis, qui inſuperabilis rex eſt, & magnificus triumphator, judicaturus vivos & mortuos, reddens unicuique ſecundum opus ſuum. De cujus multimoda retributione, & vos certi eſſe poteritis, ſi uſque in finem fideles, & inconcuſſi in ejus veritate perſtiteritis. Propter quod & nos inceſſanter pro vobis rogamus Deum, ut det vobis corroborari per Spiritum Sanctum in nomine ejus, & convertat cor regis ad pœnitentiam, ut & ipſe aliquando cognoſcat non multo verius amare eum, quam illos, qui nunc ſuis iniquitatibus obſequuntur, & favent. Quod ſi, Deo inſpirante, voluerit reſipiſcere, quicquid contra nos moliatur, ſemper tamen nos ad recipiendum eum in ſanctam communionem, prout veſtra nobis caritas conſuluerit, paratos inveniet.

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

* Anaclitus Sexto legat. ad Hoſtienſem.

EJUSDEM AD EOSDEM.

Venturum ſe in Germaniam ſpondet.

Ibid. Bjaeid. n. 1147 Affert. & Bern. ad c. 83. ſcripta an. 1086. exeunte.

Gregorius ſervus ſervorum Dei archiepiſcopis, epiſcopis, ducibus, comitibus, nec non majoribus & minoribus in regno Teutonicorum conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOs & indigni, & inutiles principis apoſtolorum ſervi ſtatuimus ad vos divina auxiliante clementia venire, & poſtponentes omnium fidelium noſtrorum conſilium, ita profectionem noſtram maturare, ut VI. idus januarii apud ..... velimus eſſe, veſtra quidem voluntate & deſiderio, ut fiducia probatæ fidei quæcumque aſpera, & ſi neceſſarium fuerit, ipſam effuſionem ſanguinis pro libertate eccleſiæ ſanctæ & ſalute imperii, pura & ſincera intentione ſubire non dubitemus. Veſtri

☞ ſtri ergo ſtudii ſit de exceptione & ſervitio noſtro præmonere eos, quos prudentia veſtra cognoverit id poſſe, & nobis debere. Sit etiam ſtudii veſtri per partes veſtras pacem firmare, ut intentionis noſtræ propoſitum nihil impedire poſſit. Quot & quantas colluctationes cum nunciis regiis habuerimus, & quibus rationibus dictis eorum obviaverimus, quicquid deeſſe videtur literis, latores earum plenius judicabunt. Quibus, ſicut de iis, quæ beato Petro & nobis promiſiſtis, indubitanter credimus, ita vos de his, quæ ex noſtra parte dixerint, nobis certiſſime volumus credere.

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

☞ AD RODULPHUM REGEM ET SAXONES.

Nunciat ſe curaſſe, ut per legatos ſuos de rebus a ſe decretis in duabus ſynodis docerentur, tum ad patientiam hortatur, & ut Magdeburgenſis archiepiſcopatus optime provideatur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei R. regi, omnibuſque ſecum in regno Saxonum commanentibus tam epiſcopis, quam ducibus, comitibus, nec non majoribus & minoribus peccatorum abſolutionem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. 153. CUm veritas ipſa dicat, omnium qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur regnum eſſe cœlorum, & apoſtolus clamet, neminem niſi qui legitime certaverit, poſſe coronari, nolite filii mei, in hoc qui vos jam multo tempore exagitat, bellico furore deficere, nolite per ullius fallentis perſonæ mendacia de noſtro fideli adjutorio dubitare; ſed magis magiſque pro tuenda veritate eccleſiaſtica, pro defendenda veſtræ nobiſtratis libertate, labori jam citius finiendo incumbite: & ex adverſo aſcendendo vos & corpora veſtra quaſi murum pro domo Dei opponere ſatagite. Quidquid jam in duobus ſynodi noſtræ conventionibus de rege R. & de H. ſtatutum ſit. Quicquid ibi de pace, & concordia regni & cum juramentis ſit diffinitum, per noſtras literas & per noſtros legatos, niſi forte capti ſint, apertiſſime poteſtis cognoſcere, & ſi quid adhuc remanſerit per epiſcopos Metenſem & Papienſem, & abbatem Auguſtenſem, qui nobiſcum finem rei præſtolando morantur, cum ad vos ipſi venerint quaſi in promptu habetis audire. Poſtremo hoc vos ignorare nolumus, quod qua omni oportet inſtantia cum orationis noſtræ aſſiduitate, tum officii noſtri gravitate, & proſpiciendo conſulere, & conſulenda proſpicere veræ neceſſitati non dubitamus. Audivimus de veſtro archiepiſcopatu Magdeburgenſi in diſciplinam quorundam ejuſdem eccleſiæ filiorum pro acquirendo ſæculari habitu & honore, obortam fuiſſe contentionem, quos modis omnibus ex præcepto Dei omnipotentis & Sancti Petri, & noſtro, ne ſibi in locum damnationis culmen arripiat regiminis prohibere, & Deo dignum diſpenſatorem, prout jus poſtulat & ordo, cum noſtra voluntate, & apoſtolica benedictione, & communi omnium bonorum tam clericorum quam laicorum electione diſponere. Vos tamen ipſi noſtis, quod in conſtituendis epiſcopis neglecta ſanctorum patrum inſtituta hunc, qui modo funditur, ſanguinem genuerunt, & adhuc niſi provideantur, pejores prioribus errores fovendo parturiunt.

☞ AD GALLOS.

Vocat illos ad ſynodum pro diſcordiis inter regnum & ſacerdotium componendis habendam.

Gregorius ſervus ſervorum Dei archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus in Gallia conſtitutis, qui in gremio ſanctæ Romanæ eccleſiæ permanere videntur, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. 159. QUantas tribulationum anguſtias & perſecutionum procellas ac pondera periculorum univerſalis mater ſancta Romana eccleſia perpeſſa ſit temporibus iſtis, quod credi vix poteſt, ex majori parte latet ſcientiam veſtram. Ad hæc quoque quid conſilii, quidve ſuffragii per vos filios ſuos debitæ compaſſionis pereceperit, vos ipſi agnoſcitis. Quod itaque ſine dolore vix poſſumus vel reminiſci, ita caritas multorum circa eam refrigeſcit, ut hæc ipſa per evangelium præſignata quodammodo ſpecialiter videantur, ut dicitur: quando abundaverit iniquitas, refrigeſcet cor multorum. Unde quid aliud dixerim niſi quod vos, qui aut ſegniter neglexiſtis ac pavide refugiſtis matri veſtræ in tanta preſſura ſolaciari, nomine filiorum indignos & caritatis viſceribus alienos vos oſtenditis. Quem vero pudorem, vel potius quantum dolorem, quiſquis eſt ſanæ mentis non ſentiat, cum conſideret perſecutores chriſtianæ religionis tanta factionis conſpiratione, ſicut omnimodis anniſibus non ſolum res ſuas profundendo, ſed etiam ſe ipſos morti tradendo ad explendam animi atrocitatem hucuſque defudaſſe, neminem autem vel vix pauciſſimos, juſtitiæ fautores, aut corporum laborem ſubire, aut rerum diſpendia pati, aut de bonis ſuis opem matri ſuæ eccleſiæ ferre curaviſſe. Verum, utcumque fraternitas veſtra ſeſe habuerit, benedictus Deus, & Domini noſtri Jeſu Chriſti pater, qui nos ab adverſariorum manibus & perſecutorum violentia protegens, hactenus in manu noſtra juſtitiam tecundum teſtimonium conſcientiæ noſtræ defendit; atque potentiæ ſuæ vigore humanæ infirmitatis imbecillitatem noſtram corroborans ad iniquitatem converti, nullis nos promiſſionum blanditiis, nullis vexantium terroribus ſinit. Ipſi ergo gratias immenſas referimus, qui nos infractos hucuſque in preſſuræ tempeſtate conſervans ad quandam ſpem tranquillitatis ſicut liberis inceſſibus duxit, ut non nos contra principalem juſtitiæ intentionem egiſſe, aut propria conſcientia aut religioſorum, qui noverunt, examinatio reprehendat. De cætero fratres ut cauſa jurgiorum & diſcordia, quæ inter regnum & apoſtolicam ſedem jam dudum agitatur, annuente Domino, congruum valeat finem ſortiri, vos ad ſynodum quam in medio novembri celebrare diſponimus, præſentium literarum vocatione ex parte beati Petri apoſtolorum principis præcipientes, invitamus. Hoc etiam fraternitatem veſtram ſcire volumus, quia ut ſecure ad nos venire & in veſtram patriam Deo protegente poſſitis redire, fideles noſtri a majoribus, qui ſunt in curia Heinri-

inrici dicti regis, juramento ſecuritatem recepe- A firmare, atque ad gremium matris eccleſiæ ſan-
runt. Deſideramus igitur una vobiſcum tractare, dæ ſchiſmaticos Deo auxiliante revocare.
divino fulti auxilio, qualiter poſſimus pacem con-

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

EJUSDEM AD GERMANOS.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, ducibus, marchionibus, comitibus, omnibuſque chriſtianam & B. Petri apoſtol. principis fidem, & doctrinam defendentibus, & obſervantibus in omni regno Teutonicorum ſalutem & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli benedictionem & omnium peccatorum abſolutionem.

Ibid. ad. Aſſert. & Bertold. c. 83.

EGo qualiſcumque ſacerdos apoſtolorum prin- B cipis ſervus contra voluntatem & conſilium Romanorum, confidens de miſericordia Dei, & vera fide catholica, venio ad vos, paratus propter honorem Dei & ſalutem animarum veſtrarum mortem ſubire, ut per multas tribulationes tendamus, & perveniamus ad requiem. Vos autem, fratres mei dilectiſſimi, & deſideratiſſimi, ſummopere curate, ut vos poſſim Deo auxiliante adire, vobiſque in omnibus prodeſſe. Benedicat vos ille, ex cujus gratia dictum eſt mihi ad corpus beati Petri in die ordinationis meæ: quodcumque benedixeris, benedictum erit, & quodcumque ſolveris in terra, erit ſolutum in cœlo. Amen.

EJUSDEM AD WILLELMUM REGEM ANGLORUM.

De Simonia, luxuria, & depoſitione Johæni Dolenſis epiſcopi, & ordinatione Oveni in ejus locum.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei excellentiſſimo filio W. glorioſo regi Anglorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex Matt. Anecdot. t. III. col. 891.

COmpertum eſſe celſitudini tuæ non dubitamus, quod dictus epiſcopus Dolenſis eccleſiæ, quæ Britannicæ provinciæ principalis eſt ſedes, ſuæ ſalutis immemor, & ſanctorum canonum decreta conculcans, eamdem eccleſiam per ſimoniacam hæreſim impudenter invaſerit, & pro- C lixo jam tempore oppreſſerit violenter. Datis namque comiti Alano copioſis muneribus, quæ uſque hodie ad probamentum prius nequitiæ in propatulo extant, non per oſtium in ovile Chriſti, ſed ut fur & latro aliunde irrepſit: qui etiam nec hoc ſcelere contentus, iniquitatem ſuper iniquitatem appoſuit, & quaſi ſimoniacum eſſe parum & pro nihilo deputaret, nicolaita quoque fieri feſtinavit. Nam in ipſo tam pernicioſe adepto epiſcopatu nuptiis publice celebratis, ſcortum potius quam ſponſam ducere non erubuit, ex qua & filios procreavit; ut qui jam ſpiritum ſuum animarum corruptori per ſimoniaca commercia proſtituerat, per fœdæ libidinis inceſtum corpus ſuum ita in contumeliam Diabolo conſecraret; D & ſic in eo nullus locus ſupereſſet conditori, quem intus exteriuſque obligatum totum ſibi adverſarius non vendicaſſet. Nec tamen hucuſque malitiæ conatus ſubſtitit; ſed atrociſſimum facinus, turpiſſimumque flagitium horrendo etiam ſacrilegio cumulavit. Nam adultas ex illicito matrimonio filias, prædiis eccleſiæ, & redditibus nomine dotis collatis, atque alienatis ſcelere immaniſſimo maritavit. His iniquitatibus coopertus, eamdem tamen eccleſiam dilaceratam diſſipatamque ſi liceat incubare molitur, quibus de cauſis celſitudo tua noverit illum jam beati Petri apoſtoli ſpiculo perfoſſum, & niſi ſceleris reſipuerit, anathemate mortifero eſſe damnatum. Qua propter paterna charitate te admonere, & cauſam breviter exponere ſtuduimus, ne fortaſſe per ignorantiam tam ſceleſto homini tandiu in tenebris ſuis jacenti ulterius auxilium præbeas, neve ſcelerum ejus te participem facias, ſed ſedi apoſtolicæ, noſtriſque monitis modeſte parendo illum a te repellas; vel etiam ut tandem aliquando ſibi conſulat, atque ad remedium pœnitentiæ confugiat, blande ſuadendo, ſi poteris, inducas. Nam tales in malo perſeverantes fovere & adjuvare nihil eſt aliud, quam iram Domini contra ſe provocare. Nos vero ſupradictæ eccleſiæ afflictionem diutius non ferentes, Deo inſpirante, virum vitæ probabilem, & compertæ religionis inibi ordinavimus & conſecravimus, videlicet S. Melanii abbatem, qui cum ob alias cauſas quas explicare prolixum eſt, ad nos veniſſet; pontificatus onus ex inſperato ſubire compulſus eſt. De quo confidimus in Domino, quia ſi ut deſideramus literiſque noſtris multipliciter implorare curavimus, principum terræ bonorum virorum gratiam & ſtudia habere meruerit, Domino cooperante, ſub B. Petri patrocinio eccleſiam in melius reſtaurabit.

GREGORII PAPÆ EPISTOLÆ AD GERMANOS.

Gregorius ſervus ſervorum Dei omnibus archiepiſcopis in Teutonico atque in Saxonico regno commanentibus, omnibuſque principibus cunctiſque majoribus & minoribus, qui non ſunt excommunicati & obedire voluerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUomodo ex lite & diſſentione veſtra maximum in ſancta eccleſia periculum fieri quotidie cognoſcimus, vitium eſt nobis, vitium eſt & fratribus noſtris in concilio congregatis, ſumma ope elaborare pro viribus, quatenus idonei nuntii tam religione quam ſcientia pollentes e latere apoſtolicæ ſedis ad partes veſtras mitterentur, qui religioſos epiſcopos laicos etiam pacis & juſtitiæ E amatores in partibus veſtris commorantes ad hoc optus idoneos congregarent, qui Domni gratia præeunte die & loco ab illis ſtatuto tam ipſi quam quos ipſis adjungere adhuc debemus, aut pacem componant aut veritate prænognita ſuper illos qui ſunt tanti diſſidii cauſa, canonicam cenſuram exerceant. Verum quomodo nonnullos diabolico inſtinctu confectos iniquitati ſuæ facibus ignitos, cupiditate inductos, diſcordiam potius quam pacem fieri & videre deſiderantes fore non ignoramus; ſtatuimus in hac ſynodo ſicut & in præterita, ut nulla perſona alicujus potentiæ vel dignitatis, ſive parva, ſive magna, ſive princeps, ſive ſubjectus aliqua præſumptione audeat legatis noſtris obſiſtere, & cum ad vos pervenerint de

com-

componenda pace contraire nec poſtea contra interdictum illorum aliter in aliquo audeat inſurgere, ſed uſque ad diem ab illis ſtatutum firmam pacem omnes ſine ulla occaſione & fraude obſervent. Quicumque autem hæc veſtra ſtatuta ulla præſumptione violare tentaverit, anathematis vinculo eum ligamus, & non ſolum in ſpiritu, verum etiam in corpore & in omni profpetitate hujus vitæ apoſtolica auctoritate innodamus & victoriam in armis auferimus, ut ſic ſaltem confundatur & duplici contritione conterantur.

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

ANNO CHRISTI 1073. uſque ad 1085.

EJUSDEM AD EOSDEM.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, ducibus, comitibus, ceteriſque principibus regni Theutonicorum chriſtianam fidem defendentibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUomodo pro amore juſtitiæ communi nobiſcum in agone chriſtianæ militiæ periculum ſuſcepiſtis, qualiter rex humiliatus ad pœnitentiam abſolutionis [illegible]iam imperraverit, & quomodo tota cauſa poſt introitum ejus in Italiam uſque huc deducta ſit, veſtræ dilectioni ſincera veritate indicare curavimus, ſicut conſtitutum fuit, cum legati ad nos de veſtris partibus miſſi ſint, in Longobardiam venimus circiter dies xx. ante terminum, in quo aliquis ducum ad Cluſas nobis occurrere debuit, expectantes adventum illorum, quatinus ad partes illas tranſire poſſemus. Verum cum decurſo terminum nobis hoc nunciaretur, temporibus his præ multis, quod & nos credimus difficultatibus ducatum nobis obviam mitti non poſſe, nec aliunde copiam ad vos tranſeundi haberemus, non parva ſolicitudine, quid potiſſimum nobis agendum foret, circumventi ſumus. Interim vero regem adventare regem cognovimus, qui etiam priuquam in Italiam intraſſet, ſupplices legatos ad nos præmittens, per omnia ſe ſatisfacturum Deo & ſancto Petro ac nobis obtulit & ad emendationem vitæ ſuæ omnem ſervaturum obedientiam repromiſit, dummodo apud nos abſolutionis & apoſtolicæ benedictionis gratiam impetrare mereretur. Qui cum multis conſultantibus conferentes, acriter eum de ſuis exceſſibus per omnes qui intercurrebant nuncios redarguereemus, tandem per ſemetipſum nihil hoſtile aut temerarium oſtentans ad oppidum Canuſium, in quo morati ſumus, cum paucis advenit, ibique per triduum ante portam caſtri, depoſito omni regio cultu miſerabiliter, utpote diſcalceatus & laneis veſtibus indutus, perſiſtens non prius cum multo fletu apoſtolicæ miſerationis conſilium & conſolationem deſtitit implorare; quam omnes qui ibi aderant & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem, & compaſſionis miſeriam movit, ut pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes, omnes quidem inſolitam mentis noſtræ duritiam mirarentur, nonnulli vero in nobis non apoſtolicæ ſeveritatis gravitatem, ſed quaſi tyrannicæ feritatis crudelitatem eſſe clamarent. Denique inſtantia compunctionis ejus, & tanta omnium, qui ibi aderant ſupplicatione devicti, tandem eum, relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam, & in ſinum ſanctæ matris eccleſiæ, receptis ab eo ſecuritatibus, quæ infra ſcriptæ ſunt, quarum etiam confirmationem per manus abbatis Cluniacenſis & filiarum noſtrarum Matildis, & comitiſſæ Adelheidæ & aliorum principum epiſcoporum & laicorum, qui nobis ad hoc utiles viſi ſunt, recepimus. His itaque peractis ut ad pacem eccleſiæ & concordiam regni, ſicut diu deſideravimus, omnia plenius, adjuvante Deo coaptare poſſimus, ad partes veſtras data primum opportunitate tranſire cupimus. Hoc itaque dilectionem veſtram indubitanter ſcire volumus, quia ſicut in deſcriptis ſecuritatibus poteſtis cognoſcere, adhuc totius negotii cauſa ſuſpenſa eſt & ad adventus noſter & conſiliorum veſtrorum unanimitas permaxime neceſſaria eſſe videtur. Quapropter in ea fide quam accepiſtis & amore juſtitiæ unanimiter omnes permanere ſtudete, ſcientes nos non aliter regi obligatos eſſe, niſi quod puro ſermone, ſicut nobis mos eſt, ea diximus, quibus eum ad ſalutem & honorem ſuum aut cum juſtitia aut cum miſericordia ſine noſtræ aut illius animæ periculo adjuvare poſſimus.

GREGORII PAPÆ VII. DECRETUM.

Manſi Suppl. pag. 1391.

Ex MS codice Pithoeano.

GRegorius papa VII. & Urbanus papa II. conſtituerunt, ut teſtivitates Romanorum pontificum celebres habeantur. Martyrum in IX. lectionibus, confeſſorum in tribus ſaltem lectionibus præter quorumdam, qui pro ſua excellentia celeberrimi haberentur, ſicut & S. Silveſter, Gregorius & alii. Nam cum quælibet eccleſia ſui patroni, & ſi confeſſor fuerit, feſtum ſolemniter obſervet, quanto magis eorum, qui totius eccleſiæ non tam patroni, quam patres extiterunt, quam & uſque ad martyrium verbis & exemplis inſtituere non deſtiterunt. De his quidem ſanctis martyribus invitatorium, hymnus, reſponſoria, pſalmi, & verſus, ut de martyribus decantantur. Nota autem S. Gregorium papam I. in graduali libro de his martyribus, ſicut & de confeſſ. pontificalia adminiſtrantibus inſtituiſſe officia, ut de S. Marcello P. & M. *Statuit ei Dominus*; & de S. Felice P. & M. *Sacerdotes*. Et hoc utique ſatis congrue propter excellentiam dignitatis apoſtolicæ.

EPISTOLÆ DIVERSORUM AD GREGORIUM PAPAM VII.

SAXONES AD EUMDEM.

Quid egerint ut decretis ejus parerent; quod minus ſibi, plus adverſariis faveat, queruntur.

Ex Annalibus Saxonis Beccard ad An. 1079.

NOvit ſanctitas veſtra & omnibus circumquaque notum eſt, quam difficulter, quantoque bajulorum diſcrimine legationes ad vos tranſmittimus, quia iter, quod omnibus temporibus, populis, tribubus, linguis fuit pervium, nunc clauditur illis maxime, qui non minimum pro honore

re illius labo: averunt, ad cujus corpus eadem via ducit. *Et poſt aliqua*: Poſt longam expectationem reverſo nuntio noſtro, nihil aliud nobis conſolationis relatum eſt, niſi ut decretis his, quæ mandavimus fidem vos non habuiſſe. Ex qua re, cariſſime Domine, incredibile vobis viſum eſt, quod fratres noſtri & coepiſcopi Wiceburgenſis, & Patavienſis cum aliis religioſis vobis in veritate nuntiaverunt, quodque te vidiſſe, & audiſſe teſtati ſunt; certe non in verbis mendacii confidimus liberari, ſed credimus quia veritas liberabit nos; Deus non deſeruit ſperantes in ſe; nam rex noſter Rodolfus fortis in eo, qui dat ſalutem regibus, de inimicis Domini potenter triumphavit. Heinricus autem cum ſuis complicibus præter eos qui in gladio ceciderunt, in fugam verſus eſt, comite illo, cujus malitiam vos in bono vincere fruſtra tentaſtis, Roberto Bambergenſe, qui horum omnium auctor & incentor eſt. Et o utinam de ſua & ſociorum ejus fallacia ſatis edoctus fuiſſetis. Nolite Cariſſime Domine amplius ad irriſionem ſancti nominis veſtri hujuſmodi homines mulcere, & poſt tam frequentes repulſas iterum ducatum ab eis quærere. Adventus veſter ad nos tantum nobis eſſet deſiderabilis quantum & neceſſarius, ſed vere ſcimus, quia ſponte illorum ad noſtras partes nunquam venietis, niſi certi ſint vos illorum parti favere. *Et poſt pauca*: Ergo ſi non propter nos, tamen propter honorem ſedis apoſtolicæ confirmate quod operatus eſt ejuſdem ſedis legatus, ita ut ſine ambiguitatis denuntietis quid in hac eccleſiæ diviſione tenendum ſit, quid ſequendum: quod ſi jamdudum factum fuiſſet, forte pars iniqua adeo jam vires perdidiſſet, ut nec nobis, nec vobis nocere prævaleret. Rogamus etiam ne in hæc ſtatuta canonica deficere patiamini, ut corpora excommunicatorum, qui in perſequendo eccleſiam occiſi ſunt, in atriis eccleſiarum ſepeliri non permittatis; ubi autem ſepulta ſunt, divina officia celebrari prohibeatis. Multi ex eis in Auguſta civitate ſepulti ſunt: Ejuſdem loci congregationibus literas veſtras per diſcurrentes peregrinos ſatis mittere poteſtis.

ANNO CHRISTI 1073 uſque ad 1085.

ANNO CHRISTI 1073 uſque ad 1085.

SAXONUM RODULPHO FAVENTIUM AD GREGORIUM EPISTOLA.

Ibid

Annal. Sax. Eccard. ad An 1075.

TEſtis eſt excellentia veſtra & literæ veſtræ, quas in teſtimonium habemus, quia nec pro conſilio noſtro, nec pro cauſa noſtra, ſed pro illatis ſedi apoſtolicæ injuriis regem noſtrum regia dignitate privaſtis, nobiſque terribili interminatione, ne ei ſicut regi ſerviamus, interdixiſtis, & omnes chriſtianos a vinculo juramenti, quod ei fecerunt vel facient, abſolviſtis, eumque vinculo anathematis alligaſtis. In his omnibus paternitati veſtræ cum magno periculo noſtro, ſicut nunc patet, obedivimus, & quia eidem depoſito ad depoſitionem veſtram cum cæteris concordare noluimus, tantam in nos crudelitatem exercuit, ut plures ex noſtris amiſſa omni ſubſtantia animam in hoc certamine ponerent & filios exhæredes & ex divitibus pauperes reliquerunt: qui autem reſidui ſunt, de vita quotidie ſolliciti vitæ ſubſidia pene omnia amiſerunt: Sed cum nulla nos perſecutione ſuperaret, ſuperatus eſt ille, ut licet nolens tuam nobis præſentiam exhiberet, & ei quem inhonoravit cum tuo dedecore honorem impenderet, pro quo labore hunc fructum recepimus, quod his, qui cum periculo animarum noſtrarum veſtigia pedum veſtrorum adorare coactus eſt, abſque noſtro conſilio, & ſine correctione abſolutus, ad nocendum nobis libertatem recepit. *Et paucis interpoſitis*: ergo cum jam ultra anni terminum ſine rectore eſſemus, in locum de quo prævaricatus eſt, ille alius principum noſtrorum lectione ſubrogatus eſt. Cumque de electo nobis rege, & non de regibus ſpes ad refocillandum imperium ſuccreſceret, ecce ex inſperato literæ veſtræ duos in uno regno reges pronuntiant, duobus legationem decernunt, quam regii nominis pluralitatem, ac regni diviſionem diviſio quoque populi, ac ſtudia partium ſubſecuta ſunt; quippe cum in epiſtolis veſtris prævaricatoris perſonam ſemper præponi cernerent, & ab eo ſicut a potente exigi, quatenus ducatum vobis in has partes ad diſcutiendam cauſam præberet. *Et poſt pauca*: hoc quoque infirmitatem noſtram movet, quod ſicut nobis perſuadetur, ut in incœpto firmiter perduremus, ſic etiam contrariæ parti verbis & rebus ſpes innuitur. Nam familiares prædicti Heinrici, qui ab omni regno infamia notantur, quique illi ut regi ſerviendo ſynodalibus præceptis manifeſte inobedientes ſunt, & una cum capite ſuo per legatum apoſtolicum ab eccleſia ſeparati, ad hanc ſedem venientes benigne ſuſcipiuntur, & non ſolum impuniti redeunt, ſed inſuper gloria & honore coronantur, & ad priorem inobedientiam ſuperbiendo reverrentes noſtræ miſeriæ inſultant. Nobis autem quaſi ridiculis ad inſipientiam reputatur, quod ab illorum conſortio abſtinemus, qui ab ipſo capite noſtro tam caritative in communionem recipiuntur. Accedit & hoc ad cumulum infortunii noſtri, quod præter illa, quæ nos ipſi delinquimus, etiam adverſariorum culpa in nobis cuditur, dum noſtræ negligentiæ attribuitur, quod idoneos & frequentes legatos huc non mittimus, luce enim clarius patet, quod illi hoc fieri prohibent, qui ne prohiberent jurejurando vobis promiſerunt. Et nunc de violentia ſacri itineris interclusioni & de manifeſto illorum perjurio tacetur, & nobis imputatur, quod nuntios non mittimus. Scimus & ex conſideratione veſtræ pietatis ſperamus, quia hæc omnia bona intentione, & ſubtili aliqua deliberatione agitis, ſed nos homines imperiti occultam illam diſpenſationem penetrare non ſufficientes, quod manifeſte audivimus & vidimus de illa utriuſque partis confortatione, & rerum certarum incerta dilatione ortum eſſe & quotidie oriri vobis exponimus, hoc eſt bella inteſtina, homicidia innumerabilia, vaſtationes, & incendia domorum & eccleſiarum ſine differentia, oppreſſiones pauperum, direptiones rerum eccleſiaſticarum, quales nunquam audivimus, legum quoque divinarum & ſecularium defectus ſine ſpe reparationis; poſtremo in dimicatione duorum regum, quorum uterque ad obtentum regni ſpem a vobis accipit, tanta proſtigatio regalium, ut poſthac reges noſtrarum partium rapinis ſint ſuſtentandi. Hæc incommoda aut nulla eſſent jam, aut multo minora, ſi neque ad dexteram, nec ad ſiniſtram veſtra ſententia divertiſſet. *Et quibuſdam interpoſitis*: Nam ſi hoc quod in ſynodo Romana definitum, & poſt a legato ſedis apoſtolicæ confirmatum eſt, ſilentio contegi oportet, quid poſthac nobis credendum, vel pro rato habendum ſit, omnino neſcimus.

PRÆ-

ANNO CHRISTI 1073. usque ad 1085. Ibid.

PRÆMONITIO IN SEQUENTEM EPISTOLAM.

ANNO CHRISTI 1073. usque ad 1085.

Epiſcopatus Moraviæ Joanni epiſcopo commiſſi a Pragenſi diviſionem cum proventuum quorumdam epiſcopatus Pragenſis aſſignatione concoquere non valens Jaromir, alio nomine Gebehardus, Pragenſis epiſcopus, nihil non moliebatur, ut æmulum epiſcopum vexaret. Quin nec a vulneribus fœdiſque aliis manus abſtinebat. Ut id reſcivit Alexander papa II. legatos ſuos eo miſit Bernardum, & Gregorium, qui Pragenſem epiſcopum ab officio ſuo ſuſpenſum palam edixerunt. Acta ſunt hæc ante obitum Alexandri parum; cui ſuccedens Gregorius cauſam totam reſumens, prius quidem literas dedit ad Wratislaum Bohemiæ ducem, Jaromiri quidem fratrem, ſed æmulo illius faventem, conquerens de injuria legatis apoſtolicis a Jaromiro illata, tum addit, ſe aggravaturum ſententiam, niſi ad officium rediiſſet. Interea Jaromir ad Moguntinum Metropolitanum ſuum confugit, narrans ſe inauditum, nec a metropolitano in ſynodo damnatum injuria prohiberi, ne epiſcopale munus exerceret. Hæc Pragenſis ſimul & ſuas querelas Sigefridus Moguntinus Archiepiſcopus per literas ad Gregorium pontificem detulit, quam ejus epiſtolam huc tranſfero, quod lucem affundat literis Gregorii ad Wratislaum vulgatis apud Labbe regeſt. lib. I. epiſt. XVII. ex Codice Udalrici Bambergenſis. Quem dein exitum cauſa habuerit, inferius, cum de concilio Pragenſi anno 1074. agetur, exponam.

SIGIFREDI MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI AD GREGORIUM VII. EPISTOLA.

Ibid. Cod. Udalrici pag. 111. tom. 2. 2130.

REverentiſſimo Patri noviter ſacerdotio primæ Sedis Apoſtolicæ infidato, S. Moguntinus diſpenſator eccleſiæ, ſedulam benevolentiæ ſervitutem, & debitam obedientiæ ſubjectionem. Semper quidem deſiderio deſiderabamus, eum apoſtolicæ ſedis præſulem eſſe, qui vita & moribus, verbis, exemplis ad ſalutem præeſſet, & prodeſſet ſanctæ Dei eccleſiæ. Nunc vero quomodo melliſtui facti ſunt cæli, ſolito dulcius diſtillantes rorem gratiæ Dei, divina miſeratio, votis noſtris ſolito cumulatius ſatisfecit, & eum, quem maxime optabamus, eidem ſanctæ Romanæ eccleſiæ præfecit, qui nobis ſemper dexter ſtetit in omnibus negotiis, nunquam nobis defuit in noſtris. Unde totis præcordiorum medullis gratias agimus Deo altiſſimo, qui cathedram Petri, caput ſcilicet eccleſiarum, veſtro, mi reverende pater, illuſtravit, & ornavit ſacerdotio, humili ſupplicatu orantes, & deprecantes, ut qui primitias apoſtolatus veſtri perfudit oleo lætitiæ præ participibus veſtris, gratiam, & pacem multiplicet eccleſiæ ſuæ cunctis diebus veſtris. Optamus autem promereri, ut peculiarem gratiam apud vos obtineamus, & a veſtra paternitate ſpecialem nobis provenire clementiam, non ſolum ea charitate, quam univerſali debetis eccleſiæ, ſed etiam eo gratiæ privilegio, quod ſemper ſacra ſedes veſtra Moguntinæ impendit eccleſiæ, ut pia mater ſpeciali filiæ. Hac ergo freti gratia in omnibus quæ nobis obviant, ad vos recurrimus, & quicquid nobis adverſatur, ad vos, velut membra ad caput, referimus. Unum humiliter intimamus veſtræ ſanctitati, quod ſub anteceſſore veſtro piæ recordationis Papa A. contigit, nos, ut ſalva reverentia dixerimus, injuſte præjudicium pati, & inclementer deturbatos eſſe ab eo jure, quod ſacri canones, & patrum ſcita metropolitanis jubent ſervari. Denique eidem ſanctiſſimo patri de fratre, & ſuffraganeo noſtro epiſcopo Pragenſi ſiniſtra relatione ſuggeſtum eſt, & me ignorante ab inimicis apud eum accuſatus eſt, unum, & hactenus inſolitum ab eo exiit edictum, ut eumdem fratrem, & coepiſcopum noſtrum nec inter fratres ſuos canonice prius auditum, nec canonice ad ſe vocatum, nec inobedientiæ culpa denotatum, non ſolum ab officio ſuo ſuſpenderit, ſed etiam rebus, & redditibus ſuæ eccleſiæ omnino ſpoliaverit, & extruſerit, ita ut miſſis nuntiis publice nunciari fecerit in clero, & populo, ut eum, qui excommunicatum habentes, nihil quod epiſcopi eſſet, vel quærerent, vel acciperent ab eo. Quod factum, ſi apoſtolicam deceat manſuetudinem, ſi decretorum ſervet auctoritatem, veſtram non præterit ſanctitatem. Debuit namque juxta decreta canonum, ad nos primum cauſa deferri, & ad concilium vocatus intra provinciam, inter fratres ſuos audiri; ego vero & fratres mei deberemus ad apoſtolicam ſedem, velut ad caput noſtrum referre, ſi tanta res eſſet, ut per nos nec poſſet, nec deberet terminari. Nunc autem frater noſter & coepiſcopus a ſede ſua vagus, & profugus, &, ut diximus, rebus & redditibus eccleſiæ ſuæ injuſte ſpoliatus, & extruſus, indignum patitur judicium, & omnibus fratribus & coepiſcopis noſtris magnum inde provenit ſcandalum, & epiſcopale nomen & officium, quod apud Deum, & homines ſacrum eſt, intolerabile patitur opprobrium. Porro eccleſia illa jam multis diebus paſtorali caret adminiſtratione, & unico paſtore vidua epiſcopali vacat benedictioni, in quo epiſcopus ille, qui expulſionis & perturbationis hujus auctor eſt, ejus ſibi uſurpat officium, & quod omnibus conciliis & decretis maxime cautum eſt, conſecrando, & confirmando eundem circuit epiſcopatum. Quod maxime ob hoc periculoſum eſt, quod gens illa catholicæ fidei novella eſt plantatio, & nondum radicata & fundata in chriſtianiſmo, & facile ad antiquum paganiſmi revolabit errorem, ſi inter paſtores ſuos tantam viderit durare diſſenſionem. Quapropter ego & omnes fratres mei veſtigiis veſtræ ſanctitatis affuſi oramus & obſecramus, primum eccleſiæ rationes, nec non maligni hujus temporis inclamare importunitates. Habebam quoque de quibuſdam agere vobiſcum ipſe præſens, quod nec literis intexere, nec nuntio etiam alicui fideliſſimo habeo aperire. Quapropter præſentes fratres cum literis meæ excuſationis ad vos dirigo, qui vobis ſuggerant, quod ad vos non veni, non eſſe temeritatis, ſed inevitabilis, & ſupremæ neceſſitatis. Noverit autem ſancta paternitas veſtra, quod non eſt homo in terra me vobis fidelior, & ad omne præceptum veſtrum implendum devotior, nec ad adventum meum ad vos aliquod negotium poſſet retardare, ſi tamen juraver virium valetudine. Pro inveterata autem Thuringorum obduratione novam vobis facio conqueſtionem

ANNO CHRISTI 1073. usque ad 1085.

qui ſicut ſemper, ſic etiam adhuc Spiritui ſancto A ejuſque juſtiſſimis reſiſtunt legibus, reddituum ſuorum negando decimationem, uſque adeo, ut dum monerem eos, ut omnipotenti Deo obedirent, ipſi e contra armata manu promiſcuæ plebis, me & meos obſiderent, niſi Dominus omnipotenti manu liberaviſſet, forſitan crudelitas eorum uſque ad internecionem in nos deſæviſſet. Unum rogo ſacram paternitatem veſtram, ut contra tam nefarium, tamque inſolitum facinus reſpectu eccleſiaſticæ diſciplinæ nobis compatiendo ſuccurratis, & contra inimicos Dei gladium arripiatis, quatenus ſentiat contumax & rebellis ſerva Thuringia, quod adhuc in clavigera manu Petri vivit, & regnat imperatrix Roma.

ANNO CHRISTI 1073. usque ad 1085.

CONCILIUM CABILONENSE.

Anno MLXXIII. celebratum: poſt quod facta eſt electio Hugonis Lugdunenſis Camerarii in epiſcopum Dienſem.

Cum coram Giraldo ſedis apoſtolicæ vicario communi omnium conſenſu in Lancellini ſimoniaci antiſtitis locum ſubrogatus eſt die XIX. Octobris, anno Chriſti MLXXII.

Eum ſ. noſtro, quod eſt ipſius Hugonis auctographum, an quis Hardui-nus.

ANno ab incarnatione Domini MLXXIII . . . . Alexander Papa Giraldum Oſtienſem epiſcopum, qui Petro ſucceſſerat, ad Gallias deſtinavit, & vices ſuas ei per Franciam & Burgundiam commiſit. At ille ex præcepto Papæ Concilium apud Cabilonem inſtituit: cui præerat Rocelenus epiſcopus literis apprime eruditus, & in lectione divinorum voluminum ſtudioſiſſimus.

Ex chronico Virdunenſi Hugonis abbatis Flaviniacenſis publici juris facto a nobis ante an. decem p. 194. Tomi I. Novæ Bibliothecæ MS. librorum.

Anno ab incarnatione Domini MLXXIII. Giraldus Oſtienſis epiſcopus Romanæ ſedis legatus in Galliis concilio Cabiloni habito Romam rediens, & apud Dienſem urbem hoſpitatus, cum clericis in eccleſia de utilitate eccleſiæ loquebatur. Erat enim in eadem urbe Lancelinus ſimoniacus dictus epiſcopus, qui vocatus ad audientiam cum venire renueret, & ſe in domo epiſcopali manu militari defenderet, & epiſcopatum retinere tentaret, tractabat legatus cum civibus, canonicis ſcilicet & plebis majoribus, quid de epiſcopo agerent, dicens juxta Ambroſium inexpiabilem eſſe culpam venditi miniſterii: & juxta decreta ſanctorum patrum Leonis, Gregorii, Nicolai, & cæterorum, erga ſimoniacos nullam miſericordiam habendam in ſervanda dignitate: & quia quiſquis per pecuniam ordinatus, ad hoc ut fiat hæreticus promovetur, & omnes qui ei conſentiunt, & qui emendare poſſunt & non emendant, & omnes qui contra illos non ſunt, ſed favent eis, cum eo habeant partem qui prius commiſit hoc peculiare flagitium. Dum ergo de his inter eos tractaretur, & ut prædiximus ille dictus epiſcopus audientiam ſubterfugeret, juxta canonum inſtituta & ſanctorum patrum decreta epiſcopus quærebatur idoneus, qui & ſaluti eorum invigilaret, & animabus commiſſis ſollicitus ſuperintenderet. Ecce perſonuit ad aures eorum adveniſſe illuc, & eccleſiam qua tenebantur intraſſe orationis gratia Hugonem Lugdunenſem camerarium, præcinctum & paratum ad equitandum. Ibat enim Romam ad S. Petrum. Nec mora Spiritus ſancti gratia corda ſuorum illuſtrante, fit clamor & concurſus fidelium, ocreatas cum calcaribus invenitur, rapitur, tenetur: in conſpectum apoſtolicæ ſedis vicarii ſummo omnium favore & gratia deducitur, quod dignus ſit qui poſſit eccleſiæ præeſſe & prodeſſe acclamatur. Reclamabat ille, & votis populi parabat obſiſtere, quaſi qui non poſſet nec deberet ſponſo legitimo vivente caſtitatem eccleſiæ fœda ſciſſione corrumpere. In hoc devota contentione placuit divinitati beneplacitum ſuæ præſentiæ voluntatem in oſtenſione lucis ſuis fidelibus declarare. Nam cum eſſet nubilus dies, lux in modum ſphæræ per aliquot horas in gremio & facie ſplenduit eccleſiæ, quæ ſic accendit cunctos qui aderant & viderant ad laudandam propitiationem divinæ clementiæ, ut clamaretur ab omnibus, Benedictus Dominus Deus, quia reſpexit dejectionem eccleſiæ ſuæ, ut viſitaret eam, & illuminaret tali pontifice. Sic clamores & vota omnium judicium probavit cæleſte, & electus ille, qui nec valuit, C nec voluit tot præcurrentibus indiciis voluntati divinæ contraire, compulſus eſt auctoritate apoſtolica remorari, & confirmata eſt ſuper eum electio cleri & populi (*quæ facta eſt menſe Octobrio, die* XIX.) Quo audito, iſte qui eccleſiam per ſimoniam invaſerat, & armis retinere tentabat, dolens unanimem aſſenſum omnium, & timens populi gaudentis & ad pia vota incaleſcentis animo ſi intumeſceret, impetum ferociſſimum, Dominum epiſcopalem deſeruit & receſſit. Angebatur enim curarum æſtibus, & ſtimulis mordacis conſcientiæ quam non effugere quibat, quia non D inveniebat quo fugeret: nec ſuis jam ut ſolebat delectabatur erroribus, a quibus puniebatur licet nolens & inſcius, & tamen adhuc exultabat in crimine, quia novis vetera obumbrando peccatis ſe plerumque adjuvari æſtimabat. Putabat enim inſigne eſſe virtutis, ubi eſt lapſus criminis. Sed jam ſileatur ejus memoria, quia receſſit, quia aufugit, quia quod indebite uſurpaverat, non eſt expectatus dimittere. Sublimatus eſt electus noſter cum gaudio & cordis jubilo in pontificali ſolio, acclamatus eſt & confirmatus epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de clericorum pene E omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc adfuit ſuffragio, de ſacerdotum & bonorum virorum collegio. Invenit itaque civitatem angoris plenam, tribulationibus circumſeptam, vigilantia multa egentem, res epiſcopii direptas, ita ut non invenerit unde vel uno die de redditibus domus epiſcopalis vivere potuerit. Ita omnia attriverant, qui ante eam fuerant, adeo ut de omnibus totius epiſcopatus eccleſiis vix unam haberet domus epiſcopalis aut mater eccleſia, cum fere omnes poſſiderentur a militibus & quibuslibet ſæcularibus. Nec diu paſſus eſt ſuo in tempore tantam videre contritionem & conculcationem eccleſiæ. Cum potius ſtatuit decretum, ut nullus laicus obtineret eccleſiam, aut partem acciperet in redditibus eccleſiarum. Et factum eſt

di-

ANNO CHRISTI 1073. usque ad 1085.

divinæ cooperante clementia, ut omnes gratanter justionem ejus susciperent & obedirent, ita ut ante ejus ordinationem hæc suæ meliorationis incremento sibi commissa per eum susceperit ecclesia. Obierat ipso anno papa Alexander, & substitutus erat unanimi electione cleri & populi Gregorius VII. qui in ipsa Romana ecclesia sub præfato pontifice officio fungebatur archidiaconatus. Et licet ordinationis & consecrationis ejus privilegium solis cardinalibus episcopis Albanensi, Ostiensi & Portuensi sit commissum, Giraldus iste quia aberat expectatus non est, sed qui vices ejus exequeretur subrogatus est. Qui decanus reversus papæ inter cætera electionem Diensis ecclesiæ innotuit, & electum ipsum quam maxime paternitati ipsius commendavit. Non multo post ipse qui commendabatur advenit, & quia solam clericatus tonsuram habebat (detestabatur enim simoniacorum ordinationes) in mense Decembrio per manum ejus usque ad presbyteratus gradum promotus est, &c. in prima vero quadragesimæ hebdomada, sabbato in presbyterum, & sequenti dominica ad missas in episcopum consecratus est. Sic post octonos consecrationis dies affatim imbutus divinis dogmatibus, & ubertim roboratus ecclesiasticis sanctionibus benedictione percepta dimissus est ad regendos filios, quibus pastor & rector ordinatus erat.

ANNO CHRISTI 1073. usque ad 1085.

Quæ hic afferuntur ex Hugone Flaviniacensi, Calonense concilium consecuta sunt, nihilque ad illud attinent. Quæ præcedunt in eodem chronico, quamquam de hujus concilii actis nihil habent, propius tamen ad illud spectant. Sunt autem his concepta verbis. Anno ab Incarnatione Domini MLXXIII. Alexander papa Giraldum Ostiensem episcopum, qui Petro successerat, ad Gallias destinavit, & vices suas ei per Franciam & Burgundiam commisit. At ille ex præcepto papæ concilium apud Cabilonem instituit, cui præerat Roclenus episcopus, literis apprime eruditus, & in lectione Divinorum voluminum studiosissimus. *Hæc tantum Hugo Flaviniacensis. qui addit interim mortuum esse Alexandrum papam, creatumque Gregorium.*

Ex Labbei, App. to 10.

PRAGENSE CONCILIUM

Quo Jaromirus Pragensis episcopus ab ordinis munere suspenditur,

Anno 1073. *circiter habitum.*

Suppl. Mans. to. I. p. 1199. Ao 1073. circiter.

CConcilii hujus historiam, & acta ex Cosma Pragensi statim proferam, postquam adnotavero difficilem esse Cosmæ cum epistolis Gregorii VII. ad negotium istud quod attinet, conciliationem. Narrat enim Cosmas, missum a Pontifice Rodulphum quemdam apocrisiarium suum Pragam indixisse in Jaromirum Pragensem episcopum concilium, cui Jaromirum sistere se recusantem ab episcopatus gerendi munere suspensionem rejulisse. Ex epistolis vero Gregorii VII. eo ablegatos discimus non quidem Rodulphum, sed Bernardum, & Gregorium, a quibus ita in episcopum animadversum constat. Forte tamen geminæ distinguendæ sunt Romanæ legationes in Bohemiam, quarum alteram Rodulphus, alteram Bernardus & Gregorius gesserunt. In utraque Jaromiro de crimine convicto episcopale munus interdictum est. Utra prior statuenda sit, æque cum ignorantibus ignoro. Nunc de concilio a Rodulpho in ea causa habito, pauca hæc ex Cosma in Chron. lib. II. ad annum 1073. subjicio: *Mox dirigitur in Bohemiam Rodulphus apocrisiarius, & consiliarius Gregorii papæ, quod si ita res se haberet, uti summo pontifici relata fuerat, vitæ ipsius errata corrigat, inobedientes arguat, infideles increpet, negligentes anathemate feriat. Et si quæ sint, quæ modum excedant correctionis, illa differat, & compellat ad majorem audientiam apostolicæ sedis. Quo cum pervenissent missi apostolici, invenit ducem Wratislaum in urbe Praga: cui offerens apostolicam benedictionem, & universalis patris adoptivam filiationem, tanta auctoritate usus est & potestate, ac si idem summus pontifex ipse præsens fuisset. Denique jussit ducem, ut omnes principes terræ suæ & abbates, & præpositos ecclesiarum, nec non & Joannem episcopum Moraviensem ad synodum convocaret sacram. Ad quam præsul Jaromir semel & bis ex nomine vocatus venire renuit venire; & ad ultimum tale fertur dedisse responsum: juxta canonum scita, salvo pontificali dignitate, & justitia, ad tua non venio placita, nisi ubi adfuerit meus magister, Moguntinus Metropolita, & aliorum coepiscoporum præsens frequentia: sciebat enim, quod ibi incideret in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Videns autem Romanus missus, se esse despectum, & deboneſtatum, ira motus suspendit eum ab omni officio sacerdotali, & dignitate privat episcopali. Quod audientes non solum canonici, verum etiam per capellas clerici, omnes sciderunt sua oraria, & denudaverunt, ut in Parasceve, altaria. Matris ecclesiæ sulcatur frons ruga non modica, quia silent sacerdotalia officia. Et nisi pastori suo restituatur pristinus honos & gradus, totus clerus mavult in perpetuum suos amittere gradus. Videns autem cardinalis, magis tumultum in populo fieri, necessitate compulsus reddit episcopo tantummodo sacerdotale officium. Et nisi uterque episcopus eodem anno de inductis causis reddat rationem pontifici Romano, anbos constringit banno.*

CONCILIUM IN NOVEMPOPULONIA,

ANNO DOMINI MLXXIII.

Ex Labbei App. to X.

HUjus memoriam concilii debemus Greg. VII. epistolæ 16. lib. 1. *ad Giraldum Ostiensem episcopum, legatum suum, quem reprehendit, quod rerum in concilio gestarum rationem ut redderet, Romam non rediisset, aut saltem socium summ misisset.* Miramur, *inquit*, & multum anxii sumus, quod

ANNO CHRISTI 1073. aliquo ad 1085.

quod cum ſemper conſuetum & valde neceſſarium fuerit, ut ſi quando legatus apoſtolicæ ſedis concilium in remotis partibus celebravit, ſine mora, ad annunciandum omnia quæ egiſſet, reverteretur: tua fraternitas poſt peractam ſynodum, in qua tot negotia emerſerunt, nec ad nos rediit, nec eum qui ſecum eſt, conſiderata vel neceſſitate, vel noſtra expectatione, remiſit. Nobis equidem gratum eſt quod pro negotiis S. R. E. in Hiſpaniam profectus es: ſed debuerat prudentia tua aut illum quem tibi adjunximus, aut aliquem, qui ſynodo interfuiſſet, quique omnia vice tua nobis rationabiliter expedire ſciret, ad nos direxiſſe: quatenus perſpectis omnibus, confirmanda confirmaremus, & ſi qua muranda viderentur, diſcreta ratione mutaremus. Licet enim literis tuis aliqua nobis geſtorum tuorum notitia apparuerit, &c.

Magnam fuiſſe ſynodum hanc ex his verbis appareret, in qua tot negotia emerſerunt. *Addit deinde, multos ad ſedem apoſtolicam querelas ſuas detuliſſe*: quorum alii injuſte ſe excommunicatos, alii inordinate depoſitos, alii immerito interdictos conqueruntur. *Nominatim autem de Guillelmo Auſcitano archiepiſcopo hæc ſubjicit*: Cum ob id ſolum quia excommunicato ſcienter communicaverat, eum eſſe depoſitum, & tamen in examinatione ejus de objectis criminibus, præter quod domnum & prædeceſſorem noſtrum Alexandrum papam ſibi ignoviſſe fatebatur, non eum ſe canonice expurgaſſe, ſed expurgare voluiſſe dixiſti. *Tum*: Hoc tamen conſulentibus fratribus, & coepiſcopis noſtris, & cardinalibus, inter cætera nos decreviſſe cognoſcas: ut præfatus Auſcienſis archiepiſcopus, propter hoc ſolum quia communicavit excommunicato, dejectioni ſubjacere non debeat: ita tamen ſi de objectis aliis criminibus ſe expurgare poterit. Pontium vero Bigorritanum dictum epiſcopum, quem ſimili de cauſa depoſitum eſſe nunciaſti, ad nos veniſſe cognoſcas: ſed honori tuo providentes, nulla querelis ejus reſponſa dedimus. Attamen quia in paribus cauſis paria jura tenenda ſunt, fraternitati tuæ ſcribimus, ut .... officii ſui reſtitutione non careat. *Hæc Gregorius, ex quibus rerum in hoc concilio actarum aliquam exprimere notitiam poſſumus. Eſſe autem in Novempopulania celebratam, Auſcitani & Bigorritani antiſtitum cauſa docent. Ita intellexit Sirmondus noſter, qui in notis ad Goffridi Vindocinenſis epiſt.* 18. *lib.* 1. Gregorius, *inquit*, VII. ſynodum ab eodem (*Giraldo*) in Novempopulis coactam commemorat, lib. 1. epiſt. 16.

Hoc abſoluto concilio profectum eſſe Giraldum in Hiſpaniam apparet ex iis quæ ſupra deſcripta ſunt.

CONCILIUM ROTOMAGENSE

In cauſa tumultus exorti in cœnobio & feſto die S. Audoeni, in Baſilica B. Mariæ celebratum anno Chriſti 1073.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

Sequenti concilio Rotomagenſi occaſione præbuit temeraria monachorum S. Audoeni in Joannem archiepiſcopum irrupt o quam cum ex aliis pluribus diſces, tum ex auctore Anonymo chronici Rotomagenſis a nobis excuſi pag. 367. Tomi I. Bibliothecæ noſtræ miſſ. librorum in hæc verba.

Hoc anno 1073. (quo Gregorius VII. papa factus Hildebrannus antea vocatus) invaſerunt monachi S. Audoeni Joannem Rotomagenſem archiepiſcopum miſſam celebrantem in feſtivitate ejuſdem ſancti (*die* 24. *Auguſti*) cum armata manu virorum; unde judicatum eſt in concilio in eadem civitate congregato præſidente Anglorum rege Willelmo, monachos hujus criminis reos per abbatias in carceribus retrudi ad placitum archiepiſcopi, indeque plures diſperſi ſunt: unus * Nomenarus nomine apud Fiſcanum: alter apud S. Wandregiſilum nomine Benedictus; tertius apud Gemeticas nomine Radulfus.

* al *Foramarus*.

Ex Geſtis Concil. Rotomag. p. 63.

Rem geſtam fuſius proſequitur ſcriptor Anonymus S. Audoeni in ea, quam texuit Archiepiſcoporum Rotomagenſium Chronologia, cujus etſi teſtimonium elevare conteno.nt nonnulli, alterius partis ſtudium obtendentes, exceptionem tamen omnino ſuperat quod elucet in eo ſcriptore antiquæ ſinceritatis inſigne. Quid porro totum factum fuerit ex eodem vetuſto codice deprom.mus.

Guillelmus Nortmannorum Comes & Anglorum Rex glorioſus Cœnomanis cum expeditione ſua morabatur. Aderant ei inter reliquos proceres iſte Joannes ſedis hujus archiepiſcopus, ut vir excellentis ingenii & non mediocris conſilii, Nicolaus quoque Abbas ſupradicti cœnobii. Imminebat celeberrima totiſque votis excipienda ſanctiſſimi Audoeni dies natalitia. Et quia moris eſt, ut Archiepiſcopus ipſa die inibi Miſſarum ſolemnia celebret, non pro ulla quidem vel ipſius gentaculi viciſſitudine, ſed quaſi in recompenſationem conſecrationis ſuæ, quam nonniſi in præfata eccleſia cuivis ſedis memoratæ licet accipere, miſſione a Rege petita redibat concite, Abbate prænominato interim ad occupationa remanente. Quid plura? Adeſt dies veneranda, Clerici majoris eccleſiæ ſolito eo conveniunt. Et quia præmiſſo nuncio venturum ſe mandaverat, ſolemne Miſſarum interim differtur. Poſt aliquamdiu vero communi conſilio, ne quid tantæ diei ſubtraheretur, dum veniat initiatur. Tanta vero moroſitate, tanta id factum eſt devotione, ut non mirum totis animis hoſtem humani generis ad hanc turbandam lætitiam exarſiſſe, qui maximo ſibi lucro credidit accedere, ſic illud veneno ſuæ nequitiæ tempus inficere, quod interim ſibi dolebat deperire. Finito itaque *Kyrie* cum duobus rithmis, exacto *Gloria in excelſis Deo*, quod inceptum ab Abbate Richardo Sagienſi, Chorus celeberrime fuerat executus cum laudibus ſuis, (*id* vero totum expendebatur in præſtolatione Archipræſulis.) Ecce accurrit ut turbo tempeſtatis, omnem confundens illius gratiam celebritatis. Hic namque totam mentis indignationem animo concipiens, quod non uſquequaque fuiſſet expectatus, torvis oculis, ore furibundo omnibus maledixit, converſuſque ad ipſos monachos excommunicavit ex auctoritate Dei & ſua, officium præſens interdicens ceſſare fecit. Abbatem ab altari evellens, divini officium miniſterii prohibuit.

Ma-

ANNO CHRISTI 1073. aliquo ad 1085.

Mœroris erat plenum & ſtuporis cernere tantæ feſtum lætitiæ, tot & tantas voces eam prædicantes in ſubitum ſilentium obmutuiſſe. Ipſe ad complendum officium ſe præparat, Clericis ſuis ut a loco intercepto perageretur imperat. Nihil hic reticendum fore cenſemus, quod dum alteri parti favendo diſſimulamus, alteri totum derogando imputare videamur. Verum falſi adſtipulatione non indiget. Fratres etſi decorem ſibi tanti ſui gaudii præripi dolentes. Pontificali tamen auctoritati cedunt, feſtivis ſe ornatibus exuunt, ſatis cum tumultu eccleſiam egrediuntur, huc quidam, pars illo, alii alſo ſecedunt, invicem & ad ſuos pudore mœrentes conquerantur. Cum ſubito quidam mœroris impatiens, dubium quidem, an ex ipſis vel eorum famulis, plus furoris, minus conſilii animo colligens, turrim properat, majus eccleſiæ ſignum pulſat. Hinc forum ocior advolat. Archiepiſcopum S. Audoeni glebam ad majorem eccleſiam aſportare velle proclamat. Proſiliunt omnes e domibus, alius gladium, hic bipennem, diverſi quod primum manibus occurrerat arripiunt, eccleſiam cum furore irrumpunt. Quidam curioſitate acti celata monaſterii conſcendunt, quædam ex tabulatis auferunt, quid ſic furens populus agere vellent rimantur. Plurimi ejus intentionis erant, ut quia tantæ eis continuationem lætitiæ interrupiſſet, nec ſibi perficere liceret. Archiepiſcopus circum circa furentium ſe turmis appeti expaveſcens, plus tamen deſuper imminentes metuens, ab altari ad valvas monaſterii fugam arripuit, vix elapſus intra ambitum earum ipſis prius clauſis ſe recepit. Undique circum ſe ſedilia & formas aggerari fecit; nonnulli tamen partis ipſius arreptis candelabris, cereis & perticis in monachos efferati, ſed ab eis non ſegniter excepti, pudet dicere quam fœdo exemplo res eo die debuit determinari ..... Igitur Vice-comes civitatis Archiepiſcopum ſic circumventum ut audivit, veritus ne quid inconſultius adverſus ipſum ageretur, & ipſe poſt noxæ argueretur, militarem manum cogit, Regis bannum omnibus prætendit, ſuppetias accurrit, jam nihil reluctantem, imo ſibi penitus diffidentem pericu-

lo eximit. Iis tumultuum dementiis exacta eſt dies tantæ celebritatis ..... Fratres in craſtinum de ſuis eligunt, per quos Abbati ſuo quod factum fuerat innoteſceret, & Regem ſuper hoc ſuggeſturus adiret: ſed Archiepiſcopi nuntius præcellerat, invidiam omnem in monachos retorſerat; ſic infecto negotio reditum eſt. Rex licet poſt ipſius Archiepiſcopi & quorumdam auliſorum inſtinctu animo in monachos motus, rem tamen ex æquo penſans, hinc immoderatam arrogantiam, hinc inconſultum tumultum juſtis librationibus præponderat. Jubet igitur ſtatim eccleſiam ab Archiepiſcopo reconciliari, quod cum ſatis irato ac reluctanti animo abnueret, Rex Michaeli epiſcopo Abrincatenſi loci reconciliationem injunxit; pudorem vero ſuum in futuro vindictam prætendens diſſimulavit. Quatuor igitur monachos, quos factionis auctores audierat, totidem aliorum cœnobiorum Abbatibus commiſit, quatenus & Archiepiſcopo ſatisfacerent, & illi in peregrinatione luerent quod minus conſulte peccaſſent. Non multo poſt, & rationis conſideratione, & petitu Abbatis ipſorum flexus, in præſentiam ſui eos revocavit, & eccleſiæ reconciliatos reddidit. In his omnibus ſemper apud ipſum cautum extitit: ne quid ſibi Archiepiſcopus, quaſi ſub eccleſiaſtico vigore, in cauſis hujus eccleſiæ inſolenter arrogaverit. Imo poſtquam gemino fratrum eorumdem exilio ſatisfecit, rem in conſilium ponit, Concilium cogit: quod Abbatiam ſuam irato & tumultuanti animo intraſſet; quod totius turbæ cauta & materia extitiſſet; quod loci reconciliationem ſibi denegaſſet, judicio Primatum ſuorum trecentas libras exegit. *Hactenus Anonymus ſcriptor, cujus integrum opus edidit Mabillonius Analect. tom. 2.*

ANNO CHRISTI 1073. aliquo ad 1085.

1074. Hoc anno congregatum eſt * concilium in Rotomagenſi urbe præſidente Willelmo Anglorum rege & Normannorum principe, & Joanne Archiepiſcopo cum ſuis ſuffraganeis, Odone Bajocenſi epiſcopo, Hugone Lexovienſi, Michaele Abrincenſi, Gilberto * Eboracenſi & Roberto Sagienſi

* Hoc anno eſt diverſum a ſequenti.

* Lege *Ebroicenſi*. H.

ANNO CHRISTI 1074.

CONCILIUM ROTOMAGENSE.

ANNO CHRISTI 1074. Ex cod MSS S. Mariæ de Fontenello.

IN BASILICA B. MARIÆ AB JOANNE

Archiepiſcopo & ſuffraganeis celebratum anno Chriſti MLXXIV. Gregorii papæ VII. ſecundo, Philippi regis Francorum XV. Willelmo Anglorum rege Normanniam gubernante.

ANno incarnationis dominicæ MLXXIV. congregatum eſt concilium in metropolitana Rotomagenſi ſede eccleſia beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ, præſidente ſedi apoſtolicæ Gregorio, regnante Philippo rege Francorum, ac tenente Normanniam Guillelmo invictiſſimo rege Anglorum; in quo in primis diſputatum eſt de fide ſanctæ & individuæ Trinitatis, quam ſecundum ſtatuta ſanctorum conciliorum, ſcilicet Nicæni, Conſtantinopolitani primi, Epheſini, Chalcedonenſis concilii corroboraverunt, ſanxerunt & ſe toto corde credere profeſſi ſunt. Poſt hanc catholicæ fidei profeſſionem annexa ſunt hæc ſubſcripta catholicæ fidei capitula.

I.

Ut omnis ſimoniaca hæreſis funditus eradicetur, ita quod neque abbatia, ſeu Archidiaconatus, aut decanatus, aut eccleſia parochialis ematur aut vendatur, nec aliquid pro introitu eccleſiæ expectetur. Quod præceptum canonicalis auctoritas, & beati Gregorii decreta corroborant.

II.

Quod nullus ordinetur abbas, niſi qui prius diuturna converſatione monaſticæ vitæ diſciplinam aſſecutus fuerit. Quod ex canonicali auctoritate, atque ex decretis beati Nicolai papæ ſanctum eſt.

III.

Quia neglecta ſanctorum patrum inſtitutione, nullum videlicet clericum abſque proprii epiſcopi formata poſſe ſuſcipi, nefandiſſimos in ſancta eccleſia errores pullulaſſe cognovimus, quod hi qui nondum ſacerdotalis benedictionis gratiam adepti

ſue-

ANNO CHRISTI 1074 usque ad 1083.

fuerant, ſacerdotale officium adimplere præſumpſerunt; ſicut prædicta canonicalis auctoritas inſtituit, ſancimus debere obſervari.

IV.

Ne ordines ab acolyto uſque ad ſacerdotium una die vel uno tempore tribuantur, ſacra canonum auctoritate prohibemus.

V.

Quod ſubdiaconi, ſive diaconi, ſive ſacerdotes parochiani non ordinentur ſecundum confirmationem Toletani concilii abſque legitima profeſſione, quam coram epiſcopo, & omnium circumſtantium audientia faciant, qui ordinandi fuerint.

VI.

Nullus monachus corporali crimine publice lapſus abbas ordinetur vel in aliquo exteriori officio præficiatur, quod in utroque ſexu ſervetur. Hoc autem præceptum ex decretis B. Gregorii papæ roboratur.

VII.

Ut regula B. Benedicti in utroque ſexu incommutabiliter obſervetur, ut neque in vigiliis, neque in jejuniis, ſive indumentis ab ejus inſtitutionibus diſſideant; nec juxta B. Gregorii decretum, ſi alia lege vivere voluerint quam ordo exigit, permittantur. Juramenta quæ contra regularem obſervantiam faciunt, omnino omittant, & ſilentium quod penitus omiſerunt, teneant.

VIII.

Clericis qui indocti ordinantur, nulla ſit excuſatio ignorantiæ, ut in Toletano Concilio VIII. ſtatutum eſt.

IX.

Ne morte præoccupatis, ſi crimine mortali liberi fuerint, ſepultura, vel exequiæ denegentur, neque prægnantibus aut parturientibus. Hos vero qui ſacros ordines reliquerunt, placuit ſanctæ ſynodo, niſi anathematizari.

X.

De his qui ſub obtentu religionis quaſi pœnitentes dicunt ſe cum ſororibus, aut cum conſanguineis uxorum ſuarum ante conjugium coiſſe, odio habentes uxores ſuas, & hac occaſione volentes dimittere eas, communi aſſenſu inſtituimus, ut quod ore profitentur, judicio probent.

XI.

Similiter de his qui ſacris ordinibus conſecrati, & ab ordine volentes deponi, mentientes dicunt ſe non habuiſſe omnes ordines, dum conſtituuntur, ſacerdotes fieri judicamus.

XII.

Ne hi qui culpis urgentibus ab ordine ſunt depoſiti, quaſi ab omni clericatu liberi, militent ſæculo more laicali.

XIII.

Ut qui pro aliquo inceſto matrimonio ſunt diſjuncti caſtitatem ſervent, quoad uſque nubant. Quod niſi fecerint, adulterantur.

XIV.

De Judæis canonicalis auctoritas, & B. Gregorii decretum ſervetur; ſcilicet ne Chriſtiani mancipia habeant, nec nutrices.

Huic concilio interfuit Guillelmus rex potentiſſimus Anglorum & princeps Normannorum, cujus juſſu præſcriptæ ſententiæ corroboratæ ſunt.

Subſcripſit autem ejuſdem metropolitanæ ſedis Joannes epiſcopus.

Odo Bajocenſis epiſcopus.

Hugo Lexovienſis ep.

Michael Abricenſis ep.

Gislebertus Ebroicenſis ep.

Robertus Sagienſis epiſcopus, & alii plures etiam venerabiles Abbates.

IN EODEM ORDINE SEQUEBANTUR

ANNO CHRISTI 1074. uſque ad 1083.

Sine titulo ſequentia capitula, quæ duximus cæteris ſubjicienda, ne pereant . . .

I.

Ut nullus cujuslibet quæſtus gratia, vel alia qualibet occaſione ſumat populum docere, niſi perſona probata ab epiſcopo, propter multimodos & deteſtandos errores, quos docent imperiti.

II.

Ne quis peregrinus, ſi moram fecerit aliquandiu in alienis locis, miſſam ibi celebrare permittatur, niſi ſacerdotii ſui teſtimonia formata exhibuerit.

III.

Ne laici beneficiorum eccleſiæ, quantum ad tertiam ſacerdotis partem pertinet, participes fiant.

IV.

Ut qui ordinandi ſunt ſubdiaconi, diaconi, vel ſacerdotes, in præcedenti * ordinatione VI. feria jejunent in pane & in aqua.

* Forte ordinatione. H.

V

Ut nulli monacho parochia regenda committatur.

VI.

Ut ordines juxta SS. Patrum ſtatuta dentur. Scilicet ut nullus ordinetur ſubdiaconus ante XX. annos, diaconus ante XXV. annos, presbyter ante XXX. niſi ſumma neceſſitate. Sed tamen presbyter nullus ordinetur ante XXV. annos.

VII.

Ut conjugio copulati, & divortium poſtulantes propter impoſſibilitatem coeundi judicio probent, ſe nec poſſe opus illud conjugii efficere, nec ſe faciente aliquomodo ad hanc impoſſibilitatem perveniſſe.

VIII.

Ne quis presbyter, vel monachus publice peccantem criminali peccato ad pœnitentiam niſi jubente epiſcopo ſuſcipiat. Occulte peccantem, confitentem quidem ſuſcipiat, ſed pœnitentiam non niſi eam quam epiſcopus determinaverit, injungat. Sic tamen ut jure confeſſionis ſecreto peccantis perſona nulli detegatur.

IN EODEM QUOQUE MSS. EXEMPLARI

Continebantur non adſcripto tempore, nec nomine præſidis, aut regis ſub quo celebratum fuit illud concilium.

CAPITULA CONCILII APUD WINTONIAM CELEBRATI.

I.

Quod nulli liceat duobus epiſcopatibus præſidere.

II.

Quod nullus per ſimoniacam hæreſim ordinetur.

III.

Quod extranei clerici ſine commendatitiis literis non recipiantur.

IV.

Quod ordinationes certis temporibus fiant.

V.

De altaribus, ut lapidea ſint.

VI.

Quod ſacrificium de cerviſia nec de ſola aqua non fiat, ſed ſolummodo aqua vino mixto.

VII.

De baptiſmate quod in Paſcha & Pentecoſte ſolum-

ſolummodo celebretur, niſi periculum mortis fuerit. ANNO CHRISTI 1074.

VIII.

Ut in eccleſiis niſi ab epiſcopis conſecratis miſſæ non celebrentur.

IX.

Ut in eccleſiis corpora defunctorum non ſepeliantur.

X.

Quod tintinnabula non pulſentur quando miſſa celebratur tempore ſecreti.

XI.

Quod de criminibus ſoli epiſcopi pœnitentiam tribuant.

XII.

Quod monachi qui habitum dimiſerunt, neque in militia, neque in conventu clericorum recipiantur, ſed excommunicati habeantur. ANNO CHRISTI 1074.

XIII.

Quod quiſque epiſcopus omni anno ſynodum celebret.

XIV.

Ut decimæ ab omnibus reddantur.

XV.

Ut clerici, aut caſte vivant, aut ab officio recedant.

XVI.

Ut calices non ſint ærei, vel lignei. *Cætera deſunt.*

CONCILIUM ROMANUM I.

PRO REFORMANDO ECCLESIÆ STATU.

Celebratum anno domini MLXXIV. tempore Gregorii papæ VII.

A quo & qua occaſione inditum

GRegorius prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, per epiſtolam ad epiſcopos Longobardiæ datam indixit ſynodum prima hebdomada quadrageſimæ celebrandam. Statuto die epiſcopi qui convocati fuerant magno numero adfuerunt. Ad expurgandam eccleſiam a concubinariis ſacerdotibus principio ſtatuerunt, *ut ſecundum inſtituta antiquorum canonum*, inquit Lambertus, *presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur. Nec quiſquam omnino ad ſacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamque cælibem profitetur.* Quam conſtitutionem dum juſſu pontificis epiſcopi in Germania promulgaſſent, acciderunt quæ a Lamberto anno 1074. deſcribuntur his verbis: *Adverſus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane hæreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis domini, quo ait:* Non omnes capiunt hoc verbum: qui poteſt capere, capiat: *& Apoſtolus:* Qui ſe non continet, nubat, melius eſt enim nubere quam uri: *violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei fræna laxaret. Quod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſacerdotium quam conjugium deſerere, & tunc ujurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis per eccleſiam Dei plebibus angelos comparaturus eſſet.* Decreta & Acta Concilii quæ.

Nihilo minus inſtabat, & aſſiduis legationibus epiſcopos omnes ſocordiæ ac deſidiæ arguebat, & niſi ocius injunctum ſibi negotium exequerentur, apoſtolica ſe cenſura in eos animadverſurum comminabatur. Archiepiſcopus Moguntinus ſciens non parvo conſtare operam hanc, ut tanto tempore inolitam conſuetudinem revelleret, atque ad radimenta naſcentis eccleſiæ ſeneſcentem jam mundum reformaret, moderatius agebat cum eis. Et primo eis in dimidium annum inducias & deliberandi copiam dedit, hortans eos ut quod neceſſario faciendum ſit ſponte faciant, & tam ſibi quam Romano Pontifici neceſſitatem adimant aliquid in eos quod ſecus ſit decernendi. Ad ultimum congregata ſynodo in Erfordia menſe Octobri preſſius jam imminebat, ut relegata omni tergiverſatione impræſentiarum aut conjugium abjurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent. Multas e contra illi rationes afferebant, quibus inſtantis perurgentiſque * improbitatem eludere, *ſententiamque ceſſare niterentur. Cumque adverſus apoſtolicæ ſedis auctoritatem, qua ſe ille ad hanc exactionem præter voluntatem propriam compulſum obtendebat, nihil argumenta, nihil ſupplicationes preceſque proficerent, egreſſi tamquam ad conſultandum, conſilium ineunt, ut in ſynodum non redeant, ſed injuſſi omnes in domos ſuas diſcedant. Nonnulli etiam confuſis vocibus clamitabant, melius ſibi videri ut in ſynodum regreſſi ipſum epiſcopum, priuſquam execrabilem adverſus eos ſententiam promulgaret, cathedra epiſcopali deturbarent, & mercata morte mulctato inſigne monumentum ad poſteros tranſmitterent, ne quis deinceps ſucceſſorum ejus talem ſacerdotali nomini calumniam ſtruere tentaret. Cum ad epiſcopum relatum eſſet hoc eos machinari, communitus a ſuis ut tumultum qui oriebatur matura moderatione præverteret, miſit ad eos foras, rogavitque ut ſedato pectore in ſynodum regrederentur, ſe, cum primum opportunitas arriſiſſet, Romam miſſurum, & dominum apoſtolicum, ſi qua poſſet ratione, ab hac ſententiæ auſteritate deauctorarum. Poſtero die admiſſis in auditorium communiter laicis & clericis, veterem illam de reddendis decimis querelam replicat*, &c.

In hac eadem ſynodo excommunicatus eſt Robertus Guiſcardus Northmannorum princeps, de quo in fine libri primi epiſt. Gregorii ſupra hæc referuntur: *Celebravit Romæ ſynodum, in qua, inter cætera quæ ibi geſta ſunt, excommunicavit atque anathematizavit Robertum Guiſcardum ducem Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ, cum omnibus fautoribus ſuis, quouſque reſipiſceret.* Poſt hæc diverſorum abbatum & epiſcoporum cauſæ cognitæ ſunt & dijudicatæ. Pictavenſibus canonicis indultum fuit, ut eorum epiſcopus, decanus, vel alius aliquis prælatus, jus retineat certis diebus cantandi Miſſam in aliena & exempta eccleſia, ſicut Romæ atque alibi in ſtationibus ſolet variari conſueverat. Decreto hujus ſynodi mandatum eſt Hiſpaniarum eccleſiis, ut Romanum ordinem atque officium recipiant, prout Hiſpaniarum epiſcopi qui præſentes erant ſe facturos promiſerant. Inſuper lectæ fuerunt literæ Geiſæ Hungariæ regis, quibus idem rex ſuum erga ſedem apoſtolicam incomparabile ſtudium & obſervantiam indicabat, petens ne adverſantium hoſtium ſuorum querelis & calumnioſis accuſationibus ulla fides adhibeatur. Cauſæ epiſcoporum coactæ.

In eadem ſynodo Guilielmus epiſcopus Bellovacenſis dignum exhibuit ſpecimen Chriſtianæ ca- Guilielmi Bellovacenſis epiſcopi clementia quanta.

* Forte, importunitatem. H.

ritatis & epiſcopalis modeſtiæ, ut qui graviſſima a ſuis tam clericis quam laicis perpeſſus, pro iiſdem ea de cauſa excommunicatis apud pontificem interceſſerit, eoſque ab excommunicatione abſolvi petierit & impetraverit. Ad hanc eamdem ſynodum vocati ſunt canonici Lucenſes, ut cauſam redderent, cur adverſus Anſelmum epiſcopum ſuum Lucenſem conſpiraſſent: qui de conſpiratione & inſidiis ſuo epiſcopo inſtructis convicti, juxta canones & capitulum ſancti martyris & pontificis Fabiani, quo conſpiratores & inſidiatores ſuorum epiſcoporum curiæ tradendos eſſe decernitur, judicio totius ſanctæ ſynodi etiam ipſi curiæ traditi fuerunt. Hæc ex Gregorii epiſt. 51. & ſequentibus decem, Baronius anno 1074. num. 36. & ſequentibus.

ANNO CHRISTI 1074.

Quid contra Lucenſes canonicos conſtitutum.

Vide epiſtolam Gregorii ad Ottonem Conſtantienſem epiſcopum, infra, capitulo primo ſequentis apologetici, qua eum de rebus in hac ſynodo geſtis ſummatim ac breviter informat, quæque in ea ſalubriter contra ſimoniacos & concubinarios decreta ſunt per eumdem promulgari præcepit. Apologeticum ſermonem pro hac ſynodo ſcripſit auctor quidam hujus temporis, qui extat in antiquiſſimo manuſcripto codice monaſterii Weingartenſis, quem inde deſcriptum hic ſubjungimus.

INDEX CAPITULORUM.

I. *Decretalis epiſtola venerabilis papæ Gregorii*, &c.
II. *De auctoritate quatuor principalium conciliorum œcumenicorum.*
III. *De auctoritate apoſtolicarum conſtitutionum.*
IV. *De auctoritate reliquorum conciliorum.*
V. *Brevis enumeratio decretorum ſuperioris epiſtolæ.*
VI. *De primo ſtatuto, id eſt de ſimoniacis.*
VII. *De ſecundo ſtatuto, id eſt de emptoribus eccleſiarum.*
VIII. *Quod & ſacra ſcriptura damnet venditores ſpiritualium officiorum.*
IX. X. *Item quod emptores eorum damnet, & quod mediatores hujus negotii damnet.*
XI. *De tertio ſtatuto dicta decretalis epiſtola, id eſt, ut incontinentes altari nullatenus miniſtrent.*
XII. *De anathemate eorum qui defendunt incontinentiam ſacerdotum per Sozomeni cap. ex tripartita hiſtoria depromptum.*
XIII. *Quod non ſacrorum miniſtris, ſed laicis permiſſum ſit, ut unuſquiſque ſuam habeat uxorem.*
XIV. *Quid apoſtolus conſtituat de ſacris ordinibus.*
XV. *Utilis conſideratio ejuſdem inſtitutionis.*
XVI. *Expoſitio beati Hieronymi ſuper eumdem inſtitutionem.*
XVII. *De quarto ſtatuto prædicta decretalis epiſtola, ne populus officia clericorum recipiat, quos apoſtolica ſtatuta contemnere videat.*
XVIII. *Cur eorum officia populo ſint prohibita.*
XIX. *Explanatio cujuſdam capituli quod præſenti ſtatuto videbatur adverſari.*
XX. *Quid dominum apoſtolicum compulerit ut hæc ſtatuta depromeret.*
XXI. *Quod non illis, ſed ſanctis patribus, pro hujuſmodi ſtatutis eſſet indignandum.*
XXII. *Cur eiſdem ſtatutis nulla appoſita ſint inducia.*
XXIII. *Quod dominus apoſtolicus non ſolum epiſcopos, ſed & ſubditos eorum, damnare poſſit.*
XXIV. *Quod cujuslibet epiſcopi parochianus domno apoſtolico etiam plus debeat obedire, quam proprio epiſcopo.*

APOLOGETICUS SUPER DECRETA

ANNO CHRISTI 1074.

Quæ venerabilis papa Gregorius ejuſdem nominis ſeptimus in Romana ſynodo promulgavit contra ſimoniacos & incontinentes altaris miniſtros.

PROLOGUS.

IN ſuperioribus epiſtolis illi noſtro, nolit Deus ut deinceps dicam, æmulo, ſed amiciſſimo, ſatisfacere ſtudui, & capitulum ſtatutis noſtri apoſtolici contrarium nullatenus attendendum, utputa ſub anathemate prohibitum evidenter monſtravi, adeo videlicet ut ipſe amicus noſter ſe jam non ulterius contentioni, ſed amicitiæ operam daturum mihi reſcriberet. Sed plures adhuc reſtant, qui eiſdem ſtatutis obſtinato animo nimium periculoſe, imo pernicioſe, reſiſtunt, qui & alios ſimpliciores, quippe non multum ſtudioſos, ad conſiderandos canones adeo ſeducunt: ut & ipſi prædictas authenticas ſanctiones contemnant, & ſuam conſuetudinem jucundiſſimam quidem, ſed pernicioſiſſimam, retinere contendant. Quod non plures eorum feciſſent, ut mihi videtur, ſi ipſis compertum bene eſſet, quam parum, & potius quam nihil noſter apoſtolicus in prædictis ſtatutis deviet a ſanctis patribus. Quapropter mihi meiſque ſimilibus commodum fore cenſui, ſi eadem ſtatuta canonicis ſcripturis conferrem, & mecum eorum concordiam qualiſcumque ſtyli officio breviter ac fideliter commendarem, & hoc ea intentione; ut ſi quis forſitan ex idiotis hoc inſpicere dignetur, tanto vivacius ad obediendum apoſtolicis inſtitutis reſipiſcat, quanto evidentius videat hæc eadem nullatenus a ſacratiſſimis canonibus deviare, ſed cum eiſdem ex ipſa ſacra ſcriptura proceſſiſſe.

CAPITULA.

I.

IN primis igitur decretalem epiſtolam noſtri apoſtolici deſcribere juvat, ut tanto apertius ſequentia eluceſcere valeant.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Ottoni Conſtantienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INſtantia nuntiorum tuorum feſtinanter redire volentium non permiſit nos fraternitati tuæ quæ in Romana ſynodo conſtituta ſunt ſeriatim intimare: hæc tamen neceſſaria tibi ſcribenda fore arbitrati ſumus: nos juxta auctoritatem ſanctorum patrum in eadem ſynodo ſententiam dediſſe, ut hi qui per ſimoniacam hæreſim, hoc eſt interventu pretii, ad aliquem ſacrorum ordinum gradum & officium promoti ſunt, nullum in ſancta eccleſia ulterius miniſtrandi locum habeant. Illi quoque qui eccleſias datione pecuniæ obtinent, omnino eas perdant, nec deinceps vendere vel emere alicui liceat. Sed nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, miſſas celebrare, aut ſecundum inferiores ordines miniſtrare altari debeant: ſtatuimus etiam ut ſi ipſi contemptores fuerint noſtrarum imo ſanctorum patrum conſtitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, ut qui pro amore Dei & officii dignitate non corriguntur, verecundia ſæculi & objurgatione populi reſipiſcant. Studeat ergo fraternitas tua ſic ſe in his nobis cooperatricem exhibere, ſic crimina iſta de eccleſiis tuis radicitus evellere, quatenus boni paſto-

paſtoris meritum apud Dominum valeas obtinere, ut Romana eccleſia de te, ſicuti de cariſſimo fratre & ſtudioſo cooperatore, debeat gaudere. ANNO CHRISTI 1074.

II.

Sed priuſquam ſtatuta ſingulatim conſideremus, quiddam de ipſorum canonum auctoritate non incommodum æſtimo prælibare, ut tanto firmius teneatur quidquid ex eis ad obſervandum nobis denuntiatur.

Sanctiſſimus papa Gregorius, quem noſter apoſtolicus nomine & actione noſtris repræſentavit temporibus, in ſua ſynodica, id eſt ſynodali epiſtola, ſanctiſſima quatuor concilia confirmat ita: Sicut ſancti evangelii quatuor, ſic quatuor concilia ſuſcipere & venerari me fateor; Nicænum ſcilicet, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur; Conſtantinopolitanum quoque, quo Eunomii & Macedonii error convincitur; Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorii impietas judicatur; Chalcedonenſe vero, in quo Eutychetis Dioſcoriique pravitas reprobatur, tota devotione amplector, integerrima approbatione cuſtodio: quia in his velut in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma conſiſtit. Quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe videatur, tamen extra ædificium jacet. Cunctas vero perſonas, quas præfata veneranda concilia reſpuunt, reſpuo, quas venerantur amplector: quia dum univerſali conſenſu ſunt conſtituta, ſic & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. *Huc uſque Gregorius.*

Hanc autem ſynodalem epiſtolam idem apoſtolicus ſtatim poſt ordinationem ſuam compoſuit, & reliquis patriarchis, quippe Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano, tranſmiſit. Conſuetudo enim erat eo tempore ut quilibet in aliqua patriarchalium ſedium noviter ordinatus, ſe prædictas quatuor ſynodos cuſtodire, reliquis ſedibus tranſmiſſa epiſtola profiteretur, antequam nomen ejus apud reliquas ſedes in diptychis deſcribi mereretur: nomen videlicet prædeceſſoris ejus, licet defuncti, reliquæ ſedes computabant inter viventes, donec ipſius noviter inthronizati præſulis ſynodicam reciperent epiſtolam: quæ quia eumdem epiſcopum quatuor ſynodos recepiſſe denotavit, hoc ſibi nomen ſynodicam, ab eiſdem ſynodis non incongrue videtur mutuaſſe. Hanc autem conſuetudinem illius temporis fuiſſe idem ſanctiſſimus papa teſtatur in epiſtola ad Secundinum ſervum Dei inclusum, quam & uſque ad beati papæ Hadriani tempora, quippe ad Carolum regem, perduraſſe Joannes Romanæ eccleſiæ diaconus aſſeſit, qui vitam S. Gregorii ex præcepto Joannis papæ fideliter deſcripſit. Sed utrum adhuc eadem conſuetudo perduret ignoro, quam tamen præfatis temporibus fuiſſe non dubito. Patet ergo evidentiſſime, quam magnæ ſint auctoritatis illa quatuor concilia, quæ ſanctus Gregorius, imo per ipſum Spiritus ſanctus, non ſemel, ut prædictum eſt, ſed ſæpius & evangeliis comparat, & omnes ab eiſdem diſſentientes anathematizat, quæ & quilibet novitius patriarcha ſe obſervaturum per epiſtolam ſuam reliquis ſedibus profiteri debebat, ſi ſe inter catholicos patriarchas in diptychis deſcribi volebat.

III.

Decreta vero ſanctiſſimorum Romanorum pontificum, ſi poſſemus, etiam ſtudioſius quam illa quatuor concilia venerari & obſervare deberemus, cum & ipſa concilia omni firmitate carerent, ſi non apoſtolicæ ſedis pontifices eadem per apoſtolicam auctoritatem congregare & corroborare decreviſſent. Unde & beatus papa Marcellus, qui & ante Nicænum concilium ſua decreta martyrio conſecravit, ipſe, inquam, vir apoſtolicus in decretis ſuis capite undecimo teſtatur ita: Ipſi apoſtoli eorumque ſucceſſores domino inſpirante conſtituerunt, ut nulla fieret ſynodus præter Romanæ ſedis auctoritatem. Sanctus quoque Athanaſius præſul Alexandrinus, qui non r inima pars Nicæni concilii fuit, in epiſtola ad Felicem papam cap. 2. ita dicit: Scimus in Nicæna magna ſynodo trecentorum decem & octo epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani pontificis ſententia concilia celebrari. Sed & beatæ memoriæ Julius papa idipſum cap. 5. profitetur, dicens: Ipſi vero primæ ſedis eccleſiæ convocandarum generalium ſynodorum jura & judicia epiſcoporum ſingulari privilegio evangelicis & apoſtolicis atque canonicis conceſſa ſunt inſtitutis. B. quoque Damaſus papa in decretis ſuis cap. 9. hanc intulit ſententiam. Nulla unquam concilia rata leguntur, quæ non ſunt fulta apoſtolica auctoritate. His autem ſententiis B. Iſidorus rimator ſcripturarum ſagaciſſimus fideliter adſtipulatur, dicens: Synodorum vero congregandarum auctoritas apoſtolicæ ſedi privata commiſſa eſt poteſtate, nec ullam ratam eſſe legimus, quæ ejus non fuerit auctoritate congregata & fulta. Hæc canonica teſtatur auctoritas. Hæc eccleſiaſtica hiſtoria roborat. Hæc ſancti patres confirmant. Si ergo illa quatuor concilia omni auctoritate carerent, niſi principaliter ex decretis Romanorum pontificum firmitatem obtinerent, quis inficiari poterit quanto decreta per ipſos apoſtolicos viros promulgata majori veneratione digna merito cenſeantur quam ipſa concilia, quæ non per ipſorum apoſtolicorum præſentiam, ſed tantum per eorum legationem authentica fieri merebantur. Sic enim legati ſedis apoſtolicæ eorumdem principalium conciliorum ſanctiones primaria ſubſcriptione apoſtolica vice canonizabant. Nempe ſub piiſſimo imperatore Conſtantino, magnus Oſius Cordubenſis epiſcopus, Victor & Vincentius presbyteri Romanæ eccleſiæ ex parte ſancti Silveſtri papæ Nicæno concilio præfuerunt, & ipſum principali ſubſcriptione firmaverunt. Item temporibus Theodoſii junioris Auguſti ſanctus Cyrillus patriarcha Alexandrinus & Arcadius epiſcopus ex Italia vice beatiſſimi papæ Cæleſtini Epheſino concilio præfuerunt, & ipſum apoſtolica vice corroboraverunt. Item tempore Marciani principis Paſchaſius & Lucentius epiſcopi & Bonifacius presbyter vice S. Leonis papæ in Chalcedonenſi concilio per duodecim dies celebrato primi fuerunt qui & Anatolio patriarchæ Conſtantinopolitano quoddam privilegium in concilio uſurpanti liberaliter contradixerunt, & reliquis ſtatutis apoſtolica vice ſubſcripſerunt, ut liber Liberati Carthaginenſis archidiaconi de eodem concilio teſtatur. Hæc autem omnia manifeſtius ille videbit, quicumque eorumdem conciliorum ſubſcriptiones ſtudioſe perſpexerit. Ergo reverentiam ſive obedientiam, quam ſacratiſſimis IV. conciliis juxta S. Gregorium merito exhibemus, decretis apoſtolicæ ſedis nullatenus denegare, imo, ſi poſſibile eſt, ſtudioſius impendere debemus, cum ſine eorum auctoritate nec ipſa concilia fas eſſet recipere.

IV.

Sed nec reliqua concilia parvipendere debemus, in quibus multa nuſquam alibi inventa, eccleſiaſticæ tamen diſpenſationi neceſſaria, reperimus, quæ quidem a ſuperioribus authenticis ſanctioni-

ANNO CHRISTI 1076.

bus nullo modo diſcrepant, cum Chriſtianæ religioni apertiſſime conveniant. Hujuſmodi, inquam, capitula in quibuslibet conciliis inventa, nullatenus ab aliquo catholico ſunt contemnenda, præſertim cum ipſa reliqua concilia ex ſacratiſſimarum auctoritate ſanctionum deſcendiſſe non dubitentur, quæ per ſingulas provincias bina epiſcoporum concilia annuatim fieri firmiſſime decernunt. Hoc, inquam, beatus Anacletus ab ipſo principe apoſtolorum presbyter ordinatus in decretis ſuis cap. 17. certiſſime decernit. Congregatio, inquit, ſummorum per ſingulos annos fieri ſolet & debet. Hoc excellentiſſima ſynodus Nicæna cap. 5. conſtituit. Bene, inquit, placuit ſingulis annis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul epiſcopis congregatis diſcutiantur hujuſmodi quæſtiones. Item Conſtantinopolitanum concilium enumeratis privilegiis diverſarum eccleſiarum cap. 2. conſtituit: Servata regula quæ ſcripta eſt de gubernationibus, manifeſtum eſt quod illa quæ ſunt per unamquamque provinciam ipſius provinciæ ſynodus diſponet, ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe concilio. Item Chalcedonenſe concilium cap. 19. dicit: Decrevit ſancta ſynodus ſecundum canones patrum bis in anno epiſcopos in idipſum in unamquamque provinciam convenire, quo metropolitanus antiſtes probaverit, & corrigere, ſi quædam fortaſſis emerſerint. Patet ergo quod authenticæ ſanctiones etiam provinciales concilia fieri præcipiunt, quod incaſſum præciperent, niſi & nos eorumdem conciliorum probabiles ſententias obſervare decernerent. Unde & in tertio Toletano concilio univerſali decretum eſt: Qui concilia orthodoxorum epiſcoporum conſona ſanctiſſimis quatuor conciliis non recipit, anathema ſit. Quicumque ergo & horum conciliorum rationabilibus ſtatutis obviare conatur, etiam a ſuperioribus authenticis ſanctionibus in periculum ſuum diſſentire probatur. Beatus quoque Iſidorus in quadam ſua præfatione de canonibus cap. 11. prædictis rationibus adſtipulatur hoc modo: Noſſe etiam oportet, licet cætera non infirmentur; quatuor eſſe principalia concilia. His autem enumeratis, ſubinfert in eodem capitulo: Sed & ſi quæ ſunt concilia quæ ſancti patres Spiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt iſtorum quatuor auctoritatem omni manent ſtabilita vigore. Eſt ergo dignum, ut & hujuſmodi conciliorum ſtatutis obtemperetur: ſi enim non parvæ ſtultitiæ conſtat, ſi quis cujuslibet unius hominis ſano conſilio acquieſcere detrectat, quanto magis reprehenſibile videtur, ſi quis impudenter reſiſtat hujuſmodi conciliorum ſtatutis, non unius, ſed plurimorum ſapientium, auctoritate & judicio prolatis atque probatis. Nempe hujuſmodi conciliis plures catholici & eximii doctores interfuiſſe leguntur, ut in Africanis conciliis legati ſedis apoſtolicæ, Fauſtinus, Honoratus, Urbanus, epiſcopi; ſanctus etiam Aurelius Garthaginenſis archiepiſcopus; item ipſe vir omnium virtutum Auguſtinus * Hipporegienſis epiſcopus, quem & Cæleſtinus vir apoſtolicus in decretis ſuis ita nobis commendat: Auguſtinum, inquit, ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros etiam a meis prædeceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori. Huic etiam Auguſtino, ut liber Liberati teſtatur, Theodoſius imperator per ſacram ſuam mandavit, ut ſe Epheſino concilio præſentaret: ſed, heu, tam egregius doctor ante mundo ſubſtractus eſt, quam ad illum invitatoria Romani principis epiſtola perveniſſet. Hi ergo quos prædixi, & alii innumerabiles ſancti patres, Africanis conciliis interfuere, immo præfuere. Sic etiam ſanctus * Marianus Arelatenſi concilio per ſanctum Silveſtrum papam approbato: ſic ſanctus Cæſarius Agathenſi: ſic ſanctus Hilarius Arauſicenſi, ſanctus Albinus * Aurelianenſi, ſanctus Bonifacius Moguntienſi concilio. Sic & alii alibi conciliis non ſoli, ſed cum pluribus aliis ſanctis patribus, interfuiſſe leguntur, qui in Chriſtiana religione & doctrina tam inſignes fuiſſe creduntur, ut vel unius eorum ſingulari judicio obviare nimium eſſet temerarium. Ergo multorum ſapientium judicio non acquieſcere multo magis eſt intolerabile, in his dumtaxat capitulis quæ prædictis authenticis ſtatutis non adverſantur; ſed inſtitutioni Chriſtianæ religioſis procul dubio ſuffragantur. Nam, juxta beati Auguſtini judicium, pro nullius perſonæ reverentia eſt recipiendum, ſi quid canonicæ veritati in aliquo concilio vel alicubi reperitur adverſum. Præterea ſancta & veneranda ſynodus Chalcedonenſis etiam provincialia concilia ante ipſam tranſacta canonizaſſe non dubitatur, ita decernens. Regulas ſanctorum patrum per ſingula nunc uſque concilia conſtitutas proprium robur habere decrevimus. Hæc autem concilia ante ipſum Chalcedonenſe leguntur fuiſſe Ancyranum, Neocæſarienſe, quæ & Nicæno concilio antiquiora traduntur: item Gangrenſe, Sardicenſe, Antiochenum, Laodicenſe; ergo eadem & in Chalcedonenſi ſynodo non dubitantur eſſe roborata, quæ etiam cum Africanis canonibus beatus Hadrianus papa Carolo imperatori ad diſponendas eccleſias in regno ſuo Romæ tradidiſſe legitur. Quapropter nec provincialium conciliorum ſtatuta a quolibet temere ſunt reſpuenda, quæ & apoſtolica ſedes cenſuit recipienda. Hactenus ſufficiat dixiſſe de ſacrorum canonum auctoritate: nunc ad propoſitum redeamus, & ſtatuta, quæ noſtet apoſtolicus in ſuperiori epiſtola Ottoni Conſtantienſi epiſcopo cautiſſime deſcripta tranſmiſit, per ordinem digeramus.

ANNO CHRISTI 1076.

* Marianus

* Quid de concilium il. ind & quo ille Albinus nemo hoſteanus docuit.

V.

Horum illud erat primum, ut clerici aliquem ſacrorum ordinum gradum & officium per pretium adepti nullatenus deinceps in eccleſia miniſtrent; Secundum, ut eccleſiam pretio acquiſitam nullus retineat, nec alicui deinceps eccleſiæ jura vendere vel emere liceat: Tertium, ut a clericali officio ceſſent, quicumque ſe pro incontinentia reprehenſibiles exhibent. Quartum, ut populus clericorum officia nullatenus recipiat, quos apoſtolicas inſtitutiones contemnere videat. Curramus ergo per ſingula & eadem, quam authentica, quam attendenda, immo quam inevitabilia ſint; non ex noſtris conjecturis, ſed ex ſanctorum patrum ſtatutis compendioſe monſtremus.

VI.

Primum itaque ſtatutum in Chalcedonenſi concilio pleniſſime & evidentiſſime reperitur, quod unum ex quatuor prædictis conciliis tempore quidem, non dignitate ultimum, ſancti patres Leoni Auguſto uſque ad ſanguinem vindicandum eſſe mandarunt, ut Liberatus in libro ſuo teſtatur: in ipſo, inquam, concilio ſcriptum eſt capite 2. Si quis epiſcopus per pecunias fecerit ordinationem, & ſub pretio redegerit gratiam quæ non poteſt vendi, ordinaveritque per pecunias epiſcopum,

* Hipponenſi.

ANNO CHRISTI 1074.

pum, aut presbyterum, aut diaconum, aut quemlibet ex his qui numerantur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel quemque qui subjectus est regulæ pro sui turpissimi lucri commodo, is, cui hoc attentanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit: & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat; sed sit alienus a dignitate vel solicitudine quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit, & ipse, si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat; si vero laicus aut monachus, anathematizetur. Et notandum quam caute istud caput omnes simoniacorum astutias excludat, cum quolibet modo per pecuniam promotos absque omni spe recuperationis deponat. Solent enim simoniaci diversis modis, sed uno reatu, sacras dignitates mercari, nempe nunc ipsi, nunc pro ipsis eorum amici, pretium pro sacra dignitate vel ante ordinationem suam dederunt, & in ipsa dant, & postmodum se daturos promittunt, & hoc nunc electoribus eorum nunc, eorum ordinatoribus, vel demum quibuslibet eorum fautoribus. Quicumque ergo aliquo horum modorum, quemlibet promoverit, vel seipsum ita promotum esse cognoverit, indubitanter a superiori capite degradari jubetur, cum per pecuniam vel alium promovisse, vel ipse promotus esse non dubitetur. Sed nec hoc sine consideratione prætereundum videtur, quod idem caput duo negotiatorum genera damnavit, unum quidem eorum, qui ad diaconatum, vel presbyteratum, vel ad aliquem hujusmodi gradum per pecuniam ordinantur, alterum eorum qui ad dispensationis ministerium, vel ad aliquod hujusmodi clericale officium, per pecuniam promoventur, qualis est vicedominatus, præpositura, decania, archipresbyteratus, & his similia. Sic ergo & noster apostolicus duo negotiatorum genera, & omnes negotiantium versutias in primo ejus statuto comprehendit, in quo clericos aliquem sacrorum ordinum gradum & officium quoquo modo per pecuniam adeptos deponit, quod tamen statutum superiori capite mitius liquido probatur, cum spiritualium officiorum venditores, & tam nefariæ negotiationis mediatores, debita ultione non damnet, quos tamen prædictum caput cum ipsis emptoribus degradandos & anathematizandos esse decrevit. Et nota si mediator degradari vel anathematizari merito jubetur, quid de illo censes qui per eamdem negotiationem indigne promovetur. Hoc utique quod sanctissimus papa Gregorius, immo per illum Spiritus sanctus, de hujusmodi negotiatoribus indubitanter decrevit, qui in ejusdem apostolici auxiliam sub columbina specie quælibet decernenda dictare consuevit. Nempe scriptum est in decretis suis capite 131. Quicumque ergo ecclesiasticum officium pretii studet datione mercari, dum non officium sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed inaniter tantummodo dici concupiscit. Et paulo post in eodem cap. Cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica detestatione esse damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem vertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur? Quid ergo mirum, si noster apostolicus eos tantum ab ecclesiasticis ministeriis separavit, quos sanctissimus ejus æquivocus ab ecclesia separatos esse cum reliquis hæreticis deputavit.

Lib. 9. epistolarum ep. 19.

VII.

Secundum quoque statutum nostri apostolici, quod ecclesias emptoribus earum adimi præcipit, item in prædicto Chalcedonensis concilii capite licet obscure comprehensum videtur, quod etiam dispensatori rerum ecclesiasticarum per pecuniam promoto officium dispensandi jubet auferri; quilibet enim presbyter dispensator debet existere, non prædicationis tantum, sed etiam rerum ecclesiæ sibi commissæ, quas sancti patres non solius presbyteri, sed quorumlibet egentium necessitati dispensandas esse censuerunt. Præterea in eodem capitulo cuilibet clerico omnis ecclesiastica solicitudo per pretium acquisita jubetur adimi, procurare autem ipsam ecclesiam cum sacerdotali diligentia, ni fallor, clericalis solicitudo est & ecclesiastica. Ergo & in eodem capitulo ecclesiæ solicitudo per pecuniam usurpata jubetur auferri. Unde & beatissimus papa Gregorius scribens ad Clementem * Bizanzenum de quodam presbytero decernit ita: Ut si idem presbyter quamdam ecclesiam obtinuisset per pecuniam, non solum eadem ecclesia privaretur, sed etiam presbyterii honore spoliaretur. Sic quoque & in antiquis nostrarum provinciarum conciliis, Moguntiacensi videlicet, Rhemensi, sive Turonensi, statutum legitur, ut presbyter ecclesiam pretio adeptus, & presbyterio & ecclesia privetur. Item beatus Leo papa ejus nominis nonus, nostro tempori pene contiguus, in prima sua Romana synodo simoniacam hæresim penitus damnavit, emptiones & venditiones altarium sub anathemate prohibuit, quod anathema illi non evaserunt, quicumque deinceps tam nefariam negotiationem exercere præsumpserunt. Libet ergo considerare quam clementer noster apostolicus tantum temptas ecclesias emptoribus eorum ademerit, quos juxta censuram sanctorum patrum & ecclesia & presbyterio, immo Christiano nomine & communione, privandos esse non ignoravit.

ANNO CHRISTI 1074.

* forte Byzantium

Quo tempore auctor vixerit.

VIII.

Sed cur intantum laboramus, ut prædicta nostri apostolici statuta ex synodicis sanctorum patrum sententiis processisse demonstremus, cum eadem ex ipso sacræ scripturæ armario emanasse nullum dubitare eruditum putemus. Nam in eadem scriptura omnes personæ tam nefarii mercimonii damnatæ reperiuntur, scilicet & venditores, & spiritualium officiorum emptores, atque hujus negotii mediatores. Ipse enim Dominus pariter ementes & vendentes de templo suo ejecit, & cathedras vendentium columbas jam tunc ipse subvertit, quod S. Gregorius ille theologus noster in vigesimasecunda homilia exponit ita: Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi qui spiritualem gratiam vendunt, & ante humanos oculos, & ante Dei oculos, sacerdotio privantur, & merito, nam ipsa veritas præcipit in evangelio: *Gratis accepistis, gratis date*: quod cum tales non attendant, etiam a Deo seipsos alienant, qui in eodem evangelio dicit: *Qui est ex Deo, verba Dei audit: ideo vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Præterea princeps apostolorum Petrus, immo per illum ipse Christus, omnibus prælatis in ecclesia præcipit ita: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei: providentes non coacte, sed spontanee secundum Dominum; non turpis lucri gratia, sed voluntarie*. Contra hoc præceptum illi agunt, quicumque hoc spirituale officium pro sæculari lucro subjectis suis turpiter impendunt, de quibus idem apostolus in sua posteriori epistola testatur: *Secuti sunt viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit: correptionem vero habuit suæ*

Matth. 10.

Matth. 5.

2. Petr. 5.

2. Petr. 2.

ANNO CHRISTI 1074.

veſania : ſubjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam: quod venerabilis presbyter Beda in tractatu ſuper eamdem epiſtolam dilucidat ita: Nonnulli catholicorum intantum mercedem amant iniquitatis, ut etiam docti ab indoctis, a laicis clerici merito lacerentur, qui jure comparantur prophetæ, qui verbis aſinæ contra naturam loquentis corripitur, nec tamen a propoſito pravi itineris retardatur. Iſte videlicet Balaam idem eſſe aſſeritur qui & beatum Job in libro ſuperſtue & arroganter docuiſſe legitur, qui & Eliu, id eſt divinus, ab officio divinandi eſt cognominatus. Sic enim teſtatur ſanctus Hieronymus in libro de Hebraicis quæſtionibus. Hic ergo cum eſſet propheta a Balaac rege Moabitarum ad maledicendum filiis Iſrael conductus, illis quidem in verbo Domini pro pretio ſtuduit maledicere, ſed pravitatem ſuam Domino vetante ad effectum non perduxit, nec mercedem iniquitatis accepit, qui tamen adeo a Deo reprobabilis denotatur, ut aſina ejus ſapientiam, immo veſaniam ejus & inſipientiam corripuiſſe, & eum a gladio ejus reſiſtentis angeli eripuiſſe, legatur, quam ipſe angelus non morituram fore teſtatus eſt, etiamſi ipſum reprobum prophetam debita morte mulctaſſet.

Si ergo Balaam tantum amando mercedem iniquitatis adeo legitur reprobabilis, quanto magis ille inter reprobos eſt computandus, qui cum Balaam de iniquiſſima venditione ſpiritualis officii pretium ſtudioſiſſime requirit, nec ceſſat donec ambitionem ſuam ad effectum perducat. Præterea beatus Hieronymus in tractatu ſuper Matthæum, illum ſcribam, qui dixit Jeſus. *Magiſter ſequar te quocumque iveris*, ideo repudiatum a Domino teſtatur, quia more Simonis magi eum ſequi voluerit, ut ex operum miraculis lucrum aſſequeretur, unde & ſibi a Domino reſpondetur: *Vulpes foveas habent*, &c. ac ſi diceret: Cur propter lucra & divitias vis me ſequi, cum tantæ ſim paupertatis, ut nec proprium habeam hoſpitium, cum vulpes etiam & volucres proprias habeant manſiones. Si ergo ille, qui ſpirituale officium pro lucro tantum exercere voluit, ab ipſo Domino jure reprobatur, quanto magis ille qui & hujuſmodi officium penitus aliis vendidiſſe detegitur?

Matth. 8.

Ibidem.

IX.

Emptores autem ſpiritualium officiorum cum ipſo principe eorum Simone mago in actibus apoſtolorum damnati leguntur, ubi ille noſter Simon princeps apoſtolorum eumdem alium Simonem principem apoſtatarum æterna damnatione mulctavit ita decernens: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto. Cor tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age de hac malitia tua, & roga Dominum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe. Reſpondens autem Simon, dixit: Precamini & vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum quæ dixiſtis.* Et nota ipſum hæreſiarcham Simonem magum pro ſola nefaria cogitatione ab æquivoco ſuo damnatum, quem videlicet ſpirituale officium mercari ſolummodo cogitaſſe, nullatenus autem tam nefariam negotiationem legimus impleſſe: videſne quam rationabiliter illi damnentur, qui & tam inhianter, ut Simon magus, ſpiritualia officia mercari concupiſcunt, & inſuper deſideratam negotiationem perficiunt: & qui & eadem ſcelerate acquiſita ſceleratius uti, immo abuti non verentur, unde non parum ipſum Simonem magum in culpa præcedere videntur. Ille enim emptionem, quam male concupivit, nullatenus ad effectum perduxit, qui pro ſolo nefario appetitu damnatus, per ipſos apoſtolos apud Dominum efficere ſtuduit ut damnatorias eorum ſententias ſubterfugeret, non ut officium criminoſe appetitum criminoſius obtineret. Sed cur idem hæreſiarcha ſpirituale officium mercari appetiſſet, niſi emptum deinde nefandius vendere vellet, non enim fruſtra de eo ſcriptum eſſe videtur, quod ſtupidius de ſignis & virtutibus admiretur, quæ ut ipſe poſſet facere per pecuniam ſuam voluit efficere, videlicet, ut, juxta ſancti Hieronymi aſſertionem, temporale lucrum ex miraculis aſſequeretur. Ergo non ſolum emptores, ſed & venditores ſpiritualium officiorum, ſectatores præfati hæreſiarchæ denotantur, unde & cum eodem æternæ damnationis vinculo adſtricti non dubitantur, atteſtante beato Gelaſio in decretis ſuis capitulo vigeſimoquarto. Quos vero conſtiterit indignos meritis ſacrani mercatos eſſe dignitatem, convictos oportet arceri, non ſine periculo tale facinus patrantes, quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis, quam ſacra lectio teſtatur, involvit.

Hanc autem generalem ſententiam B. Gelaſius papa pertractans de ſingulorum graduum ordinationibus, ſubintulit, inter quos etiam oſtiarios, notarios, ſive defenſores, numeravit, qui nec per manus impoſitionem ordinantur, nec ipſi manus alicui imponere permittuntur, unde & illum in decretis ſancti Alexandri ſimoniacum vocari non dubium eſt, qui pœnitenti ad reconciliationem pro pretio apud epiſcopum juvat. Ex qua re colligitur, non ſolum illos reputari inter ſimoniacos, qui per pretium ad manus impoſitionem perveniunt, ſed & illos qui & alia clericorum officia per pecuniam acquirunt. Omnia autem in ejuſmodi officiis operatur unus atque idem Spiritus, cujus donum non gratis, ſed per pretium dare & accipere, non catholicum, ſed indubitanter eſt ſimoniacum.

X.

Mediatores quoque hujus nefandiſſimæ negotiationis ab ipſo vaſe electionis damnantur, qui eos ita deteſtatur: Nam digni ſunt morte non ſolum qui nefanda faciunt, ſed qui facientibus conſentiunt. Item cithariſta noſter David: *Si videbas*, inquit, *furem, currebas cum eo.* Et illud: *Os tuum abundavit malitia: & lingua tua concinnabat dolos.* Deinde in eodem pſalmo, terribilis ſententia de hujuſmodi aſſentatore profertur, videlicet quod a domino arguendus, nec per aliquem a manu domini deiaceps eripiendus. Nec mireris, ſi ſpiritualis officii mercator ſub nomine furis deſignetur, cum ab ipſa veritate in evangelio ita nominetur: *Qui enim aliunde intrat niſi per oſtium, non paſtor ovium, ſed fur & latro nuncupatur a domino.* Nempe nullus in eccleſia prælatus per oſtium, hoc eſt per ipſum dominum, ad paſtoralem curam intravit, qui per avaritiam, id eſt idolorum ſervitutem, ad hoc officium pervenit. Non eſt ergo indignum hujuſmodi mercatorem ſive mercenarium ſub nomine furis infamari, cujus furtivam irreptionem non expavit imitari. Hujus autem criminoſiſſimi mercimonii mediatores non negligenter attendant Giezi puerum Heliſæi, qui ex parte domini ſui, eo quidem neſciente, munera ſporte oblata ſuſcepit a Naaman Syro, qui jam a lepra mundatus eſt ab Eliſæo propheta. Idem quippe Giezi, licet inter Eliſæum & Naaman medius nefarie lucraretur, neutrum tamen ſecum

Pſal. 49

Ibidem.

ſce-

ANNO CHRISTI 1074.

ſceleris fecit ejuſdem obnoxium. Nam & ille ſpontaneam oblationem ſortis eleganter reſpuit, quam iſte non quaſi ex debito emeritis, ſed ex benigno affectu mentis, liberaliter obtulit: ſed quamvis Giezi neutrum horum in crimine ſecum attraxerit, ſed ſe ſolum in hoc medium ſimplici crimine obligaverit, ipſe tamen & omnes & poſteri pro eadem culpa leguntur ſeveriſſime puniti; ſed & lepram, a qua mundatus eſt Naaman, quaſi hereditariam in ſempiternum ſortiti. Quapropter mediatores ſimoniacæ negotiationis attendant, quam diſtricte, immo quam diſtrictiſſime, ſint damnandi, qui non ſolum ſeipſos, ſed & illos quorum mediatores ſunt, ſub æterna damnatione ſecum poſuerunt. Satis ergo, ut opinor, declaratum eſt, quam ſummopere B prædictas noſtri apoſtolici ſanctiones venerari & obſervare debeamus, quas non ſolum ex ſynodicis & authenticis ſanctorum patrum ſententiis promanaſſe, ſed etiam ex propheticis, evangelicis & apoſtolicis ſcripturis proceſſiſſe probatum eſt evidentiſſime. Ipſa videlicet veritas eadem, & per ſeipſam, & per ſuos fideles indubitanter promulgavit, quæ & ſub fideli atteſtatione nobis

Joan. 8. dicit: *Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, non videbit mortem in æternum.*

Joan. 14. Item alibi: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Ergo qui mandata ejus non obſervat, ipſam veritatem non amat: *qui autem non diligit*, atteſtante ſancto Joanne, *manet in morte*: C qui vero divina præcepta contemnit, nullatenus mortem ſubterfugere valebit.

1. Joan. 3.

XI.

Tertium autem apoſtolici noſtri ſtatutum, quod incontinentibus clericis miniſterium altaris interdicit, nihilo minus definitum eſt a ſanctis patribus, eſt enim ſcriptum in Nicæno concilio, quod maximum eſt inter quatuor concilia evangeliis adæquata, capite tertio: Interdicit per omnia magna ſynodus, non epiſcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi forte matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum perſonas quæ ſuſpicionem effugiunt. Ut autem hujus capitis intentio clarius eluceſcat, apertiorem ejus translationem ſubnectere non pigeat: D Omnimode ſancta interdixit ſynodus, neque epiſcopo, neque presbytero, neque diacono, neque ulli omnino clericorum, licere habere ſecum mulierem extraneam, niſi forte mater ſit, aut ſoror, aut amita: in his namque perſonis, & harum ſimilibus, omnibus ſuſpicio declinatur: qui alter præter hæc agit, periclitabitur de clero ſuo.

Videſne ergo, quod penitus clericis conjugale opus interdicatur, qui & pro ipſa cohabitatione feminarum non ſolum de miniſterio altaris, ſed de clericatu ſuo periclitari jure cenſentur. Nec hoc tantum de ſacerdotibus, ſed de omnibus ſacris ordinibus evidenter decernitur. Item Neocæſareenſe concilium, quod ante Nicænum concilium fuiſſe legitur, capite primo decrevit: Presbyter ſi uxorem duxerit, ab ordine deponatur: ſi vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

Chalcedonenſe etiam concilium, quod ipſas Neocæſareenſes & Nicænas, immo omnium ſanctorum patrum ſanctiones ante ipſum tranſactas, ut prædictum eſt, confirmat, etiam earumdem ſanctionum prævaricatores generaliter ita condemnat capite 10. Eos autem qui auſi fuerint * per diffinitionem magnæ & univerſalis hujus ſynodi

* Lege, præſid.

A quæcumque ex his quæ ſunt prohibita penetrare, decrevit ſancta ſynodus a proprio gradu recedere.

ANNO CHRISTI 1074.

Item beatiſſimus papa Silveſter, qui Nicænam ſynodum congregavit, & eamdem apoſtolica auctoritate corroboravit, in ſuis ſynodalibus decretis ita decernit capite ſexto: Nemo presbyter a die honoris presbyterii ſumat conjugium: quod ſi quis neglecto hoc aliter egerit, duodecim annis eum jubemus privari honore: quod ſi quis contra hoc chirographum prætiens & publice dictum egerit, damnabitur in perpetuum.

Item beatus Siricius papa in decretis ſuis capite ſeptimo: Quilibet epiſcopus presbyter atque diaconus, quod non optamus, deinceps, ſi incontinens fuerit inventus, jam nunc ſibi per nos omnem aditum indulgentiæ intelligat obſeratum. Item in eiſdem capite duodecimo: Feminas etiam non alias eſſe patimur in domibus clericorum, niſi eas tantum, quas propter ſolas nec eſſitudinum cauſas habitare cum eiſdem ſynodus Nicæna permiſit. Item ſanctiſſimus papa Gregorius ſcribens ad Romanum defenſorem ita decernit capite decimo: Si quis epiſcoporum, quos commiſſi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hos ut omnino compeſcas jubemus, & de cætero illic eas inhabitare nullo modo patiaris, exceptis iis quas ſacrorum canonum cenſura permittit, id eſt matrem, amitam, germanam, & alias hujuſmodi, de quibus prava ſuſpicio non poſſit eſſe. Melius tamen faciunt, ſi ſe etiam a talium cohabitatione contineant. Nam legitur quod beatus Auguſtinus nec cum ſorore habitare conſenſerit, dicens: Quæ cum ſorore mea ſunt ſorores meæ non ſunt. Docti ergo viri cautela magna nobis debet eſſe inſtructio. Et poſt pauca: Prætorea curæ tuæ ſit eoſdem confratres noſtros adhortari, ut ſubjectos ſibi in ſacris ordinibus conſtitutos, quod ipſi ſervant, ad ſimilitudinem ſuam, modis omnibus ſervare commoneant. Item Zacharias papa in decretis ſuis capite primo: Decernimus ut epiſcopi cum mulieribus omnino non habitent, ne ab antiqui hoſtis fraude decipiantur. Item in eiſdem capite undecimo: Ut presbyteri & diaconi ſubintroductas mulieres nullo modo ſecum habere audeant, niſi forſitan commatrem ſuam, aut proximitatem generationis ſibi habentes, quæ ſuſpiciones effugiunt: ſicut in Nicæno concilio habetur: Si quis præter hæc ſtatuta præſumpſerit agere, ſacerdotii ſui honore privetur.

Item beatus Hieronymus ſcribens ad Oceanum authenticis rationibus probavit, non licere clericis converſari cum feminis: & poſtmodum ſubintulit: Quod ſi poſt noſtra monita aliquis clericus agapetas amplius quæſierit amare quam Chriſtum, ſecundum ſynodalem regulam conveniatur, & præcepta in Nicæa diffinita ei legantur: jam vero ſi conventus prædictos fugerit & reliquerit, conſecuti ſumus maximum lucrum. Aliquin talis ab eccleſia anathematizandus eſt, germinant enim feminæ ſpinas cum viris habitantes, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt.

Sed quid dicam ulterius, deficit enim mihi tempus, ut enarrem viritim ſanctos patres prædictis noſtri apoſtolici ſtatutis ſubſcribentes. Nam omnes catholici eadem obſervanda eſſe cenſuerunt; qui & a ſacratiſſimis IV. conciliis diſſentire noluerunt, ex quibus noſter apoſtolicus præfata produxit decreta: quapropter nec idiotas latere æſtimo, quam periculoſe, vel potius quam pernicioſe, ſibi ſuiſque ſectatoribus deſipiant, quicumque per Sozomeni caput ſacerdotibus in-

con-

continentiam adſcribere non formidant: quibus licet ſuperiorum epiſtolarum aſſertio ſufficere debeat, iterum tamen eos præmonere de cavendo anathemate non tædeat. ANNO CHRISTI 1074.

XII.

Verus teſtamentum partim in myſteriis, partim in moralibus præceptis, continetur, ſed adveniente Chriſto ceſſavit in myſteriis & carnalibus obſervantiis, quia ipſe eſt finis ſive completio legis, in moralibus præceptis adhuc manet, quia ſemper eſt obſervandum: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, & reliqua. Quicumque ergo ex lege aliquam carnalem obſervantiam novo quidem teſtamento adverſam adhuc obſervandam eſſe dogmatizat, procul dubio cum Galatis, immo cum Ebionitis, judaizat. Conjugale autem opus ſacerdotum inter carnalis legis obſervantiam computatur: quibus * unquam ſacerdotibus hoc tantum in lege ſucceſſionis cauſa legitur conceſſum, quia ex alia tribu nullus eo tempore pervenit ad ſacerdotium. Nam noſtro tempore ex quolibet genere ſacerdotes eligere licet, quibus & merito interdicitur conjugale opus, cum non jam ſucceſſores habeant neceſſarios. Quapropter quiſquis & hoc tempore illud Judaicum conjugium ſacerdotibus licere cum Sozomeno, vel potius cum Ebione dogmatizat, non negligenter illud inevitabile anathema * conſiderat, quo ipſe apoſtolus ſpecialiter Judaicarum obſervationum prædicatores anathematizat, Galatas Judaizantes ita deterrens: *Sed licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizamus vobis, anathema ſit*. Idem vero inculcans ſubjungit: *Nunc iterum dico vobis, ſi quis evangelizaverit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Idem quoque Paulus ipſum principem apoſtolorum Antiochiæ, licet ejuſdem ſedis epiſcopum, liberaliter corripuit, eo quod non quidem prædicando, ſed ſuo exemplo judaizare cogeret, cum ſe ab eorum convivio pro timore Judæorum ſimulando ſubtraheret. Præterea ipſe hæreſiarches Ebion cum omnibus ſuis ſectatoribus inter reliquos hæreticos anathematizatus eſt a ſacratiſſima ſynodo Conſtantinopolitana, & a beato Gelaſio papa in apoſtolica ſede: quod anathema nullus ſubterfugere poterit, quicumque ipſum hæreſiarcham per Sozomeni caput ſectari præſumpſerit.

Matth. 19.

* Forte, quam, H.

* Forte, confideret. H.

Galat. 1.

XIII.

Quidam etiam videntur ſibi nimium * ſcholi, aſſerentes incontinentiam ſacerdotibus eſſe conceſſam in illo apoſtoli: *Unuſquiſque ſuam uxorem habeat*: qui autem non intelligunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant; aut, ſi intelligunt, ſuam ipſorum conſcientiam impugnant. Nam atteſtante beato Hieronymo Corinthii inter cætera ab apoſtolo quæſierant, an nuper renatis in Chriſto carnalis copula licita eſſet: quibus ita reſcripſit apoſtolus: *De quibus autem ſcripſiſtis mihi, bonum eſt hominem mulierem non tangere: propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, unaquæque virum ſuum. Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed vir: ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed mulier. Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*: quod ita exponit beatus Hieronymus in libro contra Jovinianum: Non dixit apoſtolus propter fornicationem ducat unuſquiſque uxorem, alioquin hac excuſatione libidini frena laxaſſet, ut quotieſcumque uxor moriatur, toties ducenda ſit alia, ne fornicemur: ſed *unuſquiſque uxorem ſuam habeat*: *ſuam*, inquit, *habeat*, ſua utatur, quam habebat, antequam crederet: quam bonum erat non tangere, & poſt fidem Chriſti ſororem tantum noſſe, non conjugem, niſi fornicatio tantum excuſabilem faceret. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*. Oro te, quale illud bonum eſt, quod orare prohibet, quod corpus Chriſti accipere non permittit, quamdiu enim impleo mariti officium, non impleo continentis. Jubet idem apoſtolus in alio loco, ut ſemper oremus: ſi ſemper oramus, nunquam conjugio ſerviendum eſt, quandoquidem quotieſcumque uxori debitum reddo, orare non poſſum. Sic & Petrus apoſtolus docet Chriſtianos ut infirmiori vaſculo muliebri honorem tribuant, ab opere conjugali ceſſantes, ne impediantur eorum orationes. Quis ergo ſanæ mentis prædictas apoſtoli ſententias de exercendo conjugali opere ſacerdotibus adſcribat, quorum quotidianum eſt officium non modo orare, ſed & divina ſacramenta contrectare, præſertim cum in eodem loco etiam cuilibet Chriſtiano tempore orationis injungatur continentia. Nempe ſi apoſtolus his etiam ſacerdotibus carnalem copulam concederet, profecto contrarius ſibi eſſet, qui ad Titum ſcribens præcipit ut ſacerdotes ſobrii, juſti ſint, atque continentes. Et non hic ſacerdotibus, ſed laicis, & his non ſolidum cibum ſed lacteum potum miniſtrat, ut puta neophytis, qui nondum ſibi, necdum aliis ſufficienter erant inſtructi.... idem apoſtolus ſacerdotale officium penitus intercludit. Eadem etiam ratione probatur ad laicos, non ſacerdotes, ſpectare quidquid idem apoſtolus ſcribit de exercendo opere conjugali, ut illud: *quod ſi ſe non continent, nubant. Melius eſt nubere, quam uri*: id eſt, melius eſt legitimo marito miſceri, quam fornicari. Et illud: *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem: ſi autem acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccat*. Hoc itaque nullo modo de ſacerdotibus vel de aliis continentiæ dedicatis dicitur, ſed de illis tantum qui legitime conjugari poſſunt. Unde beatus Hieronymus in libro ſupradicto: Si, inquit, nupſerit virgo, non peccabit: non illa virgo quæ ſemel Dei cultui dedicata: harum enim ſi qua nupſerit, damnationem habebit, quia primam irritam fecit fidem. Si autem hoc de viduis dictum objecerit, quanto magis de virginibus prævalebit, cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit: virgines enim, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt, quam inceſtæ. Si ergo prædictæ apoſtoli ſententiæ hujuſmodi continentibus carnalem copulam non concedunt, quanto minus ſacerdotibus; maxime cum illæ ſimpliciter ad continentiam ſint conſecratæ, illi autem ipſis continentibus ſint prælati, & per venerandam manus impoſitionem, & per ſacroſancti chriſmatis unctionem. Præterea idem apoſtolus ipſis quibus conjugale opus exercere concedit, eiſdem etiam ſecundas nuptias inire licenter permittit. Soluto enim ab uxore aliam ducere concedit, & viduæ nubendi licentiam attribuit. Nullatenus ergo ſacerdotes ſub permiſſoria carnalis copulæ ſententia comprehendit, quibus in epiſtola ad Timotheum & Titum bigamiam penitus prohibuit, cum jubeat tantum unius uxoris virum eligi ad ſacerdotium: nam nec apud ethnicos bigamia licebat ſacerdotibus beato Hieronymo aſſerente contra Jovinianum. Legant, inquit, noſtrates, antequam religio noſtra fulgeret in mundo, unicubas ſemper habuiſſe inter matronas decus, per illas Fortunæ muliebri ſacra fieri ſolita, nullum ſacerdotum bigamum, nullum flaminem bimaritum. Hierophantas quoque

* ſcholl

1. Cor. 7.

Ibidem.

1. Cor. 7.

Ibidem.

que Athenienſium uſque hodie cicutæ ſorbitione caſtrari, & poſtquam in pontificatum electi fuerint, viros eſſe deſinere, quicumque autem prædicti apoſtoli verba intantum adulterant, ut ſub eorum perverſa interpretatione, etiam ſacerdotibus incontinentiam licere conſignent, procul dubio ſequuntur Nicolaum hæreſiarchen, quem Clemens Alexandrinus in tertio libro ſtromatum refert, uxorem ſuam cuilibet etiam volenti proſtituiſſe, & hoc exemplo ſuo docuiſſe, cunctis promiſcua atque communia feminarum conſortia licere: & hoc ideo ut a majoribus . . . . . quia ſcriptum eſt: *Et erant illis omnia communia*, inter quæ Nicolaus numeravit & conjugia. Sicut ergo ille apoſtolicum exemplum nimis generaliter & perverſe acceptum in hæreſim mutaſſe refertur, ſic & iſti illud apoſtoli, *Unuſquiſque uxorem ſuam habeat*, nimis generaliter & perverſiſſime interpretantes, in errorem vertiſſe notantur, qui ſub eodem exemplo contra eumdem apoſtolum ſacerdotibus conjugale opus conceſſum fallaci pertinacia contendunt. Quamvis enim in ſacris ordinibus promiſcua feminarum conſortia magis deteſtanda ſint quam ſingularia, depravatori tamen apoſtolicæ inſtitutionis ipſi hæreſiarchæ Nicolao minus imputanda videtur, quam iſtis. Ille enim eo quidem tempore apoſtolicam doctrinam male interpretatus eſt, cum vix in primis nomen Chriſtianitatis incepiſſet, cum evangelica & apoſtolica doctrina nondum eſſet per totum mundum dilatata, nondum tot virtutibus, tot ſignis, tot ſacratiſſimis ſanctorum martyrum triumphis approbata: iſti autem eamdem doctrinam jam ubique * ignotam, nec ruſticis jamdudum, immo jam ab antiquo ſanguine ſanctorum patrum conſecratam & irrefragabiliter corroboratam, obſtinatiſſima temeritate nituntur depravare. Unde & illam perditionem ſubterfugere nequibunt, quam ipſe princeps apoſtolorum depravatoribus ſcripturarum aſſignat, qui epiſtolas coapoſtoli ejus Pauli ita nobis commendat: *In quibus*, inquit, *epiſtolis ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*. Vos ergo, fratres, præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis a propria firmitate. Ut autem clarius eniteat apoſtolum in ſuperioribus ſententiis non ſacerdotibus, ſed laicis, carnale commercium indulſiſſe, diligenter inſpiciamus quid idem apoſtolus miniſtros ſanctorum obſervare decernat, & quibus ſacros ordines concedi vel denegari conſtituat. Nam in eadem apoſtolica inſtitutione & defenſoribus ſacerdotalis incontinentiæ perpetuum ſilentium evidenter imponitur, & præfata noſtri apoſtolici ſtatuta irrefragabiliter corroborantur; quippe quæ nulli ſacrum officium interdicunt, niſi quem & apoſtolica præcepta penitus ab ipſo ſacro ordine ſecludunt.

ANNO CHRISTI 1074.

1. Tim. 3.

1. Cor. 7.

2. Petr. 3.

* Notum nec ruſticis jamdudum ignotum.

XIV.

Beatus ergo Paulus apoſtolus ſcribens ad Timotheum de ſacris ordinibus ita teſtatur: *Fidelis*, inquit, *ſermo: Si quis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet ergo epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum; non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli: oportet autem & illum teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt ut non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi primum probentur, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus. Diaconi ſint viri unius uxoris, qui filiis ſuis bene præſint, & domibus ſuis: qui enim bene miniſtraverint, gradum ſibi bonum acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Item ad Titum: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates preſbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui: ſi quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet autem epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit & exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt multi inobedientes, vaniloqui & ſeductores, maxime qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui, qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.* Et poſt pauca: *Increpa illos dure, ut ſint ſani in fide, non intendentes Judaicis fabulis & mandatis hominum averſantium ſe a veritate.*

1. Tim. 3.

Tit. 1.

XV.

In primo igitur notandum eſt in his apoſtolicis inſtitutionibus ſub nomine epiſcopi etiam presbyteros comprehendi: inconvenienter enim apoſtolus poſt deſcriptionem epiſcopi ſtatim de diaconibus ſubinfert, ſi non & presbyteros ſub epiſcopali deſcriptione comprehenderet, qui poſt epiſcopum proximi, & ipſis diaconibus indubitanter ſunt antepoſiti. Aut enim nuſquam de ordinatione preſbyterorum dixit, aut ſub nomine epiſcoporum eos deſcripſit. Sed incongruum eſſet ut prætermiſſo magiſtro miniſtrum ejus deſcriberet, cum tamen magiſter eccleſiaſticis diſpoſitionibus magis eſſet neceſſarius. Præterea cum apoſtolus Tito præcipiat, ut per civitates presbyteros ordinet, ſtatim eum de ordinatione eorum informans ſubinfert: *Oportet epiſcopum ſine crimine eſſe*. Idem Timotheo ſcribit: *Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii:* cui in ſequentibus ſtatim dixit: *Nemini manuum cito impoſueris*: quod proprie epiſcoporum eſt: ergo eumdem epiſcopum dicit, quem & presbyterum nominavit. Sic beatus Hieronymus & ſanctus Ambroſius prædictas apoſtoli ſententias fideliter exponentes, teſtantur apud antiquos idem fuiſſe epiſcopum & presbyterum, ut nomen unum eſſet officii, aliud ætatis. Poſtea autem, ut Hieronymus aſſerit, cum unuſquiſque eos quos baptizaverat ſuos eſſe putaret, non Chriſti, propter auferenda ſchiſmata, in toto decretum eſt orbe ut unus de presbyteris præponeretur cæteris, ad quem omnis cura eccleſiæ pertineret. Poſt deſcriptionem autem epiſcopi & presbyteri caute apoſtolus ſubjungit de diaconibus ita decernens: *Diaconos ſimiliter*: id eſt, *oportet eſſe pudicos*, &c. ac ſi diceret: Quod de epiſcopis & presbyteris decrevi, hoc idem & de diaconibus me ſciatis decreviſſe. Satis ergo evidenter patet, ut æſtimo, apoſtolum in ſuperioribus ſuis diffinitionibus etiam presbyteros cum epiſcopis & diaconibus comprehendiſſe: unde & merito quilibet eorum a ſacris officiis dimoventur, quicumque ex illis in ſe apoſtolicam informationem corrupiſſe probantur. Nempe apoſtolus teſtatur epiſcopos, presbyteros, & diaconos oportere turpis lucri non eſſe cupidos. Omnis autem ſimoniacus turpiſſimi & nefandiſſimi lucri indubitanter eſt cupidus, ergo

1. Tim. 4.

1. Tim. 5.

ANNO CHRISTI 1074.

inter ſacros ordines nullatenus eſt computandus, ſcilicet jamdudum per apoſtolicam ſententiam penitus ab eiſdem ſegregatus. Notandum autem, ſi neophytus inter ſacros ordines non recipitur, qui tamen inter laicos poſſe ſalvari creditur, quanto magis inde ſunt ſegregandi cupidi, ſive avari, qui ſunt idolorum ſervi; *qui*, juxta apoſtolum, *nullatenus habent hæreditatem in Chriſto & regno Dei*. Item apoſtolus præcipit in ſuperioribus, ut epiſcopi, presbyteri, diaconi ſint pudici & continentes: nec mirum, cum & laicos hortetur ad continentiam, dicens: *Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum, utique continentes*. Item: *Reliquum eſt, ut qui habent uxores, tamquam non habentes ſint*. Item: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus eccleſiam*. Unde Hieronymus: Si Chriſtus, inquit, ſancte, caſte, ſi abſque ulla macula diligit eccleſiam, viri quoque in caſtitate uxores ſuas diligant, & ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes, quæ Deum ignorant. Quem honorem ita interpretatur beatus Hieronymus: Si, inquit, abſtinemus nos a coitu; honorem muliebri vaſculo tribuimus: ſi non abſtinemus, perſpicuum eſt honori contrariam eſſe contumeliam. Præterea omnis populus filiorum Iſrael ad montem acceſſurus, & Dei eloquium de longinquo tantum auditurus, triduo ſanctificari & ſe continere ab uxoribus jubetur. Jure ergo apoſtolus ſacrorum miniſtris incontinentiam interdixit, qui & ſæcularibus debent præminere in caſtitate, qui & ipſius Spiritus ſancti locutorium effecti quotidie Dominum pro populo debent interpellare. Quicumque ergo horum incontinens eſſe detegitur, ab ipſo apoſtolo ſacris ordinibus intereſſe prohibetur, cum per incontinentiam apoſtolicæ inſtitutioni ſeipſum ſubtraxiſſe videatur. Nam quod apoſtolus dicit: *Unius uxoris virum*, juxta atteſtationem ſanctorum patrum, ante ordinationem tantum, non poſt ipſam eſt, intelligendum. Unde ſanctus Cyprianus in libro de duodecim abuſionibus dicit, quod talis eſſe debeat epiſcopus, ut ante epiſcopatum unam tantum uxorem habuerit, non plures. Unde & ſanctus Hieronymus in apologetico ad Pammachium: Epiſcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eligantur, aut vidui, vel certe poſt ſacerdotium in æternum pudici. Item beatus Zacharias vir apoſtolicus ſcribens ad ſanctum Bonifacium Moguntiacenſem archiepiſcopum ita decrevit: Cum, inquit, tua fraternitas in concilio Moguntino conſederit cum Carolomanno excellentiſſimo viro, ſi quos reperierit epiſcopos, presbyteros, aut diaconos, contra canones vel ſtatuta patrum exceſſiſſe, id eſt in adulterio, vel ſi plures uxores habuerunt, aut etiam aliis capitulis, quibus canones obviaſſe reperit, tua ſanctitas nulla ratione apoſtolica auctoritate permittat eos ſacerdotio fungi, quia tales a ſuo proprio ore falſi nominantur ſacerdotes, & deteriores ſæcularibus eſſe noſcuntur, qui ſe neque a fornicationibus, neque a nefariis matrimoniis abſtinent. Nam quod inde ſentiunt, dicente Domino: *Sacerdotes mei ſemel nubant*; & apoſtolus: *Unius uxoris virum*: & hoc ante ſacerdotium ſuſceptum uti licitum eſt: nam a die ſuſcepti ſacerdotii etiam ab ipſo proprio conjugio prohibendi ſunt. Unde & Hieronymus ad Vigilantium ſcribens teſtatur: Eccleſia orientis & Ægypti, & apoſtolica ſedes, aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut, ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt: quomodo enim juxta eumdem apoſtolum, ut prædictum eſt, ſe continerent, ſi cum conjugibus incontinentiam exercere deberent: quæ quia contraria ſunt, nullatenus ſimul eſſe poſſunt. Sed & hoc diligenter inſpiciendum, quod apoſtolus juſſerit eligi ad ſacerdotium, non qui jam per incontinentiam filios generaret, ſed qui dudum filios adultos & bene nutritos habuiſſet.

Epheſ. 5. *1. Cor. 7.* *1. Tim. 3.*

Nota autem apoſtolum inobedientes & vaniloquos nullatenus inter ſacros ordines computaſſe, immo peritos ſacerdotes conſtitui præcepiſſe, ad hos utique arguendos, qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia: quos etiam dure increpari jubet ne Judaicis fabulis intendant, & mandatis hominum avertantium ſe a veritate, ut illi qui juxta mandatum Pauli Samoſateni, ſive Ebionis, Judaicam incontinentiam Chriſtianis ſacerdotibus licere dogmatizant. Quid ergo mirum ſi etiam noſter apoſtolicus hujuſmodi inobedientes a ſacro officio dimovit, quos & apoſtolus dure increpari, non ſacris ordinibus annumerari, decrevit. Videſne ergo quam inevitabiliter ſint obſervanda noſtri Gregorii ſtatuta, quæ a ſacratiſſimo fonte ſcripturarum videmus derivata. Sciendum autem apoſtolum conſtituiſſe, ut ordinandi ſive ordinati ſine crimine eſſent, non ſine peccato. Nam in mundo nullus, juxta Auguſtinum exceptis parvulis baptizatis, ſine peccato converſatur, atteſtante ipſo dilectiſſimo Domini Joanne: *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Item frater Domini Jacobus. *In multis enim offendimus omnes*. Multi autem ſine crimine reperiuntur. Unde beatus Auguſtinus in tractatu quadrageſimoprimo ſuper Joannis evangelium teſtatur. Sed plane multi juſti dicti ſunt ſine querela, quod intelligitur ſine crimine. Nulla enim querela juſta eſt de his in rebus humanis, qui non habent crimen. Crimen vero eſt peccatum grave accuſatione & damnatione digniſſimum: qui ergo tam grave admiſerit, juxta apoſtolum, peccatum, ſacrum ordinem obtinere non debeat.

1. Joan. 1. *Jacob. 2.*

XVI.

Ut autem hæc apoſtolica inſtitutio de ſacris ordinibus nobis evidentior fiat, beati Hieronymi expoſitionem ſuper eamdem conſiderare non pigeat, qui eam in libro contra Jovinianum ita dilucidat: Sed & ipſa epiſcopalis electio mecum facit: non enim dicitur: Eligatur epiſcopus qui unam ducit uxorem, & filios faciat, ſed qui unam habuerit uxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina. Certe confiteris non poſſe eſſe epiſcopum, qui in epiſcopatu filios faciat. Alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur: aut permitte ſacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem ſint virgines quod mariti, aut ſi ſacerdotibus uxores non licet tangere, in eo ſancti ſunt quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si laicus & quicumque fidelis orare non poteſt niſi * vacet ab officio conjugali, ſacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſacrificia, ſemper eſt orandum, ſi ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis non erant, ſed etiam purificabantur * ab uxoribus ſeparati & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem provocare. Eliguntur mariti in ſacerdotium: non nego: quia non ſunt tanti virgines, quanti ſunt neceſſarii ſacerdotes. Numquid quia in exercitu fortiſſimus quiſque eligendus eſt, idcirco non aſſumentur & infirmiores, cum omnes fortes eſſe non poſſunt? ſi exercitus viribus tantum conſtaret, & non etiam numero militum, abjicerentur imbecilliores: nunc & ſe-

* careat

* ad tempus

Levit. 10.

ANNO CHRISTI 1074.

ſecundarum & tertiarum virium gradus aſſumitur, ut turba & numero exercitus compleatur. Et quomodo, inquies, frequenter in ordinatione ſacerdotali ſacerdos virgo negligitur, & maritus aſſumitur, quia forte & cætera opera virginitati non habet congruentia, aut virgo putatur, & non eſt, aut eſt * virginitatis infamis, aut certe ipſa virginitas parit ei ſuperbiam, & dum ſibi applaudit de ſola corporis caſtitate, virtutes cæteras negligit: non fovet pauperes, aut pecuniæ cupidior eſt. Evenit interdum, ut triſtior vultus, adductum ſupercilium, inceſſus pomparum ſerculis * offendat populum, & qui nihil habet quod reprehendat in vita habitum ſolum oderit & inceſſum. Multi eliguntur non amore ſui, ſed alterius odio. In pleriſque ſuffragium meretur ſola ſimplicitas, & alterius prudentiæ & calliditati quaſi malitia opponitur. Nonnunquam erat vulgi plebiſque judicium, & in ſacerdotibus comprobandis unuſquiſque ſuis moribus favet, ut non tam bonum, quam ſui ſimilem, quærat præpoſitum. Evenit aliquoties ut mariti, quæ pars major eſt in populo, maritis quaſi ſibi applaudant, & in eo ſe eſſe arbitrentur non virgines, ſi mariti virgini præponantur. Dicam aliquid quod forſan cum offenſione multorum dicturus ſum, ſed boni non mihi iraſcentur, quia eos peccati conſcientia non remordet. Interdum hoc & pontificum vitio accidit, quia non meliores, ſed argutiores in clerum eligunt, & ſimplices quoſque atque innocentes inhabiles putant. Et affinibus & cognatis quaſi terrenæ militiæ officia largiuntur: ſive divitum obediunt juſſioni: quodque his pejus, * clericatus donant gradum, quorum obſequiis ſint deliniti. Alioqui ſi juxta ſententiam apoſtoli, non erunt epiſcopi, niſi mariti, ipſe apoſtolus epiſcopus eſſe non debet, ut * qui docet: *Volo autem omnes eſſe, ſicut ego ſum.* Et Joannes indignus hoc gradu æſtimabitur, & omnes virgines * continentes, quibus quaſi pulcherrimis gemmis eccleſiæ monile decoratur. Epiſcopus, presbyter, diaconus, non ſunt meritorum nomine, ſed officiorum: nec dicitur: *Si quis epiſcopatum deſiderat*, bonum * honorem deſiderat, ſed *bonum opus deſiderat*, quod in majori ordine conſtitutus poſſit, ſi velit, occaſionem exercendarum habere virtutum. Oportet ergo epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ut nulli vitio mancipatus ſit: unius uxoris virum, qui unam uxorem habuerit, non habeat: ſobrium, ſive, ut melius in Græco dicitur, vigilantem, νηφάλιον, pudicum, hoc enim ſignificat * σώφρονα: ornatum & caſtitate & moribus, hoſpitalem, ut imitetur Abraham, & cum peregrinis, immo in peregrinis, ſuſcipiat Chriſtum: doctorem: nihil enim prodeſt ei conſcientia virtutum perfrui, niſi & creditum ſibi populum poſſit inſtruere, & valeat exhortari in doctrina, & eos qui contradicunt redarguere: non vinolentum, quia qui ſemper in ſanctis ſanctorum eſt, & offert hoſtias, & vinum & ſiceram non bibit: * ſic bibat epiſcopus, ut an biberit ignoretur: * non percuſſorem, id eſt, qui conſcientias ſingulorum non percutiat; neque enim pugilem deſcribit ſermo apoſtolicus, ſed pontificem inſtituit? quid facere non debeat docet, nunc e regione quid faciat. Sed quid? modeſtum, non litigioſum, non cupidum, domum ſuam regentem filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Vide quanta pudicitia exigatur in epiſcopo, ut ſi filii ejus impudici fuerint, ipſe epiſcopus eſſe non poſſit, & eodem officio offendat Dominum, quo offendit & Heli pontifex: corripuerat quidem filios, ſed quia non abjecerat delinquentes, retrorſum cecidit, & mortuus eſt, lucerna

* virginitas

* familia,

illis

* qui dixit 1. Cor. 7.

* ea

1. Tim. 3.

* gradum

* σώφρονα

* qui

* quis in vitio lectoris eſt.

Dei antequam extingueretur. Mulieres ſimiliter pudicas & reliqua. In omni gradu & ſexu tenet pudicitia primatum. Cernis ergo quod epiſcopus, presbyter, diaconus, non ideo ſint beati, quia epiſcopi, presbyteri, aut diaconi ſunt, ſed ſi virtutes habuerint nominum ſuorum & officiorum. Alioquin ſi diaconus epiſcopo ſuo ſanctior fuerit, * num ex eo quod in inferiori gradu eſt, apud Chriſtum deterior erit? abſit ut Stephanus diaconus, qui primus martyrio eſt coronatus, minor futurus ſit in regno cælorum multis epiſcopis, & Timotheo, & Tito, quos ut ſubjicere non audeo, ita nec anteponere.

* non

Hucuſque ſanctus Hieronymus, qui quantæ auctoritatis fuerit, etiam apud epiſcopos, apoſtolicæ ſedis decreta beati Gelaſii papæ ſatis inſinuant, quæ inter authenticas & canonicas ſanctiones opuſcula ipſius recipienda eſſe decernunt, ſicut & ſancti Cypriani, Ambroſii, Auguſtini opuſcula, ſive tractatus reliquorum ſanctorum patrum, qui nec in fide nec in prædicatione a ſancta Romana eccleſia deviarunt, ſed in ejus communicatione uſque ad finem vitæ perduraruntur. Intantum namque beatus Gelaſius in prædictis decretis auctoritatem ſancti Hieronymi nobis commendat, ut & aliorum opuſcula juxta ejus judicium rapienda vel reſpuenda eſſe ibidem decernat. Quicumque ergo debitam obedientiam apoſtolicæ ſedi impendere voluerit, nullatenus hujuſmodi ſanctorum patrum ſingularibus ſententiis repugnabit. Hucuſque ſufficiat dixiſſe quid apoſtolus exigat a ſacerdotibus: quod quicumque fideliter perſpexerit, nequaquam ſtatuta noſtri apoſtolici obliteranda judicabit, quæ nec aliquis contemnere poterit, niſi & ipſorum apoſtolorum ſententiis repugnare velit, quibus ipſa veritas in evangelio fideliſſime promittit: *Amen dico vobis: Erit remiſſius terræ Sodomæ in die judicii, quam illis qui ſermones veſtros non receperint.* Matth. 10.

XVII.

Quartum autem noſtri apoſtolici decretum præcipit, ut populus clericorum officia non recipiat, quos ſacris canonibus, immo evangelicis & apoſtolicis inſtitutionibus, adverſari percipiat; videlicet quos juxta cenſuram ſanctorum patrum damnatos in propriam eorum perniciem altari miniſtrare videat. Nempe Antiochenum concilium a ſacratiſſimo Chalcedonenſi concilio, ut prædiximus, indubitanter roboratum, officia damnatorum clericorum a populis recipi diſtrictiſſime prohibet; intantum ſcilicet, ut etiam ab eccleſia abjiciendos eſſe cenſeat qui illis clericis ſaltem communicaverint, quos interdictum ſibi miniſterium uſurpare cognoverint. Sic enim quartum ejuſdem concilii caput teſtatur: Si quis epiſcopus a ſynodo damnatus, vel presbyter aut diaconus ab epiſcopo, auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio contingere, ſive epiſcopus juxta præcedentem conſuetudinem, ſive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei & in alia ſynodo reſtitutionis ſpem aut locum habere ſatisfactionis: ſed & communicantes ei omnes abjici de eccleſia, & maxime * poſteaquam didicerint adverſus memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eis communicare tentaverint. Juxta hujus capitis tenorem ſancti patres, qui in Chalcedone ſacratiſſimos canones promulgaverunt, omnes communicatores cujuſdam damnati Timothei Alexandrini præſulis excommunicatos eſſe cenſuerunt: qui Leoni imperatori pro eodem Timotheo conſulenti hoc modo reſcripſerunt. Eos etiam qui cum ſcirent Timotheum fuiſſe damnatum, communicare illi ſine periculo crediderunt, extraneos eſſe a Dei eccleſia judicamus, ſecundum conſequentiam regularem

* Forte, *quæ poſtea quam.*

nulla eis venia nec ſpe reſtitutionis, ullo modo remanente: ſicut 83. regula de talibus aperte decernit, cujus initium eſt: Si quis epiſcopus a ſynodo, &c. Quapropter & noſter apoſtolicus meritò populis officia hujuſmodi clericorum prohibuit; eorum inquam, quos non tam ipſe damnavit, quam a ſanctis patribus jamdudum damnatos eſſe monſtravit. Præterea ſanctiſſimus papa Alexander a B. Petro quintus, qui potius in camino ignis concremari, quam mentiri fortiſſimus athleta delegit, ipſe namque nec loquendum eis eſſe teſtatur quibus & epiſcopus pro ſceleribus eorum ſentitur adverſus: & hoc ex ipſius principis apoſtolorum auctoritate confirmat, ita dicens cap. 6. B. Petrus in ordinatione ſancti prædeceſſoris noſtri Clementis inſtruens clerum & populum ait: Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus ſuis, nolite vos expectare, ut ipſe vobis dicat: Cum illo nolite amici eſſe: ſed obſervare prudenter debetis, & voluntati ejus abſque commonitione obſecundare, & avertere vos ab eo cui ipſum ſentitis adverſum: ſed nec loqui his quibus ipſe non loquitur, ut unuſquiſque qui in culpa eſt, dum cupit omnium veſtrum amicitias ferre, feſtinet citius reconciliari ei qui omnibus præeſt, & per hoc redeat ad ſalutem, cum obedire cœperit monitis præſidentis. Si vero quis amicus fuerit his quibus ipſe non loquitur, unus eſt & ipſe ex illis qui exterminare Dei eccleſiam volunt; & cum corpore vobiſcum eſſe videatur, mente & animo contra vos eſt: & eſt multo nequior hoſtis hic quam illi qui foris ſunt, & evidenter inimici ſunt: hic enim per amicitiarum ſpeciem quæ inimica ſunt gerit, & eccleſiam diſpergit ac vaſtat. Ubi ergo ipſe princeps apoſtolorum tam ſtricte prohibet ne quis eis ſaltem loquatur qui apoſtolicis inſtitutis non obſecundare deprehendantur, ibi etiam evidentiſſime vetat ne populis miſſas aut reliqua officia hujuſmodi ab eis recipiat. Mos enim populi Dei, juxta Auguſtinum pro lege tenendus comprobat nobis cum canonibus, * ut populus cujuſcumque ſacerdotis miſſas audiat, ejus etiam ſingulis ſalutationibus in miſſa reſpondeat. Quapropter populus hujuſmodi prævaricatorum miſſas nullatenus recipiat, ſi ipſius principis apoſtolorum ſententiam obſervare volet.

* forte

XVIII.

Sanctiſſimus papa Gregorius ſcribens ad reges Francorum de hujuſmodi ſacerdotibus canonum contemptoribus cap. 135. teſtatur, quod regnum ex culpa talium ſacerdotum prægravetur: & poſt pauca ſubjungit: Major, inquit, metuenda eſt locis illis calamitas, ubi tales interceſſores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei magis in ſe iracundiam promovent, quam per ſemetipſos populis placare debuerant.

Jure ego noſtri temporis Gregorius populum hujuſmodi præſumptorum officia recipere prohibuit, quos ſanctiſſimus æquivocus & regnum culpa ſua prægravare, & Dei iracundiam in ſe magis provocare aſſeruit: ſcriptum eſt enim: *Qui averterit aurem ſuam ne audiat legem, execrabilis erit ejus oratio.* Prov. 28. Quo crimine omnes obligantur, quicumque canonicis ſanctionibus obſtinato animo refragantur: unde & eorum officia merito populis interdicuntur, quorum orationes omnipotens Deus non dico non recipit, ſed execratur. Sed jam ad ipſum vas electionis veniamus, qui & præſenti ſtatuto noſtri apoſtolici conſonare non dubitatur: *Si is*, inquit, *qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumite*, videlicet qui nolunt juxta eccleſiaſticas ſanctiones emendari, licet certis & publicis criminibus ſint obligati. Item ad Theſſalonicenſes: *Renuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem quam acceperunt a nobis.* Et paulo poſt: *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Cum quibus igitur apoſtolus fideles nec corporalem cibum ſumere permittit, & a quorum conſortio fideles diſcedere præcipit, de eiſdem apoſtolicæ inſtitutionis contemptoribus populo præcipit noſter apoſtolicus, ut eis ſaltem ad dominicam menſam non communicaret, & eorum ſocietati ſe ſaltem eo tempore ſubtraheret, cum illi contra fas & jus ſacra myſteria in perniciem ſuam uſurparent: juxta apoſtolum enim, *quicumque dominicum panem & calicem ſumit indigne, corporis & ſanguinis Domini reus erit, & judicium ſibi manducat & bibit*: quod omnes faciunt, qui fornicationem & avaritiam non ſolum exercere, ſed etiam obſtinato animo defendere præſumunt: de quibus apoſtolus dicit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*: qui etiam pro eiſdem criminibus juxta canonicas ſanctiones damnati interdictum ſibi officium temeraria uſurpatione frequentant. Nempe ipſi quos proprie vocamus pœnitentes, licet pro hujuſmodi criminibus canonicæ diſciplinæ colla ſubmittant, non tamen divinis ſacramentis tam temere approximant. Unde, juxta ſententiam beati Innocentii papæ, nec infirmos pœnitentes & reliquos ægrotantes ſacro chriſmate ungi licet, quibus, inquit, pœnitentibus reliqua denegantur ſacramenta, ne ſibiipſis damnationem potius quam remiſſionem acquirant, ſi eadem tam indigni, nondum ſane per pœnitentiam ad plenum purgati, percipiant. Si ergo pœnitentes etiam canonice pro criminibus ſuis ſatisfacientes divinis ſacramentis judicantur indigni, quanto magis illi qui non pœnitere, ſed culpas ſuas jamdudum publicatas pertinaciter defendere conantur, qui & obſtinato animo reſiſtentes etiam Spiritum ſanctum blaſphemare probantur. Sic enim beatus Damaſus papa in epiſtola ad ſanctum Aurelium Carthaginenſem archiepiſcopum teſtatur. Violatores, inquit, canonum voluntarii graviter a ſanctis patribus judicantur, & a Spiritu ſancto, cujus inſtinctu ac dono ditati ſunt, damnantur, quoniam blaſphemare Spiritum ſanctum non incongrue videntur, qui etiam contra ſanctos canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter, ut præfixum eſt, aliquid aut proterve agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſte unum genus eſt blaſphemantium Spiritum ſanctum: quoniam, ut jam prælibatum eſt, contra eum agit, cujus niſu & gratia iidem ſancti canones ſunt editi. Itaque illi ſacerdotes, qui tam graviſſimis criminibus ſunt obligati, imo qui pro eiſdem ſecundum canonica inſtituta jam ſunt damnati, nullatenus niſi in perniciem ſuam ſacrificare poſſunt. Unde & illi non parum * deliquerunt, quicumque ipſis in propriam necem ſacrificare uſurpantibus per ſolitas reſponſiones in miſſa ſcienter cooperari præſumerent. Non enim pro parvo crimine haberetur, ſi quis alicui ſeipſum crudeliter occidenti ſcienter cooperaretur. Sapientiſſime ergo vir apoſtolicus populum hujuſmodi præſumptorum uſurpationibus intereſſe prohibuit, quas non ſolum ductoribus eorum, ſed & receptoribus, perniciioſas eſſe non ignoravit. Sic enim ipſe Dominus a Core ejuſque ſequacibus ſacrificandi officium uſurpantibus reliquos filios Iſ-

1. Cor. 5.

* Forte deliquerunt.

ANNO CHRISTI 1074.

1. Theſſ. 3.

1. Cor. 11.

1. Cor. 14.

rael diſcedere præcepit, ne peccatis eorum involverentur, ſicque crudeliſſima morte cum eiſdem damnari mererentur. Nam ipſi hæreſiarchæ, videlicet Core, Dathan, & Abiron, cum univerſa eorum ſubſtantia vivi ad infernum ex improviſo deſcenderunt: ſequaces vero eorum per ignem a Domino penitus comburi meruerunt. Horum itaque ſubitaneam & crudeliſſimam ultionem illi diligenter attendant, qui contra apoſtolica præcepta interdictum ſibi ſacerdotale officium obſtinata temeritate uſurpant: nec otioſe mortem Oſeæ conſiderent, qui, cum David arcam Domini de Philiſtiim in novo plauſtro reduceret, a Domino percuſſus interiit, eo quod arcam, licet jam caſuram, manu ſuſtentare præſumpſerit. Si enim ille merito periit, qui temere quidem, ſed benigne, arcam Domini tantum tetigit, quanto magis ille qui contra fas & jus ipſum corpus Domini contrectare ſibique incorporare præſumit indignus?

ANNO CHRISTI 1074.

XIX.

Quidam tamen ſatis imperite noſtro apoſtolico objiciunt quartum Gangrenſis concilii capitulum; Quicumque diſcernit a presbytero qui uxorem habuit, quod non oporteat eo miniſtrante de oblatione percipere, anathema ſit. Hoc etiam capitulum juxta Petri apoſtoli atteſtationem in ſuam ipſorum perniciem depravantes ita pronuntiant: Quicumque recuſaverit miſſam conjugati presbyteri, anathema ſit: videlicet ut eos anathematizatos eſſe demonſtrent, qui apoſtolicis inſtitutis obedientes incontinentium ſacerdotum miſſas recipere detrectant. Sed fruſtra: nam prædictum caput illos tantum anathematizat qui reſpuunt presbyteri oblationem, non qui modo habet, ſed qui quondam habuit uxorem. Eo enim tempore, ut prologus Gangrenſis concilii teſtatur, erant hæretici, ſectatores cujuſdam Euſtathii, qui legitimas nuptias quaſi mortale crimen condemnabant, aſſerentes nullum in conjugali gradu poſitum ſpem habere apud Dominum: unde & oblationes presbyterorum etiam ante ordinationem legitime conjugatorum reſpuiſſe traduntur; quippe legitimum conjugium pro mortali crimine deputantes: quales etiam ſi quis hoc tempore perpetraſſe detegitur, altari miniſtrare juxta canones non permittitur. Merito ergo anathematizantur iidem hæretici dogmatizantes contra illud apoſtoli: *Si acceperis uxorem, non peccaſti:* & illud: *Oportet epiſcopum unius uxoris eſſe virum.* Sæpe poſitum autem noſtri apoſtolici inſtituta nulli prohibet audire miſſam illius presbyteri, qui juxta apoſtolicam permiſſionem ante ſacrum ordinem unam tantum uxorem habuit, quando & ſine crimine uxorem ducere potuit; ſed illius presbyteri qui contra apoſtolum in crimine fornicationis detegitur jacere; quem ipſe apoſtolus & reliqui ſancti patres, ſucceſſorque eorum noſter apoſtolicus, a ſacratiſſimo officio ſegregavere. Igitur quicumque hujuſmodi presbyterorum miſſas reſpuit, nullatenus tamen ſuperiori Euſtathianorum anathemati ſubjacebit, cum optime apoſtolo conſentiat, qui & ſacerdotibus continentiam indicit, & fideles prævaricatoribus ſermonum ejus admiſceri non permittit. Notandum autem, quod noſter Gregorius juxta ſanctorum patrum ſtatuta prius incontinentes presbyteros officio privavit, poſtmodum populo, ne eorum officia reciperet, interdixit: unde non tam incontinentium quam pro incontinentia damnatorum miſſas audire prohibuit: ne & populus ſe juxta Antiochenum concilium ſub excommunicatione poneret, ſi eorum officia recipere præſumeret. Ipſe autem Spiritus ſanctus per Samuelem prophetam docet populum, ut canonicis inſtitutionibus noſtri apoſtolici potius obediat, quam hujuſmodi præſumptorum ſacrificia in periculum ſuum recipiat. Dicit enim: *Melior eſt obedientia quam victima, & auſcultare magis, quam offerre arietum adipem: quoniam quaſi peccatum a violandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Igitur populus apoſtolicis inſtitutis obediens inobedientium ſacerdotum officia & ſacramenta recuſat, ne ipſe crimen idololatriæ per inobedientiam incurrat. Item Dominus alibi proteſtatur: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium,* ſcilicet ut quibus placens Deo per obedientiam potius animæ ſuæ miſereatur, cui potiſſimum eſt miſerendum, quam cum inobedientia, aut per ſe aut alium Domino offerat ſacrificium. Libet autem conſiderare quam clementer noſter apoſtolicus etiam ipſos contemptores canonum in ſuperioribus ſtatutis tractavit, quos tantum a tali officio removit, quod tamen nullatenus niſi in perniciem ſuam celebrare poſſent, ſi canonicis ſanctionibus repugnantes ipſum Spiritum ſanctum blaſphemare non deſiſterent. Ipſorum fane diuturnam obſtinationem jamdudum acrius plectendam nondum debita ſeveritate punivit. Sed illos, ut ſaltem adhuc redirent ad cor, paterno affectu expectavit, ut vel in hoc ſuam damnationem cognoſcere vellent, cum populum a recipiendis eorum officiis juſtiſſime prohibitum negare non poſſent.

ANNO CHRISTI 1074. 1. Reg. 11.

XX.

Fortaſſis autem aliquis dicit, cur noſter Gregorius tam contraria noſtræ conſuetudini ſtatuta obſervari præceperit, cur non potius noſtram conſuetudinem quaſi miſericordi diſſimulatione tolerarit? Sed ille audiat quid B. Leo papa, qui ſacratiſſimo Chalcedonenſi concilio præfuit, decernat; qui Anatolii præſulis Conſtantinopolitani præſumptionem cohibens ita pronuntiat: quod in reatum Romani pontificis deputetur, ſi inſtitutio canonum eo non prohibente, & in hoc quaſi connivente alicubi violetur. Item ſanctiſſimus noſtri apoſtolici homonymus ſcribens Victori epiſcopo hanc terribilem & generalem ſententiam protulit: Quiquis ad hoc facinus, videlicet ſimoniacæ aut neophytorum hæreſeos, emendandum officii ſui conſideratione vehementer non arſerit, cum ipſo ſe habere non dubitet portionem, a quo prius hoc piaculare flagitium & crimen ſumpſit exordium. Igitur & ille nihilo minus Ebionis hæreſiarchæ particeps detegitur, quicumque pro debito officii illius hæreſim, id eſt Judaicam incontinentiam, modernis ſacerdotibus prohibere non ſtuduerit. Ipſa quoque ſacratiſſima concilia, ex quibus ſtatuta noſtri apoſtolici profluxerant, adeo amplexati ſunt ſancti patres, ut ſicut ipſorum ſcripta teſtantur, potius ſeipſos diverſis tormentis affligi, imo ſe potius crudeliter occidi permitterent, quam violatoribus earumdem ſanctionum conſentire vellent. Ob hanc cauſam magnus Athanaſius patriarcha Alexandrinus poſt diverſas calamitates in exilium deportatur. Ob hoc etiam Felix papa Romanus ab epiſcopatu depoſitus martyrio legitur coronatus, & multi ejus presbyteri, diacones, & reliqui ex clero, etiam intra eccleſiam, ob eamdem cauſam, heu, crudeliſſime occiſi leguntur; videlicet quia ſectatoribus Arii in violationem Nicæni concilii aſſentiri nolebant. Hæc autem & hujuſmodi innumerabilia ex eccleſiaſticis hiſtoriis affatim colligere poteris. Dicat ergo quivis quomodo noſter apoſtolicus ſine ſuo periculo aut potius exitio negligere poſſet quin tam inevitabilium ſanctionum non di-

1. Cor. 7. 1. Tim. 3.

co violatoribus, ſed impugnatoribus, ex debito officii ſui obviaret, quibus ipſos ſanctos patres etiam uſque ad ſanguinem reſtitiſſe non ignoraret. Quamvis enim modo quidam non tam aperte cum Ario & reliquis hæreſiarchis fidem ſanctorum patrum impugnent, tamen eorum moralibus ſtatutis cum ipſa quidem fide per eoſdem ſanctos patres eodem tempore eadem ſubſcriptione roboratis obſtinate reſiſtunt, quæ & cum eadem fide ex ſacratiſſimo fonte ſcripturarum emanaverunt.

Sed in hac eorum nefandiſſima rebellione etiam ipſam fidem ſancti patres probantur annullare, cum in authenticis ſanctionibus auctoritatem illorum pro nihilo ducunt, qui & fidem ſua auctoritate confirmaverunt. Nullatenus ſane alicui fides ſanctorum patrum proderit, qui eorum canonicis atque moralibus præceptis non obedire, ſed pertinaciter reſiſtere ſtuduerit: nam, ut Jacobus frater Domini teſtatur, *Fides ſine operibus mortua eſt*; qualem & dæmones habere fatetur. Non ergo minus eſt reſiſtendum pertinacibus authenticarum inſtitutionum impugnatoribus, quam ſacræ fidei violatoribus, cum & dæmonibus aſſimilentur quicumque inſtitutionem ſanctorum patrum in fide tantum & non etiam in converſatione pro viribus aſſectantur, qui & culpam, quia humanum ſuit committere, diabolico inſtinctu non timent pertinaciter defendere. Amplius ipſum vas electionis in ſua perſona omnibus eccleſiaſticis paſtoribus dicit: *Si evangelizavero, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim eſt mihi, ſi non evangelizavero.* Quomodo ergo noſter apoſtolicus iſtud væ ſubterfugere poſſet, ſi gregem ſibi commiſſum juxta ipſius apoſtoli præcepta inſtituere negligeret? Sanctus etiam Spiritus per Ezechielem prophetam cuilibet paſtori terribilem proponit conditionem: *Si*, inquit, *non dixeris peccatori: Morte morieris, & oſtenderis ut recedat ab iniquitatibus ſuis, ipſe quidem in peccatis ſuis moriatur, ſanguinem autem ejus de manu tua exquiram. Si autem dixeris, & ille contempſerit, & non obedierit, ille in ſceleribus ſuis moriatur, tu autem animam tuam liberabis.* Hæc quidem translatione S. Auguſtinus in ſermone de pſalmo 40. utitur, ſtatimque ſuis auditoribus ſubjungit: Dico vobis, libero animam meam; in magno enim ſum non periculo ſed exitio conſtitutus, ſi tacuero. Satis ergo patet quam immerito quidam noſtro apoſtolico pro ſuperioribus ſtatutis indignentur, qui tam inevitabili neceſſitate coactus eadem inſtituiſſe detegitur, videlicet ne propriæ mortis crimen incurreret, ſi nos ex debito officii ſui inſtituere negligeret.

Jacob. 2.

1. Cor. 9.

Ezech. 33.

XXI.

Præterea ſi ob hoc noſtro apoſtolico indignari ſatagunt, cur non potius illis 318. ſanctis patribus in Nicæa congregatis, * ut 630. patribus in Chalcedone congregatis & coadunatis indignantur, qui, ut prædictum eſt, contra ſimoniacos & incontinentes altaris miniſtros multo acriores ſententias protulerunt quam noſter apoſtolicus. Indignentur ſane ſanctiſſimo papæ Clementi, qui martyrio ſua decreta confirmavit, quem ipſe princeps ſibi ſucceſſorem deſtinavit. Legitur enim in decretis ejus cap. 46. quod incontinentes penitus ab altaris officio removerit, quod etiam cohabitationem extranearum ſeminarum clericis prohibuerit, quod violatores hujuſmodi inſtitutionis prorſus anathematizaverit. Indignentur etiam beatiſſimo papæ Silveſtro, qui in apoſtolica ſede conſtitutus incontinentiam totius mundi presbyteris, ut prædictum eſt, prohibuit, & omnes huic decreto regnantes in perpetuum damnandos eſſe decrevit. Indignentur etiam beato martyri Damaſo papæ, cujus auctoritate ſecunda univerſalis ſynodus Conſtantinopolitana legitur roborata. Item ſanctiſſimo papæ Leoni Chalcedonenſium canonum auctori, quorum uterque eadem & apoſtolica auctoritate in decretis ſuis, ille quidem cap. 4. hic autem cap. 5. ita generaliter decrevere: Omnia decretalia cunctorum pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtituta, quæ de eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita omnibus epiſcopis ac cunctis generaliter ſacerdotibus cuſtodire debere mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. Indignentur etiam ſanctiſſimi noſtri apoſtolici æquivoco, qui ſub generali anathemate damnavit omnes a ſacratiſſimis quatuor conciliis diſſentientes. Sed cum nullus ſanæ mentis hujuſmodi ſanctis * patribus ſententiis indignetur, patet evidentiſſime, quam irrationabiliter quidam noſtri apoſtolici inſtitutis indignentur, in quorum promulgatione nullatenus a ſanctis patribus diſcrepavit, excepto hoc tantum, quod non tam ſevere, ut illi, contemptoribus canonum obviavit. Illos enim clericos ab officio tantum privavit, quibus ſancti patres non modo officium, ſed & veniam, & eccleſiaſticam communionem denegavere. Nil denique novi noſter apoſtolicus nobis obſervandum injunxit, quod etiam ſi feciſſet, non tamen ſine periculo ejus contemni præceptum poſſet. Nam apoſtolica ſedes ex divina * conſeſſione hunc ſemper obtinuit & obtinebit primatum, ut totius mundi eccleſias non ſolum antiquis inſtitutis, ſed etiam novis diſponat, prout diverſorum neceſſitas temporum poſtulat. Cogunt enim, ait ſanctus Auguſtinus ad Bonifacium, multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum. Hoc utique diverſa Romanorum pontificum decreta teſtantur, in quibus ipſi diverſis temporum neceſſitatibus conſuluiſſe leguntur.

* Porro, anno 451.

* Porro, anno 325. II.

* Porro, anno 431. II.

XXII.

Inceſſum autem publici contemptores apoſtolicæ inſtitutionis inducias ſuæ damnationis a noſtro apoſtolico quærunt, quos, ut prædictum eſt, ſancti patres abſque omnibus induciis damnaverunt. In dubiis enim rebus, licet veris, nondum tamen publicatis, neceſſario conceduntur induciæ, ut juxta ſanctiones apoſtolicorum virorum Felicis & Julii, & reliquorum, ipſe accuſatus poſſit ſe contra accuſatores pleniter præparare ad abluenda crimina: unde & beatus Eleutherius a B. Petro duodecimus in decretis ſuis cap. 1. teſtatur: Induciæ non modicæ ad inquirendum dandæ ſunt, ne aliquid præpropere agi a quacumque parte videatur, quia per ſubreptionem multa proveniunt. Jure ergo illi abſque induciis damnantur, qui culpam ſuam jamdudum a ſanctis patribus diffinite damnatam non negare, ſed publice contra apoſtolica ſtatuta conantur defenſare. Nempe B. Gregorius ab omni catholico paſtore merito imitandus, contemptores ſedis apoſtolicæ etiam ante peractam culpam ſolebat excommunicare: Sic enim Maximum per ambitionem Salonitano epiſcopatui inthronizatum, & omnes ejus ordinatores excommunicavit, quos eadem excommunicatio, nondum peracta culpa pro qua excommunicati ſunt, obligavit: nam priuſquam Maximus ordinaretur, ſub excommunicatione prohibuit ſanctus Gregorius ne hoc præſumeretur: quod præceptum contemnentes epiſcopi, cum ordinarent eumdem Maximum, ante peractam ordinationem erant excommunicati juxta atteſtationem S. Gregorii: ſcribit enim in epiſtola ad eumdem Maximum præſumptorem, ita deteſtans ejus conſecratio-

ANNO CHRISTI 1074.

tionem: Quam rem, inquit, nos conſecrationem dicere nullo modo poſſumus, quia ab excommunicatis celebrata eſt. Non enim poſt ordinationem excommunicandos, ſed in ipſa ordinatione dixit excommunicatos. Sic idem apoſtolicus per ſubdiaconem ſuum Natalem Salonitanum epiſcopum abſque induciis, ſi præcepto ejus non obediſſet, pallio & communione cenſuit privandum eſſe. Sic, inquam, ipſe & reliqui ejuſdem ſedis epiſcopi quoslibet & abſque induciis damnaverunt, qui aliquam rem ſub excommunicatione vel officii ſuſpenſione prohibitam temerarie uſurpaverunt. Has ergo & hujuſmodi rationes moderni præſumptores caute conſiderent, nec deinceps injuſte ſe abſque induciis damnatos eſſe exiſtiment. Forſitan autem aliquis adeo delirat, ut ſubditos cujuslibet epiſcopi per ipſum tantum non per Romanum pontificem damnari poſſe dicat.

XXIII.

Sed illi ipſa veritas in evangelio contradicit, quæ B. Petro principaliter inter reliquos apoſtolos hoc privilegium conceſſit: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum in cœlis:* qui enim generaliter omnes apoſtolicæ poteſtati ſubjecit, nullo modo alicujus epiſcopi ſubditum excepit: unde idem apoſtolus & a ſenioribus ſui temporis, id eſt presbyteris, ſive epiſcopis, & ab eorum ſubditis, obedientiam generaliter exegit, cum tam ſubditis quam prælatis, tam feminis quam viris, ſpecialia vivendi præcepta in epiſtolis ſuis tradiderit: quod incaſſum ipſe faceret, ſi non generaliter omnes ejus inſtitutioni obedire deberent. Beatus quoque Anacletus ab ipſo principe apoſtolorum presbyter ordinatus in decretis ſuis cap. 3. teſtatur: Sacroſancta Romana & apoſtolica eccleſia non ab apoſtolis, ſed ab ipſo Domino noſtro primatum obtinuit, ſicut ipſe B. Petro dixit: *Tu es Petrus*, &c. Ergo hæc apoſtolica ſedes cardo & caput omnium eccleſiarum a Domino non ab alio eſt conſtituta, & ſicut cardine oſtium regitur, ſic hujus ſanctæ ſedis auctoritate omnes eccleſiæ Domino diſponente reguntur. Item B. Gelaſius doctor apoſtolicus cap. 11. Cuncta per mundum novit eccleſia quod ſacroſancta Romana eccleſia de omni eccleſia fas habeat judicare, nec cuiquam de ejus liceat judicare judicio: ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemini appellare licitum eſt.

Sed nec illa prætermimus, quod apoſtolica ſedes, ſine ulla ſynodo præcedente, exolvendi quos ſynodus iniqua damnaverat, & damnandi nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Et hoc nimirum pro ſuo principatu, quem B. Petrus apoſtolus Domini voce & tenuit, & ſemper retinebit. His autem ſanctiſſimi patres Calliſtus, Fabianus, Sixtus, Silveſter, Julius, & reliqui innumerabiles adſtipulantur, qui adeo amplexati ſunt veritatem, ut potius mori quam mentiri deſiderarent. Hujus ergo privilegii auctoritate B. Simplicius papa XLIX. Gregorium Mutinenſem epiſcopum Ravennatis archiepiſcopi ſuffraganeum a ditione ejuſdem archiepiſcopi penitus abſolvit, & hoc ideo, quia idem archiepiſcopus eum invitum Mutinenſi cathedræ inthronizavit. Item S. Gregorius Honoratum Salonitanæ eccleſiæ archidiaconum, qui jam ex archidiaconatu ad presbyterium devenit, invito etiam epiſcopo ad priſtinum gradum reduxit, depoſito quidem eo quem idem Salonitanus epiſcopus in locum ejus ordinavit. Quapropter apertiſſime deſipiunt, ſeque reos apoſtolicæ auctoritatis efficiunt, quicumque ejus poteſtati temere præjudicant, cum cujuslibet epiſcopi ſubditos non per Romanum pontificem, ſed per proprium tantummodo antiſtitem, ligari vel ſolvi poſſe confingant. Præterea B. Leo papa, qui quartam univerſalem ſynodum Chalcedone congregavit, item Vigilius papa, ſub quo quinta univerſalis ſynodus Conſtantinopoli convenit, item beatus pater Gregorius, hi, inquam, ſinguli eadem auctoritate præcipui, pene eadem voce in decretis ſuis veriſſime teſtantur hoc modo: Sancta Romana eccleſia vices ſuas ita aliis impertivit eccleſiis, ut in partem vocatæ ſint ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Unde liquido demonſtratur, quod quilibet epiſcopus nec ſuper gregem ſibi commiſſum tantam poteſtatem habeat, * quantum præſul apoſtolicus: qui licet curam ſuam in ſingulos epiſcopos diviſerit, nullo modo tamen ſeipſum ſua univerſali & principali poteſtate privavit: ſicut nec rex ſuam regalem potentiam diminuit, licet regnum ſuum in diverſos duces, comites ſive judices diviſerit. Cum igitur Dominus apoſtolicus in omni eccleſia tam principalem poteſtatem habeat, ut etiam invito epiſcopo cujuslibet eccleſiæ quidquam in ea juxta canonicas ſanctiones poſſit diſponere, quis denegare poterit, quin ubique gentium tam ſubditos epiſcoporum, quam ipſos epiſcopos apoſtolicæ inſtitutionis contemptores damnare poſſit.

* Pio, quam.

XXIV.

His autem rationibus & hoc declaratur, quod cujuſvis epiſcopi parochianus potius Domino apoſtolico quam proprio epiſcopo obedire debet, cum auctoritas proprii nullatenus eum ab apoſtolica damnatione valeat liberare, ſi apoſtolicis præceptis inobediens extiterit. Et e contra Dominus apoſtolicus, ſi ei obedierit, eumdem ab omni violentia proprii epiſcopi facillime poterit defendere, videlicet & ipſum parochianum ejus ditione penitus emancipando, & epiſcopum ab injuria per correptionem & damnationem apoſtolica auctoritate refrenando. Attendat ſane cujuſvis epiſcopi ſubditus, ne vel proprio epiſcopo contra apoſtolica præcepta obediat in aliquo, cum S. Gregorius archidiaconum Salonitanum in locum Honorati jam depoſiti ſubrogatum depoſuerit, eo quod idem proprio epiſcopo ſe in locum illius ordinari poſt apoſtolicam prohibitionem obedierit. Hinc etiam patet quam apertiſſime illi deſipiant qui dicunt, quod ſubditi cujuslibet epiſcopi apoſtolicæ ſedi nullatenus obedire debeant, ſi proprio antiſtiti obediant, cum a S. Gregorio & ille merito degradaretur, qui & per obedientiam epiſcopi ſui apoſtolicæ ſedi adverſus fuiſſe detegitur. Nempe nullus debitam obedientiam proprio epiſcopo exhibere poterit, niſi qui apoſtolicæ ſedi principaliter obedire ſtuduerit. Omnis enim qui vult eſſe epiſcopus, hoc maxime ſubditis ſuis inculcat, ut ſanctorum patrum inſtitutis abſque omni contradictione obediant: quæ, ut prædictum eſt, apoſtolicæ ſedi principaliter ab omnibus obediendum eſſe denuntiant. Quicumque ergo ſuo legitimo paſtori debitam obedientiam exhibuerit, etiam principaliter Domino apoſtolico obedire ſtudebit. Nam juxta ipſius veritatis edictum: Diſcipulus non eſt honorandus ſuper magiſtrum. Si autem Dominus apoſtolicus proprio & legitimo paſtori jure præponitur, quanto magis illi qui nec nititur eſſe quod dicitur. Has ergo & hujuſmodi rationes quicumque, ſaltem ex rudibus, fideliter inſpicere dignabitur, nullatenus prædicta noſtri apoſtolici ſtatuta proſcribere conabitur; præſertim cum videat evidentiſſime eadem ex ſanctorum patrum ſententiis, imo ex divinis ſcripturis, emanaſſe. Præterea vero quamplures alias rationes ſuperioribus annectere, & innumerabilia ſanctorum

Matth. 16.

Ibidem.

Matth. 10.

rum patrum exempla præfatis ſtatutis aſſignare, hac conſideratione prætermiſi, ne gravis eſſem idiotis, quibus hic ſpecialiter ſatisfacere propoſui: quibus pauca ex multis tam indubitatæ veritatis ſufficere poſſunt, ſi indagandæ potius veritati, quam infructuoſis contentioni operam dare volunt. ANNO CHRISTI 1074.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

De eadem ſynodo Romana occaſione conſecrationis Hugonis Dienſis epiſcopi, quemadmodum ſupra dictum eſt, hæc habet Hugo Flaviniacenſis abbas in chronico Virdunenſi p. 196. tom. I. bibliothecæ noſtræ novæ librorum mſſ.

Cum ergo Romæ poſiti (Anſelmus ſcilicet Lucenſis & Hugo Dienſis) præſtolarentur diem conſecrationis ſuæ, venerunt nuncii regis Henrici Romam, rogantes, ne contra morem prædeceſſorum ſuorum dominus papa eos conſecrare vellet, qui epiſcopatus electionem ſolam, non autem donum per regiam acceperant inveſtituram. At ipſe convocatis cardinalibus legationem regis aperuit, & quid ſibi ad hoc reſpondendum, quid eſſet faciendum ammonuit. Quibus reſpondentibus uſum eccleſiæ hunc eſſe, hunc haberi pro lege, cum auctoritas eis nulla ad hoc ſuffragaretur, in Lucenſi tamen electo eis adquievit, ut conſecrationem eius differret, donec inveſtituram epiſcopatus ex regio dono accepiſſet. In Dienſi vero adquieſcere noluit, ſed eum prima xl. hebdomada, ſabbato in presbyterum, & dominica conſecravit in epiſcopum. Et quia vidit hoc ſanctorum patrum adverſari decretis, ut in canonica electione epiſcopi prævaleret domum regis, imo multoties ipſam electionem immutaret, vel potius irritam faceret: eodem (1) anno in Romana ſynodo 50. epiſcoporum, conſidente presbyterorum & abbatum multitudine, juxta decreta pontificalia & inſtitutiones canonicas ne hoc amplius a quoquam præſumeretur prohibuit ſub interminatione anathematis, decretum faciens in hæc verba. *Si quis deinceps epiſcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter epiſcopos vel abbates habeatur, nec ulla ei ut epiſcopo vel abbati audientia concedatur. Inſuper ei gratiam B. Petri, & introitum eccleſiæ interdicimus, quoad uſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis, quam inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ, cepit, deſeruerit. Similiter etiam de inferioribus eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus. Item ſi quis, imperatorum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet ſecularium poteſtatum, aut perſonarum, inveſtituram epiſcopatus, vel alicujus eccleſiaſticæ dignitatis, dare præſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe aſtrictum ſciat.* Sequutus eſt autem in hoc patrum exempla, licet jam per multa annorum curricula damnabilis hæc conſuetudo inoleviſſet, & in uſum converſa eſſet. Dicitur enim in VII. univerſali ſynodo a V. patriarchis & coet. patribus ſub Adriano papa habita, cap. III. Omnis electio epiſcopi, presbyteri, vel diaconi, a principibus facta, irrita maneat, ſecundum regulam quæ dicit: Si quis epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus eccleſiam per ipſos obtinuerit, deponatur & ſegregetur, omneſque qui illi communicant. Item, in VIII. univerſali ſynodo habita a V. patriarchis, ſub Nicolao I. pontifice, cap..... promotiones vel conſecrationes epiſcoporum concordans prioribus conciliis hæc ſancta & univerſalis ſynodus, electione & decreto epiſcoporum fieri conſtituit, & ſtatuit atque promulgavit, neminem laicorum principum & potentum ſemet inferere electioni vel promotioni patriarchæ vel metropolitæ, aut cujuslibet epiſcopi, ne inordinata hinc & incongrua fiat confuſio vel contentio, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtativorum laicorum habere conveniat, ſed potius ſilere, & attendere ſibi uſquequo regulariter a collegio eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri pontificis. Si quis vero laicorum ad concertandum & cooperandum invitatur ab eccleſia, licet hujuſmodi cum reverentia obtemperare aſciſcentibus. Quiſquis autem ſecularium principum & potentum, vel alterius dignitatis laicus, adverſus communem & conſonantem atque canonicam electionem eccleſiaſtici ordinis agere temptaverit, anathema ſit, donec obediat & conſentiat. Item ex concilio Nicæno cap. VI. Per omnia manifeſtum eſt, quia ſi quis præter voluntatem & conſcientiam, metropolitæ fuerit ordinatus, hunc ſanctum & magnum concilium ſtatuit non debere eſſe epiſcopum. Item ex concilio Antiocheno cap..... Si quis presbyter vel diaconus per ſæcularem dignitatem, eccleſiam Dei obtinuerit, dejiciatur, & ipſe & ordinator ejus a communione modis omnibus abſcindantur, & ſint ſub anathemate ſicut Simon magus a Petro. In electione igitur & conſecratione Domini Dienſis evidenter oſtenditur operata divinitas, quia per hanc occaſionem ſanctæ Dei eccleſiæ ſub papatu domini Gregorii multis retro annis obnubilata electionis eccleſiaſticæ ſplenduit veritas. Viderint igitur viri cordati, quid juris imperatoribus, regibus, & principibus, in electione pontificis reſervetur. Commiſit autem ei vices ſuas in Gallia, ubi plurimum ſimoniæ ſerpebat peſtis iniqua: quia perrari illic erant, qui non eſſent aut ſimoniaci, aut a ſimoniacis ordinati, aut per manum laicam inveſtiti. Plurimum illi inculcans, poteſtate data non abuti, quominus depravata corrigeret, damnanda recideret, ſancta & honeſta doceret, & docenda faceret.

AD ROMANUM CONCILIUM I.

Contra clericos ſimoniacos & incontinentes a Gregorio VII. pontifice anno 1074. Priori quadrageſimæ hebdomada celebratum.

ADDITIO.

Suppl. Mond. to. II. p. 2. Anno 1074.

Acta hujus concilii ſynopſim tantummodo exhibet Labbeus tom. XII. pag. 547. venet. edit. Acta ipſa intercidêrunt. Eorumdem actuum fragmentum licuit mihi inveſtigare in Gerboi Reichersperg enſis expoſitionibus in Pſal. ad Pſal. X. pag. 137. Continet autem fragmentum iſtud ipſos concilii canones tertium, & quartum, ut ex collatione ſynopſis eorumdem canonum intelligimus.

Gre-

(1) Imo 1075. inquit Pagius, quo primum decretum contra inveſtituras editum in Romano Concilio contendit ad an. Chr. 1075. n. 1. & ſeq.

ANNO CHRISTI 1079.

☞ *Gregorius ſeptimus dicit.*

ANNO CHRISTI 1079.

Si qui ſunt presbyteri, vel diaconi, vel ſubdiaconi, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex Dei parte omnipotentis, & ſancti Petri authoritate eccleſiæ introitum, utque dum pœniteant, & emendent. Si qui vero in peccato ſuo perſeverare maluerint, nullus veſtrum eorum audire præſumat officium: quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, Domino teſtante per Prophetam: Maledicam, *inquit*, benedictionibus veſtris. Qui vero huic ſaluberrimo præcepto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrunt, Samuele teſte, & beato Gregorio inſtruente! Peccatum ariolandi eſt non obedire, & ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere: Peccatum igitur paganitatis incurrit quilquis dum chriſtianum ſe aſſerit, ſedi apoſtolicæ obedire contemnit.

Cum vero ſecundum ea, quæ concilii hujus Patres definierant de cœlibatu ſacrorum miniſtrorum, de fornicis extirpanda literæ datæ ſint ad omnes per ordinem epiſcopos; & ex Lamberto conſtet quid in re hac ardua agendum ſibi cenſuerit Sigefridus archiepiſcopus Moguntinus, juvat ejus hac de re literas ad Gregorium papam ſcriptas dare tamquam ad res concilii hujus appendices. Servavit vero illas Udalricus in Codice num. CXXXII.

☞ EPISTOLA SIGEFRIDI MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI AD GREGORIUM PAPAM.

Hcard. to. II pag. 229.

DOmino venerabili, & patri in Chriſto amabili Gregorio primæ ſedis antiſtiti S. Moguntinus, id, quod eſt gratia Dei, debitæ obedientiæ ſubjectionem, & ſedulam obſequii devotionem. Quid cauſæ intercedat, & quid impedimenti intercipiat, quod ſacro huic ſanctæ apoſtolicæ ſedis concilio intereſſe non poſſum, ſicut jam priori legatione ſignificavi, ita & nunc ſanctæ paternitati veſtræ ex ipſa veritate denuncio, videlicet quod eodem paraliſis morbo quo tunc laborabam, non quidem remiſſus, ſed in dies auctius, acriuſque laboro. Non hoc præmitto aut faſtu ſuperbiæ, aut contemptu inobedientiæ, quem animæ morbum divina miſeratio longe faciat a me. Non enim cujuslibet negotii quamlibet maximi me retinere poſſet impedimentum, cum me ad vos non ſola ducit voluntas, ſed & ardens trahit deſiderium. Mea namque intererat, & hæc obedientiæ ratio & caritatis ordo poſcebat, ut huic conſortio ſanctorum intereſſem, & de præſentia, vel allocutione, atque de ſalutifera collatione divini patris mei Gregorii, & Chriſti ſacerdotum hilareſcens, in melius proficerem. Non pœnitendum eſſet longæ viæ, & magni laboris, quippe inde proveniret fructus magnæ ſalutis. Maximas autem grates cum humili inclinio veſtræ refero ſanctitati, quod legationi noſtræ tam clementer aurem inclinaſtis, ipſoſque legatos bene admiſiſtis, & melius dimiſiſtis, quodque placuit veſtræ ſanctitati antiquæ dilectionis, & germanæ affectionis noſtræ tam benigne reminiſci, nec in ſumma ſpeculationis arce, & in ipſa omnium eccleſiarum ſolicitudine duxiſtis prætereundum, quod olim adhuc in ipſa privata converſatione Chriſti inter nos fuerat caritate conjunctum. Primum multiplices orga me benignitatis veſtræ gratias nulla temporum longinquitate deleri, nulla unquam rerum, vel eventuum inæqualitate poterit obliterari; ſed ad hoc remedium noſtra ſedulo vigilabit induſtria, ut in hac perſeverare veſtra dignetur benevolentia. Quod autem in commonitorio veſtro poſuiſtis, me veſtræ paternitati ſecretorum imo ſalutis meæ commiſiſſe conſilium, quod alia quædam, & correctionis limam addidiſtis ad caſtigationem vitæ & morum; hoc ſemper feci & ſemper faciam, nec ab hoc opere unquam vita comite deſiſtam, & quod ibi cautum eſt, cautiſſime cavebo, & quod ibi præceptum eſt, prout vires dederit Deus, pleniter adimplebo. Et ſi aliter de me alicujus adverſantis vobis ſuggeret relatio, noverit ſanctitas veſtra, quod unitatem ſcindere & caritatem corrumpere ſuo mendacio conetur, niſi forte hoc acculet quod aliquando illud, quo me caſtigo, frenum diſciplinæ aliquantum laxare conſilio fratrum compellor cauta medicinæ. Porro quod de examinandis Epiſcopis, quos mihi nominaſtis, & introitum eorum & converſationem diligentiſſime inquirere, & per nuncios noſtros vobis inſinuari mandaſtis, perpendat vigilans ille oculus ſapientiæ veſtræ, quod a reditu legatorum noſtrorum uſque ad hanc iteratam legationem, non tantum erat temporis interſtitium, ut vel fratres colligere vel examinationis etiam poſſem habere judicium, non aliud ſuper hac re adhuc vobis de his intimare valeo, quam quod vel vos ſcitis vel communis habet opinio. Verum literas veſtras illis quantocius direxi, & ut mandatum veſtrum impleant, etiam noſtris literis diligenter ſubmonui. De pœnitentia autem Strasburgenſis Epiſcopi nihil certi poſſumus vobis reſpondere, quod nec, ſi ei injuncta eſſet, antehac ſcivi, nec, ſi eam obſervet, propter temporis compendium inquirere potui. De caſtitate vero clericorum & de ſimoniaca hæreſi, ad ſummam de omnibus, quam mihi mandaſtis, ſemper, prout ipſe adjuverit, obediam Deo & vobis. Erit autem apoſtolicæ manſuetudinis & paternæ dilectionis, ſi ad fratres mandata dirigere eccleſiaſtica, ut & temporum opportunitates & ſingulorum poſſibilitatem dignemini inſpicere, ut & deviantibus & diſcolis adhibeatur diſciplina quæ debetur, & infirmis & opus habentibus medico compaſſio caritatis non negetur, ſæpeque examinatis negotiorum cauſis adhibeatur judicii cenſura, ut apoſtolicæ diſcretionis & paternæ pietatis modum non excedat juſtitiæ menſura. Sacrum apoſtolatum veſtrum pro nobis orantem Samarites ille cuſtodiat, qui in cuſtodiendo ſuum Iſrael non dormit neque dormitat, & diviſiones gratiarum, quas in clave Petri adunavit, ipſe in vobis unitas integraſque conſervet, qui ipſam clavem vobis commiſit.

ANNO CHRISTI 1074.

EJUSDEM AD EUMDEM.

SPecialis reverentiæ patri Gregorio primæ ſedis antiſtiti S. Moguntinus id quod eſt Dei gratia, quod patri filius, quod prælato ſubjectus. Adhibito deſidiæ paſtorum & negligentiæ ſacræ exhortationis & ammonitionis incitamento, vigilantia paſtoralis officii veſtri, mi reverende pater, nos quia de ſomno excitavit, & ut opus evangelii, ad quod ſervi patris familias deputati ſumus, indeſinenter curemus implere, quam ſtudioſe incitat, tam religioſe invitat. Sacra namque eſt pia ſollicitudo providi paſtoris, beata & renumerabilis executio hujus divini operis, ſed heu multum reclamat rerum vertipo, & iniquitas temporis. At vero ſi dies mali ſunt, tamen ammonita veſtra vigilanti cautela tempus redimendum eſt, ne ſi propter auræ intemperiem vineam Domini culturare deſiſtat, de negligentia condemnetur quilibet inutilis operarius, & ſi tempeſtas hodie ingruit quæ nos ab opere repellat, cras cœlitus reddita ſerenitate ſtudium nimirum in id ipſum recurrat. Itaque indixit auctoritas veſtræ ſanctæ paternitatis, ut ſtatuta die collectis fratribus ex apoſtolicæ legationis mandato Concilium debeamus celebrare, & quicquid in provincia aut in regno noſtro vel per ſimoniacam hæreſin vel quomodocunque contra regulam eccleſiaſticæ rectitudinis perperam geſtum aut male uſurpatum vel temere præſumptum occurrerit judicio fratrum recidere non differamus falce juſtitiæ. Quod præcipitis mihi, pater, æquum eſt & juſtum, & hoc per provincias bis in anno fieri mandant decreta ſacrorum canonum; ſed ad quod decretorum auctoritas & veſtra paternitas impellit, ad hoc & rerum inæqualitas & hujus maligni temporis importunitas nos longe repellit. Denique auditum credimus veſtræ paternitati, quantus in regno noſtro motus, quanta ſit perturbatio, quam periculoſe bella graſſantur & ſeditiones, ſicut audivimus in evangelico. Auditum, inquam, credimus vobis de bello, quod a Domino noſtro rege factum eſt contra Saxones & Thuringos, & quomodo dextra Domini proſtraverit & fugaverit rebelles & impios, & tamen adhuc in eadem obſtinatione perdurant etiam vicți, & iterum perfidiæ caput levant, ac totius regni gladios contra ſe acuentes iterum recidua bella parant. Unum timemus, quod pro peccato populi de vagina ſua eductus ſit gladius Domini, & tamen per noſtram aliorumque ſanctorum propitietur interceſſionem, forſitan deſæviet uſque ad internecionem. Soluto namque pacis vinculo & rupto diſciplinæ freno, gens inſurgit contra gentem de terminis regni. Hoſtilis gladius exterminavit concordiam & pacem, & ita obmutescentibus evangelii tubis, nec præco clamoris vocem, nec populus habet audiendi aurem. Hoſtili præda & pervaſione magna ex parte diſperit res & reditus Epiſcopi noſtri, & hoc idem patiuntur plurimi fratres noſtri, neque hæc rerum anguſtia eos patitur venire ad concilium. Huc accedit, quod plures coepiſcopi noſtri, qui ad concilium vocati ſunt, non ſunt in gratia principis, nec uſquam audent progredi ſine diſpendio ſalutis ſuæ. Et ſi conſideremus eos epiſcopos, qui accuſantur, & eos qui adeſſe non audent, ſi concilium congregetur, vix inveniuntur, qui judicent. Accedit hic etiam ad cumulum noſtri timoris & exaggerat vim noſtri doloris, quod ſi de diverſis immo adverſis regionibus ad Concilium convocentur, qui ad invicem inimicantur, dum putamus nos colligere ad concilium fratres, paratas habeamus acies ad bellum: & dum corrigendis erroribus & ſopiendis querelis in unam tendimus pacis eccleſiaſticæ communionem, forſitan, niſi Deus proſpiciat, conventus noſter turbabitur uſque ad internecionem. Recordetur autem ſanctitas veſtra, quod propter Wultenſem abbatem aliquando contigerit Goslariæ, quot boni milites in ipſa veſpera Pentecoſtes gladio perempti ſunt intra ſepta eccleſiæ, perfuſa ſunt altaria ſanguine interfectorum, & inſtigante diabolo totum profanatum eſt ſanctuarium. Et tunc certe omnes convenerant ad curiam ſub ſpecie pacis, niſi quod inter eos latebat quædam ſimultas, quaſi doloſo cineri ſuppoſitus ignis. Et quid credimus futurum, ſi illi, qui aperte inimicantur, congregentur in unum? Pro his & pro hujuſmodi fratres noſtri, qui ſunt ſanioris ſententiæ, dicunt ſibi bonum videri, ut adhuc Concilium differatur, donec videamus, ſi quomodo reddita pace Dominus propitietur. Nos autem omnibus conſiliis & conciliis veſtram præferimus ſententiam, id quod nobis indicitis nullo modo propter veſtram obmittemus conſcientiam. Unde ſtatim poſt regiam expeditionem multa cum feſtinantia noſtram vobis dirigemus legationem, nec ad hoc intemperiem conſideramus anni, ut advertatis, quanti nobis conſtet auctoritas præcepti veſtri. Ergo ſapientia veſtra, quæ in ſe ipſa cuncta metitur, retractet, quis hujus perturbationis provenire poſſet eventus; & pericula, quæ timemus, conſilio & oratione præveniens diſponat in melius, & quicquid dictante Spiritu ſancto ſuper hujuſmodi fieri decernitis, nobis de oraculo ſacri pectoris veſtri reſpondere velitis. Quod ſi probatis, propter pericula, quæ timemus, ad præſens indictum concilium differatur, & quidnam vobis placuerit, & opportunitas evenerit, celebretur in id ipſum.

ANNO CHRISTI 1074.

CONCILIUM ROMANUM II.

Anno 1074. *circa Feſtum S. Andreæ habitum*

Anno 1074.

QUamvis multa dicta ſunt a Collectoribus de Conciliis ſub Gregorio VII. habitis, nemo tamen hucuſque commemoravit concilium ſecundum anni 1074. circa feſtum S. Andreæ habitum, de quo Gregorius ipſe in epiſtola ad Cunipertum Taurinenſem epiſcopum Regiſt. lib. II. epiſt. XXXIII. his verbis *Vocatus ad Synodum, quam circa feſtivitatem S. Andreæ celebravimus, venire contempſiſti*. Data eſt epiſtola *II. id. Decembr. indict. XIII.* Ibi forte agitata eſt cauſa de connubio Azonis cum Mathilde celebri Tuſcia comitiſſa quarto propinquitatis gradu ſibi conjuncta, qua de re in Epiſt. XXXV. lib. II. & epiſt XXXVI. *ibid.*

CON

ANNO CHRISTI 1074.

CONCILIUM PARISIENSE

In cauſa presbyterorum conjugatorum Anno circiter 1074. tempore Gregorii VII. celebratum.

Anno 1074. *EX actis S. Galterii Abbatis Pontiſaræ a Monacho ejus diſcipulo conſcriptis Bolland. ad diem VIII. Aprilis cap. 2.*

Pariſiis congregato concilio omnes fere tam epiſcopi, quam abbates, & clerici cenſerent domni apoſtolici ſanctæ memoriæ Hildebrandi juſſioni non eſſe parendum, dicentes, falſoque aſſeverantes, importabilia ejus eſſe præcepta, ideoque irrationabilia, coram omni multitudine dixit: *Conſtat vos indecentem, & ab omnibus refutandam deſinere velle ſententiam: juſte enim, ut ait b. Gregorius, an injuſte obliget paſtor, paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt, ne is, qui ſuus eſt, & cauſis injuſtis forſitan ligatur, ipſum obligationis ſuæ poenam ex alia culpa mereatur. Nec debet quiſquam paſtoris ſui judicium temere reprehendere; ne etſi injuſte forſitan ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat.* His dictis, vehementer ira ſuccenſi qui aderant adverſus Dei famulum, mancipia regis ſuo iceleri conjungentes, exclamanteſque omnes in una conſpiratione conſurgunt, ipſum de concilio rapiunt, A trahunt, impingunt, colaphizant, conſpuunt, multiſque contumeliis affectum, ad domum regis perducunt. Sed vir Dei viriliter hæc pro Dei amore ſuſtinens, immobilis perſtitit, mortemque minantibus hilari voce reſpondit: Malo mortem pro veritate ſuſtinere, quam falſitati turpiter cedere. O quantis votis, quibus precibus tuam, Domine Deus, magnificentiam exoravit, quatenus ſanctorum martyrum tuorum ſociaretur numero, quibus jam ſociatus erat meritis. Bonum erat ei, Domine, hujus lutei vaſis deponere ſarcinam, ut perpetuam poſſit adipiſci coronam. Verumtamen, Domine, adhuc famulum tuum, B eccleſiæ tuæ profuturum, reſervare diſponebas; ideoque coronam tantis votis exoptatam differebas. Quorumdam igitur optimatum, qui eum prius noverant, & dilexerant, virtute vir Dei de loco, in quo cuſtodiebatur, eripitur, & eccleſiæ ſuæ cum honore redditur. Longum eſt enarrare per ſingula, quæ & quanta pro veritate ſuſtinuerit pericula, quæ verborum, conviciorumque venenata toleraverit jacula.

ADNOTATIO COLLECTORIS.

Ad hoc concilium ita olim ego adnotavi in meis ad Pagium adnotationibus ad annum 1074. 4.

COnſtitutionem in hoc concilio Romano latam de non auſcultanda miſſa ſacerdotum concubinariorum turbas excivit non in Germania tantummodo, ſed & apud Gallos, qui Pariſiis in concilium coeuntes ea in re pontifici parendum non eſſe, quod difficilia juberet, ſtatuerunt. Meminit concilii hujus uterque vetuſtus auctor vitæ S. Galterii Abbatis S. Martini juxta Pontiſaram, qui addit S. Abbatem reſtitiſſe epiſcopis illis, pontificiamque conſtitutionem ſtrenue defendiſſe. Porro concilium iſtud P. Harduinus in ſua collectione idem ipſum cenſet Pariſienſe concilium habitum anno 1091. vel 92 cujus mentio ſupereſt in diplomate Philippi regis a P. Labbeo recitato. Sed præterquamquod diploma illud ſuſpectum eſt PP. Bollandianis in Propyl. ad Tom. I. Aprilis num. 65. vix credo Gallicanos epiſcopos tamdiu diſtuliſſe admittere, vel rejicere ſanctionem pontificiam habitam anno 1074. Rationi igitur potius conſonum arbitror, hoc ipſo anno, quo Romæ prodiit Gregorii conſtitutio, in concilio Pariſienſi eodem tempore celebrato, de illa deliberatum fuiſſe. Quod autem conſtitutio hæc potiſſimum diſplicuerit Gallicanis PP. licet non ſatis perſpicue explicat auctor coævus in vita ejuſdem Sancti; id tamen ſupplet alius vetuſtus auctor ejuſdem vitæ, qui aſſerit diſſidii hujus argumentum fuiſſe *mandatum Hildebrandi de non audienda Miſſa presbyteri habentis concubinam*. Vide utramque vitam apud Bollandiſtas ad diem 8. Aprilis. Concilium iſtud diligentiam collectorum adhuc deſiderat.

CONCILIUM APUD S. GENESIUM IN CAUSA S. ANSELMI EPISCOPI LUCENSIS,

Contra Lucenſes canonicos celebratum, anno Domini MLXXIV. tempore Gregorii papæ VII.

Acta concilii qua? DE rebus in hac ſynodo geſtis ex ſcriptore quodam anonymo presbytero pœnitentiario apud Baronium hæc recitantur: *Convenerunt ergo quamplares iteram epiſcopi apud ſanctum Geneſium, quod caſtrum a civitate Lucana non multum diſtat: inter quos reverendiſſimus Albanenſis epiſcopus nomine Petrus*, Igneus cognomento dictus, *vicem domini papæ agebat, qui cum eodem Lucenſi epiſcopo ſancto Anſelmo, & cum reliquis omnibus, conſpiratores illos excommunicavit. Unde inſedabiliter illi dolentes & indignantes, totam civitatem malitioſe E commoverunt, atque freti auxilio perditiſſimi hominis quondam dicti Henrici regis, religioſiſſimum epiſcopum a civitate repulerunt, ſed & prædictæ dominæ Mathildæ rebelles penitus facti ſunt. Hujus itaque conſpirationis nefariæ caput & princeps fuit quidam nomine Petrus, falſa profeſſione canonicus, ordine damnationis ſuæ ſubdiaconus, mente ſuperbus, incontinens moribus, verbis procax, corpore incompoſitus, vir ſanguinum, & fomes omnium ſpurcitiarum, qui propter immenſitatem malitiæ ſuæ factus eſt ſubito contumax præco Henricianæ tyrannidis.*

ANNO CHRISTI 1079.

AD CONCILIUM AD S. GENESIUM

In tractu lucanæ ditionis, anno ut inſcribitur 1079.

ADNOTATIO CHRONOLOGICA.

Mans Suppl. T. II. pag. 14.

DE concilio ad S. Geneſium in Lucenſi ditione ex Binio agit Labbeus; ſed nec cauſam illius habendi ſatis explicat, nec annum, quo convenit, attingit. Ita porro res habuit ſeſe. Lucam venit S. Gregorius VII. cauſaque adventus ea fuit, ut Henrici Italiam invadentis furorem declinaret, quod ex Domnizone in vita Mathildis ad annum 1077. Wadingus in notis ad vitam S. Anſelmi Lucenſis refert. Ibi rogatus ab epiſcopo S. Anſelmo, cathedralis eccleſiæ canonicos de communi vitæ inſtituto amplectendo, quod illis dudum injunxerat S. Leo IX. papa admonuit. Illi tunc quidem ſe parituros ſpoponderunt. Dein recedenti ex urbe ſua pontifici negarunt obſequi. Ut id reſcivit pontifex, diem illis dixit primo quidem ad feſtum omnium Sanctorum, deinde termino prorogato ad concilium Romanum, quod anno 1078. exeunte novembri celebratum eſt. Hæc omnia diſcimus ex epiſtola Gregorii lib. VI. epiſt. XI. ad canonicos S. Martini, quæ ſynodica eſt, ſignaturque *Romæ* IV. Kal. Decembris, indictione II. id eſt anno 1078. In ea ſynodo juſſi ſunt commune illud vitæ inſtitutum amplecti, decreta in refractarios ultione. Tumultuari tunc ex canonicis quidam, & in ipſum ſanctum epiſcopum ſuum conſpirare; cujus criminis merito ad Romanam ſynodum anni, ut arbitror, 1079. vocati, cum non paruiſſent, *judicio totius ſanctæ ſynodi curiæ ſæculari traduntur*: verba ſunt Pœnitentiarii in vita S. Anſelmi, quibus auctoritas accedit ex epiſtola anni 1079. Kal. Octobris S. Gregorii VII. lib. 7. ep. 2. id ipſum narrante. *Quam ob cauſam* (ſcilicet ob pœnam in Concilio relatam) *triſtes, præter quam credi poteſt, etiam adverſus ipſam* (Mathildem celebrem Tuſciæ comitem) *quotquot potuerunt, conſpirare fecerunt. Convenerunt ergo quamplures iterum epiſcopi apud S. Geneſium, quod a civitate Lucana non multum diſtat, inter quos reverendiſſimus Albanenſis epiſcopus nomine Petrus* (Igneus ille eſt) *vicem domini papæ agebat, qui cum eodem Lucenſi epiſcopo S. Anſelmo, & cum reliquis omnibus conſpiratores illos excommunicavit.* Ita Pœnitentiarius in vita S. Anſelmi. Quam eorum ſententiam S. Gregorius VII. in eadem, de qua ſupra, epiſtola, data Romæ Kal. Octobris indictione III. id eſt anno 1079. firmam, ratamque eſſe juſſit. Hinc ſynodi ad S. Genneſium cogendæ cauſam, & tempus deducas.

ANNO CHRISTI 1074.

CONCILIUM ANGLICANUM

QUO SANCTUS VULSTANUS (1) DEPONITUR,

Anno Domini MLXXIV. tempore Gregorii papæ VII.

Acta Concilii quæ.

IN rebus geſtis ſancti Vulſtani apud Surium tomo 19. die Januarii legitur, quod hoc anno 1074. habita fuerit in Anglia ſynodus, qua injuſto judicio ſynodali depoſitus eſt ſanctus Vulſtanus, quem magno miraculo ipſe Deus paulo poſt ſedi ſuæ reſtituit.

SYNODUS IN ERPHORDIA

Sub Sigefrido, Moguntino Archiepiſcopo. Anno Chriſti MLXXIV.

Ex mandato Gregorii VII. publicantur Romana decreta contra Simoniacos & Presbyteros conjugatos Curienſis Epiſcopus deſtinatur Nuntius Papæ ad Synodum.

Ex Harthzheim Conc. Germ. tom. III. ex Trithem. in Chron. Virſaug.

EODEM ferme tempore Sifridus Archi-Epiſcopus Moguntinus ex mandato Gregorii dicti Pontificis VII. Synodum contra Simoniacos, & Presbyteros conjugatos, & concubinarios, ſeu fornicarios celebravit in Erphordia, in qua Clericos omnes ſub anathematis vinculo conſtrinxit, ut uxoribus, & concubinis dimiſſis cælibatum continentiæ cuſtodirent. Verum hac novitate Sacerdotes, & Clerici nimium commoti, & in ſeditionem verſi, contra ipſum Archiepiſcopum conſpirantes, ſemel, & ſecundo illum interficere tentabant: Quæ res, cum ad ejus notitiam certo perveniſſet indicio, ut a malo furioſos revocaret propoſito, vitamque ſuam in tutiore locaret, dixit interim in Synodo congregatis, quod literis ſuis difficultatem hujus negotii auribus vellet intimare Apoſtolicis, cujus ſe confideret, poſſe mutare ſententiam. Quod cum feciſſet per literas, & nuntios; Papa in ſua fixus ſententia perduravit. Et Curienſem Epiſcopum ad Synodum Erphordienſem Thuringiam nuntium, & Le-

(1) Hoc contigit anno 1070. in Concilio Londinenſi, de quo ſupra; unde perperam hic novum Anglicanum Concilium fingitur.

☞ & Legatum ſuum deſtinavit; per quem prænominato Archiepiſcopo ſeriosus præcepit, ut omnes Clericos ſuæ Provinciæ, vel concubinas fo-
ANNO CHRISTI 1074. ventes, ab omni dignitate ſacerdotali ſeponeret, & nulla ratione cum aliquo diſſimulare præſumeret. Cum ergo Curienſis Epiſcopus nomine Apoſtolici legatus veniſſet in ſynodum ut Papæ coram omnibus factum Archiepiſcopo intimaret præceptum, tanta in eum mala comminati ſunt omnes, ut vix manibus temperarent. Qui fuga lapſus ad ſuam eccleſiam, auxilio Sifridi Archiepiſcopi, rediit. Hoc tamen ab eo tempore fuit introductum, ut nullus ordinaretur in Presbyterum conjugatus; & ordinandi omnes caſtitatem promittere compellantur coram ordinante.

Cauſas & tumultus ex hac Synodo ortas ſic refert Schaffnaburgenſis.

HIldebrandus Papa cum Epiſcopis Italiæ conveniens, jam frequentibus Synodis decreverat, ut ſecundum inſtituta antiquorum Canonum Presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur. Ne quiſquam omnino ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cælibem profiteatur. Hoc decreto, per totam Italiam promulgato, crebras literas ad Epiſcopos Galliarum tranſmittebat, præcipiens, ut ipſi quoque in ſuis Ecclesiis ſimiliter facerent: atque a contubernio Sacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate reſecarent. ANNO CHRISTI 1074.

Adverſus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum: Hominem plane hæreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait: *Non omnes capiunt hoc verbum: Qui poteſt capere, capiat.* Et Apoſtolus: *qui non continet, nubat; melius eſt enim nubere, quam uri:* violenta exactione vivere homines cogeret, ritu Angelorum; & dum conſuetum curſum naturæ negaret; fornicationi & immunditiæ fræna laxaret. Quod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe Sacerdotium, quam conjugium deſerere: & tunc viſurum eum, B cui homines ſorderent, unde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelos comparaturus eſſet.

Nihilominus Papa inſtabat, & aſſiduis legationibus Epiſcopos omnes ſocordiæ ac deſidiæ arguebat; & niſi ocius injunctum ſibi negotium exequerentur; Apoſtolica cenſura in eos animadverſurum comminabatur.

Archiepiſcopus Moguntinus, ſciens non parvo conſtare operam hanc ut tanto tempore inolitam conſuetudinem revelleret .... moderatius agebat cum Clero, & primo eis in dimidium annum inducias, & deliberandi copiam dedit, hortans eos, ut, quod neceſſario faciendum ſit, ſponte faciant.

ANNO CHRISTI

SYNODUS ROTOMAGENSIS,

ANNO CHRISTI

Ex Beſſin Concil. Rotomag. Prov. par. 2. p. 19.

In qua * Joannes Archiepiſcopus impudicos presbyteros magno zelo redarguens, ab iis lapidibus impetitus eſt.

* Joannes fuit Archiep. Rotomagenſ. ab an. 1069. ad 1079.

De eo hæc Ordericus lib. 4 pag. 517. Joannes itaque metropolitanus Rotomagenſis factus eſt. Hic ardore virtutum in verbis & operibus multipliciter fervebat, nimioque zelo in vitia ut Phinees ſæviebat. Decem itaque annis Metropolitanum regimen fortiter & diligenter geſſit. C multumque contra impudicos presbyteros pro auferendis pellicibus laboravit: a quibus dum in ſynodo concubinas eis ſub anathemate prohiberet, lapidibus percuſſus aufugit, fugiensque de eccleſia, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, fortiter clamavit.

☞ REMENSE CONCILIUM

ANNO 1074. CELERATUM.

Abbatia Maurimontis inſtauratam ab Jodofrico præpoſito & Canonicis Remenſis Eccleſiæ Monachis confirmat Manaſſes archiepiſcopus Remenſis.

Gall Chriſt T. X. p. 156.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego Manaſſes gratia Dei Remorum archipræſul, notum fieri volui tam præſentibus quam futuris fidelibus qualiter mihi placuerit corroborare & confirmare pium ſtudium filii noſtri Udalrici Remenſis noſtræ Eccleſiæ præpoſiti, quod Deo inſpirante, tempore noſtri prædeceſſoris G. uſque ad noſtra tempora vidimus illum ſuper renovanda Maurimontis eccleſia infatigabiD lum unius Sacerdotis, qui raro acceſſu reliquiis SS. Martyrum Callocerii & Parthemii ibi negligenter poſitis famularetur. Quorum Sanctorum Martyrum negligentiæ & eorum abbatiæ deſtructioni zelo pietatis hic filius noſter compatiens cum conſilio jam dicti Præſidis & Canonicorum conſenſu hanc ei loco perquiſivit & fecit reparationem, ut ibi conſtitueret Monachos, qui jugiE ter Deo & SS. Martyribus deſervirent. Ad quorum uſus & victum terras quas antiquitus eadem eccleſia poſſederat, eas quidem reddiderunt Canonici S. Mariæ quæ infra ſunt annotatæ; ſcilicet *Habancort* cum tribus manſis terræ cum prato dominicato & ſylva magna, inter Viaſnam & *Berzil* manſi VI. & dimidius in poteſtate Maurimontis manſi V. ſuper biunnam manſus unus, ad ſuminam turbam terræ quæ reddit ſex modios

dios annonæ, ad Crucem terra quæ ſolvit dena- A Monachis Maurimontenſibus, tanquam propriis
rios XII. ad Arvam terra multa; ad Moviam filiis, quos velut mater filios educare cupiebant, ANNO CHRISTI 1075.
ANNO CHRISTI 1075. manſi duo; ad Burdones mantus unus cum fa- ut ad eorum ædificia ſeu cætera neceſſaria cœ-
milia multa. Conceſſerunt etiam Canonici mo- nobii ſui, ſi quando neceſſitas ſe ingereret, de
nachis de propriis S. Mariæ bonis, quæ pariter terris S. Mariæ acciperent ſine aliquo cenſu vel
aſſignata videntur, ſcilicet eccleſiam de Mauri- coſtumia danda, illas tantummodo quæ cultori-
monte & partem de ponte ſuam, qui eſt in po- bus vacant, nec aliquem redditum miniſtrant.
teſtate Maurimontis. Reddiderunt præterea Ca- Noſtro quoque tempore rebus ipſis abbatiæ mul-
nonici Monachis paucam familiam unanimi con- tiplicatis expetitione prædicti filii noſtri P. unum
ſilio & fraterna pietate, concedentes & ſtatuen- de Monachis ejuſdem loci canonice electum feci-
tes quod non liceret præpoſito S. Mariæ aliquam mus in abbatem benedicti, noſtraque auctoritate
exactionem vel poteſtatem exercere, vel in jus B firmavimus, & firmatum ſancimus, ut quidquid
vocare homines Sanctorum Martyrum C. & P. idem filius noſter P. præſenti ſcripto pia devo-
pro qualicumque fore facto, niſi de redditibus tione diſtinxit, id obſervandum permaneat perpe-
terræ S. Mariæ, illos etiam ſolummodo, qui in tuitate inviolabili. Quod ſi quis hæc pervertere,
banno S. Mariæ morarentur. Retinuerunt autem diminuere, vel aliquo modo violare præſumpſe-
ſibi Canonici in jus perpetuum, quod modernis rit, illo quo Deus iratus percutit, anathemate
& poſteris voluit fieri manifeſtum, quod ſcilicet feriatur. Anno ab Incarnatione Domini 1074.
præpoſitus S. Mariæ homines S. Mariæ in banno Indictione XII. XII. Kal. Novembris, Epacta pri-
SS. Martyrum C. & P. morantes poterit pro qua- ma, regnante venerabili rege Philippo. Hanc
licumque cauſa capere querelare in jus vocare chartam in generali Synodo Remis corroboratam
ante ſe, ſine infractione banni. Iſtud etiam poſ- & confirmatam, ego Udalricus ſcripſi & ſub-
ſunt exercere Monachi in banno S. Mariæ. Con- ſcripſi.
ceſſerunt denique ſæpedicti Canonici S. Mariæ

a (1) CONCILIUM ROMANUM II.

Pro reformanda eccleſia celebratum, anno Domini MLXXV. tempore Gregorii papæ VII.

ANno ab incarnatione Domini * milleſimo C ſeptuageſimoquarto, pontificatus vero Domini Gregorii papæ * ſecundo, indictione 13. celebravit ipſe dominus Gregorius papa Romæ ſynodum a ſexto Kalendas Martii uſque ad pridie Kalendas * præteriti menſis. Ubi interfuit archiepiſcoporum, epiſcoporum & abbatum multitudo, atque diverſis ordinis clericorum & laicorum copia. In qua inter cætera decreta quæ ibi geſta ſunt, quinque de familia regis Teutonicorum, quorum conſilio eccleſiæ * venduntur, a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſeparavit, ita ut ſi abinde uſque ad Kalendas Junii Romam non venirent, & ſatisfacerent, excommunicati haberentur. Philippus rex Francorum, ſi nuntiis papæ ad Gallias ituris de ſatisfactione ſua & emendatione ſecuritatem non fecerit, habeatur excommunicatus. Liemarum Bremenſem archiepiſcopum pro inobedientia ſuperbiæ ſuæ ab epiſcopali officio ſuſpendit, & a corpore & ſanguine Domini interdixit. Guarnerium Strazburgenſem ab epiſcopali & ſacerdotali officio ſuſpendit. Henricum Spirenſem ſuſpendit: Herimannum Bambergenſem, ſi ante paſcha non venerit ſatisfacturus, ſimiliter ſuſpendit. Item in Longobardia Guilielmum Papienſem & Cunibertum Taurinenſem ſuſpendit. Dionyſium Placentinum depoſuit: Robertum ducem Apuliæ jam anathematizatum, & Robertum de Loritello invaſores bonorum ſancti Petri, excommunicavit.

* non a natali Domini, ſed a die annuntiationis Virginis, & incarnationis Verbi, cum more regni annum ita dictum eſt ſuperius.

* Tertius autem incipit hoc anno die 22. Aprilis.

* ſequentis & vendebantur.

NOTÆ SEVERINI BINII

a *Concilium*.) Ad reformandam eccleſiæ diſciplinam Gregorius anno 1074. ſynodum indixit, exordio quadrageſimæ anni 1075. celebrandam, ad quam vocavit imprimis longius ciſtantes Britannicæ epiſcopos & abbates. Tullenſi mque epiſcopum de ſimonia & cohabitatione cum muliere, quam haberet ut conjugem, diffamatum. Iſembertus Pictavenſis epiſcopus, qui per milites ſuos ceciderat in epiſcopos cauſam inceſtuoſi comitis cognoſcentes, eorumque quoſdam verberibus, quoſdam contumeliis affecerat, ab officio ſuſpenſus, juſſus eſt Romam venire, ſicut etiam Benno Oſnaburgenſis epiſcopus & abbas Corbeienſis inter ſe litigantes. Citavit etiam Liemarum Bremenſem archiepiſcopum ob cauſam ſupra enarratam. Sigefridum Moguntinum archiepiſcopum cum omnibus ſuis ſuffraganeis epiſcopis eidem ſynodo aſſiſt re præſentes mandavit. Ab Henrico rege per literas petiit, ut legatos ad ſynodum mittat, illoſque non audiat qui diſcordias inter ſe ſeminant. Cunibertum Taurinenſem epiſcopum, qui de invaſo monaſterio ſs. Aurelii accuſabatur, juſſit etiam advenire, ſicut etiam Guilielmum Papienſem ob cauſam divortii inter Azonem & Mathildem. Hugonem militem, qui bona Taurinenſis eccleſiæ invaſerat ad reddendam rationem citavit. Ea quæ ſupra de Herimanni Bambergenſis epiſcopi ſuſpenſione, & Dionyſii Placentini epiſcopi depoſitione, in actis ſynodalibus recenſentur, inveniuntur etiam apud Gregorium libri 2. epiſtola 54. & 76. & libri tertii epiſtola 3. In eadem ſynodo compoſitas fuiſſe diſcordias inter Pragenſem & Moravenſem epiſcopos declarat Gregorii epiſtola 93. libri 2. Conſtituta ſynodalia per univerſum orbem promulgari mandavit, ſcriptiſque ad ſanctum Annonem Colonienſem & Sigefridum Moguntinum epiſcopos epiſtolis voluit ab iiſdem congregatis in ſua dioeceſi conciliis, ea præcipue quæ de continentia clericorum & pravitate ſimoniaca corrigenda decreta & conſtituta fuerant, promulgari. Baronius anno 1075. numero 20. & ſequentibus.

Qui ad eo cilium voc

Acta Concilii quæ?

CON-

(1) In hoc Concilio editum fuiſſe primum contra Inveſtituras decretum docet Pagius ad ann. Ch. 1075. n. 1. & ſeqq.

ANNO CHRISTI 1075.

CONCILIUM MOGUNTINUM

IN QUO ROMANÆ SYNODI DECRETUM

Contra clericos concubinarios juſſu Gregorii papæ eſt promulgatum, anno Domini MLXXV.

A quo quove collectum hoc ſynodus ſedita.

EX Gregorii pontificis epiſtola quarta libri tertii ad Sigefridum Moguntinum archiepiſcopum ſcripta conſtat, quod pontifex poſt abſolutam Romanam ſynodum ea, quæ de continentia clericorum, ac de corrigenda ſimoniaca pravitate Romæ conſtituta fuerant, per diœceſim Moguntinam epiſcopis ac clericis omnibus inſinuari voluerit: Sigefridum autem archiepiſcopum eidem præcepto paruiſſe, ſynodum Moguntiæ congregaſſe, conſtitutionem apoſtolicam epiſcopis ſuis ſuffraganeis & clericis omnibus intimaſſe, nihil vero profeciſſe, teſtatur Lambertus his verbis: *Synodum autem hoc eodem anno menſe Octobris Moguntiæ congregavit, ubi inter alios epiſcopos qui convenerant aderat Curienſis epiſcopus, apoſtolica A ſedis literas & mandata deferens, quibus ei ſub interminatione gradus & ordinis ſui præcipiebat, ſicut antea quoque multis legationibus præceperat, ut presbyteros omnes qui intra ſuam diœceſim eſſent cogeret, aut in præſentiarum conjugibus renuntiare, aut ſe in perpetuum ſacri altaris miniſterio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes qui undique aſſidebant clerici, ita eum verbis confundebant, ita manibus & totius corporis geſtu in eum debacchabantur, ut ſe vita comite e ſynodo diſceſſurum deſperaret. Sic tandem rei difficultate ſuperatus, ſtatuit ſibi deinceps tali quæſtione omnino ſuperſedendum, & Romano pontifici relinquendum, ut cauſam quam ipſe toties inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum quando & quomodo vellet peroraret.*

CONCILIUM BENEVENTANUM.

In quo confirmatum jus abbatiæ ſanctæ Sophiæ in duas eccleſias anno Domini MLXXV.

Ex Lobbei Append. Tom 10. Editis Ughelli, tom 8 p. 331. & 510. Emendatius vero ab Emo Card. Baronio, in Synodico Benevent. p. 55 quem noſtra ſequimur H.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Domini æterni, & in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXV. domino Gregorio VII. ſummo Pontifice Romano, ſecundo anno pontificatus ſui feliciter præſidente. Cum ego Milo Domini nutu Beneventanæ provinciæ archiepiſcopus, primo anno noſtri præſulatus, more eccleſiaſtico ſolemniter ſynodali auctoritate in baſilica ſanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ agerem, una cum Godefrido Tereſano epiſcopo, ſeu cum epiſcopis & abbatibus ad noſtram diœceſim pertinentibus, pariter nobiſcum venerabiliter reſidentibus: ſcilicet Bernardo Agathenſi, Alberto Bobiathenſi, Petro Guardenſi, Rutgero Civitatenſi, Gilberto Teleſinenſi, Mainardo Arianenſi, Joanne noſtræ eccleſiæ archipresbytero, Alberto abbate ſancti Modeſti, Laurentio Neapolitano, Savino abbate ſancti Lupi; nec non domino Landulpho principe, & Stephano Schuldachis, cæteriſque nobilibus Beneventanis, cum pluribus pondus teſtimonii habentibus.

Inter alia vero quæ hinc inde agebantur & * reſervabantur, Madelmus cœnobii ſanctæ Sophiæ abbas ſurrexit in medio conventus, & proclamavit ſuper epiſcopum Draconarii, nomine Campo, pro duabus eccleſiis ad prædictum monaſterium ſanctæ Sophiæ pertinentibus: quarum altera dicitur ſancta Maria in Alcino; altera vero ſancti Benedicti in eadem civitate ſua. Ad hæc epiſcopus Campo de hoc negotio requiſitus, reſpondit: olim quidem majorumque noſtrorum tempore illas prædictas eccleſias duas ad præfatum monaſterium vere pertinuiſſe per quædam munimina: ſed poſtea furata fuiſſe, & taliter jam dictas eccleſias ad ſuum jus redactas fuiſſe, & uſque modo jure tenuiſſe.

Tunc prædictus abbas protulit præceptum ſigillatum, in quo continebatur, quomodo a noſtro prædeceſſore beatæ piæque memoriæ Uldarico archiepiſcopo confirmatum ac teſtatum fuiſſet de illis duabus eccleſiis ad prædictum monaſterium ſanctæ Sophiæ, ipſius monaſterii abbate Amico, adverſus Leonem tunc temporis Draconariæ eccleſiæ præſidentem; in præſentia quidem archiepiſcopi Uldarici & Dodonis Roſſellani epiſcopi, ſed & Bernardi epiſcopi & cancellarii ſanctæ Romanæ ſedis domini Nicolai Papæ legati, aliorumque epiſcoporum ſeu abbatum, qui ſynodali tunc conventui intererant. Cumque præceptum perlegeretur, Mainardus Arianenſis epiſcopus, & Alpherius archidiaconus, & Roſridus diaconus & bibliothecarius noſtræ eccleſiæ, ſed & plures alii boni teſtimonii viri, reſponderunt, & conſenſerunt, & confirmarunt in præſentia noſtra, ita verum eſſe quemadmodum in principio legebatur, eo quod ſalva fide, ſine ulla falſitate, ita feliciter reminiſcerentur eſſe.

Itaque epiſcopus jam ſæpe dictus Campo præter ſuam exiſtimationem, audiens atque intelligens veritatem & ſcriptis & bonorum virorum teſtimoniis, nolens alia pro aliis objicere, maxime in tali conventu; & quod non decet epiſcopum vel aliquem catholicum virum, in re, vera ubi non ſunt, quærere, ultra nihil habens quod reſponderet, cunctis audientibus, ſicut juſtitia decebat epiſcopum vel aliquem catholicum virum, reticuit: & ſe deinceps extorrem fieri præcepit, atque promiſit nunquam ſe amplius inde agere cum prædicto abbate & ſucceſſoribus, tantum reſervata ſibi canonica & parochiali auctoritate.

Præterea ergo noſtra benevolentia omnibus quidem obnoxia, ſed maxime Dominum timentibus & domeſticis fidei comes, in re mota decrevit in eadem ſynodo, cum omnium aſſenſu, ſecundum canonum auctoritatem, fieri præceptum ad partem prædicti monaſterii, & noſtro ſigillo corroborari, & propria manu ſignari ac confirmari, ſimul

* Forte, reſerebantur.

simul cum prædictis episcopis & abbatibus, omnique synodali conventu: ita ut in posterum, sine ulla contradictione præsentium vel etiam futurorum, habeat ac possideat prædictus cum suis sequacibus jure perpetuo prædictas ecclesias, cum omnibus hodie earum pertinentiis & deinceps in futuro, juxta textum & auctoritatem præcepti a nostro prædecessore bonæ recordationis Uldarico archiepiscopo, de iis ecclesiis ad idem monasterium canonico jure confirmati: nulla ratione Campo supradicto episcopo, vel successoribus suis, vel quibuslibet personis, calumniantibus deinceps vel refragantibus.

ANNO CHRISTI 1075.

Falsa notatio temporis. H.

Scriptum autem per manus Joannis clerici & cantoris nostræ ecclesiæ, mense Martio Indict. XIV. Datum vero per manus supradicti Rofridi diaconi atque bibliothecarii, die videlicet Kal. Aprilis.

Signum † Milonis archiepiscopi.
Ego qui supra * Godefridus Tarasanus antistes.
Ego qui supra Bernardus Agatensis episcopus.
Ego qui supra Bernardus Bobianensis episcopus.
Ego Meinardus * T..... episcopus.
Signum † crucis factum per manum supradicti Petri Guardiensis episcopi.
Ego qui supra Joannes archipresbyter.
Ego Sabinus abbas.
Ego Rufgerus Civitatensis episcopus.
Signum † crucis factum per manus supradicti Gilberti Telesini episcopi.
Ego Robertus Florentinus episcopus.
Ego Nicolaus Termolensis episcopus.
Ego Azzo Lucerinus episcopus.
Ego Wilielmus Larinensis, subscripsi.
Signum † crucis factum per manus abbatis Leopoldi monasterii Domini Salvatoris de Telesia.
Signum † crucis factum per manus supradicti Alberici abbatis.

ANNO CHRISTI 1075.

* Lege, Godefridus Averfanus, ex mf. Farfensi, qui Longobardico charactere scripsit dictus ab Ughel. Car. Cryson. II.

* Lege, Arinensis ut eodem Ughello et supra. H.

CONCILIUM APUD SANCTUM MAXENTIUM IN PICTONIBUS,

Celebratum præside Gosselino archiepiscopo Burdegalensi 7. Julii, anno Christi MLXXV. Gregorii VII. papæ, Philippi I. Francorum regis XVII.

ANno æræ *Christianæ* MLXXV. inquit auctor anonymus chronici sancti Maxentini, quod vulgo Malleacense dicitur pag. 212. tomi II. novæ bibliothecæ mss. librorum, *Pictavis fuit concilium quod tenuit Giraudus legatus de corpore & sanguine Domini, in quo Berengarius ..... forme interrempsus est. Fueratque aliud concilium apud sanctum Maxentium 7. Kalendas Julii, in quo erat major Gosselinus archiepiscopus Burdegalensis qui Archimbaudo successit, Willelmus Petragoricus & alii multi: istud primum fuit 7. Kal. Julii, & aliud Idibus Januarii.* Hæc ille. Sunt quoque qui ejusdem Gosselini cura memorent, celebrata duo alia concilia, unum apud Mediolanum Santonum, alterum apud Burdegalam.

Ex Labbei Append Tom. X.

Celebratam esse hanc synodum adversus hæreticos Berengarianæ fautores, diserte affirmat Joannes Chanutus in notitia Burdegalensium archiepiscoporum. Quod unde acceperit, quanquam incertum est: tamen non temere ab eo affirmatum, neque nisi ex certis, quæ viderit, monumentis, ipsisque fortasse concilii actis, crediderim. Et hoc innuere videtur chronicon S. Maxentii, cujus verba superius descripta sunt. Nam post factum Pictavense concilii mentionem, quod tenuit, *inquit*, Giraudus legatus de corpore & sanguine Domini: *addit*: Fueratque aliud concilium apud S. Maxentium, &c. *Chanutus anno* MLXXIII. *illud collocat, sed major chronico S. Maxentii fides: ex quo habemus anno* MLXXV. *primum habitum esse concilium apud S. Maxentium VII. Kal. Jul. ac deinde Pictavense anno eodem, Id. Januarii. Quæ absurda videbuntur iis qui non animadvertent iis temporibus anni primordium in Galliis a verno tempore ductum esse. Itaque Idibus Januariis, quibus habitum est Pictavense concilium, labebatur adhuc in Gallia annus* MLXXV. *Nos vero Romanam anni rationem secuti, anno* MLXXVI. *Kalend. Januariis inchoato illud assignamus.*

CONCILIUM APUD COENOBIUM S. MAXENTII IN PICTONIBUS.

Pro dissolvendo conjugio quodam incesto

Ab Amato Elloren. A. S. L. & Gosselino Burdegalensi archiepiscopo, Anno 1075. die VII. Kal. Julii celebratum.

ADDITIO.

Ex Mans Suppl. To. II. p. 14.

COncilii hujus nomen ita legitur apud collectores, ut nihil ultra de illo tetigerint. Mihi vero probabilissimum est idem esse concilium in monasterio diœcesis Pictavensis celebratum, cujus habendi causa, & quid in eo acciderit exponit Gregorius VII. papa in epistola II. lib. II. regest. his verbis: *Postea vero eodem legato nostro Amato episcopo Elloren., & magistro tuo videlicet Gozelino archiepiscopo Burdigalensi una cum cæteris religiosis viris pro faciendo divortio Guillelmi Pictavien. comitis & propinquæ suæ, quam pro uxore tenebat, his, inquam, sub apostolica obedientia pro negotio tam gravi, tam christianæ religioni necessario congregatis conventum illorum per tuos milites*

lites perturbaſſi, quippe qui perruptis monaſterii clauſtris & foribus in confeſſum irruentes archiepiſcopum & legatum noſtrum multa turpitudine dehonеſtaverunt, reliquos vero minis, convitiis, & verberibus, multiſque contumeliis affiixerunt &c. Hæc ſcribit pontifex ad Iſambertum Pictavenſem epiſcopum, cujus epiſtola data eſt Tiburi IV. idus ſeptembris indictione incipiente XIII. ideſt anno A 1074. Aliud eſt concilium iſtud ab eo, quo Giraudus A. S. L. præſidens anno 1076. idibus Januarii Berengarium damnavit, de quo vide Labbeum tom. XII. pag. 585. edit. Venet. quamquam vero noſtram hanc ſynodum Labbeus cum anno 1075. componit, ad ſuperiorem tamen 1074. referendam, docente epiſtola Gregorii diſcimus.

ANNO CHRISTI 1075. ANNO CHRISTI 1075.

ANNO CHRISTI 1076. ANNO CHRISTI 1076.

CONCILIUM PICTAVENSE

Celebratum idibus Januarii anni MLXXVI. præſide Giraudo apoſtolicæ ſedis legato.

DE eo plura referre non poſſum quam quæ modo didicimus ex Monacho ſive Maxentiani ſive Malleacenſis cœnobii alumno. Illud vero mihi certum, diverſum fuiſſe ab eo Pictavienſi concilio cui poſt unum alterumve annum præfuit Hugo Dienſis ep. ut paulo poſt monebimus.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI ad An. Ch. 1075. n. 14.

Cum Berengarius ſuum errorem rurſum ſpargeret, Giraldus Oſtienſis Epiſcopus in Gallia Legatus, ad illum funditus eradicandum Pictavis Concilium celebravit, uti ad an. 1075. teſtatur Chronographus Malleacenſis. Franciſcus Rojus in vita Berengarii, & Mabillonius Tom. 2. Analect. in Obſerv. de multiplici Berengarii damnatione exiſtimant, *Giraldum* Legatum fuiſſe Epiſcopum Ebcolitmenſem. Verum nullus hoc tempore Giraldus in Gallia Apoſtolicæ ſedis Legatus fuit præter Giraldum Oſtienſem Epiſcopum, qui cum anno 1074. e ſua Legatione Romam redierit, manifeſtum eſt, Chronographum non minus in anno rei geſtæ peccare, quam cum ad an. 1071. ait Petrum Igneum fecifſe judicium per rogum ardentem, & ad annum 1074. obiiſſe Alexandrinum Papam. Illud igitur Concilium in editione poſtrema Conciliorum hoc anno perperam etiam collocatum, ad aliquem ex ſuperioribus retrahendum; (*nempe ad an.* 1073. *cum Chanuto, de quo Labbeus ſupra*).

ANNO CHRISTI ANNO CHRISTI

CONCILIUM GENERALE

SUB LANFRANCO, HABITUM DE MATRONIS

Et virginibus, quæ ad monaſteria virginum confugere, ad caſtitatem ſuam contra Normannorum inſanam libidinem, privilegio veli tuendam; an ad ſæculum redeant & fiant conjuges.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

In nupera collectione conciliorum Anglicanorum ab anno 1066. ad 1530. celebratorum, Londinenſi ſynodo præmittitur alia ſynodus, quam vocant generalem, ex Eadmeri hiſtoriæ novorum libro tertio, variæque ſubjiciuntur editiones ſequentis illius Londinenſis, ex quibus in margine quandam adſcripſimus cum integris ſubſcriptionibus.

Ex *Eadmeri* hiſtor. novorum lib. 3. p. 97. Pag. 1 tom. II conciliorum Britannicorum.

QUando ille magnus Wilielmus hanc terram primo devicit, multi ſuorum ſibi pro tanta victoria applaudentes, omniaque ſuis voluntatibus atque luxuriis obedire, ac ſubdi debere autumantes, non ſolum in poſſeſſiones victorum, ſed & in ipſas matronas & virgines ubi eis facultas aſpirabat, nefanda libidine cœperunt inſanire. Quod nonnullæ prævidentes, & ſuo pudori metuentes, monaſteria virginum petivere, acceptoque velo ſeſe inter ipſas a tanta inſamia protexere. Quæ clades, cum poſtmodum ſedata, & pro temporis qualitate pax rebus data fuiſſet, C quæſitum ab eodem patre Lanfranco eſt, quid de his quæ tali refugio ſuam pudicitiam ſervaverunt, ipſe ſentiret, eſſentne videlicet conſtringendæ in monaſterio velum tenere, quod acceperant; necne. At ipſe quæſtionem ipſam conſilio generalis concilii taliter ſolvit; ut pro eis caſtitate quam ſe tam manifeſtæ rei oſtenſione amare teſtatæ fuerant, debitam magis reverentiam judicaret exhibendam, quam ullam ſervandæ religionis continentiam, niſi propria illam voluntate appeterent, violenter ingerendam. D

ANNO CHRISTI 1075. ANNO CHRISTI 1075.

CONCILIUM LONDONIENSE

AUCTORITATE LANFRANCI DOROBERNENSIS

Eccleſiæ archiepiſcopi pro reformandis eccleſiaſticis conſtitutionibus & moribus eccleſiæ celebratum anno Domini MLXXV. tempore Gregorii papæ VII.

ANno incarnationis dominicæ milleſimo ſeptuageſimoquinto, regnante glorioſo Anglorum rege Wilielmo, anno regni ejus nono, congregatum eſt Londoniæ, in eccleſia beati Pau- Londonii.

ANNO CHRISTI 1075.

Pauli apoſtoli, concilium totius Angliæ regionis: epiſcoporum videlicet, & abbatum, nec non & multarum religioſi ordinis perſonarum, jubente, atque eidem concilio præſidente Lanfranco ſanctæ Dorobernenſis eccleſiæ archipræſule, totiuſque Britanniæ inſulæ primate, conſidentibus ſecum viris venerabilibus, Thoma Eboracenſi archiepiſcopo, Wilielmo Londonienſi epiſcopo, Goiffrido Conſtantienſi, qui, cum tranſmarinus eſſet epiſcopus, in Anglia multas poſſeſſiones habens, cum cæteris in concilio reſidebat, Walchelino Wintonienſi, Herimanno Syraburnenſi, Wlſtano Wiriceſtrenſi, * Gualdero Hereſordenſi, Giſone * Wellenſi, Remigio Dorcacenſi ſeu Lincolnienſi, Herfaſto Helmeanenſi ſeu * Norwicenſi, Stigando * Slengenſi, Osberno * Oxonienſi, Petro * Liciſeldenſi. Roſſenſis eccleſia per idem tempus paſtore carebat. Lindiſſarnenſis, qui & Dunelmenſis epiſcopus, canonicam excuſationem habens, concilio intereſſe non poterat.

* Walthero, * Wallenſi, * Norchavicenſi, * Seleugenſi, * Exonienſi, * Licedfeldenſi.

Et quia multis retro annis in Anglicano regno uſus conciliorum obſoleverat, renovata ſunt nonnulla quæ antiquis etiam noſcuntur canonibus definita.

Ex concilio igitur Toletano IV. Milevitano, atque Bracarenſi ſtatutum eſt, ut ſinguli ſecundum ordinationis ſuæ tempora ſedeant, præter eos qui ex antiqua conſuetudine, ſive ſuarum eccleſiarum privilegiis, digniores ſedes habent. De qua re interrogati ſunt ſenes, & ætate provecti, quid vel ipſi vidiſſent, vel a majoribus atque antiquioribus veraciter ac probabiliter accepiſſent. Super quo reſponſo petitæ ſunt induciæ ac conceſſæ uſque in craſtinum. Craſtina autem die concorditer perhibuere, quod Eboracenſis archiepiſcopus ad dexteram Dorobernenſis ſedere debeat, Londonienſis epiſcopus ad ſiniſtram, Wentanus juxta Eboracenſem; ſi vero Eboracenſis deſit, Londonienſis ad dexteram, Wentanus ad ſiniſtram.

Ex regula beati Benedicti, dialogo Gregorii & antiqua regularium locorum conſuetudine, ut monachi ordinem debitum teneant; infantes præcipue & juvenes in omnibus locis, deputatis ſibi idoneis magiſtris, cuſtodiam habeant, nocte luminaria ferant: generaliter omnes niſi a prælatis conceſſa * prioritate careant. Si quis vero aliquid proprii ſine præfata licentia habere in morte fuerit deprehenſus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia & dolore peccatum ſuum confeſſus, nec ſigna pro eo pulſentur, nec ſalutaris pro ejus abſolutione hoſtia immoletur, nec in cœmeterio ſepeliatur.

* legendum eſt proprietate

Ex decretis ſummorum pontificum, Damaſi videlicet & Leonis, nec non ex conciliis Sardicenſi atque Laodicenſi, in quibus prohibetur epiſcopales ſedes in villis exiſtere, conceſſum eſt regia munificentia, & ſynodali auctoritate, præfatis tribus epiſcopis, de villis ad civitates transire, Herimanno de * Syrabuina ad * Scrisberiam, Stigando de Seletugo ad Ciceſtrum, Petro de * Liciſeldo ad Ceſtrum. De quibuſdam qui in villis ſeu vicis adhuc degebant, dilatum eſt uſque ad regis audientiam, qui in tranſmarinis partibus tunc temporis bella gerebat.

* Scirabuina * Saristeriam * Liciſelde

Ex multis Romanorum præſulum decretis, diverſiſque ſacrorum canonum auctoritatibus, ne quis alienum clericum, vel monachum, ſine commendatitiis literis retineat vel ordinet.

Ad comprimendam quorumdam indiſcretorum inſolentiam, ex communi decreto ſancitum eſt, ne quis in concilio loquatur præter licentiam a metropolitano acceptam, exceptis epiſcopis & abbatibus.

ANNO CHRISTI 1075.

Ex decretis Gregorii majoris, nec non & junioris, ut nullus de propria cognatione, vel uxoris defunctæ, ſeu quam cognatus habuit, uxorem accipiat, quoaduſque parentela ex alterutra parte ad ſeptimum gradum perveniat. Ut nullus ſacros ordines, ſeu officium eccleſiaſticum, quod ad curam animarum pertineat, emat vel vendat. Hoc enim ſcelus a Petro apoſtolo in Simone mago primitus damnatum eſt, poſtea a ſanctis patribus vetitum & excommunicatum.

Ne oſſa mortuorum animalium, quaſi pro vitanda animalium peſte, alicubi ſuſpendantur: nec ſortes, vel aruſpicia, ſeu divinationes, vel aliqua hujuſmodi opera diaboli, ab aliquo exerceantur. Hæc enim omnia ſacri canones prohibuerunt, & eos qui talia exercent data ſententia excommunicaverunt.

Ex conciliis Eliberitano & Toletano * undecimo, ut nullus epiſcopus, vel abbas, ſeu quilibet ex clero, hominem occidendum, vel membris truncandum judicet, vel judicantibus ſuæ auctoritatis * favorem commodet.

* primo concilio anno 400 celebrato.

* favorem commendet.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Lanfrancus Dorobernenſis archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego Thomas Eboracenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.

Subſcripſerunt & alii epiſcopi, vel abbates, qui interfuerunt.

In collectione Anglicana omnes recenſentur hoc ordine.

† Ego Lanfrancus Dorobernenſis archiepiſc. ſubſcripſi.
† Ego Thomas Eboracenſis eccleſiæ epiſc. ſubſcripſi.
† Ego Wilielmus Lundonienſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
† Ego Walchelinus Wintonienſis eccleſiæ epiſc. ſubſcripſi.
† Ego Gaufridus Conſtantienſis epiſc. & unus de Angliæ terræ primatibus ſubſcripſi.
† Ego Hermannus Sarisberienſis eccleſiæ epiſc. ſubſcripſi
† Ego Wulſtanus Wigornenſis epiſcopus ſubſcripſi.
† Ego Walterus Hereſordenſis epiſcopus ſubſcr.
† Ego Giſo Wellenſis epiſc. ſubſcripſi.
† Ego Remigius Lincolnienſis epiſc. ſubſcripſi.
† Ego Herfaſtus Norhwicenſis epiſc. ſubſcripſi.
† Ego Stigandus Ciceſtrenſis epiſc. ſubſcripſi.
† Ego Osbernus Exonienſis epiſc. ſubſcripſi.
† Ego Petrus Ceſtrenſis epiſc. ſubſcripſi.
† Ego Anſchitillus archidiaconus S. Dorobernienſis eccleſiæ ſubſcripſi.
† Ego Scotlandus abbas S. Auguſtini ſubſcr.
† Ego Riwalo abbas S. Petri Wintoniæ ſubſcr.
† Ego Athelelmus abbas Abandoniæ ſubſcripſi.
† Ego Baldwinus abbas S. Edmundi ſubſcripſi.
† Ego Elwinus abbas de Eveſam ſubſcripſi.
† Ego Alwinus abbas de Rameteig ſubſcripſi.
† Ego Serlo abbas Glauceſtrenſis ſubſcripſi.
† Ego Fredericus abbas Verolamii ſubſcripſi.
† Ego Lewardus abbas Muchelaniæ ſubſcripſi.
† Ego Lewinus abbas de Couventre ſubſcripſi.
† Ego Eſwardus abbas Abbatusberiæ ſubſcripſi,

† Ego

ANNO CHRISTI 1075.

† Ego Oſirich abbas de Hortuna ſubſcripſi.
† Ego Tedwvinus abbas Eligenſis ſubſcripſi.
† Ego Wluvoldus abbas Certeieeig ſubſcripſi.
† Ego Elnodus abbas Gleaſtinberiæ ſubſcripſi.
† Ego Galanus de Wincelcumbe ſubſcripſi.
† Ego Warinus abbas Meldunenſis ſubſcripſi.
† Ego Eadmundus abbas Perſoræ ſubſcripſi.
† Ego Elſi abbas de Bada ſubſcripſi.
† Ego Elewinus abbas de Middeltune ſubſcripſi.
† Ego Eadwardus abbas de Cernel ſubſcripſi.

Aliud exemplar concilii Londonienſis anno Domini 1075. præſidente Lanfranco archiepiſcopo Dorobernia, & Thoma Eboracenſi archiepiſcopo, & cæteris epiſcopis, cum ſynodorum uſus diu jam ante obſoleverat.

VV. Malm. de geſtis pontif. Cant. pag. 11.

ANno Domini milleſimo ſeptuageſimoquinto, regnante Wilielmo, anno nono congregatum eſt concilium in Londonia, præſidente Lanfranco archiepiſcopo Dorobernienſi, conſidentibus ſecum Thoma archiepiſcopo Eboracenſi, & cæteris epiſcopis. Roffenſis eccleſia per id tempus paſtore carebat, Lindiffarenſis (qui & Dunelmenſis epiſcopus) canonicam excuſationem habens, concilio intereſſe non potuit. Et quod multis retro annis in Anglico regno uſus conciliorum obſoleverat; renovata ſunt nonnulla, quæ antiquis etiam fuerant canonibus definita.

Ex concilio igitur Toletano quarto, Milevitano, atque Bracarenſi, ſtatutum eſt, ut ſinguli, ſecundum ordinationis ſuæ tempore ſedeant, præter eos qui ex antiqua conſuetudine, ſive ſuarum eccleſiarum privilegiis, digniores ſedes habent. De qua re interrogati ſunt ſenes & ætate provecti, quid vel ipſi vidiſſent; vel a majoribus aut antiquioribus veraciter ac probabiliter ipſi audiſſent: ſuper quo reſponſo petitæ ſunt induciæ ac conceſſæ uſque in craſtinum. Craſtina autem die concorditer perhibuere, quod Eboracenſis archiepiſcopus ad dextram Dorobernenſis ſedere debeat; Londonienſis epiſcopus ad ſiniſtram; Wentanus juxta Eboracenſem: ſi vero Eboracenſis deſit, Londinenſis ad dextram, Wentanus ad ſiniſtram.

Ex regula beati Benedicti, & ex antiqua regularium locorum conſuetudine: Ut monachi proprium ordinem tenerent, & proprietate careant: ſi quis vero cum proprietate inconfeſſus obierit, in cœmeterio non ſepeliatur.

Ex decretis [illegible]mmorum pontificum Damaſi & Leonis, nec non ex conciliis Sardicenſi & Laodicenſi, in quibus prohibetur epiſcopales ſedes in villis exiſtere, conceſſum eſt regia munificentia, & ſynodali auctoritate, epiſcopis tranſire ad civitates, Hermanno de Schireburne ad Salesberiam, Stigando de Seleſia ad Ciceſtriam, Petro de Lichfield ad Ceſtriam.

Ex multis Romanorum præſulum decretis, diverſiſque ſacrorum canonum auctoritatibus, ne quis alienum clericum, vel monachum, ſine commendatoriis literis ordinet, vel retineat. Ad comprimendam quorumdam indiſcretorum inſolentiam ex communi decreto ſancitum eſt: Ne quis in concilio loquatur præter licentiam a metropolitano conceſſam, exceptis epiſcopis, & abbatibus. Ex decretis, Gregorii majoris & minoris: Ut nullus de propria cognatione, vel uxoris defunctæ, ſeu quam cognatus habuit, uxorem accipiat, quoad uſque parentela ex alterutra parte ad ſeptimum gradum perveniat. Ut nullus ſacros ordines ſeu officium eccleſiaſticum emat, vel vendat. Ne ſortes ſeu divinationes ab aliquo exer-

ceantur. Ex conciliis Helibertano & Toletano decimo: Ut nullus epiſcopus vel abbas, ſeu quilibet ex clero hominem truncandum membris vel occidendum judicet, vel judicantibus faveat.

ANNO CHRISTI 1075.

Aliud exemplar ejuſdem concilii.

ANno incarnationis dominicæ 1075. regnante glorioſo Anglorum rege Wilielmo, anno regni ejus nono, congregatum eſt Londoniis, in eccleſia B. Pauli apoſtoli, concilium Anglicæ regionis epiſcoporum * viz. & abbatum, necnon & multarum religioſi ordinis perſonarum, Lanfranco ſanctæ Dorobernenſis eccleſiæ archipræſule, totiuſque Britannicæ inſulæ primate; conſidentibus ſecum viris venerabilibus, Thoma Eboracenſi archiepiſcopo, Wilielmo Londonienſi epiſcopo, Wulſtano Wyrceſtrenſi & aliis XI. Quia retro multis annis in Anglico regno uſus conciliorum obſoleverat, renovata ſunt nonnulla, quæ antiquis etiam canonibus noſcuntur definita. Ex concilio igitur Toletano quarto, Milevitano, atque Bracarenſi, ſtatutum eſt, Ut ſinguli, ſecundum ordinationis ſuæ tempora ſedeant, præter eos qui ex antiqua conſuetudine, ſive ſuarum eccleſiarum privilegiis, digniores ſedes habent.

Ex cod. MS in bibl. publica acad. Cantabr. * hoc eſt, videlicet. Vide Mſ. eccleſiæ S. Pauli, p. 191.

Quatenus ſit ſedendum epiſcopis.

Et tunc decretum eſt etiam ex regula B. Benedicti & dialogo Gregorii, generaliter omnes monachi, niſi a prælatis conceſſa, proprietate careant. Si quis vero aliquid proprii, ſine præfata licentia habere, in morte fuerit deprehenſus, nec ante mortem id reddidit cum pœnitentia & dolore, peccatum ſuum confeſſus; nec ſigna pro eo pulſentur, nec ſalutaris pro ejus abſolutione hoſtia immoletur, nec in cœmeterio ſepeliatur.

Contra proprietarios monachos.

Decretum eſt etiam, ex decretis majoris Gregorii, necnon minoris: Ut nullus de propria cognatione, vel uxoris defunctæ, ſeu quam cognatus habuit, uxorem accipiat, quoadulque parentela ex alterutra parte ad ſeptimum gradum perveniat.

De matrimonio.

Item, ut nullus ſacros ordines ſeu officium eccleſiaſticum, quod ad curam animarum pertineat, emat vel vendat. Hoc enim ſcelus a Petro apoſtolo in Simone mago primitus damnatum eſt. Poſtea a ſanctis patribus vetitum & excommunicatum.

Contra ſimoniacos.

Nec oſſa mortuorum animalium, quaſi pro vitanda animalium peſte, alicubi ſuſpendantur; nec ſortes, vel aruſpicia, ſeu divinationes, vel aliqua hujuſmodi opera diaboli ab aliquo exerceantur. Hæc enim omnia ſacri canones prohibuerunt) & eos qui talia exercent, data ſententia, excommunicaverunt.

Contra ſortilegia.

Iterum, ut nullus epiſcopus, vel abbas, ſeu quilibet ex clero, hominem occidendum, vel membris truncandum judicet: vel judicantibus ſuæ auctoritatis favorem commodet. Hoc ſancitum atque confirmatum eſt coram duobus archiepiſcopis, & XII. epiſcopis, & Aſcheuillo archidiacono Dorobernenſis eccleſiæ, & XXI. abbatibus de archipræſulatu Cantuarienſi.

Contra judicium ſanguinis.

In illis temporibus diverſis auctoritatibus probatum atque oſtenſum eſt, quod Eboracenſis eccleſia Cantuarienſi eccleſiæ debeat ſubjacere; ejuſque archiepiſcopi ut primatis totius Britanniæ diſpoſitionibus, in iis quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, in omnibus obedire.

De ſubjectione Eboracenſis eccleſiæ.

Subjectionem vero Dunelmenſis epiſcopi, atque terminos a fluvio Humbre, uſque ad ultimos fines Scotiæ, ſub regimine Eboracenſis eccleſiæ affirmaverunt; profeſſionem cum ſacramento vero, ob amorem regis, Eboracenſi archiepiſcopo Tho-

Qui ſunt de ſubjectione Eborac.

ANNO CHRISTI 1075.

mus, Lanfrancus archiepiſcopus relaxavit; ſcriptamque tantum profeſſionem recepit, non præjudicans ſucceſſoribus ſuis, qui ſacramentum cum profeſſione a ſucceſſoribus Thomæ exigere voluerint.

Cæterum de his videndus Will. Malmesb. p. 65. b. & pag. 111. b. præcipue vero pag. 117. b. editionis Londinenſis.

ANNO CHRISTI 1075. Relaxatur profeſſio Ebor.

CONCILIA SALONITANUM, ET SPALATENSE

A Gerardo Apoſtolicæ ſedis Legato an. Chr. MLXXV. celebrata.

Ex Ughelli Ital. ſacr. to. 5. p. 873. nov. edit.

De his Thomas Archidiaconus Spalatenſis in Chronicis ſcribit poſt enarratam condemnationem cujuſdam Ulfi preſbyteri a Joanne Cardinali Legato factam. Alexander, *inquit*, Papa de hac luce migravit, cui ſubſtitutus eſt D. Gregorius VII. Hic ergo miſit legatum ad partes Dalmatiæ venerabilem virum Gerardum Archiepiſcopum Sipontinum, qui Spalatum accedens, cum magno gaudio, & honore a Laurentio Archiepiſcopo ſuſceptus eſt; miſit ergo & convocavit ſuffragâneos Salonitanæ metropolis univerſos, qui cum conveniſſent, Provincialem ſynodum apud Salonam debita maturitate celebravit. Interfuerunt autem iſti ſuffraganei Eccleſiæ Spalatinæ; primo Laurentius Archiepiſcopus, ſecundus poſt eum Stephanus Epiſcopus Jadren. Joannes Tragurien. Forminus Nonen. Gregorius Arben. Theodoſius Belgraden. Gregorius Croaten. & alii quidam. In hac ſynodo reſtauratus eſt epiſcopatus Nonenſis, cujus epiſcopus Gregorius multas olim moleſtias Joannem Spalatenſem epiſcopum ſuſtinere fecit, debitam ei ſubtrahendo obedientiam, & ſibi jus metropoliticum indebite vendicando.

Porro Gerardum Legatum Gregorii VII. in Dalmatia fuiſſe anno 1075. conſtat ex privilegio monaſterii S. Chriſogoni Jadrenſis Benedictinis cœnobii, in ſynodo Spalatenſi edito in hunc modum.

In anno MLXXV. ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti menſe Novembris, & tempeſtate, qua Comes Amicus Regem Croatiæ cepit. Ego Gerardus S. R. E. Apocriſarius, Sipontinæque ſedis gratia Dei Archipræſul, miſſus a D. Gregorio Papa in partes iſtas, ſtatui ſanctam ſynodum in Spalatina urbe ſedens, cum univerſo cœtu firmans vera, execrans illicita, reſpuens falſa. Tum in hora Petrus venerab. Abbas S. Chryſogoni conqueſtus eſt de cella S. Joannis, quæ vulgo Tilagus nominatur, quod ſuus epiſcopus videlicet Stephanus illam ſibi abſtulerat. Unde Abbas nobis chartulam porrexit, in qua invenimus, quod Corbina, qui olim ſupradictam cellam ſua ſponte donarat, poſt ſuggerente ſibi inimico ſtudebat auferre. Hoc geſtum eſt tempore Acuſonis Legati D. Nicolai Papæ. Sed dictus Apocriſarius videns hoc arte diabolica machinari; audax, ut ſcriptura teſtatur, Juſtus confidit ut Leo; inveſtivit Abbatem per baculum quem geſtabat manu eodem Priore concedente cum ſuo populo, & inſuper æternas maledictiones futuris uſurpatoribus dedit. Ego autem videns ſibi juſte fieri, & omne Concilium mecum, rurſum præcipimus ſuo Præſuli inveſtire abbatem ſuo illo cœnobio per pedum, quod manu portabat; contradicentibus vero noſtra verba hæc, & auferre volentibus poſt noxia verba illius Miſſi prioris collaudamus, & noſtra inſuper ponimus. Laurentius Archipræſul collaudat, & roborat. Joannes Tragurinus epiſcopus collaudavit, Prementius Caſtilanus epiſcopus collaudavit; & omnis ſynodus collaudat & roborat.

SANCTONENSE CONCILIUM

In quo fundatio abbatiæ S. Stephani de vallibus confirmatur Anno 1075. habitum.

Ex autographo in tabular. S. Stephani Sanctonen.

Manſi Suppl. T. II. pag. 6

QUoniam omnes apud orthodoxos divinæ legis auctoritate ſancitum, ratum, immo etiam inconvulſum tenetur, tenendumque judicatur, fluxa ſcilicet, atque momentanea ut immobilibus, necnon ſempiternis mutentur, Petrus Camnonis filius, Arnalduſque frater ejus humiles atque indigni ſervi ſervorum Dei. deſtinaverunt locum de Valle in Stephani protomartyris honore. Petro autem viam carnis univerſaliter ingreſſo. Arnaldus cum de patrimonii, tum etiam de poſſeſſione ſui beneficii omnifariam adhibito aſſenſu Ducis Aquitaniæ Gaufridi ſcilicet, nec non Goderanni epiſcopi, aliorumque Xantoniæ principum, abbatiam condidit, abbatemque abbatiæ præfecit: quo facto, ut ſuum hoc inſtitutum nullatenus poſſet duci in irritum, urbem Xanctonicam adiit ſub tempore ſynodi generalis, ibique circumcirca aſtantibus epiſcopo Boſone, Eleazaro, & Goſcelino archidiaconis, cæteriſque auctoritatis magnæ viris, conceſſit, confirmavit, confirmarique ab omnibus obtinuit, ut neque ille ipſe, nec quiſquam ſua de progenie prædictam abbatiam ſubjugaret alicui eccleſiæ, ſed libera & ab omni jugo hujuſmodi ſervitutis permaneret ſine his: quidquid vero & ipſe fundator, & quilibet religioſi contulerunt ſupranominatæ abbatiæ, idem epiſcopus conceſſit benigne, & in poſterum ſpopondit ſe conceſſurum abſque ulla retractatione, imo. proteſturum officioſiſſime. Quid plura, ne quis ore temerario tale viri profanaret inſtitutum, volens ac devotus inſtituit ſubditam fore præſuli Xanctonenſium in his tantum quæ ſunt ad dominium: ſi quis autem de prædicti fundatoris proſapia ævo venienti agere tentaverit, iſtud contra decretum S. ſynodus Xanctonenſis ejuſdem viri impulſa precibus decrevit perpetui anathematis ſpiculo infodiendum, atque a liminibus noſtræ matris eccleſiæ arcendum ac ſequeſtrandum. Facta autem eſt & firmata hæc charta MLXXV. anno ab Incarnatione Domini, regnante Philippo rege Francorum, & Gaufrido Duce Aquitanenſium, & Boſone epiſcopo Xantonenſi

☞ nensi. Signum archiepiscopi Burdegalensis Goscelini, S. Guillelmi Engolismensis episcopi, S. Bosonis episcopi, S. Guillelmi Petragoricorum episcopi, S. Arnaldi Gamnonis, S. Eleazari archidiaconi, S. Gaufridi Aquitaniæ, S. Gaufridi Mauritaniæ, S. Elie Didoniæ, S. Odonis abbatis, S. Johannis, S. Seguini abbatis Sengolismæ, S. Goscelini abbatis, S. Stephani de Bachac, S. Arnaudi militis, S. Hugonis de Letiniaco, S. Geraudi de Ranco, S. Audeberti comitis de Marcha.

ANNO CHRISTI 1075. ANNO CHRISTI 1071

Ibid pag. 9. ☞ TOLOSANUM CONCILIUM

In quo Frotardus Albiensis episcopus de simonia damnatur, ab Hugone A. S. L. Anno 1075. celebratum.

Anno 1075. FRotardus quidam Albiensem cathedram simoniace ascenderat, cujus rei causa dies illi dicta est ad Tolosanum concilium, quod Hugo Diensis episcopus apostolicæ sedis legatus celebravit, convictusque excommunicationis, & suspensionis ab officio sententiam retulit. Constat id ex notitia ecclesiæ de Viancio apud Baluzium Miscellan. tom. V. pag. 432. his verbis: *Tandem ab Hugone Lugdunensi episcopo, tunc Romanæ sedis legato commonitus est, & evocatus Tolosam, celebrato ibi concilio, & nec agere ipse per se, nec absentem etiam procuratorem mittere curavit. Unde comprobato certissime quod esset simoniacus, proscriptus. Hugo Lugdunensis pontificale ei officium interdixit, & excommunicavit eum in concilio illo.* Quo habita est synodus illa, annus elucet ex iis, quæ inferius in eadem relatione leguntur; ibi enim pag. 416. habes: *Pontium Stephani Ruthenensem episcopum, qui Tolosæ in eo concilio, in quo Frotardus fuerat excommunicatus, episcopalem susceperat consecrationem &c.* In tabulis ecclesiæ Ruthenensis Pontii hujus mentio ab anno 1075. incipit testibus Sammarthanis. Hic ergo annus concilio non incongrue statueretur.

Hæc olim scripseram, cum novam editionem Galliæ Christianæ nondum mihi consulere contigisset; qua potitus concilium hoc Tolosanum Frotardo iniquum, & Pontio Ruthenensi secundum cum anno 1079. circiter componendum tandem agnovi; nam Pontii exordium eidem illi anno alligandum esse ex tabulis Ruthenensibus demonstrant doctissimi ejus operis editores.

Ibid. pag. 11. ☞ SALONITANUM CONCILIUM I.

Anno 1075. *circiter habitum*

Anno 1075. Archidiac. Spalet. in Chron. apud Ughel in Episcopis tom. VIII. p. 623. ALexander Papa de hac luce migravit, cui substitutus est D. Gregorius VII. Hic ergo misit Legatum ad partes Dalmatiæ venerabilem virum Gerardum Archiepiscopum Sipontinum, qui Spalatum accedens, cum magno gaudio, & honore a Laurentio Archiepiscopo susceptus est: misit ergo, & convocavit suffraganeos Salonitanæ Metropolis universos, qui cum venissent, Provincialem Synodum apud Salonam debita maturitate celebravit: interfuerunt autem illi Suffraganei Ecclesiæ Spalatinæ, primo Laurentius Archiepiscopus, secundus post eum Stephanus Episcopus Jadren. Joannes Tragurien. Forminus Nonen. Gregorius Arben. Theodosius Belgraden. Gregorius Croaten. & alii quidam. In hac synodo restauratus est Episcopatus Nonensis, cujus Episcopus Gregorius multas olim molestias Joannem Spalatensem Archiepiscopum sustinere fecit, debitam ei subtrahendo obedientiam, & sibi jus Metropoliticum indebite vendicando. Interea Venerabilis Gerardus Legatus Spalati positus invenit ibi supermemoratum Ulfum Presbyterum, cui Golfarius agnomen erat, ab annis jam duodecim Papali jussu gravissimis compedibus alligatum propter schismatis nefarium scelus, quod cum Renda exercuerat in regionibus Dalmatiæ, atque Croatiæ. Hunc ergo fecit absolvi dicens, quia D. Alexander felicis memoriæ universos suo jussu incarceratos absolvit. Prius autem fecit eum super Evangelium, & super Corpus beati Domini subire corporaliter juramentum, ut in abjuratam hæresim numquam relabi deberet, & de his partibus egrediens numquam redire, sed cum eo Romam adiens Apostolico se conspectui permitteret exhiberi.

Ibid. pag. 14. ☞ SPALATINUM CONCILIUM

In quo cella quædam abbati S. Chrysogoni restituitur a Girardo archiepiscopo Sipontino A. S. L.

Anno 1075. *habitum*.

Anno 1075. Ex Ughel. Ital. Sac. to. VII. pag 62. edit. IN anno MLXXV. ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi, mense Novembris, & tempestate qua Comes Amicus Regem Croatiæ cepit. Ego Girardus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Apocrisarius, Sipontinæque Ecclesiæ Gratia Dei Archipræsul missus a Domino Gregorio papa partes istas statui sanctam Synodum Spalatina urbe sedens in universo cum cœtu firmans vera, execrans illicita, respuens falsa. Tum in hora Petrus V. Abbas Sancti Chrysogoni conquestus est de cella Sancti Joannis, quæ vulgo Tilagus nominatur, quod suus Episcopus, videlicet Stephanus illam sibi abstulerat. unde Abbas nobis Chartulam porrexit in qua invenimus, quod Corbina, qui

qui olim ſupra dictam Cellam ſua ſponte donarat poſt ſuggerente ſibi initnico ſtudebat auferre.

ANNO CHRISTI 1075.

Hoc geſtum eſt tempore Acuzonis Legati D. Nicolai papæ. Sed dictus Apocriſarius videns hoc arte diabolica machinari, audax, ut ſcriptura teſtatur, Juſtus confidit, ut Leo a inveſtivit Abbatem per Baculum, quem geſtabat manu eodem Priore concedente cum ſuo populo, & inſuper æternas maledictiones futuris uſurpatoribus dedit. Ego autem videns ſibi juſte fieri & omne Concilium mecum rurſum præcipimus ſuo Præſuli inveſtire Abbatem ſuo illo cœnobio per pedum, quod manu portabat, contradicentibus autem noſtra verba hæc & auferre volentibus poſt noxia verba illius miſſi prioris collaudamus, & noſtra inſuper ponimus. Laurentius Archipræſul collaudat, & roborat. Joannes Traugurinus Epiſcopus collaudavit. Prementius Captillanus Epiſcopus collaudavit, & omnis ſynodus collaudat, & roborat.

ANNO CHRISTI 1075.

ANNO CHRISTI 1076.

CONCILUM WINTONIÆ,

ANNO CHRISTI

HABITUM ANNO DOMINI MLXXVI.

Præſidente Lanfranco archiepiſcopo Cantuariæ, & conſedentibus, inter alios, Wulſtano epiſcopo Wigornenſi, &c.

De prohibendo conjugio canonicorum

Ex præfatione concilii Saxonici.

DEcretum eſt, ut nullus canonicus uxorem habeat: Sacerdotum vero in caſtellis, vel in vicis habitantium, habentes uxores, non cogantur ut dimittant: non habentes, interdicantur ut habeant. Et deinceps caveant epiſcopi, ut ſacerdotes vel diaconos non præſumant ordinare, niſi prius profiteantur ut uxores non habeant.

Forma profeſſionis caſtitatis ab ordinandis ſuſcipiendæ.

Ibidem.

EGo frater N. promitto Deo omnibuſque ſanctis ejus caſtitatem corporis mei ſecundum canonum decreta, & ſecundum ordinem mihi imponendum ſervare, domino præſule N. præſente.

In principio libri epiſtolarum Ælfrici antiquiſſ. MS. & eccleſiæ Wigornenſis ſpectatæ, extat hæc eadem formula, ut ab ipſo Wulſtano, qui huic interfuit concilio, eſt exhibita: viz. Ego frater N. promitto Deo, *&c. & cæt. ut ſupra: & in fine*, domino præſule Wulſtano preſente.

Hujus canonis obſervatio, vel ex eo apparet; quod Gerardus archiepiſc. Eboracenſis, Anſelmo archiepiſc. Cantuariæ poſtea ſcribit. Cum ad ordines alios invito, dura cervice renituntur, ne in ordinando caſtitatem profiteantur.

Celebrati concilii apud Wincaſtram capitula, e libro Saxonico Wigornienſis eccleſiæ; etiamque e libro Exonienſis eccleſiæ, uſque ad hæc verba: Hæc eſt pœnitentiæ inſtitutio. *nam in illo libro ante hæc verba ponuntur capitula concilii apud Windleſoram celebrati in pentecoſten.*

1. De introitu epiſcoporum & abbatum per ſimoniacam hæreſim.
2. De ordinationibus paſſim factis & per pretium.
3. De vita & converſatione eorundem.
4. Quod epiſcopi bis concilia celebrent per annum.
5. Ut epiſcopi, archidiaconos & cæteros ſacri ordinis miniſtros in eccleſiis ſuis ordinent.
6. Ut epiſcopi liberam facultatem habeant, per diœceſim, tam de clericis quam de laicis.
7. Ut epiſcopi & ſacerdotes laicos invitent ad pœnitentiam.
8. De apoſtaticis clericis & monachis.
9. De epiſcopis, ut certas ſedes habeant, & ut nullus conſpirationem faciat contra principem.
10. Ut laici decimas reddant, ſicut ſcriptum eſt.
11. Ut nullus invadat eccleſiaſtica bona.
12. Ut nullus clericus ſecularia arma ferat.
13. Ut clericis & monachis digna reverentia exhibeatur. Qui hæc non fecerit, anathema ſit.

Capitula concilii apud Wintoniam celebrati.

Ex pervetusto Cod MS. in bibl. Cottoniana, ſub effigie Tiberii (c. 1. 9.)

1. QUod nulli liceat duobus epiſcopatibus præſidere.
2. Quod nullus per ſimoniacam hæreſim ordinetur.
3. Quod extranei clerici, ſine commendatitiis literis non recipiantur.
4. Quod ordinationes certis temporibus fiant.
5. De altaribus, ut lapidea ſint.
6. Quod ſacrificium de cerviſia, vel ſola aqua non fiat; ſed ſolummodo aqua vino mixto.
7. De baptiſmate, quod in paſcha & pentecoſte ſolummodo celebretur, niſi periculum mortis fuerit.
8. Ut in eccleſiis, niſi ab epiſcopis conſecratis miſſæ non celebrentur.
9. Ut in eccleſiis corpora defunctorum non ſepeliantur.
10. Quod tintinnabula non pulſentur quando miſſa celebratur tempore ſecreti.
11. Quod de criminibus ſoli epiſcopi pœnitentiam tribuant.
12. Quod monachi, qui habitum dimiſerint, neque in militia, neque in conventu clericorum recipiantur, ſed excommunicati habeantur.
13. Quod quiſquis epiſcopus omni anno ſynodum celebret.
14. Ut decimæ ab omnibus reddantur.
15. Ut clerici, aut caſte vivant, aut ab officio recedant.
16. Ut calices non ſint cerei, vel lignei.

De pœnitentia eorum, qui alios occidunt in bello.

Ex vetuſto lib. Saxonico, ad Wigorn. eccl. quondam ſpectante.

HÆc eſt pœnitentiæ inſtitutio ſecundum decreta Normannorum præſulum, auctoritate ſummi pontificis, confirmata per legatum ſuum Ermenfredum epiſcopum Sedunenſem, imponenda illis hominibus, quos Wilielmus Normannorum dux, ſuo juſſu, & qui ante *juſſu ſui erant, & ex debito, ei militiam debebant.

* Forte, juſſum. H.

1. Qui

ANNO CHRISTI 1076.

1. Qui in magno prælio scit se hominem occidisse, secundum numerum hominum pro unoquoque uno anno pœniteat.

2. Pro unoquoque quem percussit; si nescit eum inde mortuum fuisse: si numerum retinet, pro unoquoque quadraginta diebus pœniteat, sive continue, sive per intervalla.

* Dueñ. nonnulli. H.

3. Si autem percussorum vel occisorum * ignorat, ad arbitrium episcopi sui, quoad vivit, uno die in hebdomada pœniteat; aut si potest, vel ecclesiam faciendo, vel ecclesiam largiendo perpetua eleemosina redimat.

4. Qui autem neminem percusserit, si percutere voluerat, triduo pœniteat.

5. De clericis qui pugnaverunt, aut pugnandi gratia armati fuerunt, quia pugnasse eis illicitum erat secundum instituta canonum, ac si in patria sua peccassent pœniteant. Pœnitentiam monachorum secundum regulam suam, & abbatum judicia statuantur.

6. Qui autem tantum præmio adducti pugnaverunt, cognoscant se sicut pro homicidio pœnitere debere.

7. Sed qui in publico bello pugnaverunt pro misericordia tres annos pœnitentiæ ei episcopi statuerunt.

8. De sagittariis, qui ignoranter aliquos occiderunt, vel absque homicidio vulneraverunt, tribus quadragesimis pœniteant.

9. Quicunque, excepto hoc prælio ante regis consecrationem, victus quærendi causa per regnum discurrerunt, hostibus repugnantibus aliquos occiderunt, pro singulis uno anno pœniteant.

10. Qui autem non necessitate victus sed prædandi causa discurrerunt, & alios occiderunt, tres annos pœniteant.

11. Qui autem post consecrationem regis hominem occiderunt, sicut de homicidiis sponte commissis: hoc excepto, ut si quis de illis quemque qui adhuc repugnabant regi, occidit vel percussit, sicut supra pœniteat.

12. De adulteriis, & raptibus, & fornicationibus quibuscumque ac si in patria sua peccassent pœniteat.

13. De violatione ecclesiarum, similiter res quas de ecclesia abstulerunt: Si reddere eidem cui abstulerunt possunt, reddant: Si hoc non possunt alii ecclesiæ reddant. Si autem reddere noluerint; statuerunt episcopi ut neque ipsi vendant, neque alii emant. (a)

ANNO CHRISTI 1076.

CONCILIUM WINTONIÆ,

TEMPORE LANFRANCI ARCHIEPISCOPI.

Exto anno celebratur concilium apud Wintoniam in hæc verba. Anno ab Incarnatione Domini 1076. indict. 14. regnante in Britannia glorioſiſſimo rege Willielmo, præſidente Cantuariæ Lanfranco, totius Britanniæ primate; in Eboraco vero Thoma archiepiſcopo: Eo ipſuam anno in Kalend. Aprilis habita eſt ſynodus Wintoniæ convocata ab eodem Cantuarienſis eccleſiæ primate. In qua fratris noſtri Aylrici Ciceſtrenſis quondam epiſcopi, cauſa canonice definita, & ad certum finem perducta eſt. Decretumque eſt ut nullus canonicus uxorem habeat. Sacerdotum vero in caſtellis, vel in vicis habitantium, habentes uxores, non cogantur ut dimittant; non habentes interdicantur ut habeant; & deinceps caveant epiſcopi, ut ſacerdotes vel diaconos non præſumant ordinare, niſi prius profiteantur ut uxores non habeant, nulluſque clericus aut monachus in epiſcopatu alicujus ſuſcipiatur, abſque epiſcopi ſui literis: Si quis vero monachus, etiam canonice ſuſceptus fuerit, non permittatur eccleſiis publice deſervire, &c. Statutum eſt etiam ne aliquis clericus civilis vel ruſticus, de beneficio eccleſiæ, aliquod ſervitium reddat, præter illud quod fecit tempore regis Eduardi; Laici vero ſi de crimine ſuo accuſati fuerint, & epiſcopo ſuo obedire noluerint, vocentur ſemel, & iterum & tertio: Si poſt tertiam vocationem emendari noluerint; excommunicentur: Si autem poſt excommunicationem & ſatisfactionem venerint, ſorisfacturam ſuam, quæ Anglice vocatur *Dſerhyrneſſe* ſeu *Cabſlite*, pro unaquaque vocatione, epiſcopo reddant. Præterea ſtatutum eſt, ut nullus filiam ſuam, vel cognatam, det alicui abſque benedictione ſacerdotali: Si aliter fecerit, non ut legitimum conjugium, ſed ut fornicatorium judicabitur. Supplantationes vero eccleſiarum omnibus modis interdicimus.

Ex antiq. Britann. eccl. impr. Hanoviæ 1605. p. 144.

JUS JURANDUM ROBERTI

DICTI CARNOTENSIS EPISCOPI.

Cujus meminit Gregorius papa ep. IV. &c. lib. 14.

EGo Robertus promitto omnipotenti Deo, & B. Petro apoſtolorum principi, cujus corpus hic requieſcit, quod in quocumque tempore legatus apoſtolicæ ſedis directus a domino noſtro Gregorio, qui nunc eſt Romanus pontifex, vel ab aliquo ſucceſſorum ſuorum item Romanorum pontificum ad me venerit, infra terminum, quem * ideo legatus mihi conſtituerit, Carnotenſem epiſcopatum, omni occaſione ſublata vel fraude dimittam, & cum bona fide ſtudebo quatenus eccleſia illa ſecundum Deum ordinetur, nihil actum ſe ſciente per me vel per aliquam a me ſummiſſam perſonam, unde eadem eccleſia, vel clerici ejus, meo ſtudio vel malitia læſionem aut detrimentum accipiant. Hoc ſacramentum * ..... domino noſtro Gregorio VII. papa, ego Cono humilis presbyter tituli Chriſti martyris & virginis ſanctæ Anaſtaſiæ ſcripſi, & in eccleſia beati Petri in confeſſione ad corpus ejus ubi factum eſt interfui, interfuerunt etiam Joannes Portuenſis epiſcopus, Theodinus archidiaconus, Gregorius, Bernardus, * diaconi ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & alii

* Porte, *idem Legatus*. H.

* jubente.

* diaconus.

(a) Cl. Spelmannus tria proxime præcedentia concilii Wintonienſis capitula eodem anno promulgata eſſe ſtatuit. Vir eruditus Jo. Johnſonius in Collect. eccl. leg. vol. 2. præfat. canones primos ann. Chr. 1070. ſecundos 1071. tertios 1072. editos fuiſſe aſſerit. Cl. Hondius in Hiſt. convoc. junctiones has de Pœnitentia ad concilium Wintonienſe an. 1070. celebratum refert. *Wilkins*.

& alii duo, videlicet * Ingelrannus decanus Carnotenſis eccleſiæ, & Ivo tunc magiſter ſcholarum in eadem eccleſia. Actum Romæ menſe Aprili indict. 14. ANNO CHRISTI 1076.

* Engelrannus

CONCILIABLUM WORMATIENSE,

Quo ſchiſmatici epiſcopi juſſu Henrici regis congregati Gregorium pontificatu amovendum eſſe declararunt, anno Domini MLXXVI.

Occaſio concilibuli.

GRegorius papa ad Henricum regem ſcripſit epiſtolam, qua cum eo vehementer expoſtulat, tum quod cum excommunicatis epiſcopis communicet, tum etiam quod inveſtituras epiſcopatuum aliorumque beneficiorum illegitime ſibi uſurpet, & decreta ſynodalia contemnat. Quam cum numinis contemptor & cultor perfidiæ acceptiſſet, legatoſque eamdem afferentes contra jus gentium carcere, verberibus & graviſſimis injuriis affixiſſet, mox adverſus pontificem epiſcoporum excommunicatorum & ſchiſmaticorum conventiculum Vormatiæ collegit, in quo per ſummam contumeliam ea conſtituta, edita, & declarata fuerunt quæ a Lamberto his verbis deſcribuntur: *Legatio papæ ſcilicet vehementer regem promovit: ſtatimque abjectis cum gravi contumelia legatis, omnes qui in regno ſuo eſſent epiſcopos & abbates Wormatiæ dominica ſeptuageſima convenire præcipit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum pontificem, ſi qua ſibi via, ſi qua ratio pateret; in hoc cardine totam verti vatus ſalutem ſuam, & regni ſtabilitatem, ſi is non eſſet epiſcopus. Rex ſtatuta die venit Wormatiam, venerunt etiam epiſcopi & abbates amplißimo numero. Commode quoque conficiendis tantis rebus intervenit quidem ex cardinalibus Romanis Hugo cognomento Blancus, quem ante paucos dies propter ineptiam ejus & mores inconditos papa de ſtatione ſua amoverat, deferens ſecum de vita & inſtitutione papæ ſcenicis figmentis conſimilem tragœdiam, ſcilicet, unde oriundus, qualiter ab ineunte ætate converſatus, quam perverſo ordine ſedem apoſtolicam occupaverit, quæ ante epiſcopatum, quæ poſt acceptum epiſcopatum memoratu quoque incredibilia flagitia commiſerit. Hujus auctoritatem tamquam divinitus ſibi deſtinatam gratiſſime amplexati, & promptiſſime ſecuti, ſententiam promulgarunt, quod papa eſſe non poſſit; nec ullam juxta privilegium Romanæ ſedis ligandi aut ſolvendi poteſtatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commaculaverit. Cumque cæteri omnes damnationi ejus nihil baſitantes ſubſcriberent: Adalbero Wirtzeburgenſis epiſcopus, & Herimannus Metenſis epiſcopus aliquamdiu reſtiterunt, dicentes, incongruum valde & contra canonum ſcripta eſſe, ut epiſcopus aliquis abſens, abſque generali concilio, ſine legitimis & idoneis accuſatoribus & teſtibus, necdum probatis criminibus, qua objicerentur, condemnaretur, nedum Romanus pontifex, adverſus quem nec epiſcopi nec archiepiſcopi cujuſdam recipienda ſit accuſatio. Sed Wilielmus Trajectenſis epiſcopus, qui cauſam regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat, ut aut cum cæteris in damnationem papæ ſubſcriberent, aut regi, cui ſub jurejurando fidem ſpopondiſſent, protinus renuntiarent. In eo tempore regi admodum carus acceptuſque erat, eique rex omnium quæ privatim vel publice agenda erant, poſt ſe, ordinationem delegaverat, vir ſæcularibus literis apprime eruditus, ſed faſtu nimio inflatus, vix ſe ipſe ferebat. Igitur ex nomine omnium qui convenerant epiſcoporum & abbatum, plena contumeliarum litera Romam deſtinantur, quibus denuntietur Romano pontifici, ut pontificatu, quem contra eccleſiaſticas leges uſurpaſſet, ſe abdicet; ſciatque poſt eam diem quidquid agat, jubeat, dicernat, irritum haberi.*

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

De eodem Vormatienſi conventiculo hæc noſter Hugo Flaviniacenſis: Verum novi dogmatiſtæ judicia apoſtolica ſpernunt, ſcripturas ſanctas abjiciunt, de corde ſuo prophetantes, & mercedem ſceleratum traditi deſideriis cordium ſuorum in ſuimet a Chriſto abjectione recipientes. Hii igitur concilio Wormatiæ habito, ubi omnis quam patimur calamitas exorta eſt, abjecerunt a ſe jugum diſciplinæ, cum nullam adhuc in illos dominus papa anathematis deſtinaſſet ſententiam, & ſanctæ obedientiæ libellum repudii conſcripſerunt, prælationi ſedis apoſtolicæ ſuperba & repentina temeritate abrenuntiantes. Primum hoc fermentum totam eccleſiæ maſſam corrupit. Conventus hic inter nativitatem dominicam & ſequentem quadrageſimam habitus eſt, ita diſtantibus ſpaciis, ut quæcumque ibi gererentur Romam tempore ſynodi referri poſſent. Die vero natalitio S. Andreæ apoſtoli, ante ipſam diei feſtivitatem apud Bavemberg Heinrico poſito, tanta adhuc inter regnum & ſummum ſacerdotium vigebat concordia, ut deſtitutio pontificis urbis ipſius, & ſubſtitutio alterius obedientiæ domini papæ deputaretur. Ille igitur qui ante nativitatem dominicam tantæ in eccleſia magnificentiæ erat, ut ad nutum illius mutationes ordinum fierent, paucis poſt nativitatem diebus inconventus, & inauditus proſcriptus eſt, & quantum ad illos depoſitus. Ex die enim qua tanti ab hominibus habitus eſt, nullam eorum legationem accepit, uſque dum illa veniret qua dictum eſt, Deſcende, deſcende, interdicimus tibi jus omne papatus.

Concilium Vormatiæ.

AD WORMATIENSE CONCILIABULUM,

In quo Gregorius amovendus judicatus eſt Anno 1076. tempore Quadrageſimæ celebratum

ADDITIO.

Ex Manſi Suppl. Tom. II. p. 10. Anno 1076.

PRater ea, quæ de concilio iſto ſcribunt Lambertus, & Hugo Flaviacenſis, quorum verba dedis Labbeus, hæc pariter addere juvat ex Annaliſta E Saxone Eccardi ad An. 1076.

Concilium habitum eſt apud Wormaciam præſente rege Heinrico, qui Heinricus correptiones do-

☞ domini Apoſtolici dedignatus cum ſuis deceptoribus ſingulis vel binis conſilium iniit, qualiter vicem redderet contumeliæ, quod eum Romanus pontifex minatus ſit excommunicandum, cum id priſcis temporibus foret inauditum. Unde factum eſt ut Wormatiæ concilio epiſcoporum habito, omnes pene Teutonici regni, præter paucos de Saxonia, pontifices papam Hildebrandum Gregorium abdicarent, mittentes epiſtolam ad illum poſt multas culpationes in illum conjectas ita concluſam: *quia ergo & introitus tuus tantis perjuriis initiatus, & eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem tuarum novitatum periclitatur, & vitam converſationemque tuam tam multiplici infamia deboneſtaſti, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero ullam ſervaturos, renuntiamus, & quia nemo noſtrum, ut tu publice declamaſti, tibi hactenus fuit epiſcopus, tu quoque nulli noſtrum eris apoſtolicus.* Rex vero ne ullus eorum poſſet id poſtmodum negare, fecit unumquemque eorum propria manu nomine ſuo prænotato cartis ſingulis inſcribere abdicationem in Hildebrandum hoc modo *Ego N. Civitatis N. epiſcopus Hildebrando ſubjectionem, & obedientiam ex hac hora, & deinceps interdico, & eum Apoſtolicum nec habebo, nec vocabo.* Sciendum vero, quod pauci epiſcoporum hæc fecerunt ex animo, qui & ipſi auctores fuere conſilio, plures vero mortis timore tunc ſubſcripſerunt. Sed cum primum data eſt opportunitas, Apoſtolico ſupplices confeſſionis literas direxerunt, reos ſe profitentes, ſed excuſationem neceſſitatis obtendentes.

ANNO CHRISTI 1076.

ANNO CHRISTI 1076

☞ LITERÆ HENRICI,

Quibus epiſcopos invitat ad conciliabulum hoc Wormatienſe.

Servantur nobis ab Udalrico Bambergenſi in ſuo Cod. ex quo hic dandas cenſeo ut de conventu hoc ſchiſmaticorum plenius erudiamur.

Ibid pag. 10. Udalricus in Cod. n. 146.

HA Dei gratia rex A. gratiam ſalutem & dilectionem. In maximis negotiis, maximis maximorum opus eſt conſiliis, qui & facultatem habeant exterius & voluntate non careant interius, ut rei, cui bene cupiunt, bene conſulere, & velint & poſſint, quod in cujuslibet rei profectu nec facultas ſine voluntate, nec voluntas ſine facultate proderit. Quod utrumque tu fideliſſime, ut arbitramur æqualiter poſſides, vel ut verius dicamus licet maximo tibi maxima non deſit voluntas, major tamen adhuc maxima facultate, ſi bene te novimus, ſi fidem tuam diligenter notavimus, in noſtram & regni utilitatem exuberat voluntas. De præteritis itaque fideliter exhibitis in futuris creſcit ſpes de fidelibus exhibendis. Tuæ autem dilectioni committimus, ne ſpe noſtra minor ſit fides tua, quod de nullius regni principum fidelitate, quam tua ſperamus majora, ſicut hactenus non modo in præteritarum rerum promiſſione tua gaviſi ſumus. Adſit igitur hoc in tempore opportuno tua cum facultate voluntas, quod non modo noſtra, verum etiam omnium coepiſcoporum tuorum fratrum in unum, & totius oppreſſæ eccleſiæ exoptat neceſſitas. Non enim hanc oppreſſionem ignoras, tantum vide ne oppreſſæ eccleſiæ ſolatium ſubtrahas, ſed regno & ſacerdotio condoleas. Quo utroque ſicut uſque eccleſia eſt exaltata, ita nunc humiliatur heu utroque viduata. Nam unus dum utrumque ſibi vendicavit, utrumque diſſipavit. Nec in uno profuit, qui in neutro prodeſſe voluit nec potuit. Et ne diutius notati nomine te ſuſpendamus, accipe quod dicimus, Hildebrandum ſcilicet monachum habitu quidem Dominum apoſtolicum, nec paſtoris cura, ſed invaſoris violentia apoſtolicæ ſedi præſidentem, & de ſede pacis catholicæ pacis unicæ vinculum diſſipantem ut tibimetipſi in promptu eſt ſcire. Ut tamen de pluribus pauca referamus, regnum & ſacerdotium Deo neſciente ſibi uſurpavit, in quo piam Dei ordinationem contempſit, quæ non in uno, ſed in duobus duo & regnum & ſacerdotium principaliter conſiſtere voluit, ſicut ipſe ſalvator in paſſione ſua de duorum gladiorum ſufficientia typice intelligi innuit, cui cum diceretur: Domine ecce duo gladii hic, reſpondit ſat eſt, ſignificans hac ſufficiente dualitate ſpiritualem & carnalem gladium in eccleſia eſſe gerendum, quibus omne nocivum foret amputandum, videlicet ſacerdotali ad obedientiam regis poſt Dominum, regali vero gladio ad expugnandos inimicos exterius, ad obedientiam interius, omnes homines fore docens conſtringendos, ut ita de alio in alium caritate intenderetur, dum nec ſacerdotii regnum, nec ſacerdotium regni honore privaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica inſania confuderit, tu ipſe noſti. Nam nullum ejus judicio licet eſſe ſacerdotem, niſi qui hoc a faſtu ſuo emendicaverit; me quoque quem Deus in regnum, non autem ad ſacerdotium illum vocavit, quod me de Deo non de ipſo regnare velle vidit, quod ipſe me regem non conſtituit, regno me privare ſtuduit, minitans regnum & animam ſe mihi tollere, quorum neutrum illi Deus conceſſit. Hæc enim his ſimilia, cum ſæpius in noſtram, ut ipſe noſti, contumeliam ſtruxerit, non tamen adhuc ſufficere credit, quoniam de die in diem nova & inexquiſita confuſionis genera nobis ingerat, ut in noſtris nunciis argumenta dedit. Nam carta exponere non ſufficit, qualiter eoſdem nuncios tractaverit, quam indignis modis eos affecerit, quam crudeliter eos incarceraverit, & incarceratos nuditate, frigore, fame, ſiti & plagis contriverit, ſicque demum martyrum exemplo per medium civitatis circumductos, omnibus ſpectaculum præbere juſſit, ita ut eumdem cum Decio tyranno inſanire, & ſanctos affare credas & dicas. Unde ne pigeat, dilectiſſime, ne pigeat omnium noſtrorum ſcilicet & meæ & coepiſcoporum tuorum petitioni ſatisfacere, ut in Pentecoſten Wormatiam venias, & ibi plura, quorum pauca docet cartula cum cæteris principibus audias, & quid agendum ſit doceas, rogatus per dilectionem coepiſcoporum, & monitus per eccleſiæ utilitatem, obligatus per vitæ noſtræ & regni totius honorem.

☞ EJUSDEM AD GERMANOS.

De eodem argumento.

Ibid. pag 11.

HA Dei gratia rex archiepiſcopis, epiſcopis, marchionibus, comitibus, & cujuſcumque dignitatis ordinis bonis ſuæ voluntatis glorioſam dignationem. Quia manſuetudini noſtræ contra ſedem

ANNO CHRISTI 1076.

apoſtolicam, ejuſque venerandum præſulem Dominum Gregorium papam ab aliquibus ſubreptum eſſe fidelium noſtrorum ſuggeſtione recognovimus. Placuit nobis priorem ſententiam ſalubri conſilio mutare, & more anteceſſorum noſtrorum progenitorumque eidem ſacroſanctæ ſedi, & qui ei præeſſe dignoſcitur Domino Gregorio papæ per omnia debitam ſervare obedientiam, & ii quid in eum gravius præſumptum eſt, competenti ſatisfactione componere. Volumus autem, ut & vos ſerenitatis noſtræ exemplo admoniti, ſolemnem beato Petro ejuſque vicario ſatisfactionem exhibere non dubitetis, & quicumque ejus banno ſe adſtrictos intelligunt, ab ipſo videlicet domino papa Gregorio ſolemniter abſolvi elaborent.

ANNO CHRISTI 1076.

CONCILIUM TRIBURIENSE

TRiburiæ ad Rhenum in Germania celebratum fuiſſe volunt concilium præſidibus Sigehardo patriarcha Aquilegienſi & Altmanno epiſcopo apoſtolicæ ſedis legatis pro depoſitione A Henrici IV. Imperatoris, qui tamen frequentibus miſſis ad epiſcopos legationibus pollicitus eſt omnimodam ſatisfactionem ac vitæ morumque emendationem.

CONCILIUM ROMANUM III.

QUO HENRICUS REX GERMANIÆ,

Sigefridus Moguntinus, Wilielmus Trajectenſis, & Robertus Bambergenſis epiſcopi excommunicantur, anno Domini MLXXVI. tempore Gregorii papæ VII.

De excommunicatione Sigefridi & Henrici regis. Lambertus an. 1076

ANno ab incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimoquinto, indict. XIV. celebravit ipſe (a) dominus Gregorius papa Romæ ſynodum in eccleſia Domini Salvatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, ubi interfuit epiſcoporum & abbatum, atque diverſi ordinis clericorum & laicorum copia, in qua, inter cætera decreta quæ ibi geſta ſunt, excommunicavit Sigefridum Moguntinum archiepiſcopum in hunc modum: Sigefridum Moguntinum archiepiſcopum, qui conatus eſt epiſcopos atque abbates regni Teutonicorum a ſancta Romana eccleſia, videlicet ſpirituali matre ſua, ſcindere, judicio ſancti Spiritus & auctoritate beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ab omni epiſcopali officio ſuſpendimus, & a communione corporis & ſanguinis Domini ſeparamus, niſi forte mortis periculum ſuperveniat, ita tamen ut pœnitentia ductus reſipiſcat. Cæteros vero qui ſua ſponte ejus ſchiſmati conſentiendo ſubſcripſerunt, & in ea iniquitate perdurare volunt, ſimiliter ab omni epiſcopali officio ſuſpendimus. Illos vero qui non ſponte conſenſerunt, uſque ad feſtivitatem ſancti Petri ſufferimus, eo quidem reſpectu, ut ſi intra iſtum terminum idoneam aut per ſe aut per nuntios ſuos ſatisfactionem præſentiæ noſtræ non obtulerint, epiſcopali deinceps officio priventur.

Excommunicatio epiſcoporum Longobardiæ.

Epiſcopos Longobardiæ, qui ſpreta canonica & apoſtolica auctoritate contra beatum Petrum apoſtolorum principem ſacramentum conſpiraverunt, auctoritate ejuſdem beati Petri ab omni epiſcopali officio ſuſpendimus, & a communione ſanctæ eccleſiæ ſeparamus.

Excommunicatio epiſcoporum ultramontanorum.

Agathenſem epiſcopum Berengarium, * quia Narbonenſi epiſcopo excommunicato communicavit, & vices epiſcopales pro illo fecit, excommunicamus. Viennenſem epiſcopum Herimannum juſte depoſitum pro ſimonia, perjuriis, ſacrilegiis, & apoſtaſia, quia Viennenſem eccleſiam infeſtare non deſiſtit, excommunicamus: & eccleſiis Romanenſi & ſancti Irenæi Lugdunenſi, quouſque eas occupaverit, divinum interdicimus officium. Deſiderium & Romanenſis eccleſiæ clericos, qui regulares noſtros ab ea expulerunt, & excommunicatis communicaverunt, inde, donec ſatisfaciant, excommunicamus. Abbatem ſancti Ægidii ſimiliter, & comitem ſancti Ægidii, propter conſanguineam, & comitem Forenſem, & * Umbertum de Bellogioco propter infeſtationes Lugdunenſis eccleſiæ: Podienſem ſimoniacum, homicidam Stephanum, ſcilicet a legatis noſtris excommunicatum, & Pontium Gratianopolitanum, quouſque reſipiſcat, excommunicamus: & ea quæ Dienſis epiſcopus in epiſcoparu Dienſi de decimis & primitiis & eccleſiis fecit, & cætera quæ in legatione noſtra ſtatuit, nos quoque confirmamus.

* Imbertum de Bellojoco

Excommunicatio Henrici regis Teutonicorum.

Beate Petre apoſtolorum princeps, inclina quæſumus pias aures tuas nobis, & audi me ſervum tuum quem ab infantia nutriſti, & uſque ad hunc diem de manu iniquorum liberaſti, qui me pro tua fidelitate oderunt & odiunt. Tu mihi teſtis es, & domina mea mater Dei, & B. Paulus frater tuus, & omnes ſancti, quod tua ſancta Romana eccleſia me invitum ad ſua gubernacula traxit, & ego non rapinam arbitratus ſum ad ſedem tuam aſcendere, potiuſque volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria mundi ſæculari ingenio arripere; & ideo ex tua gratia, non ex meis operibus, credo quod tibi placuit & placet, ut populus Chriſtianus tibi ſpecialiter commiſſus mihi obediat, ſpecialiter pro * vita tua mihi commiſſa, & mihi tua gratia eſt poteſtas a Deo data ligandi

* qui

* f. vice B. & Ab Alexia.

(a) *In Cod. Mutin. deeſt* Dominus.

ANNO CHRISTI 1076.

di atque ſolvendi in cælo & in terra. Hac ita- A
que fiducia fretus pro eccleſiæ tuæ honore & de-
fenſione, ex parte omnipotentis Dei Patris &
Filii & Spiritus ſancti, per tuam poteſtatem &
auctoritatem, Henrico regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam eccleſiam inaudita ſuperbia inſurrexit, totius regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Chriſtianos a vinculo juramenti, quod ſibi fecere vel facient, abſolvo, & ut nullus ei ſicut regi ſerviat, interdico. Dignum eſt enim ut qui ſtudet honorem eccleſiæ tuæ imminuere, ipſe honorem amittat quem videtur habere. Et quia ſicut Chriſtianus contempſit obedire, nec ad Dominum rediit quem dimiſit, participando excommunicatis, meaque monita, quæ pro ſua ſalute ſibi miſi, te teſte, B
ſpernendo, ſeque ab eccleſia tua, tentans eam ſcindere, ſeparando; vinculo eum anathematis vice tua alligo: & ſic eum ex fiducia tua alligo, ut ſciant gentes, & comprobent quia tu es
Matth. 16. Petrus, & ſuper tuam petram Filius Dei vivi ædificavit eccleſiam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Acta concilii quæ?

Concilium.) Quæ in hac ſynodo Romæ acta fuerint, ſummatim apud Lambertum recenſentur his verbis: *Legati, ut juſſum fuerat, ſummo conatu iter accelerantes, priùs quam a papa Romæ ſynodus indicta celebraretur*, (erat ex more prima hebdomada quadrageſimæ.) *Romam ingreſſi literas tradunt. Tunc ceteram legationem, ſicut in mandatis habebant, verbo non minus contumelioſo quam ſcripto exequuntur. Papa nihil permotus atrocitate nuntii, poſtera die, cum clerus & populus ad ſynodum frequens conflaviſſet, in auribus omnium literas rectari fecit. & ſic cunctis qui convenerant epiſcopis id fieri decernentibus, regem excommunicat, & cum eo archiepiſcopum Moguntinum Sigefridum, epiſcopum Trajectenſem Wolfhelmum, epiſcopum Bambergenſem Robertum. Cæteris qui conſpirati his bujus factionis exiſtimant diem ſtatuit, quo, niſi Romam præſentati conſenſu dicterem, novæ hujus & inauditæ contra ſedem apoſtolicam rebellionis ſimili ac cæteris excommunicationis ſententiam ſortirentur. Porro Ottonem Reſiponenſem epiſcopum, & Ottonem Conſtantienſem epiſcopum, & Burchardum Lozanenſem epiſcopum, Eberhardum comitem, Udalricum, & alios nonnullos, quibus rex potiſſimum conſiliariis utebatur, jampridem excommunicaverat.* In eadem hac ſynodo, teſte Domnizona presbytero in vita Mathildis Gregorius papa ad repræſentandum & experimendum totius tragœdiæ, quam cum rege habebat, argumentum, hoc uſus eſt ſymbolo: *Anguis quidam*, inquit, *percuſſus ſeipſum ſpiris collegit, qui dum morſu rabido omnem lapidem juxta ſe poſitum ad lædendum appeteret, a lapide quem lædere intendebat ipſe læſus aufugit.* Quod ſymbolum ea haud dubie intentione dixit, ut ſignificaret petram, quæ eſt eccleſia, furore perſequentis regis læſi non poſſe; ipſum vero potius læſi, qui eam perſecutione lacerandam attentavit. Verba Domnizonis presbyteri metrice conſcripta iſta ſunt.

Incipiens ſynodum paſtor Gregorius, ovum
Gallinæ ſculptum, geſtans in cortice ſcutum
Et colubrum nigrum, qui vendebat caput, ictu
Quippe repercuſſus quodam, pertingere ſurſum
Non poterat, caudamque plicans dabat ſinuatam.
Non erat hæc plana, ſed erat ſculptura levata.
Ad ſynodum fertur, nunquam par ante repertum.
Quod dum miratur, prædictus ecce Rolandus
In medium venit, papæ mox dicere cœpit:
Rex juſſit terræ, juſſerunt pontificeſque,
Ut linquas ſedem quam non es dignus habere.
Romanis clericis mox idem portitor inquit.
Cœſos in pente Romam, ceſſor, venies rex.
Miſſurus papam, lupus hic, non eſt quia papa.

Hæc eadem de Rolando habent acta ipſius Gregorii, quibus ejuſdem pontificis vita texitur, & reliqua conſentientia his ſubjiciuntur. Nam pergit Domnizo:

Has geſtare decet virtutes non modo vere,
Atque crucem Chriſti ſtudeamus ferre metipſi.
Non nos a Chriſto tribulatio ſeparet iſta
Tempore, ſed colla ſubdamus membraque noſtra
Martyrio. Verbo fidei feriatur his ergo
Oſtenſus ſerpens, qui ſcutum geſtat & enſem
Adverſus matrem Romanam catholicamque
Eccleſiam Chriſti de ſanguine rubra benigni.
Plura loquens papa, dixit ſynodus ibi ſancta:
Tu pater es patrum, blaſphemum contere, pravum,
Eſt noſtrum quippe juſſis parere, tuiſque
Pro Chriſto miſtem patienter glifcimus omnes.
Judicium confer, gladium trahe, percute ſortem.
Omnibus excelſo dignum clamantibus eſſe
Privari regno regem, maledicere nec non.
Papa dolens vinclis anathematis illico ſtrinxit
Regem prædictum. Cui regnum devetat ipſum.
In quadrageſima ſynodus celebrata ſit iſta.
Qui Petrum ſanctum, qui papam diligit almum,
Hoc anathema probat.

ANNO CHRISTI 1076.

Eadem habentur in rebus geſtis ſancti Anſelmi Lucenſis epiſcopi his verbis: *Inaudita deinde audacia & admirabili ſuperbia ſui factoris compotes, nec dicendos colligis epiſcopos in civitatem Vvormatiam, habitoque conciliabulo, proſcripſerunt primæ ſedis epiſcopum; quod a ſæculis non eſt auditum. Fecit deinceps legationem in Italiam, eamdem affirmans præſumptionem per ſchismaticos ſibi complices epiſcopos. Hujus legationis latet fuit quidam * Ebarardus nomine, Teutonicus natione, filius ſæculi, hamus diaboli, inventor omnis fere mendacii. Hic circuivit, & perambulavit terram, ut ſchismatica omnes inficeret contagione. Multos certe, qui propter interdictum domini papæ divino ab officio ceſſaverant, ipſe interdictus & vinculo perditionis ligatus inaudita temeritate ac ſuperbia reconciliavit; & ex parte domini ſui regis, ut officium more priori celebrarent, indixit.* C

Cum igitur diſſimulare amplius ſancti factoris malitiam non poſſet apoſtolicus, excommunicavit tam ipſum quam omnes ipſius fautores, atque omnem ſibi regiam dignitatem interdixit, & obligatos ſibi ſa ramentis ab omni debito fidelitatis abſolvit. Quia (quod verecundum etiam eſt dicere) præter barbariam, quam præhibavimus, culpam aderant in ſancto concilio nuntii illius ſic audentes lavare: Præcipit dominus noſter rex, ut ſedem apoſtolicam; papatum utpote ſuum, dimittas, nec locum hunc ſanctum ultra impedias. Proh nefas! O execrabilem infelicifſimi hominis temeritatem! En ſuum eſſe dixit quod ſolum apoſtolorum principi Petro Chriſtus dominus commiſit; nec ſubito quidem commiſit, verum tertio antequam committeret interrogavit; Simon, inquiens, amas me? paſce oves meas. Non regem, non imperatorem, aut aliquam Chriſtianæ profeſſionis conditionem excepit, præter eam quæ ſuam ſe ovem eſſe negaverit. Igitur quem ſui ſolius judicio dominus reſervavit, hic non ſolum judicare, verum etiam ſuum dicere, & quantum in ſe eſt, audet damnare. Quam ob cauſam omnis illa ſancta ſynodus jure indignata, anathema illi conclamat atque confirmat. Hactenus de his ibi. D Joan. 21

In vita autem ejuſdem pontificis additur, quod ſequenti die, poſt Rolandi illius in ſynodo habitam invectivam orationem, allatæ ſunt literæ pœnitentium epiſcoporum. Sunt autem hæc ibi ſcripta: *Die vero altera ab epiſcopis ultramontanis literæ ad pontificem ſunt allatæ, in quibus confitebantur ſe erraſſe, & nimium deliquiſſe: qui poſtulabant quoque veniam, & omnia de cetero ſibi obedientiam obſervaturi firmiter ſpoponderunt. Vixque ſedato tumultu, ſynodalis tractatus in tranquillitate proceſſit. Sed cum tempus jam inſtaret abſolvendi ſynodum pontifex habito cum centum & decem epiſcopis ſtiliori conſilio, in eumdem regem, qu eccleſiaſticam unitatem ſcindere attentavit, excommunicationis ſententiam protulit, & uſque ad condignam ſatisfactionem ſententiam ipſam firmiter obſervari præcepit.* Quod quidem pie, ſancte, juſte, riteque factum prædeceſſorum exemplis pluribus auctor docet. Gregorius igitur ubi anathematis ſententia in ſynodo perculit Henricum regem, & omnes qui perpetrati ſceleris fuiſſent auctores, ad omnes Chriſti fideles has literas dedit, quibus & ſententiam excommunicationis in eoſdem latam adjungit: E

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus, qui cupiunt ſe annumerari inter oves quas Chriſtus beato Petro commiſit, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Audiſtis fratres novum & inauditum, &c. ut ſupra epiſt. 6. lib. 3.

Ad hanc quoque ſynodum ſpectare noſcuntur ſententiæ illæ breviores, quas inter epiſtolas Gregorii lib. 2. poſt epiſt. 55. habentur hoc titulo inſcriptæ: *De Statu papæ.* Quas ſine dubio pontifex eo conſilio promulgavit, ut rex ex his audaciam ſchismaticorum epiſcoporum & principum hoc tempore in Romanam eccleſiam inſurgentium experiretur. Vide Baronium anno 1076. numero 16. & ſequentibus.

AD CONCILIUM ROMANUM

Anno 1076. habitum.

ADDITIO.

Anno 1076. Mans Suppl. T. II pag. 16.

SCitum eſt, Romani hujus concilii habendi cauſam præbuiſſe impudentiam Henrici Germaniæ regis, quo agente conciliabulum Wormatiæ coactum eo devenerat audaciæ, ut Gregorium e pontificali ſede dejiceret. Cujus definitionis auctoritate fretus Henricus literas injuriarum plenas dedit ad Hildebrandum ſeu Gregorium papam, quas integras inſeruit in aliis literis ea de cauſa ad Romanum clerum deſtinatis. Hæ vero literæ tum quæ ad Henricum, cum quæ ad Romanos ſcriptæ ſunt per bajulum miſſæ Gregorii juſſu recitatæ ſunt in plena Romana ſynodo anni 1076. teſte annaliſta Saxone Eccardi ad ann. 1076. ex quo eaſdem literas integras habemus. Cum igitur ad acta ſynodi hæc pariter ſcripta pertineant, æqui bonique fatient lectores eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſi; ſi huc translatas habeant; quos tamen præmonitos volo ut quæ in Gregorium fœda jactantur, hæc dicta accipiant ab homine impotenti, qui commoti animi inſanias non veritatis conſilia ſequitur.

Henricus Dei gratia rex, univerſo ſanctæ Romanæ eccleſiæ clero & populo, gratiam, ſalutem, & omne bonum.

Hæc fides firma & inconcuſſa creditur, quæ ſemper & eadem & præſenti, & abſenti ſervatur, nec diuturna ejus, cui debetur, abſentia, nec longi temporis tædio immutatur, quam talem vos nobis ſervare ſcimus, & gratias agimus; & ut eadem perſeveret petimus, videlicet, ut ſicut facitis, amicis noſtris amici, inimicis inimici jugiter exiſtatis. Inter quos ſcilicet Hildebrandum monachum notantes, vos in ejus inimicitiam excitamus; qui huic eccleſiæ invaſorem & oppreſſorem, & Romanæ reipublicæ, vel regni noſtri inſidiatorem deprehendimus, ut in ſequenti epiſtola, ſibi a nobis directa, in promptu eſt.

Heinricus Dei gratia rex, Hildebrando.

CUm hactenus ex te ea, quæ patris ſunt expectarem, tibique in omnibus magna fidelium noſtrorum indignatione obedirem; percepi a te viciſſitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique noſtri pernicioſiſſimus eſſet hoſtis. Nam cum in primis omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa ſede debebatur, ſuperbo auſu rapuiſſes; longius inde progrediens, regnum Italiæ peſſimis artibus alienare tentaſti. Nec hoc contentus, in reverendiſſimos epiſcopos, qui nobis velut dulciſſima membra uniti ſunt manum mittere non timuiſti, eoſque ſuperbiſſimis injuriis acerbiſſimiſque contumeliis contra divina & humana jura, ut ipſi ajunt, exacerbaſti. Quæ omnia cum ego quadam patientia diſſimularem, tu hoc non patientiam, ſeu ignaviam exiſtimans, in ipſum caput auſus es inſurgere, mandans quæ noſti, ſcilicet, ut tuis verbis utar, quod aut tu morieris, aut mihi animam regnumque tolleres. Hanc inauditam contumaciam ego, non verbis, ſed re confutandam dijudicans, generalem conventum omnium regni primatuum, ipſis ſuppli- A cantibus, habui, ubi cum ea quæ hactenus metu & reverentia tacebantur in medium deducta fuiſſent, veris aſſertionibus illorum, quas ex ipſorum literis audies, palam factum eſt, te nullatenus in apoſtolica ſede poſſe perſiſtere. Quorum ſententia, quia juſta & probabilis coram Deo hominibuſque videbatur, ego quoque aſſentiens, omne tibi papatus jus, quod habere viſus es, abrenuntio, atque ut a ſede urbis, cujus mihi patriciatus, Deo tribuente & jurato Romanorum aſſenſu debetur, ut deſcendas edico.

Hæc ſeries epiſtolæ noſtræ ad Hildebrandum monachum, quam idcirco & vobis ſcripſimus, ut & vobis noſtra voluntas, & nobis, imo Deo & nobis veſtra ſatisfaciat caritas. Exurgite igitur in eum, fideliſſimi, & ſit primus in fide, primus in ejus damnatione. Non autem ut ſanguinem ejus fundatis dicimus, quippe cum major ſit ei poſt depoſitionem pœna vita, quam mors; ſed ut eum, ſi nolit deſcendere, cogatis, & alium communi omnium epiſcoporum & veſtro conſilio a nobis electum in apoſtolicam ſedem recipiatis, qui quod iſte in eccleſia vulneravit, curare & velit & poſſit.

HEINRICUS

Non uſurpative, ſed pia Dei ordinatione rex, Hildebrando, jam non apoſtolico, ſed falſo monacho.

HAnc talem pro confeſſione tua ſalutationem promeruiſti, qui nullum in eccleſia ordinem præteriiſti, quem confuſionis, non honoris, maledictionis non benedictionis participem non feceris. Ut enim de multis pauca & egregia loquamur; rectores ſanctæ eccleſiæ, videlicet archiepiſcopos, epiſcopos, presbyteros, non modo tangere ſicut Chriſtos Domini non timuiſti, quin ſicut ſervos nercientes quid faciat Dominus eorum ſub pedibus tuis calcaſti; in quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi compar fli, quos omnes nil ſcire, te autem omnia poſſe judicaſti, qua utique ſententia, non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem uti ſtuduiſti, ut jure hoc B. Gregorium, cujus nomen tibi vindicaſti, de te prophetaſſe credimus ſic dicentem: *Ex affluentia ſubjectorum plerumque animus prælati extollitur, & æſtimat ſe plus omnibus poſſe, cum ſe videt plus omnibus poſſe.* Et nos quidem hæc omnia ſuſtinuimus, dum apoſtolicæ ſedis honorem ſervare ſtuderemus; ſed tu humilitatem noſtram timorem fore intellexiſti, ideoque & in ipſam regiam poteſtatem, nobis a Deo conceſſam, exurgere non timuiſti, quam te nobis auferre auſus es minari; quaſi nos a te regnum acceperimus; quaſi in tua, & non in Dei manu, ſit regnum vel imperium, qui Dominus noſter Jeſus nos ad regnum, te autem non vocavit ad ſacerdotium. Tu enim his gradibus aſcendiſti, ſcilicet aſtutia, quod monachica profeſſio abominatur, pecuniam pecunia, favorem favore, ferrum ferro; ſedem pacis adiſti, & de ſede pacis pacem turbaſti, dum ſubditos

tos in prælatos armasti, dum episcopos nostros a Deo vocatos, tu non vocatus, spernendos docuisti, dum laicis ministerium eorum super sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponant vel contemnant, quos ipsi a manu Dei per impositionem manuum episcopalium docendi acceperant. Me quoque, qui licet indignus inter Christos ad regnum sum unctus, tetigisti, quem sanctorum patrum traditio soli Deo judicandum deponendumque commiserit. Ipse quoque verus papa B. P. clamat: *Deum timete, regem honorificate*. Tu autem, quia Deum non times, me constitutum ejus inhonoras. Unde B. Paulus ubi Angelo de cœlo, si alia prædicaverit, non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Tu ergo hoc anathemate, & omnium episcoporum nostrorum judicio, & nostro damnatus, descende; vindicatam sedem apostolicam relinque; alius in sedem Beati Petri ascendat, qui nulla violentiam religione palliet, sed B. Petri sanam doctrinam doceat. ANNO CHRISTI 1076.

A Ego Heinricus Dei gratia cum omnibus episcopis nostris tibi dicimus: descende, descende. ANNO CHRISTI 1076

„ Quæ literæ (subdit Annalista Saxo Eccardi) cum domno papæ in basilica Lateranensi „ sanctæ synodo præsidenti fuissent allatæ, & coram synodo palam recitatæ, tanta fit in ec„ clesia commotio, ut legatus (Henrici) nisi in„ ter apostolici pedes defensionem inseniisset, „ membratim laniatus interiisset. Sequenti die do„ minus papa coram synodo declaravit, qua man„ suetudine regem de magnis criminibus corri„ puisset; utque episcopos a captivitate liberaret, B „ quanta suavitate rogasset & justisset, quamtam„ que superbiæ amaritudinem recepisset. Deinde „ cunctis acclamantibus, ne talis contumelia re„ maneret inulta, omnium consilio & consensu „ Henricum synodali judicio damnavit, regisque „ nomine & honore privavit, atque anathematis „ gladio percussit. B. Petre apostolorum princeps „ &c. *edidit Labbeus*.

Ibid. pag. 18.

SALONITANUM CONCILIUM II.

In quo Demetrius rex Dalmatiæ constitutus fidelitatem, & annuum tributum ecclesiæ Romanæ spondet.

Coram A. S. Legatis Anno 1076. celebratum.

Anno 1076. MUratorius in Antiquitatibus medii ævi Dissert. LXIX. excerpta quædam ex codice Cencii Camerarii proferens hanc in synodo Salonitana factam a Demetrio Dalmatiæ rege sponsionem in manibus apostolicorum legatorum recitat in hanc sententiam:

Murator. Antiq. Ital. to. V. col. 840. *Ex Synodo habita in Dalmatia a Legatis VII. papæ Gregorii, scilicet a Gebizone tunc monasterii Sanctorum Bonifacii, & Alexii abbate, nunc vero Casinate episcopo, nec non & a Polcuino Forosempronii episcopo, quæ synodus habetur in archivio sacri palatii Lateranensis, in qua de regno, & de rege Dalmatiæ ita inter cætera legitur.*

De censibus, sive tributo CC. Bisantinorum, quos debet Rex Croatiæ, atque Dalmatiæ, & fidelitate ecclesiæ Romanæ præstita ab eodem.

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVI. Indictione XIV. mense octobri. Ego Demetrius, qui & Sumimir nuncupor, Dei gratia Croatiæ Dalmatiæque Dux, a te Domne Gebizo ex Apostolicæ sedis legatione, Domni nostri papæ Gregorii potestatem obtinens, in Salonitana basilica S. Petri, synodali, & concordi totius cleri, & populi electione, de Croatorum, Dalmatinorumque regni regimine per vexillum, ensem, sceptrum, & coronam investitus atque constitutus Rex, tibi devoveo, spondeo, & polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reverenda injungit sanctitas. Videlicet, ut in omnibus & per omnia apostolicæ sedi fidem observem, & quidquid hoc in regno tam apostolica sedes, quam sui legati sanxerunt, aut sanxerint, irrevincibiliter custodiam, justitiam excolam, ecclesias defendam; primitiæ, decimæ, omniumque ad ecclesias pertinentium, procurator existam; vitæ, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, subdiaconorumque, ut caste & regulariter vivant, provideam: pauperes, viduas, atque pupillos protegam; parentelæ illicitam copulam destruens, C legitimam dotem annulo, sacerdotisque benedictione constituam, & constitutam corrumpi non permittam; hominum venditionem contradicam; atque in omnibus quæ ad rectitudinis statum congruunt, Deo auctore, me æquum exhibeam. Ducentorum quoque Bizantiorum tributum, meorum omnium consultu Primatuum, Sancto Petro per singulos annos in resurrectione Domini, de mihi concesso regno persolvendos statuo; & ut post me regnaturi, hoc idem perpetuo servent, censeo, corroboro, atque sancio. Dono insuper, concedo, atque confirmo apostolicæ Sedi, S. Gregorii monasterium, cui Urana est vocabulum, cum omni suo thesauro, scilicet cum capsa argentea, reliquias sacri corporis ejusdem B. Gregorii con- D tinente, cum duabus crucibus, cum calice, & patena, cum duabus coronis aureis, gemmis ornatis, cum evangeliorum textu de argento, cumque omnibus suis mobilibus, & immobilibus bonis: ut Sancti Petri legatis semper sit ad hospitium, & omnino in potestate eorum. Hoc tamen interposito tenore, ut nulli alii potestati detur, sed omni tempore S. Petri sit proprium, & a me, meisque successoribus defensum, atque ab omni homine liberum, & securum. Cujuscumque autem audacia temerario ausu præfatum monasterium ex assignato thesauro privaverit, terribilem illam Judicis vocem, quam Diabolus cum suis Angelis auditurus est, audiat. Præterea cum Deo servire regnare sit, vice B. Petri, & Domni nostri Papæ Gregorii, atque post se sessurorum in E Apostolica Sede, me tuis manibus committo, & committendo, hanc fidelitatem sacramento stabilio. Ego, inquam, Demetrius, qui & Sumimir, Dei gratia, & Apostolicæ Sedis dono Rex ab hac hora in antea S. Petro, & Domno meo Gregorio Papæ, suisque successoribus canonice intrantibus ero fidelis; & ut ipse, sive post eum futuri Pontifices, sive Legati eorum vitam, aut membra perdant, aut capiantur, neque in consilio, neque in facto ero; & consilium, quod mihi crediderint, ad illorum damnum scienter nulli intima-

mabo. Regnum autem, quod mihi per manum A tuam, Domne Gebizo, traditur, fideliter retinebo, & illud, ſuumque jus Apoſtolicæ Sedi aliquo ingenio aliquando non ſubtraham. Domnum meum Papam Gregorium, & ſuos ſucceſſores, atque Legatos, ſi in meam noteſtatem venerint, honorifice ſuſcipiam, & honeſte tractabo, & remittam, & undecumque me invitaverint, prout potero, eis ſimpliciterque ſerviam.

ANNO CHRISTI 1076.

ANNO CHRISTI 1076.

CONCILIUM APUD OPPENHEIM

Prò deliberanda depoſitione Henrici a regno coram A. S. Legatis anno 1076. celebratum.

Ibid pag. 10. Anno 1076.

NEſcio unde acceperit Labbeus, concilium hoc, in quo Saxones cum interventu epiſcoporum, & legatis apoſtolicæ ſedis de exauctoratione Henrici regis, & alterius in locum ejus ſubſtitutione deliberarunt, apud Triburiam convenisſe. Profectò fides major habenda eſt Annaliſtæ Saxoni Eccardi, qui circa hæc tempora vivebat, quique illis apud Oppenheim indictum teſtatur. Quid verò actum ſit in eo conventu potius quam concilio ita narrat idem annaliſta. B

Menſe Septembri mediante colloquium maximum apud Oppenheim factum eſt, ubi regni principes pene omnes præſidentibus patriarcha cum epiſcopo Patavienſi Romani pontificis legato, ſubjectioni Henrici renuntiabant, eo quod a duobus apoſtolicis vocatus, ad ſatisfactionem non veniſſet, & excommunicationis ac depoſitionis ſententiam, ipſe tamen inauditus, & abſens in Romana ſynodo a papa Gregorio accepiſſet. Erat ibi Suevorum magna multitudo, qui cum cæteris omnibus Saxonicum exercitum dum veniret, expectabant, quibus propinquantibus patriarcha, cæterique primates, quia de recenti prælio utrorumque gladii adhuc cruore madebant, quamvis per legationes mutuas invicem ſibi donaſſent, tamen ne, quod facile eſt armatis, ſeditio a vilibus perſonis exorta, factum fœdus fœde corrumperet, obviam Saxonibus ibant, & amicitiam, quam renovaverant abſentes, nunc præſentes firmare monebant. Hinc ergo dux Otto ducatu Bavariæ injuſte privatus, illinc Welpho eodem honore non juſte ſublimatus, hac conditione ſibi invicem pacis oſculum dederunt, ut electo, propter quod utrinque convenerant, novo rege, quicumque eorum honorem jure obtineret, alter ei non invidens cederet. Similiter pacis oſcula dederunt ordinis ſecundi, ſive tertii partis utriuſque milites, quidquid invicem læſerant non ſine multo fletu invicem ſibi donantes. Tunc facti ex hoſtibus amici fideles, caſtra tam vicina poſuerunt, ut viciſſim populus uterque ſermones alterius non difficile poſſet audire. Cumque cœpiſſent de rege conſtituendo ſermones conferre, Saxones ex Suevis, Suevi ex Saſſonibus unumquemlibet volebant eligere. Heinricum interim in altera Rheni ripa tenebat civitas Moguntia, omni ſpe regni retinendi depoſita. Miſit tamen nuntios, qui tentarent eos ad miſericordiam flectere, ut ejus jam ſatis correpti correctionem dignarentur accipere; quam illi legationem accipere dedignati ſunt, ubi prius per Apoſtolici Legatum ab anathematis vinculo ſolveretur. Poſtremo Heinrici pœnitentis humilitatem ea conditione accipere promiſerunt, ſi omnia implere vellet, quæ ei facienda proponerent: quod cum ille ſpopondiſſet, hoc primo C propoſuerunt, ut epiſcopum wormatienſem, qui jam diu fuerat expulſus, potentem faceret urbis ſuæ, deinde ut mox literas ſcribi faceret, in quibus ſe fateretur injuſte Saxones afflixiſſe, quas ab illis perſpectas imagine ſua ipſis præſentibus ſignari faceret, & ſignatas per Italiam, & Teutonicam terram mittendas ipſorum nuntiis daret; ipſeque Romam veniens per dignam ſatisfactionem anathematis vinculo careret. Igitur epiſcopus ſtatim cum magno honore wormatiam deducitur; literæ quoque eo, quo dictum eſt, modo bullæ regis ſignatæ mittuntur. Ipſeque Heinricus tota ſe feſtinatione parabat, ut per ſummi pontificis indulgentiam ligamen anathematis exueret. Tunc primates, qui convenerant, ſinguli ſacramento D firmaverunt, ut niſi Heinricus quartus Heinrici imperatoris filius in februarii menſis initio a Banno per apoſtolicum ſolutus fuiſſet, numquam amplius ullo ingenio rex eorum nec appellaretur, nec eſſet. Quod ſacramentum primus fecit patriarcha, & in literas redactum apud ſe repoſuit. Idem fecit Patavienſis epiſcopus Romanæ ſedis legatus, & poſt hos omnes, qui aderant epiſcopi, duces, comites, cæterique majores, & minores. Sed epiſcopi plus aliis in hoc egerunt, quia juramentum etiam in literis ſervaverunt.

CONCILIABULUM PAPIENSE

Quo epiſcopi ſchiſmatici regi ſchiſmatico adhærentes anathema ſibi a pontifice inflictum in eumdem pontificem retorquere conati fuerunt, anno domini MLXXVI.

Anno 1076. GUillelmus bibliothecarius in vita Gregorii papæ ſcribit, quod ſchiſmatici epiſcopi, dum intellexiſſent regem eique adhærentes in ſynodo Romana excommunicatos eſſe, Papiæ convenerunt, idemque anathema in ſe prolatum in pontificem retorſerunt: & quod principibus peritos E conſulentibus, an pontifex pro excommunicato ſit habendus, prudenter & ſcite reſponſum fuerit, Romanum pontificem a nemine judicandum, atque adeo ab alio quoquam excommunicari non poſſe; eſſe autem excommunicatos qui talia præſumpſiſſent. *Hæc Baronius an. 1076. num.* 34.

AD

ANNO CHRISTI 1076.

AD CONCILIUM PAPIENSE

Pro auctione Gregorii VII. & Wiberti Ravennatis in Pontificem electione

Anno ut fertur 1076. celebratum

ADNOTATIO CHRONOLOGICA, ET ADDITIO.

Ex Manſi Suppl. T. II. pag. 80. Ab an. 1076. ad 1080. transfertum.

De concilio hoc Papienſi in ſedem ſuam reducendo, deque iis, quæ in eo geſta ſunt, ita ego in meis ad Pagium adnotatiunculis ad A. 1080. 3. *diſſerui*:

Guibertum antipapam ordinatum fuiſſe anno ſequenti 1081. poſt VI. Non. Martii ſuſpicor, nam bullæ ejus apud Rubeum an. 1084. tertiumque electionis ejus deſignant; cui conſonat altera ejuſdem bulla apud Ughellium Tom. V. in Veronenſ. pag. 769. quæ bulla data inſcribitur anno 1084. Indict. 7. ordinationis Clementis III. VI. Nonas Martii. Ex hoc autem altera non levis conjectura conſurgit, nimirum ordinatum illum fuiſſe in conciliabulo Papienſi, cujus meminit Bernriedenſis apud Pagium ad A. 1076. 2. Illud autem diu poſt annum 1076. celebratum, penes me certum eſt. Hujus rei gratia afferre in medium libet integrum locum Norberti Abbatis Viburgenſis in vita Bennonis epiſcopi Osnaburgenſis, vulgata ab Eccardo in Corp. Hiſtoric. tom. II. col. 2161. Hic enim per hanc tempora vivens, in Capite XXII. ſcribit:

Congregata igitur apud Ticinum Italiæ civitatem epiſcoporum multitudine, qui regiæ partis favebant &c. Cum eorum conſilio, & inſtinctu rex alium papam in ſede apoſtolica ſublimare diſponeret, interfuit etiam conventui illi epiſcopus Bonno, quamvis invitus; ſed eo tamen prudentiæ oculo, quem ſecum ſemper portare ſolebat. Videns enim in utraque parte plurima magis odio, quam ratione tractari &c. diligentiſſime intendere cœpit, quoniam (quonam) rationis exitu fieri poſſet, ut ſalva honeſtatis priſtinæ integritate neutra in parte poſſet jure culpari. Narrat ſubinde Hiſtoricus Bennonem occuluiſſe ſeſe intra cavum Altaris ſinum, cui aptum quoddam foramen aditum præbebat; foramine illo oppanſo panno tecto. Hic igitur tamdiu ſe continuit, quamdiu tota cauſa tractata fuit. Igitur congregati epiſcopi, Bennone abſente, ait Norbertus, *cum papam abdicaſſent, ejuſque in locum conſtituiſſent Ravennatem epiſcopum, qui etiam adhuc nomine Clemens præſidet Romanæ eccleſiæ, plurimaque alia ſtatuiſſent, quibus epiſcopus iſte, ſi præſens eſſet, minime præberet aſſenſum. Tunc egreſſus ſuo, nemine itidem rem conſiderante, latibulo, juxta altare ubi prius ſederat ſubito reſidere conſpicitur &c. Ad regem quoque ſtatim adductus, planiſſime ſe de omni infidelitate purgavit.* Ex hac coævi ſcriptoris narratione plura intelligimus. Primo in Papienſi conciliabulo, ſeu tunc primum facta, ſeu antea ſequuta electio antipapæ confirmata fuit, atque tunc demum Guibertum pontificiam ordinationem obtinuiſſe arbitror. Id autem hucuſque ignoratum fuit. Secundo, conventui huic epiſcoporum Henricum præſentem adſtitiſſe. Porro Henricus ante annum 1081. ſemel tantummodo in Italiam venit anno 1077. Tunc autem cum veniam, & abſolutionem a pontifice poſtulaturus veniret, eo uſque illum exacerbaſſe, ut æmuli electionem, coacta in Italia ſynodo, ſtrgeret, credi vix poteſt. Poſt obtentam dein abſolutionem, licet pontifici contumacem ſe præbuit, nihil tamen quoad electionem novi pontificis ab illo tunc motum inde colligimus, quod facinus illud numquam pontifex ante annum 1080. Henrico exprobraverit; quin & animum apoſtolici nunquam ſequentibus annis per legatos pertentaſſet, (quod ab illo factum conſtat) ſi pontificem alterum elegiſſet, & agnoviſſet. Nec ſane ſcriptores paſſim antipapæ electionem ullam agnoſcant ante conciliabulum ad Brixiam Noricorum celebratum anno 1080. VII. Kal. Julii feria V. Ind. III. Conciliabulum ergo Ticinenſe, cui Henricus adfuit, ad annum 1077. referri non poteſt. Anno demum 1081. Henricus ſecundam in Italiam profectionem inſtituit, atque tunc demum Papienſe concilium, & in eo Guiberti electio ac ordinatio præſente Henrico abſolvi potuit, ut ex epocha annorum ordinationis Guiberti ſupra a nobis ſtabilita deduci poteſt. Quod etiam confirmat Waltramus epiſcopus Numburgenſis, in ſuo libro de unitate eccleſiæ contervanda, vulgato a Frehero tom. I. ille enim lib. 2. cap. XVII. aſſerit *poſt occiſum in bello Rodulphum hoc anno* 1080. accidiſſe Guiberti conſecrationem: *Tunc*, ait, *geſta ſunt, quæ ſuperius dicta ſunt, de conſecratione Wiberti in pontificem Sedis Apoſtolicæ.* Scribebat autem Waltramus anno poſt pugnam illam octavo, ut ipſe ibidem teſtatur. Tertio denique Paulus Bernriedenſis, qui conciliabulum quoddam Ticinenſe anno, ut videtur 1076. abſente Henrico (quantum ex ejus verbis colligitur) conſtituit, vel plane erat, quippe qui cum celebri hac hiſtoria a coævo ſcriptore memorata pugnet, vel forte de altero conciliabulo Papiæ ante aliquot ab eo, de quo modo tractamus, annos celebrato explicandus eſt. Id, ſi admiſerimus, conciliabula Ticinenſia duo, quod huc uſque ignotum, admittenda ſunt. Si vero, quod magis credo, oſcitanter us hac in re ſcripſit Bernriedenſis, Annales eccleſiaſtici corrigendi ſunt, & conciliabulo Ticinenſi ad annum 1081. promoto, ejus decreta in Romano concilio anni ejuſdem a nebulone illo, de quo Bernriedenſis, promulgata fuiſſe, arbitrandum eſt.

CON-

ANNO CHRISTI 1076.

ANNO CHRISTI 1076.

Ibid pag. 23.

CONCILIA SCOTICA

Habita regnante Malcolmo III. circa annum Domini 1076.

Ex vita B. Margaritæ apud Bollandiſtas ad diem X. Junii.

Sectio XIII.

Ex Wilkins Conc Britan. t. IV. in appx. pag. 791.

RElgioſa, & Deo digna Regina cum mente, verbo, & factis ad cæleſtem patriam tenderet, etiam alios ſecum in via immaculata invitabat ire, quo ſecum poſſent ad veram beatitudinem pervenire. Malum cum videret, admonuit ut bonus fieret; bonum, ut melior exiſteret; meliorem, ut optimus eſſe ſtuderet. Quam fide apoſtolica ferventem zelus domus Dei, quæ eſt eccleſia, comedit, unde quæque illicita, quæ in illa pullulaverant, eradicare penitus laboravit. Cum enim contra rectæ fidei regulam, & ſanctam univerſalis eccleſiæ conſuetudinem multa in gente illa fieri perſpexiſſet, crebra concilia ſtatuit, ut, quoquo modo valeret, ad veritatis viam errantes, Chriſto donante, reduceret. Quorum conciliorum illud cæteris principalius eſſe conſtat, in quo tola cum pauciſſimis ſuorum contra perverſæ conſuetudinis aſſertores gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei, triduo dimicabat: crederes alteram Helenam ibi reſidere, quia ſicut illa quondam ſcripturarum ſententiis Judæos, ſimiliter nunc & hæc regina convicerat erroneos. Sed in hoc conflictu rex ipſe adjutor ei præcipuus reſidebat, quodcumque in hac cauſa illa juſſiſſet dicere paratiſſimus & facere. Qui quoniam perfecte Anglorum linguam æque ac propriam noverat, vigilantiſſimus in hoc concilio utriuſque partis interpres extiterat.

Sectio XIV.

Igitur regina præfatione præmiſſa, ut, qui cum catholica eccleſia in una fide uni Deo ſervirent, ab eadem eccleſia novis quibuſdam & peregrinis inſtitutionibus diſcrepare non deberent; primum propoſuit quadrageſimale jejunium eos legitime non obſervare, quia hoc non cum ſancta ubique eccleſia a feria quarta in capite jejunii, ſed ſequenti ſeptimana feria ſecunda conſueverant inchoare. Contra illi jejunium, inquiunt, quod agimus evangelica auctoritate, quæ Chriſti narrat jejunium, per ſex hebdomadas obſervamus. At illa, longe, ait, in hoc evangelio diſcordatis: legitur enim ibi Dominum quadraginta diebus jejunaſſe, quod manifeſtum eſt vos non facere. Nam cum per ſex hebdomadas ſex dominici dies a jejunio abſtrahuntur, triginta tantum & ſex dies ad jejunandum remanere noſcuntur. Non ergo evangelica Chriſti, ſed triginta & ſex dierum conſtat vos obſervare jejunium. Reſtat igitur, ut quatuor diebus ante quadrageſimæ initium jejunare nobiſcum incipiatis, ſi dominico exemplo quadraginta dierum numero abſtinentiam obſervare volueritis; alioquin contra ipſius Domini auctoritatem, & totius ſanctæ eccleſiæ vos ſoli repugnabitis traditionem. Hac illi perſpicua veritatis oratione convicti, deinceps, ſicut ſancta ubique ſolet eccleſia, ſacrorum jejuniorum cœperunt inchoare ſolemnia.

Sectio XV.

Aliud quoque ponens regina juſſit, ut oſtenderent, qua ratione die ſanctæ paſchæ ſecundum morem ſanctæ & apoſtolicæ eccleſiæ ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti ſumere negligerent. Reſpondentes illi, Apoſtolus, inquiunt, de his loquens ait: Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit. Unde quia nos peccatores recognoſcimus, ne judicium nobis manducemus, & bibamus, ad illud myſterium accedere formidamus. Quibus regina: Quid igitur, inquit, omnes, qui peccatores ſunt, ſacroſanctum myſterium non guſtabunt? Nemo ergo illud ſumere debet, quia nemo ſine ſorde peccati, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Si autem nemo illud percipere debet, cur Domino dicente clamat evangelium: niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed plane ſententiam, quam de apoſtolo profertis, ſecundum patrum intellectum aliter neceſſe eſt intelligatis. Non enim omnes peccatores ſacramenta ſalutis indigne ſumere deputat. Cum enim dixiſſet, judicium ſibi manducat, & bibit, addidit, non dijudicans corpus Domini; hoc eſt, non ſeparans illud in fide ab eſcis corporalibus, judicium ſibi manducat, & bibit. Sed & illi, qui abſque confeſſione, & pœnitentia caſtigamur, jejuniis attenuamur, eleemoſynis, & lacrymis a peccatorum ſordibus abluimur, in die reſurrectionis Dominicæ ad ejus menſam in catholica fide accedentes, carnem, & ſanguinem agni immaculati Jeſu Chriſti, non ad judicium, ſed ad peccatorum ſumimus remiſſionem, & ſalutarem percipiendæ beatitudinis æternæ præparationem. His ab ea perceptis, reſpondere nihil potuerunt, atque agnita deinceps eccleſiæ inſtituta in myſterii ſalutaris perceptione obſervaverunt.

Sectio XVI.

Præterea in aliquibus locis Scotorum quidam fuerunt, qui contra totius eccleſiæ conſuetudinem, neſcio quo ritu barbaro, miſſas celebrare conſueverant; quod regina zelo Dei accenſa, ita deſtruere atque annihilare ſtuduit, ut deinceps qui tale quid præſumeret, nemo in tota Scotorum gente appareret.

Solebant quoque neglecta dominicorum dierum reverentia ita illis, ſicut aliis diebus quibuſque terreni operis inſiſtere laboribus; quod non licere ratione pariter & auctoritate ipſa oſtendebat: Dominicum, inquit, diem propter dominicam, quæ in eo facta eſt, reſurrectionem, in veneratione habeamus, ut in eo ſervilia opera jam non faciamus, in quo nos a ſervitute diaboli redemptos novimus. Hoc & B. pater Gregorius affirmans dicit: Dominico die a labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodo orationibus inſiſtendum, ut, ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicæ precibus expietur. Idem quoque pater Gregorius quendam

dam propter opus terrenum, quod die dominico fecerat, diſtricta increpatione ſeriens eos, quorum hoc conſiliis egerat, duobus menſibus excommunicatos eſſe decrevit. His ſapientis reginæ rationibus contraire non valentibus, ita poſtmodum reverentiam dominicorum dierum ejus inſtantia obſervarunt, ut nec onera quælibet his diebus quiſquam portare, nec alius alium ad hoc auderet compellere. ANNO CHRISTI 1076.

Illicita etiam novercarum conjugia ſimiliter & uxorem fratris defuncti fratrem ſuperſtitem ducere, quæ ibi ante fiebant, nimis offendit execranda, & a fidelibus velut ipſam mortem devitanda. ANNO CHRISTI 1076.

Multa quoque alia, quæ contra fidei regulam, & eccleſiaſticarum obſervationum inſtituta inoleverant, ipſa in eodem concilio damnare, & de regni ſui finibus curavit proturbare. Univerſa enim, quæ præpoſuerat, ita ſanctæ ſcripturæ teſtimoniis, atque ſanctorum Patrum corroboravit ſententiis, ut contra hæc nihil omnino reſpondere valerent, quin potius depoſita pertinacia rationi acquieſcentes, univerſa libenter implenda ſuſciperent.

ANNO CHRISTI 1077. ANNO CHRISTI. 1077.

CONCILIA APUD ANSAM

Lugdunenſis Diœceſis Vicum, apud Divionem, Claromontem, & Auguſtoduni habita.

Præſide Hugone Dienſi epiſcopo apoſtolicæ ſedis legato circa annum Chriſti MLXXVI. & MLXXVII. Gregorii VII. ſummi pontificis IV. & Philippi I. XIX. Francorum regis, pro variis eccleſiæ utilitatibus.

Ex chronico Virdunenſi Hugonis abbatis Flavianenſis excuſo pag. 197. & ſequentibus, tomi I. bibliothecæ novæ MS. librorum.

ANSANUM.

PRomotiones eccleſiaſticorum graduum (*de Jarentone loquitur qui ex priore Caſæ Dei factus eſt poſtea ſancti Benigni Divionenſis abbas celeberrimus*) adeptus eſt per manum domini Hugonis Dienſis epiſcopi a primo uſque ad ſeptimum. Invigilabat enim idem ſollicitus gregi ſibi credito, & legationis ſibi creditæ ſollicitus ſervans excubias primum concilium celebravit apud Anſam

(1) CLAROMONTENSE.

SEcundum apud Clarummontem, in quo Stephano Arvernenſi epiſcopo Podienſis ſedis invaſore, quia pro ambitione * ma..... ſedem ſuam majoris deſeruerat: Willelmo quoque ſimoniaco & invaſore ſedis Arvernenſis depoſito conſecratus eſt præfatus abbas (Caſæ Dei) Durannus Arvernorum epiſcopus, peracto decennio regiminis ſui in loco Caſæ Dei. *De eodem Stephano Anicienſi hæc habet idem Hugo Flaviniacenſis, pag.* 201.

Stephanus autem Podienſis invaſor, cum Dienſi epiſcopo Romanæ ſedis legato Hugoni multas paraſſet inſidias, noviſſime euntem cum ad concilium apud Clarummontem cum canonicis ante altare S. Mariæ convenit. Et ſe placitis ejus de epiſcopatu obtemperaturum, ſi in concilio finis cauſæ ejus prolongaretur. Clerici quoque identidem promiſerunt, ſi promiſſis fidem epiſcopus ſervare nollet, ſe eum deſerturos, & Romanæ ſedi obedituros. Igitur poſt expletionem concilii Claromontenſis propter pactionem, qua ſe promiſerat infra dies XV. quibus a præfato Dienſi epiſcopo moneretur, ab epiſcopatu ceſſaturum, ante expletionem dierum ſtatutorum, cum jam Lugdunum veniſſet, ad Podium rediit paucis ſecum comitibus aſſumptis. Dominus Hugo, quia omnes tyrannidem invaſoris illius ſuſpectam habebant, & in celebratione miſſæ poſt recitatum evangelium intrepidus clerum & populum, quia erat abſens Srephanus, de pactione cum eo facta convenit, & ne ei in poſterum obedirent, apoſtolica auctoritate prohibuit. Data in eum qui ſe abſentaverat excommunicationis ſententia, ſi ulterius eccleſiæ incubare præſumeret. Quam ejus excommunicationem dominus papa confirmavit ſcribens epiſcopis Galliarum in hæc verba: *Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis Galliarum epiſcopis, & cæteris ordinibus ſub eis conſtitutis*, &c. *Notum eſſe volumus caritati veſtræ, quod Stephanus Anicienſis eccleſiæ invaſor & ſimoniacus, juravit nobis ſuper corpus beati Petri, quod eccleſiam ipſam dimitteret*, &c. *uſque ad auctoritate præcipimus*, X. *Kalendas Aprilis indict.* XV. id eſt anno 1077. Libro 4. ep. 19.

AD

(1) Ex Epiſtolis Hugonis a Baluzio miſcellan. tom. 6. pag. 412. allatis quibus Rodulphum Turonenſem Archiepiſcopum ad has ſynodos invitat, poſt Anſanum patet indictum fuiſſe Concilium Divionenſe ad IV. Non. Januarii, tum Arvernenſe ſeu Claromontenſe ad 7. Id Auguſti, denique Auguſtodunenſe ad 4. Id. Septembris anni 1077.

ANNO CHRISTI 1077.

AD CLAROMONTANUM CONCILIUM

Ab Hugone Diensi episcopo A. S. L. anno 1077. *celebratum*

ADDITIO.

HUGONIS DIENSIS EPISCOPI AD RODULPHUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

Invitatoria ad Concilium Arvernense.

Ex Mss. Suppl. Tolli p. 99. Extat apud Bouq. Manuscr. tom. IV. pag. 111.

HUgo *dignatione Dei Diensis episcopus Romanae ecclesiae legatus Rodulfo Turonensi archiepiscopo salutem.*

Messis quidem multa, operarii vero pauci. Unde nobis magis lamentandum, qui in area Domini triturate videmur. Quapropter quia ecclesiam Domini undique distrahi videmus, apud Arvernicam urbem VII. Idus Augusti synodale concilium indiximus. Comprovinciales tuos & aliarum regionum religiosos, quos potuimus, invitavimus. Te quoque sicut fidelissimum socium in via Dei, & adjutorem ejus caritative vocamus, & auctoritate nobis (concessa) praecipimus ut venias, omnesque tuos suffraganeos venire invites, omni remota excusatione. Vale.

DIVIONENSE.

TErtium Divioni persequebatur (*Idem Hugo Diensis ep.*) simoniacos advertus quos ei jugis pugna & conflictus fuit perpetuus: quos etiam prout potuit ab ecclesia eliminavit & orthodoxos substituit.

AUGUSTODUNENSE sive Eduense

QUartum concilium tenuit Augustodani. Pro quibus autem causis Eduense celebratum sit concilium, in literis domini papae advertere decet, quarum textus est: *Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo fratri Hugoni venerabili Diensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Gerardus Cameracensis electus ad nos veniens*, &c. usque ad *commoneas atque praecipias*. Juxta haec itaque mandata apostolica congregata est synodus venerabilium patrum apud Eduam, sub tutela & protectione Christi Domini, astensu & laude Hugonis ducis, anno ab Incarnatione Domini MLXXVII. ubi convenerunt ex Francia & Burgundia multi illustres viri, episcopi & clerici, abbates & monachi quamplures, anno papatus domini Gregorii VII. quarto, dux Hugo justi tenax Burgundiae praerat. Lingonensem ecclesiam Rainardus cognomento Hugo regebat, vir adprime rhetoricis imbutus studiis, clarus ingenio, sermone facundus, scientia praeditus, affabilis alloquio & prudens consilio. Obierat anno ipso Divionensis abbas Adalbero, & ut talibus assolet de abbate substituendo inter monachos loci diversa fervebatur electio. Quod videlicet coenobium antiquae nobilitatis religionis stemmate sub Willelmi abbatis regimine fuerat decoratum. Sed tunc Roberti ducis violentia & praelatorum ineuria, subditorum quoque segnitia a pristino rigore videbatur aliquantulum imminutum. Et quia quod intus ceciderat foris diu stare non poterat, intus parum erat religionis, foris cumulus desolationis. Pro tantis angustiis, anxietatibus & tribulationibus, ab his quorum erat mens sanior pastor quaerebatur idoneus; pontifex Lingonensis & dux, quorum erat istud prospicere, concilio intererant. De multis enim ut praescriptum est partibus honesti quamplures illo convenerant. Aderat inter alios etiam * prior Casae Dei, ut querimoniam faceret injuriarum ecclesiae suae illatarum. Quem quia ante conversionem notum habuerat Lingonensis episcopus, nunc in aspectu immutatae habitudinis cordis & corporis ejus applaudebat & congratulabatur ei, divinam collaudans potentiam qui levitatem dissolutionis ejus, quam habuerat in saeculo, insanaverat monastici ordinis & regularis gravitatis praenodans in eo exemplum omnibus sub remigio alarum suarum confugientibus non desperare de sua misericordia, cujus tanta in isto adoptionis filio agnoscebant beneficia. Concilio ergo inito circumsedentibus patribus tractatum est de multis sanctae ecclesiae utilitatibus, & earum determinatio secunda, tertia quoque & quarta protelata est die.

Accusatus est in eodem concilio Remensis ecclesiae invasor simoniacus Manasses a clericis Remensibus, & suspensus ab officio, quia vocatus ad concilium ut se purgaret non venit. Qui cum canonicis Remensis ecclesiae accusatoribus suis a concilio redeuntibus plurimas parasset insidias, demum domos eorum fregit, praebendas eorum vendidit, & bona eorum diripuit. Inde cum a Roma literas accepisset, ut in concilio cum sex se purgaret episcopis, Romam ivit.

Quinta autem die quia Lugdunensis sedes Humberto simoniaco expulso, & in loeis Jurensibus monacho facto, vacabat antistite a latere Domini Lingonensis electus est Gebuinus archidiaconus, vir morum probitate venustus, ut praficeretur Lugdunensi ecclesiae. Hoc totius concilii acclamavit assensus. Hoc etiam Lugdunensis ecclesiae clericorum & laicorum qui aderant expetiit bonae voluntatis affectus. Raptus igitur ab altari, quo confugerat diligentius servatus, ut in die dominico more solemni benediceretur. Doluit super hoc Lingonensis episcopus, cleruque qui aderat Lingonicus quia amisisse videbantur virum in ecclesiasticis & saecularibus negotiis pernecessarium, cui plurimum innitebantur; sed praevaluit concors sententia concilii, quia sic erat praefinitum & placitum in oculis Domini.

Sexta jam sessionis die assurgit Lingonensis idem e medio circumsedentium. Et ut vir nobilis & urbanae eloquentiae, oratione composita attentos sibi reddens auditores & benevolos, replicuit aliqua de damno ecclesiae sibi commissae illato. Quod quasi eruissent ei oculum, cui suum tulissent archidiaconum, in quo spes omnis, in quo refrigerium, in cujus sibi erat caritate so-

la-

* lib. 4. ep. 22

* Jerento seu Jarento de quo pag. 480 notes.

Manasses Remensis.

* v. Idus Maii, indictione 2. an. 1077.

latium. Sic honeſta verborum ſerie matris deſolationem plangens & filiæ orbitatem non tacens, replicat antiquam nobilitatem eccleſiæ Divionenſis, zelum Willelmi abbatis in rigore juſtitiæ & fervore diſciplinæ, & diſtricta ordinis moderatione; Nunc autem in obitu abbatis omnia ad nihilum fere redacta, intus parum religionis, foris cumulos tribulationis. Adeo ut quæ quondam multis eccleſiis paſtores & rectores idoneos præpoſuerat, nullum qui ei præeſſet de ſuis invenire poſſet; confugere ſe profitetur ad Dei, bonorumque virorum conſilium, ut anxietatis ſuæ cujus erat hæc providere & diſponere aliquid in rectore ſubſtituendo qui vere rector diceretur & eſſet, inveniret ſolatium. Cum peroraſſet & a legato ſpe promiſſa conſilii & auxilii, juſſus eſſet edicere, quem eidem officio dignum de circumſedentibus, quia in ipſa eccleſia non inveniebatur, vellet præficere: ille priorem Caſæ Dei manu deſignans, & ſimul in verbis procumbens & genua flectens: *Date*, ait, *mihi hunc piſcem de fonte Dei*. Et ut facilius poſtulata acciperet, Hugonem ducem ſibi ſociavit in precibus, ut ejus mereretur bonitas quod ſe per ſe poſſe diffidebat. Oculi ergo omnium in eum, qui rogabatur, diriguntur. Sed quia præfatus Romanæ ſedis legatus noverat virum acris eſſe ingenii & animi, & diſſolutionem noverat habitatorum loci, & inſtabilitatem terræ, parcens ei quamquam noſſet utiliſſimum, in concedendo erat difficilis. Tentabant etiam qui cum priore a Caſa Dei venerant, modis quibus poterant electioni contradicere. Sed quia voluntas fuit Domini, in cujus manu corda ſunt regum, ut petitis annueretur, auctoritas & laus promulgavit concilii. Illis ergo tumultuantibus vinxque quo niſu poterant inferre parantibus, ſic dum clanculo fugam pararet, jamque elaberetur, capitur, tenetur, & flens multumque dolens, ſuis etiam reſiſtentibus & contradicentibus in concilium reducitur, & epiſcopo Lingonenſi laude circumſedentium per manum redditur. A quo ſollicite cuſtodiendus remoto ſuorum amminiculo ſolus deduci eſt juſſus. Cumque moneretur a præſidente epiſcopo, ut de conceſſis Deo gratias ageret, & virum honore dignum ſibi commiſſum adjuvaret, & in omnibus ut decebat, honeſte tractaret, prædeceſſorum Brunonis ſcilicet epiſcopi & Willelmi abbatis, quorum laudabilis prædicatur ſocietas & caritatis unanimitas, mentionem faciens. Si, inquit, iſtum non adjuvero, non dilexero, non ea tractavero caritate, qua Bruno Willelmum, deperſoner ab honore meo. Divionenſes autem fratres concilio primo die interfuerant, & quia per ſe nequibant, electione pontificis ſui ordinare eccleſiam conceſſerant. Sexta autem feria, qua hæc facta ſunt, & quia electio fratrum, quibus præeſſe debebat, ut aſſolet, requirebatur, & hæc fuit diffinitio concilii, ut ſi die dominico fratres electioni conſentientes adveniſſent, electus benediceretur. Si non, electio caſſaretur, & ad ſua regredi ſineretur. Ob id ab epiſcopo & duce nuncio præpeti curſu Divionem directo, die & hora præſtituta fratres adveniunt, electionem factam ſcripto roborant, & obedientiæ ejus ſubdi non reformidant. Laudant in jubilo cordis & oris Dominum: & magnificantes eum in unum exaltant nomen ejus in idipſum.

Uno igitur die, id eſt die dominico xv. Kalendas Octobris conſecrati ſunt apud Eduam ſumma omnium exultatione & tripudio dominus Gebuinus in Lugdunenſem archiepiſcopum ab ipſo Romanæ ſedis legato; & præfatus electus in abbatem Divionenſem a prædicto Lingonenſi epiſcopo. Multa tunc utilia, & ſanctæ Dei eccleſiæ proficua in illo tractata & definita ſunt concilio. Quo ſoluto ad ſua quique redeunt.

EPISTOLA MANASSÆ REMORUM ARCHIEPISCOPI AD * GREGORIUM VII.

Greg. VII. lib. 6 ep. 1 & p. 400 a pag. 410. & 418.

Scripta poſt concilium Eduenſe ſive Auguſtodunenſe, ſed ante Pictavenſe.

Domino Gregorio ſummo pontifici patri & domino ſuo Manaſſes Dei gratia Remorum archiepiſcopus fidelem ſervitutis & obedientiæ ſubjectionem & orationis devotionem.

Veſtro, domine, interventu & obſecratione reddidit dominæ M. marchiſæ omnia quæ de me ſuus anteceſſor tenuit, & ad defendenda eadem conſilium meum & auxilium ac receptus meos promitto fideliter & promiſi: & de rejiciendo G. & recipiendo comite A. quidquid ipſa quæſierat, paratus ſum exequi. Ad quæ omnia confirmanda diebus ſacris pentecoſtes cum fratre noſtro fideli veſtro Theoderico Virdunenſi epiſcopo ſuæ civitati interfui, relictis cauſa neceſſitatis ſuæ in ſacroſancto tempore meis omnibus neceſſariis. Sed ego fidelis veſter & per omnia eccleſiæ jure vobis obedire paratus, veſtrum de archiepiſcopo Viennenſi Guarmundo ſummopere requiro conſilium & implere judicium, qui in archiepiſcopatu meo presbyteros degradavit, & eoſdem iterum regradavit. Legatum ſe Romanum cum non eſſet ſimulavit, marſupium ſuum, non ſub appellatione veritatis, ſed imitatus eos qui, ut ait apoſtolus, quæſtum æſtimant pietatem, cum tandem impleſſet, a diœceſi mea ad ſuam rediit. Quapropter ad honorem Dei & Romanæ eccleſiæ hujuſmodi præſumptionem & ſimulationem ſicut decet corrigite, ne deinceps quiſquam in alieno præſumat aliquid tale. Notum enim facio vobis quod duo ſuffraganei mei epiſcopi, Laudunenſis & Sueſſionenſis tertium Ambianenſem in archiepiſcopatu meo me neſciente, utpote Romæ poſito, epiſcopum conſecraverunt. Primum contra decretum veſtrum, quo ſtatueratis, ne quis ſaltem archiepiſcoporum eum conſecraret epiſcopum, qui a laica perſona acceperit epiſcopii donum. Maxime cum idem ipſi interfuiſſent apud Auguſtodunenſe concilium, ubi dominus Hugo Dienſis epiſcopus promulgavit & ſtatuit coram omnibus hoc veſtrum eccleſiaſticum decretum. Hoc igitur præter id quod diximus contra auctoritatem & canones factum, & etiam inauditum, cunctiſque qui ſanum ſapiunt mirabile, & pluſquam dici poſſit ſtupendum, ſi placet deputetur irritum. Quin potius quia ſine metropolitano juſte expleri non poteſt a quibuslibet coepiſcopis conſecratio pontificis ſicut ſcitis, oratum & exoratum vos eſſe volo, ut ad honorem Dei veſtrumque ac noſtrum tam temerariam eccleſiaſtici ordinis confuſionem zelo juſtitiæ corrigatis, ut ſciat unuſquiſque in gradu ſuo & modo perſiſtere, non aliena ſibi temere arrogare. Obſecro etiam benevolentiam honoris veſtri, ut dignitatem, quam anteceſſores veſtri anteceſſoribus meis archiepiſcopis ſervaverunt, & privilegiis, aliiſque ſcriptis ad poſterorum memoriam reliquerunt, mihi reſervare dignemini. Ne irritum aut infractum fiat privilegium quod ipſi dediſtis mihi, ſcilicet ut vobis ipſis interpellatus & non interpellatus reſpondeam & legatis veſtris Romanis, non ultramontanis, qui conjuncti Romanis quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, &

ANNO CHRIST. 1077

ſub honeſtis nominibus cupiditati ſuæ conſulunt, A non eccleſiæ Dei. Unde propter talium pudendas reprehenſiones & vocationes, mihi qui totius Galliæ epiſcopos debeo convocare, liceat confidere de vobis ſine legatorum vocatione, donec ad paſcha veniam ad vos Deo volente. Præterea volo obnixe ſupplicare & præmuntiare vobis, ut quoniam in abſentia mei nuper apud vos commorantis multa prave & inordinate acta ſunt in partibus meæ diœceſis, ego vero non potero omittere quin miniſterio veſtro utar in his eccleſiaſtice corrigendis. Si quid pro hoc de me accuſationis perlatum fuerit vobis, ne hoc vel cito credatis vel moleſte erga me accipiatis; ſed illud in præſentia noſtra ante vos dimittatis, quia ego nullatenus volo excedere metas auctoritatis. B Quandoquidem enim illi qui legatos veſtros ſe faciunt; multo juſtius ego debeo per vos ea quæ ſunt providentiæ noſtræ corrigere, quam quiſquam aliena tractare. De comite Oebalo qui me

Rbalus comes.

in præſentia veſtra accuſare tentabat, & ſe ſuamque fidelitatem vobis verbis ſimulantibus commendabat, ſatis in promptu habetis cognoſcere, cujus potius ſinceritas fidelitatis erga vos videatur exiſtere. Utrum mea qui Deo & vobis paratus ſum per omnia obedire, an illius qui & apud vos per ſemetipſum impugnat beati Petri eccleſiam, & apud nos per Manaſſem & ſuos ſequaces in ſuo caſtro receptos perſequitur beatam Mariam. Manaſſes enim de quo diximus, cui nos juſſu veſtro quod in nos admiſerat ſi ad eccleſiam matrem ſuam rediret indulſimus, conſcientia ſceleris ſui depreſſus nec ad nos vult redire, nec paci eccleſiæ concordare, quin potius cum illis ſuis ſequacibus, quia factis non poteſt, verbis & maledictis eccleſiam meque lacerare non deſinit. Unde ut de ipſo Oebalo taceam in quem vos credo juſtam & apoſtolicam exercere ſententiam ſuper Manaſſe inſtanter deprecor ſanctitatem veſtram, ut aut jubeatis eum ad ſua regredi, & ulterius non impugnare eccleſiam, aut in eum ejuſque fautores & cooperatores apoſtolici vigoris dirigatis animadverſionem. Dignamini etiam ad eorum receptores ſcribere aptam epiſtolam ut aut eos contra eccleſiæ jura non retineant, aut pari ſententia ſe multatos agnoſcant. Reſtat mihi hoc D vobis dicere quia dominus Hugo Dienſis epiſcopus interdixit epiſcopum noſtrum Drogonem ſedis Tarvennicæ, qui tantæ eſt ſenectutis, ut cum ante epiſcopatum diu permanſerit in ordine presbyterii, jam nunc ultra tempus LX. annorum gradum tenuerit epiſcopi, & pene per ſingula momenta propinquat exitui. Quapropter volumus vos obnixius exorare, ut eum juſſu veſtro dignemini reſtituere miniſterio ſuo, ne quod magnopere formidamus in hac moriatur interdictione. De hac vero quod me interpellaſtis, ut in conductu epiſcopi Pariſienſis, aliquos vobis milites mitterem, notum vobis facio quod ego volebam dirigere; ſed comes de Arlonis Fulco rediens ab urbe Roma hoc mihi intimavit ex veſtra parte, E quia libenter me de ipſa tranſmiſſione militum importabatis. Ideo ut in regione noſtra ſtrenue & intentius exequerer dominæ marchiſæ M. Pro hoc ergo a vobis veniente miſſatico remanſit a noſtra parte prædictæ expeditionis tranſmiſſio. Valeat ſanctitas veſtra pater reverendiſſime.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto fratribus Hugoni Dienſi epiſcopo, & Hugoni Cluniacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quia in ſanctæ Dei, cui divina diſpoſitione præſidemus eccleſiæ regimine, ſolicite nos vigilare oportet, veſtris aſſiduis precibus, &c. uſque, *patrum pervenire faciat.* Reſcriptum ejusdem ad Manaſſem Remenſem archiepiſcopum. ANNO CHRISTI 1077.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Manaſſe Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum vos ea a ſede apoſtolica flagitatis, &c. XI. Kalendas Septembris, indictione I. anno 1078.

Additio Philippi Labbe S. J.

Cæterum ad hoc potius quam ad alterum, quod poſtea ſequetur ſuo tempore, *Æduenſis*, ſive Auguſtodunenſe concilium, pertinere videtur canon ille relatus a Gratiano parte II. decreti cauſa XIX. ipſo qu. 3. initio ex concilio *Æduenſi* ſub Gregorio per Hugonem Dienſem ep. legatum: cujus quoque mentionem facit Stephanus ex abbate S. Euvertii Aurelianenſis & S. Genovefæ Pariſienſis, epiſcopus Fornacenſis, epiſt. prima.

Regulares canonici monachi fieri non debent

Nullus abbas vel monachus canonicos regulares a propoſito profeſſionis canonicæ revocare, & ad monaſticum habitum trahendo ſuſcipere audeat, ut monachi fiant, quamdiu ordinis ſui eccleſiam invenire quiverint, in qua canonice vivendo, Deo ſervire & animam ſuam ſalvare poſſint. Quod ſi temerario auſu id facere tentaverint, anathematis vinculo obligentur.

Sammarthani fratres in Gallia Chriſtiana ajunt Raynerium ep. Aurelianenſem convenisse ann. 1077. ad ſynodum Aurelianenſem, ſed pro Aurelianenſi forte a. merito ſubrogabimus Auguſtodunenſem hanc noſtram. Ad dem quoque Auguſtodunenſe concilium ſpectat Hug nis Dienſis epiſc. qui præfuit epiſtola, quam tibi non x Hugonis alterius Flaviniacenſis abbatis promptuario exhibemus, ſed ex codice MS. B. Mariæ Virdunenſis, in qua & Arvernenſis ſeu Claromontani concilii præcedentis fit mentio.

EPISTOLA HUGONIS DIENSIS EPISC. AD PAPAM.

Reverendiſſimo patri & domino papæ Gregorio ſuæ ſanctitati inutiliſſimus ſervus Hugo humilis presbyter Dienſis, ſalutem.

Quoniam didicimus R. veſtrum Pariſienſem redliſſe, cui injunxeramus ut fideliter, ſicut filius veſter, vobis referret geſta Auguſtodunenſis concilii cui interfuit, qui neque per nos rediit, neque quicquam de ſtatu veſtro nobis ſcripſit: Rogamus paternitatem veſtram, ut ſententiam ſuam nobis ſignetur ſcribere ſuper ordinatione Remenſis, Bituricenſis, & Carnotenſis eccleſiarum. Sciat quoque paternitas veſtra, quia ille Noviomenſis dictus epiſcopus, ſub comminatione publicæ examinationis a nobis familiariter exactus, confeſſus eſt nobis ſimoniam ſuam præſentibus Laudunenſi & Lingonenſi epiſcopis, cum aliis quibuſdam. Unde etiam ſacramento ſupra ſacra evangelia nobis firmavit, quod viſis literis veſtris, vel legatione veſtra, eccleſiam quam male occupaverat bene dimitteret, & pro poſſe & ſcire ſuo ut juxta Deum ordinaretur adjuvaret. Silvanectenſis vero epiſcopus, accepta inveſtitura de manu regis, ordinatus eſt ab illo Remenſi hæreſiarcha, cui literis veſtris interdixiſtis ne hujuſmodi in epiſcopos acciperet. Autiſſiodorenſis infra annos ordinatus, inveſtituram quidem de manu regis non accepit, quamquam per familiares regis gratiam ejus conſecutus ſit. De Senonenſi autem archiepiſcopo quantam contumeliam, quantamve injuriam auctoritati veſtræ in noſtra legatione intulerit, a prædicto R. ut ſpero ſufficienter audiſtis. Neque hoc dicens, Deus teſtis eſt, gloriam

meam

meam quare. Burdegalenſis quoque, quoniam A ſem autem amicum noſtrum in Chriſto, qui in
ANNO CHRISTI 1077. vocatus præterito anno ad Arvernenſe concilium
neque venit neque canonice ſe excuſavit, in eo-
dem concilio ab epiſcopali officio ſuſpenſus eſt.
Quod ille vilipendens, interdictum ſibi uſurpavit
officium. Rurſus vocatus ad Auguſtodunenſe con-
cilium, quoniam nullam cauſationem nobis mi-
ſit, etiam a ſacerdotio ſuſpendimus eum. De
his ergo omnibus quid magnitudo veſtra judica-
verit, quid inde agere placuerit, parvitati noſtræ
rogamus reſcribite. Præterea ſummopere poſci-
mus, ut per dominum Valentinum epiſcopum
pallium nobis mittatis ad confirmandam ordina-
tionem religioſiſſimi Lugdunenſis eccleſiæ archi-
epiſcopi, contra oblatrantes hæreticos, & de re-
gis indignatione adverſus ordinationem Dei car- B
naliter gloriantes. Ipſe enim, poſtpoſitis omni-
bus incommodis & periculis penuriæ atque itine-
ris, ſanctitatis veſtræ conſpectui devotiſſime ſe præ-
ſentaret, ſi eccleſia illi commiſſa tamdiu langui-
da & paſtoris ſolatio deſtituta quoquo modo ab-
ſentiam ejus ſine magno detrimento pati potuiſ-
ſet. Valentino epiſcopo præcipite, & ſecuritatem
in manu veſtra accipite, quatinus circa feſtum
S. Joannis Baptiſtæ, prout nos cum eo condixi-
mus eccleſia ſua ad celebrandum officium illum
accipiat, quia valde opportunus videtur ad op-
pugnandam provincialium arrogantiam. Manaſ-

ANNO CHRISTI 1077

Cluniacenſium fundatorem poſtea emi-
nentem.

Clarimontano concilio Remenſis eccleſiæ male
adquiſitam præpoſituram in manu noſtra dimiſit,
commendamus gratiæ ſanctitatis veſtræ ſicut ca-
tholicæ fidei ſincerum defenſorem & dominum
* Brunonem Remenſis eccleſiæ in omni honeſta- * Bonæ memo-
te magiſtrum. Digni ſunt enim ambo a vobis, riæ qui
& in his quæ Dei ſunt veſtra auctoritate confirma-
ri, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu con-
tumeliam pati. Et ideo conſultores profuturos
cauſæ Dei & cooperatores in partibus Franciæ
adhibeatis. Remenſis hæretici depoſitionem con....
revelatam iniquitatem ſanguis cælî &..... cla-
mat, auctoritatis veſtræ ſcripto robora..... hos
rogamus Remenſi eccleſiæ deſtinate..... ſuam
ſatisfactionem, aut ipſe ſi placuit ..... aut no-
bis ſuſcipiendam præcipite. Quia ....., excom-
municationem veſtram, nobis inconſultis epiſcopi
electionem fecerunt. Tiezo filius veſter jam re-
diſſet ad vos, niſi ad convocandum concilium
XVIII. Kalendas Februarii, Pictavis, Deo annu-
ente celebrandum detineretur; In quo concilio
meritorum veſtrorum patrocinium adeſſe nobis
ſuppliciter exoramus. Orate pro nobis, ſanctiſſi-
me Pater.

Eo ſpectant arbitror quæ habet Gregorius pon-
tifex ſupra epiſt. 17. libri V. indict. 1. ſeptimo
Idus Martii.

☞ AD CONCILIUM AUGUSTODUNENSE

Ab Hugone Dienſi A. S. L. anno 1077. celebratum.

ADDITIO

Manſi Suppl T. II pag. 16.

AD rem in hoc concilio geſtas pertinet charta, quam ex Dacherii Spicilegio to. III. pag. 411. hic exhibeo.

Reginardus in concilio Auguſtodunenſi excommunicatus, quæ abſtulerat Canonicis Auguſtodunenſis eccleſiæ reſtituit.

Cum omnis pene humana intentio concupiſcen-
tiis carnalibus uſque adeo aggravetur, ut præpe-
diente patre tenebrarum minus quam neceſſe ſit
ſalutis ſuæ ſit provida; illos ſibi ſanius conſule-
re manifeſtum eſt, qui mundanis perſuaſionibus
repugnantes, quæ ſurſum ſunt ſapiunt, non quæ
ſuper terram; cumque apud mundanos principes
ſæpe fieri videamus, ut quoties aliquis a qualibet
potenti perſona quidpiam magnum impetrare de-
ſiderat, illum pro ſe faciat interventorem, quem
potenti eſſe cognoverit familiariorem; ita & nos
ſi apud regem regum perpetuam ſalutem obtine-
re cupimus, ſanctos ejus martyres, cæteroſque
ipſius fideles, quos in cælorum curia prævalere
credimus, pro nobis neceſſe eſt, interceſſores ac-
quirere ſtudeamus, de quibus bene confidere poſ-
ſimus, ſi nos erga ſanctam atque catholicam ec-
cleſiam mundanæ pervaſionis aggravationem de
medio ejus, prout potuerimus, auferentes, pieta-
tis viſcera teneamus.

Quocirca ego Raginardus de monte S. Joan-
nis, Chriſti fidelium univerſalitati volo fieri ma-
nifeſtum, quod pro quibuſdam conſuetudinibus
injuſtis, quas in quadam poteſtate ſancti Nazarii,
Bilianiaco ſcilicet, ex parte uxoris meæ .... .
ſalvamenti occaſione capiebam, prædicti marty-
ris calumnias Canonicorum ſæpe audiens, ſed
non exaudiens. Ideoque a legato apoſtolicæ ſedis
Ugone Dienſi epiſcopo in concilio Auguſtoduno C
celebrato niſi reſipiſcerem excommunicatus, tam-
diu ſubſtiti quoadusque uxor mea moleſtia cor-
poris capta ad extrema deducta eſt, quæ ne præ-
dictæ excommunicationis rea judicaretur, prædi-
ctas injuſtas conſuetudines dereliquit, meque ut di-
mitterem ſtudioſiſſime familiariterque rogavit. Ego
itaque non tantum uxoris meæ, ſed & meæ ani-
mæ conſulere volens in ſancta pentecoſtes ſolem-
nitate, reſidente Hugone duce in civitate Augu-
ſtoduno interfui, ibique juſſu ipſius Ducis, a quo
prædictæ poteſtatis ſalvamentum prædeceſſores mei D
beneficii jure tenuerant, & ego tenebam, inter-
venientibus Auguſtodunenſi, atque Cabilonenſi
epiſcopis Aganone atque Rocleno, prædictas con-
ſuetudines & univerſas captiones, quas in pote-
ſtate de Biliniaco ubicumque conjacebant, præde-
ceſſores mei requiſierant, & ego requirebam, om-
nino dimiſi, & dereliqui, & ut filii mei derelin-
querent feci; præter ex unoquoque manſo inve-
ſtito duos ſextarios avenæ, & ſex denarios & di-
midium. De apſis vero manſis, ſi aliquando in- E
veſtirentur, ne amplius quam quæ prædicta ſunt
requirerem ſimilis conventio facta eſt. Hoc au-
tem ne ultra quam dictum eſt unumquodque man-
ſum deberet, Giruardus ejuſdem poteſtatis deca-
nus ſacramento probavit, cæteris vero vicinis ſuis
idem facere apparatis dimiſi.

Ut autem dimiſſio hæc firmiorem ſtabilitatis
obtineret vigorem, ſupra ſacrum altare ejuſdem
dimiſſionis donum poſui, meque in ſempiternum
ita ſervaturum promiſi. In teſtimonium etiam
permanſurum chartam hanc inde fieri præcepi,
quam & ego manu propria firmavi, firmandam-
que Hugoni duci, cæteriſque aſtantibus viris
conceſſi; fidejuſſorem etiam me in manu epiſco-
pi.

ANNO CHRISTI 1079.

pi, & canonicorum pro quingentis ſolidis ut ita tenerentur, obligavi, pro aliis vero quingentis alios quinque fidejuſſores impoſui, quorum nomina ſunt.....

Signum Hugonis Ducis.
Signum Odonis fratris Ducis.
Signum Ragintardi.

EPISTOLA HUGONIS DIENSIS EPISCOPI AD RODULFUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

Invitat ad concilium Auguſtodunenſe.

Datur apud Baluz. Miſcel. to. IV. pag. 413.

HUgo gratia Dei Dienſis epiſcopus & ſanctæ eccleſiæ Romanæ legatus Rodulfo Turonenſ. Archiepiſcopo ſalutem. Gratias habeo innumeras, quia ſemper obediens extitiſti, & ſanctæ eccleſiæ in neceſſitate ſubvenire pro poſſe, & ſcire tuo non refugiſti. Te igitur valde nobis neceſſarium pro tua ipſius etiam neceſſitate apoſtolica auctoritate vocamus, & per te tuos ſuffraganeos epiſcopos; tuos etiam utiliores clericos & Abbates ad ſynodum in Auguſtodunenſi civitate IV. idus Septembris celebrandam venire præcipimus.

ANNO CHRISTI 1079.

CONCILIUM BISULDENSE

Præſide Amato Apoſtolicæ ſedis Legato, celebratum VIII. id. Decembris anno Domini MLXXVII.

Ex Card. de Aguirre to. 3 concil. Hiſp. p. 431.

ANno Domini 1077. 8. idus Decembris Amatus Apoſtolicæ ſedis Legatus concilium celebravit apud Biſuldunum, cui cum ipſo interfuerunt Berengarius Epiſcopus Agathenſis, Raymundus Helenenſis, & Petrus Carcaſſonenſis. Interfuerunt etiam plures Abbates. In ea ſynodo excommunicatus eſt Guifredus Archiepiſcopus Narbonenſis, & Abbates Simoniaci penitus eradicati; ſi nimirum qui monaſteria poſſidebant, quæ in ditione iſtius Comitis conſtituta erant, ideſt Aruſ. Blenſe, Campirotundi, Biſuldunenſia duo, monasterium & Canonicorum, Balneolenſe S. Stephani, S. Laurentii, S. Pauli maritimi. Tum ergo Berengarius Epiſcopus Agathenſis reliquerat partes Guifredi Archiepiſcopi Narbonenſis. Sic enim adverſus eum anno ſuperiore ſtatuerat Gregorius VII. in Concilio Lateranenſi: *Agatheenſem epiſcopum Berengarium, quia Narbonenſi epiſcopo excommunicato communicavit, & vices epiſcopales pro illo fecit, excommunicamus.*

SYNODUS IN GRÆCIA.

THEOPHYLACTI EPISTOLA. ΘΕΟΦΥΛΑΚΤΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΗ

Epiſcopo Triaditzæ ad Synodum accedere renuenti nomine ipſius Synodi.

Τῷ τριαδίτζης τῆς Συνόδου παραιτησαμένῳ τὴν συνέλευσιν.

Theophyl. nov. edit. to. 1 pag. 319.

LEctæ ſunt honorandiſſime Frater, dum omnes congregati eſſemus, literæ ſanctitatis tuæ; & exaudita quidem Armeniorum converſione haud modice lætati ſumus: qui enim etiam *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente gaudium eſſe in cœlo*, didicimus, quomodo non exultaremus ob tot animarum ſalutem? Optamus vero ipſis ſtabilem in bono perſeverantiam; ne ad inſtar plantarum, quæ violenter alicujus manu infiguntur, rurſus in ſemetipſos redeant. At quod recuſas huc ad nos proficiſci, haud mediocriter doluimus, quoniam abſentia tua, ut rurſus differantur negotia, in cauſa eſt. Quod enim ſcripto miſeris ſuffragium tuum, ſatis ad ſupplendum abſentiæ tuæ defectum viſum nobis non eſt, quoniam, ut quidam dixerunt, qui penitus ipſum diſcuſſeret, nec rectum eſt, neque clarum, ſed tortuoſum & obliquum, plurimumque abſens a recto ſpiritu; & ad tortuoſi draconis, ſupra quem injectum ſanctum Dei gladium Prophetarum vocaliſſimus pronunciavit; involucra accedens, ac præterea ad injuriam Synodi compoſitum videtur. Si enim *quidpiam*, inquit, *ſtatueritis veritati ſacriſque canonibus, minime contrarium, hujuſmodi pio decreto aſſentior & ego*: quaſi contra canones ſtatuamus quidquam, aut

Ἀνεγνώσθη, λιμιώτατε ἀδελφέ, πάσης ἡμῖν τοῖς συνελθοῦσιν ἀδελφοῖς τὸ γράμμα τῆς σῆς ἱερότητος, καὶ ἐπὶ τῇ τῶν Ἀρμενίων ἐπιστροφῇ ἥσθημεν ὑ μικρῶς. οἱ γὰρ κ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ ἐπιστρέφοντι χαρὰν γίνεσθαι μαθόντες ὑπὸ Οὐρανῷ, πῶς οὐκ ἐμέλλομεν ἀγαλλιᾶσθήναι ἐπὶ τοσούτων σωτηρίᾳ ψυχῶν; ἐσπυξάμεθα δὲ αὐτοὺς, ἵ τῇ ὑ τῆ ἀγαθῷ παραμόνιμον ἑδρυσιν· ὡς ἂν μὴ πάλι τῶν φυτῶν ὅσα βιαίως χερσὶ μεθέλκεται, πάλιν εἰς ἑαυτοὺς ἑπανέλθοιεν. Ἐπὶ τῇ παραιτήσασθαίσε τῇ πρὸς ἐνταῦθα ὁδόν, ἡ μετρίως τὰς καρδίας ἐπλήγημεν, ὅτιπερ ἡ σὴ ἀπουσία, ἵ πάλιν ἀναρτηθῆναι τὰς ἐκκρεμεῖς ὑποθέσεως, αἰτία γέγονεν. ἡ γὰρ ἐν γράμματός σου γνώμη αὐτάρκης ἡμῖν οὐκ ἐδόξε πρὸς τὸ ἀναπληρῶσαι τὸ τῆς ἀπουσίας ὑστέρημα· ὡς μέν τινες εἶπον τῶν κατασκεψαμένων αὐτῶν ἀκριβέστερον, ὅτι οὐκ εὐθεῖά τις ἦ, ἡ δὲ ἀνεμπόδιστος, ἀλλὰ στραγγαλώδης ἡ σκολιάζουσα, ἡ πάμπολλα μὲν τῷ εὐθεῖ ἀπίχουσα πνεύματος, τῶν δὲ ἵ σκολιῶ δράκοντος προσήκουσα ἔλιξε, ἐφ' ὃν ἐπεισελθεῖναι τῇ μαχαίραν τῷ Θεῷ τὴν ἁγίαν ὁ Προφητῶν μεγαλοφωνότατος ἀπεδέξατο· καὶ μὲν ἀλλὰ καὶ πρὸς ὕβριν συνυφασμένην * Συνόδου. εἰ γάρτι φησὶν οἰκονομήσετε μὴ τοῖς θείοις κανόσι ἡ τῇ ἀληθείᾳ ἐναντίμενον, τῇ ἐμοὶ τοιαύτῃ γνώμῃ

* Sic conjecturâ reſtituo pro μὴ

μὴ σαχῶ ἡ αὐτός. ὡς ἔοικε γὰρ ἡ τῆς σῆς εὐ- ANNO CHRISTI 1077.
τελείας Ὀσιότης, τοσοῦτον ἔχει παῤ ἡμῶν ὑπόλη-
ψιν, ὡς παρὰ πάντας αἱρουμένων, ἢ ἐναντιου-
μένων τῇ ἀληθείᾳ, ἢ ἀσεβεῖς γνώμας ἐκτιθεμέ-
νων. ὅπερ οἱ ὕπους ἔχει, τί δεῖ σε μεθ' ἡμῶν πα-
τεῖν τὴν αὐλὴν τοῦ Κυρίου, ἢ πρὸς τὸ θεῖον εἰσιέ-
ναι θυσιαστήριον; πάντες γὰρ ἢ σοὶ παῤῥησίᾳ κε-
κωύκαμεν, ὅτι ἢ τῇ Δαυεὶδ, οἶμαι δὲ ἢ πλείω πρὸς
τὸ λέγειν σφόδρα θαῤῥοῦντες· ἐμίσησα ἐκκλησίαν
πονηρευομένων, ἢ μετὰ ἀνομούντων οὐ μὴ καθίσω, ἢ
μετὰ παρανομούντων οὐ μὴ εἰσέλθω. ἢ τὰς γνώμας
μὲν μετὰ διαστίξεων γενομένας εἴδαμεν, ἀλλ' ἐν ταῖς
διαστίξεσι ταύταις, ἢ τοῖς ἀδελφοῖς τὸ πρωτεῖον σί-
βας φυλάττεται, ἢ οὐχ ὕπους ἀφροντίστως ἢ ὑπερ- B
πτικῶς οἱ τὰς γνώμας σωτηδίντος ἀκούσι γλώσ-
σαν αὐτῶν ὡσεὶ ὄφεως. Τινὲς μὲν ὖν σχολάσαντά
τε ἢ ὄβρεν ἐκείθεν τῇ γνώμῃ σου· πάντες δὲ ἁπλῶς
ἄκυρον ἀπεφηνάμεθα ἢ ἀβέβαιον, ὅτι μὴ τὸ πιστὸν
εἶχε σῇ αἱμεσογείρῃ ὑπογραφῇ. ἐπεσημήναντο δὲ ἢ
τοῦτό τινες τῷ ἐξυτέρων τῷ τῆς σῆς τιμιότητος γράμ-
ματι, ὅτι σωτὸν ἔλαθες πεπεισών μεγίστῳ ἐναντιώ-
ματι. ἀνώτερον γὰρ εἶπον, ἀδιάκριτον εἶναί σοι τὴν
ἐντεῦθεν ἐπιδημίαν, ὡς μετὰ τῷ Ἀρμενίων εἰς τὴν
Πόλιν ἀπελθεῖν μέλλοντι, παρακατιὼν εἶπες, ὅτι
μένοις ἢ τὸν τῷ θέμα ἀναγραφόμενον, ὡσὰν μὴ ὕστε-
ρον καταλίπῃς τὰ πράγματα. εἰ μὲν γὰρ τοὺς Ἀρμενίους
μέλλων ἦδη Κρατεῖν ἢ αὐτῷ ἡμῶν προσαγαγεῖν ὡς C
αὐτοῖς ἐπιδεξόμενος, παρῆσαν τὰ μόνον ἀπὸ τῇ
κανόνων, ἀλλὰ ἢ ἕτερον ἐγνωσμένον σοι αἰτιμένῳ
σωμέλθοιν, ἃ δὲ τὸν ἀναγραφὰ πάντας πεμμένος.
εἰ δὲ δεῖ ἐκεῖνον μέλλεις αὐτόθι χρονοτριβῶν, ὡς ἂν
μήτις βλάβη χρηματικὴ ἐπισυμβαίῃ τοῖς πράγμα-
σιν ἐκ τῆς σὸ τῇ ἀπουσίᾳ σου ἀναγραφῆς, πολλῷ μᾶλ-
λον ἔδει σε τὸν χρόνον διαγαγεῖν σὸ τῇ μεθ' ἡμῶν
σωμέλθοσι ἢ διοικήσει τῶν Ἐκκλησιαστικῶν, ἔνθα
ἢ ἡ ὠφέλεια θωτέρα, ἢ ἡ βλάβη κινδυνωδεστέρα.

Ἀλλὰ γὰρ ὠδὲν ὕπους ἑαυτῷ περιπίπτει, ὡς σό-
μα μὴ ὄντα λέγειν μεμαθηκός, ἀλλὰ ἢ ὀξιᾶσ-
θαι τὸ ψεῦδος διὰ τῷ ψεύδους πειρώμενον. ἐπεὶ
οὖν σε διέγνωμεν, ἀδελφὲ, τῷ συνέλθοσιν ἐπι-
τηδὲς ὑπερθέμενον, ἢ προφάσεις ζητοῦντα ἢ ἀνα-
πλάττοντα· ἀληθὲς γὰρ ἦδ ὅτι τὸ τῷ Σολο-
μῶνος ἐκεῖνο, ὅτι προφάσεις ζητεῖ ἀνὴρ βουλόμε-
νος χωρίζεσθαι ἀπὸ φίλων. ἢ δηλοῖ τοῦτο ἡ σὴ
γνώμη, ἣν εἰ μήτε κακόηθες μέσον λῇ, ἁπλῶς
ἂν ἢ ἀπειρέργως συνέθηκας, ἐπιτίμιον ἀλειτουρ-
γησίας σοι ἐπιτεθέμεν σὸ ἁγίῳ δηλαδὴ Πνεύμα-
τι. ᾧ * πάντων ὀφειλέτης κατέστης, τῷ τὰ σὸ αὐ- * Leg. ζ.
τῷ προκαταρχθεῖσαν χεῖρα ἐπιπλέσαι. δυοῖν γὰρ
ἀναγκαίως προαιρήσῃ τὸ ἕτερον, ἢ τὸ, τε μὴ κα-
τὰ πνεῦμα ταύτης ἀπάρξασθαι, ἢ καὶ ὑ πνευμα-
τικῶς ἀφίστασθαι. δῆλον γὰρ δήπε ἢ τοῦτο, ὅτι
Ἰὼς πρὸς τὴν ὀρθοδοξίαν ἐπιστραφέντες, ἐπλεσας
ἂν ἤδη τὰς νενομισμένας τελετὰς. εἰ δὲ ὕστερον πλέ-
σας ἔφθης, ἔδει σε πεῖσαι τούτους ὑπομεῖναι ἢ τὸ
* τὸν δὴ τὸν τραχὺν * καιρὸν τὸν τῆς σῆς πρὸς ἡ- * Leg. βραχὺ.
μᾶς ἐλεύσεως, ἢ αὖ ἐξ ἡμῶν ἀναλύσεως. πάν-
τως γὰρ οἱ πρὸς τὴν τῷ μυστηρίου παραδοχὴν σοι
πεσθέντες, εἴγε δὴ ἢ ἐπείσθησαν, ἢ, πρὸς τέ-
λος ἀνῆσαι τάχιον ὑπεκλέθησαν. βέβαιον δ' ἂν ἢ
τοῦτο τῆς περὶ τὸ χρῆσμα γνησιότητος, ἢ γενό-
μενον, ἐπεσόμιζεν ἂν πολλοὶς, οἳ λόγου ἔχουσιν ὡς

veritati adverſemur, vel impia edamus de- ANNO CHRISTI 1077.
creta. Quod ſi ita eſt, quomodo tu no-
biſcum *ambulas in domo Dei* & ad ſacrum
accedis altare. Omnino enim æque, im-
mo magis quam David; dicere jure & fi-
denter potes: *odivi eccleſiam malignantium,*
& cum impiis non ſedebo, & cum prævari-
cantibus non introibo. Et quidem tententias,
atque ſuffragia cum exceptionibus data in-
terdum novimus, at in iis congruus, de-
bituſque fratribus honos ſervatur; & non
ita contemptim, tantoque cum faſtu, qui
ſuffragia ejuſmodi conſcribunt, *acuunt lin-*
guas ſuas ſicut ſerpentis. Quidam igitur ob-
liquitatem & contumeliam in ſuffragio tuo
viderunt: omnes vero invalidum, & nul-
lius roboris eſſe definivimus, cum propriæ
manus ſubſcriptione firmatum non ſit. Qui-
dam etiam acutiores obſervarunt, te in epi-
ſtola tua in maximam, quin adverteres,
incidiſſe contradictionem. Cum enim initio
dixiſſes, fieri non poſſe, ut huc iter ſuſci-
ſcipias quoniam cum Armenicis in urbem
proficiſci debes, poſtea dixiſti te expectare
eum, cui incumbit in acta referre, ne in-
ordinata relinquas negotia tua. Si enim,
quia 'Armenios potenti & ſancto Imperatori
noſtro præſentare debeas, & eum illis oſten-
dere, huc accedere non vis, quamquam
id non ſolum canones, ſed aliæ etiam tibi
cognitæ cauſæ poſtularent, non ſane eum,
qui in acta zelaturus eſt, præſtolaris. Si
autem propter illum debes iſthic aliquo mo-
rari tempore ne temporale aliquod detri-
mentum negotiis tuis tabularum carentia ob-
veniat; multo oportebat magis tempus iſtud
in conventu nobiſcum, & rerum eccleſia-
ſticarum ordinatione inſumere ubi & ſanctius
eſt emolumentum, & damnum periculo-
ſius.

Sed nihil frequentius in ſe ipſum impin-
git, quam os quod falſitatem dicere con-
ſuevit, & mendacium mendacio ſanare co-
natur. Quoniam igitur, Frater, cogno-
vimus, te ſynodicum congreſſum data ope-
ra differre, ac prætextus ad id quærere
& confingere (verum enim omnino eſt illud
Salomonis: *occaſiones quærit, qui vult rece-*
dere ab amico) hocque manifeſtum facit ſuf-
fragium tuum, quod niſi interfuiſſet mali-
gnitas, ſimpliciter & plane compoſuiſſes pœ-
nam interdictionis a ſacro miniſterio, tibi im-
ponimus in virtute Spiritus ſancti, cui om-
nimode debitor es, incæptum in ipſo con-
greſſu judicium conſumare. Duorum enim
alterum eligas, neceſſe eſt: vel judicium
non ſecundum ſpiritum te incœpiſſe, vel non
legitime ab eo nunc abeſſe. Cæterum & il-
lud manifeſtum eſt te eos qui ad orthodo-
xam fidem converſi ſunt, ſtatutis ritibus
perficere jam potuiſſe. Quod ſi feciſti,
oportebat ſane etiam illis perſuadere ut hoc
breve tuæ ad nos profectionis, & a no-
bis dimiſſionis tempus expectarent; omnino
enim illi qui ad ſuſcipiendum myſterium
abs te perſuaſi ſunt (ſi tamen perſuaſi) &
in hoc facile tibi morem geſſiſſent: & præ-
terea iſtud ad probationem fuiſſet ſinceræ
eorumdem converſionis ad gratiam fidei; id-
que ſi fuiſſet factum, obſtruxiſſet ſane mul-

to-

ANNO CHRISTI 1077.

ὑ τὴν ἀλήθειαν ἐπιγνόντες, ὡς αὐτὸς ἐπαρρησιά-
σω, τὴν σπουδὴν οἱ Ἀρμένιοι ἐποιήσαντο. ἡ
γὰρ τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσις, πάν ἄλλα, ἢ πρὸς
τὸ καρτερῶν δυνατὸν τοὺς αὐτῶν ἐπιγνώμονας.
ἀλλὰ ἢ τοῦτό σοι πλὴν ἐπιτιθέμεν, ἢ ἐνδιδόαμεν
αὐτῷ εἶναι μετὰ τὴν τῶ γραμματος ἴσως ὑπο-
δοχὴν, ἄχρι πεντεκαίδεκα ἡμερῶν. διὰ τούτων γὰρ
ὅλων οἱ προσελθόντες δὴ κε χρισθήσονται. μετὰ
ταῦτα δὲ τὸν τῆς ἀλειτουργησίας πλοῦν ἐπιτεθεί-
νον ἴξεις ἐφ' σῷ ξαχήλῳ. εἰ δέοι σοφὸν δοκεῖ τὸ
τὴν κατὰ σὲ Ἐκκλησίαν τῆς σῆς Ἀρχιεπισκοπῆς
λειτουργίας χωρεῖσθαι, ἐννόησον, ὅτι ἢ ἄλλαις Ἐκ-
κλησίαις βαρὺ τὸ διὰ τὴν σὴν ἀπουσίαν χωρεῖσ-
θαι Ἀρχιερέων. εὖ γὰρ ἴσθι, ὅτι εἰμὶ αὐτὸς
παρέσῃ, ὅπ ἐπὶ τῷ Λιπενίῳ κρίσις τὸ τέλεον φα-
ραδέξεται, ὅπ αἱ χρειώσαι λοιπαὶ πῶν Ἐκκλη-
σιῶν Ἐπισκόπους λήψονται. ὡς ἂν μὴ αὐθις ἡ
κρίσδην βάλλουσα γλῶττα, χώραν ἴξει τοῖς ἀπαρ-
ρησιάστοις ἢ ἁπλοδίροις συκοφαντίας ἐπιφέρειν
τοῖς ἐναντίοις, ἢ κατατοξεύειν εἰ σκοτομήνη τοὺς
ὠθεῖς τῇ καρδίᾳ. ἐπεὶ δὲ ἢ πῶν τις Μοναχῶν
Βούλγαρος συνεδεκάζουσιν ἡμῖν, φησὶ τινος γέροντος
ἀδελφῷ αὐτῷ Μοναχῷ τε, ἢ τῆς ἐν τῷ Καίσαρι
τῷ Ἁγίῳ Ἰωάννῃ Προεστῶτος Μονῆς ἀνεκλαύσατο,
φήσας τῶν πεποιησθένται παρὰ μηδενὸς ἀπολαύειν
τῆς αἰσῶν παρακλήσεως. ἀπὸ τῆς σῆς ἀλαζείας
ἀναγορδεύσεσθαι πᾶσι διὰ κηρύγματος, ἢ τὸ ὅλος
τῷ Μοναχῷ τούτῳ προσέρχεσθαι. εἰ γὰ ταῦτα εἰ-
σιν ἀληθῆ, πάντως μὲν Ἀρχιερατικῆς φιλανθρω-
πίας ἀνάξια, ἀναγκαίως δὲ ταχείας διορθώσεως
ἄξια, ἢ προβήτω παρὰ τῆς σῆς τιμιότητος, τη-
ρῶντος αὐτὴν τῷ Χριστῷ τὸ πᾶσι ἀγαθωσύνη ἢ
δικαιοσύνῃ ἢ ἀληθείᾳ τὸν παρὸν ἐπιδεικνυμένην τὸ
Πνεύματος.

Asorum ora, qui dicere poſſunt, Armenios non propterea quod veritatem cognoverint, quemadmodum tu jactas, ſed alia de cauſa accedere ad nos voluiſſe. Veritatis enim cognitio cum alia multa bona efficiat, tum illud etiam quod eos qui illam conſecuti ſunt, ad tolerantiam & patientiam diſponit. Nihilominus conſentimus & concedimus, ut liber adhuc permaneas quindecim poſt præſentium receptionem dies: quo profecto temporis intervallo omnes proſelytos chriſmate conſignare poteris. Iis vero tranſactis diebus impoſitam interdictionis a ſacro miniſterio pœnam ſupra collum tuum geſtabis. Quod ſi durum tibi videtur, Eccleſiam tuam pontificio carere miniſterio, conſidera etiam aliis Eccleſiis durum eſſe quod ob tui abſentiam Epiſcopi ſuis careant: pro certo enim habeas, fore ut ſi tu præſens non aderis, neque judicium de Epiſcopo Lipenii compleatur unquam, neque reliquæ viduæ Eccleſiæ Epiſcopos recipiant ſuos: ne rurſus quæ ſerit in occulto lingua, opportunitatem nanciſcatur eas, quas publice & libere proferre non audent, calumnias ſuppeditandi adverſariis noſtris, ut *ſagittet in obſcuro rectos corde*. Quoniam vero Monachus quidam Bulgarus contra nobis in Synodo conſidentibus de quodam ſene fratre ſuo monacho qui monaſterio quod in urbe eſt S. Joannis præſidet, conqueſtus eſt dicens, illum & relegatum eſſe, & a nemine quidpiam ſolatii recipere poſſe, eo quod Religioſitas tua lato edicto omnibus præceperit ne vel ſolummodo ad ipſum accederent; quæ ſi vera ſunt omnimode a pontificia humanitate abhorrent, adeoque neceſſario promptam emendationem expoſcunt, quæ præſtanda omnino a te eſt. Interea te conſervet Dominus in omni bonitate, juſtitia & veritate, ut fructum ſpiritus exhibeas.

ANNO CHRISTI 1078.

CONCILIUM PICTAVENSE

Hugone Dienſi epiſcopo legato apoſtolicæ ſedis præſide anno Chriſti MLXXVIII. Gregorii papæ VII. Philippi Franc. regis XX.

Ex eodem Virdunenſi chronico Hugonis abbatis Flaviniacenſis pag. 202. *tomi I. novæ bibliothecæ MS. librorum.*

CElebravit & quintum concilium dominus Dadjurans eos omni atteſtatione, & ſuæ majeſtatis ac fidelitatis reos eſſe inſtituens. Scilicet comitem, ſi pateretur nos uſpiam ubi poſſet, conventicula & quaſi concilia, ſic ea vocans, celebrare. Epiſcopos vero ſi intereſſent vel noſtris faverent decretis, in quibus nitebamur ſplendorem coronæ ejus obfuſcare, & principum regni ejus. Ex hac ergo adverſitate inimici veritatis audaciam nacti nobis inſultandi, eos pene traxerunt in ſiniſtram, quos conſiderabam ad dexteram, & videbam & non erat qui cognoſceret me. Ecce enim peſtis & dedecus ſanctæ eccleſiæ archiepiſcopus Turonenſis, & cum eo epiſcopus Redonenſis, ſuperbiſſime perverſi totum pene occupaverunt concilium. Redonenſis namque comprobatus eſt reus, quia non prius ordinatus in clericum ordinatus eſt in epiſcopum, promiſſa prius ac poſtmodum data pallii cappa ab epiſcopo Andegavenſi, Redonenſi tamen illud neſciente; ſed

aliud

aliud ante ordinationem confitente, ſcilicet cum eques eſſet equitem inimicum ab equo dejecit, & hujus Redonenſis ſocius eques dejectum illum vulnere confodit, qui pro ea dejectione & vulnere in mortem occubuit. Nos igitur multorum precibus inclinati, nondum depoſitum ſed interim ſuſpenſum, quia ſuæ utilis erat eccleſiæ, veſtræ miſericordiæ præſentandum & judicandum reliquimus. Turonenſis vero comprobatus eſt ante epiſcopatum decaniam emiſſe, quam ex conſuetudine ejus eccleſiæ niſi qui jam ſacerdos fuiſſet, vel jam futurus ſacerdos eſſet, habere non poſſet. Hic igitur Turonenſis nullo modo canonice electus non potuit obtinere a rege donum epiſcopatus, uſque dum nepos hujus ipſius per nummos præfatam decaniam fuerit adeptus. De ſimonia etiam aliter accuſatus eſt, quia cuidam militi ſilvam promiſerit, ſi pro epiſtolatu eum juviſſet. Quod cum poſtea miles ipſi * improbaſſet, Andegavenſis epiſcopus affuit, qui nobis ex eodem clara voce teſtimonium perhibuit. Longum eſt, pater, enumerare turbas & conflictus, quos & quantos, quomodo & ubi hic Turonenſis nobis intulerit, aliquando pro Redonenſi nunquam ratiocinando ſed ſemper garriendo, aliquando pro ſe inclamitando, cum omni ſuorum garrulitate & impudenti audacia clericorum. Nam dum etiam archiepiſcopum Lugdunenſem pene inflecterent ad tuitionem ſuam, ita ut pro eis oraret, vel obloqueretur, foribus eccleſiæ effractis ſervientes eorum ſecuribus armata manu introeuntes, ita concilium magno tumultu exturbaverunt, quo fratrem T. in mortem dediſſent, niſi Dominus ut ſcuto bonæ voluntatis ſuæ coronaſſet eum. Ita nobis cum paucitate ac dedecore relectis, Turonenſi, & ſuffraganei ejus cum ſuperbo tumultu inordinate & non canonice receſſerunt. Altera die in eccleſia B. Hilarii inito concilio nulla nobis promiſſa vel præmiſſa ſatisfactione de injuria, iterum draco ille inſurgens tanquam leo rugiens non potuit audiri diutius; ſed exerentes gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, percuſſimus ejus ſuperbiam; & decreto hujus negotii prolato ſuſpendimus eum etiam a ſacerdotali officio. Et quia ſedem apoſtolicam appellavit, ubi ſe purgaturum fuiſſe de ſimonia aſſeruit, ad apoſtolicam ſedem eum remiſimus, & veſtro judicio deponendum reliquimus. Abbas Bergenſis eccleſiæ de Flandria fuiſſe ſimoniacus comprobatus eſt & depoſitus. Biſontinus archiepiſcopus nec Eduenſi nec Pictavenſi concilio ſe præſentavit, nec canonicam miſit excuſationem. Belvacenſem pulſatum de ſimonia, & qui poſt decretum prebendas vendiderit judicandum vobis remiſimus. Noviomenſem pro cauſa ſua ſimiliter. Item Ambianenſem pervaſorem cum ordinatoribus ſuis, videlicet Laudunenſe, Sueſſonenſe, Silvanectenſe: Mala quædam noſtra etiam inteſtina reticemus, quia perſonas a quibus ſunt illata, Deo juvante, quam citius venturi commodius vobis in aure dicemus. Cauſas Andegavenſis comitis ſicut præcepiſtis ab ipſius ore audientes, rationabiles pene eſſe credidimus; ſed de abſolutione ejus non præſumentes diffinitionem hujus rei prudentiæ ſanctitatis veſtræ committimus. Si quid vero minus ſcripſimus ſanctitati veſtræ, Teuto filius veſter fideliſſimus cooperator noſter in Domino, de Tarvanenſi epiſcopo cum Pictavenſi quid ſtatuerimus plenius intimabit. Provideat itaque ſanctitas veſtra, ne diutius tam opprobriose nobis improperetur, quod ſimoniaci vel quicumque criminoſi a nobis ſuſpenſi vel depoſiti aut etiam damnati libenter currunt Romam, & ubi deberent ſentire ampliorem rigorem juſtitiæ, inde reportant quaſi miſericordiam pro voluntate. Et qui antea nec in levibus præſumpſerunt peccare, poſt modum exercent * aptiſſimam negotiationem cum tyrannide in commiſſis ſibi eccleſiis. Ora ſanctiſſime papa pro me inutili ſervo ſanctitatis veſtræ.

ANNO CHRISTI 1078.

* improperaſſet

* Forte *aperiſſimam*. H.

CONCILII PICTAVENSIS CANONES

Decem quos Baronius, Binius, aliique eorum aſſeclæ minus exacte referunt ad concilium Pictavenſe anno MC. celebratum a Joanne & Benedicto legatis.

I.

DEcrevit ſancta ſynodus ut nullus epiſcopus, abbas, presbyter, vel quælibet perſona de clero accipiat de manu regis vel comitis, vel cujuslibet laicæ perſonæ donum epiſcopatus, vel abbatiæ, vel eccleſiæ, vel aliquarum eccleſiaſticarum rerum. Sed epiſcopus a ſuo metropolitano, abbas, presbyter, & cæteræ inferiores perſonæ a proprio epiſcopo. Si vero laici, decretis canonicis reſiſtentes, eccleſias violenter tenere præſumpſerint, ipſi excommunicentur; in eccleſiis vero illis nullum divinum officium fiat, nullus ibi oret, lumen non ponatur, mortuus non ſepeliatur, tantum baptiſmi gratia ibi non negetur, infirmis remedio pœnitentiæ & communionis ſubveniatur.

II.

Ut nemo epiſcopatum, abbatiam, archidiaconatum, archipresbyteratum, prebendam vel * alios eccleſiaſticos honores, vel in duabus eccleſiis prælationes exerceat * niſi in una tantum: & * neutrum horum quiſquam per pecuniam acquirat. Et quicumque tali modo jam adquiſiſſe comprobantur, omni remota occaſione deponantur.

* aliquos

* vel in una * vel etiam in duabus eccleſiis prebendas, vel ſacros ordines per p.

III.

Ut nullus de clero, ſive de populo, eccleſiaſtica bona jure conſanguinitatis requirat ſibi habenda.

c. 1. de prebendis.

IV.

Ut nullus epiſcopus pro ſacris ordinibus, vel pro eccleſiarum benedictionibus, vel quibuslibet aliis benedictionibus munus accipiat.

V.

Ut nullus abbas, monachus, vel quilibet alius pœnitentias injungat, niſi quibus proprius epiſcopus hanc curam dederit.

VI.

Ut abbates, monachi, canonici eccleſias, quas nunquam habuerunt, non emant, nec alio modo ſibi vindicent, niſi conſentiente epiſcopo, in cujus fuerint diœceſi. In illis vero, quas hactenus abſque calumnia habuerunt, redditus * beneficiaque obtineant. Presbyter tamen de cura animarum, & de Chriſtianitatis miniſterio epiſcopo reſpondeat.

* a beneficiis quæ obtinebant, canonice.

VII.

Ut abbates * diaconi, qui presbyteri non ſunt, presbyteri fiant aut prælationes amittant. Qui archidiaconatus tenent, diaconi fiant: qui archipresbyteratus, presbyteri fiant, aut honores amittant. Quod ſi aliqua juſta cauſa prohibente presbyteri aut diaconi eſſe non potuerint, prælationes amittant.

* decani c. 2. de et. & qual.

VIII.

Ut filii presbyterorum & cæteri ex fornicatione nati ad ſacros gradus non provehantur, niſi aut monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter viventes. Prælationes vero nullatenus

c. 8. de fil. presb.

nus habeant; ſed neque ſervi, niſi a dominis ſuis A libertate donentur.

ANNO CHRISTI 1078.

IX.

c. de cohab. cler. c. 1 in 6. colleg.

Ut nullus diaconus, presbyter, vel ſubdiaconus concubinam habeat; ſed nec aliam feminam, unde mala ſuſpicio habeatur, in una domo ſecum teneat, & quicunque hujuſmodi ſacerdotis, ſive per pecuniam ordinati, miſſam ſcienter audierint, excommunicationi ſubjacere debeant.

X.

c. 1. de vita & honeſt. cler.

Clerici arma portantes, & uſurarii excommunicentur.

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

ANNO CHRISTI 1078.

Pictavenſis hujuſce concilii mentionem & ipſe facit Gregorius pontifex epiſt. 8. & 40. lib. VI. neque mirum videri debet quod in hiſtorica ſynopſi advertimus, quod in codice S. Albini Andegavenſis ponatur anno 1077. cum mediante Januario 18. Kalendas Februarii celebratum ſit. Contra vero in chronico noſtro Malleacenſi legimus hæc verba pag. 212. to. II. bibliothecæ novæ manuſcript. librorum.

Anno MLXXIX. *forte excidit apiculus unus, & legendum* MLXXVIII. Hugo epiſcopus Lugdunenſis & legatus Romanæ eccleſiæ tenuit concilium Pictavis, primo die apud ſanctum Petrum, & alio die ad ſanctum Hilarium.

AD CONCILIUM PICTAVENSE

Ab Hugone Dienſi A. S. L. celebratum anno 1078.

ADDITIO.

Ex Manſi Suppl. T. II. pag. 30 Anno 1078.

Baluzius in Miſcellaneis to. VI. pag. 565. neſcio B *qua excitatus ſubreptus, epiſtolam Arnoldi Cenomanenſis e concilio Pictavenſi datam aſſignandam cenſuit concilio Pictavenſi anno* 1100. *ſub Paſchali II. pontifice celebrato. Quem utique minus caute ſcripſiſſe demonſtrat non tantum Lugdunenſis archiepiſcopi præſentia concilio illi, cujus meminit Arnoldus, quem tamen Pictavenſi anni* 1100. *nequaquam adfuiſſe ex actis ejuſdem concilii apud Labbeum to. XII. pag.* 1082. *conſtat. Sed nec ætas Arnaldi cum concilio anni* 1100. *congruere poteſt. Ille enim jam epiſcopus Romam petiit ſub Alexandro II. pontifice, qui anno* 1073. *deceſſit; obiit vero anno quintodecimo epiſcopatus nondum abſoluto, ut ex libello geſtorum ab epiſcopis Cenomanenſibus in Analectis Mabillonii pag.* 308. *nov. edit diſcimus. Viciſſim hæc ipſa epiſt. cum conc Pictavenſi anni* 1078 *plane congruit, utpote cui Lugdunenſis Primas interfuit. His ita ſe habentibus epiſtolam hic damus utpote in acta ejus concilii nondum inſertam.*

LITERÆ ERNALDI EPISCOPI CENOMANENSIS.

De capella Sablolii.

D

ERnaldus Cenomanenſis epiſcopus, & Guandalbertus Fulconi decano ſalutem. Abbas majoris monaſterii, & monachi ejus conqueſti ſunt de me apud Lugdunenſem primatem, & cæteros primores Pictavenſis concilii, quod eorum oratoriam capellam apud Sablolium ædificare prohibemus. At illi rationem oſtendentes, quod id fieri non deberet, rogaverunt, ut eis ædificandi licentiam tribuerem. Quorum auctoritati non obedire inreligioſum ducens, quod petebant benigne conceſſi. Mandamus itaque tibi & ex noſtra auctoritate jubemus, ut cum domno Hilberto S. Martini monacho, per quem epiſcopalem aquam & altare & crucem ferream miſimus, Sablolium uſque pergas, & in loco quem oſtenderit aquam ſpargas, & crucem figas. Vale.

E

Ad res paritas hujus concilii referas edictum, quod hic transfero ex Sammarthanorum Gall. Chriſt. to. I. pag. 205. *in quo de canone quodam concilii Pictavenſis ſit ſermo, quo novo argumento confirmatur Labbei ſententia de canonibus Pictavenſis concilii præſenti huic ab Hugone Dienſi habito, non vero alteri anni MC. a Joanne & Benedicto A. S. LL. coacto tribuendis. Hic enim meminit Gosfredus ſanctionis cujuſdam ab Hugone in ſynodo Pictavenſi conſtitutæ, quæ ſane in canonibus octavus eſt.*

Gosfredus Dei gratia dux Aquitanorum & Willelmus filius ejus, univerſis canonicis eccleſiæ glorioſiſſimi confeſſoris Hilarii, tam præſentibus, quam futuris, imo & univerſis in Ducatu Aquitaniæ &c.

Quapropter nos, ego videlicet Gosfredus gratia Dei Aquitanorum dux & abbas, quantum laico licet, eccleſiæ beati patroni noſtri Hilarii, filiuſque meus chariſſimus Willelmus ex petitione canonicorum eccleſiæ præfatæ, & præcipue Domni Goſſeni venerabilis Burdegalenſis archiepiſcopi & ejuſdem eccleſiæ theſaurarii, necnon conſenſu & collaudatione Domni Iſembardi Pictavenſis pontificis, pariterque procerum noſtri palatii determinando confirmamus, & confirmando determinamus, ut ab hac die in perpetuum nullus cujuslibet presbyteri filius vel diaconi, vel ſubdiaconi, aut alicujus clerici, nullus quoque ſpurius, id eſt qui non eſt de legitimo matrimonio natus, fiat unquam in eccleſia ſupradicta quolibet modo canonicus. Si autem aliquis ex iſtis, ſcilicet ex clericorum filiis, vel cæteris ſpuriis, antequam edictum Domini papæ Gregorii VII. quod de illis promulgatum eſt in concilio Pictavenſi a Domino Hugone Dienſium epiſcopo, & ſedis apoſtolicæ legato eſſet recitatum, factus eſt in illa canonicus ſicut ille utique permiſit, ut ita permaneat, permittimus. Sed tamen ut nullo modo ibi ad quodlibet miniſterium amplius promoveatur, indiſſolubiliter ſanciendo ſtatuimus, & ſtatuendo ſancimus; uſque adeo etiam per univerſa tempora ſuccedentia decretum iſtud auctoritatis noſtræ, imo apoſtolicæ ratum eſſe duximus & illibatum fore voluimus, quod illud ſcribi fecimus, ſcriptumque manibus propriis confirmavimus; confirmatum autem ſigillo noſtro conſignavimus, conſignatum quoque perſonis ſuppoſitis ad conſtipulandum tradidimus. Addimus quoque præſenti decreto aliud, quod in prædeceſſorum noſtrorum privilegiis ſtatutum eſſe invenimus, ut ab hac die & deinceps ſupra LX. canonicos nullus in canonicum conſtituatur, neque donum, neque inveſtitura, neque pretium cuilibet detur, donec aliquis de num. LX. moriatur, exceptis illis, quos ſupra LX. poſitos eſſe modo invenimus, quos in canonicos conſtituendos eſſe ſuis temporibus concedimus. Signum

Ot-

ANNO CHRISTI 1078.

Otfigii cantoris, Willelmi nepotis archiepiſcopi, Hugonis de Cohec, Willelmi ſubdecani &c. Gosfredi Aquitanorum ducis, Guillelmi filii ejus, Goſcelini Burdegalenſis archiep. & theſaurarii S. Hilarii, Iſemberti Pictavenſis epiſcopi, Amati apoſtolicæ ſedis Vicarii, Rainaldi theſaurarii S. Martini, Simonis prioris S. Nicolai, Guidonis abbatis novi monaſterii, Ademari abbatis S. Martialis, Odonis abbatis S. Joannis, Gervaſii abbatis S. Savini, Bertranni abbatis S. Juniani. Hæc ſunt nomina laicorum. Signum Hugonis Jurgeariarum, Borelli de Monaſteriolo, Hugonis præpoſiti, Maingonis de Mella, Hugonis de Lezignem. Hujus autem privilegii ſcienter violatores, omneſque eis conſentientes ex prece prædicti principis, & filii ejus Willelmi & ſupplicatione canonicorum præfatæ eccleſiæ. Ego Goſcelinus Burdegalenſis archiepiſcopus & Iſembertus Pictav. præſul, & Amatus ſedis apoſtolicæ vicarius excommunicamus atque maledicimus, niſi reſipuerint, & ad emendationem quamcitius venerint.

ANNO CHRISTI 1078.

CONCILIUM SUESSIONENSE,

IN ECCLESIA S. MEDARDI

Sub Manaſſe Archiepiſcopo celebratum, in quo Ratboldus Noviomenſis epiſcopus concedit Monaſterio S. Theodorici altare de Emmes.

Ex Chartario S. Theodorici.

Ex Martene Theſauro Anecdot. to. 4. p. 99.

IN nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Si eccleſiarum ſollicitudo paſtoribus eorum incumbit quotidiana, eccleſiaſticæ doctrinæ cenſura eſt, hujus doctrinæ cenſura ſancti Spiritus donum & dilectio Dei eſt: paſtores vero licet eccleſias ſibi ſubditas cura propenſiori familiarius etiam, amabiliuſque protegere habeant, ad procul remotas & a jure proprio alienas oculum convertere, eiſque juxta temporis qualitatem, & neceſſitatum opportunitatem, manus impigræ porrectione, animi libentis affectu, ſuffragio etiam augmentoque privilegii, debent ſubvenire. Quia ergo hac & diſciplina & ſchola inſtrui debemus, & inſtruimur, ego Ratholdus nomine non merito Dei miſeratione Noviomenſis epiſcopus, conſiderans quanto devotionis ſtudio prædeceſſores noſtri monaſtico ordini propitii eccleſiam B. Theodorici incrementis in epiſcopatu noſtro locupletem effecerunt, ad petitionem domini Raimboldi beatæ memoriæ ejuſdem loci Abbatis, inter religioſos nominatiſſimi, in Concilio Sueſſionis in eccleſia S. Medardi ab archiepiſcopo Manaſſe habito, obtentu ejuſdem archiepiſcopi, altare de villa Emmes conceſſi: ita quod Yvo S. Quintini canonicus de eodem altari quod tenebat tunc ſe deveſtivit, altare mihi reddidit, reddituum præfato Abbati juxta ſupraſcriptum tenorem tradidi; metropolitani enim auctoritate noſtræque conceſſionis aſtipulatione ſancitum fuit, quatenus ſub eadem libertatis linea, qua Lotharius rex privilegii firmitate altare & eccleſiam de Atheis cum capella aſſenſu & favore anteceſſoris noſtri poſuit, eadem pariter & altare de villa Emmes conſiſteret, licet ut poſtquam ſolidos tres perſolveret, ab omnium exactione penſionum libere permaneret. Sane ut noſtræ authoritatis pagina rata inconcuſſaque in ſæcula præcurreret, ſigilli noſtri impreſſione corroboravimus, & clarorum virorum qui affuere ſignis & teſtimoniis corroborari fecimus.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

Sueſſionenſe concilium vidi qui adſcriberent anno Chriſti MLXXVIII. celebratum præſide Manaſſe Remenſi archiepiſcopo, cujus meminiſſe perhibetur Balduinus Noviomenſis & Turonenſis epiſcopus in chronico Cameracenſi. Verum in his quæ extant illius auctoris editis monumentis mihi nondum apparuit.

Confirmatio fundationis S. Quintini Bellovacenſis.

Gal. Chriſt. to. X. p. 1468

PHilippus Dei gratia Francorum rex. Inſtituta regia de rebus eccleſiaſticis aut ſecularibus publica vel privata ſine ulla juris controverſia priorum Regum juſſu & auctoritate firmata non violare, ſed inconcuſſa ſervare, noſtra quoque nulla juris parte reclamante, præſentibus ac poſteris ſervanda mandare, regii culminis eſt opus implere. Unde notum volumus fieri cunctis orthodoxis eccleſiæ filiis tam præſentibus quam longe poſitis, viventibuſque & naſcituris, quod ſanctæ Belvacenſis Eccleſiæ Guido reverendus antiſtes orator aures adierit noſtræ pietatis, ſuppliciter nobis intimans, decentiſſimam baſilicam ſe fundaſſe in honore & memoria glorioſiſſimi Quintini martyris, a qua noſtræ ſublimitatis decreto ita dominium poſtulat univerſæ poteſtatis exterminari, ut grex dominicus in eadem baſilica Deo ſerviens, nullius extraneæ poteſtatis ibidem ſævientis poſſit infeſtatione turbari. Cujus petitioni libenter aſſenſum præbemus & regiæ majeſtatis auctoritate ſancimus ut deinceps in prædicta baſilica vel in vico eidem adjacente, non epiſcopus, non aliqua quæ unque poteſtas aliquid ſibi juris uſurpet, præter hujuſdem loci prælatum, aut eos qui ab eo poteſtatem acceperint, excepto quod Belvacenſis ſedis antiſtes defuncto ejuſdem loci Prælato, electione fratrum aliud ibidem ſubſtituat, qui res Eccleſiæ ſtrenue & fideliter adminiſtret; ea quoque quæ eidem Eccleſiæ a prædicto Epiſcopo vel cæteris fidelibus donata ſunt, vel quandoque donanda præſenti teſtamento Deo vel Eccleſiis debita libertate donamus, & irrevocabiliter de cætero poſſidenda, qua præcellimus poteſtate, ordinamus: Quod ſi quis contra auctoritatis noſtræ decretum quidquam moliri præſumpſerit, quodque pro reverentia tanti martyris tam pie ſancitum eſt, violare tentaverit, regiæ majeſtatis reus judicetur, & ſacrilega ejus perſuaſio irrita penitus habeatur. Ut autem teſtatior auctoritas noſtri poſſit eſſe præcepti, ſigillo noſtro ſubter illud fecimus ſigillari, & nomina ſublimium perſonarum, in quarum præſentia confirmatum eſt, cum nota cujuſque pariter aſſignari. Ego Philippus rex Francorum mea manu ſubſcripſi. Ego Guillelmus rex Anglorum mea manu ſubſcripſi. Signum Roberti regis dapiferi. Signum Galerandis camerarii. Signum Hervei buticularii. Signum Adam conſtabularii.

ANNO CHRISTI 1078.

Signum Anſelmi Beccenſis Abbatis. Signum Baduifi Belvacenſis eccleſiæ theſaurarii. Signum Comitis Hugonis fratris Regis. Interfuerunt autem & alii quorum nomina ſubſcripta ſunt. Ivo ejuſdem Eccleſiæ prælatus, Aluſus monachus, comes Ivo de Belmonte, Albericus de Cociaco, Gaufridus de Calmonte, Lancelinus Caſatus Belvacenſis eccleſiæ, Radulfus Caſatus Belv. eccleſiæ, Anſoldus Meldenſis, Aſcelinus de Bullis. Signum Manaſſe Remorum archiepiſc. Signum Theiboldi Sueſſionum epiſcopi. Signum Guidonis Belvacenſis epiſc. Sign. Gerardi Cameracenſis epiſc. Signum Rogerii Catalaunenſis epiſc. Sign. Ratbodi Noviomenſis epiſcopi. Signum Ivonis Silvanectenſis epiſcopi. Sign. Huberti Tarvanenſis epiſc. Signum Godefridi Cancellarii. Sign. Varini Archidiaconi. B Sign. Arnulfi Archidiaconi. Actum publice in obſidione prædictorum Regum, videlicet Philippi regis Francorum & Guillelmi Anglorum Regis, circa Gerborredum, anno Incarnati Verbi 1079. an. vero Philippi regis Francorum XIX. Recitatum vero & confirmatum eſt ſub præſentia prædicti Venerabilis Manaſſe Remorum archiepiſcopi, & plurimorum SS. Patrum in Sueſſionis concilio, quod ſub eodem archiepiſcopo celebratum eſt in eccleſia SS. Maryrum Gervaſii & Prothaſii XVI. Cal. Maii. Ego Manaſſes Remenſis Archiepiſcopus mea manu ſubſcripſi. Quicumque hoc firmamentum de cætero violare præſumpſerit, Chriſti martyris Quintini accuſationem apud diſtrictum judicem incurrat, & noſtra auctoritate, noſtræque congregationis in idipſum tandiu anathema ſit, donec digne ſatisfaciat. Ego Gislebertus ad vicem Rogerii cancellarii relegendo ſubſcripſi (a).

ANNO CHRISTI 1078.

CONCILIUM ROMANUM IV.

In quo Guibertus Ravennas, Tedaldus Mediolanenſis, aliique plures epiſcopi excommunicantur, anno domini MLXXVIII. tempore Gregorii papæ VII.

Dantur variorum Conciliorum Acta.

ANno ab incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo octavo, pontificatus vero Domini Gregorii papæ VII. anno 5. celebravit ipſe dominus Gregorius papa ſynodum, ubi interfuere archiepiſcopi & epiſcopi diverſarum urbium fere numero centum, nec non & abbatum, ac diverſorum ordinum clericorum & laicorum innumerabilis multitudo. In qua apoſtolica conſtituta corroborans, multa quæ corrigenda erant correxit, & quæ corroboranda firmavit. Inter cætera namque in fine ſynodalis abſolutionis hæc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro poſteris ſcribenda mandavit, ita dicendo: * Tedaldum dictum archiepiſcopum Mediolanenſem, & Ravennatem Guibertum, inaudita hæreſi & ſuperbia adverſus hanc ſanctam catholicam eccleſiam ſe extollentes, ab epiſcopali omnino ſuſpendimus & ſacerdotali officio, & olim jam factum anathema ſuper ipſos innovamus. Arnulphum Cremonenſem publice coram noſtra præſentia convictum & confitentem ſe ſimoniacum, ab omni epiſcopali officio abſque ſpe reſuperationis deponimus, & uſque ad dignam ſatisfactionem anathemate percutimus. Rolandum vero Tarviſienſem, qui pro adipiſcendo epiſcopatus honore ſubdolus factus legatus inter regnum & ſacerdotium ſchiſma facere non abhorruit, ut amodo & uſque in ſæculum epiſcopali careat dignitate, apoſtolica cenſura cenſemus, & ut nullus ſucceſſorum noſtrorum ſuæ conſecrationi aliquo modo conſentiat, modis omnibus prohibemus, & perpetuo eum anathemate alligamus, niſi reſipuerit, & digne Deo ſatisfecerit. Hugonem cardinalem tituli ſancti Clementis, tertio ab apoſtolica ſede damnatum, eo quod aſpirator & ſocius factus hæreſis Cadaloi Parmenſis epiſcopi, & iterum conſtitutus legatus apoſtolicæ ſedis, hæreticis & ſimoniacis, & ab apoſtolica ſede damnatis ſe conjunxit, & tertio factus apoſtata & hæreſiarcha, ſchiſmata & diviſiones atque ſciſſuras in eccleſia Dei tentans eam ſcindere fecit, ab omni ſacerdotali officio privamus, & tam ab ingreſſu & honore prædictæ eccleſiæ, quam omnium eccleſiarum, ſub perpetua & irrevocabili ſententia ſubmovemus, & uſque ad ſatisfactionem anathemate percutimus. Renovamus etiam excommunicationem a prædeceſſoribus noſtris factam ſuper Gaufredum archiepiſcopum Narbonenſem, & abſque ulla recuperationis ſpe ab epiſcopali officio eum ſubmovemus.

Theobaldum

*De cauſa regis * Henrici, & aliorum.*

*Henrici & aliorum.

Et quoniam * lis & perturbatio regni in maximum ſanctæ eccleſiæ periculum & detrimentum quotidie redundare * cernimus, placet nobis elaborare pro viribus, quatenus idonei tam religione, quam etiam ſcientia pollentes nuntii e latere apoſtolicæ ſedis ad partes illas mittantur, qui omnes religioſos & juſtitiæ amatores in Teutonici regni partibus commorantes clericalis & laicalis ordinis viros & ad hoc opus idoneos convocent, cum quibus (Domini gratia præeunte) aut finem & pacem juſte componant, aut veritate percognita, cui parti magis juſtitia faveat, ad plenum addiſcere valeant: quatenus pars injuſta deſiſtat, & apoſtolica auctoritate munita, juſtitia vigoris & auctoritatis robur obtineat. Verum quoniam nonnullos diabolico inſtinctu collectos, tyrannidis ſuæ facibus accenſos, turpis lucri avaritiæ mancipatos, diſcordiam potius quam pacem fieri & videre deſiderantes, fore non ignoramus; ſtatuimus ut nulla unquam perſona alicujus potentiæ, ſive rex, aut archiepiſcopus, epiſcopus, dux, comes, marchio, ſive miles, aliqua præſumptione, temerariove auſu, fraude, dolove, ſeu aliqua perturbatione, legatis noſtris obſiſtere & contraire, ne juſtitiam & finem componant, pertentent. Quicumque autem temerario auſu (quod non optamus) hujus noſtræ conſtitutionis violator extiterit, legatiſque noſtris ad hanc pacem componendam euntibus prænominatis fraudem opponere tentaverit, vinculo eum anathema-

* Item de perturbatione. * *lege* constatur.

(a) Hæc ex hac carta certum habiti hujus Concilii annum, tum etiam Patrum nomina, qui huic interfuerunt, quæ omnia ex præcedenti non ſatis innotuerant. Nec removeor quod hic Noviomenſis epiſcopus eſt Ratbodus nuncupata tunc ſedebat, in præcedenti vero ſcribitur Ratholdus, nam forte idem eſt nomen, cum tempore Manaſſis Remenſis Archiepiſcopi non niſi Ratholdus, & non alius ſimilis nominis reſideret.

matis alligamus, & non ſolum in ſpiritu, verum etiam & in corpore, & omni proſperitate hujus vitæ apoſtolica poteſtate innodamus, & victoriam ejus in armis auferimus; ut ſic ſaltem confundantur, & duplici confuſione & contritione conterantur. Item * Rainario vero Ugizzoni filio inducias trium hebdomadarum damus. Quod ſi in ſpatio iſto coram præſentia noſtra aut per ſe aut per legatos ſuos juſtitiam facere noluerit, eo quod fratrem ſuum manu ſua interemit, & multa perjuria ut ſceleſtus incurrere non abhorruit, & cognatam ſuam & pupillos, liberos utique fratris ſui, caſtra eorum diripiendo & prædia, contra periculum animæ ſuæ vexare non deſinit, Tranſacto prænominato termino anathemate eum alligando percutimus. Et filium comitis .... datis induciis uſque in Palmas, ſimili excommunicatione innodamus, eo quod Lucenſem eccleſiam quiete manere ſua diripiendo minime permittit. Excommunicamus omnes Normannos, qui invadere terram ſancti Petri laborant, videlicet marchiam Firmanam, ducatum Spoletanum, & eos qui Beneventum obſident, & qui invadere & deprædari nituntur Campaniam & maritimam, atque Sabinos, nec non & qui tentant urbem Romanam confundere. Epiſcopos vero qui acceptis epiſtolis noſtris, aut cognitis, neque per ſe, neque per canonicam excuſationem ad præſentem ſynodum venerunt, ab epiſcopali ſuſpendimus officio, & quicumque eorum, ſeu epiſcopus ſive presbyter, prædictis Normannis, donec excommunicati fuerint, divinum officium fecerit, a ſacerdotali officio perpetuo ſubmovemus. Abbati Farfenſi octo ſimiliter dierum inducias concedimus; poſt quem terminum, niſi ad emendationem venerit, excommunicamus, & ei corpus & ſanguinem Domini interdicimus, abbatiſque ordine in perpetuum carere eum cenſemus.

ANNO CHRISTI 1078.

* Raineriо ſeu Vidiciо.

Leo epiſcopus Oſtienſis lib. 3.

Et quoniam Dei judicio nonnullos naufragio perire cognoſcimus, & eos quaſi legali jam jure, diabolico imo inſtinctu, ab his quibus miſericorditer ſublevari & conſolari deberent deprædari conſpicimus: ſtatuimus, & ſub anathematis vinculo, ut a prædeceſſoribus noſtris ſtatutum eſt, jubemus, ut quicumque naufragum quemlibet, & * bona illius invenerit, ſecure tam eum quam omnia ſua dimittat. Ordinationes vero illorum qui ab excommunicatis ſunt ordinati, ſanctorum patrum ſequentes veſtigia, irritas fieri cenſemus. Iterum ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut ſacramento conſtricti ſunt, apoſtolica auctoritate a ſacramento abſolvimus, & ne ſibi fidelitatem obſervent omnibus modis prohibemus. Item. Et quoniam multos, peccatis noſtris exigentibus, pro cauſa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſitate, devicti miſericordia, anathematis ſententiam ad tempus, prout poſſumus, opportune temperamus. Apoſtolica namque auctoritate anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, nec non ruſticos & ſervientes, & omnes alios qui non adeo curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur, & illos qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicumque autem aut orator, ſive peregrinus, aut viator, in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, vel non habet unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et ſi quis excommunicatis pro ſuſtentatione, non ſuperbiæ ſed humanitatis cauſa, aliquid dare voluerit, fieri non prohibemus. Actum Romæ in eccleſia Domini Salvatoris quinto Nonas Martii, indictione prima.

ANNO CHRISTI 1078.

* bona ſua

NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilium.) His actis ſynodalibus redarguitur Marianus Scotus in chronico, ſcribens Gregorium in hac ſynodo Henricum regem regno privaſſe, illudque in Rodulphum Sueviæ ducem tranſtuliſſe. Nam nonniſi poſt biennium a Saxonibus & principibus imperii electus auctoritate Gregorii confirmatus fuit, ut infra dicemus in concilio Romano VII. ſynodica epiſtola de rebus in hac ſynodo geſtis extra ſupra lib. 5. epiſt. 15.

CONCILIUM BURDIGALENSE

Cui Goſcelinus archiepiſcopus intereſt, & eccleſiam B. Mariæ de Solaco adjudicat abbati S. Crucis Burdigalenſis.

Ex Mabillon. Annal. Benedictin. to. 5. p. 633.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Ego Amatus S. R. E. Legatus, Ellorenſiumque humilis epiſcopus, juſſu ac vice Domini domni PP. Gregorii VII. ob eccleſiarum Dei correctionem in Aquitaniæ partes directus, omnibus fidelibus præſentibus & futuris. Per hoc privilegium noſtræ auctoritatis notum fieri volo, quod controverſiæ illi & altercationi, quæ inter Arnaldum Trencardi abbatem S. Crucis, & Arnaldum abbatem S. Severi, & monachos utriuſque congregationis, ſuper eccleſia S. Mariæ de Solaco diutius agitata, & uſque ad prædictam ſedem apoſtolicam fuerat perlata, in ſynodo, quam cum confratre noſtro Hugone S. R. E. Legato, Dienſiumque venerabili epiſcopo apud Burdigalenſem celebravimus urbem, quantum in nobis, vel potius quantum in ipſa fuit juſtitia, certum tandem & canonicum impoſuimus finem. Cum enim in prædicta ſynodo convocatis archiepiſcopis, Gocilino ſcilicet Burdigalenſi, & willelmo Auſcienſi, Radulfo quoque Turonenſi, nec non & Dolenſi cum eorum ſuffraganeis coepiſcopis & abbatibus, ſimulque aliis religioſis perſonis tam clericorum quam laicorum reſideremus, atque Domino noſtro Jeſu Chriſto cooperante, & ſermones concilii confirmante, de multis utilitatibus ſanctæ Dei eccleſiæ profuturis pertractando decerneremus ad dandam definitionem canonicam ſuper controverſia quæ erat inter ſupra memoratos abbates de prædicta eccleſia S. Mariæ, penultimum Concilii indiximus diem. Die igitur determinata inſtante, utrique ſupra nominati abbates cum advocatis & ratiocinatoribus ſuis in concilio aſtiterunt; & prout quiſque melius potuit, cauſam ſuam licenter enarraverunt, & enarrando peroraverunt. Clamoribus itaque tenoribuſque utriuſque partis, omnibuſque eorum rationibus a concilio diligenter auditis ac ſubtiliter pertractatis, ad ultimum ut per omnem modum ſatisfieret importunæ invaſioni Arnaldi abbatis

ANNO CHRISTI 1078.

abbatis S. Severi, & ut perpetuum ſilentium ipſi & omnibus ſucceſſoribus ejus ſuper eccleſia S. Mariæ de Solaco canonica cenſura imponeretur; ex decreto Concilii juravit Arnaldus Trencardi abbas S. Crucis, ſexta manu monachorum ſuorum, ante nos in medio, & in conſpectu Concilii, illud idem ſacramentum ſive juramentum, de veritate ſcilicet ſui privilegii, quod dominus papa Alexander jam diu ante decreverat Romæ, debere ante ſe jurari ab ipſo Arnaldo Trencardi, tertia tantum manu monachorum ſuorum Gregorio abbati S. Severi. Omnium etenim fidelium poſteritati notificari volumus, quod multis teſtificationibus canonicis in ipſo Concilio Burdegalenſi coram nobis approbatum fuit Gregorium abbatem anteceſſorem Arnaldi abbatis S. Severi uſque adeo legibus canonicis jam ante convictum fuiſſe Romæ ante D. papam Alexandrum * pro injuria quam faciebat Arnaldo abbati S. Crucis de eccleſia S. Mariæ de Solaco; quod ipſe abbas Gregorius ipſam eccleſiam S. Mariæ de Solaco in manu ipſius D. papæ Alexandri dimiſit, & in manu eiuſdem in ipſam eccleſiam ſe ulterius non invaſurum promiſit: ſubinde ipſe D. papa Alexander ipſum Arnaldum Trencardi abbatem S. Crucis de ipſa eccleſia S. Mariæ reveſtivit. Apoſtolica ergo & Concilii fulti auctoritate, Arnaldum Trencardi abbatem S. Crucis de eccleſia S. Mariæ de Solaco in ipſo Concilio inveſtivimus, & ab omnibus ſucceſſoribus ſuis jure perpetuo cum omnibus ad ſe pertinentibus poſſidendam canonum cenſura decrevimus. Ut autem hæc Concilii definitio firma ſemper & illibata per ſuccedentia maneat tempora, hoc privilegium noſtræ auctoritatis ſcribi præcepimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Actum & definitum in concilio Burdigalenſi in ipſa matre eccleſia in honore beatorum apoſtolorum Andreæ & Jacobi conſtructa anno MLXXVIII. ab Incarnatione Domini, Ind. II. concurrente I. epacta XV. IV. Idus Octobris, anno vero VI. pontificatus D. papæ Gregorii VII. aſtante & confirmante Willelmo nobiliſſimo Aquitanorum duce & comite Gaſconiæ cum ſuis principibus.

ANNO CHRISTI 1078.

* Secundum.

SYNODUS EPISCOPORUM, ABBATUM,

Totiuſque Cleri Cathedralis Eccleſiæ Rotomagenſis in cauſa depoſitionis Joannis Archiepiſcopi ob infirmam valetudinem ab Huberto Cardinali ſedis Apoſtolicæ legato Rotomagenſi habita anno MLXXVIII.

De Bella Conc. Rotom.

MAndatum de hac ſynodo habenda ſubindicat Gregorii VII. ad Guillelmum Anglorum Regem Epiſtola de Archiepiſcopi Rotomagenſis ægritudine data, & ſupra inter Gregorii Epiſt. l. 5. epiſt. 29. allata.

CONCILIUM ROMANUM V.

PRO RESTAURATIONE SANCTÆ ECCLESIÆ

Celebratum anno Domini MLXXVIII. tempore Gregorii papæ VII

* Deeſt vocabulum in ed. Merl.
* tertio decimo

ANno ab incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo octavo, pontificatus vero domini Gregorii ſeptimi papæ ſexto, * tertio Kalendas Decembris, indictione ſecunda, celebrata eſt ſynodus Romæ in eccleſia ſancti Salvatoris pro reſtauratione ſanctæ eccleſiæ. In qua inter alia excommunicatus eſt Conſtantinopolitanus imperator, aliique qui ſubſcripti habentur. Juraverunt quoque legati Henrici & Rodulphi, quiſque pro Domino ſuo, quod nullis dolis colloquium legatorum ſedis apoſtolicæ in Teutonico regno habendum impedient. Conſtituta etiam ſunt illic ad utilitatem ſanctæ eccleſiæ quædam capitula quæ in ſequentibus denotantur.

De Teutonicis contradicendis, ne prædia eccleſiaſtica a regibus data, ſive ab invitis epiſcopis, detineant.

Ut iterum excommunicentur illi quorum culpa colloquium remanſit.

Narbonenſis archiepiſcopus iterum excommunicetur.

Et alii qui ab Amato epiſcopo ſunt excommunicati.

Comes ſancti Ægidii excommunicetur propter uxorem.

Et idem monaſterium, ſi fuerit in poteſtate comitis.

Monaſterium ſancti Benedicti montis Caſſini defendatur ab omnibus Normannis.

Ut contradicatur ne aliquis accipiat inveſtituram ecclesiarum de manibus laicorum.

Et ne prebendæ vel officia eccleſiaſtica vendantur.

De conſanguinitate.

De ſimoniacis.

De caſtitate clericorum.

De falſis ordinationibus.

De falſis pœnitentiis.

Qualiter vera pœnitentia detur.

De decimis a laicis injuſte detentis.

De patriarcha Aquilejenſi.

De patriarcha Gradenſi.

De imperatore Conſtantinopolitano.

De feſtivitatibus pontificum Romanorum celebrandis.

De abſtinentia ſabbati.

De Judæis non præponendis Chriſtianis.

De ſancti Petri hereditate occultata.

Ut nullus pœnitens ſuſcipiatur ſine literis epiſcopi ſui, niſi forte fuerit epiſcopus mortuus vel excommunicatus.

Ut nullus abbas decimas & primitias ſine auctoritate Romani pontificis ſeu epiſcopi conſenſu, in cujus diœceſi habitat, detineat.

Ut nullus epiſcopus gravamen, ſeu ſervile ſerviſium, ex uſu abbatibus imponat.

Ut ſacerdotes ſine licentia ſui epiſcopi, & monachi de vaſis monaſteriis ſine licentia ſuorum abbatum non recipiantur.

Ut epiſcopi qui conſenſerint fornicationem vel incé-

ANNO CHRISTI 1078.

cessum in suis parochiis a suo officio suspendantur. A

Ut omnes episcopi sacramentum faciant, ne prædia ecclesiastica vendant.

Ut nulli episcopi prædia ecclesiæ in beneficium tribuant sine consensu papæ, si de sua sunt conservatione. Cæteri autem sine consensu archiepiscopi sui & fratrum suorum hoc idem non præsumant: si autem præsumpserint, ab officio suo suspendantur, & quod venditum est vel datum beneficium ecclesiæ reddatur, omnino evacuata omni venditione, vel in beneficium traditione.

Ut omnes episcopi artes literarum in suis ecclesiis doceri faciant, & ornamenta ecclesiæ sive certa utilitate, aut gravi necessitate, nullo modo nulloque ingenio ecclesiis subtrahant, ne periculum sacrilegii, B *quod absit, incurrant.*

Ut annuntietur laicis cum quanto periculo animæ suæ decimas detinent, & ecclesias possident.

Ut qui certam partem in solemni missa volunt habere, aliquid procurent offerre.

Decreta quædam in hac synodo facta: multa enim desiderantur, quorum tantum tituli habentur.

I.

Quicumque militum, vel cujuscumque ordinis vel professionis persona, prædia ecclesiastica a quocumque rege, seu seculari principe, vel ab episcopis invitis seu abbatibus, aut ab aliquibus ecclesiarum rectoribus susceperit, vel suscepit, vel invasit, vel etiam de rectorum depravato seu vitioso eorum consensu tenuerit, nisi eadem prædia ecclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat.

* Hæc desunt in chronico Virdunensi Magnois Flor. Si quis Nortmannorum, * vel quorumlibet hominum, prædia monasterii sancti Benedicti montis Cassini invaserit, vel quascumque res ejusdem monasterii injuste abstulerit, & bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi subjaceat, donec resipiscat, & ecclesiæ satisfaciat.

II.

Quoniam investituras ecclesiarum contra statuta sanctorum patrum a laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes * in ecclesia oriri, ex quibus Christiana religio conculcatur; decernimus ut nullus D clericorum investituram episcopatus, vel abbatiæ, vel ecclesiæ, de manu imperatoris, vel regis, vel alicujus laicæ personæ, viri vel feminæ, suscipiat.

* In ecclesiasticis tantum fundis Reli giosis oriri.

* Hæc quoque desiderantur in eodem chronico. Quod * si præsumpserit, recognoscat investituram illam apostolica auctoritate irritam esse, & se usque ad condignam satisfactionem excommunicationi subjacere.

III.

Si quis præbendas, archidiaconatus, præposituras, vel aliqua officia ecclesiastica vendiderit, vel aliter quam statuta sanctorum patrum præcipiunt ordinaverit, ab officio suspendatur: dignum est enim, ut sicut gratis episcopatum accepit, ita membra ejusdem episcopatus gratis distribuat. E

IV.

Ordinationes quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio * alicujus personæ ea intentione impensо, vel quæ non communi consensu cleri & populi secundum canonicas sanctiones fiunt, & ab his ad quos consecratio pertinet non comprobantur, infirmas & irritas esse dijudicamus: quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est per Christum, intrant, sed, ut ipsa veritas testatur, fures sunt & latrones.

* alicui personæ.

V.

Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit, & recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi arma deponat, ulteriusque non ferat, nisi consilio religiosorum episcoporum pro defendenda justitia, vel negotium derelinquat, vel officium deserat, & odium ex corde dimittat, bonaque quæ injuste abstulit restituat. Ne tamen desperet, interim quidquid boni facere poterit, hortamur ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.

VI.

Decimas, quas in usum pietatis concessas esse canonica auctoritas demonstrat, a laicis possideri apostolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis, eas acceperint, nisi ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen * committere, & æternæ damnationis * periculum incurrere.

* incurrere
* pœnam habere.

VII.

Quia dies sabbati apud sanctos patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorumdem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, ut C quicumque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die, nisi majori festivitate interveniente, vel infirmitate impediente abstineat.

VIII.

Ut nullus abbas decimas & primitias, & reliqua quæ secundum statuta canonum ad episcopos pertinent, sine auctoritate Romani pontificis, seu episcopi consensu in cujus diœcesi habitat, detineat, apostolica * sanctione firmamus.

* auctoritate confirmamus.

IX.

Nullus episcopus gravamen, seu servile servitium, ex usu contra ecclesiasticam normam abbatibus seu clericis suis imponat. * Interdictum sacerdotale officium pretio interveniente restituat. Quod si fecerit, officii sui periculum subeat.

* vel interdictum.

X.

Si quis prædia B. Petri apostolorum principis ubicumque posita in proprietatem suam usurpaverit, vel sciens occultata, non propalaverit, (vel * debitum servitium exinde beato Petro non exhibuerit,) recognoscat se iram Dei & sanctorum apostolorum velut sacrilegum incurrere. Quicumque autem in hoc crimine deprehensus fuerit, eamdem hereditatem beati Petri legitime restituat & pœnam quadrupli de propriis bonis persolvat

* De his in chron. Virdunens.

XI.

Si quis episcopus fornicationem presbyterorum, diaconorum, seu subdiaconorum, vel crimen incestus in sua parochia, precibus vel pretio interveniente, consenserit, vel commissum sibique compertum auctoritate sui officii non impugnaverit, ab officio suspendatur.

XII.

Ut omnis Christianus procuret ad missarum solemnia aliquid Deo offerre, * & ducat ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Etenim in collectis sanctorum patrum liquido apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum patrum debent.

* & dicat. Exod. 23.

AD-

ANNO CHRISTI 1078.

Additio Philippi Labbe, S. J.

Hujus Romani concilii canonibus hæc præmittit Hugo Flaviniacenſis abbas jam ſæpe laudatus: Conſecratus, *&c. alibi* jam *excuſ.*

Notæ Severini Binii.

Acta concilii. *Concilium*.) In hac ſynodo, poſt ea quæ in actis ſupra recenſitis continentur, nefandiſſimum Guibertum Ravennatem archiepiſcopum ad ſynodum frequenter citatum, apoſtolicæ ſedis patientia & benignitate abutentem, ob immenſa ſcelera perpetrata depoſitum eſſe, indicat epiſtola Gregorii decima libri ſexti, quam ad omnes Ravennates de Guiberti ſceleribus & depoſitione perſcripſit.

Guibertus antipapa depoſitur. Nicephorus imperator excommunicatur. *Excommunicatus eſt Conſtantinopolitanus imperator*.) Nicephorus nimirum, cognomento Botoniates, qui imperium ſibi tyrannice vindicans, Michaelem cum Maria Auguſta conjuge, filioque Conſtantino Porphyrogeneto in Blachernis captos in monaſterium relegavit. Coronatus eſt autem ipſe Nicephorus a Coſma patriarcha, qui eodem anno, Joanne Xiphylino defuncto, a Michaele imperatore in locum ejus fuerat ſubrogatus. Venerat iſte Hieroſolymis, & magnæ exiſtimationis erat apud imperatorem. *Joannes Curopalates*.

Decaſſo canonis. *Si quis Normannorum*.) Hujus canonis lanciendi occaſionem Leo Oſtienſis epiſcopus qui aderat lib. 3. cap. 45. & 46 ſic enarrat: *Eodem tempore Roſellanæ eccleſiæ pontifex ad hoc cœnobium veniens, non parvam perſonæ ſuæ ſummam in hoc loco depoſuit. Quod ubi Jordani principi Capuæ relatum eſt, miſſis militibus, eum de ſecretario eccleſiæ abſtrahi, & ad ſe præcepit afferri. Ad hæc fratres: Pecuniam, inquiunt, quæ patri Benedicto credita eſt, nos nulli omnino viventium damus; verum in ſecretario conditam qui præſumpſerit tollat. Milites diabolico furore debriati pecuniam de ſecretario abſtrahunt, ac abſtractam ad principem deferunt. Tantum vero & tam immane inauditumque factum Gregorii papæ dum perveniſſet ad aures, hujus temeritatis noxam insultam eſſe non ferens, & veritus ne hoc ejus exemplo eccleſiæ noſtræ violaretur, divinum officium in eccleſia peragi B. Benedicti interdixit. altariaque omnia nudari fecit, aſſerens in tanto ſceleſte nimiæ negligentiæ damnandaque formidinis Deſiderium abbatem ac fratres argui merito poſſe: neque adverſus congregationem noſtram ſeverius commovendum, niſi ea quæ ſemper locum ipſum dilexerat cervix te teneretur. Si quidem tolerabilius eſſe villas & caſtella juris noſtri in prædam & direptionem dari, quam ſanctum locum, ubique terrarum famoſiſſimum, tantæ ignominiæ ſubjacere. Sed non diu divina ultio dilata eſt. Nam princeps tanti auctor ſceleris, poſtquam pecuniam tulit eccleſiæ, lumen amiſit. Inde vero Gregorius in concilio præſidens conſtituit, ut ſi quis Normannorum vel quorumlibet hominum, prædia, monaſteria, villas, poſſeſſionesque noſtri monaſterii Caſſinenſis invaſerit, & ſecundo ac tertio admonitus non emendaverit, excommunicationi ſubjaceat, quouſque ſatisfaciat.*

Quoniam inveſtituras eccleſiarum.) De hoc canone Leo Oſtienſis cap. 41. ita ſcribit: *Per idem tempus, ſupradicto papa Gregorio ſynodum habente, Leo hujus monaſterii bibliothecarius, qui poſtea Oſtienſis epiſcopus fuit, proponit litem de monaſterio ſanctæ Sophiæ de Benevento, quod nuper Beneventani a dictione noſtri cœnobii violenter abſtraxerant. Cumque res ad judicium deducta eſſet, audientibus omnibus, recitata ſunt omnia privilegia noſtra, quibus principes Romanique pontifices, imperatores, reges, duces, prædictam cellam huic monaſterio donaſſe probatum eſt, decretumque a ſummo pontifice cellam illam nihil ad Beneventanos pertinere, ſed juris noſtri perpetuo eſſe debere. In eadem item ſynodo inſtitutum eſt, ut qui a laico inveſtituram eccleſiæ acciperet, anathemate uterque plecteretur, & qui ſcilicet daret, & qui acciperet.* Hæc Leo.

Additio Philippi Labbe S. J.

De Gregorii VII. zelo adverſus ſimoniacos, concubinarios, &c. hæc habet idem Hugo Flaviniacenſis, pag. 207. chronici Virdunenſis.

Conſecratus igitur in juſtitia & ſanctitate miro modo aſſiduis votis pro ſe & grege ſibi commiſſo excubans, urgente paſtoralis officii neceſſitate, diſtorta perverſorum corda ad rectitudinis lineam ſumma vi corrigere nitens, veritatem Dei A abſque perſonæ acceptione omnibus patefecit, nactus omnium bonorum dilectionem ob. zeli Dei fervorem, & juſtitiæ exequutionem. Sed quia nulla eſt ſocietas luci ad tenebras, perditorum hominum odium & detractionem, imo perſecutionem acerrimam incurrit; regiam tamen viam, quam ſemel intraverat, inconcuſſus, immotus, per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris fortiter inceſſit. Ac primo quidem apoſtolica auctoritate, veridicis ſanctorum patrum animatus ſententiis, ad eliminandam ſimoniacam hæreſim, & præcipiendam clericorum caſtitatem commiſſi ſibi officii debito vehementer exarſit. Audiant igitur qui audire volunt, ut muniantur, qui audire nolunt, ut confundantur; quam libera, quamque catho- B lica voce contra inſanos impiorum latratus, impiaque molimina, auſuſque nefandos intonuerit hic propugnator eccleſiæ. Cum enim omnes fere ſua quærerent, non quæ Jeſu Chriſti, & adhærere mallent diſcipulatui Simonis, quam pauperiem Chriſti ſervare in unitate fidei; miniſtri quoque divini ſanctuarii fœdam libidinoſæ contagionis pollutionem contra jus fasque uſurpatam, & ſubintroductam nollent abjicere, inveſtituræ etiam eccleſiarum a laicis indebite uſurparentur: ipſe pro communi eccleſiæ utilitate & neceſſitate in Lateranenſi palatio aggregata ſynodo, circumſedentibus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & religioſis Deumque timentibus clericis & monachis, de ſuprafcriptis, & aliis eccleſiæ commodis C tractans, hæc decretalia promulgavit capitula.

ANNO CHRISTI 1078.

I. Quicunque militum, &c.

Hæc ſunt beatiſſimi papæ ſynodalia decreta, Pag. 208. ex moribus corrigendis idonea, ſanctorum patrum iisdem chron. decretis conſona, cælo rorante ſtillata, univerſis fidelibus inculcanda, amplectenda, atque tenenda, juſtitia dictante prolata, fortitudine roborata, prudentia promulgata, temperantiæ virtute prædita. Sed perverſi dum in eorum norma vitæ ſuæ perverſitate offendunt, hæc gravia, hæc difficilia; hæc, quia corrigi nolunt, emendari refugiunt, omnimodis appellant impoſſibilia. O mentem amentem! o ſpurcam nequitiam! & nequiſſimam ſpurcitiam! Numquid ſi perditorum mores D hominum corrigi refugientes deſipiunt, juſtitia ſilebitur, pietas conculcabitur, & eccleſiaſticæ animadverſionis gladius a ſanguine prohibebitur? Væ rectori, quem denotaverit ſententia hujuſce maledictionis! maledictus eſt qui prohibet gladium ſuum a ſanguine. Gladium a ſanguine prohibere, eſt prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. Ob hanc igitur cauſam, quia ſcilicet ſanctam Dei eccleſiam caſtam eſſe volebat, liberam, atque catholicam, quia de ſanctuario Dei ſimoniacam & neophytorum hæreſim, & fœdam libidinoſæ contagionis pollutionem volebat expellere; membra diaboli cœperunt in eum inſurgere, & uſque ad ſanguinem præſumpſerunt in E eum manus injicere, & ut eum morte vel exilio confunderent, multis eum modis conati ſunt dejicere. Sic ſurrexit inter regnum & ſacerdotium contentio, accrevit ſolito gravior ſanctæ Dei eccleſiæ tribulatio. Heinricus enim Henrici imperatoris filius adverſus Deum & matrem omnium catholicorum Romanam eccleſiam ſuperbe tumidus, quia vita ejus prava ſanctorum patrum decretis & canonicis adverſabatur inſtitutis, adverſus Deum & adverſus Chriſtum ejus inſurrexit, eccleſiaſticis ſanctionibus impie factus rebellis: membra diaboli contra eum incitando, & omnes quos potuit minis, blanditiis, terroribus, muneribus

ANNO CHRISTI 1078

ribus contra eum armando, facta cum multis episcopis Lotharienſibus & Tranſrhenenſibus compoſitione. Poſito enim adhuc in diaconatus officio eodem papa ſanctiſſimo, cum de eo ſiniſtra & inhoneſta ubique ferretur fama, propter imperialem dignitatem, & patris matriſque reverentiam, necnon propter ſpem correctionis ejus, ſæpe ab eo litteris & nunciis eſt admonitus, ut memor clariſſimi generis, memor imperialis dignitatis vitam ſuam moribus imperio congruentibus inſtitueret, ut regem ſe & imperatorem moribus oſtenderet, operibus exhiberet. Sed quia cum ætate illius quoque pariter crevit iniquitas; ſublimatus in ordine pontificatus, auctoritate officii ſibi commiſſi, multo ſollicitius ad vitæ melioration[em] eum in dies hortabatur; cum ille excuſatione ætatis fluxæ & fragilis de die in diem monita ejus ſe ſuſcepturum verbis quidem promitteret, cæterum re & exaggeratione culparum, malo eorum, in quorum manus curia erat, conſilio penitus conculcaret. Hinc jam proclivior factus ad ſcelera præceps præcipiti uſus conſilio ferebatur per devia. Viſum eſt papæ beatiſſimo, ut familiares ejus, quorum machinationibus per epiſcopatus & monaſteria inductis ſimoniace lupis pro paſtoribus, eccleſiæ innocentiam hæreſi nefanda fœdaverat, ad pœnitentiam vocaret, venientes ſuſciperet, reſpuentes a communione corporis Chriſti & conſortio fidelium ſepararet: ut vel ſic eum ab eorum ſurreptione & maligno conſilio ſegregaret, admonens eum ut eos excommunicatos a domo, ab convivio, ab omni etiam familiaritate & communione ſua expelleret. Interim vero invaleſcente contra eum Saxonum cauſa, cum vires regni & præſidia a ſe videret deficere velle, epiſtolam ei direxit ſupplicem, & humilitate plenam, pœnitentiam de perpetratis agens, emendationem pollicens, & ſuam ei obedientiam & fidele adjutorium contra rebellantes promittens. Et hoc poſtmodum legatis ejus Humberto Præneſtino & Giraldo Oſtienſi epiſcopis, in illorum manus per ſacratas eorum ſtolas, quas collo geſtabant, jurejurando confirmans. Textus autem epiſtolæ iſte eſt.

Ex eodem chronico Virdunenſi.

Henrici imperatoris epiſtola ad papam.

Vigilantiſſimo & deſiderantiſſimo domino papæ Gregorio apoſtolica dignitate cœlitus inſignito, Heinricus Dei gratia Romanorum rex debiti famulatus fidelifſimam exhibitionem.

Cum regnum & ſacerdotium, ut in Chriſto rite adminiſtrata ſubſiſtant, vicaria ſui ope ſemper indigeant, oportet nimirum, domine mi & pater amantiſſime, quatenus ab invicem minime diſſentiant, verum potius Chriſti glutino conjunctiſſima indiſſolubiliter ſibi cohæreant. Namque ſic & non aliter conſervatur in vinculo perfectæ charitatis & pacis, & Chriſtianæ concordia unitatis, & eccleſiaſticæ ſimul ſtatus religionis. Sed nos, qui Deo annuente, regni jam ſortimur miniſterium, ſacerdotio ut oportuit per omnia jus & honorem non exhibuimus legitimum. Quippe datæ nobis a Deo poteſtatis vindicem gladium non ſine cauſa portavimus, nec tamen in reos, ut juſtum fuit, judiciaria illum cenſura evaginavimus. Nunc autem divina miſeratione aliquantulum compuncti; & in nos reverſi peccata noſtra priores veſtræ indulgentiſſimæ paternitati nos accuſando confitemur, ſperantes de vobis in domino, ut apoſtolica veſtra auctoritate abſoluti juſtificari mereamur. Heu criminoſi nos & infelices! partim pueritiæ blandientis inſtinctione, partim auctoritatis noſtræ imperioſa libertate, partim etiam eorum, quorum ſeductilia nimium ſequuti ſumus conſilia, ſeductoria deceptione peccavimus in cælum & coram vobis, & jam digni non ſumus vocatione veſtræ filiationis. Non ſolum enim nos res eccleſiaſticas invaſimus, verum quoque indignis quibuslibet, & ſimoniaco felle amaricatis, & non per oſtium, ſed aliunde ingredientibus, eccleſias ipſas vendidimus, & non eas ut oportuit defendimus. At nunc, quia ſoli abſque veſtra auctoritate eccleſias corrigere non poſſumus, ſuper his, ut etiam de noſtris omnibus, veſtrum una conſilium & auxilium obnixe quærimus, veſtrum præceptum ſtudioſiſſime ſervabitur in omnibus. Et nunc imprimis de eccleſia Mediolanenſi, quæ noſtra culpa in errore eſt, rogans, ut veſtra apoſtolica diſtrictione canonice corrigatur, & exinde ad eccleſias corrigendas auctoritatis veſtræ ſententia progrediatur. Nos ergo vobis Deo volente in omnibus non deerimus, rogantes idipſum ſuppliciter paternitatem veſtram, ut nobis alacris adſit clementer in omnibus. Litteras noſtras non poſt longum tempus cum fideliſſimis noſtris habitis, ex quibus noſtra quæ dicenda adhuc reſtant, Deo dante, plenius audietis.

Verum, commiſſo prælio, & victoria obtenta, ad vomitum cito rediit, vota fregit, excommunicatos in communionem & gratiam ſuſcepit, eccleſiarum confuſionem non abhorruit. Pius autem papa adhuc animum ejus tentandum credens, litteras ei direxit commonitorias, ut recordaretur domini Dei ſui, recordaretur promiſſi, nec inhonoraret honorantem ſe, nec crederet ſe fallere poſſe Deum: adjiciens, *Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus autem dare gratiam*, parcenſque ei & moderaminis apoſtolici erga eum cenſuram conſervans, quem potuiſſet pro hoc ſolo ſcelere juſte punire.

ALTERA ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Ad concilium Romanum V. ex chronico Virdunenſi, pag. 214. to. I. bibliothecæ novæ MS. librorum.

Anno ab incarnatione domini 1078. *indictione* 1. *pontificatus ejus anno* V. *menſe Martio, Gregorius papa VII. Romanæ ſynodo epiſcoporum centum præſidens, dixit poſt aliqua.*

Ordinationes illorum, qui ab excommunicatis ſunt ordinati, ſanctorum patrum ſequentes veſtigia, irritas fieri cenſuimus. Sanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis juraverunt, fidelitate aut ſacramento abſolvimus, & ne ſibi fidelitatem obſervent modis omnibus prohibemus. Et quoniam multos peccatis noſtris exigentibus pro cauſa excommunicationis quotidie perire cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam nimia neceſſitate, devicti miſericordia, anathematis ſententiam prout poſſumus, ad tempus opportune temperamus. Apoſtolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, necnon ruſticos & ſervientes, & omnes alios qui non adeo curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur, & illos qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicumque autem orator, ſive peregrinus, aut viator in terra excommunicatorum venerit, ubi non poſſit emere, aut non habet unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et ſi quis excommunicatis non

ANNO CHRIST 1078

* Lege, pro *ſuſtentatione non ſuperbiæ* &c. ut ſupra in concil. Rom. IV. H.

ſuſtentatione ſuperbiæ ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit non prohibemus .. Actum in eccleſia domini Salvatoris, quæ appellatur *Conſtantiana, v. nonas Martii.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI
ad An. Chr. 1078. n. 4. & 5.

Subdit de V. ſynodo Romana Bertoldus in Chronico: *In ſynodo iſta Berengarius Andegavenſis Canonicus, ut ab hæreſi ſua reſipiſceret, ſynodaliter convenitur, eique induciæ uſque ad proximam futuram ſynodum dantur.* Huc referendum, quod Anonymus Chiffletianus in opuſculo de Berengarii hæreſiarchæ damnatione multiplici ſcribit. *Reverendiſſimus Papa Gregorius VII. ſucceſſor Alexandri iterum eidem Berengario audientiam in duabus ſynodis generalibus Romæ conceſſit. Sed cum ipſe ſectam ſuam catholicæ fidei contrariam denegare non poſſet, iterum ſub juramento eamdem abdicare, & fidem catholicam profiteri delegit, ſicut in ſuperioribus conciliis fecit. Tot igitur conciliis Berengarianam hæreſim damnatam percepimus, tum ex fidelium relatione virorum, qui eiſdem conciliis interfuerunt, tum ex regeſtis Romanorum Pontificum, tum ex ſcriptis religioſorum virorum, qui de his fideliſſime ſcripſerunt. Nam eadem Concilia noſtris temporibus infra 90. annos celebrata reperiuntur, quos anni ab exordio Pontificatus S. Leonis Papæ uſque in præſentem annum computantur, qui eſt ab Incarnatione Domini* 1088. (quo Auctor opuſculum ſuum ſcripſit.) *Unde & adhuc multi vivunt, qui eiſdem conciliis interfuerunt; qui & nobis de iiſdem Conciliis fideliſſime teſtificati ſunt.*

ANNO CHRISTI 1078.

Berengarius, qui primam fidei profeſſionem anno 1059. coram Nicolao Papa fecerat, ſecundam in iſta ſynodo edit, quam hactenus ineditam ex veteri Codice MS. Mabillonius Tom. 2. Analect. in Obſervat. de multiplici Berengarii damnatione in hunc modum exhibet: *Profiteor panem Altaris poſt conſecrationem eſſe verum Corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, quod paſſum eſt in Cruce, quod ſedet ad dexteram Patris: & vinum altaris poſtquam conſecratum eſt, eſſe verum ſanguinem, qui manavit de latere Chriſti. Et ſicut ore pronuncio, ita me in corde habere confirmo. Sic me adjuvet Deus, & hæc ſacra.* Verisimile eſt, inquit Mabillonius, Berengario, poſtea quam priorem confeſſionem quaſi proprium Humberti Cardinalis fœtum tam atrociter ſcripto ſuo a Lanfranco confutato laceraſſet, ut vel ſic omnis cauſandi ac tergiverſandi aditus ei præcluderetur, datam fuiſſe poteſtatem ſuis verbis explicandi propriam de Euchariſtia mentem, quod ipſe præſtiterit, edita hac confeſſione ſecunda, in qua ſubdolis *veri corporis & veri ſanguinis* verbis catholicam fidem profiteri videbatur: tametſi ſub eiuſmodi ſpeciosis larvis hæreſim ſuam occultabat. Inde factum, ut hæc confeſſio permulcens iſtius ſynodi Epiſcopis non fecerit ſatis, ideoque remiſſa, ac oblata ſit amplior hujus rei diſcuſſio in ſynodum anni ſubſequentis, cujus gratia frequentior Epiſcoporum numerus Romam convenire debebat: ac interim Berengarius ad id tempus Romæ reſidere juſſus. Quæ viri doctiſſimi conjectura valde mihi probatur.

☞ AD CONCILIUM ROMANUM

Contra rerum ſacrarum invaſores anno 1078. *celebratum.*

ADDITIO.

Ex Mabil. Suppl. To. II. P. 18 Anno 1073.

CUm in concilio iſto Romano res Caſinenſis monaſterii contra Normannorum invaſiones aſſertæ fuerint; non dubito quominus ad idem Romanum concilium pertineat ſententia illa adverſus eoſdem Normannos lata, qua eoſdem caſtigat pro ſimili invaſione rerum monaſterii Caſaurienſis vel Piſcariæ, quæ inſula eſt maris Adriatici in Aprutio ulteriori. Hanc igitur damus ex Chronico ejuſdem Monaſterii exhibito Rer. Italic. tom. II. par. II. pag. 365. Inſuper de inveſtituris dignitatum eccleſiaſticarum a laicis non recipiendis decreta duo integra cum non legantur in ſynopſi actorum hujus concilii, quam ſolam hic pro actis deperditis exhibet Labbeus, ſupplemus ex opuſculo S. Anſelmi Lucenſis contra Wibertum antipapam lib. II. pag. 384. edit. Caniſcianæ Baſnagii; ſed antequam hæc proferantur, diſquirere aliquid juvat de hæretico Berengario, cujus cauſa non in concilio tantummodo Romano ſequentis anni tractata eſt, quod & Labbeum non latuit, ſed &, quod ipſe ignoravit, in præſenti pariter juſſus eſt fidei ſuæ confeſſionem exhibere, quam, ſiquidem vera ille narraverit in ſcripto quodam ſuo vulgato in Anecdotis Martene tom. IV. pag. 103. concilii illius Patres tunc quidam catholicam agnoverunt; ſed alii latere in illa veneni aliquid hæretici ſuſpicati perſuaſerunt pontifici, ut Romæ ad concilium uſque ſequentis anni illum detineret. Ibi clariorem fidei ſuæ confeſſionem exprimere coactus eſt. Porro ex ea Berengarii de rebus ſuis narratione intelligimus, concilium iſtud Romanum in feſtivitate omnium Sanctorum cœpiſſe, idque vero toto illo menſe perſeveraſſe demonſtrat inſcriptio ejuſdem concilii in editis Labbeanis, quæ diem III. Kal. Decembris ſignat. Nunc tandem confeſſionem fidei ejuſdem Berengarii ex eodem opuſculo promamus.

Juramentum Berengarii Turonici.

Profiteor panem Altaris poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, quod paſſum eſt in cruce, quod ſedet ad dexteram Patris, & vinum altaris poſtquam conſecratum eſt, eſſe verum ſanguinem, qui manavit de latere Chriſti. Et ſicut ore pronuncio, ita me corde habere confirmo, ſic me adjuvet Deus, & hæc ſacra.

„ Scriptum iſtud cum Romæ apud papam moram facerem in conventu epiſcoporum, quem „ habuit in feſtivitate omnium Sanctorum, vo„ ciferatione multa omnibus pronuntiari fecit, „ dicens ſufficere debere fidei, ſufficere debere „ his, quibus lac potus dandus eſſet non cibus, „ ſecundum quod ſcribit B. Auguſtinus de ſacri„ ficio eccleſiæ dicens: *Quod videtis in altari paniſ eſt & vinum, quod etiam oculi veſtri vobis renuntiant: quod autem fides inſtruenda poſtulat, panis eſt corpus Chriſti, vinumque ſanguis.* In„ clamans populo, me non hæreticum eſſe, ita „ me de ſcripturis, non de corde meo habere, „ omnibus teſtificans in audientia ſua Petrum „ Damiani non inferiorem lima eruditionis, non „ inferiorem Lanfranno dignitate chriſtianæ re„ ligionis, Romæ non conſenſiſſe de ſacrificio „ eccleſiæ dictis Lanfranni, pro eo ſe dare ſen„ tentiam, negligenda eſſe ea, quæ diceret Lan„ frannus, potius quam ea, quæ diceret Petrus „ Damiani Romanæ eccleſiæ filius, S. Rufinæ, ſi „ ſatis memini, epiſcopus, non inferior, ut di„ cta repetam, Lanfranno lima eruditionis, di„ gnitate chriſtianæ religionis; multo Lanfranno „ operoſior in ſtudio divinæ lectionis, ſecundum „ quod præcepit ipſe Dominus: *Scrutamini ſcri„ pturas*. Ita papa ille, cum quo moras pene „ per annum feceram, compeſcitam putare viſus „ eſt

Hæc omittit Berengarius in ſcripto a Martene vulgato.

ANNO CHRISTI 1078.

„ eſt & compoſitam vecordiam turbæ turbatæ; ut
„ ait B. Auguſtinus, cœni commoti, quo me hæ-
„ reticum quantum potuit inſimulaverat: maxime
„ quia papa undecumque libros comportari fece-
„ rat epiſcopis & abbatibus, clericis & mona-
„ chis, unde ſacrificia Chriſti impervertibilia ſen-
„ ſa & ſcripta Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii,
„ aliorumque legenda propoſuerat, mecum ſen-
„ tientibus in eis, qui cum papa erant, epiſco-
*Lege Sutrinenſi. „ po Portuenſi, epiſcopo Sucirenſi *, epiſcopo
„ Terracinenſi, cardinalibus Attone Mediolanen-
„ ſi, monacho Tudenſi Romanæ eccleſiæ cardina-
„ li nomine Deuſdedit, Petro cancellario, beni-
A „ gni atque humilis cordis fratre Fulcone tranſ-
„ montano, clerico ipſius domini papæ convicto-
„ re nihilominus Tethbaldo, qui litterarior dili-
„ gentia peculiari apud S. Petrum eo tempore
„ habebatur clericus, & fratre quodam, qui co
„ gnomine Bona-dies appellabatur, aliiſque com-
„ pluribus, quorum nomina, dignitatemque non
„ teneo. Cum tamen urgerent papam illum quam
„ maxime peſtilentes & ſcripturarum pervertores,
„ ut exigeret a me moras adhuc Romæ facetu
„ uſque ad conventum, qui futurus erat apud
„ eum in quadrageſima epiſcoporum. &c.

ANNO CHRISTI 1078.

GREGORIUS VII.

Romana ſynodo quinquaginta epiſcoporum confidente, presbyterorum & abbatum multitudine, ſtatuit dicens

I.

SI quis deinceps epiſcopatum, vel abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter epiſcopos habeatur, nec ulla ei ut epiſcopo aut abbati audientia concedatur, inſuper ei gratiam B. Petri & introitum eccleſiæ interdicimus, quo uſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis, quam inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ cœpit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus, & eccleſiaſticis dignitatibus, conſtituimus.

Ex opuſculo S. Anſelmi Lucenſis contra Wibertum lib. II. Canif. Veter. Lect. tom. III. p. 188 edit. Baſnag.

II.

Si quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, vel quilibet ſæcularium poteſtatum aut perſonarum inveſtituram epiſcopatuum, vel alicujus eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe adſtrictum eſſe ſciat.

SENTENTIA A GREGORIO PAPA VII.

Promulgata contra pervaſores poſſeſſionum Monaſterii S. Clementis.

Rer. Ital. to. II. part. II. col. 365.

SI quis Normannorum, vel quorumlibet hominum prædia Monaſterii B. Clementis invaſerit, vel quaſcumque res ejuſdem Monaſterii injuſte abſtulerit, ſi bis, vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi ſubjaceat, donec reſipiſcat, & Eccleſiæ ſatisfaciat. Si quis prædia B. Clementis ubicumque poſita in proprietatem ſuam uſurpaverit, vel ſciens occultata non propalaverit, vel debitum ſervitium exinde B. Clementi non exhibuerit, recognoſcat ſe iram Dei, & S. Clementis velut ſacrilegum incurrere. Quicumque autem in hoc crimine deprehenſus fuerit, eamdem hæreditatem B. Clementi reſtituat, & pœnam quadruplum de propriis bonis perſolvat. Quicumque militum, vel cujuſcumque ordinis, vel profeſſionis perſona prædia Eccleſiaſtica a quocumque Rege ſeu ſæculari Principe, vel ab Epiſcopis, invitis Abbatibus, aut ab aliquibus Eccleſiarum rectoribus ſuſcepit, vel ſuſceperit, vel invaſit, vel etiam eorumdem Rectorum depravato ſententioſo conſenſu tenuerit, niſi eadem prædia Eccleſiis reſtituerit, excommunicationi ſubjaceat. Romæ in univerſali ſynodo præſidente B. Gregorio papa ab eodem promulgata, ab univerſali Concilio comprobata.

B C

SYNODUS GERUNDENSIS,

Celebrata temporibus Gregorii Papæ, inſtante epiſcopo Amato ejus Legato.

Ex Hard. Conc. to. II. p. 1073.

ANno dominicæ Incarnationis ſeptuageſimo octavo poſt milleſimum, convenit in Gerundenſem eccleſiam ſancta ſynodus epiſcoporum vel abbatum, ubi vice domni Gregorii Papæ præfuit Amatus epiſcopus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legatus: a quo cum cæterorum conniventia ſunt plurima ſancita ſecundum canonum decreta; de quibus referuntur pauca, ne noſtri decidant memoria.

I.

Primitus enim conſtituit de his qui adſiſtunt altari, in miniſtrando Corpore & ſanguine Dominico; videlicet ſacerdotibus, levitis, ſive ſubdiaconis, & qui in clero deputati excellentiori devoverunt ſe vitæ; & ut in nullo contubernio communicentur mulieribus. Si quis vero de cætero palam nupſerit, vel concubinam duxerit, gradus ſui & honoris periculo ſubjaceat, & a clero exeat, quoadusque canonice ſatisfaciat.

D E

II.

Item decrevit, ut nullus epiſcoporum aliquem clericum in eccleſia ſua audeat per pecuniam ſublimare ſive promovere, vel eccleſiaſticos bono-

res vendere. Ille vero qui emerit, non ſolum ſit alienus ea dignitate, quam pecuniis acquiſivit, ſed etiam proprio gradu; & excommunicationi ſuccumbat, donec quod * malum obtimut dimittat.

* *Forte*, male. H.

III.

Item promulgavit, ut nullus presbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorum filius, in eadem eccleſia poſſideat paternos honores.

IV.

Item quod clericorum filii ad altiores gradus non promoveantur: in acceptis autem gradibus maneant, niſi vita illis obſtiterit.

V.

Item etiam filii clericorum, tam laici, quam clerici, nullo modo poſſideant eccleſiaſticos honores, quos patres eorum pro beneficio Eccleſiæ habuerunt vel retinuerunt. Qui præterniſerit, excommunicetur.

VI.

Decrevit etiam, ut clerici arma ferentes, niſi dimiſerint arma, ſint alieni a Corpore & ſanguine Domini, & ab ingreſſu totius eccleſiæ, &

ANNO CHRISTI 1078

Christianorum ſepultura, & omni communione eccleſiaſtica; numquam amplius in Chriſti Eccleſia ad majores honores ſive gradus, ſi * rebellendes inſtiterint, ſublimandi.

* Prævaricatores H

VII.

Item conſtituit, ne clericus barbam vel comam nutriat, vel coronam capitis abſcondat, non radendo, vel parvam faciendo, tamquam erubeſcens quod in hereditaria Chriſti ſorte ſit electus; neque ulterius induat militaria indumenta, diverſis variata coloribus.

VIII.

In ſanguinitate conjuncti, niſi digna ſatisfactione ſeparentur, ſeparati ab Eccleſia & Corpore Chriſti maneant.

IX.

Concubinarii vero & uſurarii, niſi reſipiſcant, excommunicentur.

X.

Sanxerunt etiam, ut omnium terrarum decimatio, quam exſecranda infidelium Judæorum ſævitia excolebat, ita illi exhiberentur eccleſiæ, in cujus parochia eædem terræ ſitæ eſſent, quemadmodum ſi a Chriſtianis colerentur.

XI.

Item ſtatuerunt, ut ſi quæ Eccleſiæ per pecuniam eſſent conſecratæ, vel a ſimoniaco, a legitimo canonice conſecrentur epiſcopo. Si qui etiam clerici pecuniam præbendo, vel a ſimoniaco ſunt ordinati, eodem modo a catholico ordinentur epiſcopo. Non enim in his fit reiteratio, ſed ipſa conſecratio; quoniam nihil præceſſerat, quod ratum haberi queat. ANNO CHRISTI 1078.

XII.

Clerici autem alterius regionis non recipiantur ſine proprii Pontificis litteris.

XIII.

Scimus quidem laicis eccleſias non competere: ſed ubi illæ ex toto auferri non poſſint, ſaltem oblationes Miſſarum aut altarium, ſeu primitias, laicis omnino prohibemus. De cœmeteriis autem, & ſepultura, & baptiſteriis, exactionem fieri omnino prohibemus.

B

Amatus epiſcopus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ legatus, his ſynodalibus geſtis vice domini mei Papæ ſubſcripſi.
Berengarius Gerundenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Berengarius Auſonenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Raymundus Elenenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Raymundus Rotenenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Petrus Carcaſſonenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Umbertus Barcinonenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Guillermus Convenienſis epiſcopus ſubſcripſi.
Fulco archidiaconus, agens vices Urgellenſis epiſcopi ſubſcripſi.

ANNO CHRISTI 1079.

CONCILIUM ROMANUM II. VEL III.

ANNO CHRISTI 1079.

Anni 1079. *In cauſa Henrici, & Rodulphi regum.*

Suppl. Mauſ. to. II. p. 30. Anno 1079.

PRæter concilium tempore quadrageſimæ anno 1079. *habitum, in quo decreta eſt legatio Romani pontificis in Germaniam ut coram legatis illis conſtitutæ partes de re quæque ſua diſceptarent, & juſtum judicium pronunciaretur; aliud admiſſe oportet, & re ipſa admittit Annaliſta Saxo Eccardi Romanum anni ejuſdem concilium priori illo poſterius, quo miſſa iterum a Rodulphi fautoribus legatio epiſtolam coram patribus recitavit, ab eodem Annaliſta Saxone deſcriptam & a me ex illo ſtatim recitandam. Addit idem Annaliſta Gregorii ſynodicam, in qua diſerte exprimit ſynodum hoc anno in quadrageſima Romæ celebratam, qua in ſynodo decretam legationem illam in Germaniam aſſerit. Eſt ergo extra omnem ambiguitatem anno* 1079. *duplicem Romæ convenиſſe ſynodum in cauſa Henrici, & Rodulphi regum. Si enim meminit pontifex ſynodi hoc anno habitæ, utique ſignificat duo eodem anno* 1079. *ſe celebraſſe concilia; unam februario menſe, de quo omnes conveniunt, alterum vero, unde epiſtolam illam ſcribebat, nam e ſynodo datam aſſerit Annaliſta. Hanc vero ſecundam ſynodum ex chronico M.S. Bertholdi multo præ editis integriori agnovit etiam P. Hanſizius Germn. Sac. To. I. pag.* 266. *& ex eodem Bertholdo notat ſecundam hanc intra hebdomadam Pentecoſtes convenиſſe. (qui tamen ſi vera tradiderit, non duas hoc anno, ſed tres Romanas ſynodos ſtatuamus oportet: nam concilium Romanum in quo Lucenſium cauſa agitata eſt anno* 1079. *octobri menſe convenit, ut de Synodo ad S. Geneſium agens adnotavi) Præter duas vero epiſtolas, quas ex eodem ſtatim dabimus, de actis ejus ſynodi ſecundæ nihil occurrit. Hæc igitur verba hiſtorici:* Tertiam quoque direxerunt epiſtolam, quam in Romana ſynodo juſſerunt recitari, ſi domnus apoſtolicus, vel univerſalis eccleſiæ interventu ad dignitatis apoſtolicæ rigorem poſſet excitari.

Conquerimur B. Petro, ejuſque Vicario domno papæ Gregorio, omnique ſancto concilio ſuper injuriis & violentiis, quas a domno Heinrico paſſi ſumus, & patimur ob hanc cauſam, quod ſedi Apoſtolicæ obedientes ſumus. Pervenit autem ad nos in Romana ſynodo nuper habita dubitatum & quæſitum fuiſſe, utrum ille excommunicandus ſit, an non. Quapropter nos, quibus gravi experimento id innotuit, pro noſtra æſtimatione adnuntiamus, quantis exiſtentibus cauſis jam vere ſit excommunicatus. Teſtis eſt Romana eccleſia, pro quantis ſceleribus, & quam inaudita præſumptione in ſynodo ejuſdem eccleſiæ vinculo anathematis eſt ligatus, non prius tamen, ut ex literis ipſius Apoſtolici didicimus, quam multa ipſius monita ſpernentem, ſemper ex correptione deteriorem factum probatum eſt. Penſetur ergo, qui ante triennium incorrigibilis inventus eſt, jam reſipuerit, ut nunc de proferenda in illum ſententia dubitari oporteat. Excommunicatus vero, quam diuturna pertinacia ſedem Apoſtolicam deſpexerit, undique notum eſt. Tandem neceſſitate, quæ non eſt incognita, coactus, abſolutionem quærens non prius impetravit, quam jurejurando pollicitus eſt, de objectis ſatisfacturum, prout domnus Apoſtolicus tempus ſibi conſtitueret; hac conditione abſolutus receſſit. Cumque placuiſſet Apoſtolico miſſis literis exegit ab eo, quod promiſit, quarum latores a ſuis fautoribus capti, quidam pecunia redempti, alii excoriati, ac decapillati ſunt; quod cum ad noſtros fuiſſet relatum, per alium nuntium literas apoſtolicas tranſmiſerunt, a quo ipſe legationem audiens, nil reſpondit, literas vero recipere recuſavit; cujus rei multi ſunt teſtes idonei, ac legatus ſedis apoſtolicæ Domnus Bernhardus, qui ob id negotium in partes illas miſſus erat; quia quamvis certum

Ex Annaliſta Saxone to I pag. 14.

fuiſ-

fuiſſet pro adjuncto inobedientiæ perjurio priori anathemate illum jam eſſe innodatum, tamen quod ſibi a ſede Apoſtolica injunctum eſt, ſuperimpoſuit, ac regni gubernacula denuo ei contradicendo cum ſibi conſentientibus a corpore, & ſanguine Domini noſtri & liminibus eccleſiæ ſeparavit, & virum alium in regiam dignitatem Apoſtolica auctoritate confirmavit: quæ edicta ille, ſicut alia multa contemnens, regnum ſecundo ſibi interdictum invadens, adeo demolitus eſt, ut regnum dici non valeat, cui nulla pene regalia ſuperſunt. Cumque ad conciliandos fautores facultates regni non ſufficerent, eccleſiarum publicus invaſor factus eſt, & quidem incomparabiles, & ſine exemplo prævaricationes iſtæ ſunt. Nam non quælibet prædia, ſed epiſcopatus quamplures auſugatis epiſcopis uſurpavit; pro qua re proclamantibus epiſcopis domnus apoſtolicus in ſynodo, * quæ XVII. Kal. Decembris habita eſt, excommunicavit omnes, qui bona eorum invaſerunt, qui poſtea, nec ipſe propter hoc ab invaſione ceſſavit, nec eos, qui cum ipſo excommunicati ſunt, a ſua communione nec ad horam repulit. Audivimus, quod ſui defenſores hanc excuſationem obtendant, quod ipſe de bonis eccleſiarum nulli aliquid præſtiterit, vel aliquis ipſo jubente invaſerit, neque de manu ejus acceperit, quod nec nos illi objicimus: ſed hoc probare paratiſſimi ſumus, quod ſui ſua permiſſione bona eccleſiaſtica invaſerunt, quibus ipſe rogantibus hoc conceſſit, dividens ſingulis prout voluit, & hac mercede conducti ſunt iniquitati vires miniſtrare. Quæcumque autem non conceſſa ſuperfuerunt, his ipſe tamquam propriis utitur; in qua accuſatione, ſi falſitatis convincimur, qui accuſatores ſumus accuſati, pœnam ſubire parati ſumus. Judicet ergo ſancta Sedes Apoſtolica: inquirantur SS. Patrum concilia, & Romanorum pontificum decreta, utrum qui iſta faciunt vel conſentiunt facientibus pro excommunicatis, & ſacrilegis habendi ſint; vel ſi ipſorum fautoribus communicandum ſit, qui, cum ſciant vera eſſe, quæ de eo loquimur, ſcienter communicant operibus ejus malignis, & huc ad hoc veniunt, ut injuſtitiæ latebras oſtendant, & tantorum ſcelerum patroni exiſtant. Cumque in concilio hujus ſanctæ eccleſiæ, quæ ſemper ab excommunicatis abſtinere docuit, ſe quaſi oratores exhibent, ita patienter audiuntur, ſicut & noſtri, nullo diſcrimine inter læſos, & lædentes habito. Hi etiam nuper in comitatu domni ſui, in eos inſurrexerunt, qui præceptis Apoſtolicis obediunt, ut ad inobedientiam conſtringerent, ſcilicet in partibus Sueviæ, ubi incendiis eccleſiarum & altarium deſtructionibus ſacrilegia innumerabilia commiſſa ſunt. In qua re illos nec accuſamus nec excuſamus; illud autem vere affirmamus, quod rapina illa in eccleſiis, & earum atriis facta, conſenſu, & permiſſione tam principis, quam omnium pene majorum, qui aderant, perpetrata eſt, ea deliberatione, quod ſacrilegum exercitum aliter ſuſtentari non poſſe cenſuerunt. Hoc quoque novit ſancta Romana eccleſia, quod præfatus Heinricus domino Apoſtolico jurejurando affirmavit, quod nullum amodo, qui ad limina Apoſtolorum de quibuſcumque terrarum locis tenderet, vel ipſe, vel aliquis eorum, quos conſtringere poſſet, prohiberet, qualiter id obſervaverit, nobis tacentibus ipſa rerum indicia manifeſtant: Ergo præter illam, quæ ab antiquis patribus & a veſtra ſanctitate in hujuſmodi prævaricatores eſt promulgata ſententia, Archiepiſcopus Moguntinus majorum exempla ſecutus, adjunctis epiſcopis numero VII. quibus eadem injuriæ ratio fuit, pro defenſione eccleſiæ ſibi commiſſæ prædictum Heinricum, qui parrochianus eſt ipſius, tradidit Satanæ in interitum carnis, cum univerſis complicibus ſuis. Item domnus epiſcopus Wirceburgenſis, præſente, & cooperante ſedis Apoſtolicæ legato domino Bernhardo, omnes illos anathematizavit, qui actu, vel conſilio in hoc culpabiles extiterunt, quod ille a ſua ſede prohibitus eſt, cujus prohibitionis auctor non incertus eſt, qui etiam in ejuidem ſedis civitate, in qua pene nemo non excommunicatus eſt, frequenter moratur. Ecce audivit S. veſtra quam multis modis vir ille cum ſuis damnatus ſit, & vere damnandus: Rogamus ergo vos per nomen domini noſtri Jeſu Chriſti, & per eum, cujus vicem agitis, ut, ſi jam prolatis in hos homines ſententiis aliquid ſuperaddere neceſſarium non putatis, hoc tamen firmiſſime prohibeatis, ne vel in hac S. Sede, vel alicubi ad communionem recipiantur, priuſquam eccleſiis, quas læſerunt, ſatisfaciant, ne grex vobis commiſſus amplius ab eis contaminetur, & ne peſſimum illud fermentum totam maſſam corrumpat.

ANNO CHRISTI 1079.

ANNO CHRISTI 1079.

*Proclamatio hæc pertinet ad Synod. habit. in a. 1078 quæ die III Kal. Dec. habita in actis legitur.

„ Tunc ab ipſa ſynodo in partes Teutonicas „ ſubjectam miſit epiſtolam:

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Omnibus clericis, & laicis in regno Teutonico conſtitutis, qui excommunicationis vinculo non tenentur, ſalutem, & Apoſt. Bened. Quæ & quanta cura nobis fuerit & eſt, ut peſtilentia, clades & deſolatio a regno veſtro auferatur, pax, honeſtas, & ſolitum decus reddatur in ſynodo, quæ in hoc anno in quadrageſima Romæ celebrata fuit, declaravimus. Judicio ſancti ſpiritus decrevimus, ut in regno veſtro epiſcoporum omnium, & laicorum eorum, qui Deum timent, & pacem deſiderant, fieret conventus, & coram noſtris legatis diſcerneretur, cui, Henrico ſcilicet, an Rodolpho, qui de regno inter ſe decertant, amplius juſtitia faveret, parſque injuſtior ratione devicta, & B. Petri auctoritate conſtricta facilius cederet; juſtior vero pars amplius de Deo confideret, & adjuta B. Petri poteſtate de victoria ſperaret, ac neutram mortem timeret. Sed quia pervenit ad nos, quod inimici Dei, & filii diaboli quidam apud vos contra interdictum Apoſtolicæ ſedis prædictum conventum procurent in irritum ducere & non juſtitia, ſed ſuperbia ac totius regni deſolatione ſuas cupiditates anhelent implere, & chriſtianam religionem deſtruere. Ex parte B. Petri præcipimus, ut talibus nullum auxilium præbeatis, nec illis communicetis. In prædicta enim ſynodo jam omnes excommunicationis & anathematis ſunt vinculo innodati, & ut nullam victoriam poſſint obtinere B. Petri poteſtate ſunt obligati, ut ſaltem coacti confundantur, & a morte animarum ſuarum, & deſolatione propriæ patriæ revocentur. Vos autem, fratres cariſſimi, de me nullo modo dubitetis, quod injuſtæ parti ſcienter aliquo modo faveam; magis pro veſtra ſalute deſidero mortem ſubire, quam totius mundi gloriam ad veſtrum interitum arripere; quod ſi aliqui de falſitate confiſi literis, & verbis aliter vobis indicaverint, nullo modo eis acquieſcatis: Deum enim timemus, & pro ejus amore quotidie affligimur, & ideo ſuperbiam & oblectamentum ſæculi parvipendimus, quia cito apud eum conſolari indubitanter credimus. Omnipotens, & miſericors Deus, qui ultra ſpem, ultra meritum miſeretur & conſolatur nos in tribulatione noſtra, aperiat cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis confirmet vos, ut auctoritate B. Petri a cunctis

☞ ſis peccatis abſolutos vos ad cæleſte regnum perducat.

ANNO CHRISTI 1079.

„ Contra quæ Rodolfi fautores aliam item miſerunt epiſtolam, quibuſdam præmiſſis hæc ſubdentes.

Novimus memoriæ veſtræ non excidiſſe, quod tam aſſiduis querimoniis frequentatum eſt apud vos, quod pene omnes epiſcopi, qui ſedi Apoſtolicæ obediunt, expulſi a facie perſequentium fugiunt, & latitant, & quomodo cum ſuis perſecutoribus convenire, & conferre de his cauſis poſſunt, pro quibus aliqui illorum occiſi ſunt, quidam in captivitatem adducti, reliqui vero omnibus rebus ſuis expoliati. Deinde hoc quoque mirandum cenſemus, quod illius hominis cauſam cum illis diſcutere jubemur, quos utroſque B legatus ſanctæ Romanæ eccleſiæ veſtra juſſione a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſeparavit. Si autem nil horum obſtitiſſet, quid veſtra intereſt, ut jam dudum finitam ſynodi Romanæ ſententiam retractemus, quid ad nos, ut diſcutiamus, ſi illa juſtitia faveat ad obtinendum regnum, cui vos regni gubernacula jam ante triennium, ſynodo judicante, interdixiſtis? Nonne magis oportuit, ut diſcuſſio judicium illud præcederet, quam nunc tandem ſubſequatur? Novimus intelligentiam veſtram, quia nunquam de re indiſcuſſa ſynodus, vobis præſidentibus, judicavit; quæ ergo neceſſitas ſecundæ diſcuſſionis? Si autem prædictus ille nondum diſcuſſus eſt, ſed adhuc diſcutiendus; quæ A ratio, ut indiſcuſſo hominis regalis dignitas ex dignitate Apoſtolica, ſine ullo conditionis additamento interdiceretur? Quare regi alteri obedire juſſi ſumus, priuſquam certum fuiſſet, iſtum non poſſe regnare? *Et poſt pauca:* Ut autem de reliquis omnibus taceamus, certe ſi ſola illa abſolutio ſacramentorum, quam in ſynodo feciſtis, effectum habitura eſt, indubitanter conſtat, quia iſte Rex eſſe non poteſt. Quomodo enim regnare poteſt, cui nullus amodo fidelitatem ex debito ſervat? quomodo regere populum poteſt, qui in agendis cauſis legalibus neminem ad faciendum juſtum judicium ſacramenti obligatione conſtringere poteſt? Si autem, quod abſit, illa apoſtolica indulgentia pro rato habenda non eſt, quid erit de epiſcopis, & aliis, qui ſpe prædictæ abſolutionis juramenta Heinrico facta infregerunt? Nonne manifeſte perjurii convincuntur? Adhuc aliud, quid de illis ſacramentis erit, quæ poſtea regi Rodolfo facta ſunt, cujus ditioni veſtra auctoritate ſubjugati ſumus? Et in fine epiſtolæ: ſi ab incœpto itinere retrorſum redire, & ob difficultatem diverticula quærere vultis, non ſolum vulnera non ſanatis, ſed quæ ſana ſunt, vulneratis. Nam ſi ea diſſimulando, quæ jam veſtra ſtatuit auctoritas, in media tempeſtate, quam pro vobis incurrimus, nos derelinqueris, teſtes ſunt ſuper nos cœlum, & terra, quod injuſte perditi ſumus.

ANNO CHRISTI 1079.

CONCILIUM ROMANUM VI.

IN QUO BERENGARIUS

Sæpe ad pœnitentiam vocatus, ſæpiuſque relapſus, hæreſim ſuam iterum abjuravit, fidemque catholicam profeſſus fuit anno Domini MLXXIX.

Datur ex recenſione Cod. Mutin.

(1) ANno ab incarnatione ſempiterni * principis milleſimo ſeptuageſimo nono, menſe Februarii, indictione 11. pontificatus vero domni Gregorii (2) univerſalis pontificis VII. anno 6. ad honorem Dei, & ædificationem ſanctæ eccleſiæ, ſalutem quoque tam corporum quam animarum ex præcepto ſedis apoſtolicæ convenerunt finitimi & diverſarum regionum & provinciarum archiepiſcopi, epiſcopi, religioſæque perſonæ, ut ſanctam ſynodum celebrarent. Omnibus igitur in * eccleſia Salvatoris congregatis habitus eſt ſermo de corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, multis hæc nonnullis (3) illa prius ſentientibus. Maxima ſiquidem pars panem & vinum ſacræ orationis verba, & ſacerdotis conſecrationem, Spiritu ſancto inviſibiliter operante, converti ſubſtantialiter in corpus Dominicum de Virgine natum, quod & in cruce pependit, & in ſanguinem qui de ejus latere militis effuſus eſt lancea, aſſerebat, atque * auctoritatibus orthodoxorum ſanctorum patrum, tam Græcorum quam Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam vero cæcitate nimia & longa perculſi, * figuram tantum ſubſtantiale illud corpus in dextera Patris ſedens eſſe, ſeque & alios decipientes cuſdam cavillationibus conabantur adſtruere. Verum ubi cœpit res agi, prius etiam quam tertia die ventum fuerit in ſynodo, defecit contra veritatem niti pars altera, nempe ſanC cti Spiritus ignis (4) emolumenta palearum conſumens, & fulgore ſuo falſam lucem diverberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem. Denique Berengarius hujus erroris magiſter poſt longo tempore dogmatizatam impietatem erraſſe ſe coram concilio frequenti confeſſus, veniamque poſtulans & orans ex apoſtolica clementia meruit, juravitque (5) ſicut in conſequentibus continetur.

* principii

* Eadem habentur pag. 224. tom. I. Bibliothecæ novæ MSS. librorum in chronico Virdunenſi Hugonis abbatis Flaviniacenſis.

* rationibus

* figuratæ tantum ſe quam alios decipientes

D (*Juſjurrandum Berengarii Turonenſis presbyteri.*)

* uncis in clauſa deſunt.

Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum E in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris; & verum ſanguinem Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantum per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ, ſicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia Tunc domnus papa præcepit Berengario ex auc-

(1) Ex Thoma Valdenſi tom. 2. cap. 43. qui Acta formata *hujus Concilii dicit a ſe reperta fuiſſe* in annoſo libro Decretorum Pontificum ſub Decreto Gregorii Papæ. *Harduinus*, (2) Vald. *Papæ ſeptimi*. H.
(3) Vald. *alia ſentientibus*. H. (4) Vald. *emolimenta*. H. (5) Vald. *ſicut num. in.* H.

ANNO CHRISTI 1079

ctoritate Dei omnipotentis & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, ut de corpore & ſanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo diſputare vel aliquem docere præſumeret, excepta cauſa reducendi ad fidem hanc eos qui per ejus doctrinam ab ea * receſſerant.

* accesserunt

His itaque pie & feliciter actis, inter multas proclamationes conqueſti ſunt legati regis Rodulphi ſuper Henrico, quod nulli loco, nullique perſonæ parceas religionem tranſalpinam contereret & conculcaret: Neminem debitus honor, vel reverentia, vel dignitas tueretur, & ſeu vilia mancipia non modo ſacerdotes, ſed etiam epiſcopi archiepiſcopique caperentur, vinculiſque mancipparentur, partimque trucidarentur. Decreverunt ergo quamplures concilii in illius tyrannidem gladium apoſtolicum debere evaginari: ſed diſtulit apoſtolica manſuetudo. Juraverunt igitur legati Henrici regis illud quod in ſequentibus ſcriptum reperitur.

Sacramentum nuntiorum Henrici regis.

Legati domini mei regis ad vos venient infra terminum aſcenſionis Domini, exceptis legitimis

* Hoc exponit, hos eſſe legitimos excusationes quæ causa ſeriæ dicuntur Cod. Mon. sive causa legitima, vel gravis infirmitas, vel captiosio.

ſoniis * id eſt morte, vel gravi infirmitate, vel captione abſque dolo, qui legatos Romanæ ſedis ſecure ducent & reducent, & Dominus rex obediens erit illis in omnibus ſecundum juſtitiam & judicium illorum: & hæc omnia obſervabit abſque dolo, niſi quantum ex juſſione veſtra remanſerit, & hæc juro ex præcepto Domini mei regis Henrici.

Juſjurandum nuntiorum Rodulphi regis, itidemque Rodulphi, quod ſequitur.

Si colloquium ex veſtro præcepto conſtitutum fuerit in partibus Teutonicis, loco & tempore vobis definito, ante præſentiam veſtram, vel legatorum veſtrorum, dominus noſter rex Rodulphus vel ipſe veniet, vel epiſcopos & fideles ſuos mittet, paratuſque erit judicium quod ſancta Romana eccleſia decreverit de cauſa regni ſubire, nulloque malo ingerio conventum a vobis ſive legatis veſtris conſtitutum impediet, & poſtquam certum inde veſtrum nuntium videbit de pace in regno conſtituenda & confirmanda, ſtudebit ut legatio veſtra provenire ad pacem regni & concordiam poſſit. Hæc omnia obſervabuntur, niſi quantum ex veſtra certa licentia remanſerit, vel ex impedimento legitimo, ſcilicet morte, vel gravi infirmitate, vel captione ſine dolo.

Sacramentum archiepiſcopi Aquilejenſis.

Juravit idem eodem tempore archiepiſcopus Aquilejenſis Henricus ſecundum hæc verba: Ab hac hora & inantea fidelis ero beato Petro & papæ Gregorio, ſuiſque ſucceſſoribus, qui per me-

* Forte, Non ero. H. Sic & in Mscr.

liores cardinales intraverint: * Non ergo in conſilio, neque in facto, ut vitam aut membra, aut papatum perdant, aut capti ſint mala captione. Ad ſynodum, ad quam me vocabunt, vel per ſe, vel per ſuos nuntios, vel per ſuas literas, veniam, & canonice obediam, aut, ſi non potero, legatos meos mittam. Papatum Romanum & regalia ſancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum, ſalvo meo ordine. Conſilium vero quod mihi crediderint per ſe, aut per nuntios ſuos, ſive per literas, nulli pandam me ſciente ad eorum damnum. Legatum Romanum eundo & redeundo honorifice tractabo, & in neceſſitatibus ſuis adjuvabo. His quos nominatim excommunicaverint ſcienter non communicabo. Romanam eccleſiam per ſæcularem militiam fideliter adjuvabo, cum invitatus fuero. Hæc omnia obſervabo; niſi quantum ſua certa licentia * remanſerit.

ANNO CHRISTI 1079.

* Forte, remiserit. Hi

Excommunicati ſunt in eadem ſynodo ſine ſpe recuperationis archiepiſcopus Narbonenſis, * Tedaldus dictus archiepiſcopus Mediolanenſis, Sigefridus dictus epiſcopus Bononienſis, Rolandus Tarviſienſis, item epiſcopi Firmanus & Camerinus. Hi omnes cum ſequacibus ſuis tam clericis quam etiam laicis.

* Theobaldus

Sacramentum Regienſis epiſcopi.

Ego Gandulphus Regienſem epiſcopatum contra interdictum veſtrum, aut veſtri legati, octo diebus non tenebo, neque aliquo inveniam ſtudio, quo veſtræ legationi reſiſtatur. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Gregorius a calumnia Benonis & abbatis Vulpergensis liberatur.

Concilium.) Cum in hac ſynodo Berengarii hæreſis damnata fuerit, quis non videt calumniam e te mendaciſſimam, qua Gregorius in conciliabulo Moguntino propterea damnatus fuiſſe aderitur, quod antiquus diſcipulus Berengarii extiterit. Inter alias Gregorii epiſtolas extat unica primo anno ſui pontificatus ad Mathildem ſcripta, qua evidenter profitetur, ſub ſpeciebus panis & vini vere ipſum corpus & ſanguinem domini contineri; quæ unica epiſtola, ſi nullum aliud monumentum exiſteret, ſufficiens eſſet ad integerrimam fidem Gregorii papæ demonſtrandam, & ad ſchiſmaticorum calumniantium os impudens obſtruendum.

Acta concilii.

In hoc concilio S. Brunonem, qui paulo poſt Signiæ epiſcopus creatus eſt, adverſus Berengarium diſputaſſe, acta vitæ illius atteſtantur. Petrus Igneus Albanenſis epiſcopus illius eſt legatus in Germaniam, eſtque illi adjunctus Udalricus Patavinus epiſcopus, ut tradit Bertholdus in chronico hoc anno. Præter hæc alia quædam in iſta ſynodo agitata fuiſſe indicant epiſtolæ 18. & 19. lib. 6. quas ex hac ſynodo ad Parmenſem & Bambergenſem eccleſiam ſcripſit.

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

E Eodem anno Gregorii papæ VII. ſexto habitum fuit die IV. Nonas Maii Romanum aliud concilium: *Utrum*, ſcilicet, *bona eccleſiarum poſſint poni in pignore pro pecunia colligenda ad reſiſtendum Guiberto archiepiſcopo Ravennati Romanam ſedem invadere conanti*. Interfuiſſe epiſcopos quatuor cum pluribus cardinalibus, abbatibus & archipresbyteris fidem faciunt duo pervetuſti codices MSS. quos poſſidebat illuſtriſſimus dominus Petrus de Marca archiepiſcopus Toloſanus, ut monuimus pag. 379. hiſtoriæ noſtræ ſynopſeos

CON-

ANNO CHRISTI 1079.

CONCILIUM BRITANNICUM,

Celebratum ad falſam pœnitentiam proſcribendam anno Domini MLXXIX. tempore Gregorii papæ VII.

Falſa pœnitentia quæ.

FRequens erat in Britannia hoc tempore, quod abſque aliqua emendatione peccantes in iiſdem peccatis perſeverantes abſolverentur. Hoc malum eccleſiæ Gregor. papa ſublatum volens, legationem decrevit in Britanniam minorem, ibique mandavit celebrari concilium, quo pœnitentia illa, qua populus ſeductus erat, plane proſcriberetur. *Gregorius lib. 7. epiſt. 10.

* Vid. ſup

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Britannicum hocce concilium a Binio ejuſque ſequacibus appellatum eſt non ſatis accurate, quod in majori Britannia ac tranſmarina, ſed in minori dumtaxat Britannia, hoc eſt Gallica, ſive Armorica celebratum fuit, præſide Amato Oleronenſi epiſcopo S. R. E. legato apoſtolico, ad falſas pœnitentias proſcribendas. Pravo quippe more fuerat inductum ut publici peccatores, & in iiſdem diutius perſeverantes vitiis, abſolverentur.

CONCILIUM BURDIGALENSE

Præſide eodem Amato Oleronenſi epiſcopo cum Hugone Dienſi, aliiſque anno MLXXIX. cum ſequent.

De eo ad annum Chriſti MLXXX. *pauca hæc Anonymus auctor chronici Malleacenſis:* Fuit concilium Burdegalæ in quo Berengarius reddidit fidei ſuæ rationem, & Hugo abbas S. Leodegarii fuit depoſitus, *&c. Alii anno præcedenti* 1079. *adjudicant, ejuſque fieri mentionem aſſerunt in charta quadam cœnobii S. Joannis Angeriacenſis apud Joannem Beſlum pag.* 354. *probationum hiſtoriæ Pictonicæ. Unde ego hæc verba deſcripſi:* Nec mora cum beatiſſimi Severini præſulis hoc factum canonicis intimarent, illico non ſegnem Pictavenſi atque Burdegalenſi ſynodo coram Amato S. R. E. vicario, aliiſque epiſcopis proclamationem tamdiu fecerunt, *&c.*

Verum anno 1080. *affigendam eſſe Synodum hanc Burdegalenſem evincit ſequens monumentum, in eadem ſynodo confirmatum, & a Mabillonio in lib. 6. de re diplomat. p.* 586. *ex chartario Sylvæ-majoris exhibitum.*

Conventus Aquitaniæ, Procerum Burdegilæ habitus, in quo datur ſalvitas cœnobio Sylvæ-majoris.

Ex Mabillon. de Re diplom. l. 6. p. 586

OMne exemplar vel decretum poſteris profuturum libris eſt chartiſve interendum: ut quod brevis perdit memoria, ſervata queat reddere pagina. Poſtquam igitur egregius Pictavienſium Comes Duxque totius Aquitaniæ Willelmus, dominum Geraldum, ſummæ religionis Abbatem, cum ſibi ſubjecta congregatione velle in Sylva-majori permanere, Eccleſiamque in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ ædificare cognovit; multa loco ipſi beneficia contulit, non ignorans ſe fore ſemper ipſius Eccleſiæ participem orationum, ſiquidem exaltaretur per ipſum. Donatum itaque ipſum ab omnibus poſſeſſoribus allodium, ac coram principibus regionis ſanctæ Mariæ & præfato Abbati traditum, & undique diſterminatum, ita ſua omniumque poteſtate abſolvit, ut nemo ibi non Comes, non Vicecomes, non Præpoſitus, non Vicarius, non Miles, nullaque prorſus perſona aliqua ratione quidquam juris vel advocationis ſive dominationis audeat exhibere: nec violentiam cuilibet inferre, non telonium aut vadimonium capere, non judicium, aut juſtitiam juſte, vel injuſte exercere, nullamque omnino calumniam agere: quatenus Abbas & congregatio ipſius loci liberius Deo poſſint militare. Et quandoque forſitan inhabitans populus omnium, præter Monachorum ſit, jugo ſolutus: ſed ſi quid fuerit corrigendum, ad eos vel ad quos voluerint, ſit referendum. Quicumque autem illuc fugiens pervenerit, nemo intra terminos ipſius allodii præſumat illum inſectari. Hanc etiam libertatem, & (ut vulgariter loquar) ſalvamentum, conceſſit præfatus Comes territorio quod dicitur Trajectum, quod ab eodem & cæteris poſſeſſoribus præfato Abbati & Sylvæ-majoris eccleſiæ fuerit donatum. Dedit quoque idem egregius Dux libertatem Monachis Sylvæ-majoris, ut ſemper ſingulis annis liceat eis per Gerundam fluvium navigio tranſcendere quo libuerit decem modios ſalis pro acquirenda annona cæteriſque ſibi neceſſariis. Præterea ad luminaria Eccleſiæ donavit quamdam curtem Broja nomine, ut quidquid cenſus inde habebat, ſine aliquo typo vel cujuſquam calumnia ſemper ad eamdem Eccleſiam perveniat. Cujus videlicet Comitis juſſu ac precatu, Achelmus Willelmi de Blancafort ac Guilhelmus Seguini quidquid in ea ſcilicet curte habebant, ſimiliter donaverunt. Sed & Villelmus Heliæ Burdegalenſis Vicarius piſcaturam ibi dedit Sylvæ majoris fratribus. Acta eſt ergo hæc omnis donatio ab ipſo Comite in Burdegalenſi civitate, præſentibus nobilibus ac potentibus viris, qui propter memoriale teſtimonii in hac cartola ſunt ſcripti. Anno ab Incarnatione Domini MLXXIX. epacta XV. Indictione II. anno VII. Gregorii VII. Papæ, Philippo Francorum Rege. Iſti ſunt Nodatores ac præfatæ Donationis firmatores

Gocelinus venerabilis Burdegalenſium archiepiſcopus, & Achelmus Archidiaconus, totuſque S. Andreæ clerus. Centulſus de Biarno. Radulfus de

ANNO CHRISTI 1079.

de S. Hilario: Signum Willelmi fortis de Dordone. Signum Balduini de Centujano. Signum Bernardi de Baſtuda. Signum Amelrici Vicecomitis. Signum Odonis Nepotis Comitis. Signum Balduini de Dun.

Igitur præfatus Dux Willelmus præſentibus his aliiſque nobilibus viris XII. Kalendas Julii firmavit hoc memoriale beneficium, a quibus omnibus conceſſum eſt atque laudatum, ac perpetua ſtabilitate traditum.

Sequenti etiam anno congregato Burdegalenſi civitate Concilio confirmata ſunt iterum hæc a Comite ipſo, decretumque eſt ab omni Epiſcoporum, Abbatum, & Sacerdotum collegio, ut quicumque aliqua temeritate violare temptaverit, perpetuæ excommunicationis damnatione reus ſit, niſi ad congruam ſatisfactionem venerit.

Ego Amatus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatus confirmo.

Ego Hugo ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatus confirmo.

Signum Gocelini Burdegalenſis Archiepiſcopi.
Signum Rodulfi Turonenſis Archiepiſcopi.
Signum Willelmi Auxienſis Archiepiſcopi.
Signum Boſonis Santonenſis Epiſcopi.
Signum Ademari Engoliſmi Epiſcopi.
Signum Willelmi Petragorenſis Epiſcopi.
Signum Raymundi Baſatenſis Epiſcopi.
S. Hugonis Bigonenſis Epiſcopi.
S. Donadei Agennenſis Epiſcopi.
S. Adonis Abbatis S. Johannis (Angenacenſis.)
S. Drogonis Malliacenſis Abbatis.
S. Rainaldi Abbatis S. Cypriani.
* I. in ed. S. Bertrandi * S. Juliani Abbatis.
S. Hildeberti Nantulliacenſis Abbatis.

Hanc eamdem libertatem teſtatam facit Geraldus ipſe cœnobii Abbas & auctor Notitiæ condita, cui præter ſupradictos Epiſcopos, alii ejuſdem Burdegalenſis concilii Patres ſubſcripſerunt. Notitiam hanc in Actis ipſius Geraldi habes ſæcul. VI. Benedictino par. 2. p. 868. ubi in fine legitur. Acta vero eſt ſupradicta confirmatio Burdigalenſi civitate in Concilio anno ab Incarnatione Domini MLXXV. Indictione III. Epacta XXVI. II. Nonas Octobris VIII. anno VII. Gregorii Papæ, Philippo in Francia regnante. S. Villelmi Aquitanienſis Ducis. Confirma hoc Deus. Ego Amatus Apoſtolicæ ſedis legatus confirmo. † Ego Hugo Apoſtolicæ ſedis legatus confirmo. † Ego Gocelinus Burdegalenſis archiepiſcopus præſente Concilio concedo & confirmo. † S. Rodulfi Turonenſis archiepiſcopi. S. Villelmi Auxienſis archiepiſcopi. S. Boſonis Santonenſis Epiſcopi. S. Ademari Engoliſmenſis Epiſcopi. S. Villelmi Petragoricenſis Epiſcopi. S. Raymundi Vaſatenſis Epiſcopi. S. Hugonis Bigorrenſis Epiſcopi. S. Donaldi Agennenſis Epiſcopi. S. Petri Adurenſis Epiſcopi. S. Odonis abbatis Sancti Johannis. * S. Drogonis Malliacenſis abbatis. S. Raynaldi. S. Cypriani * abbatis. S. Bertrandi. S. Juliani * abbatis. S. Hildeberti Nantulliacenſis abbatis. S. Fulchradi. S. Salvatoris * abbatis. S. Achelini, Gocelini Burdegalenſis Eccleſiæ archidiaconi.

ANNO CHRISTI 1079.

* Angeriacenſis
* Pictav.
* I. Lateri Noui a. Maxim.

Ad hoc item Concilium pertinent acta ſequentia: Concordiæ inter Abbates Angeliacenſem & Carroſenſem de Eccleſia de Varezia, a Baluzio tom. 6. Miſcellan. p. 413. Edita.

Notum ſit tam præſentibus quam futuris fuiſſe contentionem diutinam inter Abbatem S. Johannis, & Abbatem Carroſenſem de Eccleſia de Varezia, conſtitutumque eſt ab eis, ut de hac cauſa judicaretur in Concilio Burdegalenſi. Quod & factum eſt. Duo enim Legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſcilicet Epiſcopus Amatus & Hugo Epiſcopus Dienſis, nec non Joſcelinus Burdegalenſis Archiepiſcopus, atque Guillelmus de Auſcis Archiepiſcopus, Comes quoque Pictavenſis Guido, deinde Raynaldus S. Cypriani abbas, Archidiaconuſque Burdegalis Joſcelinus Ammelinus. Hi omnes hujus rei fecerunt judicium; eoque facto, juxta conſuetudinem Concilii, protinus domnum Odonem Abbatem S. Joannis pariter cum ſuis vocaverunt, ac poſtea domnum Fulcradum Carroſenſem Abbatem & ſuos; ſub quorum præſentia præjudicatam confirmantes ſententiam, jam dictam beato Johanni vindicaverunt. Erant autem cum Domno Odone S. Johannis Abbate Auſculſus Prior, Andreas Monachus, Aimericus, Raimundus, Oſtendus, Conſtantinus. Carroſenſis vero Abbas habebat ſecum fratrem ſuum Turonorum Archiepiſcopum, Oddonem fratrem Aldeberti Comitis de Marchia, Petrum Ferricardum.

Ex Baluz. Miſcell. t. 6. p. 413.

AD BURDEGALENSE CONCILIUM

Ab Amato Oloronenſi epiſcopo, & Hugone Dienſi A. S. LL. anno 1079. celebratum.

ADDITIO.

Manſi Suppl. T. II. pag. 19.

PRæter ea, quæ in editione Veneto-Labbeana tom. XII. pag. 631. de hoc concilio leguntur, ſententiam de jure in eccleſiam S. Crucis Burdegalenſi ab ea ſynodo latam ſuppeditat Mabillonius in Annalibus Ord. S. Benedicti tom. V. num. IX. append. & nos ex illo.

DEFINITIO CONCILII BURDEGALENSIS,

Et procerum Aquitaniæ ſuper eccleſia de Soliaco, quæ ſanctæ Crucis Burdegalenſi cœnobio attribuitur.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ego Amatus S. R. E. legatus, Ellorenſiumque humilis epiſcopus, juſſu, ac vice domini domni papæ Gregorii VII. ob eccleſiarum Dei correctionem in Aquitaniæ partes directus, omnibus fidelibus præſentibus, & futuris. Per hoc privilegium noſtræ auctoritatis notum fieri volo; quod controverſiæ illi & altercationi, quæ inter Arnaldum Trencardi abbatem ſanctæ Crucis, & Arnaudum abbatem ſancti Severi, & monachos utriuſque congregationis, ſuper eccleſia ſanctæ Mariæ de Solaco diutius agitata, & uſque ad prædictam ſedem Apoſtolicam fuerat perlata, in ſynodo, quam cum confratre noſtro Hugone S. R. E. legato, Dienſiumque venerabili epiſcopo, apud Burdegalenſem celebravimus urbem, quantum in nobis, vel potius quantum in ipſa fuit juſtitia, certum tandem, & canonicum impoſuimus finem.

ANNO CHRISTI 1079.

Cum enim in prædicta ſynodo, convocatis archiepiſcopis, Gocilino ſcilicet Burdegalenſi & Willelmo Auſcienſi, Radulfo quoque Turonenſi, necnon & Dolenſi, cum eorum ſuffraganeis coepiſcopis, & abbatibus, ſimulque aliis religioſis perſonis tam clericorum, quam laicorum, reſideremus, atque Domino noſtro Jeſu Chriſto cooperante, & ſermones concilii confirmante, de multis utilitatibus ſanctæ Dei eccleſiæ profuturis pertractando decerneremus, ad dandam definitionem canonicam ſuper controverſia, quæ erat inter ſupra memoratos abbates de prædicta eccleſia ſanctæ Mariæ, penultimum concilii indiximus diem. Die igitur determinata inſtante, utrique ſupra nominati abbates cum advocatis, & ratiocinationibus ſuis, in concilio adſtiterunt, & prout quiſque melius potuit, cauſam ſuam licenter enarraverunt, & enarrando peroraverunt. Clamoribus itaque & tenoribus utriuſque partis, omnibuſque eorum rationibus a concilio diligenter auditis, ac ſubtiliter pertractatis, ad ultimum, ut per omnem modum ſatisfieret importunæ invaſioni Arnaldi Abbatis ſancti Severi, & ut perpetuum ſilentium ipſi & omnibus ſucceſſoribus & ſuper eccleſiæ S. Mariæ de Solaco canonica cenſura imponeretur, ex decreto concilii juravit Arnaldus-Trencardi, abbas ſanctæ Crucis, ſexta manu monachorum ſuorum, ante nos in medio & in conſpectu concilii, illud idem ſacramentum ſive juramentum, de veritate ſcilicet privilegii ſui, quod dominus PP. Alexander jam diu ante decreverat Romæ debere ante ſe jurari ab ipſo Arnaldo-Trencardi, tertia tantum manu monachorum ſuorum, Gregorio abbati ſancti Severi. Omnium etenim fidelium poſteritati notificare volumus, quod multis teſtificationibus canonicis in ipſo concilio Burdegalenſi coram nobis approbatum fuit, Gregorium abbatem, anteceſſorem Arnaldi abbatis ſancti Severi, uſque adeo legibus canonicis jam ante convictum fuiſſe Romæ ante dominum papam Alexandrum pro injuria, quam faciebat Arnaldo abbati ſanctæ Crucis de eccleſia ſanctæ Mariæ de Solaco, quod ipſe abbas Gregorius ipſam eccleſiam ſanctæ Mariæ de Solaco in manu ipſius domni papæ Alexandri dimiſit, & in manu ejuſdem in ipſam eccleſiam ſe ulterius non invaſurum promiſit. Subinde ipſe domnus papa Alexander ipſum Arnaldum-Trencardi abbatem S. Crucis de ipſa eccleſia S. Mariæ de Solaco reveſtivit, & nos in ipſo concilio reveſtivimus, & ab omnibus ſucceſſoribus ſuis jure perpetuo cum omnibus ad ſe pertinentibus poſſidendam canonum cenſura decrevimus. Ut autem hæc concilii definitio firma ſemper & illibata per ſuccedentia maneat tempora, hoc privilegium noſtræ auctoritatis ſcribi præcepimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Actum & definitum in concilio Burdegalenſi in ipſa matre eccleſia in honore beatorum apoſtolorum Andreæ & Jacobi conſtructa anno MLXXIX. ab incarnatione Domini, indictione II. concurrens I. epacta XV. IV. idus Octobris, anno vero pontificatus domni papæ Gregorii VII. ſexto, adſtante, & confirmante Guillelmo nobiliſſimo Aquitanorum duce & comite Vaſconiæ cum ſuis principibus.

ANNO CHRISTI 1080.

CONCILIUM ROMANUM VII.

IN QUO REGNUM GERMANIÆ HENRICO

Datur variantes e cod. Matic.

Abrogatum collatum fuit Rodulpho, ea conſtitutione addita, ne deinceps inveſtituræ beneficiorum a laicis conferantur vel accipiantur anno Domini MLXXX. tempore Gregorii papæ VII.

ANNO Domini milleſimo octuageſimo, pontificatus vero domini Gregorii VII. papæ anno VII. indictione III. celebravit ipſe dominus papa ſynodum Romæ, ubi interfuerunt archiepiſcopi, * epiſcopi diverſarum urbium, nec non & abbatum ac diverſorum ordinum clericorum & laicorum innumerabilis multitudo. In qua apoſtolica * conſtituta corroborans, multa quæ corrigenda erant correxit, & quæ corroboranda firmavit. Inter cætera namque in fine ſynodalis abſolutionis hæc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro poſteris ſcribenda mandavit, ita dicendo:

* & epiſcopi

* auctoritate

I.

Sequentes ſtatuta ſanctorum patrum, ſicut in prioribus conciliis, quæ, Deo miſerante, celebravimus, de ordinatione eccleſiaſticarum dignitatum ſtatuimus, ita & nunc apoſtolica auctoritate decernimus ac confirmamus, ut ſi quis deinceps epiſcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter epiſcopos vel abbates habeatur, nec ulla ei ut epiſcopo ſeu abbati audientia concedatur. Inſuper etiam ei gratiam S. Petri & introitum eccleſiæ interdicimus, quouſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ (quod eſt ſcelus idololatriæ) cepit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus.

1. Reg. 11.

II.

Item ſi quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet ſecularium poteſtatum aut perſonarum, inveſtituram epiſcopatuum vel alicujus eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe obſtrictum eſſe ſciat. Inſuper etiam, niſi reſipiſcat, & eccleſiæ propriam libertatem dimittat, divinæ animadverſionis ultionem in hac præſenti vita tam in corpore ſuo quam cæteris rebus ſuis ſentiat, ut in adventu Domini ſpiritus ſalvus fiat.

1. Cor. 15.

III.

Item ſententiam depoſitionis & excommunicationis, jam plerumque datam in * Tedaldum Mediolanenſem dictum archiepiſcopum, & * Guibertum Ravennatum, & Rolandum Tarviſienſem, confirmamus & corroboramus. Et Petrum olim * Rothonenſem epiſcopum, nunc autem Narbonenſis eccleſiæ invaſorem, pari ſententia damnamus.

* Tedaldum

* Gibertum

* Rurhonenſem Cod. Matic. Redonenſem.

IV.

Item ſi quis Normannorum terras ſancti Petri, videlicet illam partem Firmanæ marchiæ, quæ nondum pervaſa eſt, & ducatum Spoletanum, & Campaniam, nec non Maritimas, atque Sabinum, & comitatum Tiburtinum, nec non monaſterium ſancti Benedicti montis Caſſini, & terras ſibi pertinentes; inſuper etiam Be-

ne-

neventum invadere vel depraedari praesumpserit, A gratiam sancti Petri & introitum ecclesiae ei usque ad satisfactionem interdicimus. Verumtamen si quis illorum adversus habitatores harum terrarum aliquam justam causam habuerit, prius a nobis, vel a rectoribus, seu ministris inibi constitutis, justitiam requirat: quae si ei denegata fuerit, concedimus ut pro recuperatione suarum rerum de terra illa accipiat, non tamen ultra modum, nec more praedonum, sed ut decet Christianum, & eum qui sua magis quaerit recipere, quam aliena diripere, & qui timet gratiam Dei amittere, & maledictionem beati Petri incurrere.

ANNO CHRISTI 1080.

V.

Praeterea admonemus omnes, qui aeternae damB nationis poenas evadere, & verae beatitudinis gloriam cupiunt intrare, ut a falsis sibi caveant poenitentiis. Sicut enim falsum baptisma non lavat originale peccatum, ita post baptismum falsa poenitentia non delet nefas commissum. Ideoque valde necessarium est, ut qui se aliquod grave crimen commisisse cognoscit animam suam prudentibus & religiosis viris committat, ut per veram poenitentiam certam peccatorum suorum consequatur veniam. Haec est enim vera poenitentia, ut post * commissum alicujus gravioris criminis, utpote meditati homicidii & sponte commissi, seu perjurii pro cupiditate honoris aut pecuniae facti, vel aliorum his similium, ita se unusquisC que ad Dominum convertat, ut relictis omnibus iniquitatibus suis deinde in fructibus bonae operationis permaneat. Sic enim Dominus per prophetam docet: *Si conversus fuerit impius ab omnibus iniquitatibus suis, & custodierit universa mandata mea, vita vivet, & non morietur.* In quibus verbis manifeste datur intelligi, quoniam qui aliena bona diripuit, & ea cum possit reddere vel emendare, noluerit: vel qui arma contra justitiam * portavit, aut odium in corde retinet, vel qui hujusmodi negotiationibus aut officiis implicitus fuerit, quae sine fraude, sine falsitate, sine invidia, sine deceptione fratrum exercere non possit, nec ad Dominum conversus, nec de perpetratis facinoribus veram poenitentiam facere credendus est. Unde inter omnia vos hortamurD atque monemus, ut in accipiendis poenitentiis non ad illos curratis, in quibus nec religiosa vita, nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum, quam ad salutem ducunt, teste veritate quae ait: *Si caecus caecum ducat, ambo in foveam cadunt*; sed ad eos qui religione & scripturarum doctrina instructi viam veritatis & salutis vobis ostendere valeant.

* commissionem

Ezech. 18.

portaverit

Matth. 15.

VI.

De electione pontificum.

Quoties defuncto pastore alicujus ecclesiae alius est ei canonice subrogandus, instantia visitatoris episcopi, qui ei ab apostolica vel metropolitana sede directus est, clerus, & populus, remota omni saeculari ambitione, timore, atque gratia, E apostolicae sedis vel metropolitani sui consensu pastorem sibi secundum Deum eligat. Quod si corruptus aliquo vitio aliter agere praesumpserit, electionis perperam factae omni fructu carebit, & de caetero nullam electionis potestatem habebit. Electionis vero potestas omnis in deliberatione sedis apostolicae sive metropolitani sui consistat. Si enim is, ad quem consecratio pertinet, non rite consecrando, teste beato Leone, gratiam benedictionis amittit, consequenter is, qui ad pravam electionem declinaverit, eligendi potestate privatur.

VII.

Excommunicatio regis Henrici.

ANNO CHRISTI 1080.

Beate Petre princeps apostolorum, & tu beate Paule doctor gentium, dignamini, quaeso, aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire. Quia veritatis estis discipuli & amatores, adjuvate * ut veritatem vobis dicam, omni remota falsitate quam omnino detestamini, ut fratres mei melius mihi acquiescant, & sciant & intelligant quia ex vestra fiducia post Dominum & matrem ejus semper virginem Mariam pravis & iniquis resisto; vestris autem fidelibus auxilium praesto. Vos enim scitis quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, & invitus ultra montes cum domino papa Gregorio abii, sed magis invitus cum domino meo papa Leone ad vestram specialem ecclesiam redii, in qua utcumque vobis deservivi. Deinde valde invitus cum multo dolore & gemitu ac planctu in throno vestro valde indignus sum collocatus. * Nec ideo dico, quia non ego vos, sed vos elegistis me, & gravissimum pondus vestrae ecclesiae supra me posuistis: & quia super montem excelsum me jussistis ascendere, & clamare atque annuntiare populo Dei scelera eorum, & filiis ecclesiae peccata eorum, membra diaboli contra me coeperunt insurgere, & usque ad sanguinem praesumpserunt in me manus suas injicere. Astiterunt enim reges terrae, & principes saeculares, & ecclesiastici, aulici, & vulgares, convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus vos Christos ejus, dicentes: *Dirumpamus vinculа eorum; & projiciamus a nobis jugum ipsorum*; & ut me omnino morte vel exilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere.

* Forte verius, Nec ideo dico H. & in Mstis.

Isai. 58.

Psal. 2.

Inter quos specialiter Henricus, quem dicunt regem, Henrici imperatoris filium, contra vestram calcaneum erexit ecclesiam, facta cum multis episcopis ultramontanis & Italicis conspiratione, annitens me dejiciendo eam sibi subjugare: cujus superbiae vestra * resistit auctoritas, eamque nostra destruxit potestas: qui confusus & humiliatus ad me in Longobardiam veniens, absolutionem ab excommunicatione quaesivit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de suae vitae emendatione solam ei communionem reddidi; non tamen in regno, a quo eum in Romana synodo deposueram, instauravi, nec fidelitatem omnium qui sibi juraverant, vel erant juraturi, a quo omnes absolvi in eadem synodo, ut sibi servaretur, praecepi.

* Forte, restitit. H.

Et haec ideo detinui, ut inter eum & episcopos, vel principes ultramontanos, qui ei causa justionis vestrae ecclesiae restiterant, justitiam facerem, vel pacem componerem, sicut ipse Henricus juramento per duos episcopos mihi promisit.

Praedicti autem episcopi & principes ultramontani, audientes illum non servare mihi quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio, vobis testibus, elegerunt sibi Rodulphum ducem in regem. Qui rex Rodulphus festinanter ad me misso nuntio, indicavit se coactum regni gubernacula suscepisse; tamen sese paratum mihi omnibus modis obedire: &, ut hoc verius credatur, semper ex eo tempore eumdem * mihi semper misit sermonem, adjiciens etiam filio suo obside & fidelis sui ducis Bertholdi filio quod promittebat firmare.

* dein semper

Interea Henricus coepit me precari ut illum contra praedictum Rodulphum adjuvarem; cui respondi me libenter facere, audita utriusque par-

tis ratione, ut ſcirem cui juſtitia magis faveret. Ille vero putans ſuis viribus eum poſſe devincere, meam contempſit reſponſionem. Poſtquam autem perſenſit ſe non poſſe (ſicut ſperavit) agere, duo epiſcopi, Virdunenſis videlicet & * Oſenburgenſis, de conſentaneis ſuis Romam venerunt, & in ſynodo ex parte Henrici me ut ei juſtitiam facerem rogaverunt: quod & nuntii Rodulphi fieri laudaverunt. Tandem aſpirante Deo, ſicut credo, ſtatui in eadem ſynodo in partibus ultramontanis fieri colloquium, ut illic aut pax ſtatueretur, aut cui amplius juſtitia faveret cognoſceretur. Ego enim, ſicut vos mihi teſtes eſtis, patres & Domini, uſque hodie nullam partem diſpoſui adjuvare, niſi eam cui plus juſtitia faveret. Et quia putabam quod injuſtior pars colloquium nollet fieri, ubi juſtitia ſuum locum ſervaret, excommunicavi & anathemate alligavi omnes perſonas ſive regis, ſive ducis, aut epiſcopi, ſeu alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret ut non fieret. Prædictus autem Henricus cum ſuis fautoribus non timens periculum inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, & ſeipſum anathematis vinculo alligavit, magnamque multitudinem Chriſtianorum morti tradi, & eccleſias fecit diſſipari, & totum pene Teutonicorum regnum * deſolationi dedit. Quapropter confidens de judicio & miſericordia Dei, ejuſque piiſſimæ matris ſemper virginis Mariæ, fultus veſtra auctoritate, ſæpe nominatum Henricum, quem regem dicunt, omneſque fautores ejus excommunicationi ſubjicio, & anathematis vinculis alligo: & iterum regnum Teutonicorum, & Italiæ ex parte omnipotentis Dei & veſtra interdicens ei, omnem poteſtatem & dignitatem illi regiam tollo, & ut nullus Chriſtianorum ei ſicut regi obediat interdico, omneſque qui ei juraverunt vel jurabunt de regni dominatione, a juramenti promiſſione abſolvo. Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires nullamque in vita ſua victoriam obtineat. Ut autem Rodulphus regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt ſibi in regem, ad veſtram fidelitatem ex parte veſtra dono, largior, & concedo omnibus ſibi fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, veſtramque benedictionem in hac vita, & in futura veſtra fretus fiducia largior, ſicut enim Henricus pro ſua ſuperbia, inobedientia & falſitate a regni dignitate juſte abjicitur, ita Rodulpho pro ſua humilitate, obedientia & veritate poteſtas & dignitas regni conceditur.

Agite nunc, quæſo, patres & principes ſanctiſſimi, ut omnis mundus intelligat & cognoſcat quia, ſi poteſtis in cælo ligare & ſolvere, poteſtis in terra imperia, regna, principatus, ducatus, marchias, comitatus, & omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere unicuique & concedere. Vos enim patriarchatus, primatus, archiepiſcopatus, epiſcopatus frequenter tuliſtis pravis & indignis, * & religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiritualia judicatis, quid de ſæcularibus vos poſſe credendum eſt: & ſi angelos dominantes omnibus ſuperbis principibus judicabitis, quid de illorum ſervis facere poteſtis? Addiſcant nunc reges, & omnes ſæculi principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis & timeant parvipendere juſſionem eccleſiæ veſtræ: & in prædicto Henrico tam cito judicium veſtrum exercete, ut omnes ſciant quia non fortuito, ſed veſtra poteſtate, cadet. Confundatur utinam ad pœnitentiam, ut ſpiritus ſit ſalvus in die Domini. Acta Romæ Nonis * Martii, indictione tertia.

ANNO CHRISTI 1080.

* Forte, Oſenburgenſis Hist. Mon. Oſenburgenſis.

1. Reg. 15.

* deſolationi

* religioſis vero

* Mart.

Rodulphi regis Romanorum, & principum imperii propoſitio in ſynodo Romana contra Henricum IV. imperatorem. Ex Labbei Append. Tom. X.

1. NOs ex legatione domini noſtri regis Rudolphi, & principum ejus, conquerimur Deo & ſancto Petro, veſtræque paternitati, & cuncto huic ſanctiſſimo concilio; quod ille Henricus, quem vos apoſtolica auctoritate depoſuiſtis a regno idipſum regnum contra veſtrum interdictum tyrannice invaſit, omnia circumquaque ferro, præda, incendio devaſtavit, archiepiſcopos, epiſcopos, de epiſcopatibus ſuis impia crudelitate expulit, & eorum epiſcopatus ſuis fautoribus in beneficia diſtribuit: per cujus etiam tyrannidem piæ memoriæ Werinharius Magdeburgenſis archiepiſcopus, occiſus eſt: Adelbertus Wormatienſis epiſcopus, adhuc ab eo contra ſedis apoſtolicæ præceptum in captione cruciatur: multa hominum millia ejus factione ſunt occiſa: quamplures eccleſiæ abbatis reliquiis incenſæ ac penitus deſtructæ.

2. Innumerabilia quidem facinora ſunt, quæ idem Henricus in principes noſtros perpetravit, eo quod ſibi, contra ſedis apoſtolicæ decretum, ut regi obedire noluerunt: & colloquium quod vos pro inquirenda juſtitia, & pace componenda, fieri decreviſtis, ex culpa Henrici & fautorum ejus remanſit.

3. Quapropter veſtram humiliter imploramus clementiam, ut nobis, immo ſanctæ Dei eccleſiæ, decretam ſacrilego pervaſori eccleſiarum juſtitiam faciatis.

Actum Romæ anno ab Incarnatione Domini MLXXX. pontificatus vero domini Gregorii papæ ſeptimi anno VII. Indictione III.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilium.) Coronæ, quam ex hoc Concilio Gregorius papa ad Rodulphum milit, iſte verſus inſcriptus fuit.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Corona regalis.

In hac ſynodo ventilatam quoque eſſe antiquam illam controverſiam inter Turonenſem & Dolenſem Britanniæ eccleſiam ejuſdem Gregorii paſſim literæ ad epiſcopos Britanniæ datæ ſignificant. Nihil certi in ea definitum, ſed de mittenda legatione in Britanniam ad cauſam cognoſcendam deliberatum; deque juribus Lemovicenſis eccleſiæ ſuper Monaſteria a Dolenſibus monachis uſurpata, atque aliis a Rhemenſi archiepiſcopo occupatis in eadem actum eſſe, eædem epiſtolæ teſtantur. Baronius anno 1080. numero decimo ſexto.

Acta Concil.

AD

ANNO CHRISTI 1080.

AD ROMANUM CONCILIUM.

ANNO CHRISTI 1080.

In quo Henricus regno expoliatur, Rodulphus inveſtitur.

ADDITIO.

Suppl Mauſ to II p. 46.

EX hac ſynodo ſcriptas teſtatur annaliſta Saxo ex Eccardi literas, quas ex illo acceptas hoc repeto. Forte tamen ha literæ præceſſerunt ſententiam in Henricum regem in concilio pronunciatam: Hanc vero ſententiam Anno 1080. tunc arbitror dictam, cum Henricus victoria de Saxonibus relata inflatus animum in apoſtolicam ſedem obſervantiam abjecit. Prælium vero illud die VI. Kal. Februarii Annaliſta Saxo conſignat. Ex quo fieret concilium hoc Januario menſe convenisse. Quibus conſtitutis hoc Romanum, ab eo, in quo ſententia exauctorationis in Henricum dicta eſt, conſignaturque Martio menſe, plane diſtinguitur.

In ipſo anno Dominus apoſtolicus in Teutonicas partes a ſynodo ſubjectam miſit epiſtol.

Gregorius ſervus ſervorum Dei omnibus archiepiſcopis & epiſcopis in Teutonico, atque in Saxonico regno commanentibus, omnibuſque principibus, cunctiſque majoribus, & minoribus, qui non ſunt excommunicati, & obedire voluerunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quomodo ex lite & diſſenſione veſtra maximum in ſancta eccleſia periculum fieri quotidie cognoſcimus viſum eſt nobis, viſum eſt & fratribus noſtris in concilio congregatis ſumma ope elaborare pro viribus, quatenus idonei nuntii, tam religione quam ſcientia pollentes e latere apoſtolicæ ſedis ad partes veſtras mitterentur, A qui religioſos epiſcopos, laicos etiam pacis & juſtitiæ amatores in partibus veſtris commorantes ad hoc opus idoneos congregarent, qui Domni gratia præeunte, die & loco ab illis ſtatuto, tam ipſi quam quos ipſis adjungere adhuc debemus, aut pacem componant, aut veritate prægnita ſuper illos, qui ſunt ſancti, diſſidii cauſa, canonicam cenſuram exerceant. Verum quomodo nonnullos diabolico inſtinctu confectos, iniquitatis ſuæ facibus ignitos, cupiditate inductos, diſcordiam potius, quam pacem fieri & videre B deſiderantes fore non ignoramus; ſtatuimus in hac ſynodo, ſicut & in præterita, ut nulla perſona alicujus potentiæ vel dignitatis ſive parva, ſive magna, ſive princeps, ſive ſubjectus aliqua præſumptione audeat legatis noſtris obſiſtere, & cum ad vos pervenerint de componenda pace contraire, nec poſtea contra interdictum illorum alter in alterum audeat inſurgere, ſed uſque ad diem ab illis ſtatutum firmam pacem omnes ſine ulla occaſione & fraude obſervent; quicumque autem C hæc veſtra inſtituta ulla præſumptione violare tentaverit, anathematis vinculo eum ligamus, & non ſolum in ſpiritu, verum etiam in corpore & in omni proſperitate hujus vitæ apoſtolica auctoritate innodamus, & victoriam in armis auſorimus, ut ſic ſaltem confundantur & duplici contritione conterantur.

CONCILIUM WIRTZEBURGENSE

CUI PRÆFUERUNT DUO LEGATI

Papæ Gregorii VII. Patavinus ſcilicet atque Albanenſis epiſcopi.

GRegorius epiſtol. IX. lib. VIII. ſcripta archiepiſcopis, epiſcopis, ducibus, comitibus, & omni populo regni Teutonicorum, ſignificat ſe nuncios miſiſſe, quibus indubitanter credere poſſunt, in quorum ore quidquid in epiſtola minus contineretur, poſuerit, &c. Verum qui fuerint, quove nomine appellati, quidve egerint, vix aliunde puto diſcere poſſis, quam ex narratione Hugonis Flaviniacenſis, pag. 218. chronici Virdunenſis.

Qui autem fuerint hii domni papæ legati, ex verbis regis accepimus, Paduanus ſcilicet & Albanus epiſcopi, a quibus etiam Wirtzeburgo ſynodus eſt habita. Regi itaque præfato H. ut in verbis domni papæ colligere poſſumus, ſola eſt communionis gratia reddita, non tamen regno reſtitutus, nec fidelitas omnium, qui ei vel juraverant, vel juraturi erant, ut ſibi ſervaretur præceptum eſt. Quod ideo retentum eſt, ut inter eum & principes ultramontanos, qui ei cauſa juſſionis apoſtolicæ reſtiterant, juſtitia fieret, vel pax componeretur, ſicut ipſe juramento per D duos epiſcopos promiſerat. Verum prædicti epiſcopi & principes ultramontani audientes illum non ſervare quod promiſerat, quaſi de eo deſperati abſque domni papæ conſilio elegerunt ſibi Rodulfum ducem in regem.

Rodulfus igitur feſtinanter miſſo nuncio indicavit ſe quidem coactum regni gubernacula ſuſcepiſſe, tamen ſe paratum domino papæ in omnibus obedire. Et eumdem ſemper promittens ſermonem, adjecit etiam, filio ſuo dato obſide, itemque fidelis ducis Bertaldi filio, quod E promittebat ſacramento firmare, inter ea etiam H. precabatur eum, ut contra R. eum adjuvaret.

Cui domnus papa reſpondit ſe libenter facturum; audita utriuſque partis ratione, ut ſciret cui juſtitia magis faveret. Quam reſponſionem contempſit inani elatus tumore, putans eum ſuis ſe viribus poſſe devincere: mens enim ejus quo procelloſis actuum motibus concitabatur, & ab internæ ſapientiæ quiete atque ſtabilitate disjungebatur. Quia enim malitiam tegebat in cor-

ANNO CHRISTI 1081.

corde, ore autem blandimenta exhibebat, quia cogitationes ſuas duplicitate obnubilabat, quia puritatis verba quaſi fatuitatem judicabat, & vias ſimplices innocentiæ declinabat, idcirco ſapientiæ tranquillitate perfrui nequaquam poterat.

Interea Henricus, quia affectatis iniquitatibus ejus ſubſequens favebat affectus, bella, cædes, homicidia, per ſe ſuoſque perpetrare non deſiſtebat. Eccleſiarum deſtructionem, & ovilis dominici perturbationem ſitiens, paſtores ab eccleſia abigebat, lupos ad ovilia ſubintroducens, & proſperitate ſua decipiebatur, quia dirigebatur in manu ejus dolus. Quia enim vitæ viam deſerens in peccatorum ſe tenebras dejecerat, voragine iniquitatis demerſus, & molæ pravæ conſuetudinis obrutus reprobo ſenſui eſt traditus, ut neſciret penſare mala quæ faciebat: qui utinam vitæ itinera quæ noluit per innocentiam teneret ſaltim per pœnitentiam. Hic itaque contra R. tertio congreſſus, poſtquam perſenſit ſe quod ſperaverat non poſſe peragere, duos epiſcopos de conſentaneis ſuis, Virdunenſem & Obleburgenſem Romam miſit, & domnum papam in ſynodo ut ei juſtitiam faceret, per eos rogavit. Quod & nuncii R. qui præſentes aderant, fieri laudaverunt. Statutum eſt itaque in eadem ſynodo, in partibus ultramontanis fieri colloquium, ſicut ex verbis domni papæ plenius quilibet poteſt advertere.

ANNO CHRISTI 1080.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, archiepiſcopis, epiſcopis, ducibus, principibus, marchionibus, omnibuſque majoribus atque minoribus in Teutonico regno conſtitutis, exceptis his qui canonica excommunicatione tenentur, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Notum vobis fieri volumus, &c. vsiz.

Gregorius Teutonicis ep. 12. lib. viii.

CONVENTUS MOGUNTINUS

Schiſmaticorum Henricianorum adverſus Gregorium papam.

Ex pag. 225. & ſeqq. toties laudati Virdunenſis chronici auctore Hugone abbate Flaviniacenſi.

UBi ad aures Heinrici regis & fautorum ejus anathema a domino papa factum perſonuit, infremuit factioſorum ſtrepitus in beati Petri vicarium, turpia & nefanda concrepans intonuit, dicentium magum eſſe, & impoſtorem, hæreticum, homicidam, fornicarium, & ſi quid aliud adverſatur ſanæ doctrinæ. Non debere regem, imperatoris filium, qui non ſine cauſa gladium portaret, qui Romanæ reipublicæ patricius, tutor, & defenſor eſſe deberet, tantam pati ſanctæ Dei eccleſiæ conculcationem, ut homo omnium peripſema, pro ſceleribus juſte puniendus, & merito ab eccleſia exturbandus, ſummam illam regii nominis majeſtatem impugnaret. Maledictum fruſtra prolatum in eum, a quo proceſſerat, retorquendum: ut qui domino ſuo & regi foveam paraverat maledictionis, eo immuni remanente, ille qui caput & cauſa mali erat, prior incideret in eam. Cum in hoc omnis perſtreperet aula, decretum eſt communi conſilio, ut ille qui reverendam a ſæculis regiam majeſtatem ab eccleſia extorrem pronunciaverat, ab eccleſiæ corpore ſegregaretur, & Romanæ eccleſiæ pontifex, qui ſupra omnes eſt, ab his qui ei ſubeſſe debebant, excommunicationi adjudicatus eſt. O dementia incomparabilis, furor indicibilis, inſania mirabilis! Quis, rogo, imperatorum, quis regum, ad tantam proſilire auſus eſt protervam inſaniam, inſanamve proterviam! Ut clavigeri cæleſtis vicarium, cujus lingua clavis cæli eſt, canonice electum, ab omni Chriſtianitate ſuſceptum, bene viventem, recta docentem; ab eccleſia alienandum pronunciaverit? Conventus hic apud Ulterius Trajectum habitus, ubi contra Deum & Dominum diſputatum eſt. Dies erat ſabbati, & veſpere ſabbati ipſa nocte dominicæ die illuceſcente in concilio malignantium conſtitutum eſt & deliberatum, ut in craſtino ad miſſas in omnium audientia papa excommunicaretur, quia auſus fuiſſet regem & dominum ſuum excommunicare, juſtam hanc eſſe ſententiam, ut, in quo peccaverat, puniretur. Aderat in conſeſſu illo iniqua gerentium Virdunenſis Theodericus, & Pibo Tullenſis, & plures alii, qui etſi favebant regiis negotiis, hoc tamen, quia ſanctorum patrum obviabat decretis, & ſanctionibus repugnabat canonicis, averſati ſunt. Et quidem Tullenſi id officii impoſitum a rege fuit, eo quod eſſet mentis timidæ, & multæ inconſtantiæ, ut negotium id exequeretur. Sed ille dum pavet ad ſingula, nec audet reniti, noctu cum Virdunenſi aſſumptis ſociis fugæ ſe credit conſilio, quamobrem & in craſtinum aliquanto moroſius prolongata eſt negotii hujus executio. Solus Willelmus Trajectenſis inventus eſt, qui dum heſternam ructat crapulam, potuit in cælo os ſuum, & lingua ejus in dominum & magiſtrum ſuum maledictionis intorſit jaculum. Sed non impune. Nam cum inter ſacra miſſarum peregiſſet ſolemnia, & peracto ſcelere datus in reprobum ſenſum ad eadem perexplenda accingeretur, ne vel in hoc a Judæ proditoris conſortio & merito ſepararetur, ubi corpus dominicum, in quod peccaverat, male ſibi conſciis ſumpſit, ultio divina manifeſtata eſt. Percuſſus eſt enim a Deo plaga inſanabili, ita ut cum horrore & ſtupore mirabili clamaret; ardeo, ardeo; quia corpus quod vivificat incendium illi pœnamque pariebat, quod exarſerat in eo ſicut ignis in ſpinis, ut manifeſta in ea fieret ultio Domini. Nec datum eſt illi tempus ut pœniteret, ſed mox ut ſenſit ignem in ſe graſſantem, in ſede corpore reclinato, dum clamaſſet Sancta Maria, miſeram vitam miſerabili morte finivit. De quo certum fecit nobis, qui iſta vidit: nobis hoc monſtratum eſt ut prodeſſe inciperet nobis pœna ejus. Grandis hinc inolevit terror omnibus, ita ut Virdunenſis, quem clam abſceſſiſſe notavimus, urbi ſuæ appropinquans, exeuntibus ſibi obviam clericis ſuis cum crucibus & cereis, ut moris eſt, proceſſionem palam interdixerit, & excommunicatum ſe quia ad horam ceſſiſſet pronunciaverit, ſatiſque tunc pœnituerit in excommunicatione domini papæ ſe factioſis communicaſſe; ita ut palam proteſtaretur, quia niſi divina illi proſpexiſſet miſericordia, & bonorum virorum oratio, pœnam quam Willelmus perpeſſus erat, ipſe pertuliſſet. Quamobrem etiam papæ dimiſſis nuntiis, abbate videlicet Rodulfo cum ſociis ſe omnino pro communione illa excommunicatum affirmaret, & ob id ab officio ceſſaſſet, in manu ejus per literas ſtolam reddidit & annulum. Et cum ſe ſic ipſe damnaret, parebat tamen regi, quia

Conventus Ultrajectinus.

quia *hæc erat hora ejus, & poteſtas tenebrarum*. A Nam inveteratam ejus malitiam, quæ obuuruerat, non frangebant miracula, ut incrementa vitiorum pararent ei etiam additamenta tormentorum. Unde & impletum eſt in eo quod ſcriptum eſt: Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de eo nimia rubigo ejus nec per ignem. Ignis enim ei tribulationis circumſtrepebat, qui vitiorum rubiginem purgaret. Sed nec per ignem rubiginem amiſit, qui nec per flagella correctus eſt: quia malitia ejus a conflatore conſumi non potuit. Anno igitur ab incarnatione Domini MLXXIX. factum eſt prælium in Saxonia, in quo Rodulfus rex cecidit, & Heinricus fugiendo victus eſt. Hoc etiam anno facta ſunt tonitrua & fulgura in Januario & Luna nigra, & ſanguinolenta vi- B ſa eſt III. Kal. Feb. Et ſequenti anno Wibertus invaſit ſedem apoſtolicam, a damnatis & excommunicatis ſuique ſimilibus in apoſtaticum non apoſtolicum electus. Quæ conſpiratio primum facta eſt apud Brixiam, ubi congregati aliqui epiſcoporum de ſynagoga Satanæ, traditi in reprobum ſenſum, & contra fidem, quæ eſt confeſſio Petri, & ſanctam ſedem ejus Romanam eccleſiam turpia & nefanda jacientes, ad plenitudinem damnationis ſuæ elegerunt Wibertum hæreſiarcham de ſui ſimilibus & deſperata ſuperbia apoſtolicum eum vocantes, apoſtatam, non apoſtolicum effecerunt. Qui idcirco omnium fidelium odio dignior eſt, quia cum a principibus Heinrico ſcilicet rege depoſito, & cæteris hujus C perditionis miniſtris quæſitum eſſet, quis ad impugnandum ſanctum virum, papam videlicet Gregorium, falſitatis vexillum ſuſciperet, nemo omnium tam audax, tam præſumptor, tam deſperatus vel perditus inventus eſt, qui naufragium fidei ſubire deligeret, præter eum ſolum. Qui idcirco, credimus antichriſti negotium ſuſcepit, ut ruinam archiepiſcopatus Ravennenſis, quem pro ſuis criminibus eodem grege præſidente ſynodali judicio perdiderat, ſuſceptione oblati periculi compenſaret. Aderat in conventu illo malignantium multus numerus damnatorum, quos ad perſequendum amatorem juſtitiæ communicatio criminum & amor principis illexerat, eum ſolum invenit diabolus promptiorem, cui malitiæ ſuæ omnem Dipſis. Amen.
principatum committeret. Suſcepit itaque ſedem Satanæ, & in cathedra peſtilentiæ ſublimatus, impiorum mentes ad expugnandum nomen Domini exacuebat, factus omnibus fovea peccandi. Quæ autem fuerit ejus promotio ſeu inthronizatio, quomodo ad hanc dejectionem, & quam præcipitanter aſcenderit, & a quibus execratus ſit, quæve eorum fuerit vita vel converſatio, & quid de ordinato vel ordinatoribus ejus ſentiendum ſit, Gebehardus Salzeburgenſis epiſcopus, cujus vita ſpeculum erat bonorum, interrogatus edicat. Ait enim ſcribens H. Mettenſi epiſcopo.

ANNO CHRISTI 1080.

EPISTOLA G..... ARCHIEPISCOPI SALZEBURGENSIS.

ANNO CHRISTI 1080.

ad Hermanum Mettenſem epiſcopum.

G. Salzeburgenſis epiſc. H. Mettenſi epiſcopo ſalutem.

WIbertus quondam Ravennas archiepiſcopus cum obedientiam quam apoſtolicæ ſedi juramento promiſerat, non attendere, ſed contra ipſam omnimodis ſuperbire ſtuduiſſet, in Romana ſynodo inrecuperabiliter depoſitus & anathematizatus eſt ab apoſtolica ſede, & ab epiſcopis totius eccleſiæ: nec hoc ſemel in una ſynodo, ſed in omnibus ſynodis, quotquot jam ſeptennio Romæ celebratæ ſunt. Hic igitur ita in perjuriis inveteratus, & pro eiſdem inrecuperabiliter depoſitus & anathematizatus ſedem Romani pontificis, cui obedientiam juravit, per manus anathematizatorum, utpote ſui ſimilium, invaſit, legitimo paſtore adhuc eidem ſedi præſidente. Ipſorum autem excommunicatorum nullus eum conſecrare, vel potius execrare præſumpſit, præter Mutinenſem & Aretinum epiſcopos, qui ambo pro ſuis criminibus jam annis tribus officio & communione caruerant. Sed hi etiamſi officium & communionem haberent & Romana ſedes paſtore vacaret, nullum tamen eidem ſedi pontificem ordinare poſſent. Hujus enim ordinationis privilegium ſolis cardinalibus epiſcopis Albanenſi, Hoſtienſi, Portuenſi a ſanctis Patribus eſt conceſſum. Ergo Mutinenſis & Aretinus epiſcopi juxta teſtimonium ſanctiſſimi papæ Innocentii, non benedictionem, ſed damnationem quam habuerant, ſuo Ravvennati imponere potuerunt. Nec illum in Romanum patriarcham ſed in perditiſſimum hæreſiarcham promoverunt. Caveat igitur omnis Chriſtianus caput Antichriſto inclinare, ſtatuam quam Nabuchodonoſor erexit, adorare: ſicque ſe ipſius hæreſiarchæ pernicioſiſſimo anathemati innodare. Nam quicumque illi obedierit, qui dixit: Ponam ſedem meam ad Aquilonem & ero ſimilis altiſſimo, certiſſime in æternam damnationem ibit cum

Hæc ſunt de Wiberto Gevehardi Salzeburgenſis viri utique doctiſſimi & authentici ſcripta veridica, quibus utique nullus cum juſtitia obviare prævalet. Extant & alia ejus ſcripta auctoritate & veritate ſubnixa, quæ pro viri merito reverenter fidelium honorat & amplexatur eccleſia. Ab hoc itaque Wiberto ſale utique infatuato, Henricus coronam ſuſcepit Imperii, factus infelix membrum illius qui eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, ſuſcipiens ab illo maledictionem, & quidem ſatis congrue. Nam dignus erat, & pro meritis acta res eſt, ut talis rex talem papam inſtitueret, & ab eodem ipſe coronam ignominiæ & ſceptrum dedecoris ſuſciperet.

Verba ſunt Hugonis Flaviniacenſis

AD MOGUNTINUM CONCILIABULUM

Adverſus Gregorium Papam anno 1080. *celebratum.*

ADDITIO.

Ex Mss. Suppl. Tom. II. p. 41.

THeodericus Wirdunenſis epiſcopus in concilio iſto, primo quidem rebus in eo per ſummam impietatem gerendis aſſenſum præbuit: cum E vero dein ad rei executionem ventum fuerat, clam aufugit; excommunicationem nihilofecius quam propterea incurrerat, quod licet brevi tempo-

poris

poris ſpatio rebus pravis cohæſiſſet, excommunicationem inquam agnovit, & ſervavit teſte Flaviacenſi in chronico. Id ipſum comprobant geminæ illæ epiſtolæ, quas hic velut ad concilabulum iſtud pertinentes ex codice Udalrici produco, quibus præmittere vitium eſt ex eodem codice epiſtolam Henrici Spirenſis epiſcopi, qua Longobardiæ epiſcopos & principes ad concilium iſtud Moguntinum invitat.

ANNO CHRISTI 1080.

EPISTOLA HENRICI SPIRENSIS

Epiſcopi ad epiſcopos & optimates Longobardiæ.

Invitat illos Moguntiam pro turbis regni & ſacerdotii ſedandis.

Ex cod. Udalrici num. CLXI.

IN Domino Dominorum diligendis archiepiſcopis, epiſcopis, marchionibus, comitibus, nec non & totius Longobardiæ tam minoribus quam maioribus H. Spirenſis epiſcopus ſervitutem & orationem. Super regni perturbatione regiæque poteſtatis derogatione, nec non etiam ſuper vacillante ſtatu eccleſiæ, non minus ego dolens quam cæteri principes regni decrevimus Moguntiæ inire conſilium, ſi fieri poſſit, ut regni perturbatio ſedetur, regia poteſtas redintegretur, & eccleſiæ, ne omnino naufragium patiatur, ſuccurramus. Quenam autem modo hoc fieri poſſit, excogitare nequivimus, niſi caput peſtiferi ſerpentis penitus abſcinderetur, cujus venenoſo afflatu hæc exorta hactenus intumuerunt. Manente vero cauſa efficiente, quomodo poterit effectus extirpari? qua inito conſilio tam primates quam minores firmiter fideliterque decrevimus, ut Hildebrandus ille ſedis ſubdolus apoſtolicæ invaſor, divinarum humanarumque legum execrabilis perturbator, Deo opitulante omnimodis abdicetur, aliuſque in ſedem apoſtolicam eligatur, qui diſſeſa colligat, confracta conſolidet, non diſcordiam, non bella, ſed pacem in ſancta eccleſia deſideret. Nec ab hoc negotio perficiendo ſtrenuitatem veſtram abſterreat, quod prius in ſimili conſilio nos portum tenentes, periculoſæ procellarum jactationi vos commiſimus, ſed potius viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, qui ſperatis in Domino, pro certo ſcientes, levius extorqueri clavam de manu Herculis, quam in præſenti negotio divellamur, vita comite a vobis.

Altera ejuſdem de eodem argumento.

CUm primum eccleſiæ gubernaculum invaſiſſes, etſi bene nobis cognitum eſſet quam illicitam & nefariam rem contra jus & fas familiari tibi arrogantia præſumpſiſſes; diſſimulanda tamen diſpenſatoria quadam taciturnitate, tam vitioſa introitus tui exordia putavimus, ſperantes videlicet tam criminoſa principia conſequentis regiminis tui probitate & induſtria emenda & aliquatenus obliteranda. Verum nec ut lamentabilis univerſalis eccleſiæ ſtatus clamat & deplorat malis initiis tuis pejores actionum decretorumque tuorum progreſſus infelici tempore, & pertinacia reſpondent. Cum igitur Dominus & redemptor noſter pacis & caritatis bonum quaſi ſingularem fidelibus ſuis characterem impreſſerit, cujus teſtimonia plura extant quam ut epiſtolari brevitate comprehendi valeant, tu e contra dum profanis ſtudes novitatibus, dum magis amplo quam bono nomine delectaris, dum inaudita elatione oſtenderis velut quidam ſigniſer ſchiſmatis omnia membra eccleſiæ quæ ſecundum apoſtolum vitam quietam & tranquillam ante hæc tua tempora agebant, ſuperba crudelitate crudelique ſuperbia lacerafti, flammas diſcordiæ in Romana eccleſia diris factionibus excitaſti, quas per omnes eccleſias Italiæ, Germaniæ, & Hiſpaniæ ferali dementia ſparſiſti. Sublata igitur quantum in te fuit omni poteſtate ab Epiſcopis, quæ eis divinitus per gratiam Spiritus ſancti, qui maxime in ordinationibus operatur collata eſſe dignoſcitur, omnique rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione, plebejo furori per te attributa, dum nemo jam alicui Epiſcopus aut presbyter eſt niſi qui hoc indigniſſima aſſentatione a fatlu ti emendicavit, omnem apoſtolicæ inſtitutionis vigorem illamque pulcherrimam membrorum Chriſti diſtributionem, quam doctor gentium toties commendat & inculcat miſerabili confuſione miſcuiſti, ſic quoque per hæc tua glorioſa decreta, quod ſine lacrymis dici non poteſt, Chriſti fere nomen periit. Quis autem pro indignitate rei non ſtupeat, quod novam quandam indebitamque potentiam tibi uſurpando arrogas, ut debita univerſæ fraternitati jura deſtruas? Aperis igitur cujuſcumque noſtrum parochiani aliquid delictum vel ſola fama ad te perveniat, ultra jam non habere quemquam noſtrum aliquam poteſtatem vel ligandi eum vel ſolvendi præter te ſolum, aut eum quem tu ſpecialiter ad hoc delegeris. Quæ ſententia, quam omnem inſaniam excedat quis in ſacris literis eruditus non videat? Quia ergo per hos alioſque præſumptionum tuarum ſpecies Eccleſiam Dei tam graviter periclitantem, immo fere peſſundatam diutius tolerare omni malo deterius judicavimus; placuit, ut communi omnium noſtrum conſilio tibi, quod hactenus tacuimus, innoteſcat, quam ob rem nec modo poſſis, nec unquam potueris ſedi Apoſtolicæ præeſſe. Tu ipſe bonæ memoriæ Henrico Imperatori te ipſum corporali Sacramento obſtrinxiſti, quod nunquam vivente ipſo Imperatore, aut filio ejus glorioſo Domino noſtro Rege, qui modo ſummæ rerum præes, Papatum aut ipſe ſuſciperes aut alium quantum in te eſſet ſuſcipere patereris abſque aſſenſu vel laudamento patris dum viveret. Atque hujus Sacramenti ſunt hodie teſtes, plerique Epiſcopi, qui hoc tunc & oculis videre & auribus audivere. Illud etiam recordare, quomodo tu, aliquos ex Cardinalibus cum ambitio papatus titillaret, ad tollendam æmulationem hac occaſione & conditione ut ipſi hoc idem facerent, Sacramento te obligaſti, quod nunquam Papatum habiturus eſſes. Utraque hæc Sacramenta, quam ſancte ſervaveris, tu ipſe videris. Præterea cum tempore Nicolai Papæ Synodus celebraretur, in qua capite vigeſimoquinto Epiſcopi conſiderant, ſino anathemate ſtatutum, & decretum eſt, ut nullus unquam Papa fieret, niſi per electionem Cardinalium, & approbationem populi, & per conſenſum & auctoritatem regis. Atque hujus conſilii ſeu decreti, tu ipſe auctor perſuaſor ſubſcriptorque fuiſti. Qui etiam quaſi fœtore quodam gravillimi ſcandali totam Eccleſiam repleſti de convictu & cohabitatione alienæ mulieris familiariori, quam neceſſe ſit. In qua re verecundia noſtra magis, quam cauſa laborat, quamvis hæc generalis querela unicuique perſonuerit, omnia judicia, omnia decreta per fœminas in ſede apoſtolica actitari, denique per fœminas totum orbem eccleſiæ adminiſtrari. Nam de injuriis Epiſcoporum, & contumeliis, quos filios meretricum & cæterq

ANNO CHRISTI 1080.

cætera id genus indigniſſime appellas nulla querimonia ſufficit.

ANNO CHRISTI 1080.

Quia ergo introitus tuus tantis perjuriis eſt initiatus & eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam converſationemque tuam tam multiplici infamia dehoneſtaſti, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus nec de cætero ullam ſervaturos eſſe, renuntiamus, & quia nemo noſtrum, ut publice declamabas tibi hactenus fuit Epiſcopus, tu quoque nulli noſtrum animo eris Apoſtolicus.

THIEDERICI WIRDUNENSIS EPISCOPI EPISTOLA.

Ad omnes imperii ſubditos

Omnia ſe admiſſurum profitetur quæ contra Gregorium pontificem decernentur.

Ex eodem n. 119 Ex Manſi Suppl. Tom. II. p. 43.

DIlectis in Chriſto fratribus & Dominis archiepiſcopis, epiſcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, principibus Romani imperii, majoribus, & minoribus, clero & populo, ſanctæ eccleſiæ cultoribus T. Virdunenſis, id quod eſt Dei gratia, fraternam dilectionem, debitam ſervitutem, & perpetuam in Domino ſalutem.

Regni noſtri perturbatio, & ut verius dicam, niſi Deus avertat, prima nimis annullatio in maximum dolorem nos excitat, in lacrimas vocat, in miſerabilem querimoniam coram Deo & hominibus nos convertit. Hildebrandus, qui dicebatur caput, jam cauda eccleſiæ, qui fundamentum, jam detrimentum eſt eccleſiæ; qui decus, jam dedecus eſt eccleſiæ: hic diſpergit, qui dicebatur congregare: hic eccleſiam odit, qui dicebatur diligere: jam uſque ad omnimodam hæreſim infirmat, qui dicebatur ſanctam eccleſiam confirmare. O inaudita arrogantia hominis ſupra omnem gloriam de ſe gloriantis, ſupra omnem malitiam male agentis, unitatem eccleſiæ ſcindentis; quod inauditum eſt, regnum & regem catholicum deſtruere præſumentis, impios juſtificantis, pios injuſte damnantis, decreta patrum pervertentis, regem adulterinum extollentis, regem liberum & legitimum, & cum memoria nominis regii extinguere meditantis, & minantis. O temporibus noſtris nunquam audita hæreſis! Perjuria fidelitates dicit, fidem ſacrilegium facit; imo quia ab initio pater ejus mendax fuit, per omnia mentitur, & in omnibus veritati contradicit. Videat Deus & judicet, videte vos, judicate. Hominem impium, hominem abominatum, membra eccleſiæ ſubvertentem, caput nobis faceremus. Nos omni eccleſiaſtico honore deſtituentem patrem nobis conſtitueremus? Vita ſua accuſat illum, perverſitas damnat, obſtinatio malitiæ illum anathematizat. In qua re vobiſcum eſſe, vobiſcum facere, vobiſcum laborem ſubire, aſſenſus, conſilium, & auxilium noſtrum non recuſat. De eligendo autem ſummo pontifice, qui errata corrigat, qui deſtituta reſtituat, qui hujuſmodi ſortia confundat, Deo cooperante vobiſcum operabimur, Deo conſentiente vobiſcum ſentiemus, & pro honore eccleſiæ & pro recuperatione regis & regni in nullo vobis deerimus.

EJUSDEM

ANNO CHRISTI 1080.

Ad E. (Egbertum) Trevirenſem electum.

Quod ejus conſecrationi adeſſe nequeat, cum excommunicationem incurrerit.

EX Sanctæ Trevirenſis eccleſiæ patri reverendiſſimo unanimiter electo, canonice admiſſo T. Dei gratia id quod eſt, debitam dilectionem, ex dilectione ſubjectionem, ex ſubjectione ſervitutem, ex ſervitute intimam, in omnibus ſervata ratione, devotionem. Ex eodem n. 118.

Teſte conſcientia, teſte & illo qui omnia novit, nemo eſt qui dignitati veſtræ melius velit, nemo qui unanimi veſtræ electioni magis applauſerit; nemo, inquam, qui de tam jucunda patris ad filium, prælati ad ſubditum affinitate rationabiliter incepta, rationabilius finienda, majorem fiduciam conſilii & auxilii ſibi aſſumpſerit. Fateor me in omnibus vobis & eccleſiæ Trevirenſi debitorem eſſe, utpote quem elegi, & laudavi mihi in dulciſſimum patrem; imo quod Trevirenſem eccleſiam ſemper habui & habiturus ſum, vita ſuperſtite, in dulciſſimam matrem. Eccleſia Virdunenſis eccleſiam Trevirenſem ut filia matrem digna dilectione, debita ſubjectione amplectitur; ut ſubjecta prælatam veneratur. Membrum igitur capiti ſuo connexum proficit, divitum omnino deficit. Legati veſtri, frater, archidiaconus, miles H. monuerunt me ut Treverim venirem, obedientiam vobis & eccleſiæ perſolverem, ordinationi veſtræ intereſſem. Conſecrationem veſtram in tanta omnium neceſſitate non modo vobis, ſed nobis qui affligimur, qui anguſtiamur, valde neceſſariam ulterius non differrem; tam juſtæ, tam ſaluberrimæ monitioni non moram, non difficultatem aliquam prætendiſſem, ſi in hoc tum meam & veſtram ſalutem non adtendiſſem; ſi non benedictionem pro maledictione, conſecrationem pro execratione, ordinationem pro depoſitione hoc tempore reputaſſem. Quod igitur maximo cum dolore vobis refero, ab ordine ſuſpenſum vos ordinare periculoſum eſſet, ut miſerabilius dicam, execratum de conſecratione veſtra præſumere pernitioſum eſſet. Conſilio meorum fatis importuno, ut teſte Deo mihi contrario in Pentecoſten veni ad curiam terribiliter adſtrictus, multipliciter coactus ſum ibi agere contra ordinem, contra ſalutem meam, imo contra dignitatem eccleſiaſticam; abrenuntiavi ſedenti in ſede apoſtolica, & hoc ſine ratione aliqua, cum præſens non audiretur, auditus diſcuteretur, diſcuſſus convinceretur. Abrenuntiavi illi, cui in examine meæ ordinationis profeſſus fueram obedientiam, cui ſubjectionem pollicitus eram, cui poſt beatum Petrum ſuſcepto regimine mihi commiſſæ eccleſiæ commiſſus fueram. Reverſum ſolito gravius eccleſia me ſuſcepit, uſitatum proceſſionis ordinem non exhibuit, & quod miſerabilius eſt, oſculum pacis non obtulit, quod infelicius propter auditam tam temere abrenuntiationem, & inauditam prius tantam temeritatem, non modo ab epiſcopali, ſed a ſacerdotali officio, ſub obſtentatione meæ ſalutis, & mei ordinis ſaluberrimo conſilio uſque ad dignam B. Petro & vicario ejus ſatisfactionem me ſubmovit. Hoc me impedit, hoc in C. J. ordinationi veſtræ me ſubtraxit. Quod ſi alius pro voluntate veſtra & petitione, Tullenſis videlicet, vel quivis vicem noſtram ſupplerit, nec indignor, nec adverſor, neque rationabiliter ordinanti improperabo, neque in aliquc

detraham rationabiliter ordinato. Adhuc vobiscum agam familiarius, ut cum patre filius, ut cum prælato subjectus, ut cum amico nemo jucundior amicus, cum consanguineo próximus admodum consanguineus. Hoc tempore tribulationis, in hoc schismate ecclesiasticæ dignitatis, hoc errore apostolicæ sedis, videndum est, quomodo ordinari velitis in examinatione ordinis, cui promissionem, cui obedientiam, cui dignam subjectionem vovere debeatis. Hoc per abrenuntiationem nostram expulso, alio per legitimam electionem nondum recollocato. Non hoc dico, ut voluntati vestræ contradicam, ut ordinationem impediam, ut promotionem suspendam, cum pro caritate & paternitate vestra paratus sim ultro offerre corpus & animam. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis & in præsenti causa.

ANNO CHRISTI 1080.

ANNO CHRISTI 1080.

CONCILIABULUM BRIXINENSE,

Quo triginta schismatici episcopi Gregorium papam sede deposuerunt, & Guibertum Ravennatem archiepiscopum eidem in schismate subrogarunt, anno Domini MLXXX.

HÆc synodus Moguntiæ inchoata fuit. Sed cum ibi novemdecim dumtaxat episcopi schismatici ad scelus patrandum convenissent, paucitatem eorum pertæsi, ad locum schismaticis omnibus ex Germania & Italia congregandis aptissimum, Brixiam transtulerunt. Quid vero in pseudosynodo schismatici egerint auctor schismaticus Conradus Uripergensis abbas ex illo acervo calumniarum a Bennone schismatico male congesto recitavit his verbis: *Anno Domini millesimo octogesimo, cum apud Brixiam Noricam triginta episcoporum conventus, nec non & optimatum exercitus, non solum Italiæ, sed & Germaniæ, jussu regis Henrici congregaretur, factum est omnium consensu adversus Hildebrandum papam, cognominatum Gregorium septimum, quem pseudomonachum, totiusque vesaniæ pestiferum principem, & præcipue sanctæ Romanæ sedis invasorem, affirmantes: ab apostolica sede depeliendum quamvis absentem dijudicabant, & Wigbertum Ravennensem archiepiscopum ipsi subrogandum eligebant. Hujus decretis conclusio hæc est: Quia, inquiunt, illum constat non a Deo electum, sed a seipso, in fraude ac pecunia impudentissime objectum. Qui ecclesiasticum subvertit ordinem: Qui Christiani imperii perturbavit regnum: Qui regi catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem: Qui perjurum defendit regem: Qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia, & quidquid quiete inter pie viventes stare videbatur concussit.*

Locus concilii.

Acta concilii.

Nos, *auctore Deo, congregati in unum, legatis ac literis freti decem & novem episcoporum, die sancto præteritæ pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eumdem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, catholicam & apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, pythonico spiritu laborantem, & idcirco a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum & expeliendum, & , nisi ab ipsa sede his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum.* Facta sunt autem hæc septimo Kalendas Julii, feria quinta, indict. tertia.

Decretum schismaticorum adversus Gregor. papam.

BRIXINENSIS CONCILIABULI

Quo Gregorius papa VII. de sede sua deponitur, Anno 1080. *ab episcopis XXX. schismaticis celebrati*

ACTA AMPLIORA.

Ex Mansi Suppl. T. II pag. 48. Anno 1080.

Conciliabuli hujus acta quædam ex Bennone schismatico dedit Labbeus. Integriora propono ex codice Udalrici; quæ non ideo hic exhibeantur, quod illa probem, nec digna judicem ut transmittantur ad posteros; sed cum historiæ integritati prosint, & alioqui ea sint quæ nemini officere possunt, cum non abalienationem quidem a pontificis obsequio, sed potius schismatis detestationem infinuent; eo enim miseros deduxit, ut in ea, quam cum pontifice exercuerunt controversia, nec modum nec religionem servaverint.

Ex Cod Udalric. n. 164.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXX. mediante sereníssimo rege Henrico IV. anno regni ejus XXIII. VII. Kal. Julii, feria V. ind. III. cum apud Brixiam Noricam XXX. episcoporum conventus, nec non & optimatum exercitus non solum Italiæ, sed & Germaniæ jussu regio congregaretur, facta est vox una velut ab ore omnium terribiliter conquerentium super truculenta vesania cujusdam Hildebrandi pseudo-monachi, Gregorii papæ VII. cognominati, cur tamdiu ipsam rex semper invictus sævire pateretur intactam; cum vas electionis Paulus testetur; principem non sine causa ferre gladium; & Petrus pastor primus non solum præcellere, verum duces ab eo mittendos clamet esse ad vindictam videlicet malorum, ad laudem vero bonorum. Ad quorum satisfactionem vitum est ipso glorioſissimo regi, principibusque ejus justum, ut judicium episcoporum divinæ animadversionis sententia gladium materialem in ipsum Hildebrandum præcederet, ut quem præsules ecclesiarum prius a superba prælatione deponerent, eumdem postmodum regalis potentia licentius persequendum decerneret. Quis ergo fidelium, qui illum novit, damnationis jaculum contra ipsum metueret intorquere, qui ab ineunte ætate modo se studuit per inanem gloriam nullis suffragantibus meritis super hominem commendare. Somnia & divinationes proprias aliorum divinæ dispositioni præponere, habitu monachus videri, & professione non esse, ecclesiasticæ disciplinæ, nulli subditus magistro, se extorrem judicare; obscœnis theatralibus ludricis ultra laicos insistere; mensas nummulariorum in porticu transeuntium turpis lucri gratia publice observare. His itaque quæstibus pecunia cumulata ab-

ANNO CHRISTI 1080.

ta abbatiam B. Pauli invaſit, ſupplantato abbate, unde aperiens archidiaconum quendam nomine Mancium, ut ſibi officium venderet, decipiendo ſeduxit; & Nicolao papa nolente, tumultu populari ſtipatus in œconomum ſe promoveri coegit. Quatuor namque Romanorum pontificum ſuper improba morte per manus cujuſdam ſibi intimi Johannis, ſibi intimi Brachinti, propinato veneno homicida extitiſſe convincitur, ût cæteris tacentibus, ipſe miniſter mortis, urgente mortis articulo, diris clamoribus licet ſero pœnituerit, teſtabatur. Hic denique ſæpe dictus peſtifer ipſa nocte, qua funus Alexandri papæ in baſilica Salvatoris exequiarum officio fovebatur, portas Romanæ urbis & pontes, turres, ac triumphales arcus, armatorum cuneis munivit, Lateranenſe palatium militia comparata hoſtiliter occupavit, clerum ne auderet contradicere, cum nullus eum vellet eligere, gladiis ſatellitum evaginatis mortem minando perterruit, & prius obteſſam diu aſſiluit cathedram, quam corpus defuncti obtineret tumbam. Dum vero quidam ex ipſis decretum Nicolai papæ a centum XXV. epiſcopis ſub anathemate promulgatum, eodem Hildebrando laudante ad memoriam ſibi vellent reducere, quod ſi quis ſine aſſenſu Romani principis papatriari præſumeret, non papa, ſed apoſtata ab omnibus A haberetur; negavit ſe regem uſpiam ſcire, & ſe poſſe aſſeruit ſententiam prædeceſſorum vacuam judicare. Quid plura? Non ſolum quidem Roma, ſed ipſe Romanus orbis teſtatur, illum non adeo fuiſſe electum, ſed a ſe ipſo vi, fraude, pecunia impudentiſſime objectum, cujus fructus pateſaciunt radicem, cujus opera manifeſtant intentionem, qui eccleſiaſticum ſubvertit ordinem, qui chriſtiani imperii perturbavit regnum, qui regi catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui peſſimum & proditorem defendit regem, qui inter concordes ſeminavit diſcordiam, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala, divortia inter conjuges, & quidquid quiete inter pie viventes ſtare videbatur, concuſſit. Quapropter, ut B prælibatum eſt, eundem procaciſſimum Hildebrandum ſacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia dependentem, catholicam atque apoſtolicam fidem de corpore & ſanguine in quæſtionem ponentem, hæretici Beringarii antiquum diſcipulum, divinationum & ſomniorum cultorem, manifeſtum nicromanticum, phytonico ſpiritu laborantem, idcirco a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum, & expellendum: & niſi ab ipſa ſede his auditis deſcenderit in perpetuum condemnandum.

ANNO CHRISTI 1080.

CONCILIUM INCERTI LOCI IN NAVARRA forte PAMPELONENSE,

Quo Pampelonenſis urbs devota eſt anathemati, circa annum 1080. *celebratum.*

Ind. pag. 50. Anno 1080.

Richardus S. R. E. cardinalis & abbas Maſſilienſis legationem duplicem in Hiſpania obivit; aliam quidem anno 1078. *alteram anno* 1079. *& ſequenti. In una quadam ex illis conciliis, quantum ex conjectura deduci poteſt, in Navarra, & forte in urbe principe Pampelona celebravit, quo omnes ejus urbis incolas anathemati devovit. Concilii hujus & lati in eo anathematis meminit idem Richardus in epiſtola ad Sanctum V. Navarræ regem ſcriptam, quam ex veteribus monumentis Martenianis to. I. pag.* 497. *huc transfero.*

EPISTOLA R. CARDINALIS AD S. REGEM.

Confirmat latam in Pampelonenſes excommunicationis ſententiam, vetatque ne ullam cum illis habeat communionem.

Ex Martene Vet. Mon. t. I pag. 497.

R (a) Cardinalis apoſtolicæ ſedis Legatus S. Regi venerabili ſalutem.

A Domino noſtro papa in eccleſiis regni veſtri, honorem, & gloriam ejuſdem ſanctæ & univerſalis eccleſiæ, poſtpoſita alia nobis..... multo ſudore fideliter quærebamus; ſed nec per veſtros circumlocutionum anfractus decepti a parte cognoſcimus, quoniam plus hominum favorem, quam Dei timorem animarumque ſalutem in veſtris operibus cupitis invenire. Nam ſalutem veſtro conſilio in populo commiſſo vos efflagitare credebamus; unde quia non ita apud vos eſt, colligentes ſi qua vobis pro veſtra caritate de qualibet ſpecialiter perſona promiſimus, facturos nos deinceps proculdubio abnegamus: ſed conſulere aliter ſi potuerimus, ſatagemus. Excommunicationis ſententiam, quam in Pampilonenſi epiſ- C copatu, & hominibus ejuſdem epiſcopi quocumque loco fuerint, ſive in expeditione contra hoſtes pugnaverint, ſicuti in concilio epiſcoporum & abbatum apoſtolica auctoritate poſuimus, iterum, iterumque eadem auctoritate firmamus: voſque communionem cum Pampilonenſibus excommunicatis uſque ad feſtivitatem S. Johannis, & hoc non in eccleſiaſtico officio, ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli & noſtra auctoritate, nullam deinceps habere præcipimus, donec habeant electum in eadem eccleſia apoſtolica auctoritate firmatum. Interdicimus hoc modo, ut a feſtivitate S. Johannis & deinceps mortui nullo modo ſepeliantur, cum vivis ſcienter nullus chriſtianam communionem habeat, nullumque divinum officium in eccleſiis fiat, præter puerorum baptiſmum, ſi mortis vel languoris illos agitaverit periculum. Hæc ideo facimus, quia conſpiraſſe illos ad deſtructionem eccleſiæ cum alteris regni veſtri principibus videmus, quos adhuc nominatim non exprimimus, qui gladium S. Petri & virtutem S. Spiritus ad perpetuam infamiam & confuſionem ſuam experientur. Ne confidatis in victoria qui juſtitiam reliquiſtis, cum ſcriptum ſit! *Primum quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia* E *adjicientur vobis.* De quo confidere poſſetis, ſi plus creſcere regnum Dei, quam veſtram gloriam quæreretis. Quæritis enim quæ veſtra ſunt, non quæ Jeſu Chriſti. Et quia irritum feciſtis mandatum Dei, & apoſtolicum præceptum propter ſeductionis &.... hominum animarum pereuntium, ſanguinem Deus a manu veſtra requirat. Nos ergo exeuntes de civitate excutimus pulverem pedum noſtrorum in teſtimonium ſuper vos.

CON-

(a) Hæc epiſtola eſt Richardi cardinalis, qui poſtea fuit abbas Maſſilienſis S. Victoris, ab Alexandro II. creatus cardinalis & a Greg. VII. & Urb. II. miſſus legatus in Hiſpaniam. Scripta eſt autem ad Sanctum V. Navarræ regem, quem quidam de crudelitate & injuſtitia inſimulant. MARTENE.

ANNO CHRISTI 1080.

CONCILIUM BURDEGALENSE

Amato A. S. L. præside Anno 1080. *habitum.*

Ibid. pag 62. Anno 1080. Exstat chron. S. Petri Vivi Senon. apud Labbeum.

OMnia orta occidunt, & aucta senescunt, nec multum hominis tempus protenditur, ejusque memoria brevissima probatur; sed ne oblivio prorsus præterita absorbeat, necesse est, ut rerum gestarum notitiam littera retineat, quatinus quid sit mutabile futuros non lateat. Igitur hoc præsens non ignorat ecclesia, sed nec posteritas hinc hæreat ambigua, quod nostra gestum est præsentia. Ego itaque Geraldus Deo largiente abbas, quamvis indignus, diu optaveram eripi de mundanis fluctibus, quibus contundebar acrius, quam fragilis ferre posset animus. Cæterum subjecti mihi minus obediebant, nec eorum ferrea molliri pectora quiverant, quos quidem sæcularia plus nimio negotia induraverant. Denique monstrante divina clementia portum salutis, placuit animo antra petere solitudinis, ubi nulla esset sæcularis habitatio hominis. Itaque commendata episcopo cura commissi gregis, egressus sum de monasterio comitantibus paucis, ignorans omnino quo cursus foret itineris. Sed tandem, Domino ducente, quippe qui nunquam abest spe-antibus in se, pervenimus ad Domnum Willelm. Pictavensem comitem, virum adprime nobilem, totius quoque Aquitaniæ ducem, qui locum attribuit nobis congruum Silva major nuncupatum, quod allodium ita nobis ab illo absolutum redditur, ut nullo ibi quidquam juris requiratur, sicut etiam alia chartula testatur. Cum ergo ibi vellem incipere monasterium, perrexi ad domnum Goscelinum Burdegalensem archiepiscopum, in cujus episcopatu prædictum erat allodium, ejus quidem rogaturus beneficium. Qui interveniente præfato duce jam incœptum monasterium ita omni donavit libertate, ut nec ipse, nec alius post eum, non archiepiscopus, non archidiaconus, non archipresbyter, non cujuslibet ordinis persona aliquod in eo jus, vel dominationem possit habere. Quatinus ibi degentes monachi absque ulla inquietudine libere possent Deo servire. Sed & hoc stabilitum est ab ipso, eodem precante Willelmo, ut si quandoque, disponente Christo, villa creverit, nihilo majus in ea archiepiscopus, vel quilibet minister ejus quidquam habeat juris, nec in clericis, nec in laicis, sed omnia referantur ad abbatis dispositionem, vel congregationis. Hoc etiam sibi nobisque providit, ut nihilominus ecclesiarum consecrationem, sacrosque ordines vel chrisma ab archiepiscopo accipiamus cum necesse fuerit. Sed hæc constitutio iterum ab eodem firmata est in proximo concilio, præsentibus Romanis legatis, Hugone atque Amato, multoque aliorum episcoporum collegio. Hoc quoque definitum est, ut si quis hoc decretum violare tentaverit, se sciat excommunicatum, donec satisfecerit, tam ab archiepiscopo quam ab omnibus qui fuerunt in concilio. Nec non & hoc consulente Domino Amato constituimus, ut hoc cœnobium solummodo, Romanæ foret ecclesiæ subjectum, atque sui tutelam domno apostolico singulos annos solveret quinque solidorum. At ego jam descendens in defectum ætatis decrepitæ jam jam curam monachorum cupiebam dimittere; atque minus utilis meliori cedere. Verum domnus Amatus a nostris rogatus fratribus, licet totis resisterem nisibus, tamen mihi ex parte domni apostolici testatus obedientiam, eorum commendavit providentiam.

Acta est vero supradicta confirmatio Burdigalensi civitate in concilio, anno ab Incarnatione Domini MLXXX. Indict. III. epacta XXVI. II. nonas octobris, octavo an. Gregorii papæ VII. Philippo in Francia regnante.

S. Willelmi Aquitanensis Ducis, Confirma hoc Deus.

Ego Amatus apostolicæ sedis legatus confirmo.

Ego Hugo sedis apostolicæ legatus confirmo.

Ego Gocelinus Burdegalensis archiepiscopus præsente concilio concedo & confirmo.

S. Rodulphi Turonensis archiepiscopi.
S. Willelmi Auxiensis archiepiscopi.
S. Bosonis Sanctonensis episcopi.
S. Ademari Engolismensis episcopi.
S. Willelmi Petragoricensis episcopi.
S. Raimundi Vasatensis episcopi.
S. Hugonis Bigorrensis episcopi.
S. Donaldi Agennensis episcopi.
S. Petri Adurensis episcopi.
S. Odonis abbatis sancti Johannis.
S. Drogonis Malliacensis abbatis.
S. Raynaldi S. Cypriani abbatis Pictavensis.
S. Bertrandi S. Juliani abbatis V. Nobiliacensis.
S. Hildeberti Nantulliacensis abbatis. V. Nantolis in valle.
S. Fulchardi S. Salvatoris abbatis V. Blavia.
S. Anchelini, Gocelini Burdegalensis ecclesiæ archidiaconi.

CONCILIUM LUGDUNENSE,

Quod sub præsidio Hugonis Diensis episcopi, & sedis apostolicæ legati, in causa Manassæ archiepiscopi Rhemensis celebratum est anno domini MLXXX. tempore Gregorii papæ VII.

MAnasses Rhemensis archiepiscopus, qui sedem Rhemensem invaserat, ad causam dicendam sæpe Romam vocatus nullatenus obtemperare voluit, & non obstante inhibitione pontificis, eamdem violenter detinere præsumpsit. Qua de causa Hugo Diensis episcopus in Gallias ablegatus hanc synodum congregavit, atque in ea invasorem antistitem condemnavit, & throno episcopali depositit. *Hæc ex Gregorio epistola decima septima libri octavi, qua universum clerum & populum Rhemensem admonet, ut eidem invasori constanter resistant.*

AD-

ANNO CHRISTI 1080.

ADDITIO PHILIPPI LABBE S. J.

AD CONCILIUM LUGDUNENSE

Hugonis Dienſis epiſcopi legati S. Sedis apoſt.

Et chronico Virdunenſi Hugonis abbatis Flaviniacenſis ejuſdem temporis ſcriptoris.

SExtum nihilominus celebravit concilium apud Lugdunum pro quibuſdam negotiis, quorum diſcuſſionem ei domnus papa impoſuit ſcribens ad eum in hæc verba

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Hugoni Dienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod divina clementia pacem eccleſiæ tuæ reſtituit, &c. *uſque ad pure deinceps adminiſtrentur.*

Dum igitur hæ ei litteræ allatæ fuiſſent, & locus concilii apud Lugdunum conſtitutus eſſet, Remenſis etiam archiepiſcopus juxta tenorem litterarum ad idem ſe purgaturus invitaretur concilium, poſito domno Hugone apud Viennam pro corporis curatione, nuncii prædicti archiepiſcopi venerunt ad eum, multis & maximis precibus & muneribus ad hoc eum flectere cupientes, & ob id ei in præſenti trecentas puriſſimi auri uncias, domeſticis quoque ejus pretioſa donaria offerentes, inſuper & celamentum ne ulli mortalium id proderent jurare volentes, ut cum ſex epiſcopis quos ipſe Remenſis eligeret de ſuffraganeis ſuis ei ut ſe purgaret concederet, remota inquiſitione infamiæ. Addentes etiam quod nec ſperare poterant, ſed tamen nihil intentatum relinquere volebant: quod ſi ei ſolo concederetur facultas ſe purgandi, inæſtimabiles theſauros auri, & qui etiam numerum excederent ſe juraturos, & inſuper ſacramentum ne cui hoc proderent. Quod totum virilis ejuſdem legati animus reſpuit. Et quia expugnabilem ejus erga pecuniam animum vidit, timens ſibi concilio intereſſe noluit. Et ideo ſynodali judicio eſt depoſitus tum quia ſe purgare noluit: tum quia audientiam Edunenſis, Pictavenſis, & ipſius Lugdunenſis ſubterfugit.

ANNO CHRISTI 1080.

Iis vero adjunge ſis epiſtolam Gregorii VII. papæ 40. l. VI. Boſoni ſcriptam: legatum noſtrum Dienſem epiſcopum in concilio quod proxime celebraturus eſt, &c. datum 4. Kal. Julias indict. II. tum lib. VII. 12. III. Nonas Januarii ind. III. & 20. 15. Kal. Mai eadem indict. III. qui characteres huncce annum 1080. apertiſſime deſignant: necnon 17. 18. & 19. lib. ſeq. VIII. ad Ebolum Comitem Rociacenſem, ad ſuffraganeos Remenſis eccleſiæ, ad clerum populumque Remenſem, ad regem Galliæ, comitem Campaniæ, &c.

CONCILIUM AVENIONENSE,

Quo ſanctus Hugo Gratianopolitanus epiſcopus creatus eſt anno Domini MLXXX. tempore Gregorii papæ VII.

HAc ſynodo ſanctum Hugonem ex Lugdunenſi * epiſcopo creatum eſſe antiſtitem Gratianopolitanum, atque ſexto anno ſuæ ordinationis cum ſociis quibuſdam Carthuſiam tunc recens inchoatam petiiſſe, teſtantur acta ejuſdem ſancti Hugonis apud Surium primo Aprilis, auctore Guigone Carthuſiæ majoris priore ſanctiſſimo qui præſulis illius vitam paullo poſt ejus obitum ſcripſit.

* Binii hal. lucinatio.

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

CONCILIUM AVENIONENSE

Ejuſdem Hugonis Dienſis epiſc. S. R. E. legati

Ex eodem Virdunenſi Chronico Hugonis abbatis Flaviniacenſis.

CElebravit & ſeptimum apud Avenionem, in quo depoſitus eſt Achardus Arelatenſis invaſor, & electus eſt Gibilinus in Arelatenſem archiepiſcopum: Lantelmus in Ebredunenſem archiepiſcopum, Hugo in Gratianopolitanum epiſcopum, Deſiderius in Cavalicenſem quos poſt expletionem concilii ſecum Romam duxit, & conſecrati ſunt a papa.

CONCILIUM SENONENSE

Anno MLXXX. a Richerio archiepiſcopo celebratum.

Ex Gallia Chriſtiana in Richerio Senonenſi archiepiſcopo

Ex Labbei App. to. X

SYnodum celebravit (Richerius) Senonis menſe Octobri, anno Domini MLXXX. cui interfuere Goffridus Pariſienſis, Goffridus Carnotenſis, Philippus Trecenſis, Galtherus Meldenſis, Arnulfus Aurelianenſis, epiſcopi; Arnulphus ſanctæ Columbæ, Iſambardus S. Germani Pariſienſis, Guibertus S. Germani Autiſſiodorenſis, Erminus S. Petri Melodunenſis, Galtherus S. Petri Ferrarienſis, Robertus S. Florentini Bonævallis, Guillelmus S. Remigii Senonenſis, abbates. *Hoc tantum in Gallia Chriſtiana Claudii Roberti. Quid autem in concilio ſit actum, omnino latet.*

CON

ANNO CHRISTI 1080.

CONCILIUM JULIOBONENSE,

Quod a Willelmo Anglorum rege cum epiſcopis & proceribus Normanniæ apud Juliam bonam celebratum eſt in feſtivitate pentecoſtes anno Chriſti MLXXX. Gregorii VII. papæ anno VIII. Philippi Francorum regis XX.

Extat in tabulario regio authenticum illius exemplar in membranis, quod vidimus: habetur quoque in pluribus mſſ. & apud Ordericum Vitalem lib. V. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, &c.

TITULI CANONUM

I. *Ut pax Dei firmiter teneatur, ejuſque infractores ab epiſcopis coerceantur.*
II. *Ut de inceſtis matrimoniis juxta canones judicent epiſcopi.*
III. *De judicio clericorum qui de vetito feminarum contubernio accuſantur.*
IV. *Quod laicus partem in redditibus eccleſiæ habere non debeat, & quale inde ſervitium reddere liceat presbytero.*
V. *Ut epiſcopi a presbyteris præter juſtos reditus nihil exigant.*
VI. *Ut archidiaconi quotannis presbyterorum ſuorum veſtes, calices & libros viſitent.*
VII. *De crimine quod presbyter in foreſtis regis vel baronum ejus commiſit epiſcopus recognoſcet.*
VIII. *Ut de ſingulis domibus cera denerata matri eccleſiæ quotannis per presbyteros offeratur.*
IX. *Ne laicus presbyterum det vel adimat eccleſiæ niſi ex conſenſu epiſcopi.*
X. *De cœmeteriis quæ ſunt in civitatibus, capellis & burgis, vel in maceriis.*
XI. *De cœmeteriis villarum.*
XII. *De presbyteris quorum eccleſiæ donantur monachis vel canonicis.*
XIII. *De juſtitiis & conſuetudinibus epiſcopalibus.*

PRÆFATIO.

ANno Incarnationis domini M. LXXX. papatus domini Gregorii papæ VII. octavo, Francorum rege regnante Philippo, Anglorum rege Willelmo gubernante Normanniam in feſtivitate pentecoſtes, ſub ejuſdem regis præſentia, præſente Rotomagenſi archipræſule Willelmo, congregatis etiam epiſcopis & abbatibus, conſulibus quoque, & cæteris Normanniæ principibus celebratum eſt apud * Lillebonam concilium, in quo ſereniſſimi regis Willelmi providentia præceptorum fidelium ſuorum conſilio deffinivit.

* Juliam Bonam ſeu Juliobonam.

CANONES.

I.

Ut pax Dei, quæ vulgo dicitur trevia, ſicut ipſe eam initio conſtituerat, firmiter teneatur, & per ſingulas parœcias dictis excommunicationibus renovetur. Qui vero eam obſervare contempſerint, vel aliquatenus fregerint, epiſcopi ſecundum quod prius ſtatutum eſt, eos judicando juſtitiam faciant. Si quis autem epiſcopo ſuo inde inobediens fuerit, domino in cujus terra habitat epiſcopus hoc demonſtret, & ille eum ſubdet epiſcopali juſtitiæ. Quod ſi & dominus facere contempſerit, regis vicecomes inde per epiſcopum requiſitus, omni remota excuſatione faciat.

II.

De his qui de parentela ſua uxores tenent, & uxores parentum ſuorum, epiſcopi canoniçam juſtitiam exequantur. Rex enim nullum inde ſuſtinet, vel tuetur: ſed potius epiſcopos adjuvando admonet, ut lex Dei firmiter teneatur.

III.

Presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, & omnes canonici & decani, nullam omnino feminam habeant. Quod ſi poſt hac aliquis eandem culpam viſus fuerit incurriſſe, ſi per miniſtros epiſcopi prius inde fuerit accuſatus, in curia epiſcopi ſe purgabit. Si vero parœcianorum vel dominorum aliquis eum accuſaverit, habeat accuſatus inducias, ut cum epiſcopo poſſit loqui: & ſi purgare ſe voluerit in eadem parœcia cui ſervit, præſentibus parochianis pluribus ante miniſtros epiſcopi & coram judicio ſe purgabit. Si vero ſe purgare non potuerit, eccleſiam perdat irrecuperabiliter. Hoc autem rex prædictus ſtatuit, non petenniter epiſcopis ſuis debitam auferendo juſtitiam; ſed quia eo tempore epiſcopi minus quam conveniret inde fecerant, donec ipſe eorum videns emendationem eis redderet pro beneficio, quod tunc de manu eorum temporaliter tulerat pro commiſſo.

IV.

Nullus laicus in redditibus altaris, vel in ſepultura, vel in tertia parte decimæ aliquid habeat, nec pecuniam pro horum venditione vel donatione aliquatenus habeat. Nec presbyter inde ſervitium faciat, niſi legationem domini ſui portet, ita ut eadem die ad eccleſiam revertatur & ad orationes, per Normanniam ſolummodo, victum domini ſui habens, ſi dominus voluerit ſecum vadet; ſervitium eccleſiæ presbyter interim curet.

V.

Presbyteri ab epiſcopis vel ab eorum miniſtris præter juſtos redditus epiſcopi, vi vel minis dare nihil cogantur. Propter eorum feminas nulla pecuniæ emendatio exigatur.

VI.

Archidiaconi per archidiaconatus ſuos ſemel in anno presbyterorum ſuffraganeorum ſuorum veſtimenta, & calices, & libros videant, deſignatis ab epiſcopo in unoquoque archidiaconatu ſolummodo tribus locis, ubi vicini presbyteri ad hæc monſtranda convocentur. Quo enim archidiaconus ad hæc videnda venerit, (1) a presbyteris conveniunt triduo, ſi expedit, victum habeat ſibi quinto.

VII.

Si presbyter (2) ſatisfactionem fecerit de foreſtis regis, vel baronum ejus, nullam emendationem inde habebit epiſcopus.

VIII.

Presbyteri ſemel in anno circa pentecoſtem cum

(1) Lege ex Ordenico Vitali, *a presbyteris qui conveniunt, triduo, ſi expedit, victum ſibi habeat*, H.
(2) Lege, *foris facturam*, ex Ordenico Vitali. H.

ANNO CHRISTI 1080

cum processionibus suis ad matrem ecclesiam veniant, & de singulis domibus ceræ (1) denerata, vel idem valens, ad illuminandam ecclesiam altari offerant. Quod qui facere noluerit, ac presbytero per ministerium suum cogatur hoc solvere sine emendatione pecuniæ.

IX.

Laicus presbyterum non det vel adimat ecclesiæ, nisi ex consensu præsulis. Quem tamen, si (2) rejiciendus est, episcopus non repellat: & si repellendus est non retineat.

X.

In cœmeteriis ecclesiarum quæ sunt in civitatibus, vel in castellis, vel in burgis, quicquid episcopi tempore Rodberti comitis, & Willelmi regis ejus consensu habuerunt, episcopi (3) habeant. In cœmeteriis vero, quæ in marchis sunt, si guerra fuerit, & aliqui ad habitandum ibi faciant mansionem, dum guerra duraverit, & ipsi propter guerram in atrio manserint, nullam forisfacturam ab eis habebit episcopus, nisi quam habuisset, antequam ad atrium confugissent. Cum autem pax facta fuerit, qui propter guerram fugerant de atrio exire cogantur, aut episcopalibus legibus supponantur. Qui vero in prædictis cœmeteriis antiquius manserunt, in antiqua quietudine permaneant.

XI.

Ecclesiæ villarum quantum cœmeteriis habuerunt tempore Rodberti comitis, vel quantum habuerunt usque ad istud concilium, tantum habeant & in eis eas consuetudines habeant episcopi, quas tempore Rodberti comitis vel Willelmi regis ejus consensu habuerunt, nisi episcopi aliquam (4) quietudinem fecerint concedente rege Willelmo. Si post concilium intra villam aliqua nova ecclesia fit, faciat episcopus cœmeterium consideratione dominorum & parochianorum ejusdem ecclesiæ. Si vero extra villam nova fiat ecclesia, indeque habebit quinque perticas cœmeterii.

XII.

Si donatur monachis ecclesia, presbyter qui (5) ejusdem tenet ecclesiam honorifice teneat quicquid de eadem ecclesia haberet antequam monachi eam haberent: & tanto melius, quanto sanctioribus associatur hominibus: eo autem mortuo, vel aliquatenus deficiente, abbas idoneum quærat presbyterum, & episcopo eum per se vel per nuntium suum ostendat. Quem si recipiendus est, episcopus recipiat. Si vero presbyter cum monachis religiose vivere voluerit, videat ut ecclesia, quam episcopali licentia intravit, honeste tractetur, tamen in vestimentis, quam libris & cæteris ecclesiæ serviendæ necessariis secundum ejusdem ecclesiæ facultatem. Quod si presbyter cum monachis vivere noluerit, tantum ei det abbas de bonis ecclesiæ, unde, & bene vivere, & ecclesiæ servitium convenienter valeat adimplere. Quod si abbas facere noluerit, ab episcopo convenienter cogatur ut faciat. Presbyter vero episcopo suo juste sit subditus, & episcopales redditus persolvat. Quæ vero superabundant, in usus monasterii sui abbas habeat. Hoc idem in ecclesiis canonicorum observetur.

XIII.

Violatio ecclesiæ & atrii, sicut superius determinatum est, & commissa pro quibus divinum officium remanet, episcopis per pecuniam emenden-

A tur. Assultus in itinere ecclesiæ similiter. Si quis iratus persequitur alium in atrium vel in ecclesiam similiter.

ANNO CHRISTI 1080.

Si clericus arat vel ædificat in atrio sine pontificali licentia similiter. Si clericus raptum fecerit, vel furtum, vel aliquem percusserit, aut vulneraverit, vel occiderit, aut duellum sine licentia episcopi susceperit, aut (6) nannum fecerit, aut assultum fecerit, aut aliquid injuste faisierit, aut incendium fecerit, aut manu pastus ejus, aut habitator atrii similiter. Si clericus adulterium fecerit, aut incestum, similiter. Si presbyter de ministerio suo (7) satisfecerit, similiter. Presbyteri qui ad synodum venire neglexerint, similiter, & qui synodum & circadam statutis terminis non B reddiderint, similiter. Si clericus coronam suam dimiserit, similiter. Si monacha, qui sunt sine regula habitum suum dimiserint, similiter. Si presbyter treviæ Dei infractores & latrones sine licentia episcopi excommunicaverint similiter.

Si erraticum habens quòd vulgo weidif. dicitur; venerit in curiam sacerdotis vel clerici, qui in atrio maneant, (8) vel in eleemosyna ejusdem ecclesiæ, ut in atrio episcopi erit. Si quid per (9) contemptionem in domo presbyteri, vel clerici, vel in atrio (10) sacerdotis, vel eorum manu pasto relictum fuerit, episcopi erit. Si quid in ecclesia, vel in atrio inveniatur, vel relinquatur, episcopi erit.

Si quis presbyterum aut monachum aut monacham assalierit aut percusserit aut ceperit, aut occiderit, aut eorum domos in atrio incenderit, similiter emendabit. Si quis adulterium aut incestum fecerit, aut cum matrina, vel commatre, vel cum filiola coierit, similiter si quis uxorem suam, vel si qua virum suum sine judicio præsulis reliquerit, similiter. Qui mortuos consulunt, vel maleficia tractant, similiter: Qui intentum sibi crimen inficians terri judicio convincitur, excepta Dei trevia, similiter. Qui justitiæ resistens excommunicari se patitur, similiter.

Parochianorum crimina episcopo pertinentia ubi consuetudo fuit episcoporum judicio examinentur. Si contradictio judicationis facta fuerit, ante episcopum diffiniatur. Si furti judicium judicatum fuerit, ante matrem ecclesiam terminetur. Si plana lex facienda erit, ibi fiat ubi placitum prius fuit. In parochia episcopi sine licentia ejus nullus audeat prædicare.

Qui prædictas culpas inciderit, si sponte ad pœnitentiam venerit, pœnitentia ei pro qualitate criminis injungatur, & pecunia nullatenus exigatur.

Si laicus in atrio raptum fecerit, episcopo emendabit: si vero alibi fecerit, quomodocumque faciat, episcopus nihil habebit.

Has consuetudines episcopi habeant in illis locis, in quibus eos tempore Rodberti comitis, vel E Willelmi regis ejus concessione hactenus habuerunt. Quæ vero quieta fuerunt; eam quietudinem habeant, quam huc usque solide tenuerunt. In his omnibus justitiis & consuetudinibus rex sibi retinet quod hucusque habuit.

Si presbyter Domini sui judicium contradixerit de ecclesiastica causa & cum in curiam episcopi eundo injuste fecerit fatigare, diem solidos emendabit domino suo.

Si episcopi aliquid quod hic non sit scriptum, in

(1) Order. *denerata*. H. (2) Lege ex Orderico, *rei pienda*. H. (3) Orderic. *rebabeant*. H.
(4) Order. *consuetudinem*. H. (5) Order. *eamdem*. H. (6) Order. *namnum*. H.
(7) Lege *forisfecerit*, ex Orderico. H. (8) Order. *vel in elemosynam .... vel in atrium*. H.
(9) Order. *contentionem*. H. (10) Order. *Sacerdoti, vel clerico, vel eorum &c.* H.

in regis curia poſſint monſtrare ſe habuiſſe tem- ANNO CHRISTI 1080. pore Rodberti comitis, vel Willelmi regis ejus conceſſione, rex eis non tollet quin habeant: tantummodo illud nullatenus faciant, donec in curia ejus monſtrent quod habere debeant. Similiter etiam laicis propter hoc ſcriptum rex nihil tollit, quod in curia regis monſtrare poſſint epiſcopos non deberi habere. Tantummodo epiſcopos inde non deſſaiſiant donec in curia regis monſtratum ſit, quod epiſcopi inde habere non debeant.

*In manuſcripto exemplari ſynodo Juliobonenſi præmittitur ſynodale * decretum de pace quæ vulgo Dei trevia dicitur, & quæ die Mercurii incipit, conſtitutum a Guillelmo ſeniore rege Anglorum & duce Normannorum, & epiſcopis Normanniæ.*

*Hoc ſpectat ad an. 1042. ad quem in ſuperiori tomo illud ex Beſſin attulimus.

FRatres in Domino cariſſimi in pace quæ vulgo dicitur trevia Dei, & quæ a die Mercurii Sole occidente incipit, & die Lunæ Sole naſcente finit, hæc quæ dicam vobis promptiſſima mente dehinc inantea debetis obſervare. Nullus homo nec femina hominem nec feminam uſquam aſſaliat, nec vulneret, nec occidat, nec caſtellum, nec burgum, nec villam in hoc ſpatio quatuor dierum, & quinque noctium aſſaliat, nec depræ-detur, nec capiat, nec ardeat ullo ingenio, aut violentia, aut aliqua fraude. Quod ſi aliquis, quod abſit, illa non tenendo quæ præcipimus, infregerit, ſi non xxx. annorum ſpatio pœnitentiam in exilio fecerit, & antequam ab epiſc. exeat, quicquid fecit contra pacem emendaverit, a Domino Deo excommunicamus, & a tota Chriſtianitate ſit ſeparatus. Quicumque vero illi aliqua in re communicaverit ſcienter, aut conſilium ſive adjutorium dederit, aut ullum colloquium, niſi ut ad pœnitentiam veniat, & ut dictum eſt ab hoc epiſc. exeat, habuerit, ſimiliter ſit excommunicatus, donec ad emendationem venerit. Quod ſi ille ſanctæ pacis violator miſerrimus poſtquam accepta pœnitentia xxx. annorum ubi exulat moriatur, nullus Chriſtianorum præſumat illum viſitare, aut corpus a loco in quo jacuerit tollere, nec quicquam ex ſubſtantiæ ſuæ bonis accipere. Præterea fratres hanc pacem & treviam Dei de terris aut de beſtiis, inſuper de rebus omnibus quæ habere poſſunt tenebitis. Quod ſi quis aut aliquam beſtiam, aut etiam obolum ſive veſtimentum in iſta pace tulerit alieni, ſit excommunicatus, donec ad emendationem veniat. Quod ſi ad emendationem voluerit venire, primum reddat quod rapuit, aut tantum quanti erat pretii quod rapuit. Dehinc VII. annis pœniteat infra (1) epiſcop. Si autem moriatur priuſquam ſatisfaciat, & pœnitentiam ſumat, non ſepeliatur, nec a loco quo obiit moveatur, niſi pro illo parentes ejus ſatisfecerint ei cui injuriam fecit. Cæterum in hac pace nullus niſi rex aut comes hujus patriæ caballicationes aut hoſtilitatem faciat, & quicumque in caballicatione aut hoſtilitate regis fuerit in hoc (2) epiſc. nihil pluſquam ſibi ac ſuis equis neceſſaria ad victum accipiant. Mercatores autem & omnes homines qui ab aliis regionibus per vos tranſierint pacem habeant a vobis. Hanc etiam Dei treviam ab initio adventus Domini uſque ad octavas epiphaniæ & a capite jejunii uſque ad octavas paſchæ, & a diebus rogationum inchoantibus uſque ad octavas pentecoſtes per omnes dies tenebitis. Qui hanc pacem obſervaverint pro illis preces agendo benedicant, illos vero qui infregerint, aut qui infractoribus (3) conceſſerint, maledicant. Si quis autem ſe pacem neſcienter dixerit infregiſſe, prius ſacramentum faciat calidumque judicii ferrum portet, (4) ſeptem annis pœniteat.

*Incipit concilium quod habitum eſt in Normannia in territorio * Captivo, villa regia, quam Juliam bonam antiqui dixerunt, modo vulgariter Lislebona vocatur, ubi multa conſtituta ſunt, quæ maxime in Normania conſervantur.*

*Caltino ſeu Caletenſi.

ANno ab incarnatione Domini Jeſu Chriſti MLXXX. papatus domini Gregorii papæ ſeptimi octavo &c. *uſque ad* habere non debeant.

CONCILII JULIOBONENSIS.

Editio altera a D. Guillelmo Beſſin in Conciliis Rotomag. Provinciæ emiſſa.

PRÆFATIO

ANno ab Incarnatione Domini 1080. Rex Guillelmus in Feſtivitate Pentecoſtes ad * Illebonam reſedit, ibique Guillelmum Archiepiſcopum & omnes Epiſcopos, & Abbates, Comiteſque cum aliis Proceribus Normaniæ ſimul adeſſe præcepit: ut Rex juſſit ita factum eſt. Igitur octavo anno Domini Gregorii Papæ VII. celebre Concilium apud * Juliam bonam celebratum eſt, & de ſtatu Eccleſiæ Dei, totiuſque Regni, providentia Regis cum Baronum ſuorum conſilio utiliter tractatum eſt. Statuta vero Concilii, ſicut ab his qui interfuerunt veraciter annotata ſunt, volo hic referre, ut poſteri diſcant, quales in Normania leges fuerunt ſub Guillelmo Rege.

*Big. Illebonam

*Lillebonam

CANONES.

I.

PAx Dei, quæ vulgo * Trevia dicitur, ſicut ipſe Princeps Guillelmus eam initio conſtituerat, firmiter teneatur, & per ſingulas * Parochias dictis excommunicationibus renovetur. Qui vero ſervare contempſerint, vel aliquatenus fregerint, Epiſcopi, ſecundum quod prius ſtatutum eſt, eos judicando juſtitiam faciant. Si quis vero Epiſcopo ſuo inobediens fuerit, Domino in cujus terra habitat Epiſcopus hoc demonſtret, & ille ſubdat eum Epiſcopali juſtitiæ. Quod ſi & Dominus facere contempſerit, Regis Vice-Comes per Epiſcopum inde requiſitus omni remota excuſatione faciat.

*Big. Treugam.

*Big. Eccleſiam. C. Prat. eam.

II.

De his qui de parentela ſua uxores tenent, vel uxo-

(1) Hoc eſt, *epiſcopium*. H. (2) Forte, *epiſcopio*. H. (3) Forte, *conſenſerint*. H.
(4) Forte, *& ſeptem*. H.

ANNO CHRISTI 1080.

uxores parentum ſuorum, Epiſcopi canonicam juſtitiam exequantur. Rex enim inde nullum ſuſtinet vel tuetur: ſed potius Epiſcopos adjuvando admonet, ut lex Dei firmiter teneatur.

III.

Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & omnes Canonici & Decani, nullam omnino feminam habeant. Quod ſi aliquis poſt, eandem culpam viſus fuerit incurriſſe, ſi per miniſtros Epiſcopi inde * prior fuerit accuſatus, in curia Epiſcopi ſe purgabit: ſi vero Parochianorum vel Dominorum ſuorum aliquis eum prius accuſaverit, habeat accuſatus inducias, ut cum Epiſcopo poſſit loqui: & ſi ſe purgare voluerit, in eadem Parochia cui ſervit, præſentibus Parochianis pluribus ante Epiſcopi miniſtros, & eorum judicio ſe purgabit: ſi vero purgare ſe non potuerit, Eccleſiam perdet irrecuperabiliter. Hoc prædictus Rex ſtatuit, non perenniter Epiſcopis ſuis auferendo debitam juſtitiam; ſed quia Epiſcopi eo tempore minus quam convenirent, inde fecerant, donec ipſe eorum videns emendationem eis redderet pro bene facto, quod tunc de manu eorum temporaliter tulerat pro commiſſo.

* al. prius.

IV.

Nullus laicus in redditibus altaris, vel in ſepultura, vel in tertia parte decimæ aliquid habeat; nec pecuniam * per eorum venditionem aliquatenus habeat, nec Presbyter * inde ſervitium faciat, niſi legationem Domini ſui portet. Ita ut * in eadem die ad ſervitium Eccleſiæ revertatur, & ad orationes (per Normaniam ſolummodo) victum Domini ſui habens, ſi Dominus voluerit, ſecum vadat; ſervitium Eccleſiæ Presbyter interim curet.

Protell. * pro horum venditione vel donatione. * al. interim. * al. Presbyter.

V.

Presbyteri ab Epiſcopis vel ab eorum miniſtris præter juſtos redditus Epiſcopi vi vel minis dare nihil cogantur. Propter eorum feminas nulla pecuniæ emendatio exigatur.

VI.

Archidiaconi per Archidiaconatus ſuos ſemel in anno presbyterorum ſuffraganeorum ſuorum veſtimenta, & calices, & libros videant: deſignatis ab Epiſcopo in unoquoque Archidiaconatu ſolummodo tribus locis, ubi vicini Presbyteri ad hæc monſtranda convocentur.

VII.

Quando Archidiaconus ad hæc videnda venerit, a Presbyteris qui conveniunt triduo (ſi expedit) victum habeat ſibi quinto.

VIII.

Si Presbyter foriſfacturam fecerit de foreſtis Regis, vel Baronum ejus, nullam inde emendationem habebit Epiſcopus.

IX.

Presbyteri ſemel in anno circa Pentecoſten cum proceſſionibus ſuis ad matrem Eccleſiam veniant; & de ſingulis domibus ceræ * denarata, vel idem valens ad illuminandam Eccleſiam altari offeratur. Quod qui facere noluerit, a Presbytero ſuo per miniſterium ſuum cogatur hoc ſolvere ſine emendatione pecuniæ.

* al. denariata. al denariatio.

X.

Laicus Presbyterum non det vel adimat Eccleſiæ, niſi ex conſenſu Prælatis. Quem tamen, ſi recipiendus eſt, Epiſcopus non repellat; & ſi repellendus eſt, non retineat.

XI.

In Cimiteriis Eccleſiarum quæ in civitatibus, vel in caſtellis vel burgis ſunt, quidquid Epiſcopi tempore Rodberti Comitis vel Guillelmi Regis ejus conſenſu habuerunt, Epiſcopi rehabeant.

XII.

In Cimiteriis vero quæ in marchis ſunt, ſi * gerra fuerit, & aliqui ad habitandum ibi faciant manſionem, dum gerra durabit, & ipſi propter gerram in atrio manſerint, nullam foriſfacturam ab eis Epiſcopus habebit, niſi quam habuiſſet antequam ad atrium confugiſſent. Cum autem pax facta fuerit, qui propter guerram illuc confugerant de atrio exire cogantur, aut Epiſcopalibus legibus ſupponantur: qui vero in prædictis Cimiteriis antiquitus manſerunt, in antiqua quietudine permaneant.

* prae Wenal

XIII.

Eccleſiæ villarum (a) quantum Cimiterii tempore Rodberti Comitis * habuerunt, vel quantum uſque ad illud ſuprascriptum Concilium habuerunt, tantum habeant; & in eis illas conſuetudines habeant Epiſcopi, quas tempore Rodberti Comitis, vel Guillelmi Regis * ejus conſenſu habuerunt, niſi Epiſcopi concedente Rege Guillelmo aliquam quietudinem fecerint.

Big. vel ad der. * vel Guillelmi Regis. * al. eorum.

XIV.

Si poſt Concilium aliqua nova fit Eccleſia intra villam, faciat Epiſcopus Cimiterium conſideratione domorum & parochianorum ejuſdem Eccleſiæ: Si vero extra villam nova fit Eccleſia, undique habebit quinque perticas Cimiterii.

XV.

Si Monachis donatur Eccleſia, Presbyter qui eandem tenet Eccleſiam, honorifice teneat quidquid de eadem Eccleſia habuit, antequam Monachi eam haberent, & tanto melius quanto ſanctioribus aſſociatur hominibus. Eo autem mortuo, vel aliquatenus deficiente, Abbas idoneum Presbyterum querat, & Epiſcopo eum vel per ſe, vel per nuntium ſuum oſtendat. Quem, ſi recipiendus eſt, Epiſcopus recipiat: Si vero Presbyter cum Monachis religioſe vivere voluerit, videat ut Eccleſia quam Epiſcopali licentia intravit honeſte tractetur, tam in veſtimentis quam in libris & cæteris Eccleſiæ ſerviendæ neceſſariis, ſecundum ejuſdem Eccleſiæ facultatem. Quod ſi Presbyter cum Monachis vivere noluerit, tantum det ei Abbas de bonis Eccleſiæ, unde & bene vivere, & Eccleſiæ ſervitium convenienter valeat Presbyter adimplere. Quod ſi Abbas facere noluerit, ab Epiſcopo convenienter cogatur ut faciat: Presbyter vero Epiſcopo ſuo juſte ſubditus ſit, & Epiſcopales redditus perſolvat. Quæ vero ſupersabundant, in uſus Monaſterii ſui Abbas habeat. Hoc idem in Eccleſiis Canonicorum obſervetur.

XVI.

Violatio Eccleſiæ & atrii, ſicut ſuperius determinatum eſt, & commiſſa pro quibus divinum officium remanet, Epiſcopis per pecuniam emendetur. Aſſultus in itinere Eccleſiæ ſimiliter.

XVII.

Si quis iratus perſequitur alium in atrium vel Eccleſiam, ſimiliter.

XVIII.

Si laicus arat vel ædificat in atrio ſine licentia Pontificali, ſimiliter.

XIX.

Si Clericus raptum fecerit, vel furtum, vel aliquem percuſſerit, aut vulneraverit, aut occiderit; ſi duellum ſine licentia Epiſcopi ſuſceperit, aut damnum ceperit, aut aſſultum fecerit, aut aliquid injuſte faiſierit, aut incendium fecerit, aut manupaſtus ejus, aut habitator atrii, ſimiliter Epiſcopis per pecuniam emendetur.

XX.

Si Clericus adulterium fecerit, aut inceſtum, ſimiliter.

ANNO CHRISTI 1080.

XXI.

Si Presbyter de ministerio suo forisfecerit, similiter.

XXII.

Presbyteri, qui ad Synodum venire neglexerint, similiter

XXIII.

Big. vid. & Prat circa-tom. Et qui Synodum & * circadam statutis terminis non reddiderit, similiter.

XXIV.

Si Clericus coronam suam dimiserit, similiter.

XXV.

Si Monachus vel Monacha, qui sunt sine regula, habitum suum dimiserint, similiter.

XXVI.

Si Presbyteri, præter treviæ infractores sine licentia Episcopi excommunicaverint, similiter.

XXVII.

Si erraticum habere (*b*) (quod vulgo dicitur Weridif) (*c*) in curiam Sacerdotis, vel Clerici, qui in atrio manent venerit, vel in eleemosinam ejusdem Ecclesiæ, vel in atrium Episcopi erit.

XXVIII.

Si quid per contentionem in domo Presbyteri, vel Clerici, vel in atrio, Sacerdoti, vel Clerico, vel eorum manupasto relictum fuerit; Episcopi erit.

XXIX.

Si quis Presbyterum vel Monachum, aut Monacham assaillierit, aut percusserit, ceperit, aut occiderit, aut domos eorum in atrio incenderit, similiter emendabit.

XXX.

Siquid in Ecclesia vel in atrio inveniatur, vel relinquatur, Episcopi erit.

XXXI.

Si quis adulterium vel incestum fecerit, vel cum matrina, vel cum matre, vel filiola coierit, similiter.

XXXII.

Si mulier hoc idem fecerit, similiter.

XXXIII.

Si quis uxorem suam, vel si qua mulier virum suum sine judicio Præsulis reliquerit, similiter.

XXXIV.

Qui mortuos consulunt, vel maleficia tractant, similiter.

XXXV.

Qui intentum sibi crimen inficians vel negans, ferri judicio convincitur, (excepta Trevia Dei) similiter

XXXVI.

Qui justitiæ resistens excommunicari se patitur, similiter.

XXXVII.

Parochianorum crimina ad Episcopum pertinentia, ubi consuetudo fuit, Episcoporum judicio examinentur.

XXXVIII.

* Big. c. jurisdictionis. Trat. & Big. Si contradictio * judicationis facta fuerit, ante Episcopum diffiniatur.

XXXIX.

* apud. Si ferri judicium fuerit judicatum * ante matrem Ecclesiam terminetur.

XL.

Si plana lex erit faciendæ, ibi fiat ubi placitum prius fuit.

XLI.

In Parochia Episcopi sine licentia ejus nullus audeat prædicare.

XLII.

Qui in prædictas culpas inciderit, si sponte ad pœnitentiam venerit, pœnitentia ei pro qualitate criminis injungatur, & pecunia nullatenus exigatur

ANNO CHRISTI 1080.

XLIII.

Si laicus raptum in atrio fecerit, Episcopo emendabit: si vero alibi fecerit, quocumque modo faciat, Episcopus nihil habebit.

XLIV.

Has consuetudines habeant Episcopi in illis locis, in quibus eas tempore Rodberti Comitis, vel Guillelmi Regis ejus concessione hactenus habuerunt. Quæ vero quieta fuerunt, eam quietudinem habeant, quam huc usque solide tenuerunt. In his omnibus justitiis & consuetudinibus Rex sibi retinet quod hoc usque habuit

XLV.

Si Presbyter Domini sui judicio contradixerit de Ecclesiastica causa, & eum in Curia Episcopi eundo injuste fatigare fecerit, Domino suo decem solidos emendabit.

XLVI.

Si Episcopi aliquid quod non sit hic scriptum in Regis Curia monstrare possunt se habuisse tempore Rodberti Comitis, vel Guillelmi Regis ejus concessione, Rex eis non tollit quin habeant: tantummodo illud nullatenus saisiscant, donec in Curia ejus monstrent quod habere debeant. Similiter laicis propter hoc scriptum Rex nihil tollit quod in Curia ejus monstrare possint Episcopos non debere habere. tantummodo Episcopos inde non dissaisiscant, donec in curia Regis monstratum sit quod Episcopi inde habere non debeant.

De hoc concilio præter Ordericum vide Robertum Montensem pag. 727 *Matt. Paris ad ann.* 1021. *ex recentioribus Joannem Morin de pœnitentia pag.* 793. *Dadræum pag.* 155. *Molinæum pag.* 222.

NOTÆ.

(*a*) In hoc & in sequenti canone villarum nomine non urbes mœnibus cinctas, sed complurium in agris mansionum vel ædium collectionem intelligi ex eo adversus Godinum liquet, quod villarum ecclesias distinguant ab ecclesiis civitatum, de quibus Can. XI. tum quod de ruralium ecclesiarum cimiteriis statuendum erat, postquam de cæteris omnibus can. XI. & XII. fuerat statutum.

(*b*) *Habere* hic nomen est, non verbum, & intelligitur de animalibus erraticis extra possessoris locum, vulgo *avoirs*.

(*c*) MS. sancti Michaelis habet *weirdit*.

(*d*) Vid. sup. not. ad Synodale decretum de Trevia Dei.

NOTÆ D. ANGELI GODIN.

(*Sicut ipse princeps Guillelmus eam in principio constituerat*, &c.) Quænam illa sit constitutio incompertum est hactenus. De facto quippe pacis observationis ratione nihil ex legibus nostris, nihil ex vetustiori consuetudinario (ut vocant) nihil ex Scacariis certi assequi possumus. Si quis vero conjecturæ ea in re locus est, eam quadamtenus colligere licet ex Anglorum legibus a faustæ memoriæ Eduardo Rege traditis, & a Guillelmo Conquestore ejus in regno successore itidem Normannorum Principe innovatis; quarum alioquin cum Normannorum moribus maxima erat tum affinitas, ex iis præcipue quæ de diebus Treviæ Dei & Regis sactis collegit Rogerius *de Hoveden* in Annalibus in Henrico II. hac verborum serie. *Ab Adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ pax Dei & Ecclesiæ per omne Regnum. Similiter a septuagesima usque ad octavam Pascha. Item ab Ascensione Domini usque ad octavas Pentecostes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus sabbathis ab hora nona usque ad diem Lunæ. Item vigiliis S. Mariæ, Michaelis, Joannis Baptistæ, omnium sanctorum Apostolorum, & Sanctorum quorum solemnitates a Sacerdotibus Dominicis annuntiantur diebus, & omnium Sanctorum in Kalendis Novembris, semper ab hora nona vigiliarum in subsequentem solemnitatem, item in Parochiis Ecclesiarum ubi propria festivitas* Can. 1. Annal. par. 2.

ANNO CHRISTI 1080.

vitas ſimili celebratur; ſimiliter in Parochiis in quibus dedicationis dies obſervatur, & ſi quiſquam devote ad celebrationem veniat ſimili pacem habeat eundo, ſubſtendo, redeundo. Item omnibus Chriſtianis ad Eccleſiam cauſa orationis euntibus pax in eundo & redeundo ſit eis. Similiter ad dedicationem, ad Synodos, ad Capitula venientibus, ſive ſubmonita ſint, ſive per ſe quid agendum habuerint, ſit pax ſumma: etiamſi excommunicatus aliquis abſolvendi cauſa ad Epiſcopum confugerit: abſolutus eundo & redeundo pacem Dei, & ſanctæ Eccleſiæ habeat. Quod ſi aliquis ei fortaſſeris Epiſcopus inde juſtitiam habeat. Verumtamen ſi quis arrogans pro Epiſcopi juſtitia emendare noluerit, Epiſcopus Regi notam faciat. Rex autem conſtringet malefactorem ut emendet cui forisfacturam fecerit, ſcilicet primum Epiſcopo, deinde Regi, & ſic erunt ibi duo gladii & gladius gladium juvabit. Hinc animadvertas poteſtatis utriuſque Regiæ ſcilicet & Sacerdotalis conſenſionem, ſi non in extirpando penitus nefando illo bellorum privatorum uſu, in reprimendo ſaltem per inducias quæ aliquot dies otioſos a cædibus, ſacratoſque religiouis præ extu redderent, atque ita paulatim abolerentur cædes & rapinæ quæ ubique haſtenus paſſim ac impune graſſatæ erant.

(*Dicit excommunicationibus renovetur.*) Secundum quod in Concilio Narbonenſi, Synodo Helenenſi & aliis aliorum Provinciarum conventibus longe ante fuerat ſtatutum, ut a liminibus ſanctæ Matris eccleſiæ extorres haberentur Trevim Dei infractores, niſi infra præfinitum ab Epiſcopo tempus reſipuerent. At poſtea a Conciliis Arvernenſi & Trecenſi ſub Urbano II. & Lateranenſi œcumenico ſub Alexandro III. confirmatum fuit.

(*Epiſcopi ſecundum quod prius ſtatutum eſt juſtitiam faciant.*) In eo conſenſerunt omnium fere gentium leges, tum veteres tum recentiores, ut violatæ pacis cognitio penes Epiſcopos remaneret. Diverſa autem fuit cujuſque regionis procedendi ratio, ut ex eorum legibus & Conciliis colligitur: in munnullis ſiquidem Galliæ Narbonenſis regionibus delata apud Epiſcopos & Comites infractæ pacis expoſtulatione, ab Epiſcopo quidem anathemate plectebantur: ad reſarciendum vero damnum parti læſæ illarum a Comite & Baronibus compellebantur. Qui ſi forte tegniter in perſequendo armis raptore operam ſuam navarent, excommunicationibus & interdictis ad officium quo ſe obſtrinxerant adigebantur: multa autem partim Epiſcopo & Comiti, partim læſo cedere ſolebat. Quod quidem non nihil habet cum antiquis Normanis moribus affinitatis, vel in hoc maxime quod loci Toparchæ reum Epiſcopali ſubdere tribunali munus incumberet, aut certe eo renuente, Regio Vicecomiti id muneris inſtante prius Epiſcopo delegabatur, qui in reum pro culpæ gravitate animadverteret, ut ex ſubjectis Concilii noſtri verbis liquet.

Inſigne ea de re extat fragmentum in veteri Rotomagenſis Eccleſiæ Chartulario ex Diplomate Stephani Bononienſis primum Comitis ac demum Anglorum Regis & Normanorum Ducis, unde leges circa Treviæ Dei infractores tum temporis uſu receptas deprehendere licebat: in iis ſtatuit Stephanus juxta Henrici avunculi ſui editum jam antea Decretum, *Ut ſi quis in Trevia Domini occiſorem in duello probare voluiſſet, duellum illud in curia Regis eſſet: & ſi occiſor ille convictus fuiſſet, Epiſcopus in cujus Diœceſi Treviam Dei infregerit, emendam ſuam, id eſt, 9. libras de rebus convicti juſtitia Regis cogente primum haberet: ſi vero res convicti non ſufficerent ad ſatiſfaciendas 9. libras quidquid ibi minus fuiſſet totum illud Epiſcopus haberet. & de rebus convicti nihil ad opus Regis acciperetur, donec prius totam emendam ſuam habuiſſet Epiſcopus. Si vero quis deeſſet occiſorem in Trevia Dei duello probare, tunc ille occiſor per miniſtros Eccleſiæ vocatus, aperta lege judicii aut aquæ, aut ignis ſeſe purgaret, & ſi convinceretur, ibi de Epiſcoporum emenda quod ſuperius ſcriptum eſt in juſtitia Regis cogente fieret. Si autem infractor timore Dei juſtitiam ſubire noluiſſet, ſimili modo emendam ſuam haberet Epiſcopus, cogente juſtitia Regis. Et ſi occiſor qui fugiſſet poſtea pacem cum Rege feciſſet, pro pace Regis non tolleretur Epiſcopo emenda ſua, ſed redderet eam Epiſcopo, vel ſatisfaceret de ea cum eo.* Hæc ex litteris Stephani, unde deſumpta videntur antiquioris Conſuetudinarii Normaniæ ea de re edita decreta.

Leg. 34. § 5. tit. 47. § 1. tit. 52. §. 2. tit. 53. §. 2. & alib.

(*Regis Vicecomes* &c.) Vicecomes huic ſæculo dicitur qui in Provincia ſeu Satrapia, aut Comitatu Satrapæ aut Comitis vices gerit: idem prorſus qui in Conciliis ſæpe & in antiquis legibus, Wiligothorum præſertim, Vicarius vocatur, in Normanorum utique Vicecomes, ut a Duce ſuo, quem ævo illo Comitem æquivoce appellabant, diſcernerent. Nec multum a Graphione diſcrepat qui a Saxonibus Greve, a Teutonibus Grave ſeu Gravius, quæ voces Judicem deſignant nuncupatur, cujus frequens apud Legem Salicam (a) mentio, & in actis Synodi Francon habitæ anno 772. Et alius antiquis ſcriptoribus apud Voſſium (b) Henricum Spelmam (c) in glottario, porro Vicecomes de quo hic incidit mentio baillivis noſtris ſeu præpoſitis haud abſimilis fuit, hunc ad regendam urbem vice (ſua aut Toparchiam ſeu Comitatum Rex aut Comes delegare conſueverat Judicem, qui in foro Comitis Prætoris inſtar judicia exerceret, pacem publicam curaret, ac populi partes tamquam Tribunus tueretur, miſtrem etiam evocaret, educeret, luſtraret, aliique poteſtatis inſignibus præfulgeret. Ejus originem inde repetunt quod cum Comites a primæva ſui inſtitutione ad regendas urbes aliquas vel territoria e Comitatu Principis ejus arbitrio Judices conſtituti, in ſuis Provinciis civilem juſtitiam legum pariter & armorum terrore adminiſtrarent, quorum munus erat vim & injuriam prohibere, latrocinia comprimere, pacem promovere, jura Principis & vectigalia curare, colligere & fiſco inferre: Non tamen perpetui tunc erant magiſtratus, ſed vel ad certum tempus (ut Romani illi apud Caſſiodorum, per indictionem) vel ad placitum Regis locum obtinentes, Gregorio Turonenſi teſte: proceſſu vero temporis Comitivæ illæ apud Gallos imprimis ſub exceſſu Merovingicæ ſtirpis, torpente jam ſplendore Regio a potentioribus partim occupatæ ac hereditario titulo vindicatæ; Partim fidem familiarum perfecta, ex temporaneis dumtaxat adminiſtrationibus in feuda perpetua tranlierunt, maxime ſub Hugone Capeto, qui ut adeptum noviter Regnum novis beneficus ſtabiliret, præcipuas Regni Toparchias in feudium magnatibus ſuis permiſit ſuſcepta ab eis clientelaris obſequii profeſſione. Unde contigit ut Comites aſſertis ſibi hereditario jure Satrapiis ſuis Vicecomites ſibi ſubrogarint, qui pari quo antea ipſi jure Imperatorum aut Regum vice Provincias adminiſtrarunt, non jam ut Regum aut Imperatorum Judices, ſed ut proprii Gomitum Vicarii populis ubi ſubjectis jus dicerent. Non autem rogati, ut poſteriorum uſus obtinuit, ſed militari amictu, ſeu breviori (quod ajunt) toga Magiſtratus munia ſua obirent. Et hoc ad annos uſque 1600. & 1604. quibus peculiaribus Normaniæ Senatus decretis ſancitum, ne quis deinceps niſi togenſi habitu indutus ad Vicecomitis munus obeundum reciperetur. De ejus officio vide Conſuetudinarium vetus Normaniæ cap. 5.

(*Qui de parentela ſua uxores teneant*, &c.) *Add Can.* 2. Infra ſeptimum nempe cognationis gradum pro more eorum temporum, hos Eccleſiaſticæ juriſdictioni obnoxios fore decernit Concilium, juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam. Etenim ad judiciarium Epiſcoporum poteſtatem jure divino conceſſam, ab Apoſtolis ſtabilitam, & a Chriſtianis principibus confirmatam, ſpectat de rebus Eccleſiaſticis ferre judicium.

(*Canonicam juſtitiam exequantur.*) Hoc eſt anathemati ſupponant: nuſquam enim mitius cum iis actum eſſe conſtat, qui inceſtis nuptiis polluuntur, quam excommunicatione, qua plectuntur a Concilio Agathenſi (d), Illerdenſi (e), Toletano, (f) & aliis.

d C. 61. e C. 3. f C. 9

(*Nullus laicus in redditibus altaris*, &c.) *Add Can.* 4. Quo eandem jure oblationes altaris laicorum hominum uſibus cederent, *quas nec laicis contingere fas eſt*, ut loquitur Concilium Aquiſgranenſe ſub Patchali I. ſed Clericorum juris eſſe pronuntiant divina oracula, ac SS. Patrum & ſacrorum Canonum authoritas Eccleſiæ. Unde ex Concilii Aurelianenſis primi præſcripto: *Oblationum quæ in altario offeruntur in civitatibus medietatem ſibi vendicet Epiſcopus; alteram Clerus acciplt, prædii interim in Epiſcoporum poteſtate manentibus:* quoad Parrochiales vero Eccleſias tertia dumtaxat Epiſcopo defertur, licet alioquin cujuſque loci conſuetudini ſtandum eſſe velit Concilium Aurelianenſe tertium, quam multiplicem pro diverſis Eccleſiarum moribus extitiſſe produnt varii Conciliorum Canones. Huic Decreto cauſam præbuiſſe arbitror pravum qui jam inde a multis ſæculis paſſim invaluerat morem, cujus meminit Concilium Bracarenſe (g) II. quod etiam innuit Toletanum (h) IV. quidam enim ſub religionis obtentu Eccleſias inſtituebant quæſtus gratia, ut quidquid in eis de oblationibus colligebatur, medium cum Clericis dividerent. Idipſum in Normaniam laicorum, maxime nobilium cupiditas invexerat, cui extirpando impenſe admodum adlaboraſſe Guillelmum Northum gratulatur Gregorius VII. Hugoni Dienſi & collegæ ejus ſcribens.

Lib. 9. e. 36. lib. 9. e 34. lib. 8. e. 1

Can.

lib. 2. e. 30 e. 24. & 1

g C. 6. h 32.

(*Niſi legationem Domini ſui portet.*) Hoc eſt, mandatum exequatur, quod nec quidem antiquis Canonibus probatur, qui ſacros altaris miniſtros ſæcularium hominum obſequio mancipari minime patiuntur: ideo Concilium Meldenſe ita ſtatuit: *Nemo laicorum Presbyteros Eccleſiarum ſuarum turpi vilicationi, & ſecundum Apoſtolum ſeculari & inhoneſtæ negotiationi implicare, nec ſecum aliorſum contra auctoritatem præſumat ducere, quo miniſterium ſibi commiſſum cogantur negligere.*

Regiſtr. 9 Epiſt. 3.

c. 44

De verbor. ſignif. l. 2. c. verbo Grafio.

rt. Idem fere Concilium Arelatenſe apud Barcharium. Vide Concilium Rotomagenſe ſub Guillelmo Bona-anima, infra Canone 5.

ANNO CHRISTI 1080.

(*Orationes per Normaniam.*) Divina Officia intelligo juxta uſum Provinciæ ac cujuſque Eccleſiæ ritum ſolita celebrari, niſi pro Rege & Regis exercitu & regno ſtatutæ preces publicæ fundarentur, quemadmodum ab Epiſcopis ſancitas prodit Sirmondus (i) tom. 2. Concil. Galliæ.

(*Præter juſtas redditas.*) *Ad Can.* 5. Huic Decreto ſuffragantur Concilium (k) Cabilonenſe ſub Carolo magno, Synodus Romana ſub Eugenio II. (l) & Leone IV. Romana item ſub Gregorio VII. (m) ad annum 1078.

(*Propter eorum feminas nulla pecuniæ emendatio exigatur.*) *Ad Can.* 6. Tantum flagitium ipſos Eccleſiæ Paſtores olim Patronos nactum ingemiſcit Nicolaus de Clemangis Archidiaconus Bajocenſis ita loquens: *Jam illud obſecro quale eſt quod in pleriſque Diœceſibus Rectores Parochianorum ex certo & conducto cum ſuis Prælatis pretio paſſim & publice concubinas tenent:* ac in primis Archidiaconos eo turpitudinis lapſos conqueritur auctor Commentarii in Apocalypſin, qui ſub divi Ambroſii nomine olim circumferebatur, ut Clerici adulteria & alia qualibet crimina ab eis facile redimerent pretio, aut obſequio, immo ad ſuam uſque ætatem ingenti Eccleſiæ probro graſſatam peſtem illam teſtis eſt Claudius Eſpencæus.

(*A Presbyteris &c. Triduo ſi expedit Habeat.*) *Ad Can.* 7. Codex manuſcriptus Pratellenſis & Bigotinianus habent (*Sibi quinto*) & quidem recte. Unde forte manavit Concilii Lateranenſis III. ſub Alexandro III. decretum, veturas viſitantibus Prælatis tum majoribus, tum minoribus conſtituens, ita ut Archiepiſcopi (ſecundum tolerantiam loquitur Concilium) quadraginta aut ad ſummum quinquaginta; Epiſcopi 20. aut 30. Archidiaconi 5. aut 7. numerum non excedant veturarum, juxta antiquas Toletanorum Patrum ſanctiones.

(*Foriſfacturam fecerit.*) *Ad Can.* 8. Alias forfacturam. Foriſfactura peregrina vox & obſoleta, a foro derivata, ævi hujus ſcriptoribus familiaris, Anſelmo Cantuarienſi, Yvoni Carnutenſi, Matthæo Pariſienſi in Chronico, & aliis paſſim. Hæc porro crimen, delictum, tranſgreſſionem, vel injuriam ſignificat; unde Galli *forfaiture* ex foriſfactura deduxerunt; nonnunquam pro mulcta accipitur, ut in legibus S. Eduardi Anglorum Regis. *Juſtitia* (hoc eſt juſtitiarius) *faciat denarium S. Petri reddere, & foriſfacturam Epiſcopi & Regis.* Vide *Spelman* in Gloſſario, verbo *foriſfactura*.

(*Ceræ denerata.*) *Ad Can.* 9 Seu *denarata*, ex *denariata* factum aptius, ut habet codex Mi. Pratellenſis, Bigotianus *denariatio ceræ*. Porro *denarata* ſeu *denariata* generis feminini, pretium eſt rei quæ *denario* æſtimatur, puta mercis, redditus ac terræ, ut tradit Sirmondus Notis ad edictum Piſtenſe. & ex Charta Beſuenſi, *denerata cera*. Et ex Charta ingenuitatis qua Aſalra famula eſt facta ingenua in tabulario S. Vitoni, *Ut annis ſingulis unum deneratum de cera perſolvat*. Et in teſtamento Bertharii ibidem. *Perſolvunt duas deneratas de cera ad altare S. Vitoni*, hoc eſt, perſolvant in cera duos denarios. Nonnunquam in genere maſculino enuntiatur, ut a Carolo Calvo in edicto Piſtenſi, *qui panem coctum per denaratos, aut vinum per ſextaria venadunt* &c. Vide *Spelman* in Gloſſario, verbo *denariatus*, qui ſingulis vocis hujus notionibus exempla ſubjicit, tum pecuniæ, tum redditui annuo, tum etiam prædiis ſignificandis adaptat. Vide etiam Jacobum Sirmundum Notis ad Gofridum Vindocinenſem.

(*Altari offeratur.*) Hinc proculdubio ſacri Cathedralium ædium veſtigalis origo, quod etiamnum vulgo *debitum* appellatur.

(*Laicus presbyterum non det, vel admittat Eccleſiæ* &c.) *Ad Can.* 10. Ad Epiſcopum dumtaxat Presbyteros Eccleſiis præficere jure communi antiquo ſpectat: nec laicis uſquam, ſeclufo privilegio, Clericos inſtituere licuit.

(*Vel Caſtellis.*) *Ad Can.* 11. Caſtellorum nomine veniunt nedum propugnacula, ſed & vici ſive ruſticanæ domus clauſæ mœnibus, quibus Eccleſiæ & Cœmeterii jus competit pro degentium frequentia. Interdum Caſtellum villam ſignificat & pagum, more ſacrarum literarum, ut Matthæi 9. 1. *Ite in Caſtellum quod contra vos eſt.* Ubi enim latina Vulgata vertit in Caſtellum, Græce legit, κατὰ πόλιν, in Pagum aut in Vicum juxta Syriacam Perſicam & Græcam interpretationem, πόλις quippe dicitur tam pro oppido quam pro villa, ut docet Henricus *Spelman* in Gloſſario. In eam ſententiam accepiſſe videtur Concilium, Eccleſiaſticorum ſcriptorum more: niſi forte quis velit de amplioribus Caſtris & arcibus intelligi, in quibus & Eccleſiæ & Cœmeteria pro incolarum frequentia olim attributa ſunt, ut in munitiſſimo Cadomenſi Caſtro, in quo Parochialis Eccleſia ac ædes ſacræ aliquot ædificatæ ſunt; de anguſtioribus namque accipi vetat Canon: *Si qui forte.* 9. 4. *quis invenatus.*

Ab exordio naſcentis Eccleſiæ iiſdem ferme privilegiis aucta ſunt cimiteria quibus Eccleſiæ: eo quod in ea SS. Martyrum & fidelium corpora humanda inferrentur, vetuſtiores Epiſcopi Synodos congregarent, Conventus & Synaxes agerent Chriſtiani: denique primis illis temporibus erant quæ nunc ſunt templa & orationum loca: inde Cœmeterium pro oratorio apud Caſſiodorum. Cum autem frequentes conventus ſtatis diebus inibi fierent, infidelium in eos uſque adeo conflavit invidiam, ut Imperatoriis legibus ſæpe vetitum fuerit Cœmeteria frequentare, ne illis in unum conveniendi facultas foret, aliorum licet viciſſim ediſcis alias conceſſum fuerit.

Miſc. Trip. l. 5. c. 3.

Quæ cum ita ſint, Cœmeteriis & Eccleſiarum atriis eum decuit haberi deinceps honorem; ut ab eis omnis omnino ſæcularis poteſtas eliminaretur; unde Yvo Carnotenſis Cœmeterii cujuſdam conſecrationi, agente Rotroco Moritonii Comite, in uſum Monachorum Tyronenſium aſſenſum præbuit, ea dumtaxat lege ut nulla ibi de cetero ſæcularis poteſtas aliquas acciperet conſuetudines, nullas exactiones extorqueret. Quod ſubinde Concilii Romani ſub Gregorio VII. Canone ſancitum legitur. *Nullus laicus vel Vicarius in Eccleſia vel Cœmeterio aliquam poteſtatem exerceat, vel aliquem diſtringat, aut capiat, aut furtum ibi regulet, ſed ſota ea ita in ſua juriſdictione penes Epiſcopum & Eccleſiam manere decernit.* Sed & utroque antiquior Joannes VIII. Epiſtola *ad Adalardum* Turonenſem Archiepiſcopum in gratiam Eccleſiæ Turonenſis Cœmeterium cum manſionibus ſine perſonali & civili munere exigendo, niſi divino ſolummodo in Eccleſiaſticis rebus obſequio, juxta antiquorum Canonum autoritatem plane liberam fore ſancivit. Quod ad hæc uſque tempora quoad temporalem juriſdictionem in pleriſque Eccleſiis Cathedralibus religioſe obſervatur. Hujus argumenti plura vide Decretalium lib. 3. tit. 49. cap. *Cum in domibus*, &c.

Epiſt. 219.

Epiſt. 41. in vet. temporis. c. 10. Tom. 3. Conc. Gall.

(*In Cimiteriis vero quæ in marchis ſunt.*) *Ad Can.* 12. Marcha idem eſt quod Gallis noſtris *Frontiere*, atque etiamnum quaſdam regiones Marchas dicimus. Marcham autem a margine dici latina voce nonnullis placet, quaſi ſit rei finis: a Germanica *Mark* melius alii derivant, id eſt, limes ſeu termini alicujus ſignum, vel nota. Ceterum cum Marcha proprie limitem ab initio denotaret, a vocabulo *Merken*, ut placet Voſſio, id eſt, ſignare; quia lapides pro termino poſiti ſignabantur, latius ſubinde uturpata fuit ad ſignificandam totam aliquam ditionem, aut Provinciam, qua Regnum vel Imperium terminatur; qua ratione dicimus Marcham Lemovicenſem, Itali Marcham Anconitanam aut Trevisanam; Germani Marcham Brandeburgenſem, Badenſem, Styriæ, vel Moraviæ, & alias hujuſmodi.

(*In atrio monſerint*, &c.) Hic atrium pro Cœmeterio accipitur, ut apud Gratianum. *Nulla ædificia in atrio Eccleſiæ ponantur, ſed tantum Clericorum.* ubi glolſa; *Hoc eſt* (inquit) *in Cœmeterio*. Huc uſque Godinus.

q. 1. c. 4

A Canone 16. ad 36 pro variis exceſſibus, qui, vel ratione ſacri loci, vel ob clericalem perſonæ ſtatum, vel ob ipſam criminis ſpeciem, juriſdictionis erant epiſcopalis, ſtatuuntur emendæ ipſis Epiſcopis perſolvendæ. In ſequentibus capitibus decem, de variis agitur eccleſiaſticæ juriſdictionis capitibus: illudque omne Anſtitorum tribunali ſiſtendum ſtatuitur, quod, tum ſub Guillelmo ipſo Rege, tum ſub deceſſore illius Roberto eccleſiaſticæ juriſdictioni ſubjectum fuiſſe conſtiterit.

ELE-

De ſtrupris Eccleſ. ſtatu. §. Mihi 22. C. 18. In Epiſt. ad Titum c. 2.

Epiſt. ad Henric. Regem Anglorum. C. 10.

Edict. Piſt. tit. 30. capitul.

lib. 3. Epiſt. 10.

ANNO CHRISTI 1080.

ANNO CHRISTI 1080.

ELECTIO WALTERII EPISCOPI CABILONENSIS ANNO CHRISTI MLXXX.

AUctor noſtræ redemptionis unigenitus altiſſimi patris ſui, nimirum ante totius ævi principium, cœternus & conſubſtantialis, cum jam plenitudine temporis adveniente de cœlorum ſupernis deſcendens hominem induiſſet in terris, ſervata in aſſumpto homine majeſtate divinitatis: expletis tandem omnibus, quæ de ipſius ſuſcepta temporaliter humanitate nobiliſſimi antiquæ legis præcones veridicis prædixerunt vaticiniis, protinus ſacroſanctæ ſtatus eccleſiæ cœpit ubique terrarum innovari ſaluberrimis apoſtolorum doctrinis, imo magnitudine virtutum, & excellentia ſignorum, quæ per eos mirum in modum operabantur divinæ gratiæ diſpenſatione. Quorum videlicet ſonus juxta vaticinantis præſagium regis in omnem terram eſt diffuſus, fines quoque orbis terræ verba eorum penetraſſe profitetur omnis Chriſti fidelium cœtus. Hos itaque ſummos & electos cœleſtis ſe-
* Lege, ſe- natores aulæ eveſtigio * ſæculi inſignes rectores
cutis. H. eccleſiæ, qui ob ducatum recti itineris ad ſuperni palatium regis merito habiti ſunt digni pontificum inſigniri cognomine. Ita nimirum prælibatam eccleſiam ſibi a paſtorum commiſſam paſtore, verbo decorare pariter & exemplo ſtuduerunt, ut licet ſummi pontificis reverendo eſſent ſublimati culmine, ſibi tamen ſubditis eligerent prodeſſe potius quam præeſſe, æquiſſima eos regentes cenſura, & diſcreto moderamine. Verum ſi quando contra pravos ſubditorum mores zelus exigebat rectitudinis moveri illos quolibet fervore diſtrictionis; ita in mentibus illorum virtus cuſtodiebatur manſuetudinis cum terrore ſeveritatis, ut & iram manſuetudo condiret diſcretionis, & eandem manſuetudinem, ne forte diſſolveretur, idem zelus accenderet diſcretionis. Hos igitur tam reverendæ vitæ patres tanquam admirabiles cæleſtis diſciplinæ cenſores, nos humiles filii ſacroſanctæ matris eccleſiæ Cabilonenſis imitari potiſſimum cupientes, ob id maxime quoniam eadem noſtræ ſedis cathedra jam dudum proprio paſtore viduata, multa & innumera a mundanis poteſtatibus patitur ad præſens inſeſtationum probra, communi aſſenſu & pari voto eligimus quendam ejuſdem eccleſiæ olim clericum & archidiaconum, nomine Walterium ad culmen pontificii præfatæ ſedis Chriſto Domino propitiante regendum. Cujus juriſdictioni & jugo ſui regiminis nos noſtrumque locum tradimus diſponendum, ſecundum canonum, & inconvulſum totius eccleſiæ privilegium. Eſt quippe, uti in promptu habetur, generoſi ſtemmatis propago ortus, peritia non modo ſacrarum literarum, verum & mundanarum induſtria legum admodum eruditus; jejuniis, vigiliis, & orationibus, & cunctis miſericordiæ operibus inſignitus; probiſſima morum honeſtate præclarus, omnium virtutum matre diſcretione pulcherrime redimitus; luculentiſſimi etiam eloquii, & apprime diſertus. Quantum quoque humanæ fragilitas conditionis admittit, omni bonitate manet conſpicuus. Igitur ad culmen pro tot & tantis cœleſtium chariſmatum donis ſibi ſuperno munere collatis, Spiritus ſancti cooperante gratia, eligitur ad culmen officii paſtoralis, non ſolum a nobis prælibatæ eccleſiæ filiis; verum etiam a diverſæ conditionis plebe cohabitante intra & extra noſtræ munia urbis. Quam proſequitur etiam innumera populi multitudo adjacentium regionum diverſæ & ætatis. Qui omnes pariter intimis præcordiorum affectibus, & multiplicibus eſflagitant votis, ipſius noſtri electi perſonam, Jeſu annuente Domino, ſublimari infula pontificali Cabilonicæ ſedis. Plerique etiam illuſtres & prænobiles eccleſiarum Dei rectores exiſtunt quoque legitimi fautores iſtius noſtræ electionis: videlicet domnus Gibuinus archipræſul eximius ſacroſanctæ cathedræ Lugdunenſis, domnus etiam Agano Antiſtes venerandus eccleſiæ Æduenſis, una cum reverendis cœtibus utrorumque regimini Chriſti Domini gratia commiſſis. Religioſus etiam præſul domnus Landricus eccleſiæ Matiſcenſis, cum reverenda concione ejuſdem cleri annuit & faciet multiplici favore in laude ipſius canonicæ noſtræ electionis, ſperans in Dei miſericordia, ſibi ſuæque matri eccleſiæ ſubvenire in celebratione talis tantæque ordinationis. His ſiquidem eximius jam fatis pontificibus annectuntur illuſtres cœnobiorum patres, huic profecto & electioni * vobis faventes
* Lege, ve- omnibus, inter quos nimirum extat domnus Hu-
ſtis. H. go ſacri cœnobii Cluniacenſis abbas revera celebertimi, ſimulque venerandus loci Trenorchienſis rector domnus Petrus, præſidens quoque abbatiæ B. Petri Cabilonicæ urbis domnus Rainardus, una cum reverendis fratrum utrorumque locorum concionibus ſub monaſticæ tyrocinio diſciplinæ in Chriſti nomine militantibus. Qui omnes proculdubio toto anniſu mentis idonei exiſtunt auctores, & legitimi corroboratores iſtius electionis. * S. Gausle-
* Hoc eſt, S. goen. H. ni, matris noſtræ eccleſiæ decani. S. Almadrici Lingonenſis decani. S. Goiſelmi archidiaconi. S. Hugonis Portenſis. S. Ingelberti. S. Gaufredi. S. Landrici archipresbyteri. S. Guillermi. S. Petri. S. Caroli. S. Bernardi. S. Roberti. S. Lamberti. S. Hugonis. S. Letaldi, & alterius Letaldi archipresbyterorum. S. W. Ternenſis, & matris ejus Adelaidis. S. Walterii Neblenſis. S. Dalmatii de Giniaco. S. Bernardi de Porta. S. Gothſeranni & Idmari fratris ejus. S. Duranni archipresbyteri. S. Ademari. S. Roberti. S. Lothaldi. Acta eſt hæc eccleſiaſtica & generalis electio anno incarnati unigeniti verbi MLXXX. præſidente divina diſpoſitione Romanæ ſedi excellentiſſimo papa Gregorio, ſceptra quoque moderante regni nobiliſſimo regum Philippo, conſulatu Cabilonicæ urbis tunc temporis manente abſque terreno principe.

CONCILIUM LINGONENSE EODEM ANNO MLXXX.

SUnt qui eodem præſide Hugone Dienſi epiſcopo celebratum aſſerunt Lingonenſe concilium adverſus inveſtituras laicorum. Verum ut jam alias docui in ſynopſi hiſtorica non meminit illius

ANNO CHRISTI 1080.

noſter Hugo Flaviniacenſis abbas auctor ſynchronus atque Hugonis Dienſis itinerum metator, atque omnium prope peſſimum ſedulus inveſtigator.

In chartis additis chronico Benenſi abbatiæ O. B. in diœceſi Lingonenſi tomo I. ſpicilegii veterum ſcriptorum R. P. Lucæ Dacherii Benedictini ſit quidem mentio Lingonenſis ſynodi, ſed dioeceſanæ duntaxat anno 1080. indict. III. ſub Raynardo ejuſdem urbis epiſcopo.

ANNO CHRISTI 1080.

CONCILIUM SANTONENSE

EODEM ANNO MLXXX.

IN ſynodo Santonenſi anno MLXXX. celebrata monaſterium Squitis ſive Regulæ ad Garumnam fluvium in diœceſi Vaſatenſi provinciæ Novempopulaniæ conſtituerunt jam olim cœnobium, & S. Abbonis S. Benedicti Floriacenſis ad Liger im abbatis ſanguine anno 1004. conſperſum, ac voluti dedicatum, Floriacenſibus monachis eſt adjudicatum adverſus Raymundum epiſcopum Vaſatenſem, qui de eo contendebat. Subſcripſerunt, ut conſtat ex tabulis Regulenſibus.

Amarus Elloreníis epiſcopus S. R. E. legatus qui præſidebat.

Juſcelinus archiepiſcopus Burdegalenſis.
Garmundus archiep. Viennenſis.
Ademarus epiſcopus Engoliſmenſis.
Hugo epiſc. Dienſis item S. R. E. legatus.
Richardus archiepiſc. Bituricenſis.
Rodulfus archiepiſc. Turonenſis.
Hugo epiſcopus Lingonenſis.
Raymundus epiſc. Vaſatenſis.
Odo abbas Angeriacenſis.
Draco (ſeu Droco aut Drogo) A. Malleacenſis.
Irenæus abbas S. Stephani Pedaviæ.
Ademarus abbas Lemovicenſis.
Arnaldus Treucardus abbas S. Crucis.

Ejuſdem quoque concilii, ut videtur, fit mentio apud Innocentium III. qui teſtatur in Santonenſi ſynodo pro Turonenſi eccleſia contra Dolenſem fuiſſe pronuntiatum. *Documentum, quo cellam S. Petri de Regula Monachis Floriacenſibus adjudicavit Concilium Santonenſe, hoc eſt, editum a Martene in Theſauro Anecdot. tom. 4. p. 115.*

Quomodo querimonia quam nobis Vaſatenſis epiſcopus RAYMUNDUS fecerat de monaſterio quod dicitur Regula ſopita ſit atque finita. Cum enim eccleſia ſancti Benedicti Floriacenſis per ſpatium ſexaginta annorum præfatum monaſterium ſine querela tenuiſſet, præfatus Vaſatenſis, quo animo ductus, neſcimus, querimoniam contra nos de prædicto monaſterio facere cœpit. Unde pro hac cauſa in concilio Santonenſi, coram legatis apoſtolicæ ſedis, domno videlicet AMATO, qui ſynodo præerat; & domno HUGONE Dienſi epiſcopo, præſente Vaſatenſe epiſcopo, nos * ſatisfacturos eorum judicio præſentavimus. Cum vero chartas donationis oſtendere juberemur, lecta eſt in conſpectu omnium charta veritate & antiquitate ſuſcipienda; quæ teſtabatur monaſterium Regulæ, *Squirs* antiquis temporibus nominatum, juris S. Benedicti ante illam donationem etiam extitiſſe; & ab eis perſonis a quibus illa traditio, & transfuſionis confirmatio fiebat, magis eſſe redditum quam donatum. Judicantibus ergo epiſcopis, & archiepiſcopis, per veriorem & meliorem ſcripturam, ſi quidem hic epiſcopus calumniator poſſet, chartam noſtram tam veracem, & veterem infirmare deberet. Nec bonam nec malam, nullamque penitus teſtimonium potuit ad auxilium ſuum, noſtrumque impedimentum inducere. Sicque veritatis, juſtitiæ, & teſtimoniorum noſtrorum pondere ſuperatus, prædictis legatis juſtitiam viriliter exequentibus, archiepiſcopis, epiſcopis, hoc canonice judicantibus, abbatibus, & cæteris religioſis viris unanimiter judicium collaudantibus, ſupradictus calumniator epiſcopus vanitate querelæ depoſita, ac in æternum finita, nobiſcum plenam pacem, & concordiam, Deo miſerante, pepigit. Et ut hæc charta firma, & inconvulſa permaneat, ſubter firmaverunt eam ipſi qui circumſedebant patres, cum vicario. Signum AMATI vicarii Romanæ urbis, † ſignum JOSCELINI archiepiſcopi Burdegalenſis, † ſignum GARMUNDI archiepiſcopi Viennenſis, † ſignum ADEMARI epiſcopi Engoliſmenſis, † ſignum HUGONIS epiſcopi Dienſis, & item vicarii, † ſignum RICHARDI archiepiſcopi Bituricenſis, † ſignum RODULPHI archiepiſcopi Turonenſis, † ſignum HUGONIS epiſcopi Lingonenſis, † ſignum RAYMUNDI epiſcopi Vaſatenſis, † ſignum ODONIS abbatis Angeriacenſis, † ſignum DROGONIS abbatis Malliacenſis, † ſignum ITERII ſancti STEPHANI Baniæ abbatis, † ſignum ADEMARI abbatis Lemovicenſis, † ſignum ARNALDI TRENCARDI abbatis ſanctæ Crucis. † * Actum eſt hoc anno Domini MLXXX. regnante PHILIPPO rege, † ſignum GUILLELMI abbatis, cujus inſtinctu ſupradicta eſt ſopita calumnia. Datum per manum LAMBERTI cancellarii vicarii HUGONIS, ſexto Idus Januarii, Santonas.

* Regula Monachi.

* Burdigalenſis.

AD XANTONIENSE CONCILIUM

In cauſa Epiſcopatuum Britanniæ minoris ab Apoſtolicæ ſedis Legatis tempore Gregorii papæ.

ANNO 1080. CELEBRATUM.

ADDITIO.

Ex Suppl. Mauſ. T. II pag. 00. Ex ms. codice ad rem. Britannicam ſpectante.

SUb Gregorio VII. pontifice quemadmodum & ſub aliis ante ipſum Romanis pontificibus agitata lis eſt de jure metropolitico in epiſcopatus Britanniæ minoris inter Dolenſes, & Turonenſes. Gregorius dilceptantes inter ſe partes audivit in concilio quodam Romano anni forte

1076

1076. vel mensis 1077. quos cum componere nequiret, nec de statu quæstionis decidere posset, (cum Dolensis quosdam apud se documenta habere diceret, quæ Romam minime detulisset), legatum suum eo misit ad rem illam decidendam Hugonem Diensem. Constat id ex literis ejusdem Gregorii die VIII. Id. Martias indictione III. id est anno 1080. datis, legendis lib. IV. epist. XV. Conventum est igitur ad concilium Xantoniense, in quo diligenter omnibus discussis a legatis apostolicis sententia pro Turonensibus lata est. Concilium istud Labbeum quidem non fugit; at sententiam ibi latam pro Turonensibus ex Bulla Innoc. III. repetendam omisit, quam hic suppleo ex eadem bulla Innoc. III. pro Turonensi jure asserendo, legenda in anecdotis Martene to. III. p. 948.

ANNO CHRISTI 1080.

Tandem vero cum utraque partium super hoc coram felicis recordationis Gregorio VII. papa prædecessore nostro diutius litigasset; idem Gregorius post longam discussionem in Romana synodo, utraque parte præsente, & causa non sine multo labore discussa, contra Dolensem ecclesiam sententiam promulgavit, ut nisi forte Britanni a subjectione ejusdem ecclesiæ se possent authentica sedis apostolicæ auctoritate tueri, Turonensem ecclesiam matrem suam, & metropolim recognascerent, & eam, quam decet metropolitanum, subjectionem, & obedientiam Turonensi archiepiscopo exhiberent, usu pallei ..... tunc Dolensi episcopo reservato; sic tamen, ut nullus successorum ejus ad dignitatem hujusmodi aspiraret; sed tam ipsi, quam cæteri episcopi Britanniæ sub Turonensis archiepiscopi magisterio perpetuo permanerent. Ad quod melius cognoscendum, idem Gregorius legatos sedis apostolicæ in Provinciam destinavit, qui congregato concilio Xantonis, auditis propositis, cum Dolensis ecclesia nullum ad suæ defensionis præsidium apostolicæ sedis previlegium induxisset; sed quasdam literas potius sub nomine Adriani papæ confectas, quas P. clericus Dolensis Antistitis, ipso audiente & tacente, in regesto Romanæ ecclesiæ .... se meruisse fuerat reperisse, & quas idem antistes falsatas esse in verficulo, in quo de datione pallei fiebat mentio, recognovit: quod Gregorius sub conditione statuerat, pure curaverunt & simpliciter definire, scilicet ut tam idem Dolensis, quam cæteri episcopi Britanniæ perpetuam deinceps subjectionem, & obedientiam exhiberent archiepiscopo Turonensi; quod prædictus Dolensis in manu dicti Gregorii papæ post datum judicium promiserat se facturum. Quamvis autem prædictorum Joannis, Leonis, Gregorii, & legatorum ejus pars eadem authentica non haberet, ea tamen authentica esse, per bonæ memoriæ Urbani II. authenticum demonstravit

ANNO CHRISTI 1080

Hoc vero concilium ex anno 1080. cui alligatum huc usque fuit, ad sequentis 1081. Januarium mensem transferre oportet. Cum enim Gregorii VII. literæ; quibus commisisse se hanc causam episcopatuum Britanniæ Legatis suis discutiendam significat, martio mense anni 1080 signatæ sint; & concilium, ut ex documento a Veneto Labbei editore producto, Januario mense convenerit; id utique nonniti de Januario sequentis anni accipi potest.

CONCILIUM MELDENSE

Quo sanctus Arnulphus creatus est episcopus Suessionensis anno Domini MLXXX. tempore Gregorii Papæ VII.

AUctoritate ejusdem sancti Hugonis sedis apostolicæ legati, teste Sigeberto, habita est in Galliis ista synodus Meldensis, in qua Ursione Suessionensi episcopo amoto subrogatus est Arnulphus vir sanctissimus ex monasterio sancti Medardi vocatus. Electionem ejus divinitus factam fuisse testatur Lisiardus in vita Arnulphi apud Surium tom. 4. die 15. Augusti.

ADDITIO PHILIPPI LABBE S. J

Præter Sigebertum in chronico & quosdam alios, qui ejusdem Meldensis synodi meminerunt, non omittendum opinor epistolam 34. libri IX. Gregorii papæ VII. supra relatam ubi perhibetur excommunicatus in eadem synodo ep. Tarvanensis Lambertus. Errant quippe qui ad altetam an. 1082. coactam referunt. Nec omittendum S. Arnulphum, qui præfecturam sive abbatiam gesserat cœnobii S Medardi, consecratum fuisse die 18. Decembris, ut habetur cap. 1. lib. II. vitæ illius a Liziardo conscriptæ.

CONCILIUM BURGENSE,

In quo Romani sacrorum ritus imperati, & alia ad disciplinam ecclesiasticam spectantia, anno Domini MLXXX.

Ex Labbei Append. om. x.

JOannes Mariana histor. Hispan. lib. IX. cap. XI. Missa, inquit, abs Rege (*Alfonso*) Romam legatione, enixe Pontificem postulante, uti rei ecclesiasticæ, in quam vitio temporum, hominum culpa, depravati mores incubuerant, constituendæ, novisque institutis componendæ causa, legatus in Hispaniam cum amplissimis mandatis & potestate mitteretur. Missus a Gregorio VII. Pontif. Max. Ricardus Massilienſis abbas, anno

* Vide notas ostras

hujus sæculi septuagesimo * sexto, Burgis in citeriore Hispania concilium episcoporum agitavit. In quo, regiæ voluntati morem gerens, in omni regno ejus Romanum ministerium confirmavit. Sic Pelagius Ovetensis loquitur, * ut ego interpretor. Leges ecclesiæ veteres in mores revocatæ: ac præsertim, quod in Germania non absque motu factitatum erat, uxores sacerdotibus detractæ, quas, prisci moris obliti, & voluptatum illecebris superati, plerique habere consueverant. Quæ res sanctissimo pontifici invidiam peperit, usque eo ut conviciis & contumeliis probrosisque carminibus passim ejus nomen proscin-

* Eadem ac hoc loco confule.

de

ANNO CHRISTI 1080.

derent. Adeo grave eſt aſſueta relinquere, & veteres mores nova cenſura mutare. Præterea Aragoniæ exemplo, precandi ritus ex Romano more ſanciti: priſca Gotthorum inſtituta rebus Divinis procurandis, propitiando nomine antiquata.

ANNO CHRISTI 1080.

NOTÆ G. COSS.

Ricardus monachus S. Victoris Maſſilienſis, presbyter cardinalis ab Alexandro II. creatus, a Gregorio VII. in Hiſpaniam legatus mittitur anno MLXXVIII. ut ſcribit Gregorius ipſe epiſtola 21. lib. v. Abbas Maſſilienſis conſtituitur anno MLXXIX. in locum Bernardi fratris, cardinalis: ut ex ejuſdem epiſtola 7. lib. VII. diſcimus. Qui ſtare igitur poteſt, quod ait Mariana, miſſum in Hiſpaniam a Pontifice Ricardum abbatem Maſſilienſem anno MLXXVI? Altera in Hiſpaniam legatione functum eundem eſſe anno MLXXIX. docet epiſtola 6. libri VII. qua hortatur Alfonſum regem Gregorius, ut illam, qua de hic agitur, ſacrorum mutationem inſtituat: ex quo apparet, non ante annum illum MLXXIX. Burgenſe hac de re concilium a Ricardo habitum eſſe. Quando igitur celebratum dicemus? Si Pelagium Ouetenſem conſulimus, augetur difficultas. Æram enim ille MCXXIII. aſſignat, quæ cum anno Chriſti MLXXXV. congruit. At ſerius profecto, cum anno MLXXX. ſcribat Gregorius epiſtolam tertiam libri VIII. cujus ipſo initio ſignificat id perfectum eſſe. Anno igitur MLXXX. habitam hanc ſynodum crediderim: atque apud Pelagium Ovetenſem, errorem in numeros, librarii vitio, irrepſiſſe: ſcripſum nimirum, MCXXIII. pro MCXVIII. qui annus æra Hiſpaniæ, reſpondet anno Chriſti MLXXX. Mariana vero qui annum Chriſti aſſignat MLXXVI. legebat ſine dubio, æra MCXIV.

Romanum myſterium hic eſſe confirmatum ſcribit Pelagius: Romanos ſcilicet ritus myſteriorum, officiorumque Divinorum: atque hanc loquendi formam, ne temere factum putemus, auctor ſermone barbarus bis uſurpat. Mariana miniſterium reponit. In quo rurſum ab eo diſſentio.

Quidquid egerit concilio ſuo Ricardus, etiam aſſentiente & annuente rege, obtinere non potuit, ut omnino Gotthicus ritus abrogaretur. Id vero poſtea perfectum in Legionenſi concilio, anno MXCI. quod quidem ad Caſtellanum regnum attinet. Nam de Aragonia vide concilia Hiſpanica anno MLXVIII. Tomo IX.

Hic obſerva Catteſlarum regnum vocari a Mariana Hiſpaniam citeriorem. Scilicet homini Hiſpano Toleti commoranti citerior erat, iſque liberum, Hiſpaniæ pars illa. Ego vero ad annum illum MLXVIII. Aragoniam vocavi, citeriorem Hiſpaniam, Romanos ſecutus, quibus, uti & nobis, pars iſta propior, & citra Iberum eſt.

Burgenſe Ricardi concilium non agnoſcit Rodericus Toletanus, immo vix aſſeruit in Hiſpanias miſſum, cum addit cœpiſſe irregularius ſe habere. Vidit Philippus Labbe noſter, in hoc Marianam cum Roderico non conſentire. Præfert autem Rodericum, utpote trecentis & eo amplius annis antiquiorem: ego vero Marianam, quippe conſentientem cum Pelagio Ovetenſi, qui annis ferme ducentis Roderico eſt vetuſtior.

☞ CONCILIUM APUD LILLEBONAM

ANNO MLXXX. CELEBRATUM

In quo confirmata conſuetudines antiquæ Normannorum, & juſtitiæ.

Mortene collect. vet. Script. & Mon. p. 776.

I. HÆc eſt juſtitia quam rex Willelmus, qui regnum Angliæ acquiſivit habuit in Normanniæ & hic ſcripta eſt, ſicut Robertus comes Normanniæ, & Willelmus rex Angliæ, filii ejus & hæredes prædicti Regis fecerunt recordari & ſcribi per Epiſcopos & Barones ſuos eadem die XV. Kal. Auguſti. Et hæc eſt juſtitia Domini Normanniæ quod in curia ſua, vel eundo ad curiam vel redeundo de curia nullus homo gardam habuit de inimico ſuo: & ſi aliquis de inimico ſuo in via curiæ vel in curia forisfecerit, ita quod ipſe ſciret, quod ille cui malum fecit ad curiam iret vel inde rediret. Si probatus inde fuerit & Dominus Normanniæ habuit ſuam pecuniam & corpus ejus ad ſuam juſtitiam faciendam & terram ſuam perdidit, ita quod nec ipſe nec aliquis de parentibus ſuis eam clamare potuit. Et ſi defendere potuerit quod ſcienter hoc non feciſſet per pecuniam, fuit in miſericordia Domini Normanniæ ſine perditione terræ.

II. Et in via exercitus, & in exercitu, & octo diebus ante motum determinati exercitus, & octo diebus poſt exercitum, ſi aliquis forisfecerit: habuit inde Dominus Normanniæ eamdem juſtitiam quam de forisfacto curiæ ſuæ nec infra præſcriptos terminos exercitus alicui licuit rammum capere, & ſi cœpit per pecuniam emendabit in miſericordia Domini Normanniæ. Et ſi in exercitu vel in curia, vel in via curiæ vel exercitus misfata evenerit, quæ pro præcedenti ita facta non fuerit, & in ea vulneratus vel occiſus aliquis fuerit; ille, cujus culpa hoc factum eſt, ſecundum menſuram forisfacti emendabit.

III. Nulli licuit in Normannia foſſatum facere in planam terram, niſi tale quod de fundo potuiſſet terram jactare ſuperius ſine ſcabello Et ibi nulli licuit facere palicium niſi in una regula, & id ſine propugnaculis & alatoriis. Et in rupe & in inſula nulli licuit facere fortitudinem, & nulli licuit in Normannia caſtellum facere.

IV. Et nulli licuit in Normannia pro calumnia terræ domum vel molendinum ardere, vel aliquam vaſtationem facere, vel prædam capere.

V. Nulli licuit in Normannia fortitudinem caſtelli ſui vetare Domino Normanniæ. Et ſi ipſe eam in manum ſuam voluerit habere. Et ſi Dominus Normanniæ filium vel fratrem vel nepotem baronis ſui qui non eſſet miles voluit habere obſidem de portanda fide, nullus ſibi contradicere potuit.

VI. Nulli licuit in Normannia in foreſtis ipſius Domini hominem aſſalire, vel inſidias ponere.

VII. Nulli licuit inimicum quærendo, vel rammum capiendo, vexillum vel loricam portare, vel cornu ſonare, neque cemballum mittere poſtquam inſidiæ remanerent, neque hominem damnare de membris ſuis ſine judicio, niſi in tali actu & forisfacto inventus eſt, pro quo membrum perdere debuiſſet, & ibidem perdidiſſet, & niſi per judicium curiæ baronum de hoc quod ad barones pertinet.

VIII. Nulli licet in Normannia haufare facere, vel incendium vel raptum mulieris vel rammum capere, quin fieret inde clamor apud eum, qui clamorem inde habere debuit. Et ſi hæc facta fuerint, Dominus Normanniæ habuit, inde quod habere debuit in illis locis, in quibus habere debuit, & barones inde habuerunt quod ad eos pertinuit in illis locis in quibus habere debuerant.

IX. Nulli licuit in Normannia mercatorem diſturbare pro aliquo anteriori forisfacto. Et ſi aliquis fecit de corpore ſuo fuit in miſericordia Domini Normanniæ.

X. Nulli licuit in Normannia monetam facere ex-

extra monetarias domos Rothomagenſes & Bajocenſes; & illam mediam argenti & ad juſtum penſum ſcilicet VIII. ſolidorum in helmare. Et ſi aliquis alibi fecerit monetam, vel ibi fecerit monetam falſam de corpore ſuo fuit in miſericordia Domini Normanniæ. Et ſi aliquis extra prædictas domos facere monetam vel in prædictis domibus fecit facere falſam, terram ſuam & pecuniam forisfecit.

ANNO CHRISTI 1080.

IX. Hæc autem quæ ſuperius ſcripta ſunt; quia magis neceſſaria ſunt. Remanet autem multum extra hoc ſcriptum de juſtitia monetæ, & reliquis juſtitiis Normanniæ, ſed propter hoc quod non ſcribitur, ut prædictus comes Robertus & Willelmus de juſtitia, quam pater eorum habuit, neque barones de hoc quod habuerunt tempore regis Willelmi. Nulli licuit pro guerra hominem capere vel redimere, nec de bello vel conflictu pecuniam portare, vel arma vel equum ducere.

ANNO CHRISTI 1080.

ANNO CHRISTI 1081.

CONCILIUM ROMANUM VIII.

ANNO CHRISTI 1081.

In cauſa Henrici Regis, & epiſcoporum quorumdam celebratum anno Domini MLXXXI. *tempore Gregorii papæ VII.*

Ex regiſt. epiſt. Gregor. VII.

ANno ab Incarnatione Domini milleſimo octuageſimo primo, pontificatus vero Gregorii ſeptimi anno octavo nondum exacto, præſidente eodem apoſtolico celebrata eſt ſynodus Romæ in baſilica ejuſdem Salvatoris & redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, in qua inter cætera ſententiam depoſitionis archiepiſcoporum Arelatenſis & Narbonenſis atque excommunicationis per legatos apoſtolicæ ſedis promulgatam dominus papa, his qui aderant collaudantibus, firmavit.

Henricum quoque dictum regem, & omnes fautores ejus, qui in præterita excommunicatione animum induraverunt, iterum excommunicavit.

Anathematizavit item Ildimundum & Landum Campaninos tyrannos, omneſque adjutores eorum.

Præterea ſuſpendit ab officio quoſdam epiſcopos, qui ad concilium invitati neque ipſi neque nuntii eorum pro ipſis venerunt.

CONCILIUM ROMANUM
Habitum anno MLXXXI.

Ex Baluzii Miſcell. tom. 7 p. 69.

ANno Gregorii VII. Papæ nono, IV. Nonas Maii, convenientibus ſimul Epiſcopis, Cardinalibus, Abbatibus, Archipresbyteris, ut diſcerent utrum bona Eccleſiarum poſſent poni in pignore pro pecunia colligenda ad reſiſtendum Guiberto Archiepiſcopo Ravennati Romanam ſedem invadere conanti, quæſitis auctoritatibus exemplisque ſanctorum, unanimiter laudaverunt ſacras res Eccleſiarum, nullatenus in militia ſæculari exponendas, niſi in alimonia pauperum, in ſancto uſu rerum divinarum, & in redemptione captivorum. Ita quippe ſub procuratione Joſeph fuerant immunia a tributo prædia ſacerdotum, nec exponebatur aut mittebatur in corbonam pretium ſanguinis, nec Heliodorus raptor ſacrarum rerum ſub Onia Pontifice fuit impunitus. Quibus actis interfuerunt Johannes Epiſcopus Portuenſis, Joannes Epiſcopus Tuſculanenſis, Umbertus Epiſcopus Prænestinus, Brunus Epiſcopus Segninus, Beno Cardinalis ſancti Martini, Ber..... Cardinalis Grytogoni, Benedictus Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, Cono Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, Azo Cardinalis ſancti Marci, Romanus Cardinalis ſanctæ Suſannæ, Bonus ſenior Cardinalis ſanctæ Mariæ, Maurus Abbas ſanctæ Sabbæ, Laurentius Cantor, Petrus Archipresbyter de porta Latina, Johannes Archipresbyter de ſancto Sebaſtiano, Johannes Archipresbyter de ſancta Cæcilia, ... Archipresbyter Salvatoris, & alii plures.

CONCILIUM EXOLDUNENSE,
SIVE EXILIDUNENSE IN BITURIGIBUS

Præſidibus Hugone Dienſi epiſcopo & Amato Burdegalenſi archiepiſcopo S. R. E. legatis celebratum anno 1081. XV. Kal. Aprilis.

NOn ambigo quin ſub finem hujuſce XI. æræ Chriſtianæ ſæculi & ſub initia ſequentis XII. duo vel etiam plura apud Exoldunum Biturigum Cuborum non incelebre oppidum celebrata fuerint concilia. Cæteris tamen eminet quod hocce anno Chriſti 1081. *caſtrum fuit XV. Kalendas Aprilis ut docet chronicon Senonenſis abbatiæ S. Petri Vivi, Annum vero aperte deſignat chronologia Autiſſiodorenſis Roberti monachi ſancti Mariani ordinis Præmonſtratenſis edita a Nicolao Camuzatio anno* 1608. *his verbis pag.* 77. B.

Anno Domini 1080. magnus terræ motus cum gravi terræ mugitu factus & VI. Kal. Aprilis prima hora noctis ſequenti anno apud Exoldunum caſtrum, quod eſt in Bituria ſitum, celebratum eſt concilium: *ſed quod in eo actum ſit non Concil. General.* Tom. XX. *declarat: nonnulla docebunt chartularium Majoris monaſterii, tum epiſtolæ Urbani papæ II. & Ivonis Carnotenſis epiſcopi.*

Diploma e Majoris monaſterii prope Turonenſem civitatem celeberrimi membranis deſcriptum, ex quo conſtat eccleſiam S. Martini de Briva haud longe a mœnibus Avarici Biturigum metropoleos ædificatum monachis illius abbatiæ fuiſſe conceſſam.

Ex pag. XVII. Tomi VI. ſpicilegii veterum ſcriptorum R. P. D. Lucæ Dacherii O. B.

QUoniam ad hoc ſanctæ eccleſiæ paſtores curam ſuſcipiunt, ut provida diſpenſatione tam animarum quam corporum ſolicitudinem gerant,

ANNO CHRISTI 1082.

rant, & in diſpenſandis rebus eccleſiaſticis diſcreta moderatione invigilent; oportet ut taliter in diſtribuendo ſe ſolertes exhibeant, ut ne per exterorum incuriam pax interior perturbetur.

Quod ego Richardus ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus diligenti conſideratione providens, conſenſu clericorum meorum, & omnium filiorum ejuſdem eccleſiæ, divinæ miſerationis reſpectu trado fratribus Majoris monaſterii, ſcilicet monaſterio ſancti Martini, eccleſiam S. Martini de Campis, olim de Briva appellatam, juxta muros urbis Bituricæ conſtitutam, cum his omnibus quæ ad eandem eccleſiam pertinent; quorum partem ipſe, Deo miſerante, per auctoritatem officii noſtri laicis qui ea rapina longo tempore detinuerant, eripui: de aliis omnibus quæ adhuc laicali vel clericali etſam violentia auferuntur, quando, ſeu per merita prædictorum religioſorum fratrum, ſeu alio quocumque modo eidem eccleſiæ reſtituentur, prædicto monaſterio eandem conceſſionem faciens; reſervata tamen illa humilitatis obedientia, quam circa matrem eccleſiam Bituricenſem ab omnibus cæteris communiter competit exhiberi. Hoc, quamvis non neceſſitate, tamen propter firmamentum cauſæ, & pacem fratrum, quibus aliquod inde ſcandalum poterat aboriri, efficientes, ut tam Herbertus, Gimo, & Sarlo & Petrus cum filiis & uxoribus ſuis qui bona eccleſiæ violenter tenuerant, concederent & laudarent. Hoc autem firmavimus, & in concilio Exolduno a domno Hugone Dienſi epiſcopo, apoſtolicæ ſedis vicario, & cæteris omnibus firmari rogavimus.

Hugo Romanæ eccleſiæ legatus.
Amatus Ellerenſis epiſcopus.
Richardus Bituricenſis archiepiſcopus.
Richerius Senonenſis archiepiſcopus.
Rodulphus Turonenſis archiep.
Gauſcelinus Burdegalenſis archiep.
Hagano Eduenſis epiſcopus.
Rotbertus Autiſiodorenſis epiſcopus.
Rotgerius Catalaunenſis epiſc.
Guido Belvacenſis epiſcopus.
Rainerius Aurelianenſis epiſcopus.
Durandus Arvernorum epiſcopus.
Wido Lemovicenſis epiſcopus.
Hugo Nivernenſis epiſcopus.
Helinardus Laudunenſis epiſcopus.
Ratbodus Noviomagenſis epiſc.
Gauffredus Pariſiacenſis epiſc.

Hæc ſunt nomina canonicorum S. Stephani, qui hanc chartam firmaverunt.

Odo decanus.
Hunbaldus archidiaconus.
Arraldus archidiaconus.
Rotgerius archidiaconus.
Iterius de Borbone.
Stephanus ſacerdos.
Bernardus archipresbyter.
Andreas archidiaconus.
Vivianus ſacerdos.
Araldus ſacerdos.

ANNO CHRISTI 1082.

Petrus. Gyraldus. Eldebrandus. Arnulphus. *Itemque* Arnulphus. Wibodus ſacerdos. Hunbaldus. Mainardus. Paganus. Conſtantius. Arnulphus. Guarnerius. Erardus.

Præmiſimus diploma, quod ex eo nota ſint eorum qui præfuerant, quique interfuerunt, antiſtitum nomina. Unius enim tantum præſidis meminit Urbani II. epiſtola quam refert Baronius in eccleſiaſticis ſuis annalibus ad annum 1096. *num.* 2. *in hæc verba.*

Urbanus epiſcopus, &c. Et quia filius noſter Amatus Burdegalenſis archiepiſcopus unus erat de legatis Romanæ eccleſiæ a Gregorio ſeptimo prædeceſſore noſtro in Galliam deſtinatus, non ab hac eccleſia proceſſionis ſolennitate ſuſceptus. Unde etiam graviter contra eoſdem clericos commotus in Exuldunenſi concilio eos excommunicatione perfoderat, eum in concordiam & pacem eorum reformavimus. Neque eos ad ullam ſatisfactionem, quia auctoritate pollente ſeſe muniverant, compulimus, neque qualibet pro tali exceſſu abſolutione purgandos cenſuimus. Denique quoniam in quibuſdam eccleſiæ privilegiis proprium eis habere epiſcopum conceſſum eſt, ejus vice nos Romano eos ſancimus ſpecialiter adhærere pontifici, & graviores eorum cauſas ejus pendere judicio, &c.

Nunc ad ſe vas vocat Ivo Carnotenſis epiſc. tum ep. 181. *ad Ricardum Albanenſium epiſcopum his verbis.*

Sed quia monachi ſancti Luciani (Bellovacenſis) rem quamvis ſuam abſque judicibus ab invaſoribus acceperunt, in concilio Exolidunenſi adjudicata eſt Vigeliacenſibus (Vezeliecenſibus) ſola veſtitura uſque ad tempus legitimæ diſcuſſionis, neque ulla finitiva ſententia ibi data eſt quæ monachis ſancti Luciani ſuam juſtitiam auferret, & monachis Vigiliacenſibus prædictam eccleſiam perpetuo habendam adjudicaret. Hujus negotii ordinem, utpote Belvacenſis, ita proceſſiſſe cognovi; & qui in Exolidunenſi concilio huic diſcuſſioni interfui, hæc ſi præſens eſſem, vera eſſe probare poſſem.

Tum etiam ep. 268. *ſcripta ad Walonem Belvacenſem, Willelmum Catalaunenſem alioſque duos epiſcopos, his verbis.*

Hæc enim cauſa præcepta domini Hugonis Dienſis epiſcopi, quondam ſedis apoſtolicæ legati in concilio Exoldunenſi me præſente & audiente cum quibuſdam aliis Carnotenſibus clericis præciſa eſt. Et ideo ſi in cauſa non eſſemus, cum cæteris epiſcopis canonice judicaremus, quæ ulterius repetenda non eſt. Quod autem dico, honeſtarum perſonarum teſtimonio comprobari poteſt, &c.

Vidi quoque qui in eamdem rem allegaret Ivonis ejuſdem epiſtolam 204. *Verum in ea nihil tale legiſſe me recordor.*

ANNO CHRISTI 1082.

CONVENTUS EPISCOPORUM, ET ABBATUM

Apud Oxellum in cauſa componendæ controverſiæ inter Guillelmum Archiep. & Gerbertum Fontanellæ Abbatem, coram Guillelmo Conquæſtore ann. 1082. Gregorii VII. Papæ 9. Indictione 5. Philippi Francorum Regis 22. Guillelmi Normannorum Ducis 47. Anglorum Regis 16.

Ex Beſſin Concil. Rotomag. pag

EX antiquiſſimo carnobii Fontanellenſis codice communicato. Factum anno 1082. *Indict.* 5. *Nonis Septembris apud Oxellum non longe ab urbe Rotomagenſi, juris olim Eccleſiæ Rotomagenſis, coram Guillelmo Au-*

ANNO CHRISTI 1082.

Anglorum Rege, plurimis Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque tum ſacri tum ſecularis ordinis Magnatibus, quæſtionem agitatam inter Guillelmum Archipræſulem & Gerbertum Fontanellæ Archimandritam, de libertate quatuor Eccleſiarum a Fontanellenſi cœnobio pendentium, quarum nomina in charta authentica recenſentur, partim conſenſu mutuo terminatam. Pro Abbatis jure judicatum eſt, eaque definitio Canonicorum Cathedralium conſenſu rata literis conſignata fuit: ex quibus conſtat occaſionem liti dediſſe quendam hujus cœnobii Monachum, qui ferrum judicii, quod ex antiquo jure ibidem erat, per ignorantiam & ex ſimplicitate, in alios uſus transformarat: cumque Abbas ferrum aliud ab Archiepiſcopo benedici poſtularet, & Archiepiſcopus dubitans utrum ex antiqua conſuetudine idem monaſterium ferrum haberet judicii, quod Abbas poſtulabat, denegaret. Tamdiu res indeterminata manſit, donec ad Regis præſentiam deferretur. Conſtat præterea dictas Eccleſias olim ab omni Epiſcoporum & Archidiaconorum jure & vexatione fuiſſe exemtas ea lege, quæ in authentico inſtrumento exprimitur, cujus apographum exhibemus, ut ſequitur.

In nomine S. & individuæ Trinitatis. Cum non ſit contra Apoſtolicam & canonicam auctoritatem plura monaſteria quadam ſpeciali dignitate eſſe abſoluta ab omnium Epiſcoporum vexatione, & Archidiaconorum gravatione; Fontanellæ Monaſterium in quatuor ſuis eccleſiis, ideſt, Caldebu, ſancta Gertrude, Reſentium, & S. Michaele, ex multis & ab antiquis temporibus, hanc ſemper tenuit & tenet abſolutionem, hoc tantum excepto quod unus ex Clericis in ſynodo debet ſedere, & Eccleſiaſticæ utilitatis inſtituta audire, & cæteris tribus ad obſervandum renuntiare; liber tamen ab omni interrogationis, & reſponſionis, vel emendationis quæſtione, excepto quod ſi idem Presbyter dixerit aut fecerit aliquid, quod pertinet ad dehonorationem Archiepiſcopi, Archiepiſcopus Abbatem conveniens commonebit, & Abbas ipſum presbyterum, ſecundum culpam Archiepiſcopo ſatisfacturum, ducet, aut mittet. Nam ſi quid in his quatuor Eccleſiis culpæ reperitur, ad Fontanellenſis Abbatis cenſuram pertinere jure antiquo probatur. De qua libertate, tempore Guillelmi Regis Anglorum, & Principis Normannorum quæſtio ex parte mota eſt inter Guillelmum Archiep. Rotomagenſem, & Gilbertum Abbatem Fontanellenſem hac occaſione, quia quidam Monachus præfati monaſterii ferrum judicii, quod ex antiquo jure in eodem monaſterio erat, per ignorantiam, & ex quadam ſimplicitate in alios uſus transformavit. Cumque abbas ferrum aliud ſupra nominato Archiepiſcopo ſibi benedici poſtularet, & Archiep. dubitans utrum ex antiqua conſuetudine idem monaſterium ferrum haberet judicii, quod abbas poſtulabat, denegaret; tamdiu res indeterminata permanſit, donec ad præſentiam prædicti regis deferretur, ubi abbate monſtrante monaſterium ſuum ex antiquis temporibus hujuſmodi ferrum habuiſſe, & in quatuor prædictarum Eccleſiarum parochiis, quarumlibet culparum cenſuram, & libertatem ab omni Archiepiſcopi & Archidiaconorum exactione quiete obtinuiſſe, tandem hoc modo, ipſa culpa ſecundum ſententiam præſidentis Regis & plurimorum Epiſcoporum, abbatum, & aliorum magnorum virorum, Clericalis & laici ordinis, inter utramque partem concorditer eſt determinata, ut Fontanellenſe monaſterium dignitatem libertatis & abſolutionis, quam inconcuſſam eatenus poſſederat, deinceps nullatenus ab ullo concutiendam in perpetuum quiete poſſideret, quæ determinatio Rotomagenſium Canonicorum S. Mariæ audientiæ relata, ipſorum conſenſu confirmata eſt. Et ne quis hujus juſtæ determinationis firmitatem per oblivionem aut ignorantiam, aut aliqua occaſione inquietare in futuro præſumeret, ex præcepto Regis & conſenſu omnium ibi præſentium, per præſentis ſcripturæ memoriam poſterorum notitiæ commendatur. Facta eſt autem hæc prædictæ cauſæ determinatio anno ab Incarnatione Domini 1082. Indict. 5. Non. Septembris in villa, quam Oxellum vocant, intra pratum, juxta domum Guillelmi ..... coram Rege, præſente Archiep. Guillelmo, & Abbate Girberto, teſtibus Epiſcopis Gisleberto Lexovienſi, Gisleberto Ebroenſi, Guillelmo Dunelmenſi de Anglia abbate, Guillelmo Fiſcanenſi, Guntardo Gimegienſi, Anſelmo Beccenſi, Gualtero de monte S. Trinitatis, Fulcone de S. Petro ſupra Divam, Clericis vero, Benedicto Rotomagenſi, Sanſone Bajocenſi, Gualacro filio Goteri, Roberto Benardo filio Oſpa, Guillelmo filio Suevi, laicis Guillelmo Comite Ebroenſi, Hugone de Ceſtra, Rogero de Bellomonte, & filii ejus, Roberto Comite de Mellant de Henrico Rugultrano filio Roberti, Guillelmo Criſpino, Roberto de Veteri-ponte, Guillelmo de Toms Normano, Primate, Leſto filio Alcheri, & fratre ejus Rodulpho, Rogero Bigot, & aliis multis.

ANNO CHRISTI 1082.

CONCILIUM CARROFENSE,

In monaſterio S. Salvatoris diœceſis Pictavenſis celebratum menſe Novemb. anno MLXXXII.

Ex chronico Abbatiæ S. Maxentii quod vulgo Malleacenſe dicitur pag. 212. Tom. II. novæ bibliothecæ mſſ. librorum.

ANno MLXXXII. ignis combuſſit villam iſtam ſancti Adjutoris Maxentii, &c. Eo anno apud Carrofum fuit conſecratio cujuſdam altaris, & demonſtratæ ſunt pretioſæ reliquiæ ejuſdem monaſterii, & concilium factum eſt in ipſo monaſterio tertio idus Novembris. Nec plura monachus ille anonymus. In eo depoſitum fuiſſe volunt Boſonem epiſcopum Santonenſem, in cujus locum anno ſequenti ſubſtitutum fuiſſe Ramnulfum idem docebit nos chirographus S. Maxentii.

ANNO CHRISTI 1081.

CONCILIUM MELDENSE II.

, Præside Hugone Dienſi epiſcopo apoſtolicæ ſedis legato anno MLXXXII.

Ex chronico S. Petri Vivi Senonenſis auctore Clario O. B. Tomo II. ſpicilegii pag. 747.

ANno MLXXXII. die 14. Kal. Novembr. obiit Walterius Meldenſis epiſcopus, & in ſequenti ſeptimana Hugo Dienſis epiſcopus Romanæ eccleſiæ legatus congregavit concilium in eadem urbe & ordinavit epiſcopum in eadem urbe Rotbertum abbatem eccleſiæ Resbacenſis. Quod quia ſine præſentia & aſſenſu Richerii archiepiſcopi (Senonenſis) & coepiſcoporum ejus factum eſt, excommunicaverunt eum. *Ad annum vero* MLXXXV. *ſubjicitur*. Eodem quoque anno Richerius archiepiſcopus ordinavit Waltherium Meldenſem epiſcopum 4. Nonas Novembris excommunicato ſupradicto Roberto.

Eadem habet iiſdemque pene verbis Robertus monachus S. Mariani in chronologia Autiſſiodorenſi.

In archivo Dervenſis abbatiæ in Campania extant (1) literæ de conſuetudinibus Breonenſis comitis datæ in concilio Meldenſi die & anno non expreſſis, quibus ſubſcribunt Hugo Dienſis ep. legatus ſedis apoſtolicæ, Amatus vicarius papæ, Ricardus arch. Bituricenſis, Hugo Trecenſis, Rogerius Catalaunenſis, Roricus Ambianenſis, Hugo Gtatianopolitanus, Hugo Lingonenſis, Hugo Nivernenſis, Hagano Auguſtodunenſis, Arnulfus Sueſſionenſis, Landricus Matiſconenſis epiſcopi: Thebaudus comes, Alaidis uxor ejus, Odo filius ejus, &c.

In hoc concilio literæ Gaufridi Comitis Mauritaniæ, quibus Eccleſiam S. Dionyſii Nogentenſis in Pertico, aliaque Monachis Cluniacenſibus donat, ratæ habitæ ſunt. Eas edidit Baluzius tom. 6. Miſcel. pag. 45. & ad earum calcem hæc leguntur.

Ex Baluz. Miſcel tom. 6. p 418.

Hanc chartam Gaufridus comes & uxor ejus Beatrix in Concilio Meldenſi, cui domnus Hugo Epiſcopus Dienſis domini Papæ Vicarius præfedit, cuique etiam domnus Amatus Olerenſis Epiſcopus ejuſdem Papæ vicarius interfuit una cum multis religioſiſſimis viris Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque orthodoxæ fidei cultoribus, præſentaverunt, humili devotione petierunt, quatinus ſuprædicti Papæ vicarii cum laude, atque aſſenſu circumſedentium auctoritate apoſtolica præmunirent, atque indiſſolubili firmitate ſolidarent. Quorum petitioni jam dicti vicarii congaudentes chartam hanc laudaverunt, atque nullo contradicente, nemine calumniante, ſed univerſa ſynodo applaudente atque favente, auctoritate Dei & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & domni Gregorii Papæ ſibi commiſſa inviolabiliter firmaverunt. S. Aganonis Æduenſis Epiſcopi. S. Hugonis Lingonenſis Epiſcopi. S. Walterii Cabilonenſis Epiſcopi. S. Landrici Matiſcenſis Epiſcopi. S. Hugonis Nivernenſis Epiſcopi.

Ad hoc item Concilium illuſtrandum ſpectant ſequentes literæ Hugonis Archiepiſcopi Lugdunenſis ad Hugonem Archiepiſcopum Biſuntinum pro Monachis S. Benigni Divionenſis.

Hugo Dei gratia Lugdunenſis Eccleſiæ ſervus dilecto in Chriſto fratri Hugoni venerabili Biſontinorum Archiepiſcopo ſalutem. Significamus dilectioni veſtræ Domnum Papam nuper nobis literas direxiſſe, in quibus poſt alia quædam nobis præceptum eſt, ut vos conveniremus, & auctoritate ſua commoneremus, quatinus abbati Divionenſi Eccleſiam S. Mariæ de Salina redderetis. Super qua querimonia, prout reminiſcimur, anteceſſor vetter ſæpe a nobis ad juſtitiam exequendam cum prædicto abbate vocatus fuit, & ad ultimum ad Meldenſe concilium invitatus; a quo cum nulla exiſtente canonica excuſatione ſe abſentaſſet, ab eodem Concilio judicatum eſt abbatem inde inveſtiendum, aut Eccleſiam divino officio uſque ad plenam juſtitiam eſſe privandam. Proinde præſcripta præceptione conſtricti dilectionem veſtram apoſtolica auctoritate commonemus, ut ſecundum quod rationabiliter prædicti Concilii judicio proviſum eſt abbatem de prædicta Eccleſia inveſtiatis. Quod quantum prudentiæ veſtræ ſatagendum ſit ex ſententia domini Papæ, quam per eadem verba hic ſubjecimus, poteritis cognoſcere, quibus ita nobis ſcribit.

Præterea præcipimus ſtrenuitati tuæ, ut ex noſtra parte Biſontinum antiſtitem convenias, & Divionenſi abbati Eccleſiam S. Mariæ de Salina reddere auctoritate noſtra commoneas, inſuper & fructum prædiorum, quem retentionis tempore uſurparunt.

Ex Baluz. loco cit. pag. 422.

ANNO CHRISTI 1081.

AD MELDENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1081.

Anno 1081. *celebratum.*

ADNOTATIO CHRONOLOGICA ET ADDITIO.

Ex Manſi Suppl. Tom. I. p. 56. An an 1080. ad 1081. tranſlatum.

QUamvis in collectione Veneta Labbeana duo adnotantur Meldenſia concilia, aliud ſcilicet anno 1080. aliud vero 1082. unum tamen idemque concilium eſt, quod nec anno 1080. nec 1082. ſed potius anno intermedio 1081. convenit. Atque de unico Meldenſi concilio idem fuit etiam Labbei judicium, ut ipſe ad concilium Meldenſe anni 1080. expreſſit. Sed cum ad hoc idem

(1) Has edidit Baluzius Miſcellan. tom. 6. pag. 418.

idem concilium in appendice adjectionis adnotaſſet ſub hoc titulo *concilium Meldenſe anno* 1082. *celebratum*; Venetus Labbei editor, poſita in appendice concilia ſuo loco repræſentaturus, aliud quidem reliquit anno 1080. poſitum, aliud vero ad annum 1082. qualem annum referebat apud Labbeum in appendice, conſtituit, ex quo accidit ut ex uno duo fierent. Unum eſt igitur Meldenſe concilium, nemo enim veterum duo per hæc tempora diſtinxit, idque anno 1081. convenisſe, ita ego olim in meis ad Pagium adnotationibus ad A. 1080. 13. demonſtravi.

ANNO CHRISTI 1081.

Inter concilia ab Hugone Dienſi celebrata anno huic aſſignatur concilium Meldenſe, quod juſſu Gregorii pontificis coactum fuit, quo de epiſcopi Sueſſionenſis electione deliberaretur. Verum eruditi Galli ante me animadverterunt uno anno citius concilium iſtud conſtitutum fuiſſe. Nam Arnulphus ex permiſſione ab eadem ſynodo facta electus conſecratus fuit epiſcopus die XIV. Kalend. *Januarii*, quæ tunc incidit *in Dominicam ante natalem Domini*; Hariulfo abbate Aldenburgenſi auctore ſynchrono in vita ejuſdem Sancti. His characteribus annus 1081. exprimitur. Vide Bollandiſtas ad diem XV. Auguſti.

Inter acta hujus concilii adjicienda eſt charta Guarini comitis Roſnacenſis, quam exhibet Baluzius Miſcellan. tom. VI. pag. 418. ex qua multo plures epiſcopi concilio huic adſiſtentes ſeſe produnt, quam exhibentur in literis Gaufridi comitis, quas ex eodem Baluzio Venetus editor Labbei dedit, noſtra hac, neſcio quo conſilio, omiſſa.

LITERÆ GUARINI COMITIS ROSNACENSIS

De eccleſia ſanctæ Margaretæ data monaſterio Cluniacenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Omnibus ſanctæ eccleſiæ catholicæ filiis præſentibus atque futuris notiſſimum volo fieri ego Guarinus dictus comes Roſnacenſis territorii, quod propter gratiam ejuſdem honoris tranſitorii, dum eſſem filius ſæculi, cogitavi ut in alimoniam filiorum Dei, qui pro peccatis meis & totius populi creduntur orare pietatem Domini, donarem partem allodii mei, & illud quod habebam in eccleſia ſanctæ Margaretæ Domino & ſancto Petro Cluniacenſis cœnobii, quod præcogitatum Domino volente perfeci, conſtitutis ibi fratribus, qui ſub propoſito regulari Domino deſervirent, & ſanctæ Virgini. Sed altare & quartam partem ipſius eccleſiæ tunc temporis poſſidebant fratres Dervenſis monaſterii, ubi honorifice requieſcit corpus venerabilis Bercharii. Ut ergo prædictam eccleſiam ex integro haberent Cluniacenſes monachi, conſilio habito cum domno apoſtolico Hildebranno nomine, in papatu autem dicto Gregorio, ut morerer mundo & viverem Deo, in remiſſionem omnium delictorum, & ad ſalutem anteceſſorum meorum, cum benedictione apoſtolica, & cum licentia epiſcopi mei domni Hugonis Trecaſini, & cum favore Theobaldi comitis Palatini, cum laude etiam propinquorum meorum dedi me cum allodiis meis principibus Apoſtolorum Petro, & Paulo, venerabili quoque Berchario, in præſentia Domini abbatis Brunonis, & monachorum fideliumque ſuorum. Itaque jam dictus abbas & monachi annuerunt Cluniacenſibus altare & quartam partem ſupra memoratæ eccleſiæ acceptis ſibi allodiis, quæ erant liberæ conditionis, & abſque jugo ullius advocationis, ſine alicujus judiciaria poteſtate, ſive banno ad poſtremum ſine aliqua redhibitione omnis hominis. Hæc igitur ſunt alodia, quæ tradidi Deo & ſanctis apoſtolis Petro, & Paulo, beato quoque Bercharío, monachiſque ſuis perpetualiter habenda. Roſerias, Muctium, Juncherejum cum appendiciis ſuis, videlicet ſervis & ancillis, terris cultis & incultis, ſilvis, pratis, aquis, aquarumque decurſibus. Ut autem hoc meum donum eidem eccleſiæ, & fratribus initio Deo ſervientibus perpetuo habendum remaneat, & ut nullius calumniatoris injuſta invaſione reſcindi valeat, Domnum Hugonem Lugdunenſem archiepiſcopum, & apoſtolicæ ſedis Legatum, præcepto jam dicti domni apoſtolici Gregorii rogavi, ut facta excommunicatione hanc chartam confirmaret ſub teſtimonio & laude omnium epiſcoporum, abbatum, & cæterorum Dei fidelium Concilio Meldenſi adſtantium. Ipſe vero benentiſſime annuens petitioni meæ aſſenſum præbuit, & communi decreto totius ſancti concilii ut petieram confirmavit ſub diſtrictione hujus anathematis. Auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum apoſtolorum Petri & Pauli excommunicamus, & a liminibus matris eccleſiæ ſeparamus & removemus, æterna quoque damnatione percutimus, & damnamus eos quicumque de rebus ſupradictorum alodiorum comitis Guarini aliquam fraudem vel injuſtitiam fecerint eccleſiæ Dervenſis monaſterii, niſi reſipiſcentes & eidem eccleſiæ ſatisfacientes dignum pœnitentiæ fructum egerint.

S. Hugonis Dienſis epiſcopi.
S. Amati vicarii papæ Gregorii.
S. Richardi archiepiſcopi Bituricenſis.
S. Hugonis Trecaſini epiſcopi.
S. Rogerii Cathalaunenſis epiſcopi.
S. Rorici Ambiacenſis epiſcopi.
S. Hugonis Gratianopolitani epiſcopi.
S. Hugonis Lingonenſis epiſcopi.
S. Haganonis Auguſtidunenſis epiſcopi.
S. Hugonis Nivernenſis epiſcopi.
S. Arnulphi Sueſſionenſis epiſcopi.
S. Landrici Matiſconenſis epiſcopi.

Comes etiam Tebaldus, & uxor ejus Alaidis nomine, & Odo filius ejus laudaverunt, & ſua ſigna fecerunt. S. Tebaldi comitis, Alaidis uxoris ejus. S. Odonis filii ejus.

Ad hoc ipſum Meldenſe concilium & res in eo conſtitutas in lucem proferendas confert charta Roberti Meldenſis epiſcopi de conceſſione cellæ curiæ Evroldis & Vilaris apud Mabillon. tom. V. annal. O. S. B. num. XXI. appendicis vulgata, quam hic profero.

Ego R. in Meldenſi concilio a Romano legato nomine Hugone Meldenſis eccleſiæ conſecratus epiſcopus notum facio tam futuris quam præſentibus, quod in epiſcopatu noſtro quædam erat eccleſia beatorum apoſtolorum Petri & Pauli nomini dedicata, quæ abbatiæ nomen habebat, ſed per incuriam habitantium dignitatem hujus nominis amiſerat. Ordinavit igitur ſupradictum concilium, ut hujuſmodi abbatiæ cellæ fierent & cellæ nominarentur, religioſiſque monachis traderentur. Tali igitur auctoritate admonitus, cum aſſenſu & voluntate comitum; Ebuli ſcilicet de Rucejo & Hugonis de Domno-Martino, quorum beneficio parentum fundata erat mo-

na-

ANNO CHRISTI 1082.

nachis B. Martini majoris-monaſterii illam conceſſi, & ut eam jure perpetuo ſicut cellam poſſiderent, aſſertione noſtrarum literarum confirmavi. Conceſſi etiam illis duas alias eccleſias, ecA cleſiam videlicet de curia Evroldi, & eccleſiam cujuſdam vici nomine Villaris, & quidquid in diœceſi noſtra fideles viri eis donaverint, & quicquid ipſi juſte acquiſierint.

ANNO CHRISTI 1082.

CONCILIUM LUDUNENSE,

In quo Andegavenſis Epiſcopus ab Officio ſuſpenditur, & Falco Comes excommunicatur anno Chriſti MLXXXII.

Hujus Concilii teſtes ſunt ſequentes literæ Synodicæ a Baluzio Tom. 6. Miſcel. p. 421. editæ.

Ex Baluz. Miſcel tom 6. pag. 421

AGano Auguſtudunenſis Epiſcopus, Robertus Lingonenſis, Galterius Cabilonenſis, Landricus Maticenſis, vice Primatis curam gerentes Eccleſiæ Ludunenſis cum toto Ludunenſis Cleri conventu, omnibus Provinciæ Turonenſis Epiſcopis, Abbatibus, Clericis & monachis, atque laicis obœdientibus Radulpho Archiepiſcopo Turonenſi, divinam gratiam & ſuam. Quam mira crudelitate Fulco Comes Andegavenſis matris Eccleſiæ Turonenſis, viſceribus gladium ſuæ perſecutionis immerſerit, quam ſuperba præſumtione adverſus eamdem matrem monachi majoris Monaſterii inſurrexerunt, nullum veſtrum credimus ignorare. Nec vos latet Gaufrido Andegavenſi Epiſcopo non deeſſe poteſtatem cogendi Fulconem ad tanti facinoris emendationem, ſi divinis quam tyrannicis præceptis obedire præeligeret, ſi apud eum diſtrictionis Eccleſiaſticæ quantumlibet ſtudium vigeret. Ipſe vero propoſitum ſuæ profeſſionis violans, nec divinis mandatis, nec Archiepiſcopi ſui monitis obediens cum fratribus in detenſione juſtitiæ deſudantibus, cor ſuum in otio & deliciis enutriens, fovit maB gis quam impugnavit ſupradicti Fulconis malitiam. Cum ergo ſuper his omnibus clamor Turonenſis Eccleſiæ noſtram pulſaſſet ſollicitudinem, tam Fulconem Comitem, quam Epiſcopum Andegavenſem & monachos ad S. Sedis Ludunenſis examen juſtitiam facturos, & accepturos invitavimus. Quibus ad diem ſtatutum judicium per abſentiam fugientibus, & in perverſitate ſua pertinaciter perſiſtentibus, Epiſcopum quidem Andegavenſem ab Epiſcopali & Sacerdotali officio, quod & ſuus Archiepiſcopus ei interdixerat, ſuſpendimus; Fulconem vero cum Monachis majoris monaſterii ex auctoritate beaC ti Petri atque domni Hugonis Primatis & Romanæ Eccleſiæ Legati excommunicationis gladio percuſſimus, omnes quoque fautores eorum, ſeu cum ipſis communicantes ſub eadem excommunicatione concluſimus. Obſecrantes autem fraternitatem veſtram hortamur; ut matris veſtræ doloribus ſicut pii filii condolentes, ipſi tota virtute ſolatiari ſtudeatis, & Radulfo ejus Archiepiſcopo ſicut patri veſtro humiliter obediatis, nec cum ſupradictis excommunicatis communicetis, ne veſtras animas alienis facinoribus aggravetis. Valete.

ANNO CHRISTI 1083.

CONCILIUM ROMANUM IX.

ANNO CHRISTI 1083.

Anno Domini MLXXXIII. celebratum tempore Gregorii papæ VII.

Datur variantes ex Cod Mattin.

ANno ab incarnatione Domini milleſimo (1) octuageſimo quarto, pontificatus vero domini Gregorii papæ ſeptimi anno undecimo, * duodecimo Kalendas Decembris, præſidente eodem apoſtolico, celebrata eſt tribus diebus in Lateranenſi baſilica ſynodus, in qua fuerunt archiepiſcopi, epiſcopi, * & abbates Campani, & de principatibus, atque Apulia pauci quoque Gallicani: nam plurimos Henrici tyranni perfidia iter retro vertere compulit, qui Oſtienſem epiſcopum de apoſtolica legatione redeuntem contra fas & juramenti fidem capi juſſit, ſive permiſit. Tres autem ſynodos quadrageſimales ejuſdem * impedivit Henrici perſecutio * impedivit. Qui ſemel Beatum Paulum, bis beatum Petrum aggreſſus, demum poſt multum fuſi ſanguinis, non tam ſuorum fortitudine, quam negligentia civium * porticu muros ſurripuit. Romanum ſiquidem vulD gus, pars videlicet copioſior civitatis, biennii bello fatigatum, acri inedia laborabat: cum nec ipſis ad vicina oppida vel caſtra exire liceret, nec illi jurati Henrici in Urbem vellent negotiatum venire: multi quoque fame abacti Urbem reliquerant. Proinde cæteri bello remiſſius attenti rem ex animo minus gerebant, & a cuſtodiis, prout cuique licebat, ſine timore negligentius aberant. Hæc ſuper Henrici tyrannide, quia ſe occaſio præbuit, præſtrinxiſſe ſufficiat.

* XIV.

* dein &

* impedivit

* porticu

Cæterum dominus apoſtolicus in eadem ſynodo de fidei forma, & Chriſtianæ religionis converſatione, ſed & robore animique conſtantia ad præſentem preſſuram neceſſaria, ore non humano, ſed angelico patenter ediſſerens, die tertia totum fere conventum in gemitus & lacrymas compulit, ſicque concilium apoſtolica benedictione lætificatum in pace dimiſit.

CON-

(1) Legendum 1083 ut annus XI. Pontificatus Gregorii hoc anno inchoatus certo demonſtrat, Præterquamquod an. 1084. m. Novembri Gregorius VII. Romæ non erat. *Pagius ad an. 1083. n. 5.*

ANNO CHRISTI 1083.

CONCILIUM SANTONENSE II.

CELEBRATUM ANNO MLXXXIII.

Ex chronico quod vulgo Malleacenſe dicitur.

ANno MLXXXIII. *inquit anonymus ſcriptor Sanctonenſis*, Sanctonas extitit concilium, in quo Ramnulfus eidem ubi ordinatus eſt epiſcopus *in locum Boſonis anno ſuperiore apud Carefum* A *emancipati*, & Simon canonicus S. Hilarii Agenno poſt Rainaldum *datus eſt epiſcopus*: cui ſucceſſerunt Girardus nepos, Iſardus, Audebertus.

ANNO CHRISTI 1084.

CONCILIUM ROMANUM X.

QUO GUIBERTUS ANTIPAPA ET HÆRESIARCHA

Atque Henricus pſeudoimperator, cum omnibus ſuis fautoribus, excommunicatur anno Domini MLXXXIV. tempore Gregorii papæ VII.

De hoc concilio iſta Bertholdus; Dominus autem B papa collecta ſynodo, iterum ſententiam anathematis in Guibertum hæreſiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod & in feſto ſancti Joannis Baptiſtæ præterito jamdudum Romæ fecit, cum Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc ſententiam legati ſedis apoſtolicæ, videlicet Petrus Albanenſis epiſcopus in Francia, Otto Oſtienſis epiſcopus in terra Teutonicorum uſquequaque divulgarunt. *Hæc Bertholdus*.

Ad hunc quoque annum referenda quæ ſcribit Hugo Flaviniacenſis in chronico anno MLXXXIV. Henricus Romam veniens urbem cepit, muros evertit, Gregorium papam in turre Creſcentis muro clauſit, ſummumque papam in eccleſia S. Petri ſede- C re conſtituit, ut impleretur quod ſcriptum eſt; cum videretis idolum abominationis ſtans ubi non debet, qui legit intelligat, &c. Nec mutabat pardus varietates ſuas, Henricus ſcilicet nequitias ſuas, quinimmo Romæ poſitos quotquot poterat minis, terroribus, blandimentis, promiſſis ſibi conciliabat, bella, cædes, homicidia per ſe ſuoſque faciens & totis quibus poterat viribus iniquitati favens, veritati reſiſtens & inſuper ſuis literas mittens, quibus ſe Romam obtinuiſſe, papam dejeciſſe & omnibus omnino prævaluiſſe mendaciter confingebat: At vero Mathildis, &c. Gregorius igitur in turre Creſcentis muro clauſus legatos miſit ad Robertum Apuliæ ducem ut veniret & obſidionem ſolveret, &c.

☞ ROMANUM CONCILIABULUM

A Guiberto antipapa coram Henrico imperatore.

ANNO 1084. CELEBRATUM.

Ex Mon. Suppl. T. II. pag. 16.

CConcilii hujus cauſam & hiſtoriam debemus Benno ſcriptori ſchiſmatico in panegyrico Henrici III. lib. VII. qui his verbis rem totam narrat: Mandaverat autem ſibi (*Gregorio in arce S. Angeli incluſo*) dominus noſter Cæſar Heinricus per epiſcopos, per ſatrapas & per inſignes viros, ut fiducialiter veniſſet ad ſynodum, ſedenſque in tribunali diſcerneret ex his, quæ emerſerunt, æquitatis judicium. Tabernas ſecum traheret plenas codicum, ex quibus ad probationem cauſarum proferret verax teſtimonium. Remordente autem conſcientia recuſavit ſedile, quod expetit apoſtolica reverentia. Expectatur per triduum, deliteſcendo manifeſtavit ſe rationis vacuum, & veritatis viduum. Scriptum eſt enim: in vitium culpæ ducit fuga, ſi caret arte. In extremitate vero ſynodi aperti ſunt libri & locuta ſunt univerſa teſtimonia ſcripturarum, quod Prandellus * æternaliter ſit projectus a limine omnium eccleſiarum. Remoto itaque noctis filio elevatur Ravennas filius lucis in Petri domicilio. Quem rex benedici præcipiens, impoſuit ei nomen Clemens. D *Placuit his ſchiſmatici auctoris verbis conciliabuli hujus, alias ignoti, hiſtoriam lectoribus ingerere, quos tamen ſupervacaneum duco admonere, multa hic ad genium ſcriptoris ſchiſmatici depingi ac diſſimulari. Hoc vero concilium plane diverſum eſſe oportet ab alio conciliabulo, quod idem Wibertus, qui in pontificatu nomen ſibi Clementis III. adſcivit, ſequenti anno* 1085. *Januario menſe celebravit, de quo inferius. Præſens enim habitum eſt coram Henrico, qui hoc ipſo anno in Germaniam* E *rediit, teſte annaliſta Saxone Ecardi ad annum* 1084. *Ingreſſus eſt autem Romam die XI. Kalend. Aprilis anni ejuſdem, eodem annaliſta indicante; concilium vero, de quo infra Januario menſe convenit. Eſt ergo concilium iſtud ſecundum inter ea quæ Guibertus habuit; idque ſecundum concilium indicaſſe credo Benzonem, qui in eodem panegyrico in prologo libri VII. ſcribit*: His ita geſtis regreditur Cæſar in Germaniam, aliud concilium diſpoſuit, cui præſules Heſperiæ (*nempe Longobardiæ*) *intereſſe voluit*.

* Ita per contemptum Hildebrandi nomen transformat.

CA-

ANNO CHRISTI 1084

ANNO CHRISTI 1084.

CATALAUNENSE CONCILIUM

ANNO MLXXXIV. CELEBRATUM.

Bevil. mil. quitos p. 404.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Quoniam Deo diſponente, bona quæ temporaliter agimus, & contra adverſarium noſtrum arma ſunt inexpugnabilia & æternæ hæreditatis indubitanter nobis acquirant præmia: ratio conſulit, neceſſitas exigit, ut dum tempus habemus, bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei operemur: ut pauperes ſpiritu, noſtræ largitatis munificentia, neceſſitatis ſuæ obtineant remedium: & noſtra fragilitas eorum orationibus adjuta in diſtricto examine judicem ſibi miſericordem inveniat & propitium. Eleemoſyna enim, teſte ſcriptura, & oratio juſti aſſidua, vitiorum incentiva extinguere, & Deum, cujus imaginem portamus, valet inoffenſum reddere, in cujus manus durum & horrendum eſt incidere. Illuſtris vero memoriæ anteceſſores noſtri quorum excellentia, quorum virtute, regnum Francorum uſque in hodiernum diem floruit, ad laudem & gloriam Dei, cui ſervire & regnare eſt, multas in regno noſtro Eccleſias fundaverunt, & immenſis eas donariis honorare decreverunt, eleemoſynis quidem peccata redimentes, & amicos in æterna tabernacula facientes. Ego igitur Ludovicus Dei gratia Francorum rex anteceſſorum noſtrorum exemplis informatus, & accuſante conſcientia diem extremi examinis ante oculos reducens, ob remedium animæ noſtræ, pro ſalute etiam patris noſtri Philippi & anteceſſorum noſtrorum, in eccleſia S. Victoris, quæ juxta Pariſiorum civitatem ſita eſt, conſultu quidem Archiepiſcoporum & Epiſcoporum & optimatum regni noſtri, Canonicos regulariter viventes ordinare volui, qui videlicet tam pro nobis, quam pro ſalute regni noſtri Dei miſericordiam implorarent, & memoriam noſtri noſtrorumque anteceſſorum in ſuis orationibus haberent. Et ne cura corporalis neceſſitudinis fratrum ſpiritale propoſitum ad exteriorum ſollicitudinem inclinaret, præfatam eandem Eccleſiam noſtræ largitatis beneficio dotavi & ditavi. Convenientibus ergo in unum Cathalauni Archiepiſcopis Epiſcopis Comitibus & cæteris Regni noſtri optimatibus, communi aſſenſu diffinivimus quatenus prædicti canonici de grege ſuo vel de alia Eccleſia, quem vellent ſibi abbatem eligerent, ita tamen quod in illa Abbatis electione nec Regis aſſenſum quærerent, nec Regis auctoritatem expectarent, nulliuſque perſonæ voluntatem vel laudem attenderent, ſed quem Dominus eis concederet inconſulto, ut diximus, Rege, vel qualibet alia perſona canonice eligerent, & Pariſienſi Epiſcopo irrefragabiliter conſecrandum offerret. Promulgavimus etiam in eodem conventu, villas, prædia & cætera beneficia quæ ad uſum Canonicorum præfatæ contulimus Eccleſiæ, & hæc omnia perpetuo jure perpetua libertate eis habenda conceſſimus, nihil poteſtatis, nihil noſtri juris reſervantes nobis, ſed omnia quæ ad nos pertinere videbantur eis omnino emancipantes. Hæc ſcilicet Putheolis villam quæ eſt in territorio Nanthonenſi, cum ſervis & ancillis, cum feodis militum, cum terris cultis & incultis cum vineis & Silvis cum omnibus ad eam pertinentibus. Mercatum etiam in eadem villa fieri per ſingulas hebdomadas, Regia poteſtate in perpetuum annuimus. Aquam etiam quæ proxima eſt eidem villæ, quæ ſcilicet aqua Eſſona vocatur, omnia inquam iſta quodadmodum poſſidebam, eis perpetuo poſſidenda conceſſimus. Origuniam etiam quæ in territorio Millidunenſi ſitum eſt, cum ſervis & ancillis & cæteris omnibus quæ ibidem poſſidebam. Huic dono adjunximus unum etiam ex molendinis noſtris qui ſunt apud Veteres Stampas, & prædictis Canonicis perpetuo poſſidendum tradidimus. Apud Corbellas etiam juxta caſtrum Nanthonis, viginti arpennos pratorum, & viaturam de Buſſiaco quam a Teſcelino Bimocenſi comparavimus & quicquid apud idem Buſſiacum, quod juxta Liricantum ſitum eſt, habebam, Buſſiaci inſuper inſulam, quæ in territorio Aurelianenſi ſita eſt, cum ſervis & ancillis, cum omnibus appendiciis ſuis. Hæc omnia inquam eiſdem Canonicis plena libertate perpetuo obtinendo annuimus. Apud Fontanetum etiam in territorio Pariſienſi, terram duabus carrucis ſufficientem & quinque hoſpites, & decem ſolidos cenſus in eadem villa, partim a ſupradictis hoſpitibus, partim ab alia terra; & ibidem torcular unum & dimidium cum preſſuris ad ea pertinentibus; & apud Muſterolium, quod eſt juxta idem Fontanetum, terram unius carrucæ cum uno hoſpite præfatæ obtulimus Eccleſiæ. Præterea ſciendum eſt, quod Canonici S. Severini de caſtro Nanthonis apud Uriam villam, terram, ſervos, & ancillas antiquitus poſſidebant, medietatem cujus poſſeſſionis prædeceſſori noſtro Regi videlicet Philippo ſano uſi conſilio conceſſere; hac ſcilicet commutatione, quod idem Philippus noſter prædeceſſor pro hac conceſſione eiſdem Canonicis S. Severini omnes conſuetudines, quos apud Brolium eorumdem Canonicorum villam juxta Putheolis ſitam, juſte vel injuſte obtinere videbantur præter coruatas ter in anno omnino remiſit. Præter hoc etiam apud prædictum Uriacum, terram ad fiſcum noſtrum pertinentem poſſidebamus, quam ſcilicet terram cum medietate ſupradictæ poſſeſſionis cum prædictis etiam coruatis, præfatæ S. Victoris Eccleſiæ plena libertate in perpetuum habenda tradidimus. Notum etiam omnibus fieri volumus quod Eccleſiam B. Mariæ de Putheolis & altare de Aponuilla cum toto atrio cum medietate magnæ decimæ cum terra inſuper noſtri juris in eadem Aponuilla exiſtente, panes etiam ad altare de Eskagoſa pertinentes: omnia quidem iſta ſicut obtinebamus, præmemoratis Canonicis Regularibus ex integro poſſidenda conceſſimus. Ut autem præfata S. Victoris Eccleſiæ, præſcripta noſtræ largitatis beneficia legitimo haberet dono, legitimo obtineret ordine: ea quæ Regii juris, quæ erant noſtræ proculdubio poteſtatis eidem Eccleſiæ inviolabiliter obtinenda manu noſtra tradidimus. Eccleſias vero, & quæ juris eccleſiaſtici ſunt, in manu Daimberti Senonenſis Archiepiſcopi reddidimus. Ipſe autem utilitati fratrum providens, prætaxatis Regularibus eadem omnino conceſſit. Confirmatum eſt etiam in ſupradicta Epiſcoporum ac procerum noſtrorum conventu, quod quicumque allodia ſua quæ ſub noſtra tutela ſunt, vel quicquid quod ad fiſcum vel ad feodum noſtrum attinet, eiſdem Regularibus im-

impertiri voluerit; diligenter annuimus & Regia auctoritate confirmamus. Volumus etiam, quod ſi aliquos ex ſervis vel ancillis ſuis prefati Canonici manumittere voluerint, noſtro ſuper hoc aſſenſu minime requiſito, quos vel quot voluerint ſervos vel ancillas ſub jugo ſervitutis abſolvant, & perpetuæ libertati tradant, remota ſcilicet omnium calumnia, & ſopita totius retractationis moleſtia. Illud inſuper ſummopere determinavimus, & determinando diffinivimus, quod omnia quæ ſuperior continet pagina, eo jure, ea libertate qua tenuimus prædicta, S. Victoris Eccleſia in æternum poſſideat; & hoc præceptum noſtrum quod noſtri nominis charactere ſignavimus in ſignum & argumentum perpetuæ firmitatis obtineat. In ſupradictis tamen omnibus ſalva auctoritate, jure & debita obedientia Senonenſis Archiepiſcopi & Pariſienſis Epiſcopi. Signum Daimberti Senonenſis archiepiſc. Signum Rodulphi Remorum archiepiſc. S. Ludovici Regis, Sign. Liſiardi epiſcopi Sueſſionenſis, S. Ivonis Carnotenſis epiſc. S. Manaſſæ Meldenſis epiſcopi, S. Humberti Silvanectenſis epiſc. S. Galonis Epiſcopi Pariſienſis. S. Joannis Aurelianenſis epiſc. S. Godefridi Ambianenſis epiſcopi. S. Hubaudi Antiſſiodorenſis epiſcopi. S. Philippi Trecenſis epiſcopi.

ANNO CHRISTI 1084.

ANNO CHRISTI 1084.

Actum Catalauni in palatio publico anno Incarnationis 1084. anno vero regni V.

Data per manum domni Stephani cancellarii.

Signum Anſelli tunc temporis dapiferi noſtri, S. Hugonis Conſtabularii, S. Widonis Camerarii, S. Gisleberti buticularii.

ROMANUM CONCILIABULUM II.

ANNO CHRISTI 1085.

ANNO CHRISTI 1085.

A Clemente III. antipapa & a ſchiſmaticis epiſcopis, Anno 1085. Januario menſe habitum.

COLLECTORIS PRÆMONITIO.

Ex Suppl. Mand. T. II. pag. 17.

UTinam de catholicis Romanorum pontificum concilils tam multa haberemus, quam plura ſupperunt de hoc ſchiſmaticorum conciliabulo, quod ad plenam hiſtoriæ eccleſiaſticæ cognitionem prætermittere minime duximus opportunum. Ex his concilii hujus documentis, unum ſufficit Muratorius Rer. Ital. to. I. part. II. pag. 583. idque ad concilium hoc pertinere ex ipſis documenti verbis demonſtratur. Adjungimus huic concilii ſynodicam, quam ſervavit Udalricus Bambergenſis in cod. num. CLXVIII. Hanc vero licet ex hoc ipſo concilio profectam plane demonſtrare non poſſumus, vix tamen aliter perſuaderemur, cum par ſit credere pontificem curarum omnium hanc primam habuiſſe, ut imperatorem ab excommunicatione, quam a Gregorio incurrerat, immunem declararet; idque in hac ſynodo multa verborum emphaſi declaratur. Ad hanc pariter ſynodum ſpectare credo epiſtolam alteram in eodem cod. num. CLXIX. legendam ad O. (Othonem ſcilicet) Hoſtienſem epiſcopum, eundem qui dein poſt Victoris obitum ad Romanam cathedram ſub Urbani II. nomine aſcendit; quem idem Clemens, utpote Gregorianarum partium fautorem depoſuerat, & ad ſynodum, quamquam fruſtra vocaverat. Cum vero aliæ geminæ Clementis epiſtolæ, in eodem Udalrici cod. ſuccedant num. CLXX., & CLXXI. eædemque ad rem conciliarem pertineant, hic adjungere utramque viſum eſt; quanquam ad præſens hoc, ſive ad aliud ſub eodem Clemente concilium pertineant, definire non auſim. Denique admonere lectores noſtros juvat ex auctoritate ſynodi hujus excommunicationes pontificias in reges & principes latas, ſicut depoſitiones eorum reprobantis, nihil accedere momenti pro quorumdam hac noſtra ætate id pariter opinantium ſententia, cum definitio ſit ſchiſmatici pontificis, ſchiſmaticorum epiſcoporum judicio, plerumque metu imperatoris coacto, confirmata. Quibus iiſdem judicibus pronunciantibus alterum datum eſt eccleſiæ caput, priori adhuc ſuperſtite, nihilque contra fidem vel ſentiente vel docente. Quæ fides his?

LITERÆ CLEMENTIS III. AD OMNES CHRISTI FIDELES.

Ordinem ſeſſionis inter epiſcopos conſilio aſſidentes ſtatuit.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus ſanctæ Eccleſiæ filiis perpetuam in Chriſto ſalutem.

Ex Muratori. Rer. Ital. t. I. par. II. p. 583.

QUod propulſis de apoſtolica ſede iis, qui in ovile ſanctiſſimo apoſtolorum principi Petro a Chriſto Domino commendatum non ingreſſi fuere per oſtium, ſed aliunde ſurrepere, utpote fures & latrones, proſpicientes ſuis commodis potius, quam gregis utilitati, non eſt noſtris meritis adſcribendum, ſed divinæ benignitati, qui elegit ea quæ non ſunt tanquam ſint, ut ea quæ ſunt evacuentur. De multis autem quæ in ipſo noſtro pontificatus primordio acta ſunt in ſynodo, quam pro communi utilitate maturavimus, eam circa nonas Januarii celebrantes, unum, propitiante Domino, nobis conceſſum eſt, illud determinare, quod multoties ventilatum a retro pontificibus prædeceſſoribus noſtris, aut vix, aut nullo fine ſopitum eſt. Iſtud videlicet in ſynodo ſedenti jurgium, quod emerſerat inter Ravennatem & Mediolanenſem archiepiſcopos, unde etiam in ipſa noſtra ſynodo Aquilegenſis patriarcha muſſitabat: quiſque enim juxta nos dextri lateris locum vendicabat, & cui jure deberetur, nobis incertum erat. Contigit autem primo die ſynodi non intereſſe Mediolanenſem archiepiſcopum a primordio, ſed jam die inclinata, cum patriarcha a dextris noſtris ſederet, interpoſita tamen ſella cariſſimi filii noſtri imperatoris Henrici, qui jam advenire putabatur, quia eo ſoci erat elatus, quaſi Ravennatis eccleſiæ a ſiniſtris noſtris aſſideret. Quo Mediolanenſe archiepiſcopo in medium veniente, dextrumque locum petente, hunc acclamarum eſt ab electo Ravennate ſibi deberi. Illinc ſimili modo a patriarcha Aquilegenſe, & ita unius rei altercatio inter tres exorta eſt. Placuit autem univerſæ ſynodo trium partium diſſenſionem coram deferri. Statimque prolatus eſt quidam catalogus nominum eorum archiepiſcoporum, & ipſorum, qui interfuerunt ſynodo Symmachi papæ, ubi præſcriptus erat Mediolanenſis archiepiſcopus. Quo contra oſtenſum

ANNO CHRISTI 1085.

eſt privilegium Ravennatis eccleſiæ, continens qua habet illa in ſcriptis nominum non aliquo jure, non aliqua rectitudine, ſed potius cauſa humilitatis evenerit, quod ſcilicet archiepiſcopus Ravennas permiſerit præſcribi ſibi illo termino caſu archiepiſcopum Mediolanenſem, & ne pro ..... quivis eſſet in poſterum gigneretur, placuiſſe papæ Johanni, ſucceſſori illius Symmachi, ipſum privilegium fieri. Hoc autem propoſito, ut quis eorum videretur eſſe major, quamvis vero dextra papæ Romani ſemper jure deberetur archiepiſcopo Ravennati, addendum tamen ei ſoli imperatori, ſi præſens adeſſet, ut ſic ad ſiniſtram eum tranſmigrare deberet. Quibus duorum altercatorum oſtenſis, tertii vero altercatorum, ideſt patriarchæ, oſtenſum eſt privilegium a Johanne nono decimo papa factum ſimiliter de ſeſſione ad dexteram partem. His auditis univerſa ſynodus interrogata eſt a nobis; primo autem omnium Romani epiſcopi, cleruſque Romanus, quibus & auctoritas eſt major, & ipſa res erat notior, deinde cæteri omnes. Cumque ex ordine Johannes epiſcopus Portuenſis & Petrus diaconus noſtræ apoſtolicæ ſedis cancellarius privilegium Ravennatis eccleſiæ vice ſua univerſæ partes laudarent, Poppo quoque Biſiegenſis epiſcopus hoc idem fecit, ejuſque vocem tota ſynodus conſecuta eſt. Quo igitur in unum placitum vox omnium convenerat, noſter quoque aſſenſus pari ratione accommodatus eſt. Ut vero quod actum eſt omnibus innoteſcat, placuit noſtris literis apoſtolicis annotari, & tam præſentibus, quam futuris intimari, ut tanto firmius valeant credi, quanto conſtat de noſtro ore audiri. Verum ne poſthac iterum, vel archiepiſcopo Mediolanenſi, vel patriarchæ Aquilegenſi de ſeſſione dextri lateris noſtri liceat exerere quamlibet controverſiam, interdicimus noſtra apoſtolica auctoritate hoc eis de cætero licere. Quod ſi forte fuerit perruptum per temerationem interdictum noſtrum, non modo ſancti Petri, noſtræque ſedis indignationem, verum noſtræ quoque excommunicationis & anathematis laqueos incurrat. Sedem enim Ravennatis archiepiſcopi jubemus ſemper eſſe a dextris noſtris noſtrorumque ſucceſſorum, ſecundum antiquæ conſtitutionis auctoritatem; niſi forte imperator aſſiterit; & tunc etiam ipſum ſiniſtram noſtram tenere per hanc noſtræ auctoritatis firmitatem, huic noſtræ narrationi ſubjectam, per manum Johannis Scriniarii & Notarii ſacri noſtri palatii. Bene valete.

Ego Ubaldus Ravennas Tabellio, & Notarius ſanctæ Ravennatis eccleſiæ, ut in authentico vidi & legi, ita ſcripſi.

Ego Artuſinus & Bartolinus & Canulinus de Artuſinis vidimus authenticum privilegium bullatum cum bulla Domini Clementis papæ.

Et ego Paulus Scordili de Candia doctor decretorum præpoſitus, & caſtonicus cardinalis ſanctæ Ravennatis eccleſiæ illud privilegium in authentico vidi, & legi bullarum bulla plumbea apoſtolica, ſed non more aliarum Apoſtolicarum bullarum, anno Domini N. J. C. MCCCCXIII. indict. VI. die primo maji. Amen.

CLEMENTIS ET CONCILII ROMANI SYNODICA.

ANNO CHRISTI 1085.

Ad clerum univerſum.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus orthodoxis fratribus, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, atque univerſis ſanctæ eccleſiæ ordinibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex Cod. Udalrici n. 168.

QUantæ & quam peſtiferæ ſchiſmaticorum adinventiones noſtris temporibus ſanctam eccleſiam perturbaverint, & quantos populos peccatis noſtris exigentibus erroribus ſuis infecerint; fraternitatem veſtram credimus non latere. Venenum ſquidem eorum a capite ſanctæ eccleſiæ uſque ad ultima membra paſſim diffuſum vobis & ſubditis veſtris conſtat non modicum certamen generaſſe, & uſque ad medullas corporis veſtri dolorem, tantæ præſumptionis intraſſe. Hac itaque neceſſitate compulſi ne B. Petri navicula tot perturbationum fluctibus & pene ad naufragii diſcrimen inflexa præceps laberetur, ad arma, quibus patres in defenſionem chriſtianæ fidei uſi ſunt, nos convertimus, atque epiſcopos & abbates & quamplures honeſtos viros ad ſynodum in eccleſia B. Petri celebrandam ex diverſis partibus convocavimus. Quibus Spiritus Sancti inſpiratione congregatis, inter cætera quæ ſynodalis conventus tractanda ſuſceperat, quæſtionum impia dogmata ad perniciem multorum noviter orta, a nonnullis communi audientiæ, inferuntur, quæ fraternitati veſtræ dignum duximus notificare, quatinus ad ea devitanda, imo Deo auxiliante deſtruenda, promptiores vos & vigilantiores redderemus. Ibi namque de perjuriis, quæ ipſi ad periculum imperialis dignitatis fieri hortantur, non parvus clamor exoritur. Et quia negotium illud radix & origo cæterorum flagitiorum videbatur, placuit de eo primum tractari debere, & quam peſſima & periculoſa ſit hujuſmodi adhortatio oſtendi. Unde in imperatorem excommunicationem promulgatam neceſſariis documentis improbavimus, quia illius ex occaſione perjuriorum, & omnium aſſertionum ſuarum vires contraxiſſe videbantur. Ad convincendam itaque eorum temeritatem, cum plurima tam ex ſacris canonibus, quam etiam ex mundanis legibus exempla occurrerent, illa tamen ad auxilium noſtrum ſufficere documenta viſa ſunt, ſcilicet quod in eos, qui non ſunt legitime vocati, & rationabiliter convicti, quique bonis ſuis expoliati ſententia damnationis non ſit proferenda, Nicæno concilio approbante: *Incerta nemo pontificum judicare præſumat, quia quamvis vera ſint, non tamen credenda ſunt, niſi quæ manifeſtis indiciis comprobantur; niſi quæ manifeſto judicio convincuntur; niſi quæ judicatorio ordine publicantur.* In eodem. [a] *Caveant judices eccleſiæ, ne abſente eo, cujus cauſa ventilatur, ſententiam proferant, quod irrita erit.* In eodem: [b] *Non eſt privilegium, quo ſpoliari poſſit jam nudatus.* Item B. Auguſt. plenius in lib. pœnitent. tractans, ita inter cætera dicens: [c] *Nos a communione quemquam prohibere non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum.* Et ut manifeſtiſſime omnibus pateret, eos ipſos ejuſdem excommunicationis ſententiam ſubiiſſe, utile viſum fuit hæc ex dictis B. Auguſtini recitare: *Quidam intuentes præcepta ſeveritatis, quibus jubemur non dare ſanctum canibus, ut ethnicum habere eccleſiæ contemptorem, a compage corporis membrum,*

Vide Labbe II pag. 1110.

[a] Eſt cap. Caveant Judices 3 C. 9. & extat in Conc. Carth IV. c. 33.

[b] Hoc pariter teſtimonio tanquam ex Gelaſio & ſynodis Nicæna ac Sardicenſi petito uſi ſunt Patres Synodi Pariſienſis anni 1085. quam legas in meo hac Collect.

[c] Aug. Serm. 351. de Pœnit. to. V. pag. 948. nov. edit. Antuerp.

brum, quod ſcandalizat, evellere; ita perturbant ecclesiæ pacem, ut conentur ante tempus zizania eruere, atque hoc tempore cæcati ipſi potius a Chriſti unitate ſeparantur. His itaque ad medium recitatis, adjudicante univerſa ſynodo, conſtituimus ut nullus deinceps ad injuriam Domini imperatoris præſumat de hac quæſtione diſputare, & ei ſubditos a ſervitio & communione ipſius ſubtrahere: Ad hoc etiam quod genus ultionis mereantur ſubire qui hortatu ſchiſmaticorum juramenta regi, & principibus facta non timent violare; ſicuti Auguſtini auctoritatem induximus: *Si quis laicum, juramentum violando profanat, quod regi & domino ſuo jurat, & poſtmodum perverſe ejus regnum & doloſe tractaverit, & in mortem ipſius aliquo machinamento inſidiatur, quia ſacrilegium peragit, manum ſuam in Chriſtum Domini mittens, anathema ſit, niſi per dignam pœnitentiæ ſatisfactionem emendaverit, ſicut conſtitutum eſt a ſancta ſynodo, & ſeculum relinquat, arma deponat, in monaſterium eat, & pœniteat omnibus diebus vitæ ſuæ; verumtamen communionem cum euchariſtia in exitu ſuo accipiat. Epiſcopus vero presbyter, diaconus, ſi hoc crimen perpetraverit, degradetur.* His vero diligenter expoſitis, ſumma nos neceſſitas compulit ad ea, quæ de ſacramentis eccleſiaſticis inimici chriſtianæ religionis adverſus catholicam fidem oblatrant, diſcretas auctoritates opponere, & quæ dicere & audiri nefas eſt, probabilibus argumentis confutare. Dicunt attamen ſacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, conſecrationes chriſmatis, imo quæcumque ad epiſcopale & ſacerdotale officium pertinent, ab his, qui ſedæ eorum non communicant, celebrata nulla prorſus eſſe ſacramenta, & nihil aliud ſuſcipientibus niſi damnationem conferre. Nam panem illum, qui de cœlo deſcendit, in quo tota ſalus & vita noſtra conſiſtit, impio blaſphemantes ore, pollui potius, quam conſecrari aſtruunt; aquam quoque baptiſmatis per ſacerdotum preces, ac benedictiones & chriſmatum admixtiones nihil ſanctificationem ſuſcipientem his, qui regenerandi ſunt, potius ſordiditatis maculas, quam ſpiritales mundicias ajunt præſtare. Sic etiam peſſime ſentiunt de reiterandis eccleſiaſticis ordinibus, de reconſecrandis eccleſiis, & pueris reconſignandis; poſtremo de omnibus idem teſtantur, quæ per ſacerdotale officium chriſtianis conferuntur. De his itaque diutius laborantibus, ſingulis eorum erroribus opponenda cenſuimus, quibus manifeſte declaratur, non ſolum apud nos Dei gratia catholicos, verum etiam apud ſchiſmaticos, & hæreticos, hæc omnia eſſe rata nec ulla unquam ratione iteranda. Auguſtinus ſuper Johannem: *ſive aut baptizet ſervus bonus, ſive ſervus malus, non ſciat ſe ille baptizari qui baptizatur, niſi ab eo, qui ſibi tenuit baptizandi poteſtatem.* Et paulo poſt: *non exhorreat columba miniſterium malorum, reſpiciat Domini poteſtatem. Quid tibi faciat malus miniſter, ubi eſt bonus Dominus? & te non decipiant ſeductores. Agnoſce quod docuit columba: Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto*; & in ſequentibus dicit: *ſeductor non habes baptiſmum, malus tibi dedit, traditor neſcio quis dedit. De officiali non diſputo, judicem adtendo, ego a Chriſto ipſo baptizatus ſum. Non*, inquit, *ſed ille epiſcopus te baptizavit, & ille epiſcopus illis communicavit. A Chriſto ipſo ſum baptizatus, ego novi. Docuit me columba quam vidit Johannes. O milvi non me dilanias male. Juſtos*, inquiunt, *oportet eſſe tanti judicis miniſtros. Sint miniſtri juſti, ſi velint; ſi autem ſuperbus fuerit miniſter, cum Diabolo computatur; ſed per illum domum Chriſti non contaminatur. Quod per illum fluit, purum eſt; quod per illum tranſit, liquidum eſt. Puta quod ipſe lapideus eſt, quod ex aqua fructum ferre non poteſt, & in canali lapideo aqua nihil generat, ſed hortis fructum afferet. Spiritualis vero virtus ſacramenti ita eſt, ut lux, quæ & ab illuminandis pura excipitur, & ſi per immundos tranſeat non inquinatur. Quos baptizat ebrioſus, quos baptizat homicida, quos baptizat adulter Chriſtus ipſe baptizat.* Idem ad Vincentium Donatiſtam: *Non ſacramenta chriſtiana faciunt te hæreticum, ſed prava diſſenſio. Non propter malum, quod proceſſit a te, negandum eſt bonum, quod remanſit in te, quod malo tuo habes, ſi ibi non habes, unde eſt bonum quod habes. Ex catholica itaque eccleſia ſunt omnia ſacramenta dominica, quæ ſicut habetis & datis, quomodo habebantur & dabantur etiam priuſquam inde exiretis. Non tamen ideo non habetis, quia non eſtis ibi, unde ſint quæ habetis. Non in nobis mutavit, in quibus eſtis noniſcum. Nam & de talibus dictum eſt, quoniam in malitia erant mecum. Sed ea corrigimus, in quibus non eſtis nobiſcum, & ea vos hoc accipere volumus, quæ non habetis illic ubi eſtis. Nobiſcum autem eſtis in baptiſmo, in ſymbolo, in cæteris dominicis ſacramentis. In ſpiritu autem unitatis, & in vinculo pacis, in ipſa denique catholica eccleſia nobiſcum non eſtis.* Item in quarto libro contra Donatiſtas: *Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur: ergo hæreticus dimittit peccata, cum juxta te baptizat: ſic & ego cum dico: ergo avarus religionis ſimulator peccata dimittit? Si per vim ſacramenti, ſicut ille ita & ille: ſi per meritum ſuum, nec ille, nec ille. Illud igitur ſacramentum, & in malis hominibus Chriſti eſſe cognoſcitur.* Item in quinto libro contra Donatiſtas: *quomodo aquam mundat & ſanctificat homicida! quomodo benedicunt Deum tenebræ? ſi autem Deus adeſt ſacramentis & verbis ſuis, per quales libet adminiſtrentur & ſacramenta Dei ubique recta ſint, & mali homines, quibus nihil proſunt, ubique ſubverſi.* Item in eodem: *Quomodo exaudiet Deus homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ tamen omnia, & ſunt & valent etiam per homicidas, ideſt, qui oderunt fratres, etiam in ipſa intus eccleſia.* In eodem: *Sicut ficti veraciter converſi recipiuntur, nec tamen eorum baptiſma reprobatur; ſic & illa quam ſchiſmatici vel hæretici aliter habent, nec aliter agunt, quam vera eccleſia, cum ad nos veniunt, non emendamus, ſed potius approbamus. Ita ergo nec ſoris, ſicut nec intus quiſquam, qui ex parte diaboli eſt, poteſt vel in ſe, vel in quoquam macularе ſacramentum, quod Chriſti eſt.* Hieronymus ad Luciferianum: *Sicut hic eſt qui baptizat, ideſt Chriſtus, ita hic eſt qui ſanctificat.* Idem: *oro*, inquit, *te ut aut ſacrificandi licentiam ei tribuas, cujus baptiſma probas; aut reprobes ejus baptiſma, quem non putes ſacerdotem. Neque igitur fieri poteſt, ut qui in baptiſterio ſanctus eſt, ſit apud altare peccator.* Papa quoque Anaſtaſius ſcribens ad Anaſtaſium imperatorem, aſſerit omnes, quos ordinavit Acatius, licet a B. Felice papa excommunicatus & hæretica pravitate infectus, debere in ſuis ordinibus abſque omni reordinatione permanere, ſic inter cætera dicens: *Acatius bonum male adminiſtrando, ſibi tamen nocuit, nam inviolabile ſacramentum, quod per illum datum eſt aliis, perfectionem ſuæ virtutis obtinuit.* His & aliis pluribus diverſorum patrum ſententiis recitatis illam ſynagogam Satanæ ad reddendam impietatis ſuæ rationem literis, & nuntiis noſtris ad ſynodum vocavimus, non tamen ut ipſi audientiam, in præteritis conciliis jam prorſus eis ex-

ANNO CHRISTI 1083.

ANNO CHRISTI 1083.

cluſam, mererentur; ſed ut pacem ſanctæ eccleſiæ, quæ per ipſos omnino diviſa eſt, in unitatem componeremus. Litterarum autem hic tenor fuit. ANNO CHRISTI 1085.

EJUSDEM

AD O. HOSTIENSEM.

De rebus a ſe in ſynodo Romana conſtitutis, & quod ad ſynodum vocatus non venerit, objurgat.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei O. olim dicto Hoſtienſi epiſcopo, & ſequacibus ſuis quæ merentur.

Ibid. n. 169. LIcet ſynodali audientia vos indignos feciſſetis, quia ad ſynodum ſanctæ Romanæ eccleſiæ multoties vocati venire recuſaſtis, & hac de cauſa excommunicati eſtis, tamen ut murmur populi erroribus infecti veſtris auferatur, apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ad ſynodum, quam in eccleſia beati Petri Deo auxiliante celebramus ſecuri penitus veniatis, ut de eo quo ſanctam eccleſiam perturbaſtis, ſicut decet, rationem reddatis. Verum ipſi nec Deum timentes, nec hominem reverentes, legatos, & literas noſtras nec audire nec videre voluerunt. Unde in erroribus ſuis perdurantes ex latebris quas ſerpentino more incolunt, ad decipiendos incautos, vel ſimplices dira ſibila emittunt, acuentes linguas ſuas ſicut ſerpentes venenum aſpidum ſub labiis eorum &c. Quantæ igitur humani ſanguinis effuſiones in Italico & Teutonico regno occaſione prædicationis eorum factæ ſint, quantæ eccleſiarum deſtructiones, quanti viduarum & orphanorum gemitus; poſtremo quantæ univerſi pene Romani regni depopulationes, lucidius ex eorum gemitibus, qui opprimuntur, quam noſtra relatione comprobatur. Præterea placuit ſancto conventui, ut in Simoniacos, qui eccleſiam Dei latronum ſpeluncam fecerunt, debitæ animadverſione inveheremus, & redivivum caput illius hæreſeos totiens a ſanctis patribus abſciſſum gladio beati Petri amputaremus. Unde eorumdem patrum ſanctorum documenta ſectantes apoſtolica auctoritate præcipimus, ut nullus deinceps alicui manum præſumat imponere potius quam peſſimi commercii conventione. Si vero, quod abſit, hoc crimen in aliquo deinceps repertum fuerit, & ordinator propria in perpetuum careat dignitate, & ordinatus nihil ex ea, quæ per commercium facta eſt, perficiat ordinatione. Præterea, quod ſilentio prætermittendum non fuit, quia murmur populi adverſus incontinentiam clericorum paſſim creſcit ac dilatatur, utile viſum fuit, ut ea qua debetis diligentia, miniſtros altaris ſecundum ſtatuta canonum vivere, atque munditiam caſtitatis, ſine qua, teſte apoſtolo, placere Deo non poſſunt, irreprehenſibiliter cuſtodire commoneatis, quatenus de correctione eorum ab his qui foris ſunt, bonum teſtimonium habentis, & murmurantis populi inſolentiam quieſcere faciatis. Hi vero qui miſſas peccatorum ſacerdotum reſpuunt, & qui eis ante judicii noſtri cenſuram opinionis ſuæ præjudicium inferunt, communione ſanctæ eccleſiæ uſque ad emendationem priventur. Conjunctiones autem conſanguineorum fieri prohibete, quoniam has, & divinæ & ſæculi prohibent leges. Conſideret vero, fratres dilectiſſimi, veſtra excellens prudentia, quam bonum ſit perſiſtere in diſpenſatione vobis credita, & in fide recta, atque hæreticis, & æmulis Chriſti repugnare, & nunquam a veritatis tramite declinare, quam Dominus & Salvator omnium, cujus fidem tenemus, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio nos ſanguine redemit, fidem B. Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod apoſtolicos pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter ſemper feciſſe, cunctis eſt cognitum, quorum & puſillanimitas mea, licet impar & minima pro ſuſcepto, tamen divina dignatione miniſterium pediſſequa cupit exitiere. Væh igitur erit nobis, qui hujus miniſterii onus ſuſcepimus, ſi veritatem fidei ad hujus deſtructionem erroris prædicare neglexerimus. Væh erit nobis ſi veritatem ſilentio opprefſerimus, quam erogare nummulariis jubemur. Idcirco, fratres, hortor dilectionem veſtram, obteſtor & moneo, ut qua debetis & poteſtis, ſollicitudine vigiletis, ad inveſtigandos hæreticos, & inimicos ſanctæ Dei eccleſiæ, & a ſanis mentibus ne peſtis hæc latius divulgetur, ſeveritate qua poteſtis pro viribus extirpetis, quoniam ſicut habebit a Deo dignæ remunerationis præmium, qui diligentius quod ad ſalutem commiſſæ ſibi plebis proficiat, fuerit executus; ita ante Tribunal Domini de reatu negligentiæ ſe non poterit excuſare quicumque plebem ſuam contra tam ſacrilegæ perſuaſionis auctores noluerit cuſtodire. ANNO CHRISTI 1085.

EJUSDEM

AD ROTBERTUM BAMBERGENSEM EPISCOPUM.

Monet ut ad ſynodum accuſator Ruithardi Moguntini archiepiſcopi veniat.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei R. confratri, & coepiſcopo Babenbergenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. n. 170. QUod contra eccleſiæ demolitores & noſtros æmulos juſte diſputando fortiter ſtabas, audivimus & gaviſi ſumus, ideoque tibi gratias referimus. Quod autem quæ de eccleſia tua Romana debes eccleſiæ, te diu injuſte detinuiſſe patienter expectavimus, non propter ignorantiam fecimus, ſed gratuitam obedientiæ tuæ præſtolati ſumus benevolentiam. In hoc quam parum profecimus, monemus te, & firmiter præcipimus, ut quod debes ſolvas, ablatumque temere, reſtituere non differas. Si hoc non feceris, etiam advocato noſtro imperatori, & omnibus fratribus noſtris publice & per legatos noſtros querimoniam faciemus. Moguntino epiſcopo, quem nobis peſſimis criminibus accuſando detuliſtis, ad reſpondendum nobis inducias dedimus ad feſtum ſancti Michaelis. Huic rei te cum cæteris fratribus noſtris volumus intereſſe, ut ſicut eum accuſaſti abſentem, ita illum veris teſtimoniis ſub noſtra auctoritate convincatis præſentem. Relatum eſt nobis a quibuſdam, quod Judæis baptizatis neſcio qua ratione permiſſum ſit, apoſtatare, ritumque Judaiſmi excolere. Quod quia inauditum eſt, & prorſus neſarium, te & omnes fratres noſtros verbo Dei conſtringimus, quatinus id ſecundum canonicam ſanctionem, & juxta patrum exempla corrigere feſtinetis, ne ſacramentum baptiſmi, & ſalutifera invocatio nominis Domini videatur annullari.

EJUS-

ANNO CHRISTI 1085.

EJUSDEM
AD RUITHARDUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Diem illi ad ſynodum Vercellis agendam dicit.

Clemens epiſcopus, ſervus ſervorum Dei R. confratri, & coepiſcopo Moguntino ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. n. 170. NUperrime per confratrem noſtrum Epiſcopum Faventinum fraternitati tuæ, ut ad ſynodum, quam pro totius eccleſiæ neceſſariis cauſis in jam dicto loco & tempore celebraturi ſumus, omni poſtpoſita occaſione advenires, mandavimus, & per ſummam obedientiam præcepimus. Et primum quidem bene promiſiſti, verum poſtea voluntate tua in aliqua parte peracta, cum prædictus nuncius rediens veram tibi ut cæteris obedientiam injungeret, dixiſti, te a nobis per tuum nuncium eſſe relaxatum. Quod ut audivimus, quam graviter tulerimus, nequit efferri. Hoc enim dictum magna perturbatio ſynodi videbatur, cum omnes pene ſuffraganei tui ad te reſpiciant, cum omnium vox ſit, quod magiſter meus fecerit, hoc faciam. Quapropter eidem N. qui tam nefandum, tam execrabile, tam nocivum ſanctæ & univerſali eccleſiæ mendacium protulit, omne divinum officium apoſtolica auctoritate interdicimus, donec ad nos veniens de tanta tam deteſtandi mendacii iniquitate ſatisfaciat. Quod niſi uſque ad feſtum ſcilicet Michaelis ad nos de hac re ſatisfacturus venerit, ampliori quam forſitan æſtimet excommunicationi ſubjacebit. Tibi vero apoſtolica auctoritate & per veram obedientiam iterum atque iterum præcipimus, ut ad ſynodum in feſto ſancti Dionyſii Vercellis celebrandam venias, & omnes ſuffraganeos tuos per eamdem obedientiam admoneas.

ANNO CHRISTI 1085.

CONVENTUS PERESTADENSIS

In cauſa diſſidii eccleſiaſtici & civilis Germaniæ tollendi,

ANNO 1085. CELEBRATUS.

Ibid. pag 61. QUem Venetus Labbei editor in Verbac Thuringiæ loco habitum refert conventum, hunc annaliſta Saxo Eccardi & chronographus Saxo Leibnitii in Perteſtat, ſive Veraſtat Thuringiæ villa coactum narrat die XIII. Kal. februarii anni 1085. Acta ejus ex utroque hoc hiſtorico (nam utrique inter ſe conveniunt) hic damus, utpote quæ Venetus ille Labbei editor ſatis habuit accepiſſe ex Pagio, qui ſuo more res indicat non exponit.

Utriuſque partis (*Saxones nempe qui Herimanno, & Germani cæteri qui Henrico regibus favebant*) primates ob diſcutiendam tam immortalem controverſiam XIII. Kal. februar. apud Pereſtad Thuringiæ villam convenerunt. Hinc archiepiſcopi, Otto Hoſtienſis a ſuo Gebehardo Conſtantienſi digreſſus, Harwigus Magedaburgenſis, & improperium Chriſti theſauris Ægyptiorum præferens Gebeardus Wianenſis, * epiſcopi quoque Hugo Hildinisheimenſis, Burchardus, ſive Bucco Halberſtadenſis, Hartwich Viridunenſis, Guernerus Mersburgenſis, Heinricus Patherbrunenſis deſignatus & adhuc tantum ſubdiaconus: Illinc Liemmarus Bremenſis, & qui ab illius partis papa pallia acceperant, Mogontinus, Colonienſis, Treverenſis, & quicumque eis favebant eorum ſuffraganei ſuſceperunt defenſionem cauſæ: Hinc Gebeardus Javanenſis archiepiſcopus, illinc vero Mogontinus legendo, Trajectenſis ſermocinando, ſtabant arrectis auribus diverſæ ſæcularium perſonæ velut in turbulentiſſimi temporis cauſa, angelico quodam examine diſcutienda. Juvanenſis vel Salzeburgenſis exordiens dixit: *Venimus probare, prout condictum, licitum nobis non eſſe, ut communicemus his, qui nobis nuntiati ſunt excommunicati; & maxime quos papa poſſeſſa abſque contradictione apoſtolica ſede, in publica ſynodo excommunicavit, nobis & eos excommunicatos cum cauſa excommunicationis, & ne eis communicemus per literas demandavit.* Hæc dicendo ut fidem verbis daret mandati ejuſdem indices ſigillatas apoſtolici epiſtolas complures præſentat, & obediendum ejus edictis, nec communicandum his, qui nuntiantur excommunicati, Evangelica apoſtolica, decretali apoſtolicæ ſedis Præſulum, & diverſorum canonum auctoritate probat. E contra Trajectenſis: *ſententia*, ait, *veſtræ nullus noſtrum, cujus hic cauſa diſcutitur, negamus excommunicatum, quia apoſtolicus injuſte ſecum egit, excommunicans quem excommunicare non debuit.* Cujus ſermocinatione cum Moguntinus jam probaturus eſſet legendo; Juvanenſis reſponſum non differens aſtipulatur, ex inſtitutis Gelaſii & Synodorum Nicænæ & Sardicenſis nulli quamvis injuſte excommunicato communicandum ante utriuſque partis examinationem, & niſi reconciliato per ſuum excommunicatorem. Et ecce Mogontinus expectato potitus ſilentio legerat capitulum: nullum rebus ſuis ſpoliatum ad ſynodum poſſe vocari, judicari, damnari, & hoc laicis exponens teſtatus eſt, quia nec potuerit apoſtolicus excommunicare dominum ipſorum, poſtquam Saxones, & aliqui Suevorum ab eo defeceſſerant, magna ex parte regni ſpoliatum. Ad hæc Juvanenſis: *capitulum, ait, hoc, nec univerſaliter verum, nec hujus auctoritate illum, de quo agitis, ab excommunicatione apoſtolica defenſum, facile probaremus; ſed de noſtro periclitaremur gradu, ſi contra Apoſtolicorum Gelaſii, Nicolai, & aliorum multorum edicta apoſtolicæ ſedis retractaremus judicia, cum illius ſit de omni judicare eccleſia, nullius de illa. Et ideo cum primum hæc indicta eſt dies colloquii hujus, actionem hanc cautela reſpectu determinavimus, ut de alia re nulla vobis hic reſpondendum affirmaremus, niſi catholica lege nos conſtringi, ut eis non communicemus, quos nobis præſul ſedis apoſtolicæ & a ſe excommunicatos, & ne eis communicemus certa legatione demandavit; & hoc non alio nos pacto adhuc conventum inductos veſtros hujus colloquii teſtamur mediatores.* Sic iſtis edicta patrum exorbitare nolentibus, illis quod Romæ oportuit definitum eſſe in bivio, & ſubalterno auditore retractari poſcentibus, infecto diſceditur negotio.

* Juvavienſis ſeu Salzburgenſis.

Vide ſupra in Synodica concilibuli Rom. 1085.

GLO-

ANNO CHRISTI 1085.

GLOCESTRENSE CONCILIUM

A Lanfranco Dorobernenſi archiepiſcopo anno 1085. *celebratum.*

ANNO CHRISTI 1085.

Ibid. pag 68 Anno 1085.

QUanquam Gloceſtrenſis ſynodi meminit ex Spelmanno Labbeus, plus tamen aliquid de illo exhibet Wilkins in noviſſima conciliorum magnæ Britanniæ collectione, acceptum ex chronico Anglo Saxonico, cujus hæc ſunt verba: *Hoc anno ad natales Domini fuit rex in Gleawceſter cum ſuis proceribus, & tenuit ibi curiam ſuam quinque dies; poſtea autem archiepiſcopus & cleri habuerunt ſynodum tribus dierum. Ibi fuit Mauricius electus in epiſcopum ad Lundene, & Willelmus ad Northfole, & Radcardus ad Ceaſterſcire; hi autem omnes erant regis capellani.*

CHARTA REGIS WILLELMI PRIMI

Qua ſecernit placita eccleſiaſtica a cauſis civilibus.

Ex eodem Wilkins ib.

W. Dei gratia rex Anglorum R. Bainardo & G. de Magnavilla & P. de Valoines, cæteriſque meis fidelibus de Enex, & Herfordſchire & de Middletek, ſalutem. Sciatis vos omnes, & cæteri mei fideles, qui in Anglia manent, quod epiſcopales leges, quæ non bene ſecundum ſanctorum canonum præcepta, uſque ad mea tempora in regno Anglorum fuerunt, communi concilio, & concilio archiepiſcoporum & epiſcoporum, & abbatum, & omnium principum regni mei emendandas iudicavi. Propterea mando & regia auctoritate præcipio, ut nullus epiſcopus, vel archidiaconus de legibus epiſcopalibus amplius in Hundret placita teneant; nec cauſam quæ ad regimen animarum pertinet, ad judicium ſæcularium hominum adducant; ſed quicumque ſecundum epiſcopales leges de quacumque cauſa vel culpa interpellatus fuerit, ad locum, quem ad hoc epiſcopus elegerit & nominaverit, veniat; ibique de cauſa (vel culpa) ſua reſpondeat, & non ſecundum Hundret, ſed ſecundum canones & epiſcopales leges rectum Deo & epiſcopo ſuo faciat. Si vero aliquis, per ſuperbiam elatus ad juſtitiam epiſcopalem venire contempſerit & noluerit, vocetur, ſemel, ſecundo & tertio; quod ſi nec ſic ad emendationem venerit, excommunicetur, & ſi opus fuerit ad hoc vindicandum, fortitudo & juſtitia regis vel vicecomitis adhibeatur. Ille autem qui vocatus ad juſtitiam epiſcopi venire noluerit pro unaquaque vocatione legem epiſcopalem emendabit. Hoc etiam defendo & mea auctoritate interdico, ne ullus vicecomes, aut præpoſitus, ſeu miniſter regis, nec aliquis laicus homo de legibus, quæ ad epiſcopum pertinent, ſe intromittat, nec aliquis laicus homo alium hominem ſine juſtitia epiſcopi ad judicium adducat: judicium vero in nullo loco portetur niſi in epiſcopali ſede, aut in illo loco, quem epiſcopus ad hoc conſtituerit.

I. e. Inter Comitatus Chorg V. Hundredos.

ADDITIO VILK.

QUod tempus autem confectionis iſtius chartæ, videtur fuiſſe circa annum Domini MLXXXV. nam Matth. Pariſ. de geſtis regis Willielmi ſub hoc anno loquutus ait: Rex Willielmus paulo ante Remigio, Fiſcanni monacho dederat Dorkeceſtriæ prælatum; ſed Remigius anno MLXXXV. ad Lincolniam epiſcopatum tranſtulit, ibique condidit eccleſiam in ſummitate montis. Et hæc charta eſt inter privilegia epiſc. Lincoln. poſtquam translatus eſt epiſcopatus.

MOGUNTINUM CONCILIABULUM

A ſchiſmaticis epiſcopis anno 1085. *celebratum.*

Anno 1085. Ibid pag 69.

MOguntinum unicum conciliabulum Labbeus, cæterique cum illo agnoverunt, cum tamen reipſa duo celebrata, aliud ſcilicet hoc anno, aliud ſequenti, quibus ambobus miſſi a Clemente antipapa legati interfuerunt. Quæ vero uni eidemque concilio Labbeus aſſignat acta, hæc inter duo dividenda. Porro quæ dixi de conciliis duobus probantur auctoritate utriuſque hiſtorici Saxonis Eccardiani & Leibnitiani, qui duobus conſequentibus annis 1085. & 1086. Moguntinum concilium aſſignant. Accedit Colmæ Pragenſis chronic. Boem. lib. II. ad annum 1086. auctoritas, quippe qui eidem anno concilium quoddam Moguntinum adſcribit, cum reipſa conſtet an. 1085. concilium quoddam Moguntiæ convenisſe, ut Sigebertus & Bertholdus apud Labbeum notant. Vel igitur ſynodos geminas Moguntinas cum utroque hiſtorico Saxone agnoſcamus oportet, vel coævos ſcriptores in aſſignando anno Moguntini concilii erraſſe affirmandum eſt. Quid vero in hoc priori conciliabulo Moguntino actum ſit, ex antiſta Saxone Eccardi accipe: *Synodus itidem Moguntiæ apud S. Albanum habita eſt, cui interfuit Henricus, ubi præſentibus legatis Wicberti hæreſiarchæ, & Romanorum, omnes ſibi rebelles epiſcopi deponendi judicantur. Ibi etiam communi conſenſu, atque conſilio conſtituta eſt pax Dei.* Eadem ad literam apud alium Saxonem Leibnitii legas.

Ad conciliabulum vero anni 1086. ea pertinent, quæ hic exſcribo ex anonymi Zwetlenſi hiſtor. Roman. pontificum, quæ a ſæculo labente XII. ſcripta eſt, legenda in anecdotis Pezii to. I. par. III. pag. 386. ex quo hæc accipe: *Moguntiæ celebrata eſt ſynodus juſſu excommunicati principis, nonniſi etiam a privatis communione epiſcopis collecta, quæ depelli duos archiepiſcopos, & duodecim epiſcopos, eo quod nolentes excommunicatis communicare Romanæ ſedi obedierant, decrevit, ſuror eſſe Ariminenſis ſynodi, quæ a Conſtantio Arriano celebrata fuit, judicata eſt.*

Reliqua hujus concilii ſtatim expromam.

CHAR-

ANNO CHRISTI 1085.

CHARTA REGIS ANGLORUM WILLELMI I.

Qua secernit placita ecclesiastica a causis civilibus.

Ex cod. ms. penes doc. & cap. eccl. cathed S Pauli Lond. (A. f. 1. a.)

WIllelmus Dei gratia rex *Anglorum*, *R. Baiardo*, & *G. de Magnavilla*, & *P. de Valoines*, cæteriſque meis fidelibus de *Eſſex* & *Hertfordſcbire* & de *Middleſex* ſalutem. Sciatis vos omnes & cæteri mei fideles, qui in *Anglia* manent, quod epiſcopales leges, quæ non bene, nec ſecundum ſanctorum canonum præcepta, uſque ad mea tempora in regno Anglorum fuerunt communi conſilio, & concilio archiepiſcoporum, & epiſcoporum, & abbarum, & omnium principum regni mei, emendandas judicavi. Propterea mando, & regia auctoritate præcipio, ut nullus epiſcopus, vel archidiaconus, de legibus epiſcopalibus amplius in Hundret placita teneant; nec cauſam, quæ ad regimen animarum pertinet, ad judicium ſæcularium hominum adducant: ſed quicumque ſecundum epiſcopales leges, de quacumque cauſa vel culpa interpellatus fuerit, ad locum quem ad hoc epiſcopus elegerit & nominaverit, veniat; ibique de cauſa vel culpa ſua reſpondeat, & non ſecundum Hundret, ſed ſecundum canones & epiſcopales leges, & rectum Deo & epiſcopo ſuo faciat. Si vero aliquis, per ſuperbiam elatus, ad juſtitiam epiſcopalem venire contempſerit, & noluerit, vocetur ſemel, & ſecundo, & tertio: Quod ſi nec ſic ad emendationem venerit, excommunicetur; & ſi opus fuerit ad hoc vindicandum, fortitudo & juſtitia regis vel vicecomitis adhibeatur: Ille autem qui vocatus ad juſtitiam epiſcopi venire noluerit, pro unaquaque vocatione legem epiſcopalem emendabit. Hoc etiam defendo, & mea auctoritate interdico, ne ullus vicecomes aut præpoſitus, ſeu miniſter regis, nec aliquis laicus homo, de legibus quæ ad epiſcopum pertinent, ſe intromittat; nec aliquis laicus homo alium hominem ſine juſtitia epiſcopi ad judicium adducat: judicium vero in nullo loco portetur, niſi in epiſcopali ſede, aut in illo loco quem epiſcopus ad hoc conſtruxerit.

Quæ ad tempus autem confectionis iſtius chartæ, videtur fuiſſe circa annum domini MLXXXV. nam Matth. Paris. de geſtis regis VVilhelmi ſub hoc anno locutus, ait; Rex VVillielmus paulo ante, Remigio, Fiscanni monacho dederat Dorcestriæ præſulatum: Sed Remigius anno MLXXXV. ad Lincolniam epiſcopatum tranſtulit, ibique condidit eccleſiam in ſummitate montis. Et hæc charta eſt inter privilegia epiſc. Lincol. poſtquam tranſlatus eſſet epiſcopatus.

Ex cod. ms. in bibl. Cotton. ſub effigie Domitiani (A. f. 1. a.)

Concilia celebrata per Lanfrancum archiepiſcopum Cantuarienſem mox ſubjiciuntur.

Lanfrancus Cantuarienſis archiepiſcopus, & totius Angliæ primas, diverſa, in diverſis locis Angliæ, celebravit concilia; quibus, ad nutum ipſius Lanfranci interfuit Thomas Eboracenſis archiepiſcopus, cum cæteris epiſcopis Angliæ. Primum itaque celebravit idem Lanfrancus generale concilium apud Wintoniam; ſecundum apud Londoniam; tertium iterum apud Wintoniam; quartum, & quintum apud Gloceſtriam. His omnibus Lanfranci conciliis interfuit Thomas Eboracenſis archiepiſcopus. Interfuit etiam conſecrationibus epiſcoporum, qui a Lanfranco ſacrati ſunt; viz. Herneſti Roffenſis epiſcopi, quem ſacravit Lanfrancus apud Weſtmonaſterium: & Mauricii Londonienſis epiſcopi, quam ſacravit Lanfrancus apud Wintoniam.

Sic, & in cæteris, Thomas Eboracenſis, Lanfranci Cantuarienſis archiepiſcopi canonicis paruit juſſionibus.

Anno VIII. pontificatus ſui, obiit Lanfrancus Cantuarienſis archiepiſcopus apud Cantuariam; cujus interfuit ſepulturæ Thomas Eborac. archiepiſcopus cum cæteris epiſcopis Angliæ. *Præmittuntur vero.*

Chronic. ſaxon. ad. M.

CONCILIUM WESTMONASTERIENSE.

ANNO CHRISTI 1077.

IN charta Willielmi primi anno 1077. monaſterio Weſtmonaſterienſi poſt nomina teſtium, ſcilicet archiepiſcoporum, epiſcoporum, comitum, & aliorum ſeniorum, hæc pro auctoritate regis ad cauſas eccleſiaſticas tractandas inſeritur: Ego Robertus de Oleyo confirmavi, ego Hamo dapifer ſignavi, multis præterea illuſtrium virorum perſonis & regni principibus diverſi ordinis omiſſis, qui ſimiliter ſuæ confirmationi, piiſſimo affectu teſtes & fautores fuerunt; Hii etiam illo tempore a regia poteſtate e diverſis provinciis & urbibus, ad univerſalem ſynodum, pro cauſis cujuslibet ſanctæ eccleſiæ audiendis & tractandis, ad præſcriptum celeberrimum cœnobium, quod Weſtmonaſterienſe dicitur convocati.

Ex chron. Rad de Dicето.

CONCILIUM LONDINI.

ANNO CHRISTI 1078.

Habitum anno Domini 1078. *adventus Normannorum II. præſidente Lanfranco archiepiſcopi Cantuarienſis* &c.

QUo tempore; auctore Lanfranco, habitum eſt Londini antiſtitum, reliquorumque ſacerdotum concilium; in quo decretum eſt; ut aliquot ſedes epiſcopales, quæ in oppidulis & pagis antea fuerant, in urbibus & locis celeberrimis collocarentur. Quo factum eſt, ut Bathonia, Lincolnia, Sarisberia, Exonia, Ceſtria atque Ciceſtria, urbes hujuſmodi novo epiſcoporum domicilio, nobilitatæ ſint: id quod infra perappoſitus magis perſpicue indicabit locus. Adfuit in concilio Vulſtanus Vigornenſis epiſcopus, vir etſi literarum neſciens, ſanctitate tamen vitæ multo clariſſimus. Hunc Lanfrancus, ut hominem imperitum, & ob id quemadmodum prædicabat, minime ea dignitate dignum, privavit; quamquam illud &c.

Polyd. Virg. hiſt. Angl. lib 9 p. 178.

ANNO CHRISTI 1085.

CONVENTUS BERBACENSIS.

ANNO CHRISTI 1085.

Ex P. Pagio ad an. Chr. 1085. n. 1.

ANno Chriſti 1085. in Berbac loco in Thuringia poſito, communi partium conſenſu, ſeu Henricianorum & Catholicorum Conventus habitus, ut Canonum auctoritate probaretur, cui parti juſtitia faveret. Wecilo Moguntinus Archiepiſc. partes imperatoris abſentis, S. Gebhardus Sa-

ANNO CHRISTI 1085.

Salisburgenſis Archiep. Gregorii VII. cauſam defendit. Hujus conventus Acta ab Abbate Urſpergenſi & Waltramo ſeu Venerico in lib. de Unitate Eccleſiæ commemorata. Sed quia Epiſcopi partium Henricianarum ſententias a Gregor. VII. contra Henricum Regem latas, in Berbocenſi Conventu retractari voluerant, Otto ſedis Apoſtolicæ Legatus ſynodum Quintilineburgi cum Epiſcopis & Abbatibus Germaniæ celebravit.

ANNO CHRISTI 1085.

CONCILIUM QUINTILINEBURGENSE

CONTRA HENRICIANAM ET WECILIANAM

Hæreſim celebratum anno Domini MLXXXV. tempore Gregorii papæ VII.

Acta extant apud Bertholdum his verbis.

HErmannus rex in Quintilineburg paſcha celebravit, ubi & legatus domini apoſtolici in ipſa paſchali hebdomada generalem ſynodum cum archiepiſcopis, & epiſcopis, & abbatibus, ſancti Petri fidelibus, ſolemniter celebravit. Interfuit autem huic ſynodo Gebehardus reverendiſſimus Juvanienſis archiepiſcopus; item venerabilis Hartungus Magdeburgenſis archiepiſcopus cum ſuffraganeis ſuis. Item ſuffraganei Moguntinæ ſedis de Saxonia: nam Wirceburgenſis & Wormatienſis, Auguſtenſis quoque & Conſtantienſis de Alemannia; quique ipſi canonica neceſſitate impediti venire non potuerunt, per legationem ſuam ſancto concilio repræſentaverunt, ſeque per omnia ejuſdem ſynodi ſtatutis aſſenſuros mandaverunt. Rex etiam Hermannus cum ſuis principibus eidem ſynodo interfuit. Cum ergo omnes juxta ordinem ſuum conſediſſent, prolata ſunt in medium decreta ſanctorum patrum de primatu ſedis apoſtolicæ: quod nulli unquam liceat ejus judicium retractare, & de ejus judicio judicare. Quod de totius ſynodi publica profeſſione laudatum & confirmatum eſt. Et hoc utique contra Henricianos, qui fideles ſancti Petri conſtringere voluerunt, ut excommunicationem domini papæ Gregorii ſuper Henricum cum illis retractare præſumerent.

Quidam autem Bambergenſis clericus nomine Gumbertus, Romani pontificis primatui derogare volens, in mediam ſynodum ſe contulit, aſſerens Romanos pontifices hunc ſibi primatum adſcripſiſſe, non aliunde conceſſum hereditaſſe, videlicet ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio ſubjaceant. Qui cum aperte a tota ſynodo confutaretur, præcipue tamen a quodam laico convictus eſt per illud evangelicum: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.* Cum enim hoc generaliter in omnibus eccleſiaſticis ordinibus obſervandum deputetur, ne major a minore judicetur, quis hoc vicario ſancti Petri denegare potuit, quem omnes catholici pro domino & magiſtro venerantur?

Can. conciliI Quintilineburgenſis.

In eadem ſynodo ordinatio Wecilonis Moguntini invaſoris, & Sigefridi Auguſtenſis, & Norberti Curienſis, imo omnes ordinationes & conſecrationes excommunicatorum, penitus irritæ judicatæ ſunt, juxta decreta ſanctorum patrum Innocentii, Leonis primi, Pelagii, atque ejus ſucceſſoris Gregorii primi.

Item ſecta prædicti Wecilonis Moguntini invaſoris ejuſque ſociorum ſub anathemate damnata eſt, quæ aſſerit ſæculares ſuis rebus expoliatos eccleſiaſtico non ſubjacere judicio, nec excommunicari poſſe pro ſuis exceſſibus, quæque excommunicatos abſque reconciliatione recipi poſſe contendit.

I.

Statutum eſt autem ibi ut quicumque ab epiſcopo ſuo nec officio nec communione privato excommunicatus eſſet, etſi injuſte nullatenus tamen reciperetur ad communionem, niſi abſolutus eccleſiaſtico more.

II.

Similiter & pro ſacrilegio excommunicatos decrevit ſancta ſynodus non recipiendos, abſque ſolita reconciliatione, & niſi dudum quæ ſacrilege ſibi vindicaverant reddidiſſent.

III.

In eadem ſynodo presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, perpetua juxta decreta ſanctorum patrum indicta eſt continentia.

IV.

Item ſtatutum eſt ne laici pallas altaris & ſacra vaſa contingant.

V.

Item ne laici decimas ſibi vendicent in proprietatem, nec etiam in beneficium, niſi conceſſione legitimorum poſſeſſorum.

VI.

Item ut vernum jejunium in prima hebdomada quadrageſimæ, æſtivum in pentecoſte ſemper celebretur.

VII.

Item ne quis caſeum & ova comedat in quadrageſima.

Item ſynodali judicio confirmata & laudata eſt ordinatio domini Gebehardi Conſtantienſis epiſcopi, imo omnia quæ præfatus ſedis apoſtolicæ legatus, cum eſſet Conſtantiæ, ordinavit.

Item ibi mota eſt quæſtio de conſanguinitate regis & uxoris ſuæ. Unde & rex in media ſynodo ſurrexit, ſeque de hac re judicium ſanctæ ſynodi per omnia obſervaturum profeſſus eſt: ſancta autem ſynodus hanc cauſam in præſenti canonice examinari non poſſe judicavit, eo quod legitimi accuſatores non eſſent.

In fine autem ſynodi ſententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata eſt in Guibertum hæreſiarcham ſedis apoſtolicæ pervaſorem, & in apoſtatas ſancti Petri Hugonem Album cognominatum, Joannem Portuenſem ex-epiſcopos, Petrum excancellarium. *Erant hi pſeudocardinales Guiberti antipapæ ſectatores & acerrimi defenſores.*

Item in Liemarum Bremenſem, Utonem Hildinesheimenſem, Ottonem Conſtantienſem, Burchardum Baſileenſem, Hurmannum Spirenſem ex-epiſcopos.

Item in Vecilonem Moguntinum invaſorem, Sigefridum Auguſtenſem, Norbertum Curienſem. In hos, *inquam*, & in omnes eorum complices inevitabilis ſententia anathematis promulgata eſt.

Sub-

ANNO CHRISTI 1085. Ex Labbei App. Tom. X.

Subſtripſerunt per ſe aut per legatos ſuos.
Hermannus rex Romanorum.
Otto monachus Cluniacenſis, legatus Gregorii papæ.
Gebhardus Salisburgenſis,) archiepiſcopi.
Harduvicus Maydemburgenſis.)
Adalbero Virtzburgenſis,)
Altmannus Bathavenſis,)
Bernardus Mersburgenſis,)
Guntherius Citicenſis,)
Benno Mœſianus,)
Albertus Vangionus,) epiſcopi.
Burchardus Halberſtatenſis,)
Hermannus Mediomatricus,)
Reginardus Mindenſis,)
Wigoldus Auguſtanus,)
Gebhardus Conſtantienſis,)
Henricus Bambergenſis.)
Eckbertus marchio Saxonum Brunovicenſium,
A Henricus Craſſus filius Ottonis ducis Bavariæ,
Conradus comes a Beuchlingen.

ANNO CHRISTI 1085.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium*.) Auctoritate ſchiſmaticorum iſtorum, quos Gregorius excommunicaverat, orta eſt hæreſis Henriciana, cujus ſectarii docebant id quod politici noſtri temporis aſſerunt, imperatoribus & regibus non tantum temporalia, ſed etiam ſpiritualia ſubjecta eſſe, adeoque non eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, niſi quem rex germanus in ſacroſanctum Petri thronum intruſiſſet. Cauſam erroris & hæreticæ pravitatis præbuit Henricus rex Germaniæ tertius, qui Gregorio ſexto pontifice ad reſignandam ſedem coacto, malo filio peſſimoque nepoti exemplum reliquit. Vvecilana hæreſis cujus ſectatores Vvecilini ignominiæ cauſa denominati fuerunt, originem ſumpſit a Vvecilone, quem Henricus ex fugitivo clerico poſt obitum Sigefridi Moguntienſi ſedi obtruſerat. Hic, prout acta ſynodalia teſtantur, docebat quod quamdiu quis ſuis ſpoliatus eſt, rebus divinis legibus non ſubjaceat.

Henriciana hæreſis quæ.

Wecilana hæreſis & unde orta.

CONCILIUM COMPENDIENSE,

In quo præſide Raynaldo metropolitano Remenſi probata eſt monaſterii S. Cornelii Compendienſis ad Iſaram fluvium exemptio a juriſdictione epiſcopi Sueſſionenſis anno Chriſti MLXXXV. ind. VIII. anno Philippi regis Francorum XXIV

Privilegia eccleſiæ SS. Cornelii & Cypriani.

Ex ll. tom. ſpicilegii Duchesniani p. 598. Eccleſia Compendienſis a Carolo Calvo fundata, & a Joanne pontifice confirmata nulli ſubeſt epiſc.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Philippus Dei gratia Francorum rex.

Quia divina præveniente diſpenſatione Compendienſem eccleſiam fundatam quidem a domno Karolo illuſtri ac nobiliſſimo Francorum rege, ac imperatore Romanorum, prædeceſſore noſtro, a ſancto Joanne Romano pontifice cum ſeptuaginta duobus epiſcopis ſolemniter celebri honore ac decore ſpeciali dedicatam, condigno tenore libertatis ad tempora noſtra viguiſſe cognovimus, nullius quoque metropolitani epiſcopi, nullius dominationi, nec ipſius Sueſſionenſis fuiſſe conſtat obnoxiam. Eamdem ipſam eccleſiam in eodem honore ac priſtina libertate, tam noſtro tempore, quam ſucceſſorum noſtrorum retinendo conſervare, conſervando retinere deſtinamus, volumus & debemus.

Epiſcopi & abbates qui aderant in concilio.

Unde notum fieri volumus fidelibus noſtris tam præſentibus quam futuris, quod Hilgotus Sueſſionenſis epiſcopus præfatæ videlicet eccleſiæ canonicos noſtros de quibuſdam quæ eos adverſus eccleſiam ſuam, & ſeipſum commiſiſſe querebatur, in concilio Compendii celebrato in præſentia domni Rainaldi Remenſis archiepiſcopi & cæterorum epiſcoporum qui eo convenerant, Elinandi videlicet Laudunenſis epiſcopi, Rogerii Catalaunenſis, Urſionis Belvacenſis, Urſionis Sylvanectenſis, Roriconis Ambianenſis, Ratbodi Noviomenſis, Gerardi Cameracenſis, Gorfridi Pariſienſis, Gualteri Meldenſis: abbatum quoque Gervini de ſancto Richario, Ewrardi Corbejenſis, Godefridi de monte ſancti Quintini, Burchardi de ſancto Baſolo, Ingeleri de Foreſtenſi monaſterio, Walteri de ſancto Joſcio, Benedicti de ſancto Criſpino, Roberti de Haſnun, Henrici de ſancto Remigio, Fulcardi de Irant, Winandi de ſancto Bavone, Petri de ſancto Luciano, Arnulphi de Lobiis, Huberti de ſancto Winocio, Giraldi de Ham, Willermi de Britolio, Hugonis de ..... de ſancto Theodoro, Petri de Altovillari, Radulphi de S. Symphoriano contra conſuetudinem ac libertatem eiſdem canonicis a patribus noſtris, & a nobis traditam & conceſſam ad contemptum prædeceſſorum majeſtatis, ubi & ad quos nullatenus oportuerat, cauſare præſumpſit. Nos vero illius querimoniam ..... a nullo metropolitano, a nullo etiam epiſcopo juſticiari, nec ad placita, ſeu ad agendas cauſas deberent invitari vel compelli, in eodem ipſo concilio coram prænominatis perſonis, tum decretis Romanorum pontificum, tum conſuetudinibus ipſius eccleſiæ ad nos uſque derivatis, & habitis, plenarie differentes evidenter oſtendimus. Et ut ipſi fratres quemadmodum ad tempora noſtra fecerant, ſine qualibet inquietudine, cum omni tranquillitate Deo militantes, eidem devotiſſime ſervire ſtudeant & placere, nos ipſos divinæ propitiationi reconciliantes quatenus nullus primas, nullus metropolitanus, nullus epiſcopus ipſos ad judicia compellat, vel invitet, nec aliquando juſticiare præſumat tam noſtro tempore, quam ſucceſſorum noſtrorum, videlicet regum Francorum: nos ipſi pariter decernentes annuimus, & annuendo decernimus.

Et ut hoc ſtatutum, ſicut dictum eſt, a patribus noſtris ad nos uſque derivatum & habitum, & a nobis ipſis approbatum & conceſſum, deinceps firmum & inconcuſſum permaneat: neve quis deinceps huic decreto prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtræ majeſtatis, ipſius eccleſiæ noſtræ præfatæ conſuetudini obviare audeat, memoriale iſtud inde fieri, & noſtri nominis charactere, & ſigillo ſignari, & corroborari præcipimus.

Actum Compendii palatio, anno incarnati verbi milleſimo octuageſimo quinto, indictione octava, anno regni noſtri vigeſimoquarto, Gosfrido Pariſiorum epiſcopo archicancellario noſtro.

P
Signum Philippi P---Y---S Francorum regis.
L

* *legendum* Richerii de S. Theoderico.

ANNO CHRISTI 1085. Pag 600. e ſeqq. eidem Spicilegii.

eodem concilio Compendienſi, in quo Raricus Ambianenſis epiſcopus confert canonicis eccleſiam SS. Acii, & Acheoli, eamque dotat una cum Ingelramo comite, & Euſtachio Vicecomite an. MLXXXV.

RAricus patientia Dei, pietate & gratia, humilis præſul Ambianenſis, licet peccator, nec infula dignus, tantæ pietatis fidelibus parvitatis meæ officio creditis, de valle lacrymarum feliciter exire, ac cum domeſticis Dei in monte ſancto ejus perenniter quieſcere. Divinæ paginæ tuba excitati erudimur imminere tempus jam nos de ſomno ſurgere, leonem rugientem, qui circuit quærens quos devoret, viriliter conculcare, & omnia noſtra cum caritate diſponere. Feſtinemus igitur divinitus armati adverſus aereas poteſtates piis actibus inſudando progredi, & decertare, quatenus aſſociati in ſuperna Sion vota laudum valeamus perſolvere.

In hac igitur requie, & ad nuptias Agni cum ſinceritate mentis & eloquii tenore, antequam janua claudatur, * mereamur accumbere: Eccleſiam quamdam, quam B. Firminus confeſſor, dum primitus hanc urbem a cultu dæmoniacæ ſervitutis erueret, & per ſalutis lavacrum idem ipſe paranymphus cæleſtis virginem caſtam, maculam non habentem, aut rugam uni viro Chriſto copularet, in honore ſanctæ & perpetuæ virginis fundavit. Poſtea vero a ſanctis martyribus Aceo & Acheolo antiquitatis noſtræ tempore ſibi nomen optavit, divinæ miſerationis manu cælitus attracti, totiuſque ſenatus noſtri aſſenſu, officii noſtri auctoritate, ab omni reditu epiſcopi, miniſtrorumque ejus liberam eſſe decernimus, & in ea clericos qui canonice & regulariter Deo ſerviant, deputamus. Altaris bona, atrii & eccleſiæ totius reditus univerſos, & fidelium devotio quicquid eis contulerit, victui eorum integre & illibate aſcribimus. Concedimus etiam pietatis oculo providentes totam villam Huy, & univerſa ad hanc villam pertinentia, aſſenſu & petitione totius noſtri capituli eccleſiæ tantæ antiquitatis: Ita quidem, ut pro terra illa nobis & ſucceſſoribus per ſingulos annos ſolidos octo perſolvant in celebritate martyrii B. Firmini.

Ad honorem vero patroni noſtri martyris & epiſcopi Firmini, cujus ſacratiſſimum corpus per tot annorum * circula in eccleſia, debita veneratione quievit, communi aſſenſu amoris dulcedine G. fratris noſtri & ſubdiaconi, præbendam perpetualiter habendam conceſſimus fratribus ibi deputatis, aut vivente eo, ſi ita diſpoſuerit, aut potius quando gradietur viam univerſæ carnis; ita ut arbitrio eorum de præbenda procurent perſonam eligere, qui quoad vixerit uſumfructum obtineat præbendæ. Si autem de medio abierit, quicquid victui noſtro conveſcentibus nobis in refectorio ſervabitur, canonicis ſancti Acheoli abſque retractione diſtribuatur. Quidquid vero ſupererit canonicis ſancti Martini erogetur. Provideant autem arbitrio capituli noſtri quatenus vicarius eorum de hac præbenda in canonicis horis perſolvendis nobiſcum canonice aſſiſtat. Qui autem eccleſiæ illius prioratum habuerit, una integra hebdomada ſicut eccleſiæ noſtræ ſacerdotes miſſarum ſolemnia concelebret.

ANNO CHRISTI 1085.

Et quia, ut præfati ſumus, eccleſia hæc genitricis Dei dicata fuerat, & hujus cathedræ pontificum pulvis ſacer diu in ea latuerat, canonicorum B. Mariæ, & almi martyris Firmini, quorum prius fuerat, ditioni tantum committatur: ita ut annis ſingulis ſanctorum Honorati, Fuſciani & ſociorum ſolemnitatibus interſint; & in celebritate martirii S. Firmini in die ad miſſam cum proceſſione pro viribus ordinata veniant, fratribuſque noſtris canonicis cereos duos ſolidorum duorum ab omni alia exactione immunes perſolvant, qui ad laudem tanti martyris tam in domo Dei, quam in refectorio lumen præbeant.

Ad exequias funebres * congregationis noſtræ cum candelis veniant, donec funeratorum corpora tegat humus, nobiſcum maneant. Inde recedentes uſque ad diem trigeſimum fratris qui obierit Deo animam commendent, vigilias, miſſarumque ſolemnia pro redemptione ejus concelebrent. Nos quoque dulcedinis affectu, obſequium hujuſmodi, ſi quis eorum univerſæ carnis viam arripuerit, illis rependemus; quatenus pro invicem orantes in libro vitæ nos imprimat digitus Dei, palmam cujus, in loco quem diximus in conſecratione ſui corporis cernere gloriati ſunt pontifices ſacri, & a nobis tenebras depellat ſancta Trinitas lux inacceſſibilis, qui teſtem ſuum in eccleſia, de qua agimus, innoteſcere dignatus eſt radio Solis. Hoc opus Deo carum, & ad æternitatem gradientibus jucundum & acceptabile ſi quis contumax & invidus exterminare præſumpſerit, hunc notamus, & a corpore Dei oris gladio membrum corruptum & inſanabile reſecamus. Charta autem hæc in capitulo Ambianenſi recitata, voto & aſſenſu ſenatorum omnium noſtræ diœceſis, anno milleſimo octuageſimo quinto, indictione octava, ab incarnatione Domini.

Hoc autem anno juſtitiæ cultus, legumque, qui longo tempore marcuerat, refloruit: Dei enim zelus & eccleſiæ vigor, imo gladius in concilio Compendienſi de ore Dei procedens, Evrardum, baculum cilicet arundineum confractum, & lignum fumigans, de ſoliditate & ſplendore regiminis Corbeiæ, ſine ſpe recuperationis, abſtulit. Pax ſuper Hieruſalem & in templo Dei.

Ego quidem Ingelramus comes Ambianenſis, & Bothuenſis advocatus, patri & matri, mihique & ſucceſſoribus meis utiliter providens, de molendinis meis Bothuenſibus ſingulis menſibus ſextariæ quatuor de tritico menſuræ illius eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & SS. martyrum Acei & Acheoli, in perpetuum trado.

Ego vero Euſtachius vicedominus Ambianenſis de redditu ſextarii mei in Ambianica civitate ſextarios duos de frumento, uxore mea, & filiis meis annuentibus, omni menſe eccleſiæ prædictæ in perpetuum trado.

Quæ vero in concilio Pariſienſi conceſſa cœnobio Compendienſi, ſeu confirmata ſunt, ſuo poſtea loco ac tempori reſervantur.

* Forte, ut mereamur.

* Forte, circula. H.

* Deeſt, Fratrum.

In concilio Compend. exacto anno abbas Corbeiæ.

Conferunt bona eccleſiæ SS. Acei & Acheoli Ingelramus comes & Euſtachius vicedominus.

CON-

ANNO CHRISTI 1085.

CONCILIABULUM MOGUNTINUM,

QUO GREGORIO DEPOSITO GUIBERTUM

Juſte ſubrogatum fuiſſe declaratur anno Domini MLXXXV.

Acta concilii.

De hoc conciliabulo Sigebertus in chronico iſta habet: Henricus imperator Moguntiæ regali & ſynodali conventu coacto, exegit ab omnibus, ut Hildebrandi depoſitionem & Guiberti ordinationem ſubſcripto approbent. Cui aliqui manu & ore faventes, corde tamen Hildebrando adhærebant. *Interfuiſſe huic ſynodo legatos tanquam apoſtolicæ ſedis titulo miſſos a Guiberto antipapa, eidemque Wecilonem Moguntinum intruſum præfiſſe, auctor eſt Dodechinus. Bertholdus poſt ſynodum Quintilineburgenſem ſupra memoratam de hoc conciliabulo ita ſcribit*: Sed hi omnes adverſarii eccleſiæ Dei, excommunicati ſcilicet in ſynodo orthodoxorum, in tertia hebdomada poſt finitam ſynodum ſuam Moguntiæ collegerunt, non ſynodum, ſed conciliabulum, in quo umbratilem ſententiam excommunicationis contra fideles ſancti Petri deprompſerunt, utpote nequaquam illos excommunicare valentes, ſed apertiſſime ſeipſos a communione catholicorum ſequeſtrantes, ut non tantum judicio ſanctæ eccleſiæ, ſed & proprio eorum judicio, ſicut omnes hæretici, a catholicis eſſent ſeparati: ſedes quoque catholicorum epiſcoporum viventium temeraria cupiditate cæcati ſibi vendicare non timuerunt. *In eadem ſynodo Hermannum Metenſem, alioſque catholicæ communionis epiſcopos & acerrimos Gregorii papæ defenſores, ſubrogatis aliis in locum eorum, ſedibus ſuis ejectos eſſe teſtatur abbas Urſpergenſis.*

Qui interfuerint.

Qui autem interfuerunt huic concilio epiſcopi, hi numerantur ab Aventino, Wezilo Moguntinus, Angelbertus Trevirenſis, Segivinus Agrippinenſis, Luitmarus Bremenſis, archiepiſcopi.

Theodericus Virdunenſis, Heinricus Leodienſis, Conradus Trajectenſis, Udalricus Aichſtetenſis, Meginardus Fruxinenſis, Otto Reginoburgenſis, Rupertus Bambergenſis, Hermannus Spirenſis, Otto Conſtantienſis, Burckardus Loſanienſis, Sigefridus Auguſtanus; Gebhardus Pragenſis, Uto Hiltesheymenſis, Heinricus Padebornenſis, Erpho Monaſterienſis, Volckmarus Mindenſis, Bibo Tullenſis, Burckhardus Baſilienſis, Otto Argentoratenſis, epiſcopi.

Item legati aliorum epiſcoporum Galliæ, Italiæ, Germaniæ.

☞ HERMANNUS SPIRENSIS EPISCOPUS

Invitat Epiſcopos, & proceres Longobardiæ ad Moguntinum conventum.

In Domino Dominorum diligendis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Marchionibus, Comitibus, necnon etiam totius Longobardiæ tam minoribus, quam majoribus Hermannus Spirenſis Epiſcopus, ſervitutem, & orationem.

Apud Hartzheim Conc. Germ. tom. III. ex Cod. Tegernſeen. emendatum a Schannat.

SUper Regni perturbatione, Regiæque poteſtatis derogatione, necnon etiam ſuper vacillante ſtatu Eccleſiæ non minus ego dolens, quam cæteri Principes Regni, decrevimus Moguntiæ inire Concilium, ſi fieri poſſit, ut & regni perturbatio ſedetur, regia poteſtas redintegretur, & Eccleſiæ ne omnino naufragium patiatur, ſuccurramus. Quonam autem modo hoc fieri poſſit excogitare nequivimus, niſi caput peſtiferi Serpentis penitus abſcinderetur, cujus venenoſo afflatu hæc exorta hactenus intumuerunt: manente vero cauſa efficiente quomodo poterit effectus extirpari? Quo inito conſilio tam primates, quam minores firmiter, fideliterque decrevimus, ut Hiltebrandus ille Sedis Apoſtolicæ ſubdolus invaſor, divinarum, humanarumque legum execrabilis perturbator, Deo opitulante, omnimodis abdicetur, aliuſque in Sedem Apoſtolicam eligatur, qui diſperſa colligat, confracta conſolidet, non diſcordiam, non bella, ſed pacem in Sancta Eccleſia deſideret. Nec ab hoc negotio perficiendo ſtremuitatem veſtram abſterreat, quod prius in ſimili conſilio nos, portum tenentes, periculoſe procellarum jactationi vos commiſimus, ſed potius viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, qui ſperatis in Domino, pro certo ſcientes levius extorqueri clavam de manu Herculis, quam in præſenti negotio divellamur, vita comite, a vobis.

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Idem quoque teſtis eſt a ſchiſmaticis damnatum fuiſſe Gregorium tanquam Berengarii amicum: quod quam inſulſum ſit atque ridiculum nemo non videt. Occaſionem forte ſubminiſtrarunt illis commendatitiæ literæ quas Berengario poſt hæreſeos ſuæ publicam ejurationem dediſſe perhibetur Gregorius ſinito concilio Romano. Eas paulo poſt dabimus ex pag. 508. Tomi II. ſpicilegii veterum auctorum R. P. domni Lucæ Dacherii O. B. deſcriptas ex cod. Mſſ. abbatiæ S. Albini Andegavenſis.

Ex Labbei App. Tom. X.

Majo menſe coactum eſſe hoc conventiculum ait Aventinus lib. v. *annalium Bojorum*: *quatuordecim epiſcopos, qui concilio Quintilineburgenſi ſubſcripſerant, necnon & Hermannum regem, Eckbertum Saxonem, Welphonem Bojum, excommunicatos. Addit*: In eodem concilio Pragenſi ditio, ſicut ab imperatore Ottone II. Benedicto VIII. pontifice maximo, conſenſu D. Wolffgangi Reginoburgenſis epiſcopi, inſtituta fuerat, certis limitibus deſcribitur, in quibus Cracovia quoque comprehendi reperitur. Clemens papa, atque Heinricus Auguſtus diploma dederunt. Uratislaus quoque, Bojemiæ atque Poloniæ rex conſtiturus eſt.

ANNO CHRISTI 1086.

CONCILIUM TOLETANUM

SEU POTIUS COMITIA,

In quibus Rex Alphonſus Eccleſiam Toletanam a Saracenorum tyrannide liberatam ampliſſime dotavit, & Bernardus Abbas S. Facundi in novum Præſulem electus eſt.

Ex Card. de Aguirre Conc. Hiſp. to. 3. p. 287.

ANno 1086. 15. Kal. Januarias Alphonſus VI. Rex Toleti (quod biennio antea a Maurorum tyrannide liberaverat) ex univerſa ditione conventum Epiſcoporum, Abbatum, & procerum habere conſtituit. Epiſcopi & proceres cæterique evocati ad ſtatum diem, affuerunt frequentes. In eo conventu primum divinæ benignitati gratiæ actæ, quod cœleſti potiſſimum ope tanta urbs ad jus Chriſtiani imperii reducta eſſet. Pro ſe quiſque, ut in quoque auctoritatis & eloquentiæ plurimum erat, beneficii magnitudinem verbis amplificabant. Deinde de creando Toletano Præſule deliberatio ſuſcepta. Omnium communi ſuffragio electus eſt Bernardus S. Facundi Abbas, qui ſacris in ea urbe præeſſet. Suaviſſimi & optimi mores, præſtantiſſimum ingenium, opinio doctrinæ, ſpectata magnis & multis in rebus integritas animi prorſus ut il uſtre exemplum veteris Sanctitatis referret, gentis voluntates homini extero & in Gallia nato conciliarunt. Atque quo major novo Præſuli eſſet auctoritas, Alphonſus Rex intelligens tantum homines honoris vulgo deferre ſolitos, quantum quiſque virium & copiarum habeat, vanum ſine viribus eſſe nomen dignitatis & Magiſtratus; arces, oppida, municipia (qui ejus Concilii poſtremus Actus fuit) magno numero Toletanæ eccleſiæ donavit: Briocam (quod oppidum exilii tempore Almenonis dono tenuerat) Rodillas, Canales, Cabanias, Covexam, Barcillenſium, Alcolcam, Melgarium, Almonecirum, Alpogrebam. Sic Rodericus Toletanus ſcribit. Alphonſi Regis hiſtoria Complutum addit & Talaveram, falſo, ut prudentiores exiſtimant. Omnino in urbe horti, molæ truſatiles, ædes privatæ magno numero, atque tabernæ, unde annuum vectigal conſtaret, donata: ex reditibus atque proventu Sacerdotes Toletani templi vitam ſuſtentarent. Ii regis ex eo tempore beneficii memores, ſtatis diebus ex ritu Chriſtiano Alphonſi Regis manibus parentare ſoliti ſunt. His rebus conſtitutis conventus ſolutus eſt. *Ex Mariana de reb. Hiſpan. lib. 9. cap. 17.*

CONCILIABULUM RAVENNENSE

In quo Ravennatis eccleſiæ privilegia a Wiberto antipapa, qui Clemens appellari volebat, confirmata ſunt anno Domini MLXXXVI.

Ex Labbei App. Tom. X.

WIbertus, *inquit Rubeus, lib. v. Ravenn. hiſt.* Ravennam regreſſus, novo anno ineunte, in æde Urſiana conventum aliquot cardinalium atque epiſcoporum habuit, Ravennatiſque eccleſiæ bona confirmavit hoc diplomate, quod adhuc extat: „ Clemens epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, „ ſanctæ Ravennati eccleſiæ, omnibuſque futuris „ in illa archiepiſcopis per eam in perpetuum. „ Cum ad nos eccleſiarum cura reſpiciat, & de „ ſingulis cogitare conveniat, & ex debito ſuſcepti regiminis, omnibus nos providere oporteat: „ ſpecialiter tamen, & maxime Ravennati proſpicere debemus eccleſiæ, cui præſumus, Deo propitio, ut ſponſæ & filiæ. Hujus igitur miſerias nimis ægre ferentes, & quantum in nobis eſt, amputare volentes, hoc remedii genere, hoc conſilii antidoto tandem ſubvenire curavimus, ut conſideratis privilegiis deceſſorum noſtrorum Romanorum pontificum, & præceptis imperatorum, quæ in archivo noſtræ Ravennatis eccleſiæ continentur, quæcumque in illis leguntur, privilegii noſtri adſtipulatione firmentur, ut ſublatis de cætero ſeminariis litium, nec Romana eccleſia Ravennati eccleſiæ, mater filiæ ſuæ, injuriam faciat, nec matri filia contradicat, ſed dignitatem ſuam utraque poſſideat. Et deinde quid melius, quid Deo jucundius, quam ſcandala tollere, lites reprimere, pacem componere, eccleſiarum concordiam videre? Iis Deus lætatur, & gaudet, & talibus, ſuper omne ſacrificium, placatur muneribus. Conſentientibus igitur, & collaudantibus primo cardinalibus noſtris, Ruberto ſancti Marci, & Anaſtaſio ſanctæ Anaſtaſiæ, confratribus & coepiſcopis noſtris, Rolando Tarviſino, Milone Paduano, Hecelino Vincentino, Fulcone Foroſemproniente, Thebaldo Caſtellano, aliiſque quampluribus, qui fuere præſentes: hujus noſtri privilegii auctoritate firmamus quæcumque in privilegiis Romanorum pontificum leguntur, Pauli, Sergii, Anaſtaſii, Leonis, Hadriani, Eugenii, Theodoſii, Valentiniani, Ludovici, Caroli, Othonis, Chunradi, Henrici, & aliorum: omnes donationes & conceſſiones illorum, quas Ravennati feciſſe perhibentur eccleſiæ, tam in epiſcopatibus, quam in abbatiis, comitatibus, exarchatu, cæteriſque ſimilibus, quæ in privilegiis & præceptis plenius habentur, hujus ſcripturæ noſtræ aſſertione munimus. Decernentes, & auctoritate apoſtolica ſtatuentes, ut ſi quis contra hoc noſtrum privilegium venire tentaverit, ſi quis contradictor extiterit, ſit anathema, maranatha, ſitque pars ejus cum Pilato, & Herode, & Juda traditore. Quod ut certius credatur, & ab omnibus diligentius obſervetur, ſigillo noſtro præſentes litteras ſtatuimus roborari. Acta ſunt hæc Ravennæ, in plenaria ſynodo, in matrice eccleſia, quæ dicitur Agiæ Anaſtaſeos, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo octuageſimo ſexto, imperante Henrico tertio Romanorum Auguſto, anno imperii ejus ſecundo, Indict. nona, tertio Kal. Mart.

Or-

ANNO CHRISTI 1086.

OBSERVATIO.

Pergit Rubeus: His unicis literis pontificio ſolio vacante ſcriptis, Vvibertum ſe Clementem appellaſſe novi: reliquis deinde omnibus, quas viderim, ſe perpetuo Vvibertum archiepiſcopum vocavit. Quodque majori notatione atque animadverſione dignum eſt, in quibus talibus ipſe ſe Vvibertum nominat, eas factas eſſe tempore Clementis papæ dicit, ut duo, iidemque omnino inter ſe diverſi videri poſſint, Vvibertus archiepiſcopus, & Clemens pſeudopontifex. Cumque hoc tempore, pontifices maximi, ſummi pontifices, & univerſales papæ, & quidem jure, ſcribantur: hunc unico papæ vocabulo, nullo præterea adjecto titulo, ubique exaratum legi. Id puto factum, quod populi, Ravennatis præſertim provinciæ, in qua ipſe plurimum morabatur, illum nequaquam verum pontificem docerent, quanquam metu impulſi, de illo in tabulis mentionem ſcribæ facerent. Illa autem eo modo ſcribebat ipſe; quod ejus adhuc fluctuaret animus, neque ſe palam pontificem maximum jactare, conſcientia deterritus, auderet. Hinc ſe modo Clementem, idque, uti docui, ſemel tantum, cum eſſet in epiſcoporum conventu, & pontificia vacaret ſedes, modo Vvibertum archiepiſcopum, idque perpetuo, affirmabat.

ANNO CHRISTI 1086

CONVENTUS EPISCOPORUM APUD MONASTERIUM BALNEOLENSE,

Pro dedicatione ejuſdem Eccleſiæ anno Chriſti MLXXXVI

Ex Cod. de Aguirre to. 3. Concil. Hiſp. p. 285.

Anno 1086. 8. *Idus Septembris dedicata eſt Eccleſia monaſterii S. Stephani Balneolenſis in celebri Epiſcoporum virorumque principum conventu, ut tradunt Acta vetera. Eam ergo peregerunt Dalmatius Archiep. Narbonenſis, Berengarius Epiſcop. Gerundenſis, Petrus Carcaſſonenſis, Berengarius Auſonenſis, Gotbefredus Magalonenſis, & Bertrandus Barcinonenſis. Conſtituerunt ergo Epiſcopi illi dotem ejuſdem Eccleſiæ; ſimulque ſanciverunt variis privilegia, quibus Abbatem & monaſterium ornarunt. Acta hujus conſecrationis illuſtriſs. Petrus de Marca eruit ex archivo ejuſdem monaſterii Balneolenſis, quæ ejuſmodi ſunt.*

Anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo octuageſimo ſexto, æra milleſima centeſima decima octava, Indictione nona VIII. Idus Septembris, anno XXVII. Philippi regis Francorum, factus eſt conventus Epiſcoporum in cœnobio ſancti Stephani protomartyris Chriſti territorii Biſundunenſis ad dedicationem baſilicæ ipſius protomartyris Chriſti, ſimulque principum patriæ, ac reliquorum fidelium utriuſque ſexus, ætatis, & ordinis.

Dalmatius ſanctæ primæ ſedis Narbonenſis Archiepiſcopus, & Berengarius Epiſcopus Gerundenſis, & Petrus Epiſcopus Carcaſſonenſis, & Berengarius Epiſcopus Vicenſis & Gotafredus Epiſcopus Magalonenſis, & Bertrandus Epiſcopus Barchinonenſis, omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ filiis cujuſcumque ætatis & ordinis hæreditatem & gaudium regni cæleſtis. Notum eſſe volumus veſtræ fraternitati, dilectiſſimi fratres & filii, quoniam convenientes ad dedicationem Eccleſiæ ſancti Stephani protomartyris Chriſti Balneolenſis cœnobii, ipſius domus decorem & conſecrationem, ut in melius proficeret, qua valuimus inſtantia peregimus. Nam & ſacris reliquiis venerabilium ſanctorum illam cum divina gratia ſanctificavimus, & per invocationem nominis Jeſu Chriſti quantis potuimus benedictionibus eam ad alta ſuſtulimus; quatinus diligentibus, amor & Dei auxilium, & odientibus maneat terror atque judicium. Hanc quoque conſtitutionis noſtræ dotem prædictæ Eccleſiæ fecimus aſſenſu Domini Bernardi Comitis Biſundunenſis, manibuſque noſtris ipſius voluntatem, ut infracta permaneat, inſigniire curavimus, ſtatuentes ſub divini judicii obteſtatione & anathematis interdictione ut nullus audeat hoc violare quod noſtra auctoritas ad ſtabilimentum domus Dei voluit confirmare. Igitur, ſicut venerabilium Apoſtolicorum quæ prædicto facta ſunt cœnobio continent privilegia, & ſicut Regum Francorum demonſtrant regia præcepta, & quemadmodum oſtendunt dotes quæ a noſtris anteceſſoribus confirmata ſunt per retroacta tempora, ſic illi confirmando ſtabilimus & ſtabiliendo confirmamus omnia ſua, videlicet quæ dono Regum, Epiſcoporum, ſeu Comitum, aut Principum, vel quorumlibet fidelium uſque hodie juſte adquiſivit vel quolibet modo uſque in finem ſeculi juſte adquiſierit. Concedimus etiam & confirmamus Abbatibus & monachis ipſius loci omnem libertatem ſua placita diſtringendi vel judicandi in omnibus exceſſibus vel malefactionibus quæ facta fuerint infra terminos omnium prædiorum præſcripti cœnobii; & ut nullus Comes aut judex ſeu vicarius vel cujuslibet poteſtatis homo habeat licentiam cauſas eorum diſtringendi vel quolibet modo ſine illorum juſſione dijudicandi neque in teloneo ipſius mercati neque in omnibus locis quæ præfato cœnobio pertinent aliquam violentiam inferendi. Statuimus quidem ut nullus homo vel femina ibidem placitum conſtituat aut teneat, niſi præfati monaſterii abbates illos ſponte convocaverint, vel dies mercationis in foro conſtiterint. Inter hæc interdicimus omnibus univerſi ordinis hominibus vel ipſius loci vel extraneis ut de ornamentis ipſius loci quæ habet vel habuerit nullus præſumat aliquid auferre, commutare, vendere, vel donare ad damnum vel dehoneſtamentum prædictæ eccleſiæ. Firmamus quoque omni auctoritate ut idem monaſterium ſemper ſit liberum & ab omni confiſcatione ſecluſum, & ut nullus homo vel femina eum vendere vel emere audeat, ſed ſecundum decreta canonum & beati Benedicti regulam omni valetudine inlibatum perenniter conſiſtat. Interdicimus quoque ſub vinculo anathematis ut nemo utriuſque ſexus caſtellum in prædicto monaſterio vel in circuitu unius leugæ & mediæ confinio faciat; illis exceptis qui jamfacti conſiſtunt, quæ Deus evertat. Amen. Si quis ergo hujus noſtræ conſtitutionis & confirmationis adjutor extiterit, hunc de parte Dei omnipotentis & beatæ Mariæ virginis & beatorum Petri & Pauli cæterorumque Apoſtolorum ac prænominati Stephani protomartyris glorioſi & omnium Dei fidelium & noſtra benedicimus, & ut in perpetuum ſalvus permaneat peroptamus. Si quis autem, quod abſit, auſu temerario effringere vel violare quolibet modo hoc quod conſtituimus voluerit, hunc a liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ extraneum judicamus, & ab omni conſortio Chriſtianorum illum ſegregamus, atque de parte Dei omnipotentis & ſanctæ Mariæ virginis omniumque ſanctorum ac Dei fidelium illum excommunicamus donec digna poni-

nitudine Deo & beato Stephano protomartyri ſa- A
ANNO CHRIST 1084. tisfaciat; inſuper & diſtrictione venerandorum Principum legalis illum pœna coerceat & ſacrilegii cenſura conſtringat, & inantea hæc dos noſtræ conſtitutionis perpetuo ſtabilis & inconvulſa permaneat. Acta ſunt hæc inſtantia & induſtria domni Benedicti ſupradicti monaſterii Balneolenſis Abbatis anno octavo & menſe octavo electionis ejus. Dalmacius gratia Dei ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Petrus Carcaſſonenſis gratia Dei Epiſcopus. Matfredus gratia Dei Biterrenſis Epiſcopus.

Bernardus gratia Dei Comes. Berengarius gratia Dei Gerundenſis Epiſcopus. Gotafredus gratia Dei Magalonenſis Epiſcopus. Bertrandus gratia Dei Barchinonenſis Epiſcopus. Gibilinus Arelatenſis Archiepiſcopus. S. Arnallus Gaufredi de Palera. Berengarius gratia Dei Auſonenſis Epiſcopus. Bernardus Gerundenſis gratia Dei Epiſcopus. B

Hæc ſunt loca unde decimæ & primitiæ & oblationis fidelium inibi habitantium competunt ad Eccleſiam ſancti protomartyris Stephani cœnobii Balneolenſis, ſicut oſtendunt dotes quæ ab anterioribus Epiſcopis prædictæ factæ ſunt Eccleſiæ, præcipue illa dos quæ a domno Arnulfo Gerundenſium Epiſcopo facta hoc eſt plenius oſtendit & manifeſtat, ſcilicet de villa Agemalo & de Eccleſia quæ ibi ſita eſt in honore ſancti Petri cum terminis & appendiciis ſuis, & de villa quæ nuncupatur Milleanicas & de Eccleſia quæ ibi ſita eſt in honore ſancti Romani martyris cum finibus & pertinentiis ſuis, & de villare Puyo, qui antiquitus nuncupatus eſt villare Fraudini vel Jafari, cum finibus vel terminis ſuis, & de villare Argelaga cum finibus vel pertinentiis ſuis, & de villa Figueroles, & de villare quem vocant Ermedans cum finibus vel pertinentiis ſuis, medietatem decimarum & primitiarum & oblationum & aquæ benedictæ & ſalis ſparſione, & de villare quem vocant Perdudos, & de villarunculis quos vocant Puyols ſive Serras, & de villare quem vocant Cucugcag cum finibus vel terminis ſuis, omnem integritatem decimarum & primitiarum & oblationum, ſimul & de Eccleſia quæ ſita eſt in honore ſancti Chriſtophori martyris. Has omnes decimas & primitias & oblationes confirmaverunt jamdictæ Eccleſiæ ſancti Stephani Epiſcopi ſedis Gerundenſium antiquitus & poſtea, ſicut ſuperius ſcriptum eſt Archiepiſcopus Narbonenſium & Gerundenſium Epiſcopus & cæteri Epiſcopi qui cum eis convenerunt ad dedicationem baſilicæ jamdicti ſancti Stephani. Sub vinculo anathematis prædicta omnia ſuis manibus confirmaverunt prælibatæ Eccleſiæ. Nam, ſicut rei veritas cognoſcitur, populus olim ad Eccleſiam beati Stephani ad divina officia audienda & ad cætera quæ ſecundum eccleſiaſticam conſuetudinem neceſſaria erant percipienda conſuetudinaliter conveniebat. Et quia laborioſum erat & monachis & populo, ſaluberrimo inito conſilio conſtructa eſt extra monaſterium primum in honore ſancti Benedicti Eccleſia, deinde alia in honore ſanctæ Mariæ, ubi populus ad divina officia audienda conveniret; ſed retentum eſt ut in diebus præcipuarum feſtivitatum ad baſilicam ſancti Stephani pro recognitione matris Eccleſiæ vigilias ſacras peragendo cum oblationibus & luminaribus convenirent, videlicet in natale Domini, & in natale ſancti Stephani, & in ſeptuageſima, & in initio quadrageſimæ, & in ramis palmarum, & in cœna Domini, & in paraſceve, & in ſabbato ſancto, & in eadem Eccleſia baptiſterium eadem die celebretur, & non in alia, neque in Agemalo, neque in Milleanicas. Similiter conveniant in die ſancto Paſchæ & in vigilia Pentecoſten ad baptiſterium & in eadem nocte ad vigilias peragendas, & in inventione ſancti Stephani. Et domnus Archiepiſcopus cum conſenſu Epiſcoporum conſtituit ut in ſolemnitate dedicationis prædictæ Eccleſiæ, id eſt, in feſtivitate nativitatis ſanctæ Mariæ, ut omnes ſimul conveniant ad prælibatam Eccleſiam, ut a Deo remiſſionem & abſolutionem ſuorum peccaminum percipere mereantur. Amen. Guillelmus Ypodiaconus, qui hanc dotem ſcripſit & ſubſcriſit die & anno quo ſupra. C D

APPENDIX ALTERA EPISTOLARUM GREGORII VII. PAPÆ.

I. AD ANSELMUM MONASTERII BECCENSIS ABBATEM.

De celeberrima Anſelmi fama.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Anſelmo venerabili abbati Beccenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

* Extat inter epiſt. 8.

Anſelmi lib. 2. ep. 31.

Jacob. 5. 3. Reg. 19.

QUoniam fructuum tuorum bonus odor * ad nos uſque redoluit: quam dignas grates Deo referimus, & te in Chriſti dilectione ex corde amplectimur; credentes pro certo, tuorum ſtudiorum exemplis eccleſiam Dei in melius promoveri, & tuis ſimiliumque tui precibus etiam ab inſtantibus periculis Chriſti ſubveniente miſericordia poſſe eripi. Noſti frater: ſi juſti apud Deum prævaluit oratio, quid juſtorum? prævaluit equidem, immo impetrabit ſine dubio, quod petierit. Ipſius etiam veritatis auctoritate cogimur hoc confiteri: *Pulſate*, inquit, *& aperietur vobis, petite & accipietis*. Pulſate ſimpliciter, petite ſimpliciter hæc etiam quæ ſibi placeant. Simplex eſt oſtium, ſimplex dator vult peti ſimplicia, & quæ ſibi conveniant: hoc aperietur, hoc modo accipietis, hoc modo juſtorum exaudietur oratio. Unde volumus tuam tuorumque fraternitatem aſſidue Deum orare, ut eccleſiam ſuam, & nos (qui ei licet indigni præſidemus) ab inſtantibus hæreticorum oppreſſionibus eripiat, & illos errore dimiſſo ad viam veritatis reducat. Querimoniam apud nos fecit quidem peregrinus de quodam converſo tuo: *juſtus Dominus juſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*. Imitare Dominum tuum, imitare magiſtrum, a quo habes doctrinam vitæ. Præcipimus etiam & nos, ut ei juſtitiam facias coram Huberto dilecto filio noſtro, & (ut intelleximus) amico tuo. E

II. LITERÆ COMMENDATITIÆ Gregorii VII. datæ Berengario poſt concilium Romanum an. 1080.

Ex cod. Ms. S. Albini Andeg. pag. 108 Spicilegii.

Gregorius ſervus ſervorum Dei omnibus beato Petro fidelibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum vobis omnibus facimus nos anathema feciſſe ex auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus ſancti & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli omnibus qui injuriam aliquam facere præſumpſerint Berengario Romanæ eccleſiæ filio, vel in perſona, vel in omni poſſeſſione ſua, vel qui eum vocarit hæreticum: quem poſt multas, quas apud nos quantas voluimus, fecit moras, domum ſuam remittimus & cum eo fidelem noſtrum Fulconem nomine.

III. AD AYMERICUM VICECOMITEM ET NARBONENSES.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero, vicecomiti Aymerico necnon univerſo populo Narbonenſ. apoſtolicam benedictionem libenter vobis mandaremus ſi in apoſtolicæ ſedis reatum incurriſſe vos non cognoſceremus. Verum ubi ab eadem vos reſipuiſſe excommunicatione cognoverimus, & archiepiſcopalem patri veſtro Dalmatio obedientiam exhibere, benedictionem beati Petri mandavimus.

* Deſcripſimus ex veteri MS codice.

SIcut novit * prudentia veſtra, inimicus humani generis eccleſiam veſtram malis & ſimoniacis paſtoribus invaſam quaſi jus proprium longo tempore poſſedit. Sed condolentes neceſſitati & periculo veſtro bonum & legalem paſtorem vobis præficiendum cenſuimus non aliunde, ſed per oſtium, id eſt per Chriſtum intrantem. Qui enim aliter, ideſt ſine Chriſto, ingrediuntur, fures ſunt & latrones ad hoc conſtituti ut gregem dominicum mactent & perdant. Hic itaque apoſtolicæ ſedis benedictione & auctoritate confirmatus per exemplum laudandæ converſationis ſuæ & documentum prædicationis quidquid culpa & injuria malorum pontificum inter vos commiſſum eſt Domino auxiliante poterit corrigere voſque bonus paſtor ſummo paſtori devotiſſime commendare. Admonemus itaque prudentiam veſtram, ut eum quem Romana eccleſia vobis legaliter conſtituit, honeſte & cum benevolentia recipiatis, & ei ſicut ſpirituali patri & archiepiſcopo obedientiam & reverentiam impendatis, memores dominici ſermonis fideles ſuos commendantis. Qui vos audit me audit & qui vos ſpernit me ſpernit. Neque enim vos ignorare volumus quod ſi quis veſtrum, quod non ſperamus, obedientiam ſibi contradixerit, iram Dei & vindictam B. Petri ad periculum ſuum provocabit & ſententiam excommunicationis in Toloſana ſynodo a legatis noſtris promulgatam apoſtolica auctoritate confirmabimus. Qui vero obediens fuerit, gratia & benedictione ejuſdem apoſtolicæ ſedis gaudebit.

IV. AD SANCIUM REGEM ARAGONENſium & Pampilonenſium anno 1073. ſcripta.

IN ea Gregorius recens pontifex cæteris, ad exemplum prædeceſſoris ſui Alexandri ſecundi, ei, ſucceſſoribuſque ejus permittit liberam diſpoſitionem omnium eccleſiarum quas ipſe vel ſucceſſores ipſius eripient de manibus Saracenorum vel quas ipſi in regno ſuo ædificabunt, ſedibus dumtaxat epiſcopalibus exceptis. *Deſcriptum ex archivo regio Barcinonenſi ultro mihi libenſque promiſerat vir nunquam ſatis mihi commendandus Petrus de Marca illuſtriſſimus Archiepiſcopus Toloſanus & Pariſienſis. Vide publicas ſolemneſque donationis illius tabulas p. 379. hiſtoricæ ſynopſeos noſtrorum conciliorum.*

V. AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, Epiſcopos, abbates, reges, principes, clericos & laicos in Narbonenſi Gallia, Guaſconia & Hiſpania regione conſtitutos quando Amatum, Oloronenſem epiſcopum S. R. E. legatum miſit in Galliam & Hiſpaniam.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, regibus, principibus, clericis quoque ac laicis in Narbonenſi Gallia, Guaſconia, Hiſpaniaque regione ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DIlectiſſimi fratres & filii prudentiæ veſtræ manifeſtiſſime notum eſt, quod Romana eccleſia hanc conſuetudinem habuit ab ipſis ſuæ fundationis primordiis, ut ad omnes partes quæ Chriſtianæ religionis titulo prænotantur ſuos legatos mitteret, quatenus, ea quæ gubernator & rector ejuſdem eccleſiæ per ſuam præſentiam expedire non prævalet vice ſua legatis conceſſa, monita ſalutis ac morum honeſtatem per eos cunctis per orbem terrarum conſtitutis eccleſiis nuntiaret, eaſque apoſtolica doctrina in omnibus quæ ſacræ religioni conveniant diligenter inſtrueret. Proinde horum præſentium portitorem venerabilem confratrem noſtrum Amatum epiſcopum ad partes veſtras dirigimus, ut quæ ibi vitia eradicanda ſunt a fundamento evulſis plantaria virtutum Deo auctore ſolerti vigilantia plantare procuret. Quem ſicut noſtram immo beati Petri præſentiam vos ſuſcipere apoſtolica auctoritate jubemus; ac ſi pro reverentia apoſtolicæ ſedis, cujus nuntius eſt, vos in omnibus ſibi obedire atque cum audire mandamus ut propriam faciem noſtram ſeu noſtræ vivæ vocis oracula. Scriptum eſt enim: *Qui vos audit, me audit.* Agite itaque prudenter ac religioſe. Et ſic vos obedientes Deo & ſancto Petro in omnibus exhibete, quatenus ipſo apoſtolorum principe interveniente utriuſque vitæ gloriam & felicitatem conſequi mereamini.

VI. AD I. DE NIGELLA ET R. DE Bova nobiles dioeceſeon Noviomenſis & Ambianenſis.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis nobilibus viris I.... de Nigella & R... de Bova Noviomenſis & Ambianenſis diœceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex Mſ. D. De Vyon d'Heroval pag. 200 VII. Spicilegii.

QUam graviter in perſecutionem ſuorum offendatur Dominus; in quibus honorari ſe aſſerit atque ſperni, vos dedita volumus meditatione penſare, ut ſic dilectos filios priorem & conventum Lehunenſem Ambianenſis diœceſis, qui hujus ſæculi vanitatibus abnegatis obtulerunt Domino laudis ſacrificium ſemetipſos, non ſolum non gravetis, verum etiam ipſos ſtudeatis propenſius honorare. Ad noſtram ſiquidem audientiam eiſdem conquerentibus noveritis perveniſſe, quod vos neſcimus quorum ſeducti conſiliis minime ſicut

ut convenit attendentes, quod laicis ſuper eccleſiis, perſonis & rebus eccleſiaſticis nulla eſt attributa poteſtas, ipſos & homines eorumdem tam per vos quam per ballivos veſtros indebitis exactionibus multipliciter aggravatis & affligitis, extorſiones & indebitas exactiones exigendo contra juſtitiam ab eiſdem, & libertatem & immunitates ipſorum infringere moliendo. Cum itaque gravamen ipſorum monaſterii nolimus clauſis oculis pertranſire, nobilitatem veſtram rogandam duximus attentius & hortandam per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ob reverentiam beati Petri & noſtram a prædictorum prioris & conventus necnon & hominum eorumdem moleſtiis & gravaminibus deſiſtentes & deſiſtere facientes ballivos eoſdem ſatisfaciatis de damnis illatis & injuriis competenter; alioquin dilectis filiis abbati & priori S. Cornelii Compendienſis Sueſſionenſis diœceſis, noſtris damus literis in mandatis ut tam vos quam ballivos ad id monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, cognita veritate compellant. Datum Peruſii IV. Idus Decembris, pontificatus noſtri anno tertio. *

Si quæ autem deinceps emergent e tenebris noſtræ illas appendici ultimæ reſervamus.

VII.

Ad epiſcopos Galliæ, Narbonenſis, Gaſconiæ, & Hiſpaniæ

Amatum Oleronenſem epiſcopum, legatum apoſtolicum conſtituit.

Edidit Baluz. ut ad Tom. 11. de concord. Item de Labbeus in Append. Tom. 11.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, regibus, principibus, clericis quoque, ac laicis, in Narbonenſi Gallia, Gaſconia, Hiſpaniaque regione, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dilectiſſimi fratres & filii, prudentiæ veſtræ manifeſtiſſime notum eſt, quod Romana eccleſia hanc conſuetudinem habuit ab ipſis fundationis ſuæ primordiis, ut ad omnes partes, quæ Chriſtianæ religionis titulo prænotantur, ſuos legatos mitteret: quatinus ea quæ gubernator & rector ejuſdem Romanæ eccleſiæ per ſuam præſentiam expedire non prævalet, vice ſua legatis conceſſa, monita ſalutis, ac morum honeſtatem, per eos cunctis per orbem terrarum conſtitutis eccleſiis nunciaret, eaſque apoſtolica doctrina in omnibus quæ ſacræ religioni conveniunt, diligenter inſtrueret. Proinde horum præſentium portitorem, venerabilem confratrem noſtrum Amatum epiſcopum, ad partes veſtras dirigimus: ut quæ ibi vitia eradicanda ſunt, a fundamento evulſis, plantaria virtutum, Deo auctore, ſolerti vigilantiâ, plantare procuret. Quem, ſicut noſtram, immo B. Petri præſentiam, vos ſuſcipere apoſtolica auctoritate jubemus: ac ſic pro reverentia apoſtolicæ ſedis, cujus nuncius eſt, vos in omnibus ſibi obedire, atque eum audire mandamus, ut propriam faciem noſtram, ſeu noſtræ vivæ vocis oracula. Scriptum eſt enim: *Qui vos audit, me audit.* Agite itaque prudenter ac religioſe: & ſic vos obedientes Deo, & ſancto Petro in omnibus exhibete: quatinus, ipſo apoſtolorum principe interveniente, utriuſque vitæ gloriam & felicitatem conſequi mereamini.

Luc. 10.

VIII. Ad Canonicos S. Hilarii Pictavienſis.

In Baluzii Miſcellaneis tom. 5.

Privilegium pro Eccleſia ſancti Hilarii Pictavienſis.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Canonicis ſancti Hilarii Pictavienſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Igitur ob reverentiam beati Hilarii confeſſoris, cujus corpus in eadem Eccleſia requieſcit, cujuſque doctrinæ ſplendor non ſolum de Gallicanis partibus erroris tenebras expulit, verum etiam univerſali refulgens lumen contulit Eccleſiæ, inclinati veſtris precibus, præfatam beati Hilarii Eccleſiam a Francorum Regibus & Aquitaniæ Principibus conſtructam, eorumque prædiis ac donis ditatam, in protectione ac tuitione ſedis apoſtolicæ ſpecialiter ſuſcipimus, hujus privilegium auctoritatis noſtræ decreto indulgentes. Deinde ſtatuimus ut quæcumque bona præfata beati Hilarii Eccleſia ex donatione prædictorum Regum & Principum juſte poſſidet, ſive in futurum juſtis modis poterit adipiſci, vobis perenni tempore & ſine inquietudine aliqua illibata permaneant, adjicientes ne quiſquam deinceps Archiepiſcopus aut Epiſcopus beati Hilarii Eccleſiam aut ipſius Canonicos aut clericos excommunicare aut interdicere præſumat, ſed omnis eorum cauſa gravior ex apoſtolicæ ſedis judicio pendeat. Chriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſive baſilicarum, ordinationes Canonicorum & clericorum, a quocumque malueritis catholico ſuſcipiatis antiſtite. Ad hoc adjicimus ut eadem beati Hilarii Eccleſia ſoli Romanæ Eccleſiæ ſubdita permaneat, & de tanta ſemper libertate atque auctoritate gaudeat. Ad indicium autem perceptæ hujus a Romana Eccleſia libertatis per annos ſingulos unam auri unciam Lateranenſi palatio perſolvat. Si quis autem Archiepiſcopus, Epiſcopus, aut quælibet perſona hujus noſtri privilegii paginam agnoſcens, contra eam temere venire præſumpſerit, ſi quæ male facta fuerint non emendaverint, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem illi loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æterna pacis inveniant. Datum Laterani x. Kal. Maii per manum Petri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii, primo anno pontificatus Domini VII. Gregorii Papæ, indictione XI.

IX. AD CANONICOS ECCLESIÆ Belvacenſis.

Gregorius Epiſcopus ſervorum Dei omnibus ſanctæ Dei Belvacenſis Eccleſiæ filiis benedictionem apoſtolicæ ſedis.

Quoniam audivimus vos perfecte redintegratos cum dilectiſſimo filio & coepiſcopo noſtro patre veſtro Widone, gaudemus; & ne quid ſciſſuræ ulterius fiat petimus & interdicimus. Sciatis etiam quoniam quicquid cum Lanzelino geſtum eſt, noſtra voluntate geſtum eſt, multum renitente & reclamante Domno filio & coepiſcopo Widone, etiam aliquid gravius & acerbius

Vide Gregor. VII. lib. 2. epiſt. 5.

in

in nos obloqui præſumente. Sed Eccleſiæ veſtræ nobis commiſſæ commodo proſpicientes, & excommunicationem a ſe factam rumpentes, quæ inconſultius acta fuerat, eundem coepiſcopum noſtrum abſolvimus, & Militi pro quo vobis & Eccleſiæ veſtræ & patri veſtro minus fidelis erat redonavimus. Unde obnixe petimus & præcipimus ne ſuper hoc minus benevoli coepiſcopo noſtro patri veſtro fueritis. Veritatem enim loquor vobis, quoniam nec voluit nec conſenſit. Valete filii mei.

X. AD GERMANOS.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus clericis & laicis in regno Teutonicorum conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

An. 1076. AUdivimus quod quidam Epiſcoporum apud vos commorantium, aut Sacerdotes & Diaconi, & Subdiaconi mulieribus commiſceantur aut conſentiant aut negligant. His præcipimus vos nullo modo obedire vel illorum præceptis conſentire, ſicut ipſi apoſtolicæ ſedis præceptis non obediunt neque auctoritati ſanctorum patrum conſentiunt. Teſtante divina ſcriptura facientes & conſentientes par pœna complectitur. Sciunt namque Archiepiſcopi & Epiſcopi terræ veſtræ, quod omnibus fidelibus notum eſſe debet, quoniam in ſacris canonibus prohibitum eſt ut hi qui per ſimoniacam hæreſim, hoc eſt interventu pretii, ad aliquem ſacrorum ordinum gradum vel officium promoti ſunt, nullum in ſancta Eccleſia ulterius miniſtrandi locum habeant, nec illi qui in crimine fornicationis jacent Miſſas celebrare aut ſecundum inferiorem ordinem miniſtrare altari debeant. *Et infra*: Quapropter ad omnes de quorum fide & devotione confidimus nunc convertimur, rogantes vos & apoſtolica auctoritate commonentes ut quicquid Epiſcopi dehinc loquantur aut taceant, vos officium eorum quos aut ſimoniace promotos & ordinatos aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis.

XI. AD HENRICUM EPISCOPUM Leodicenſem.

An. 1079. PErvenit ad nos te fratrem & coepiſcopum noſtrum Henricum Leodicenſem Epiſcopum ad Apoſtolorum limina venientem ab Arnulpho Comite rebus tuis te expoliatum, & ad nequitiæ augmentum gladiis jurare compulſum quod ablata nunquam repeteres & hujus tanti ſceleris a nobis ſibi veniam impetrares. Cognita itaque contumelia tibi immo beato Petro illata, valde doluimus, aſſerentes fraternitatem tuam nullis juramenti vinculis poſſe teneri, quæ tam nefandiſſime coacta juraverit. Unde & apoſtolica te auctoritate abſolvimus, ut non tuæ vel alicuius conſcientiæ ab hoc videaris innexus. Inſuper etiam eadem freti poteſtate, ne hoc in exemplum cæteris improbis audendi pejora ſit futurum, fratriæ noſtro Virdunenſi Epiſcopo & aliis illius patri beati Petri fidelibus ſummopere præcepimus ut eum ut tyrannum & Chriſtianæ religionis conculcatorem impugnent & armis tam carnalibus quam ſpiritualibus undique & ubique quantum poſſunt, niſi digne ſatisfecerit, inſequantur. Volumus itaque ut præfatus Epiſcopus prius quoſcumque poteſt Epiſcopos & reliquos ſacerdotes ſibi adjungat & illum Dei inimicum ad dignam ſatisfactionem convocet. Quod ſi digne pœnitere & ſatisfactionem noluerit, datis ſibi XV. dierum induciis, introitu Eccleſiæ privetur, & præfato modo injuria beati Petri vindicetur usque ad ſatisfactionem.

Vide Greg. VII. lib. 9. ep. 14.

XII. AD R. S. R. E. CARDINALEM.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei R. venerabili ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinali & Abbati Anniſolenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PErvenit ad nos quod monachos illos qui Eccleſiam ſancti Saturnini non ſine licentia proprii Abbatis acceperant, ac deinde compellente eos juſſu majoris Abbatis Cluniacenſis eandem dimiſerant, tua fraternitas illos poſtea quam ſatisfacientes exierint excommunicavit. Quod ſi ita eſt non parum de prudentia tua miramur. Unde volumus atque præcipimus ut tam illos ab excommunicationis vinculo ſolvas quam & de cætero ne tam leviter in religioſos viros hujuſmodi ſententiam feras ſummopere cavere procures. Quid eſt enim aliud quam auctoritati derogari indiſcrete vel temere in quaque honeſtas perſonas auctoritatis licentia uti? Quod ut de ſuturo vigilanter attendas ſolliciteque provideas, iterum iterumque monemus.

An. 1083.

Vide Greg. VII. lib. 9. ep. 15. Vide etiam Catellum in Memoriis hiſt. Occit. pag. 871. 872. & in hiſtoria Comitum Tolos. pag. 226.

XIII. AD OTTONEM CONSTANTIENSEM epiſcopum.

Gregorius ſervus ſervorum Dei, Ottoni Conſtantienſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex vita Gregorii VII. apud Bolland. ad 25. Maii c. 9.

PErlatum eſt ad nos de Fraternitate tua, quod ſatis invitus & mœſtus audivi, quodque ſi vel de extremo Chriſtianæ plebis membro ad audientiam noſtram deferretur, ſeveriore diſtrictioris disciplinæ cenſura eſſet proculdubio caſtigandum. Cum enim, Apoſtolica auctoritate, & veridicis ſanctorum Patrum ſententiis incitati, ad eliminandam Simoniacam hæreſim & præcipiendam Clericorum caſtitatem, pro noſtri officii debito exarſimus; Moguntino venerabili Archiepiſcopo confratri noſtro, cui plures & late diſperſi Suffraganei ſunt, hoc obedientiæ munus injunximus; ut tam per ſe, quam per Coadjutores ſuos hoc Romanæ eccleſiæ decretum univerſo Clero ſtudioſius inculcaret, & inviolabiliter tenendum proponeret; Tibi quoque, cui plurimus Conſtantienſis epiſcopii cherus & populus ampliſſime dilatatus, ob eamdem cautam ſpeciales literas cudere, bulla noſtra impreſſas, collibuit, quarum ſultus auctoritate tutius animoſiuſque præceptis noſtris obtemperares, & de Sanctuario Domini Simoniacam hæreſim & fœdam libidinoſæ contagionis pollutionem expelleres. Apoſtolica namque B. Pauli præpollet auctoritas, qua fornicatores & adulteros cum cæteris ſceleratis connumerans, diffinitam ſuæ juſſionis ſententiam ſubjicit, cum ejuſmodi nec cibum capere. Præterea univerſus Eccleſiæ Catholicæ cœtus, aut virgines ſunt, aut continentes, aut conjuges: quicumque ergo extra hos tres ordines reperitur, inter filios eccleſiæ, ſive intra Chriſtianæ religionis limites non numeratur: unde & nos, ſi vel extremum laicum pellicatui adhærentem liquido cognoverimus, hunc velut præciſum membrum a Corpore dominico, a Sacramentis altaris, donec pœniteat, arcemus: quomodo ergo ſanctorum Sacramentorum diſtributor vel miniſter eſſe debet, qui nulla ratione po-

S. Leo ep. 81. ad Anaſt. ep. Theſſal. c. 4. & ep. 90. ad Ruſticum Narbon. c. 3. S. Gregor. I. Regeſt. epiſt. 34. & etiam l. 11. ep. 42.

poteſt eſſe vel particeps? Sed illa beati Papæ Leonis nos impulit auctoritas, qui ſubdiaconis ineundi conjugii licentiam prorſus abſtulit. Quod decretum S. Leonis poſteriores ſanctæ Romanæ eccleſiæ pontifices, maxime doctor eximius Gregorius, ita pro lege ſanxerunt, ut deinceps his ordinibus Eccleſiaſticis, Sacerdotibus, Levitis, & Subdiaconis vincula conjugalia omnino ſint prohibita. Cum autem hæc omnia tibi obſervanda, paſtoralis providentia tranſmitteremus; tu, non ſurſum cor, ſed deorſum in terra ponens, prædictis ordinibus fræna libidinis (ſicut accepimus) laxaſti; ut qui mulierculis ſe junxerunt, in flagitio perſiſterent, & qui nec dum duxerunt tua interdicta non timerent. O imprudentiam! O audaciam ſingularem! Videlicet epiſcopum ſedis Apoſtolicæ decreta contemnere, præcepta ſanctorum Patrum convellere, immo vero præceptis contraria ac fidei Chriſtianæ repugnantia de ſacratiore loco, & de cathedra Pontificali ſubjectis ingerere. Quapropter tibi apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ad proximam ſynodum noſtram (prima) proximæ (quadrageſimæ) hebdomada te præſentem exhibeas; tam de hac inobedientia & ſedis Apoſtolicæ contemptu, quam de omnibus, quæ tibi obiciuntur, canonice reſponſurus.

Ex eadem vita apud Hollandinos loco citato.

XIV. AD CLERICOS ET LAICOS Conſtantienſis Epiſcopatus.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Clericis & Laicis majoribus & minoribus, in Conſtantienſi epiſcopatu conſiſtentibus, Chriſtianam legem diligentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

MIſimus fratri noſtro, epiſcopo veſtro, Ottoni literas exhortatorias, per quas pro noſtri neceſſitate officii Apoſtolica auctoritate injunximus illi, ut Simoniacam hæreſim de eccleſia penitus ſua excluderet, & caſtitatem Clericorum ſtudioſe prædicandam ſuſciperet, & firmiter tenendam Epiſcopali vigilantia inculcaret. Nam ſic eam nobis Evangelicæ & Apoſtolicæ literæ, authenticarum ſynodorum decreta, & eximiorum Doctorum præcepta inſinuant, ut eam diſſimulare, & negligere, ſine magno animæ noſtræ, & populi Chriſtiani detrimento, non poſſimus. Sed epiſcopus veſter, ut nobis relatum eſt, quæ paterne ſuaſeramus, perficere non curavit: & ut non ſolum inobedientiæ, verum etiam rebellionis offenſam contraheret, quemadmodum accepimus, palam Clericis ſuis juſſioni noſtræ, immo beati Petri, omnino contraria permiſit; ita ut qui mulierculas habuerant, retinerent; & qui non habebant, illicita temeritate ſubintroducerent. Quod, ut audivimus, moleſte ferentes, ſecundam ei ſcripſimus Epiſtolam, indignationis ei noſtræ motus oſtendentes, & idem præceptum iterato acrius inculcantes: tum etiam ipſum ad ſynodum Romanam, quæ prima proximæ quadrageſimæ hebdomada futura eſt, advocavimus, ut pro ſe rationem reddat, & inobedientiæ cauſas, ſi rationabiles habuerit, in audientiam totius Conventus exponat. Hoc ideo, fratres cariſſimi, vobis innoteſcimus, ut animæ veſtræ ſaluti conſulamus. Si enim beato Petro & ſanctæ ſedi Apoſtolicæ fronte aperta repugnans, & contumax eſſe voluerit, liquido manifeſtum eſt, quod qui matrem vel patrem inhonorat, nullam a fidelibus patris & matris jure obedientiam exigere aut quærere debeat. Indignum eſt enim, ut qui magiſtro detrectat ſubeſſe, magiſter auditoribus poſtulet præeſſe. Quapropter omnibus, ſicut prædixímus, majoribus atque minoribus Deo, & beato Petro adhærentibus, Apoſtolica auctoritate præcipimus, ſi in obduratione ſua perſiſtere voluerit, nullam ei obedientiæ reverentiam exhibeatis, neque id animæ veſtræ perniciem eſſe putetis. Nam ſi, ut toties jam prædiximus, præceptis Apoſtolicis voluerit eſſe contrarius, ab omni illius ſubjectionis jugo beati Petri auctoritate abſolvimus ita univerſos, ut cum Sacramenti obligatione quilibet ei fuerit obſtrictus, quamdiu Deo omnipotenti, & ſedi Apoſtolicæ rebellis extiterit, nulla ei fidelitatis exhibitione fiat obnoxius. Non enim cuilibet perſonæ contra creatorem ſuum, qui cunctis præponendus eſt, aliquis debet obedire; ſed debemus contra Deum ſuperbienti reſiſtere, ut ſaltem hac neceſſitate coactus ad viam juſtitiæ addificat redire. Quanti enim periculi, quantæque a Chriſtiana lege ſit alienationis obedientiam, maxime Apoſtolicæ ſedi, non exhibere ex dictis beati Samuelis prophetæ poteſtis cognoſcere, quæ ſanctiſſimus Papa Gregorius in ult. lib. Moralium procuravit exponere. Ut ea autem ſint vobis in promptu, ſcripta tranſmiſimus; quatenus indubitanter ſciatis, nos vobis novam non dicere, ſed antiquam ſanctorum Patrum doctrinam propalare. Hinc Samuel ait: Melior eſt obedientia quam victima, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum; quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere; obedientia quippe victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur. Tanto igitur quiſque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos, repreſſa arbitrii ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta ſit virtus obedientiæ demonſtretur. Ex adverſo igitur melius oſtenditur, quid de ejus laude ſentiatur; ſi enim ariolandi peccatum eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere, ſola obedientia eſt, quæ fidei meritum poſſidet; ſine qua quiſque convincitur infidelis, etſi fidelis eſſe videatur.

1. Reg. 15.

XV. AD OMNES FIDELES.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus in Chriſto fidelibus Apoſtolicam ſedem revere diligentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex chronico Virdunenſi.

PErvenit, fratres cariſſimi, pervenit ut æſtimamus, ad notitiam veſtram, quia noſtro tempore innovatum eſt, quod in Pſalm. inquirendo dicitur: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* Principes enim gentium, & Principes Sacerdotum cum magna multitudine convenerunt in unum adverſus Chriſtum omnipotentis Dei filium, & adverſus Apoſtolum ejus Petrum, ut Chriſtianam religionem extinguerent, & hæreticam pravitatem propagarent. Sed Deo miſerante illos, qui confidunt in Domino, nullo terrore, nullaque credulitate, vel mundanæ gloriæ promiſſione ad ſuam potuerunt deflectere impietatem. Pro nulla quippe alia qualibet ratione contra nos iniqua conſpirantes manus ereverunt, niſi quia periculum ſanctæ eccleſiæ noluimus ſilentio præterire, & his qui eamdem ſponſam Dei non erubeſcunt in ſervitutem redigere. In omnibus enim terris licet etiam pauperculis mulieribus ſuæ patriæ lege, ſuaque voluntate virum accipere legitime, ſanctæ vero Eccleſiæ, quæ eſt ſpon-

ſponſa Dei & mater noſtra, non licet ſecundum impiorum votum, & deteſtabilem conſuetudinem, divina lege, propriaque voluntate ſuo ſponſo legaliter in terris adhærere. Non enim pati debemus, ut filii ſanctæ eccleſiæ hæreticis, adulteris, & invaſoribus, quaſi patribus ſubjiciantur, atque ab eis velut adulterina infamia notentur. Hinc multa, diverſa pericula, & inaudita crudelitatis ſcelera qualiter ſint exorta, a noſtris legatis luce clarius veraque relatione poteſtis addiſcere, & ſi revera doletis, & contriſtamini de ruina Chriſtianæ religionis & confuſione, eique vultis manum præbere adjutorii, intrinſecus certo tacti dolore, ab eiſdem inſtrui ſatis poteſtis. Sunt enim beato Petro fideliſſimi, & inter primos domus ejus unuſquiſque in ſuo ordine adnumerati, qui nullo terrore, nullaque temporalium rerum promiſſione potuerunt in aliquo ab ejus fidelitate & defenſione avelli, & a gremio S. matris eccleſiæ ſeparari. Sed quia, ſicut novit veſtra fraternitas, licet indigno, & peccatori divinitus per Prophetam dicitur; *ſuper montem excelſum*; & reliqua: & iterum, *Clama, ne ceſſes*; velim nolim, omni poſtpoſita verecundia, timore quoque vel alicujus terreno amore, evangelizo, clamo, clamo, & iterum clamo, & adnuncio vobis, quia Chriſtiana religio & vera fides, quam filius Dei de cælo veniens per patres noſtros nos docuit, in ſæcularem verſa pravam conſuetudinem, heu! proh dolor! ad nihilum pene devenit, & immutato antiquo colore cecidit non ſolum in diaboli, verum etiam in Judæorum, Saracenorum, atque Paganorum deriſionem. Illi enim leges ſuas, licet hoc tempore ad nullam animarum ſalutem utiles, nulliſque miraculis, ſicut lex noſtra æterni Regis frequenti atteſtatione clarificatas & corroboratas, prout credunt, obſervant. Nos autem ſæculi inebriati amore, & vana decepti ambitione, omni Religione & honeſtate cupiditati atque ſuperbiæ poſtpoſitis, exleges & quaſi fatui videmur; quia præſentis vitæ & futuræ ſalutem & honorem ſicut patres noſtri non habemus, nec etiam ſicut oportet ſperamus. Et ſi ſunt aliqui, licet rariſſimi, qui Deum timeant pro ſe utcumque, non pro communi fratrum ſalute decertant prompta voluntate. Qui, vel quoti ſunt, qui pro timore, vel amore omnipotentis Dei, in quo vivimus, movemur, & ſumus, tantum deſudent, vel uſque ad mortem laborent, quantum ſæculares milites pro dominis ſuis, vel etiam pro amicis & ſubditis? Ecce multa millia hominum ſæcularium pro dominis ſuis quotidie currunt in mortem; pro cæleſti vero Deo & Redemptore noſtro non ſolum in mortem non currunt, verum etiam quorumdam hominum inimiciria ſubire contemnunt. Et ſi ſunt aliqui, imino Deo miſerante ſunt, licet perpauciſſimi, qui in faciem impiis uſque ad mortem reſiſtere pro amore Chriſtianæ legis contendunt; non ſolum a fratribus, ut dignum eſt, non adjuvantur, ſed etiam imprudentes & minus diſcreti ut dementes habentur. Sed quia hæc & his ſimilia ſpecialiter imminent nobis, ut vobis indicemus, quatenus Deo largiente & vitia poſſimus a cordibus fratrum avellere, & virtutes in eis plantare: rogamus & obſecramus in Domino Jeſu, qui nos ſua morte redemit, ut tribulationes & anguſtias quas patimur ab inimicis Chriſtianæ Religionis, cur & qualiter patiamur, diligenter inveſtigando intelligatis. Ex quo enim diſpoſitione divina mater eccleſia in throno Apoſtolico me valde indignum, & Deo teſte invitum collocavit, ſummopere procuravit, ut ſancta eccleſia ſponſa Dei Domina, & mater noſtra, ad proprium rediens decus, libera, & caſta, & catholica permaneret. Sed quia hoſti antiquo hæc omnino diſplicent, armavit contra nos membra ſua, ut omnia in contrarium verteret. Ideo in nos, immo in Apoſtolicam ſedem tanta fecit, quanta facere a tempore Conſtantini magni Imperatoris nequivit. Nec valde mirum; quia quanto plus tempus appropinquat, tanto amplius Chriſtianam religionem extinguere decertat. Nunc autem fratres mei cariſſimi, diligenter quæ vobis dico, audite. Omnes qui in toto orbe Chriſtiano cenſentur nomine, & Chriſtianam fidem vere cognoſcunt, ſciunt & credunt beatum Petrum Apoſtolorum principem eſſe omnium Chriſtianorum patrem, & primum poſt Chriſtum paſtorem, ſanctamque Rom. eccleſiam omnium eccleſiarum matrem & magiſtram. Si ergo hoc creditis, & indubitanter tenetis, rogo vos & præcipio ego qualiſcumque frater, & indignus Magiſter veſter, per omnipotentem Deum adjuvate & ſuccurrite prædicto patri veſtro & matri, ſi per eos abſolutionem omnium peccatorum, & benedictionem atque gratiam in hoc ſæculo, & in futuro habere deſideratis. Omnipotens Deus a quo bona cuncta procedunt, mentem veſtram ſemper illuminet, eamque ſua dilectione ac proximi fœcundet: ut mereamini præfatum patrem veſtrum & matrem certa devotione debitores vobis facere, & ad eorum ſocietatem, ſine verecundia pervenire; Amen.

ANNO CHRISTI 1086.

VITA VICTORIS PAPÆ III.

ANNO CHRISTI 1086

Victor, patria Beneventanus, nobili ſtemmate prognatus, cui nomen ante Deſiderii fuerat, conſilio Gregorii ſeptimi jam morituri, poſt interregnum unius fere anni, ex monacho Caſſinenſi & epiſcopo Oſtienſi electus eſt pontifex ejus nominis tertius, anno Chriſti Redemptoris MLXXXVI. Conſecratus ſeptimo Idus Maii anni ſequentis, adverſus improbos Saracenos Italiæ litora jugiter infeſtantes, Chriſtianoſque captivos abripientes, militarem expeditionem convertit. Qua fortuna, quave proſperitate, Leo Oſtienſis his verbis enarrat: Conſilio itaque cum epiſcopis & cardinali-

Victor quando & quomodo pontifex electus

bus habito ex omnibus fere Italiæ populis exercitum congregans, illiſque vexillum beati Petri apoſtoli tradens, ſub remiſſione peccatorum omnium contra infideles impioſque in Africam dirigit. Chriſto itaque duce ingreſſi Africam centum millia pugnatorum occiderunt, urbe illorum præcipua capta & occiſa. Porro ne quis ambigat hoc Dei nutu contigiſſe, quo die Chriſtiani victores evaſere, eo etiam Italiæ nuntiata victoria eſt. Poſt Guibertum alioſque ſchiſmaticos ſynodali ſententia condemnatos & excommunicatos, feliciter, inquit idem Leo Oſtienſis, migravit ad Domi-

Adverſus Saracenos expeditionem militarem ſuſcepit

num XVII. Kalendas Octobris, anno dominicæ incarnationis milleſimo octogeſimoſeptimo. Sepultus eſt in ipſa capituli abſide, ubi triduo ante obitum ſibi ſepulcrum præparari mandaverat. Epitaphium, quod ſepulcro ejus miſcriptum erat, apud Leonem Oſtienſem invenitur his verſibus, contentum.

ANNO CHRISTI 1086.

Quis fuerim, vel quid, qualis, quantuſque, docere
Si quis forte velit, aurea ſcripta docent.
Stirps mihi magnatum, Beneventus patria, nomen
Eſt Deſiderius, tuque Caſine decus.
Intactam ſponſam, matrem, patriamque, propinquos
Sternens huc propero, monachus efficior.
Abbas dehinc factus, ſtudui pro tempore totam
Ut nunc aſpicitur, hanc renovare locum.
Interea ſueram Romanis clarus in urbe
Presbyter eccleſiæ, Petre beate, tuæ.
Hoc ſenis luſtris minus anno functus honore
Victor apoſtolicum ſcando dehinc ſolium.
Quatuor & ſemis vix menſibus inde peractis,
Bis ſex luſtra gerens mortuus hic tumulor.
Solis Virgineo ſtabat lux ultima ſigno,
Cum me ſol verus hinc tulit ipſe Deus.

Additio Philippi Labbe S. J.

Ex chronico Virdunenſi Hugonis abbatis Flaviniacenſis pag. 232. Tom. I. Novæ Bibliothecæ mſſ. librorum

DIxit Urbanus papa in quadam epiſtola ſua Dominus noſter papa Gregorius beatæ ac dignæ memoriæ cum apud Salernum gravi detineretur infirmitate, unde ipſe poſtea obiit, convenerunt ad eum epiſcopi & cardinales Romam qui ibidem aderant: rogantes eum & poſtulantes, ut quem ſibi vellet ſubrogari ſucceſſorem in pontificatu eis oſtenderet. At ille ſecum aliquantulum cogitans, hæc illis verba dedit: Quemcumque horum trium, Lucenſem ſcilicet epiſcopum, Oſtienſem, aut archiepiſcopum Lugdunenſem habere poteritis, in pontificem eligite. De excommunicatis autem ſimiliter requiſitus reſpondit. Præter Henricum regem dictum & Ravennatem archiepiſcopum, niſi forte ad vos prout vobis videbitur, ad dignam atque canonicam venerint ſatisfactionem, & præter omnes principales perſonas, quæ aut conſilio, aut auxilio favent nequitiæ illorum & impietati, omnes abſolvo & benedico, quicumque me hanc habere poteſtatem ſpiritualem in vice S. Petri apoſtoli credunt indubitanter.

Poſt Gregorium Deſiderius Caſſinenſis abbas pontificio Romanæ urbis aſſumpto Victorem ſe nominavit. Cujus qualis fuerit electio, promotio & conſecratio, domnus Hugo Lugdunenſis ſatis evidenter expreſſit ſcribens comitiſſæ Mathildi in hæc verba.

*Hugo ſanctæ Lugdunenſis eccleſiæ ſervus dilectiſſimæ in Chriſto ſorori * M. divinæ conſolationis uberrimam gratiam.*

* Mathildi.

Hugonis Lugdun. ep. ad Mathildem comitiſſam epiſtola.

Quot & quantis ſanctæ Romanæ eccleſiæ litteris & reverentiſſimæ memoriæ beati Anſelmi, & veſtris tam legationibus, quam & literis coactus Romam venerim, quantoque tempore in partibus Italiæ contra officii mei propoſitum moratus ſim, prudentia veſtra doceri non indiget: Electionem vero Caſſinenſis abbatis antequam ego Romam venerim factam ſufficienter auditis, cui tam ego, quam & cæteri fratres mei ſanctæ Romanæ eccleſiæ filii, diligentes magis gloriam hominum quam Dei, pro temporis infirmitate aſſenſum præbuimus. Poſtquam autem ad montem Caſſinum, quo ipſe jam præceſſerat, Romæ aliquandiu morati ipſius ducatu pervenimus, ex ejuſdem familiaribus nobiſcum colloquiis, dum videlicet nefandiſſimos actus ſuos in auribus epiſcoporum & cardinalium jactanter recitare non erubeſceret, copioſius neceſſario deprehendimus, quam intolerabiliter Deum in ipſius electione offenderimus. Quis enim, niſi ex ipſius ore audiſſet, unquam crederet, Henrico dicto regi fidem eum dediſſe, ut de obtinenda Romani imperii corona fideliter eum adjuvaret? Aut cujus accuſatio contra talem virum reciperetur, niſi ipſe, quaſi ad cumulum gloriæ ſuæ adſcribendo, nobis narraſſet, prædictum regem ad invadendas terras beati Petri nunquam niſi ſuo conſilio & perſuaſione animaretur, Romam tranſiſſe? numquid non delirans videretur, ſi quis Romanum electum poſt abſolutionem a beatiſſimo papa Gregorio ſuſceptam excommunicatum garriret, niſi ipſe Attonem cardinalem Mediolanenſem electum a prædicto papa eodem abbate ſubſcribente publice excommunicatum, & ſine pœnitentia defunctum, non ſolum beatum in communi noſtra audientia prædicare præſumeret, verum etiam ſeipſum non in alia, niſi in qua ipſe eſt, gloria futurum oraret? in quibus omnibus dilectiſſimos fratres noſtros H. & B. cardinales, quos vobiſcum eſſe putamus, teſtes advocamus, qui vel ipſi de ejus ore audierunt, vel bonis viris, quibus indubitanter credunt, referentibus, ſe audiſſe dixerunt. Quoties decreta domini ſui papæ Gregorii, aliorumque ſanctorum patrum non ſolum verbo aperte improbaverit, verum etiam manifeſtis operibus poſtea deſtruxerit, in quot & quibus locis electionem ſuam non ſecundum Deum, ſed tumultuarie factam aſſeverans, publice refutaverit, & nunquam ſe acquieviſſe, vel in perpetuum acquieturum ſub terribili atteſtatione affirmaverit: quaſve perſonas electionem reddendo eccleſiæ, idoneas eligi in Romanum pontificem dixerit, inter quas quandam vobis ex nomine, Mettenſem ſcilicet Her. quorumdam conſilio ſcripſit, * quoniam vobis magna ex parte manifeſta ſunt, & epiſtolarem modum excederent, ex ordine ſcribere omittimus. Nunc vero cum jam tandem poſt tantum laborem inaniter conſumptum reſpirare videamur, & electionem totiens refutatam & eccleſiæ redditam, divina gratia, & veſtro fulti conſilio & auxilio in proximo libere facere ſperabamus, ſub occaſione eligendi R. pontificem concilium in Capua, ſicut illarum partium apoſtolicus vicarius congregavit. Ad quod ego, & abbas * Maſſilienſis, atque archiepiſcopus Aquenſis apud Salernum commorantes, ab epiſcopo Oſtienſi, & principe Salernitano, & Conciano R. ex parte vicarii & R. eccleſiæ invitati, ut communi conſilio R. pontificem eligeremus, veniendo obedivimus. Dux etiam quibuſdam circumventionibus a Jordane principe juveniliter illectus, illuc venit. Cum ergo de propoſito negotio tractare diſponeremus, abbas quibuſdam mollibus & geſtuoſis repulſionibus fautores ſuos epiſcopos & principem ad compellendum ſe provocare cœpit. Comperta autem verſutia ſua, cum prædicti ad reſtitutionem ſui quaſi invitum eum compelleretur, nos prænominati cum Oſtienſi epiſcopo & Witmundo monacho, & quibuſdam aliis conſilium habuimus, qualiter aſtutiæ illius contrairemus. Poſtquam ergo ipſe jam paratus erat inſignia pontificatus reſumere & electionem etiam in

* Forte quoniam H.

* Vide paullo poſt.

ANNO CHRISTI 1086.

in ipſo conventu multoties refutatam iterum in ſe retorquere, prædictorum conſilio, nos tantam hominis levitatem & propoſiti ſui mutabilitatem improbantes, in audientia omnium nos nequaquam aſſenſum præbituros diximus; niſi de quibuſdam contra famam ſuam, & tanti ordinis dignitatem quæ poſt electionem ſuam nobis de eo innotuerant, primum canonice examinatio fieret. Quod ipſe indigne ferens, neque ad examinationem venturum, neque electionem unquam ſuſcepturum ſe publice affirmavit. Sicque data nobis iterum licentia ab eo quem vellemus eligere, exeuntes brachia ſua, cœpit a nobis recedere, cum Witmundus ex conſilio Oſtienſis epiſcopi publice exclamavit, infamem perſonam non debere in Romanum pontificem eligi, vel ordinari cum conſtaret eum indubitanter infamiam incurriſſe, quoniam quidem excommunicationem domni papæ Gregorii per annum integrum & continuum, & eo plus ſine canonica pœnitentia ſuſtinuiſſet. Taliter itaque diſſoluto conventu, & quia nox imminebat, nobis recedentibus, remanſit dux cum eo, retento ſecum Oſtienſi cum cæteris R. epiſcopis & cardinalibus. Ubi cum diu rogando dux inſtitiſſet, ut quemdam Alfanum in Salernitanum epiſcopum conſecraret, ſed Oſtienſi contradicente abbas voluntatem ducis implere non auderet, quoniam de manifeſtiſſima ambitione Alfanus convictus fuerat, dux graviter indignatus recellit ab eis, Abbas igitur gratia deſtitutus, quoniam ſine eo ad Rom. pontificatum aſpirare deſperabat, profunda jam nocte cunctis dormientibus legationem ad ducem miſit, ſicque duce ad abbatem redeunte, & abbas gratiam apud ducem ut papa fieret, & dux quod quærebat obtinuit apud abbatem, ut Alfanus conſecraretur ſequenti die, videlicet dominica in palmis, ex præcepto abbatis id ſe cunctis facere reſpondentibus. Eadem itaque die cum poſt prandium abbas, dux, & princeps, uterque a ſomno meridiano ſurrexiſſent, ſole declinante ad inferiora, ſed vino obtinente ſuperiora, heu, proh dolor! abbas pro mercede nefandiſſimæ conſecrationis, fultus auctoritate ducis, pluvialem ſibi ipſe impoſuit, Oſtienſi & nobis inconſultis & prorſus ignorantibus. His ita geſtis cum Oſtienſis epiſcopus nobiſcum bene per omnia cucurriſſet, ut vidit quod abbas per potentiam principis Jordani ad conſecrandum ſe Romam ire intendebat, timens forte ne ſui dignitate privaretur, ſi ab alio prima manus conſecratio ei imponeretur, converſus eſt in die belli; & immemor factus propoſiti, & factæ nobis ſponſionis, quod dicere pudet, cum abbate pacem faciens, reverentiam ei per omnia ſicut papæ perſolvit. Qualiter autem, vel quomodo Romam ire diſponat, quoniam præſentium lator, & peregrini, quidquid poſtquam a nobis receſſerunt per Capuam tranſeuntes de hujuſmodi apparatu fieri viderunt, vel aliis referentibus didicerunt, plenius vobis referre poterunt, inutile judicavimus ſcribere.

* Verba Hugonis Flaviniacenſis.

Hic igitur conſecratus ab Oſtienſi epiſcopo, cum miſſas apud S. Petrum diceret, infra actionem judicio Dei percuſſus eſt. Et quamvis tarde, cognoſcens ſe erraſſe, ſcipſe depoſuit, & accitis fratribus de monte Caſſino, qui ſecum aderant præcepit ſe illo deferri, & in capitulo non ut papam, ſed ut abbatem ſepeliri.

Extat ad eumdem Mathildem Comitiſſam & alteram Hugonis ejuſdem Lugdunenſis archiepiſcopi epiſtola, quæ ad eam rem omnino pertinet, eruta e chartulario Cluniacenſi tomo VI. ſpicilegii Dacheriani.

Mathildi dilectiſſimæ in Chriſto ſorori ac unicæ filiæ beati Petri ſtupo ſanctæ Lugdunenſis eccleſiæ ſervus, ſalutem in caritate non ficta.

Quamvis ſciamus, venerabilis domina, hoc ſolum te ſapere, hoc ſolum inhianter te quærere, quod ad honorem Dei, & apoſtolicæ ſedis pertineat, tamen diſſimulare non poſſumus, quin ex abundanti pietatem tuam ſuper hoc ammoneamus, ut ſanctis deſideriis tuis parvitatis noſtræ ſtudia adjungamus. Scimus quidem qualiter ſupra fœmineum modum in virili pectore ſerventem caritatis flammam concipiens, in exemplum facta es omnium principum, ut cum te. quæ temporali potentia, & opibus affluebas, cuncta pro nomine Domini expendiſſe, & mundi furorem, poteſtatemque tenebrarum, fidei armatura eviciſſe cognoverint, ſimiliter ſe & non feciſſe erubeſcant, & facere prompta devotione non dubitent. Sed inter hæc, dilectiſſima domina, ad mentem tibi ſæpe reducendum eſt, ut in omnibus modis contendas utquo in finem perſeverare, & glorioſa principia feliciori conſummatione perficere, quia ſicut prudentiam tuam per Spiritum edoctam cognoſcimus, nunc ſalutis & præmiorum certa fiducia eſt, cum uſque in finem ſancti propoſiti perſeverantia dilatatur. Habetis ſiquidem in hac re fideliſſimos adjutores, & benignos devotionis veſtræ apud Dominum commendatores; piiſſimum ſcilicet patrem noſtrum ſanctæ memoriæ papam, & beatum A. . . . . Lucenſem epiſcopum, qui ſicut cum adhuc viverent, in omni pietate & juſtitia vos inſtruxerunt, ita nunc ab illo æternæ quietis ſinu, in quo eos receptos eſſe confidimus, meritis ſuis & precibus, caritatis veſtræ opera commendabunt, ac amorem perpetuæ vitæ, quo ineffabiliter fatiantur, devotionis veſtræ viſceribus inſpirabunt. Eorum itaque patrociniis adjuta in conſulendo Romanæ eccleſiæ totis viribus accingimini, ſummopere providentes, ut talem ibi perſonam eligi conſentiatis, in qua poſſit eſſe & tantorum laborum finis, & animarum ſalus, inimicorum confuſio, & apoſtolicæ reparatio dignitatis.

Et nos quidem licet de recuperatione electionis domni abbatis montis Caſſini a quibuſdam ſanctæ eccleſiæ Romanæ epiſcopis & cardinalibus presbyteris diſſenſerimus, unde aliquibus illorum cur nobis aliter videretur, etiam apud Capuam palam rationes reddidimus: tamen ſcire vos volumus ab unitate eorum, quia in corpore ſanctæ eccleſiæ ad ſerviendum beato Petro divina dignatione compacti ſumus, nec diſceſſiſſe, nec in perpetuum, Deo miſerante, diſceſſuros, immo habere propoſitum apoſtolicæ ſedis profectibus, modis omnibus deſervire. Præterea notificamus unanimitati veſtræ a monachis Cluniacenſibus nobis tantas ſupergreſſiones & injurias inferri, ut nullo modo eas æquanimiter ſuſtinere valeamus. Et quidem anno præterito, antequam Romam tenderemus, compertum nobis fuerat, abbatem in ſancta paraſceve orationem, quam pro imperatore facere conſueverat, quæ nunc pro excommunicatione & depoſitione Henrici a domino papa Gregorio facta, interpoſita eſt, publice celebraſſe, de quo cum eundem ad rationem poſuiſſemus, conſcientia debilitatus reſpondit; orationem illam pro imperatore quolibet ſe diziſſe. Cumque ex circumſtantia ipſius orationis ad Romanum eam ſpecialiter pertinere imperium proſequeremur, quia ex apoſtolicæ ſedis judicio nunc vacaret, veritate oppreſſus conticuit, neque tamen

ANNO CHRISTI 1086.

men debita pœnitentia errorem cognitum emendavit. Poſt reditum vero noſtrum, cum effrenatæ invaſioni monachorum ſuorum reſiſtere conaremur, objecit nobis quaſdam literas, quas dicebat a papa Urbano ſibi directas, in quibus continebatur, ut tam ipſe quam ſancti fratres ſui a communione noſtra, & Ricardi Maſſilienſis abſtinere curarent, ut ſub prætentione literarum noſtras injurias retineret. Quæ literæ contra apoſtolicum moderamen, & gravitatem conditæ, manifeſta mendacia continebant. A tempore enim electionis quæ de abbate Caſinenſi facta eſt, uſque ad conventum Capuæ habitum, integri anni ſpatium proteſtantur exactum; cum verum ſit in eo ſpatio nullatenus annum integrum evolutum. Inter alia autem unum impudentiſſime mentiuntur, quia a communione Romanæ eccleſiæ nos ſponte noſtra ſejunximus: cum teſtis nobis ſit conſcientia noſtra, & caritas, qua in Domino copulamur, nos non ſolum communionem eorum non evitaſſe, ſed omnibus hoc perſuadentibus reſtitiſſe. Adhibito ergo nobis conſratrum & coepiſcoporum noſtrorum conſilio, & per eorum manum inter nos & abbatem colloquio conſtituto, cum intelligeret nos aliter cum illo concordiam non habituros, niſi culpa cognita præfatam orationem interponeret, judicium nobiſcum ſubire prætenſis multis occaſionibus recuſavit, epiſcoporum tamen qui aderant ſtudiis diſcordia noſtra aliquantulum modificata eſt, & per inducias uſque ad præfinitum terminum mitigata.

ANNO CHRISTI 1086.

Hæc de his quæ circa nos ſunt caritati veſtræ communicavimus, invicem poſtulantes, ut ſi quid vobis de ſervitio humilitatis noſtræ placuerit, ſine hæſitatione nobis hoc ſummopere cupientibus aſſignetis. Si vero præſentium portitoribus Romam eundi occaſio, aut facultas defuerit, de benignitate veſtra plurimum confidentes, rogamus, ut literas quas illis perferendas commiſimus, epiſcopis ſanctæ eccleſiæ Romanæ filiis, & cardinalibus presbyteris, celeriter dirigi faciatis. De cæterο dilectum fratrem noſtrum domnum Rotgerum ſanctæ eccleſiæ apoſtolicæ ſedis cardinalem ſubdiaconum, qui in proximo Romam per vos ad utilitatem ſanctæ eccleſiæ venturum ſe dicit, nobilitati veſtræ ſicut neceſſarium commendamus, rogantes ut in conductu, & in cæteris, in quibus benignitatis veſtræ conſilio indiguerit, pro gratia beati Petri & noſtra ſubveniatis: quo referente de his quæ circa nos ſunt plenius cognoſcetis.

☞ MOGUNTINUM CONCILIABULUM ALTERUM

Anno 1086. coram Guiberti antipapæ legatis celebratum.

Ex Suppl. Manſi T. II. pag. 90.

Supra cum de Moguntino conciliabulo agerem, ex auctoritate utriuſque hiſtorici Saxonici evici duo proxime ſuccedentibus annis Moguntiæ conciliabula convenisſe; aliud quidem jam ſupra traditum eſt; ſupereſt de altero diſcuſſio. Quid in eo geſtum ſit, ex annaliſta Saxone Eccardiano primum, deinde ex Coſma Pragenſi multo accuratius delineabo. Hæc igitur Annaliſta.

Imperator Wratizlaum ducem Boemiæ, tam Boemiæ quam Poloniæ præfecit, & imponens capiti ejus manu ſua regalem circulum, juſſit Egiberto Treverenſi archiepiſcopo, ut eum in ſua Metropoli Praga in regem ungeret & Diadema capiti ejus imponeret. In eodem concilio frater ejuſdem ducis Gebehardus Pragenſis præſul ſcripta ſuæ antiquæ querimoniæ præſentavit, de Johanne Moravienſe epiſcopo, qui eodem anno ab hoc ſæculo migraverat. Replicavit etiam privilegium ſancto Adalberto prædeceſſori ſuo a Benedicto papa & imperatore primo Ottone confirmatum. Unde factum eſt, ut Wratizlaus dux, & frater ſuus Conradus eidem Gebehardo epiſcopo Moraviæ parochiam reprofiterentur & redderent. Cujus redintegrationis auctoritatem imperator in charta deſcribi, & ſigilli ſui impreſſione juſſit inſigniri. Acta ſunt hæc Moguntiæ III. Kalend. Julii.

* Legendum Maiſt utcum ſequenti diplomate congruat.

Sed multo accuratius concilii hujus hiſtoriam proſequitur Coſmas Pragenſis chronic. lib. 2. ubi & diploma Henrici imperatoris pro redintegratione Pragenſis epiſcopatus in eo concilio datum affert, ex quo de patribus ejuſdem concilii erudimur.

Ex edit. Meibom. per. Germ. com. pag. 1057.

Anno Dom. Incarn. MLXXXVI. jubente & peragente Romanorum imperatore tertio Henrico Auguſto, celebrata eſt ſynodus magna in urbe Moguntia. Ubi IV. archiepiſcopi & XII. præſules, quorum nomina poſt docebimus ſimul cum abbatibus monaſteriorum, & cæteris fidelibus reſidentes, plurima decreta ſuper ſtatu ſanctæ eccleſiæ ſcriptis roboraverunt. In quo conventu idem Cæſar omnibus ſui regni optimatibus, Ducibus, Marchionibus, Satrapis, epiſcopis aſſentientibus, & collaudantibus Ducem Boemorum Wratislaum tam Boemiæ quam Poloniæ, præfecit & imponens capiti ejus manu ſua regalem circulum, juſſit archiepiſcopum Trevirenſem nomine Egilbertum ut eum in ſede ſua Metropoli Praga in regem ungat, & diadema capiti ejus imponat.

In eodem concilio Pragenſis præſul Jaromir ſcripta ſuæ antiquæ querimoniæ repræſentat de Moravienſe epiſcopo, Joanne ſupra memorato, qui quamvis eodem anno jam ab hoc ſæculo migrarat, tamen valde præcavens in futurum prædictus præſul & agens per amicos pulſat aures Cæſaris, ne iterum in eodem loco alius ſubrogetur epiſcopus. Replicat coram omnibus privilegium olim a ſancto Adalberto epiſcopo ſuo anteceſſore, confirmatum tam a papa Benedicto quam a primo Ottone imperatore. Ad cujus juſtam querimoniam imperator motus precibus ducis Wratislai, fratris ejuſdem epiſcopi, & conſilio archiepiſcopi Moguntini Wezelonis, & aliorum bonorum, quæ juſtitiæ favebant, novum antiquo fere ejuſdem tenoris addit privilegium, & ſigno imperiali confirmat, ut in ſequentibus patebit. Cujus privilegii formam, ſi huic operi noſtro inſeramus, non ſuperfluum fore æſtimamus, continet enim hunc aut hujuſmodi textum.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus tertius divina favente clementia Romanorum imperator auguſtus.

Regio nomini & imperatoriæ dignitati congruere novimus, ut eccleſiarum Dei utilitatibus utique opitulantes, damna & injurias earum quacumque neceſſe fuerit, * propulſemus. Quapropter univerſis Dei notiſque regni fidelibus tam futuris, quam præſentibus, notum eſſe volumus; qualiter fidelis noſter Pragenſis epiſcopus Gebhardus

* f. auctori tate.

dus ſæpe confratribus ſuis & coepiſcopis, cæteriſque principibus noſtris, ac noviſſime nobis conqueſtus eſt, quod Pragenſis epiſcopatus, qui ab initio per totum Boemiæ, ac Moraviæ ducatum unus & integer conſtitutus, & tam a papa Benedicto, quam a primo Ottone imperatore, ſic confirmatus eſt; poſtea anteceſſorum ſuorum conſenſu, ſola dominantium poteſtate ſubinthronizato intra terminos ejus novo epiſcopo diviſus eſſet & imminutus. Qui cum Moguntiæ coram legatis apoſtolicæ ſedis, præſentibus nobis, ac pleriſque regni noſtri optimatibus, eandem querimoniam intuliſſet, ab archiepiſcopis Wezlone Moguntino, Sigevino Colonienſi, Egilberto Treverenſi, Liemaro Bremenſi, ab epiſcopis quoque * Liederico Virdunenſi, Conrado Trajectenſi, Udalrico Eiſtetenſi, Ottone Ratisbonenſi, cum aſſenſu laicorum, ducis Boemorum Wratislai, & fratribus ejus Conradi, ducis Friderici, ducis Lutoldi, palatini comitis Rapotæ & omnium qui ibidem convenerant, primitiva illa parochia cum omni terminorum ſuorum ambitu Pragenſi ſedi eſt adjudicata. Termini autem ejus occidentem verſus hi ſunt. Jugaſt quæ tendit ad medium fluminis Chub, Zedleæ & Liuſena, & Daſena, Liutomerici, Lemuzi uſque ad mediam ſilvam qua Boemia limitatur. Deinde ad Aquilonem hi ſunt termini: Bovane, Chonvati, & altera Hrovatizlaſane, Trebovane Poborane, Dedoſſene uſque ad mediam ſilvam, qua Milcianorum occurrunt termini. Inde ad orientem hos fluvios habet terminos; Bug ſcilicet & Ztir cum Cracova civitate, provinciaque cui Wag nomen eſt cum omnibus regionibus ad prædictam urbem pertinentibus, quæ Krakova eſt. Inde Ungarorum limitibus adaltis uſque ad montes, quibus nomen eſt Jeitri, dilatata procedit. Deinde in ea parte, quæ meridiem reſpicit, addita regione Moravia uſque ad fluvium, cui nomen eſt Wag, & ad mediam ſilvam, cui nomen eſt Mare, & ejuſdem montis eadem parochia tendit, qua Bavaria limitatur. Mediantibus itaque nobis, & communi principum aſpirante ſuffragio pactum eſt, ut dux Boemiæ, Wratislaus & frater ejus Conradus ſupradicto Pragenſi epiſcopo fratri ſuo parochiam judiciario ordine requiſitam ex integro reprofiterentur & redderent. Proinde nos rogatu ejuſdem epiſcopi rationabiliter inducti Pragenſis epiſcopatus reintegrationem noſtræ imperialis auctoritatis edicto illi & ſucceſſoribus ejus confirmamus & ſtabilimus inviolabiliter decernentes, ne ulla poſt hac cujuslibet conditionis perſona, vel ulla ſocietas hominum, Pragenſi eccleſiæ quicquam ſui juris in prænotatis terminis alienare præſumat. Cujus reintegrationis & confirmationis auctoritas, ut omni ævo ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc chartam inde conſcribi, quam (ſicut infra apparet) manu propria laborantes, impreſſione ſigni noſtri juſſimus inſigniri. Data III. Cal. Maii anno Dom. Incarn. MLXXXVI. indictione IX. Anno autem Domini Heinrici, regni quidem XXXII. imperii vero III.

Signum Domini Heinrici tertii Romanorum imperatoris Auguſti.

ANNO CHRISTI 1086.

ANNO CHRISTI 1087.

CONCILIUM CAPUANUM

QUO VICTOR RESUMPTIS INSIGNIBUS PONTIFICALIBUS,

quæ præter voluntatem electus reſignaverat conſecratus fuit, anno Domini MLXXXVII.

Acta concilii.

DE rebus in hac ſynodo geſtis Leo Oſtienſis rerum inſpector his verbis enarrat: *Sequenti anno* (milleſimo octogeſimoſeptimo) *apud Capuam epiſcoporum congregato concilio, cum ipſe electus una cum epiſcopis cardinalibuſque concilio præſideret, Cincius enim Romanus conſul, cum nobilibus pleriſque Romanis, Jordaniſque princeps Capuæ, & Rogerius dux cum omnibus fere ſuis optimatibus, adeſſet; finito concilio, rurſus ex inſperato illum clerici & laici precibus multis lacrymiſque fatigant: ſicque biduo immobilis perſtitit. Tandem duce, ac principe, epiſcopiſque & fidelibus cæteris, ad ejus veſtigia ſtentibus, victus precibus ac rationibus ceſſit, electionemque præteritam, crucem ac purpuram reſumendo, firmavit duodecimo Kalendas Aprilis, dominica in ramis palmarum. Inde Caſſinum reverſus ibi paſcha celebravit. Solemnitate peracta, cum Capuano ac Salernitano principe Romam perrexit, ac juxta Oſtienſem urbem Tiberim cum omnibus tranſiens, gravi languore comprehenſus extra porticum ſancti Petri tentoria fixit. Et quia Ravennas hæreſiarcha, qui vivente Gregorio papatum invaſerat ſancti Petri eccleſiam armis tenebat; inſtantibus militibus principis, eadem die recuperata eccleſia eſt. Dominica vero aſcenſionem ſubſequente Romanis fere omnibus trans Tiberim magna cum frequentia celebritate occurrentibus, electus ipſe ab epiſcopis Oſtienſi, Tuſculano, Portuenſi, & Albanenſi, cardinalibuſque, & epiſcopis, & abbatibus, aſſiſtentibus plurimis, eccleſiaſtico more ſacratus & in apoſtolica ſede locatus eſt ſeptimo Idus Maii.*

Victor papa Romæ conſecratur.

ANNO CHRISTI 1087.

CONCILIUM BENEVENTANUM

QUO GUIBERTUS ANTIPAPA

Cum ſuis ſibi adhærentibus epiſcopis ſchiſmaticis excommunicatur, anno Domini MLXXXVII. tempore Victoris papæ III.

Acta concil. (1) *Res in ſynodo hac Beneventana geſtas refert Leo Oſtienſis libro* 3. *capite* 71. *his verbis*: Victor autem tertius egreſſus urbe ad monaſterium venit, ſociatiſque ſibi epiſcopis & cardinalibus, eccleſiam ſancti Nicolai in Pica ſolenniter dedicavit, Menſe vero Auguſto ſynodum celebrare cum Apuliæ & Calabriæ epiſcopis, nec non Principatum ſtatuens, Beneventum perrexit. In qua idem apoſtolicus præſidens ait: Novit veſtra dilectio, cariſſimi fratres & coepiſcopi, (neque latet orbem univerſum) ſancta Romana & apoſtolica ſedes, cui Deo auctore deſervio, quot adverſa pertulerit, quot denique per ſimoniacæ hæreſeos trapezitas malleis tunſionibuſque perfracta ſit, adeo ut columna Dei vivi videretur jam pene concuſſa mutare, & ſagena ſummi piſcatoris intumeſcentibus fluctibus diſrumpi, ac naufragii ſorte perire. Guibertus enim hæreſiarcha, qui vivente ſanctæ memoriæ prædeceſſore meo Gregorio papa Romanam invaſi eccleſiam, antichriſti præcurſor, & ſatanæ ſignifer effectus oves Chriſti diſpergere, mactare, laniareque non deſinit.

Damnatio Guiberti ante rata ſub Victore.

Incitator enim incentorque malorum factus, quantas Gregorio papæ injurias, quas perſecutiones, quot clades intulerit, referre quis poſſit? Excitavit contra eum conjuratos ipſe conſpirationis auctor, fugavit urbe, ſacerdotio, quantum in ſe fuit, ſimoniacus perjuruſque privavit: commovit adverſus eum Romanum imperium, concitavit gentes & regna; & (quod a ſæculo eſt inauditum) excommunicatus ipſe atque damnatus ſanctum pontificem excommunicare præſumpſit, Romanam urbem hactenus ſacrilegiis, cædibus, perjuriis, conſpirationibus, flagitiis, & vitiorum omnium ludibriis profanare non deſinit, & Simonis magi perfidia incenſus, nequitiæ ſuæ complices ad tam impium & execrabile facinus evocans, coacto imperatoris exercitu apoſtolicæ ſedis invaſor effectus eſt contra præcepta evangelica, contra prophetarum, apoſtolorumque decreta, contra canonum & Romanorum pontificum jura, nullo cardinalium epiſcoporum præcedente judicio, nullo Romani cleri approbante ſuffragio, nullo devoti populi requiſito conſenſu, in ſancta Romana eccleſia totius nequitiæ ac perditionis caput effectus eſt. Sed omnipotentis Dei potentia cum jam dictum Gregorium pontificem poſt labores ac certamina plurima ad æternam requiem evocaſſet, & unanimi concordia epiſcopi & cardinales provincialeſque antiſtites una cum Romano clero & populo parvitatem noſtram modis omnibus contradicentem & renitentem apoſtolicæ ſedi præfeciſſent, non timens æterni imperatoris judicium, nunc uſque Chriſtum & oves ejus, pro quibus ille fudit ſanguinem ſuum, perſequi non omittit. Idcirco auctoritate Dei & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, omnium que ſanctorum, omni illum ſacerdotali officio & honore privamus, & a liminibus eccleſiæ ſeparantes anathematis vinculo innodamus.

De recentibus ſchiſmaticis vitandis

Noſtis præterea, & bene noſtis, quos dolos machinati ſint, quantaſque mihi preſſuras intulerint Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus, & Richardus Maſſilienſis abbas, qui pro ſuæ & ambitione ſedis apoſtolicæ, ad quam dudum clam inhiabant, ubi votis ſuis potiti non ſunt, ſchiſmata in ſancta eccleſia fecerunt: & Richardus quidem Romæ noſtram electionem cum cardinalibus & epiſcopis egerat, Hugo autem ad nos poſt paululum veniens, affuſus veſtigiis, dum obſequium nobis ſummo pontifici debitum invitis ac retractantibus exhiberet, legationem a nobis in partibus Galliarum poſtulaverat & acceperat. Itaque donec parvitatem noſtram electioni ſuæ atque a ſe approbatæ repugnare conſpexerant, ipſi modis omnibus inſistebant ne omus pro utilitate eccleſiæ nobis impoſitum abjiceremus. Ubi vero nos tandem cedere perviderunt, conceptam diu flammam cibanus exſaturatus evomuit. Quapropter cernentes ſibi fratrum omnium unanimitatem conſtanter obtutari, ab eorum & noſtra ſunt continuo communione ſejuncti. Unde vobis apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ab eis abſtinere curetis, neque illis omnino communicetis, quia eccleſiæ Romanæ communione ſua ſe ſponte privarunt. Nam, ut B. ſcribit Ambroſius, qui ſe a Romana eccleſia ſegregat, vere habendus eſt hæreticus.

Canones editi Beneventan.

*Conſtituimus etiam, ut ſi quis deinceps epiſcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus epiſcopus vel abbas habeatur, neque ulla ei ut epiſcopo vel abbati adhibeatur reverentia. Inſuper ei beati Petri gremium & introitum eccleſiæ interdicimus, quouſque locum, quem ſub tanto crimine ambitionis & inobedientiæ (quod eſt ſcelus idololatriæ) cepit reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus eccleſiaſticis gradibus dignitatibuſque conſtituimus. Si quis item imperatorum, regum, ducum, principum, comitum, vel cujuſvis poteſtatis ſæcularis, epiſcopatum, vel quamvis aliam eccleſiaſticam dignitatem, dare præſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe adſtrictum noverit, cum trecenti * & octo patres in Nicæno concilio omnes hujuſmodi vendentes & ementes excommunicaverint, cenſentes ut qui dat & qui recipit anathema ſit. Cum hujuſmodi igitur epiſcopis, abbatibus, aut clericis reliquis, qui communicat, vel orat, aut ipſorum audit miſſas, una excommunicationis ſententia plectitur; qui nec ſacerdotes quidem rite putari poſſunt.*

* decem & octo

Pœnitentia vero & communio a nemine, niſi a catholico ſuſcipiatur. Quod ſi nullus adſit catholicus presbyter, rectius eſt ſine viſibili communione perſiſtere, & inviſibiliter Domino communicare, quam eam ab hæretico ſumendo a Deo ſeparari: Nulla enim

(1) Correcta hæc ſunt cum nova editione Leonis Oſtienſis, curante R. P. Angelo de Nuce, Abb. Caſſinenſi. *Mart.*

ANNO CHRISTI 1089.

enim (*ut ait apoſtolus*) conventio Chriſti ad Belial, neque pars aliqua fideli cum infideli. *Omnis autem hæreticus infidelis eſt: ſimoniacus vero, quia hæreticus, idcirco infidelis. Nam ſacram Chriſti communionem quamvis viſibiliter & corporaliter catholicis propter imminentes hæreticos habere non poſſint, dum tamen mente Chriſto conjuncti ſunt, ejus communionem inviſibiliter ſummant.*

Hæc igitur omnia dum omnium epiſcoporum in concilio aſtantium eſſent ſuſcepta judicio & auctoritate probata diſſeminata continuo ubique per orbem fuere. In eodem vero concilio pontifex infirmatus graviter, poſt triduum peractis omnibus, ſeſtinus ad monaſterium rediit, comitantibus epiſcopis & cardinalibus, & in capitulum fratrum ſe ferri præcepit. Ubi ſub diſtricto anathemate prohibuit, ne quis ex ſucceſſoribus ſuis auderet vendere fundos, eccleſias, villas, vel quaſcumque poſſeſſiones ad monaſterium Caſſinenſe pertinentes. Simili modo interdixit, ne quis monachorum abſque conſcientia abbatis ſui libellum facere auderet, quod ſi fieret, irritum eſſet. Conſtituit etiam, ut omnia monaſteria, quæ ſub ditione noſtri hujus Caſſinenſis cœnobii ſunt, ſingulis annis huic noſtræ congregationi prandium faciant. A

Hoc ſtatuto, omnium monachorum unanimi conſenſu, præfatis etiam epiſcopis aſtantibus atque approbantibus, dominum Oderiſium religioſum valde virum, Romanumque diaconum, qui tunc erat noſtri monaſterii præpoſitus, abbatem conſtituit. ANNO CHRISTI 1089.

Poſt hæc convocatis ad ſe epiſcopis & cardinalibus, monuit ac juſſit, ut juxta Gregorii papæ ſtatutum Ottonem Oſtienſem epiſcopum quamprimum B *eligerent, pontificemque conſtituerent, quem, quia præſens aderat, manu apprehenſum cæteris epiſcopis tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romana ſede locate, meamque vicem in omnibus, quouſque id facere poſſitis habetote.* Victoris papæ monitio de electione ſucceſſoris.

ANNO CHRISTI 1088.

VITA

ANNO CHRISTI 1088.

ET EPISTOLÆ URBANI PAPÆ II.

Urbanus quando & quomodo pontifex factus.

URbanus, qui antea nominabatur Otto, Oſtienſis epiſcopus, quemque Victor tertius exemplo Gregorii prædeceſſoris ſui ſibi ſucceſſorem nominaverat, communi totius cleri ac populi conſenſu electus eſt pontifex ejus nominis ſecundus anno 1088. quarto Idus Martii, dum ſedes apoſtolica quinque menſibus & ſexdecim diebus paſtore viduata fuiſſet. Hic ante pontificatum ad Henricum regem ablegatus, ab eodem captus, magniſque contumeliis affectus fuit. Sententiam excommunicationis in regem pronuntiatam ipſe in Germaniam promulgavit. Pontificatum adeptus de tui electione omnes fideles certiores reddidit. Inveterato lateris dolore vexatus, duodecimo die poſt factam electionem Caſſini a ſancto Benedicto miraculoſe ſanatus fuit. Inde rogatu Rogerii & D Boamundi in Apuliam ſe contulit, ibique eccleſiam in honorem ſanctæ Mariæ divino cultui dicatam privilegio munivit. Eccleſiæ Toletanæ primatum conceſſit. Ad improbandas ſchiſmaticorum ordinationes, & confirmandam anathematis ſententiam in Guibertum antipapam & Henricum pſeudo-imperatorem a Gregorio VII. pronuntiatam, ablegavit in Germaniam Gebehardum Conſtantienſem epiſcopum, virum in munere ſuo obeundo fortiſſimum, qui nullo habito reſpectu perſonarum comitem quemdam in excommunicatione defunctum exhumari & ad ſepulturam aſini (ut loquitur Bertholdus) deputari mandavit. Exemplum conſtantiæ. Mathildem comitiſſam jam provectioris ætatis feminam ob bonum publicum eccleſiæ Welphoni E Italico duci ducis Bojoariæ filio, ſtrenuo militi & eccleſiæ defenſori, deſponſavit invitam, & non alia conditione conſentientem, quam ut uſu conjugali utrinque abſtineretur. Cumque pontifex in Apulia diutius moraretur, interea vero Henricus rex Mantuana civitate aliiſque victoriis potiretur, Romani iterum rebellantes; poſt captam ſancti Angeli munitionem, Guibertum antipapam & hæreſiarcham antea expulſum, nunc vero per Henricum victoria elatum in urbem rurſus intruſum receperunt. Tulit iſta conſtanti animo pontifex optimus, fretuſque ſacerdotali robore adverſus cuncta contraria fortis atque immobilis perſtitit, habitoque Beneventi concilio Guibertum ejuſque complices excommunicavit. Bello abſtinuit, ne militari manu Romanos cives inquietaret. Cumque rex ſchiſmaticus pontificem dehonoraret, admirabili Dei conſilio accidit ut eumdem princeps Barcinonenſis veneraretur. Nam cum ille in jura eccleſiæ debaccharetur, hic Tarraconenſem civitatem e Saracenorum manibus ereptam Romanæ eccleſiæ donavit. Ivonem Carnotenſem epiſcopum conſecravit. Brunonem Carthuſiani inſtituti auctorem, ſexto anno quam ille ſolitudinem Carthuſianam incoluiſſet, ad ſe accerſivit, biennio apud ſe retentum dimiſit anno Domini 1095. quando ab Urbano diſcedens in Calabriam profectus inſtitutum ſuum propagavit. Ericum regem Danorum a Liemaro archiepiſcopo Hamburgenſi ſchiſmaticorum principe injuriis laceſſitum ad ſedem apoſtolicam bis appellantem humaniſſime excepit, eumque metropolitani Hamburgenſis ſubjectioni exemit, Lundiæque metropolim in Dania inſtituit. Henricum regem, qui Praxedem imperatricem uxorem ſuam legitimam carceribus mancipavit, eamque filio aliiſque extraneis violandam obtulerat, iterum excommunicavit, filiumque Conradum adverſus patrem ideo rebellantem, quod mandato ejus juſſus eſſet cum matre inceſtum committere, quodque eodem auctore ex adulterio natus diceretur, ab excommunicatione abſolvit. Ad ſubveniendum periclitanti orientali, & potiſſimum Hieroſolymitanæ eccleſiæ, ſummo ſtudio egit: habitiſque pluribus ea de cauſa conciliis, promovit ut fideles Chriſtiani exercitum conſcriberent, ſanctamque terram a Turcarum infidelium profanationibus liberarent & defenderent. Ea occaſione trecenta millia Chriſtianorum accepta benedictione a Romano pontifice Aſiam invaſerunt, captiſque oppidis eamdem devaſtarunt. Nicæam urbem cum aliis pluribus oppidulis expugnarunt & in ſuam poteſtatem redegerunt, Antiochiam in Syria cœperunt die tertia menſis Junii. Ab hoſtium immenſa multitudine obſeſſi, fame ac morbo conſumpti, inventione lanceæ illius, quæ Chriſti latus perforavit, animoſiores effecti, facta irruptione ingente victoriam contra hoſtem reportarunt. Quod cum Urbano papæ nuntiatum fuiſſet, legatum miſit in orientem qui eccleſias

Guibertus excommunicatur.

Bruno Carthuſianorum auctor.

Henricus rex cur iterum excommunicatus.

Expeditio in terram ſanctam.

in locis, unde pagani expulſi erant, inſtauraret. Hoc pontifice auctore horariæ illæ preces, quas vulgo beatæ Mariæ virginis & Dei genitricis officium appellari conſueverunt, non tantum a clericis, ſed etiam a laicis, pro auxilio contra Saracenos obtinendo recitari cœperunt. Hujus tempore carioſus hæreticus Berengarius, ſimpius eccleſiam falſa pœnitentia eludens, ipſo die ſanctæ epiphaniæ ex hac vita migravit. Vicinus morti dixiſſe ſcribitur: Hodie in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Jeſus Chriſtus propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam vel propter alios, ut timeo, ad pœnam. Ordines Carthuſianorum, Ciſtercienſium, & Antonitarum eorum qui infirmis miniſtrabant, & literam τ pro inſignibus gerebant, ſub hoc tempore originem ſumpſerunt.

Officium B. Mariæ virg. cantari cœptum.

Berengarii obitus quallis.

Qui ordines tempore hoc pontifice exorti.

His rebus ita feliciter peractis, pace eccleſiæ reſtituta ipſaque in tranquilliorem ſtatum vindicata, Urbanus pontifex quarto Kalendas Auguſti, anno Domini milleſimo nonageſimonono defunctus eſt, cum ſediſſet annos undecim, menſes quatuor, dies decem & octo. Corpus in tranſtiberinam regionem delatum in baſilica Vaticana honorifice ſepultum fuit.

Urbani papæ obitus.

EPISTOLA I. URBANI PAPÆ II. AD OMNES FIDELES.

De eccleſia ſanctæ Mariæ Caſſinenſis monaſterii a ſe conſecrata, & privilegio munita.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſitati Chriſti fidelium notum in perpetuum.

Divinæ miſerationis intuitu, cujus munere, licet immeriti, catholicæ eccleſiæ præſidemus, & univerſæ fidelium poteſtates conſiſtunt, condecet apoſtolicæ ſedis piam ſolicitudinem, & benignam principum magnificentiam eccleſiarum debitam curam gerere, & pro earum pace & quiete cum omni diligentia miſericorditer inſudare: quatenus id divina operante clementia, quique jura ſua æquo moderamine poſſidentes, prælati ſimul & ſubditi, pariter attingere valeant ad promiſſa fidelibus gaudia ſempiterna. Nos itaque in Caſſino monte filiorum noſtrorum Rogerii ducis, & Boamundi fratris ejus, & Urſonis abbatis, precum inſtantia fatigati, cum multitudine confratrum noſtrorum epiſcoporum ad conſecrandum Bantinum monaſterium in honore Dei genitricis conſtructum eadem auxiliante pervenimus: cumque opitulatione domini conſecrationibus ejus noſtris devotis manibus rite peractis, eorumdem virorum illuſtrium & ſuorum comitum & baronum interventionibus piis, ad ſummam ejuſdem libertatem, ſecuritatem & pacem, a monaſterio ipſo, & eccleſiis ejus, & rebus ac locis omnibus ſuis habitis & habendis, omnia epiſcopalia jura & publicas omnes exactiones apoſtolica auctoritate generali perpetua conſtitutione excluſimus. Attamen a ſola tantum Acherontina eccleſia ſanctæ Anaſtaſiæ intra muros civitatis conſtructa Acherontino archiepiſcopo annis ſingulis unam auri unciam ſuſcipere indulgemus. Hæc interea irrefragabiliter ſtatuentes, ut chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ſeu baſilicarum, ordinationes clericorum ſuorum, & cætera ſpiritualia ſacramenta, ab epiſcopis diœceſanis, vel quibuſcumque catholicis Bantini monaſterii fratres accipiant, qui mandato apoſtolicæ ſedis & auctoritate ſuffulti faveant, & eiſdem petentibus fratribus eadem ſacramenta gratis & ſine aliqua pravitate exhibeant. Inſuper autem B. Petri apoſtolorum principis auctoritate ſancimus, ut omnes cujuſcumque conditionis homines clericos & laicos, qui in morte vel vita ad præſcriptum monaſterium, & eccleſias ejus, & loca cum rebus ſuis tranſire, aut in ſuis domibus commorantes quælibet bona temporalia ſua eleemoſynarum largitione conferre voluerint, nullius contradictio inhibeat, & iiſdem quæcumque contulerint, patrocinio apoſtolicæ ſedis iidem fratres quiete & generaliter libera perpetuo poſſidebunt.

Decernimus etiam, ut nulli omnino hominum ſint, qui præfatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, minuere, vel ablatas retinere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, * omni titulo ſuper ea re quarumlibet oppoſitionum ſemper excluſo. Indulgemus autem eis hæc omnia apoſtolicæ ſedis paterna pietate, inducti & confratrum noſtrorum diſcreto conſilio, & prædictorum virorum nobilium ſtrenuo interventu, & quia monaſterium ipſum poſt introitum Nortmannorum cum intrinſeca ſui expoliatione, & locorum ſuorum miſerabili depopulatione cum ſacrilegis uſurpationibus epiſcoporum innumera lugenda detrimenta & indigna ſuſtinuit, quæ breviatim in privilegio comitis Amici notantur. Talibus ergo rationibus apertis commota viſcera pietatis apoſtolicæ ſedis, monaſterium idem cum rebus omnibus ſuis habitis & habendis, tamquam Beati Petri poſſeſſionem, cujus eſt & jus & proprietas, a juribus univerſis, atque ſervitiis cujuslibet dignitatis vel ordinis omnium hominum, anathematis gladio digne ſubtranunt & defendunt. Ad indicium autem percepiæ hujus a Romana eccleſia libertatis per annos ſingulos auri unciam nobis noſtriſque ſucceſſoribus ejuſdem monaſterii abbates perſolvent.

* *forſit audeant*

Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat; atque in extremo examine divinæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Sequebantur iſta ſubſcriptiones atque ſigilla. Porro pontificium ſignum, in quo apoſtolorum nomina, & a tergo imagines plumbo fuſæ habentur, cum ejuſmodi in extimo circulo inſcriptione legitur: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

II. AD BERNARDUM ARCHIEPISCOPUM TOLETANUM.

De primatu ejuſdem eccleſiæ conceſſo.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimo fratri Bernardo archiepiſcopo Toletano ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum.

CUnctis ſanctorum decretales ſcientibus, &c.

Extat ſupra to. X. conciliorum, pag. 522.

III.

III. AD ARCHIEPISCOPUM TARRACONENSEM.

Ejuſdem argumenti.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri archiepiſcopo Tarraconenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOvit dilectio tua, &c. *Extat ſupra eodem tomo X. conciliorum, pag.* 522.

IV. AD ANSELMUM MEDIOLANENSEM ARCHIEPISCOPUM.

De reconciliatione lapſorum.

DIſcretioni noſtræ videtur, quatenus ſecundum præcepti noſtri tenorem, quando ſecundum eccleſiæ veſtræ morem ſacros daturos quibuslibet aliis ordines benedicere cœperis, eos, quos tua duxerit ſolertia reconciliandos, inter benedicendum & manus imponendum facias intereſſe; quibus cætera omnia conſecrationis inſtrumenta præter unctionis explebis, & ſic ad ſancta miniſteria reconciliabis.

V. AD ELIAM EPISCOPUM BARENSEM.

De reliquiarum ſancti Nicolai tranſlatione, & Barenſis eccleſiæ dignitate & juribus.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo fratri Eliæ archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia noſtris temporibus eccleſiam, quam Deo auctore regis, frater cariſſime, Baremem, quæ & Canuſina dicitur, omnipotens Deus beati confeſſoris ſui Nicolai corpore viſitare dignatus eſt; nos auctore Deo apoſtolorum Petri Paulique vicarii, propter eccleſiaſtica negotia exequenda in Apuliæ provinciam deſcendentes, cariſſimorum filiorum Romanæ eccleſiæ Rogerii ducis & fratris ejus Boamundi, atque veſtris deprecationibus invitati, civitatem veſtram pro beati confeſſoris Nicolai dilectione præcipua viſitavimus: cum magna undique convenientis populi frequentia, lætitiaque B. Nicolai reliquias in locum parati adyti conferentes, contra morem noſtræ Romanæ & apoſtolicæ eccleſiæ te, dilectiſſime frater, in ſede propria conſecravimus, B. Nicolai reverentia, & tui populi dilectione devicti. Te igitur in ſpecialem Romanæ eccleſiæ filium amplectentes amoris intimi brachiis, tuamque, cui, Deo auctore, præſides, Barenſem, quæ & Canuſina habetur eccleſia, exaltare, & populum tuum tam temporaliter quam æternaliter glorificare, largiente domino, & favente juſtitia, cupientes, confirmamus tibi præſentis paginæ auctoritate integrum Barenſem, qui & Canuſinus eſt, archiepiſcopatum, ut tu tuique ſucceſſores epiſcopali jure illum regas, diſponas atque poſſideas, ſalva Romanæ auctoritate eccleſiæ, quæ inſtituente Domino eccleſiarum omnium princeps eſt, cuique ut matri ſumma debet ab univerſis reverentia exhiberi.

Abſque præjudicio ergo juſtitiæ quarumlibet eccleſiarum, ſequentes tenorem qui noſtrorum continetur privilegiis prædeceſſorum, Barenſis ſive Canuſinæ eccleſiæ poſſeſſiones ſive diœceſes tibi tuiſque ſucceſſoribus perpetuo poſſidendas regendaſque contradimus. Hæ autem ſunt, Canuſia, Biſtictum, Bitontum, Midunium, Juvenatium, Melficta, Rubum, Trannum, Canna, Minervinum, Aqua tecta, Mons meliorus, Lavellum, Rapulbe, Melfis, Bitalbis, Salpicuperſanum, Palimarum, ſimul & cætera quæ intra marini litoris * ora ſita eſſe cognoſcuntur. Hæc vero & alia municipia, ſive civitates prædictis civitatibus adjacentes, ſive longe poſitæ, ſed ad eas pertinentes, confirmamus vobis, & omnes fundos & caſales, una cum caſis & vineis, cum ſervis & ancillis, cum maſſis, & maſſaritiis, atque molendinis, cum portubus, montibus & pratis, ſimul cum plebibus, ſive eccleſiis, cum omnibus titulis, ſive capellis ſuis, ſimul etiam cum monaſteriis virorum, ſeu feminarum, Græcis aut Latinis, cum univerſis ordinibus eccleſiaſticis, & quidquid honoris, poſſeſſionis, ſeu dignitatis, per legalem largitionem, & juxta conceſſionem antiquitus tenuiſſet, & quidquid juſtitiæ non contradicit, & antiquitus ſuperadditum eſſe probatur, & in futurum juſte poterit Barenſis & Canuſina eccleſia adipiſci. Atque hujuſmodi privilegia præſenti auctoritatis noſtræ decreto indulgentes, ſtatuimus, nullum regum vel imperatorum, antiſtitum, nullum quacumque dignitate præditum, vel quemquam alium audere minuere, alienare, ſive ſuis uſibus applicare de iis quæ eidem eccleſiæ a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata ſunt, vel deincep, domino favente, donari contigerit. Præterea fraternitati tuæ pallii uſum ex more concedimus, ut eo inter miſſarum ſolemnia, iis dumtaxat feſtivitatibus utaris, videlicet nativitate Domini, S. Stephani, epiphania, cœna Domini, reſurrectione, aſcenſione, pentecoſte, nativitate S. Joannis Baptiſtæ, natalitiis apoſtolorum, & tribus feſtivitatibus ſanctæ Mariæ, feſtivitatibus ſanctorum Nicolai & Sabini, feſtivitate omnium ſanctorum, in anno ordinationis tuæ die, in ordinatione epiſcoporum ſeu cæterorum clericorum, in conſecratione etiam eccleſiarum, in tranſlatione etiam Domini confeſſoris Nicolai. Hortamur itaque fraternitatem tuam, ut honor tantæ dignitatis, ſupplementum utique totius ſacerdotalis ordinis, moribus tuis conveniat; & non ſolum exteriori homini tuo decorem præſtet & gratiam, ſed & interiorem quoque multiplici virtute corroboret. Siquidem iſta ſunt pallii, iſta ſunt hujuſmodi indumenti, ut Deum ex toto corde, tota anima, & omni virtute diligas, & proximum tuum ſicut te ipſum. Nam licet ad uſum pallii omnium virtutum ornamenta ſint neceſſaria, inſeparabiliter tamen caritas, quæ omnes ſuperexcedit, hac pollentem dignitate comitari convenit. Ad imitanda igitur omnium bonorum inſtrumenta vita & ſcientia tua ſubditis tuis ſit forma & regula, ut, ſi quid in eis ex humana fragilitate reprehenſibile deprehenditur, intuitu converſationis tuæ ad rectitudinem ſinceritatis tuæ corrigatur. Quibus ſic ſtudeas diſpenſationis tuæ jura moderari, ut in corrigendis vitiis & zelo rectitudinis ferveas, & modum temperantiæ non excedas. Et ut multa paucis explicemus, quid in ſanctorum patrum dictis repereris, ad tuam & eorum, qui tibi ſubduntur, utendum cenſeas ædificationem: quatenus documentis tuis inſtructi, atque boni paſtoris veſtigia conſecuti, ad regnum ſummi paſtoris tecum valeant pertingere, & perpetuæ vitæ felicitatem, Deo annuente percipere. Amen.

His mox ſubjicitur ſigillum.

Datum apud Barum per manus Joannis diaconi, anno dominicæ incarnationis milleſimo octogeſimonono, anno vero pontificatus Domini Ur-

bani papæ ſecundo, indictione decimatertia, nono Octobris.

VI. AD ROGERIUM DUCEM ET BOAMUNDUM FRATRES.

Monachos ab invaſoribus defendit.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rogerio duci & Boamundo fratri ejus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PRoclamationem ante noſtram præſentiam fecit Urſo Bantinus abbas de quibuſdam comitibus & baronibus, qui callida, * invidioſa epiſcoporum machinatione ſeducti, ipſum & ejus monaſterium noſtris manibus conſecratum modo plus conturbant. Unde, quia prædictum monaſterium ad jus B. Petri pertinere veſtram non latet notitiam, ex auctoritate B. Petri & noſtra monaſterium & abbatem vobis commendamus, quatenus cuſtodiatis, adjuvetis, & a malis hominibus, ſicut B. Petri proprietatem, fideliter defendatis, & neque deprædationes, neque aliquam ſui juris diminutionem, a quocumque fieri patiamini.

Semper recordantes, quia * in conſecratione ejuſdem monaſterii abbatem, & ipſum in manus veſtras ſpecialiter commendavimus. Itaque e priore commendatione, & harum literarum juſſione, ab omnibus monaſterium noſtrum, & præcipue a Goffredo Amici comitis filio, ſicut fideles B. Petri defendite. Qui abbati, etiam pro defenſione ſuæ rerum eccleſiæ partes maritimas conterenti, conſtipatus latronibus ſeſe obviam contulit: atque ab eo * ſub recto pretioſo privilegio noſtro, veſtris ſupplicationibus conſtituto, & aliis ſcriptis, ſpolia ejus diripiens, cum ſuis confratribus ſatiatum opprobriis eum peditem dereliquit: ac inde quæque jam a patre ſuo comite eidem monaſterio debitæ reſtaurationis gratia condonata, ad ſuas manus ſacrilegas nequiter revocavit. Quod ſi privilegium & quæque direpta ſacrilegus ille renuerit reddere, & abbatibus ac fratribus digniſſime ſatisfacere, præcipimus ut cogatis. Alioquin ipſe & fautores ejus anathemati ſubdentur.

f invidioſaque.

* *forte &*

* *forte ſub-tepio.*

Inſtrumentum donationis facta de civitate Tarraconenſi Romanæ eccleſiæ a Berengario comite Barcinonenſi.

QUoniam audivimus, nec non etiam ſæpiſſime vidimus, res verti in contrarium mortuis teſtibus, principalibus & ſapientioribus placuit, ut res geſtas literis denotarent, & ita quomodo res ſe habuit poſteris ſuis traderent. Quapropter ego Berengarius Raimundi comes Barchinonenſis & marchio hanc chartam ſcribi juſſi, ut ſemper ſtaret memoria hujus rei, ſcilicet: Quod ego Berengarius comes prædictus amore Dei ductus donavi domino Deo & apoſtolorum principi beatiſſimo Petro, ejuſque vicario Romanæ ſedis apoſtolico, omnem meum honorem qui mihi competit ex jure paterno, quemadmodum ego diviſi cum Raimundo Berengario fratre meo, ſicut ego cum habeo vel habere debeo, ſpecialiter dono ei in Dei nomine Tarraconenſem urbem cum omnibus quæ pertinent aut pertinere debent ad ejuſdem urbis nobilitatem, ea ſcilicet deliberatione, ut ego & mei poſteri omnes, ſicut ſupra ſcriptum eſt, teneamus hoc totum per manum & vocem S. Petri, ejuſque vicarii Romanæ ſedis apoſtolici, per quinquennium perſolventes ei cenſum viginticinque librarum puriſſimi argenti ad juſtum penſum. Et ut principes univerſi, vel omnes alii qui mecum inſudaverint ad præfatæ urbis reſtaurationem, habeant in confinio hujus urbis paralodium, ſuam apriſſionem, vel quod acceperint per manus noſtræ largitionem, non inde perſolventes aliquam penſionem, niſi forte compuncti amore Dei voluerint ipſi perſolvere ſua gratuita voluntate. Ob hoc etiam hanc chartam ratam eſſe volo, ut omnis hic honor, ſicut ſuperius continetur, nullatenus transferri poſſit in alterius poteſtatis dominium, ſed ego tantummodo & poſteri mei in perpetuum teneamus hoc totum per manus principis apoſtolorum Petri, & ejus vicarii domini Urbani ſecundi papæ, & ſucceſſorum ejus beati Petri ſedem canonice regentium.

Hanc oblationem offero Domino Deo & principibus apoſtolorum Petro & Paulo propter redemptionem peccatorum meorum, & patris mei Raimundi, & parentum meorum, per conſilium & voluntatem Berengarii archiepiſcopi Tarraconenſis, & epiſcopi Gerundenſis æquivoci Berengarii, & vicecomitum Deuſdedit Tarraconenſis & Arval * Mironinſis Barchinonenſis, & Geraldi Alemanni, & Gereberti Girardi, Guilielmi Raimundi, & Dorche fratris ſui, & Hugonis Dalmacii, & Huberti Gousberti, & Angeri Gonfredi, & Alberti Bernardi, per manum Domini * Rainerii Romanæ eccleſiæ cardinalis, qui nunc legatione fungitur in partibus noſtris, * æra milleſima vigeſimaoctava, anno ab incarnatione Domini mileſimo nonageſimo,

Hucuſque diploma, cui iſta ſubjiciuntur ab alio addita.

Tarraconenſis civitas per Berengarium comitem & cæteros provinciæ ipſius principes reſtaurari & inhabitari cœpta eſt, anno autem ſequenti Berengarius Autonenſis quondam epiſcopus, per quem potiſſimum civitas eadem reſtaurabatur, ſedem apoſtolicam adiit, domino Urbano papæ ſe præſentavit, pallium accepit, privilegium promeruit, per quod in Tarraconenſem metropolim translatus, archiepiſcopus inſtitutus eſt.

* *f.* Minoricenſis.

* Hic poſt Urbanum ſucceſſit papa vocatus Paſchalis ſecundus.

* A librario negligente prætermiſſus menſis & dies. (1)

VII. AD BERENGARIUM AUSONENSEM EPISCOPUM.

Eum conſtituit Tarraconenſem archiepiſcopum.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri Berengario Auſonenſi epiſcopo in Tarraconenſem metropolim translato, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

INter primas Hiſpaniarum urbes Tarraconem fuiſſe inſignem & gentilem, etiam Chriſtianæ paginæ judiciis demonſtrant. Juſtus autem Dominus in viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui cum in pleriſque judiciis incomprehenſibilis habeatur, in nullo unquam valet reprehenſibilis æſtimari. Ipſe transfert regna, & mutat tempora: ipſi viſum eſt in eadem urbe olim Tarraconenſis urbis gloriam exaltare: ipſi viſum eſt in eadem urbe peccata populi ſui viſitare. Cum enim in ea Chriſtianorum populus habitaret, viſita-

(1) A Librario negligente prætermiſſus menſis, & dies, inquit Binius, ſed verius hic finis diplomatis eſt: & connecti hæc debent cum ſequentibus, ut ſit continua oratio: Æra 1028. (vel potius 1128.) *anno ab Incarnat. Domini* 1090. *Tarraconenſis civitas* &c. *Hard.*

tavit in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Sed ecce jam transactis trecentis nonaginta annis, ex quo præfatam urbem Agarenorum gens prope solitariam fecerit, principum suorum cordibus inspirare dignatus est, ut ejusdem urbis restitutioni, secundum præceptum apostolicæ sedis, cui * auctoritate Dei, licet indigni, præsidemus, insisterent. Berengarius siquidem Barchinonensis comes auctoritatis nostræ pertusione commonitus, pro animæ suæ salute, cum suis potestatis magnatibus non solum restitutioni præfatæ urbis * insistit, sed & urbem ipsam, & omnem suæ potestatis terram, B. Petro ejusque vicariis legali stipulatione tradidit, censumque quinque librarum argenti Lateranensi palatio * annis solvendum instituit. Nos itaque, præstante Deo restitutionis hujus optamus cooperatores existere, prædicti comitis institutum, libertatesque & consuetudines, quas novis Tarraconensis urbis colonis promulgasse cognoscitur, collaudamus, & rata manere auctoritate nostra decernimus. Cum universa siquidem ipsius comitis terra, quam B. Petro obtulit, & Tarraconensem urbem ac populum, Domino ibi aspirante, collectum, sub apostolicæ sedis tutela specialiter confovendum suscipimus, libertatemque illius per comitis Berengarii * scripto collatam eatenus confirmamus, ut nemini quidquam ultra persolvant, nisi sponte propria Romanæ se faciant ecclesiæ debitores. Ut igitur hæc omnia Deo auctore inconcussa permaneant, nos antecessorum nostrorum privilegia sequentes, qui Ausonensem ecclesiam Tarraconensis quondam instituere vicariam, tibi, o carissime fili Berengari, quia tuo potissimum studio hæc est restitutio instituta, ex Romanæ ecclesiæ liberalitatis gratia pallium, totius scilicet sacerdotalis dignitatis plenitudinem, indulgemus.

Præterea tibi, tuisque successoribus legitime substituendis, qui in Tarraconensis civitatis & ecclesiæ restauratione pari studio insudaverint, præfatam Tarraconensem ecclesiam jure proprio possidendam per hujus privilegii paginam confirmamus, una cum omnibus ecclesiis, quas proprio jure noscitur antiquitus possedisse, præcipientes de his quæ Saracenorum ad præsens subjacent ditioni, ut cum eas Deo placuerit potestati populi Christiani, * ad debitam ecclesiæ vestræ obedientiam referantur, salva tamen in omnibus Romanæ ecclesiæ auctoritate. Porro Ausonensem ecclesiam tibi tuisque successoribus tamdiu concedimus possidendam, donec, auctore Deo, ad pristini status plenitudinem vestro studio Tarraconensis ecclesia reformetur. Pallio itaque in missarum solemniis intra ecclesiam solummodo uti debetis, in præcipuis tantum festivitatibus, videlicet nativitate Domini, epiphania, hypapante, cœna Domini, sabbato sancto, resurrectionis prima & secunda feria, ascensione Domini, pentecoste, tribus festivitatibus sanctæ Mariæ, sancti quoque Michaelis, & sancti Joannis Baptistæ, in natalitiis omnium apostolorum, & eorum martyrum quorum pignora in vestra ecclesia continentur, in commemoratione nihilominus omnium sanctorum, in consecrationibus ecclesiarum, episcoporum, clericorum, in annuo consecrationis tuæ die, in solemnitatibus etiam sanctæ virginis Theclæ, sanctique martyris Fructuosi ac sociorum ejus. Te igitur, reverentissime frater, affectione intima exhortamur, quatenus dignum te tanti honoris pontificio semper exhibeas, Christianis ac Saracenis sine offensione esse procurans, ad fidem infideles querere, Deo largiente, verbis studeas & exemplis. Sic exterius pallii dignitate præcellas in oculis hominum, ut interius virtutum excellentia polleas coram superno oculis majestatis.

Plane per præsentis privilegii paginam officii nostri auctoritate decrevimus, ut quicumque se Tarraconensis ecclesiæ bona injuste hactenus obtinuisse cognoscunt, ea deinceps eidem ecclesiæ restituere præ judicii divini formidine & sedis apostolicæ reverentia studeant. Si quis autem in crastinum archiepiscopus, aut episcopus, imperator, aut rex, princeps, aut dux, comes, aut vicecomes, judex, aut quilibet magistratus, vel persona ecclesiastica, vel sæcularis, hujus privilegii paginam sciens, contra eam venire temere tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione condigna emendaverit, eum honoris sui & officii periculo subjacere decrevimus, & a Christo atque ecclesiæ corpore segregamus, conservantibus autem pax a Deo & misericordia præsentibus & futuris sæculis conservetur. Etiam. Amen. Datum Capuæ Kalendis Julii per manus sanctæ Romanæ ecclesiæ Joannis diaconi cardinalis, indictione quarta, anno dominicæ incarnationis millesimo nonagesimoprimo, pontificatus autem domini Urbani secundi anno quarto.

* f. auctore Deo.
* inſiſtit.
* f. Gugulle.
* f. ſcripeum
* Forte deeſt, ſpecore M

VIII. AD CLERUM ET PLEBEM CARNOTENSEM.

De Gaufredi episcopi depositione, & Ivonis consecrati in ejus locum subrogatione.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis clero & populo Carnotensi, salutem & apostolicam benedictionem.

NOs quidem, tum pro beatæ Mariæ semper virginis devotione & reverentia, tum pro nostri officii debito, ecclesiæ vestræ dilectionem, protectionem, & curam specialius impendentes, ejusque labores diuturnos, quos a Gaufredo quondam episcopo passa est, propensiore animo perpendentes, rei veritate diutius atque diligentius pertractata, largiente domino, justitiæ satisfecimus. Bonam itaque animi vestri voluntatem prævenientes ac subsequentes, venerabilem virum Ivonem presbyterum, quem Gaufredo per nos depositio catholice atque canonice secundum nostra monita elegistis; ne quod ulterius hac in re detrimentum vestra ecclesia pateretur, sine moræ longioris obstaculo consecravimus.

Nunc eum ad vos remittentes, tamquam B. Petri manibus consecratum, B. Petri vice vos rogamus & obsecramus, quatenus eum benigne suscipientes debita ut pastoris veri membrum obedientia honoretis; debita solicitudine quæ vobis annuntiaverit observetis; & ut ipse Deo placere, & eum pro vestris valeat excessibus digne intercedendo placare, vos quoque placere Deo totis conaminibus procurate. Si enim placere Deo statueritis, pastorem procul dubio Deo placentem habebitis, nos quoque in vestris opportunitatibus ad exaudiendum paratos invenietis. Porro de Gaufredo, qui sine conditione omni nostris manibus episcopatum reddidit, indignum se patenter agnoscens, præcepimus & præcipimus, ne quis ei ullo modo ad episcopatum reinvadendum vel infestandum assensum accommodare præsumat, alias & ipsum & ipsius fautores excommunicationi subjacere censemus. Obedientes vos vero monitis nostris gratia divina custodiat. Data Capuæ octavo Kalendas Decembris.

IX.ª AD * ROGERIUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

* Pro. Rotberium. M.

Ejuſdem argumenti.

QUantas pro Gaufredo quondam epiſcopo Carnotenſis eccleſiæ moleſtias ſuſtinuerit, quantæ ad apoſtolicam ſedem querelæ perlatæ fuerint, dilectionis tuæ ſtrenuitas recognoſcit. Tandem rei veritate diligentius perquiſita, largiente domino, juſtitiæ ſatisfecimus, & ab ipſo in noſtris manibus ſine cujuslibet tenore conditionis epiſcopatus refutatus eſt. Tandem ad tuam fraternitatem ſcripta direximus, rei geſtæ ordinem indicantes, & ut tuum Carnotenſibus ad eligendum & conſecrandum antiſtitem auxilium contribueres flagitantes. Noſtra itaque ſulti licentia Carnotenſes venerabilem virum presbyterum Ivonem canonico ordine in epiſcopum elegerunt. Cum autem a te conſecrationis gratiam pro more eccleſiæ petiviſſent, tua fraternitas ei manum imponere recuſavit. Ad nos igitur ipſis venientibus, & conſecrationis ejuſdem gratiam depoſcentibus, nos qui viri religionem jam dudum noveramus, & ejus eligendi licentiam dederamus, petitioni juſtæ deeſſe nequivimus. Conſecratum igitur cum ſalva tuæ eccleſiæ obedientia remittentes, dilectionis tuæ dulcedinem poſtulamus, ut omni litis fomite conſopito, benignitate eum debita complectaris, & ad eccleſiæ regimen auxilium tuum ei largiaris. Porro Gaufredum, ſi epiſcopatum invadere, aut eccleſiam infeſtare tentaverit, ipſum ipſiuſque fautores anathemati ſubjacere decrevimus. Data Capuæ ſeptimo Kalendas Decembris.

ORATIO URBANI PAPÆ II. AD IVONEM CONSECRATUM HABITA.

QUoniam (ut credimus) divino te nutu vocante clerus & populus civitatis illius unanimiter elegerunt rectorem, & nos uſque perducentes petierunt conſecrari epiſcopum, & ideo, Deo annuente, per manus noſtras impoſitionem epiſcopus conſecratus es, amodo, frater cariſſime, ſcias te maximum pondus ſuſcepiſſe laboris, quod eſt ſarcina regiminis animarum, & commodis deſervire multorum, omniumque fieri minimum atque miniſtrum, & pro credito tibi talento in die divini examinis rationem redditurum. Nam ſi ſalvator noſter dixit: *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam posuit pro ovibus ſuis*, quanto magis nos detidioſi ſervi ſummi patriſfamilias debemus maximo ſudore incumbere oves dominicas nobis a ſummo paſtore conſignatas ad ovile dominicum, ſuffragante divina gratia, abſque morbo & * mancha perducere? Exhortamur itaque dilectionem tuam, ut fidem, quam in exordio tuæ conſecrationis breviter dilucideque digeſſimus, illibatam & inviolabilem cuſtodias, quia fides eſt fundamentum omnium virtutum. Scimus autem quod ab infantia ſacris es literis eruditus, & canonum inſtitutis edoctus; attamen breviter ad te noſter eſt dirigendus ſermo. Nullus te favor extollat, nulla adverſitas atterat, id eſt, non in proſperis cor tuum elevetur, nec adverſis in aliquo dejiciatur, ſed omnia & in omnibus caute & cum diſcretione agere te volumus, ut abſque reprehentione ab omnibus vivere comproberis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam ſua protectione cuſtodiat, ut dum tali moderamine in Domino noſtro onus quod ſuſcepiſti peregeris, in die æternæ retributionis, eo dicente, audire merearis: *Euge, ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui.*

Matth. 20.

Marc. 10.

macula.

X. AD PETRUM ABBATEM CAVENSEM.

De privilegiis ejuſdem monaſterio conceſſis.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo fratri Petro cœnobii Cavenſis abbati, & ſucceſſoribus canonice promovendis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem in perpetuum.

CUm univerſis ſanctæ eccleſiæ partibus pro ſedis apoſtolicæ auctoritate ac benevolentia debitores exiſtamus, illis tamen locis atque perſonis qui ſpecialius ac familiarius Romanæ adhæſerint eccleſiæ, quique amplioris religionis gratia eminere noſcuntur, propenſiori nos inducunt caritatis ſtudio imminere. Apoſtolicæ ergo memoriæ prædeceſſoris noſtri Gregorii ſeptimi inſtitutis tenacius adhærentes, Cavenſe cœnobium, cui ſumma religio viget, quod ipſe ſingulariter dilexit, & ſuæ inſtitutionis privilegio communivit, nos quoque hujus noſtri privilegii pagina communimus, & ab omni tam ſæcularis quam eccleſiaſticæ perſonæ jugo liberum eſſe omnino decernimus. Idem namque apoſtolicus pontifex, dum in Romana ſancta eccleſia archidiaconatus adhuc officio fungeretur, prædictum locum a Gilulpho Salernitano tunc principe, in cujus manu fuerat, poſtulavit. Cellas quoque plurimas, quas uſque ad id temporis ſpatium idem princeps in manu propria detinuerat, ab ipſo acquirens, eidem ſancto loco contulit abſolute cum omnibus habitantibus & habitaturis, tam in Cilenti monte ejuſque pertinentiis, quam in locis Paſciano, Metelliano, Caſtro ſancti Adjutoris, & pertinentiarum eorumdem locorum, cum juribus, angariis, parangariis, penſionibus ſolutis, tam ratione terrarum, quam pro quolibet foculari ipſorum locorum, ſicut nos ipſi in regiſtro ipſius principis enucleatius vidimus contineri. Quam donationem nos auctoritate apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus. Præterea Cluniacum locum illum famoſum dirigens, inde te ut abbatem prædicto monaſterio præponeret adſcivit, quem deinceps cum univerſis ſubjectis ſive locis, ſive perſonis, ſingulariter dilexit, fovit atque tuitus eſt, mox pontifex factus, eorum libertatem decreti ſui pagina confirmavit, ſic præſtante Deo ab omnium viventium jugo liberum uſque ad tempora noſtra permanſit. Noſtris autem diebus Alphanus Salernitanæ eccleſiæ archiepiſcopus confrater noſter ad ejuſdem loci ſubjectionem modis cœpit omnibus anhelare. Nobis itaque diſponentibus baſilicam ipſius loci dedicare, ille ſuæ eccleſiæ minui jura clamitabat, cui nos ex abundanti ſatisfactionem juris obtulimus: ille autem, cum ad poſtulatum & acceptatum actionis terminum perveniſſet, actionem aggredi refutavit.

Sic nos præſentibus fratribus noſtris reverendiſſimis epiſcopis Ubaldo Sabinenſi, Oddone Albanenſi, Berardo Prænestino, Joanne Tuſculanenſi, Brunone Signino, Rangerio Regitano, Gerardo Trojano, Joanne Rioppolano, & cardinalibus eccleſiæ noſtræ Hermanno presbytero ex titulo quatuor Coronatorum, Gregorio presbytero tituli ſancti Vitalis, Benedicto presbytero ſanctæ Suſannæ, Gregorio ex diaconia ſanctæ Mariæ in via Lata, Joanne ex diaconia ſanctæ Mariæ in ſchola Græca, Petro ex diaconia in ſancto Hadriano, Jacobo ex diaconia ſancti Euſtachii, & Tencrone ex dia-

diaconia ſancti Georgii ad Velum aureum, diaconibus, aſſante etiam dilectiſſimo filio noſtro duce Rogerio cum innumera clericorum & laicorum turba, proſtrato Domino noſtro Jeſu Chriſto, cujus vicem, licet immeriti, gerimus in terris, ad honorem ſummæ & individuæ Trinitatis manibus noſtris propriis in eodem loco, qui Metelliana Cava vulgariter nuncupatur, baſilicam dedicavimus die Nonarum Septembrium, indulgentes eidem monaſterio contemplatione cujuſdam prærogativæ ſpecialis caritatis, quam experti fuimus in eodem cœnobio, imo potius perfectam religionis obſervantiam, dum adhuc eſſemus in minoribus ordinibus conſtituti.

Conceſſa indulgentia

Ut quicumque in ſtatu pœnitentiæ domino opitulante fuerit poſitus, & ad dictum locum accedens, fuerit ibi uno die ante ipſius baſilicæ conſecrationem, & per totum diem ſequentem, nec non in die Jovis ſancti, atque per totam diem Veneris ſancti ſequentem, de omnibus peccatis, de quibus vere contritus fuerit & confeſſus, illam indulgentiam & veniam a Domino conſequatur, quam mereretur in eundo & redeundo ad ſanctum Jacobum Compoſt-llanum, reliquis vero temporibus & diebus ſingulis cauſa devotionis illuc accedentes quatuor annorum & totidem quadragenarum indulgentiam ſuorum peccatorum obtineant de ſedis apoſtolicæ gratia ſpeciali. Qui vero ad capellam tuam ſitam in eodem monaſterio, ac eodem die conſecratam per venerabilem fratrem noſtrum prædictum Brunonem epiſcopum Signinum, in diebus & feſtivitatibus ſupradictis venerit, ſeptem annos & totidem quadragenas de indulgentia pro ſuis peccatis confeſſis a domino conſequatur. Accedentes ſimiliter ad eccleſiam conſtructam in caſali eidem monaſterio adjacenti & eminenti, dedicatam ipſo die per jam dictum venerabilem fratrem noſtrum Rangerium epiſcopum Regitanum, in diebus feſtis prædictis, nec non & in omnibus feſtivitatibus Virginis glorioſæ, ad cujus vocabulum conſtructa eſt eccleſia memorata, ſeptem annos & quadragenas totidem de indulgentia a Domino promereantur.

Concedentes & edicto perpetuo confirmantes, ut tam tu quam ſucceſſores tui per terras tui monaſterii habitas & habendas libere poſſis eccleſias conſtruere, cum cruce ſignare, aliaque pontificalia & ſpiritualia exercere, ſacrorum ordinum collationis, baſilicarum & altarium conſecrationis, ac chriſmatis confectionis, tibi tuiſque ſucceſſoribus dumtaxat abdicata penitus poteſtate. Decernentes ut tam ipſius cœnobii caput, quam eccleſiæ quas nunc habet, ſive plebanæ fuerint, vel rurales, in civitate & diœceſi tantummodo Salernitana ſituatæ, ab omni jure & juriſdictione epiſcopali ſint exemptæ, de plenitudine poteſtatis & gratia ſpeciali; ita ut nullo jure ſeu foro contentioſo tu vel tui ſucceſſores fratres ipſius monaſterii ſeu clerici ſæculares, in prædicta civitate & diœceſi per Salernitanum præſulem ac capitulum aliquatenus conſtringantur, quinimo eccleſiæ cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis pleno jure ipſi monaſterio ſint ſubditæ. Si vero aliquos de tuis monachis, ſeu clericos ſæculares, in eccleſiis civitatis prædictæ & diœceſi commorantes ad ſacros elegeris ordines promoveri, liceat tibi tuiſque ſucceſſoribus quemcumque malueris epiſcopum convocare, dummodo catholicus fuerit, ſed in aliis diœceſibus requiſito dumtaxat primitus diœceſano: de quibus eccleſiis ſitis in jam dicta civitate & diœceſi nihil diœceſanus exigere præſumat, imo potius tam monachi, ſi clerici defuerint, quam ipſi clerici, abſque quorumlibet contradictione totum officium ſacerdotale, quod animarum cura exigit & requirit, exerceant.

De his autem quæ a catholicis Chriſtianis eidem monaſterio tam inter vivos quam in ultima voluntate donata fuerint vel legata a quocumque, vel ubicumque, nulli epiſcoporum diœceſanorum licitum ſit, quartam vel tertiam partem in ipſis legatis ſeu donatis, tam in ſtabilibus quam in mobilibus, exigere prætextu conſuetudinis cujuſcumque. Et ſi proceſſu temporis per quoſcumque contra tenorem hujuſmodi noſtræ conceſſionis fuerit per aliquos attentatum, illud exnunc decernimus juribus vacuatum, præſcriptione in hoc longi temporis non currente. Si quis vero ad eumdem locum vel ejus eccleſias ſibi ſepulturam elegerit, licitum ſit tibi tuiſque ſucceſſoribus & fratribus in eccleſiis ipſius cœnobii commorantibus ipſum in ſuo cœmeterio ſepelire abſque cujuslibet contradictione, dummodo Chriſtianus & catholicus habeatur. Statuimus inſuper perpetuo valiturum, ut quotiens inter vaſſallos ejuſdem monaſterii orta fuerit quæſtio, quod ipſum quamvis contingat cœnobium, liceat tibi tuiſque ſucceſſoribus & * partibus ipſius querelas hujuſmodi decidere, juſtitia mediante, jure communi ſuper hoc edito in aliquo non obſtante.

* forte pa tribus.

Inſuper memoratus excellentiſſimus dux, viſa hujuſmodi dedicationis ſolemnitate, compunctus, ut credimus, divino Spiritu, nobis & noſtro apoſtolatui attentius ſupplicavit, ut donationem & confirmationem, quam ipſe eidem monaſterio facere ob reverentiam ſanctæ & individuæ Trinitatis, & ſuorum peccatorum remedium, intendebat, dignaremur auctoritate apoſtolica confirmare, noſtroque mandaremus inſeri privilegio diligenter. Nos igitur ſuis in hac parte precibus juſtiſſimis inclinati, in favorem ipſius loci, quem ſpeciali proſequimur dilectione pariter & devotione, conceſſiones & donationes ipſas in noſtro præſenti privilegio inſeri fecimus ad cautelam.

Privilegium Rogeris ducis Monaſterio Cavenſi.

COnceſſit ſiquidem prædictus dux eidem monaſterio in perpetuum, ut patres dicti monaſterii abſque qualibet contrarietate heredum & ſucceſſorum ſuorum poſſint exigere & recipere integram decimam partem piſcium qui capti fuerint in mari a Vallone, qui de * Gallocauda dicitur, uſque ad fluvium de * Cætra, qui eſt de territorio ipſius monaſterii per quinque millia paſſuum intra mare. Prædictum vero monaſterium mercimonia ſua abſque omni datione, ſolutione, ſeu exitura, libere vendat, nedum in ſuis litoribus vel portubus, imo per totum ſuum ducatum tam ipſum cœnobium quam ementes ejus mercimonia liberos conſtituit perpetuo a qualibet præparatione. Indulſit etiam quod omnes homines quos dictum cœnobium habet & habebit in prædictis locis, Metelliano, Paſciano, villula adjacenti, caſtro ſancti Adjutoris in Cilenti monte, & pertinentiis eorumdem locorum, tam clerici quam laici ſemper ſint liberi ab omni exactione pecuniæ, vel rerum quarumlibet aliarum, quas pro aliqua opportunitate vel cauſa ipſe, ſui heredes * vel ſucceſſores aliquando duxerint a ſuis hominibus faciendas, & ut de ipſis hominibus liberam * curam & foriſfacturas omnes ſine ullo ſuo bajulo vel miniſtro habeatis, & in curia ipſius monaſterii per ejus ſummoſam veniant ad juſtitiam faciendam & a judicibus quos eis ſtatueritis debeant rationabiliter judicari, quos & notarios publicos ſtatuendi liberam vobis tribuit facul-

Gallocauda. Cætera. a curiam.

cultatem, tam in cauſis civilibus, quam in criminalibus omnibus prætermiſſis cauſis, de quibus condemnati legitime debeant mori, de aliis autem criminalibus omnibus, de quibus pœnam aliam abſque morte ſubire debeant, quidquid volueritis faciatis. Similiter & de duellis, ſi ex ipſis cauſis intervenerint. Appellationes vero ſi fuerint veſtris hominibus opportunæ, ad veſtram curiam appelletur, quoniam quidquid in prædictis hominibus locorum ipſorum, & in tenimento in quo morantur, poſſet ipſe dux & ejus ſucceſſores erigere, & ſtatuere, & ordinare, ſtatuendi & erigendi vobis perpetuo tribuit poteſtatem. Conceſſit etiam vobis in perpetuum, ut in quacumque parte ſui ducatus tu vel ſucceſſores tui perſonaliter fueritis, & unus vel plures homines ibi fuerint ad mortem, vel ad quodlibet ſupplicium judicati, poſſitis eos, ſicut volueritis liberare, & ubicumque per ſuum ducatum tranſitum feceritis, obvioſque habueritis in veſtro tranſitu condemnatos, qui ad ſuſpendium vel decollationis ſupplicium deportentur, valeatis eos, ſi vobis placuerit, facere liberari.

Si vero homines vaſſalli ipſius monaſterii vendunt, offerunt, donant, & modis aliis alienant terras quas ab eodem monaſterio tenent, aſſerantque eorum conſuetudines eſſe ut id poſſint facere, ſancivit & firmiter inhibuit prædictus dux, ut omnes terras, quas ipſi homines ab eodem cœnobio tenent, & quæ alienantur abſque ipſius requiſitione, dummodo evidenter appareat quod ipſius monaſterii ſint, liceat vobis eas capere, & ad dominum ipſius cœnobii revocare, conſuetudine aliqua non obſtante, niſi forſan, quod terras ipſas habuerint præſcriptionibus legitimis vel aliis juſtis rationibus inde valeant ſe tueri.

Largitus eſt quoque jam dictus dux, ut ſi quis ex ſuis comitibus, baronibus, militibus, aliiſque catholicis hominibus totius ſui ducatus, de eo quod ab ipſo in feudum tenent, voluerint in partem vel in totum dicto monaſterio offerre & alienare, poteſtatem illud habeant faciendi qualiter voluerint, dictumque monaſterium bona ipſa ad ipſum taliter devoluta ſine omni ſua heredumque & ſucceſſorum ſuorum contradictione liceat percipere, valeat in ſuo dominio retinere, & a quolibet ſervitio, vel præparatione feudum ipſum, vel pars ipſius, deinceps ſit immune. Si vero aliquis tam de vaſſallis ipſius monaſterii, quam de aliis, tenens de bonis ſuis ſtabilibus vel mobilibus, ſine herede legitimo vel naturali deceſſerit, vel forisfactum fecerit, per quod ipſa ad manus reipublicæ de jure poſſent applicari, licitum ſit vobis per vos eadem bona ad veſtrum dominium revocare, omni ſua heredum, ſucceſſorum ſuorum, officialium contradictione remota, nulla ſuper bonis ipſis poteſtate ſibi vel reipublicæ reſervata. Tenentes nihilo minus bona ipſius monaſterii conceſſit vos poſſe ad veſtram curiam vocare, ad docendum qualiter bona ipſa teneant: & niſi rationabiliter docuerint bona eadem ad ſe ſpectare, vel ſe præſcriptione legitima, videlicet centenaria, oſtenderint ſe munitos, bona ipſa valeatis taliter occupata ad dominium ejuſdem monaſterii auctoritate hujus indulgentiæ revocare, jure communi ſuper hunc articulum penitus revocato.

Conceſſit inſuper vobis in perpetuum, ut ſi tua, ſucceſſorum & patrum ipſius monaſterii manifeſta culpa non intervenerit contra eumdem ducem, heredes & ſucceſſores ſuos, & prædictæ ſuæ congregationis futuris temporibus propter quamlibet cauſam aliam fuerint, vel in totum, vel in partem oblivioni traditæ vel omiſſæ, & præſcriptio ipſa per ſuum ſacramentum tunc nobis præſentibus præſtitum, & per ſuam hanc ſanctionem conſtituit, ut prorſus irrita reputetur: & quocumque tempore ipſum heredem & ſucceſſores ſuos ſuper hoc duxeritis poſtulandos, dedit & reliquit eis omnibus ſub divinæ noſtræque benedictionis obtentu firmiter in mandatis, ut ipſas omnes conceſſiones & exceptiones per eorum vobis privilegia debeant confirmare ſine omni pretio & tædio tarditatis; & nullus ipſorum præſumat eas infringere vel mutare, ſed ipſas illæſas ſervare debeant & tenere, donec vos in ſua heredum & ſucceſſorum ſuorum fide ſincera fueritis permanentes. Quas conceſſiones, confirmationes, exceptiones, & indulgentias collatas eidem monaſterio per ipſum dilectiſſimum filium ducem Rogerium ratificamus, approbamus, & ex certa ſcientia confirmamus, auctoritate apoſtolica & plenitudine poteſtatis.

Decernentes & edicto perpetuo roborantes, ut quicumque dictum monaſterium in ſuis juribus, poſſeſſionibus & libertatibus læſerit, aut etiam perturbaverit, liceat tibi, ſucceſſoribus tuis, & patribus ipſius monaſterii, cujuſcumque præeminentiæ ſive ſtatus fuerint, ipſos auctoritate præſentis noſtri privilegii canonica monitione præmiſſa excommunicare, & excommunicatos fore denuntiare, atque quod abſolvi non poſſint, niſi digne ſatisfecerint; privilegio eis conceſſo, vel concedendo quod excommunicari & interdici non poſſint aliquatenus, non obſtante, niſi de indulto hujuſmodi plenam & expreſſam fecerint mentionem. Si quis autem contra hanc noſtri decreti auctoritatem venire tentaverit, ſalva ſedis apoſtolicæ, & legatorum ejus reverentia & dignitate, ſciat ſe B. Petri apoſtoli gratiam amiſſurum, & indignatione apoſtolica feriendum. Obedientes vero & hujuſmodi privilegia ſcripta ſervantes dignam a Deo retributionem recipiant, & benedictionem apoſtolicam conſequantur.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Urbanus catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Ubaldus Sabinenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Berardus Prænestinus epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Oddo Albanenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Joannes Aſculanus epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Bruno Signinus epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Joannes Rioppolanus epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Rangerius Regitanus epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Gerardus Trojanus epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Hermannus presbyter cardinalis ſubſcripſi.
Ego Gregorius presbyter cardinalis ſubſcripſi.
Ego Benedictus presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Datum Salerni per manus Joannis ſacræ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis octavodecimo Kalendas Octobris quintadecima indictione, anno dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo ſecundo, pontificatus domini Urbani papæ ſecundi anno quinto.

XI. AD CLERUM TURONENSEM.

Privilegia Turonenſis eccleſiæ confirmat.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis ſanctæ eccleſiæ filiis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOtum fore volumus tam futuris quam præſentibus, quoniam omnium bonorum largiter

tor Deus devotionem noſtram ad B. Martini tumulum viſitandum ſua miſeratione perduxit. Quia vero in ejuſdem B. confeſſoris eccleſia quædam moleverant quæ in melius promovenda ſalutis falce extirpanda videbantur, nos per ſeptem dies & eo amplius immorati, medicinam animarum, frequentius inter eos intrantes & exeuntes eis impertivimus, & nobis in omnibus obedientes & benevolos, Deo aſpirante & in eis cooperante nobiſcum, experti ſumus. Sed quoniam ad noſtras aures pervenerat quod legatos Romanæ eccleſiæ ſuſcipere cum proceſſionis benignitate ſupersederant, neque etiam eis, videlicet legatis, auctoritas hujus eccleſiæ per notitiam privilegiorum ejus innotuerat, ſuccenſuimus, & graviter eos increpavimus, cur tantam inobedientiæ offenſionem incurrerent. Illis itaque humiliter nobis ſcripta patrum noſtrorum Romanorum pontificum prætendentibus diligenter attendimus eorum privilegia. Et quia præter apoſtolicum, & regem, & Turonenſem archiepiſcopum, ſemel in vita ſua neminem ad proceſſionis ſuſceptionem admittebant ſtudioſe notavimus, noſtris cardinalibus, Teuzone Alberto, Gregorio Papienſi, Rauſgerio, & Hugone Lugdunenſi primate, & aliis tam epiſcopis quam aliarum dignitatum perſonis, præſentibus Brunone Signienſi epiſcopo, & Ingelramno Sueſſionenſis eccleſiæ archidiacono.

Porro nos tanta auctoritate refecti, eorum antiquam conſuetudinem, eorum ſcriptis ſuffragantes, auctoritate noſtra corroboravimus in præſentia noſtrorum prædictorum fratrum. Et quia filius noſter Amatus Burdigalenſis archiepiſcopus unus erat de legatis Romanæ eccleſiæ a Gregorio ſeptimo prædeceſſore noſtro in Galliam deſtinatus, non ab hac eccleſia proceſſionis ſolemnitate ſuſceptus: unde etiam graviter contra eoſdem clericos commotus in Exuldunenſi conſilio eos excommunicatione perfoderat; eum in concordiam & pacem eorum reformavimus. Neque eos ad ullam ſatisfactionem, quia auctoritate pollente ſeſe munierant, compulimus, neque qualibet pro tali exceſſu abſolutione purgandos cenſuimus, denique quoniam in quibuſdam ſuæ eccleſiæ privilegiis proprium eis habere epiſcopum conceſſum eſt, ejus vice nos Romano eos ſancimus ſpecialiter adhærere pontifici, & graviores eorum cauſas ex ejus pendere judicio.

Si quis ſane in craſtinum cardinalis, aut legatus, aut epiſcopus, aut quilibet a noſtro latere miſſus, hanc noſtræ confirmationis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, & noſtram perfringens auctoritatem, proceſſionem ab ipſa ſancti confeſſoris eccleſia experierit, ſi communitus non deſtiterit, poteſtatis honoriſque dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata præſumptione cognoſcat, cunctis autem iſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen, Amen, Amen. Datum Turonis in caſtello ſancti Martini per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, ſecundo Idus Martii, indictione quarta, anno dominicæ incarnationis * MXCVII. pontificatus autem domini Urbani ſecundi papæ nono.

MXCVI.

XII. AD CANONICOS S. MARTINI TURONENSIS.

Contra ſimoniacos.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis eccleſiæ B. Martini canonicis tam præſentibus quam futuris in perpetuum.

BOnorum omnium largitori Deo gratias agimus, qui devotionem noſtram ad B. Martini tumulum viſitandum ſua miſeratione perduxit. Quia vero in ejuſdem beati confeſſoris eccleſia conſuetudo pravitatis ejuſmodi inoleverat, ut honores ſeu prædendæ omnes pretio acquirerentur, nos locum ſanctum emundare ab hac peſte execrabili cupientes; religioſos viros ad præmonitionem noſtram decrevimus præmittendos. Quibus eſtis fideliter, domino inſpirante, polliciti & præceptis noſtris omnimodis obedire, & ſimoniacæ pravitatis inquinamenta deſerere. Quod & præſentibus nobis per Dei gratiam perfeciſtis, in noſtra tanquam B. Petri manu firmantes, nihil vos ulterius honorum, nihil prædendarum, vendituros aut empturos, nec ut vendantur aut emantur aliquando conſenſuros. Adjicientes etiam nullum deinceps in canonicorum numerum admittendum, niſi eamdem ſponſionem juræjurando firmaverit. Quæ videlicet univerſa nos ſanctorum apoſtolorum auctoritate firmavimus, & violatores omnes anathematis mucrone confodimus. Et præteritorum igitur gratiæ reſpondentes, & futurorum ſpem longe meliorem gerentes, ſecundum prædeceſſorum noſtrorum Romanæ eccleſiæ pontificum privilegia, vos in ſpirituales filios apoſtolicæ ſedis aſſumpſimus, & eadem auctoritate ſtatuimus, nullum pontificum, nullum regum, nullum cujuſque dignitatis aut ordinis, præter præpoſitos veſtros, in veſtra eccleſia vel ejus pertinentiis poteſtatem aut dominium exercere, ut Romanæ eccleſiæ præcepta ſervantes Romanæ eccleſiæ libertate perpetua gaudeatis, ſalvo nimirum jure ſeu conſuetudine quam hactenus erga vos Turonenſis noſcitur archiepiſcopus habuiſſe.

Quæcumque igitur venerabilis illa B. Martini eccleſia legitimo jure, vel pontificum collatione, vel regum & principum liberalitate, vel fidelium oblatione poſſidet, ſeu in futurum præſtante domino juſte poterit & canonice adipiſci, firma vobis ſemper & illibata permaneant. Nullus in villis, aut manſionibus, ſive territoriis, ſive eccleſiis, aut pagis ad veſtram eccleſiam pertinentibus, invitis vobis judicia agere, ingenuos ſervoſve ſæculi poteſtate conſtringere, nec teloneum aut naulum præſumat exigere. Poſſeſſionum vero veſtrarum decimæ ſeu * novæ in pauperum uſus omnino proficiant. Epiſcopus autem, in cujus dioceſi eædem poſſeſſiones ſunt, ordinandorum clericorum tantum curam gerat, nihil de cætero gravaminis clericis inferat, nec eccleſiarum altaria, vel alia bona, per regum præcepta vobis antiquitus data, & pontificum Romanorum privilegiis confirmata, vel aliis dare, vel venalitate diſtrahere, vel modo quolibet alienare præſumat.

Quidquid præterea libertatis, quidquid immunitatis, vel prædeceſſores noſtri Romani pontifices, vel Turonenſes archiepiſcopi, vel Gallicanarum eccleſiarum apud Tuſſiacum in Tullenſi parochia generalis ſynodus congregata pro beati apoſtolici confeſſoris Martini reverentia veſtræ eccleſiæ veſtriſque prædeceſſoribus contulerunt, nos præſentis decreti pagina confirmamus. Et quia in qui-

buſdam veſtræ eccleſiæ privilegiis proprium vobis habere epiſcopum conceſſum eſt, nos ejus vice Romano vos ſancimus ſpecialiter adhærere pontifici, & graviores veſtri cauſas ex ejus pendere judicio. Si quis ſane in craſſinum archiepiſcopus, aut epiſcopus, imperator, aut rex, princeps, aut dux, comes, vicecomes, judex, aut eccleſiaſtica quælibet ſæcularisve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat: Cunctis autem eidem eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Datum Piſtavis per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, quarto Kalendas Aprilis, indictione quarta, anno dominicæ incarnationis * MXCVII. pontificatus autem domini Urbani ſecundi papæ nono.

MXCVI.

XIII. AD ROGERIUM COMITEM SICILIÆ.

De privilegio monarchiæ Siciliæ.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo filio Rogerio comiti Calabriæ & Siciliæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

QUia prudentiam tuam ſupernæ majeſtatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltavit & probitas tua in Saracenorum finibus eccleſiam Dei plurimum dilatavit, * & ſanctæ ſedi apoſtolicæ devotam ſe multimodis ſemper exhibuit, nos in ſpecialem atque cariſſimum filium ejuſdem univerſalis eccleſiæ te aſſumpſimus. Idcirco de tuæ probitatis ſinceritate plurimum confidentes, ſicut verbis promiſimus, ita literarum auctoritate firmamus; quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, vel alterius qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ, præter voluntatem aut conſilium veſtrum legatum Romanæ eccleſiæ ſtatuemus. Quinimo quæ per legatum acturi ſumus per veſtram induſtriam legati vice cohiberi volumus. Quando ad vos ex latere noſtro * mitteremus ad ſalutem * ſanctarum eccleſiarum quæ ſub veſtra poteſtate * conſiſtunt, ad honorem B. Petri ſanctæque ejus apoſtolicæ ſedis, cui devote hactenus obediſti, quamque in neceſſitatibus ſuis ſtrenue & fideliter adjuviſti. Si vero * celebratur concilium, & tibi mandavero, quatenus epiſcopos & abbates tuæ terræ mihi mittas; quos & quos volueris * mittes, alios vero ad ſervitium eccleſiarum tuarum * retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito ſuo dirigat, & te a peccatis abſolutum in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Joannis ſanctæ eccleſiæ diaconi tertio Nonas Julii indictionis ſeptimæ, anno pontificatus noſtri undecimo.

* Sanctæque

* al. miſeri-mus

* al. videlicet

al. exiſtunt

* al. celebratur.

* al. mittas.

* & ad tuitionem.

XIV. AD RODULPHUM COMITEM.

Pro immunitate eccleſiaſtica.

Ivo parte 6 cap. 208.

NOſſe te volumus quia nulli ſæcularium domino poteſtatem in clericos habere licet; ſed omnes clerici epiſcopo ſoli eſſe debent ſubjecti. Quicumque vero aliter præſumpſerit, canonicæ procul dubio ſententiæ ſubjacebit.

XV. AD CLERUM POPULUMQUE SALERNITANUM.

Pro immunitate eccleſiaſtica.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis clero & populo Salernitano ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LAnzonem presbyterum, qui eccleſiam ſanctæ Mariæ per manum laicam invaſit, expulſo eo qui legitime poſſidebat, noveritis ſententia noſtra officio & beneficio interdictum. Omnes præterea, qui eccleſias vel eccleſiaſtica beneficia aut capellanias ſine epiſcopi ſui conſenſu per manum laicam obtinuerint, donec ſatisfaciant ſuo epiſcopo, ſecundum ſanctorum canonum conſtituta, ab officio & beneficio interdicimus.

XVI. AD ALEXIUM CONSTANTINOPOLITANUM IMPERATOREM.

De expeditione in terram ſanctam, & de cruce ſuſcipienda.

Urbanus ſecundus Romanus pontifex Alexio Conſtantinopolitano imperatori, &c.

CUm ſtatutum fuiſſet ad Clarum-montem Arverniæ, ut communibus votis bellum adverſus Saracenos gereretur, tanta hominum multitudo cruce ſignata eſt, ut ad trecenta hominum millia cenſa fuerint. Ducum autem fortiſſimorum tantus ardor, ut de recuperanda Hieroſolyma multum ſperare debeamus. Primus omnium Petrus eremita innumerabilibus ſe ducem præbuit, cui Godefredus, Euſtachius & Balduinus fratres Bolonii comites ſe addiderunt, majores etiam copias paraverunt. Hinc Podienſis epiſcopus belli dux, & Raimundus ſancti Ægidii comes, inde Hugo magnus Philippi Francorum regis frater, & Robertus Nortmanniæ, & alter Robertus Flandriæ, & Stephanus Carnuti comites. Quid dicem de Boamundo ipſo qui ingenti animi magnanimitate iis ſe comitem adjunxit cum ſeptem millibus delectæ juventutis Italicæ, relicta fratri rerum omnium cura, quo cum diu bello contenderat? Ad hos belli maximos apparatus unum illud in primis eſt neceſſarium, ut tuo præſidio commeatuque tantæ copiæ juventur. Quare ab te peto majorem in modum, ut quibuſcumque rebus poteris juſtiſſimo bello glorioſoque faveas. Illud autem, tametſi non dubitem abs te curatum iri, volui tamen te per literas noſtras ſcire id mihi & univerſæ Chriſtianæ reipublicæ jucundiſſimum fore. Vale. Romæ, &c.

XVII. AD LUCIUM PRÆPOSITUM SANCTI JUVENTII.

De valore baptiſmi aliorumque ſacramentorum a criminoſis ſacerdotibus collatorum.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Lucio præpoſito eccleſiæ ſancti Juventii apud Ticinum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SAlvator prædixit in evangelio circa finem ſæculi pſeudochriſtos & pſeudoprophetas ſurgere,

re, & multos ſeducere, & fideles ſuos in mundo A multas habituros preſſuras; ſed tamen portas inferi adverſus eccleſiam non prævalituras. Proin
1. Cor. 11. quia, ut ait apoſtolus, *oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt manifeſti fiant*, oportet nos cum propheta ex adverſo aſcendere, & murum opponere pro domo Iſrael, & cum eodem apoſtolo per multas tribulationes intrare in regnum Dei, unde non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Igitur quia innotuiſti nobis, quod tibi objicitur: Utrum vendere eccleſiaſticam rem ſimoniacum ſit? hoc ſimoniacum eſſe patenter colligitur ex
Act. 8. hoc quod B. Petrus apoſtolus ait Simoni: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri*. Donum quippe Dei B eſt Spiritus ſanctus, & donum Dei eſt res ipſius eccleſiæ oblata. Et ſi bene advertis, Simon magus, qui ficte ad fidem acceſſit, non Spiritum ſanctum propter Spiritum ſanctum quo ipſe indignus erat, (quoniam ut ſcriptum eſt, *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*) ſed ideo, quantum in ipſo erat, emere voluit, ut ex venditione ſignorum quæ per eumdem fiebant multiplicatam pecuniam quam obtulerat lucraretur. Nec apoſtolus emptionem Spiritus S. quam bene noverat fieri non poſſe, ſed ambitionem talis quæſtus, id eſt avaritiam, quod eſt idolorum ſervitus, in eodem Simone exhorruit, & maledictionis jaculo perculit.

Sap. 1. Quiſquis itaque res eccleſiaſticas quæ Dei dona C ſunt, quoniam a Deo fidelibus & a fidelibus Deo donantur, quæque ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent, propter ſua lucra vendit vel emit, cum eodem Simone donum Dei pecunia poſſideri exiſtimat: Ideo qui eaſdem res non ad hoc ad quod inſtitutæ ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebiti obſequii, vel pecunia largitur vel adipiſcitur, ſimoniacus eſt: cum principalis intentio Simonis fuerit ſola pecuniæ avaritia, id eſt idololatria, ut ait apoſtolus Paulus. Alioquin cur ſynodus Chalcedonenſis ſexcentorum triginta epiſcoporum procuratorem vel defenſorem eccleſiæ, vel quemquam regulæ ſubjectum, adeo per pecuniam ordinari prohibet, ut interventores quoque tanti ſceleris ana- D thematizet, niſi quod eoſdem ſimoniacos judicet? Quod ſi præfati milites eccleſiæ ob hujus ſcelus taliter percelluntur, nemo ſapiens negabit non militantes eccleſiæ multo damnabilius hanc ob cauſam id eſt venditionis vel emptionis debere percelli.

* Paſchalis primus. Sed & beatus prædeceſſor noſter * Paſchalis de conſecratione, & de rebus quæ proveniunt ex conſecratione, affirmat, quod quiſquis alterum eorum vendit, ſine quo alterum habere non poteſt, neutrum non venditum derelinquit. Ac per hoc eum qui rem eccleſiæ vendit vel emit ſimoniacum intelligit; in nomine vero procuratoris intelligit prælata ſynodus quemlibet eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, ut ver. gr. præpoſi- E tum, œconomum, vicedominum: defenſoris nomine advocatum ſive caſtaldum, & judicem: in ſubjecto regulæ archipresbyterum, archidiaconum, canonicum, monachum, vel quemlibet eccleſiaſtico mancipatum officio. Quod vero Spiritum ſanctum, quantum in ſe eſt, vendat vel emat qui præpoſituram vel hujuſmodi vendit vel emit, audi Auguſtinum ſuper Joannem: O quot propoſita fecerunt? Alterum propoſitum habet Carthagine Primianus, alterum habet Maximianus, alterum habet in Mauritania Rogatus, alterum habent in Numidia illi & illi quos jam nec nominare ſufficimus. Circumit ergo aliquis emere columbam? unuſquiſque propoſitum ſuum laudat quod vendit, &c.

Ecce venerabilis Auguſtinus de præpoſituræ diſtractione agens, in nomine columbæ ſancti Spiritus venditionem vel emptionem accipit, ſicut & omnes hujus evangelici capituli tractatores. Penſandum vero eſt qua pœna mulctentur qui jam Deo & eccleſiæ ſuæ oblata vendunt vel emunt, ſi cum flagellis a Dei templo ejecti ſunt, qui quæ Deo erant offerenda vendebant vel emebant. Si de offerendorum venditoribus vel emptoribus dictum eſt: *Vos feciſtis domum Patris mei domum* Joan. *negotiationis, & ſpeluncam latronum*, quid dicetur jam de eccleſiæ oblatorum venditoribus vel emptoribus? Et ne quis inſanus objiciat, merito hos dominum tam acerbe vindicaſſe, quia tunc illa in Dei templo, eccleſiaſticæ vero res modo extra templum diſtrahantur: attendat ſuper his Auguſtini non determinantem locum venditionis vel emptionis propoſitorum, ſed tantum indefinite dicentem: Circumit aliquis emere columbam, unuſquiſque propoſitum ſuum laudat quod vendit, non adjiciens in templo vel extra templum. Hæc contra venditores vel emptores ſacrarum rerum.

Ad hoc vero quod in epiſtola tua ſequitur, id eſt: Utrum obedire tentantibus ad mortem nefas ſit? & circa finem ejuſdem epiſtolæ hoc idem iterum inculcatur, illud beati Petri reſpon- C demus: *Obedire Deo oportet magis quam hominibus*. Act. 5. In quo exemplo notandum eſt, hominibus interdum obediri debere, ſed magis Deo hominibus quidem in his quæ contra fidem & religionem non ſunt: quoniam cives Jeruſalem legimus Babylonis civibus militaſſe, ut ſanctum Joſeph, & ſocios Danielis; quorum primus ſtuprum dominæ, ſequentes vero idololatriam perhorrentes, rem publicam & alienigenarum principum ſtrenue gubernaverunt. Et in evangelio habes, cum Matth. 5. eo qui te angariaverit uno milliario, alia duo ambulare debere, & reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Item Hieronymus ſuper epiſtola ad Philippenſes: Si dominus 11. q. 3. c. 93. ea jubet quæ non ſunt adverſa ſcripturis ſanctis ſubjiciatur domino ſervus: ſi vero contraria præcipit, magis obediat ſpiritus quam corporis domino, & infra: Si bonum eſt quod præcipit imperator, jubentis exequere voluntatem; ſi malum, reſponde: *Obedire oportet Deo magis quam* Act. 5. *hominibus*.

Ad hoc vero quod ſubjungitur in eadem epi- 6. diſt. princ. & ſtola, id eſt: Utrum ſit utendum ordinationibus, in additione & reliquis ſacramentis, a criminoſis exhibitis, ut ab adulteris, vel ſanctimonialium violatoribus, vel hujuſmodi? ad hoc, inquam, ita reſpondemus: Si ſchiſmate vel hæreſi ab eccleſia non ſeparantur, eorumdem ordinationes, & reliqua ſacramenta ſancta & veneranda non negamus, ſequentes beatum Auguſtinum, qui ſuper Joannem de hujuſmodi tam copioſe quam veraciter diſſeruit. Ait enim: Baptizet ſervus bonus, ſive ſervus malus, non ſciat ſe ille qui baptizatur baptizari ab eo qui non ſibi renuit baptizandi poteſtatem, & paulo poſt: Non horreat columba miniſterium malorum, reſpiciat Domini poteſtatem. Si fuerit ſuperbus miniſter, cum zabulo computatur, ſed per illum Chriſti ſacramentum non contaminatur. Quod per illum fluit, purum eſt, quod per illum tranſit, liquidum eſt. Item: Spiritualis vero virtus ſacramenti ita eſt ut lux, quæ & ab illuminandis pura excipitur, &, ſi per immunda tranſeat, non inquinatur. Quos bapti-

zat ebriosus, quos baptizat homicida, quos baptizat adulter, Christus baptizat, & cætera hujusmodi. Attamen decessores nostri Nicolaus & Gregorius a missis sacerdotum, quos tales revera esse constiterit, fideles abstinere decreverunt, ut & peccandi licentiam cæteris auferrent, & hujusmodi ad dignæ pœnitentiæ lamenta revocarent. Scripsit hoc prædecessor noster Gregorius Rodulpho & Bertholdo ducibus inter cætera: Officium simoniacorum, & in fornicatione jacentium scientes nullo modo recipiatis, & quantum potestis, tales sanctis deservire mysteriis vi, si oportuerit, prohibeatis, &c.

Gregorius VII lib. 2 epist. 41.

Porro ad hæc quæ tibi syllogistice in eadem epistola objiciuntur, id est, si corpus & sanguis Christi non sunt, & alia quæ prædiximus, proprias non habent virtutis dignitates, quid agentibus obsunt; quod si habent, cur spernuntur, sicubi ab indigno præsumuntur? Ad hæc, inquam, ita respondemus: Proprias quidem habent virtutis dignitates, ut præfatus Augustinus ait super Joannem contra Donatistas, sed agentibus vel suscipientibus eadem sacramenta contra præfatorum pontificum instituta, * nisi forte sola morte interveniente, utpote ne sine baptismate vel communione quilibet humanis rebus excedat: eis, inquam, in tantum obsunt, ut veri idololatræ sint, cum talibus & ordinationum & sacramentorum confectio, & aliter quam præmissum est scienter susceptio, vehementer a sanctis canonibus prohibeatur. Ait namque Samuel propheta: *Quoniam peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolli acquiescere.* Hæc de malis catholicis qui intra ecclesiam sunt. Cæterum schismaticorum & hæreticorum sacramenta, quoniam extra ecclesiam sunt, juxta sanctorum patrum traditiones, scilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi, formam quidem sacramento um, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi, vel eorum sacramentis initiati, per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem.

* Nisi in casu necessitatis, qui a præsumptionem [illegible]

Sciendum vero est quod canones apostolorum, quorum auctoritate orientalis & ex parte Romana utitur ecclesia, & insignis martyr Cyprianus, & octoginta episcopi cum eodem baptismum hæreticorum lavacrum diaboli appellant. Stephanus vero & Cornelius martyres & pontifices Romani, & venerabilis Augustinus in libro de baptismate eumdem Cyprianum, & præfatos episcopos hanc ob causam vehementer redarguunt, affirmantes baptismum sive ab hæretico sive schismatico ecclesiastico more celebratum ratum esse; & merito, quia alia in baptismo, & alia in reliquis sacramentis consideratio est; quippe cum & ordine prior & necessarior sit; subito enim moriturо prius baptismate, quam Dominici corporis communione, vel aliis sacramentis consulitur. Et dum forte catholicus non invenitur, satius est ab hæretico baptismi sacramentum sumere, quam in æternum perire. Et hanc sententiam præscriptorum pontificum Cornelii, Stephani, & Augustini, secuti sunt Innocentius, Siricius, Leo, Anastasius, & magnus Gregorius, & omnis ecclesia catholica. Et quoniam epistolaris brevitas propositis tibi quæstionibus fortasse non sufficit, eorumdem temeritatem ad sedem apostolicam instruendam mitte, aut, juxta apostolum, *vinti sane doctrinæ adversarium post secundam & tertiam correptionem devita.* Tu vero esto fidelis usque ad mortem, ut percipias coronam vitæ. Data Romæ.

XVIII. AD ALPHANUM SALERNITANUM archiepiscopum.

Collatum illius ecclesiæ privilegium confirmat.

Urbanus episcopus servus servorum dilecto fratri Alphano Salernitano episcopo ejusque successoribus canonice promovendis in perpetuum.

SIngulare semper sedis apostolicæ privilegium claruit, subjectas sibi per orbem terrarum ecclesias & auctoritate disponere, & benignitate clementius confovere. Quibus autem supernæ majestatis dignatio suæ gratiæ pleniorem contulit largitatem, ipsis etiam consuevit excellentiorem contribuere dignitatem. Unde non immerito existimamus Salernitanam ecclesiam amplioribus nostræ benignitatis muneribus honorandam, quam omnipotens Dominus eximia suæ benignitatis prærogativa per misericordiam gratuitam sublimavit. Ex novissimis namque terrarum finibus beati Matthæi evangelistæ corpus ad hanc deferri, apud hanc haberi, clementissima suæ dispositionis * dignitate permisit. Cujus scilicet apostoli quanta sit in Deo & ecclesia gloriæ excellentia, collatorum divinorum munerum gratia cumulata demonstrat. Hic enim primus inter cæteros evangelii seriem scribere inspiratione divina exorsus hic in divini seminis fructu trium ordinum coronam centesimam reportavit, ut simul apostolus & evangelista & martyr existeret. Adjecit ad hæc omnipotens Deus, ut eamdem ecclesiam gloriosorum martyrum Fortunati, Gaii & Anthes triumphis simul & corporibus honoraret. Appositi etiam tertii muneris claritatem, ut eam nostris temporibus Gregorii apostolicæ memoriæ septimi papæ tam exilio quam tumulo illustraret. Cujus quam egregia jura, quam præclara doctrina, quam miranda constantia fuerit, Romana ecclesia prædicat, occidens universus agnoscit, tyrannorum pertinacia tolerat, & conculcata testatur.

* *forte dispositione*

XIX. AD PISTORIENSEM ET RUSTICUM vallis umbrosæ abbates.

De Wezelone Moguntino archiepiscopo ob simoniam depositio.

Urbanus secundus papa Pistoriensi & Rustico vallis Umbrosæ abbatibus.

SCripsistis nobis maximum apud vos scandalum emersisse, quo Pisanum episcopum consecraverimus, quod a Guezelone hæretico diaconus fuerat ordinatus. Et nos profecto scimus, Guezelonem hæreticum fuisse, Moguntinumque episcopatum simoniaco credimus facinore invasisse propter quem aut alium acquirendum regi sub anathemate posito diu servierat, & propter acquisitum omni vitæ suæ tempore deservivit. Eumdem & ipsi nos pro eadem causa, qui ab excommunicatis consecratus est, in synodali concilio excommunicavimus, condemnavimus, & ab omni ecclesiastico officio sine spe restitutionis aliqua deposuimus.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Guezelonem hæreticum fuisse.) Hanc epistolam Urbani secundi papæ ex manuscripto bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis cum aliis plurimis, de quibus supra descriptam misit excudendam reverendus dominus Joannes Picardus sancti Victoris Parisiensis ecclesiæ sæpe dictus

dictæ canonicus regularis. Quæ cum hactenus nullibi impreſſa fuerit, & quamdam de ſimonia decretalem conſtitutionem contineat, dignam judicavi quæ in lucem emitteretur. Hic Guezzelo, ut bene notandum eſſe monuit dictus dominus P. cardinus, idem eſt quem paſſim Urſpergenſis abbas nuncupat Wiceloncm Sigefridi Moguntini archiepiſcopi demortui ſucceſſorem, ſeu potius Moguntinæ eccleſiæ invaſorem ab Henrico rege intruſum, ut patet ex iis quæ ſupra dicta ſunt in concilio Quintilineburgenſi ſub Gregorio ſeptimo. Nec obſtat quod apud Urſpergenſem Wecilo nominetur, quem Urbanus papa hic Guezelonem appellat: nam familiare eſt Gallis aliiſque nationibus ut nomina omnia propria, quæ apud Germanos ſcribuntur in principio per geminum VV, ipſi primam literam V in G convertant, adeoque pro VVezelone ſcriptum fuerit Goezelo.

XX. AD RICHERIUM SENONENSEM, & cæteros Francorum epiſcopos.

De rege excommunicato non abſolvendo.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri Richerio Senonenſi, & cæteris Francorum epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AUditum eſt apud nos quoſdam confratres noſtros in tantam audaciam prorupiſſe, ut aſſerant ſe nequaquam a regis ſocietate abſtenturos; immo etiam regem ipſum ab excommunicationis vinculo ſoluturos, quamquam feminam illam, pro qua per nos excommunicatus fuerat, non dereliquit: ſed qui hoc loquuntur, aut profecto ſcripturas neſciunt, aut pertinaciter excedere nequaquam pertimeſcunt. Sanctorum quippe canonum ſanxit auctoritas, & ea paſſim eccleſiæ conſuetudo ſervat, ut a quolibet juſte excommunicatum epiſcopo alius abſolvere non præſumat. Ipſa etiam ſuffraganeorum ligamenta metropolitani, qui videlicet eorum majores ſunt, ſanctorum patrum inſtitutionibus prohibentur abſolvere. Quod ſi a quibuſcumque id ſerva ur epiſcopis, videant venerabiles fratres noſtri, quemadmodum apoſtolicæ ſedis valeant acta diſſolvere, cum profecto luce jam clarius conſtet apoſtolicæ ſedis pontifici non tolum epiſcopos & primates, ſed ipſos etiam patriarchas, divina inſtitutione ſubjectos, cum noverint ab omnibus ad ipſum, ab ipſo autem ad neminem appellandum, cum ſciant ſoli fas eſſe de omni eccleſia judicandi, ipſum vero nullorum ſubjacere judicio. Nec eos illud credimus ignorare, quod ſola nulla ſynodo præcedente, ſedes apoſtolica valeat ſuo ſtatui reſtituere quos ſynodus inique damnaverit, ipſius vero nemini liceat retrahere judicia. Certe cum de leprarum, id eſt de criminum varietatibus ad Moyſen Dominus loqueretur, *Conſiderabit*, inquit, *leproſum ſacerdos, & immundum judicabit*, ac deinde ſubjungit: *Et clauſus tenebitur ad arbitrium ſacerdotis*. Videtis ergo quia ad illius ſacerdotis arbitrium clauſus teneri præcipitur, cujus arbitrio judicatus eſt immundus. Quomodo itaque ad aperiendum manum porrigent, ad quem claudendum os aperire non auſi ſunt. Cum quatriduanum Lazarum Dominus ſuſcitaſſet, non legitur ad abſolvendum eum circumſtantium aliquis ſe injeciſſe, dum ipſius Salvatoris præcepto jam viventem, jam ſtantem, diſcipuli abſolverunt, ut profecto ſecuturis daretur exemplum, quia etiam pœnitens quis ſolvendus non eſt, niſi per illius arbitrium, cujus voce vel gemitu a ſepulcro criminoſus educitur. Sed neque illud venerabilibus fratribus arbitramur ignotum, quia Deus ſuperbis reſiſtit, prope eſt autem obtritis corde. *Super quem enim reſpiciam, ait Dominus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem verba mea.* Videſint ergo quo pacto peccatorem conentur abſolvere, præter illius vel præſentiam, vel præceptum, cujus eſt judicio in generali ſynodo compeditus. Nobis ſane, & omnibus qui Turonis nobiſcum Deo propitiante convenerunt, liquido paruit, & legis & evangelii & ſanctorum canonum documentis, nullam ſolvendi quem nos ligavimus fraternitati veſtræ ſuppetere poteſtatem. Unde & filium noſtrum Francorum regem, donec Deo in nobis & ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſatisfaciat, excommunicatum aſſerimus, & tam epiſcopos, quam alios quoslibet ei pertinaciter communicantes eſſe ſancimus, & privilegium poteſtatis amittere, ſi quis in ejus abſolutione inconceſſa abuti præſumpterit poteſtate. De cætero univerſos vos

B * Arelatem in octavis apoſtolorum Petri & Pauli ad concilium omni ſepoſita occaſione invitamus.

* Nemauſi celebratum fuit menſe julio anno 1096.

XXI. AD HUGONEM ARCHIEPISCOPUM Lugdunenſem

De Roberto abbate Ciſtercienſi ex eremo revocando.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri & epiſcopo Hugoni apoſtolicæ ſedis vicario ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MOliſmenſium fratrum magnum in conſilio clamorem accepimus, abbatis ſui reditum C vehementius poſtulantium. Dicebant enim religionem ſuo choro everſam, ſeque pro abbatis illius abſentia odio apud principes & cæteros vicinos haberi. Coacti tandem a fratribus noſtris, dilectioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus, ſignificantes gratum nobis exiſtere, ut, ſi fieri poſſet, abbas ille ab eremo ad monaſterium reducatur. Quod ſi implere nequiveris, curæ tibi ſit ut & qui eremum diligunt conquieſcant, & qui in cœnobio ſunt regularibus diſciplinis inſerviant.

APPENDIX EPISTOLARUM Urbani papæ II. ex variis codicibus mſſ. & quibuſdam editis magno ſtudio collecta.

I. AD GUIEHARDUM EPISCOPUM Conſtantienſem.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guiehardo Conſtantienſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Hunc & pleraſque eorum quæ ſequuntur deſcripſerat R. P. Jacobus Sirmondus ex codice Atrebatenſi.

QUia te ſpeciale poſt Deum manuum noſtrarum opus eſſe perpendimus, & quia ſpecialem in te religionis gratiam eſſe cognoſcimus, idcirco te ſpecialiter adjuvare, tuiſque neceſſitatibus ſpecialiter ſubvenire Domino annuente ſatagimus. Quæſtiones autem quas tuis literis ſignificaſti veſtris in partibus agitari, apud nos ſatis frequenter noveris commoveri. Fratrum itaque noſtrorum communicato conſilio, diuque excommunicationis quæſtione tractata ſancti prædeceſſoris noſtri Gregorii ſententiam confirmantes ita eam Deo inſpirante determinavimus. Primo ſiquidem gradu Ravennatem hæreſiarcham Romanæ eccleſiæ invaſorem cum Henrico rege ejuſdem perverſitatis capite, ab omnibus eccleſiæ catholicæ membris alienum & excommunicatum eſſe cenſemus. Secundo eos qui armis, pecunia, conſilio aut obedientia eccleſiaſticos maxime honores ab eis aut eorum fautoribus accipiendo eorum nequitiæ adminiculum ſubminiſtrant. Hos igitur prin-

Levit. 13.

Matt. 66.

principaliter anathematis vinculis adſtringentes, in tertio gradu communicantes eis nos quidem non excommunicamus. Sed quia ipſi ſe eorum communione commaculant, in noſtram eos ſocietatem nequaquam ſine pœnitentiæ ultione & abſolutione recipimus. Sanctis quippe canonibus cautum conſtat, ut qui excommunicatis communicaverit excommunicetur. Ipſius tamen pœnitentiæ atque abſolutionis modos ea moderatione diſcrevimus, ut quicumque ſeu ignorantia ſeu timore ſeu neceſſitate negotii cujuſque maximi & maxime neceſſarii eorum ſe convictu, ſalutatione, oratione, oſculove contaminaverit, cum minoris pœnitentiæ abſolutionisque medicina ſocietatis noſtræ participium ſortiatur. Eos vero qui aut ſpontanee aut negligenter inciderint, ſub ea volumus diſciplinæ * cohercione ſuſcipi, ut cæteris metus incutiatur cujus diſciplinæ moderamina, quod ad tuam curam ſpectat nos tuæ providentiæ prout oportere videris pro temporis & perſonarum competentia ſervanda committimus. Porro de clericis qui ab excommunicatis ſunt epiſcopis ordinati, necdum quidem ſententiam ferimus, quia generalis mali contagium generalis ſynodi eſt cauterio comburendum. Tuæ tamen fraternitati hoc reſpondemus ad præſens, ut ab excommunicatis quondam tamen catholicis epiſcopis ordinatos, ſi quidem non ſimoniace ordines ipſos acceperint, & ſi epiſcopos ipſos non ſimoniacos eſſe conſtiterit, ad hoc ſi religioſior eorum vita, & doctrinæ prærogativa vita fuerit promereri, pœnitentia indicta quam congruam duxeris, in ipſis quos acceperint ordinibus manere permittas. Ad ſuperiores autem aſcendere non concedimus, niſi neceſſitas & utilitas maxima flagitaverit, & ipſorum ſancta converſatio promeruerit, & hoc tamen ipſum rarius cum cautela eſt præcipua concedendum. De presbyteris, diaconis ac ſubdiaconis, qui poſt acceptum ordinem in aliquo crimine lapſi fuerint ſive palam ſive clam conſtat quidem canonum cenſura ab eccleſiaſticis eos officiis inhiberi. Tuæ tamen providentiæ diſcretionique committimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ notis non fuerint aſperſi, neceſſitate eccleſiæ urgente & ipſorum ſancta converſatione promerente in ſuis gradibus recuperari debeant. Hoc autem ſecundum indulgentiam dico, non ſecundum imperium, ut veſtra major veſtris in partibus contra hæreticos habeatur auctoritas. Salva tamen auctoritate communi, & ſanctorum patrum decretalibus inſtitutis. Si quem vero quod abſit poſt acceptum aut ante acceptum officium contigerit peremptorio quolibet eorum qui in lege morte mulctantur, ſive clam ſive palam occupatum crimine inveniri, eos maxime qui adhuc mundo vivunt, ab omni eos altaris miniſterio ſequeſtramus. Sicut enim pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & poſt pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipiſci, vel clerico ad altiores ordines promoveri, quia quamvis ſint omni peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum. Sane inſulam Augiam ſub jure ditionis B. Petri ac Romanæ eccleſiæ conſtat ſpecialiter contineri. Sed quia eorum privilegium, quod a Romana eccleſia obtinent, non ſatis meminimus, cauſam facile determinare non poſſumus. Salva tamen ejuſdem privilegii auctoritate, tibi ſingulariter in clerum & populum illic habitantem præter monachos omnem concedimus epiſcopalis regiminis poteſtatem. Cæterum ut in eodem cœnobio abbatem catholicum regulariter vice noſtra præſtituere ſtudeas tuæ obedientiæ imperamus. Nec ſolum in eo, ſed & in S. Galli cœnobio, & in cæteris ſi quæ ſunt propriis abbatibus deſtituta, noſtra fretus auctoritate cum conſilio quorum intereſſe cognoveris abbates eligere, atque electos conſecrare procura. Idem etiam tibi ſtudendum de Auguſtenſi & Curienſi epiſcopatu injungimus, nec non & de cæteris ad quæ Patavienſis epiſcopus advocari vel adeſſe nequiverit, & ipſi enim quemadmodum & tibi Saxoniæ, Alamanniæ, ac cæterorum quæ prope ſunt regionum vice noſtra procurationem injunximus, ut ordinationes improbandas improbetis, roborandas roboretis, & quicquid eccleſiaſtici negotii diſponendum fuerit communicato religioſorum virorum conſilio diſponatis, quo ad uſque privatiorem annuente Domino legatum ſedis apoſtolicæ ſuſcipere valeatis. Vos quia Dei zelo fervetis & ſcientia præcellitis atque doctrina, omni cura atque ſollicitudine utilitatibus eccleſiaſticis inſudate. Scientes quoniam & nos in hoc tempore veſtris libentiſſime utilitatibus annuemus & operam dabimus. Laboribus autem Romanæ eccleſiæ communicare, opis noſtræ auxilio ſublevare nullo modo pigri ſitis. Benedictionum ſuarum vos omnipotens Deus ubertate perfundat, incolumem cuſtodiat, & ad vitam perducat æternam. Data Romæ XIV. Kal. Maii.

* al. coercitione, pro coercitione. H.

Ivo p. 6. c. 106. 12. q. 2. can. ab excommunicat.

II. AD ROBERTUM TOTIUS FLANDRIÆ ſtrenuum militem.

Urbanus epiſcopus, &c.

Memento cariſſime fili, quantum, &c. *paulo poſt integra exhibebitur cum actis concilii Remenſis* cum epiſtola cleri Flandrenſis Rainaldo archiep. Remenſi.

III. (1) AD LAMBERTUM ATREBATENS. Epiſcopum ſive PRIVILEGIUM ATREBATENSIS ECCLES.

Hanc & nonnullas ex ſequentib. editioni jam pridem paratas habebamus cum D. Dacher. to. III & V. ſpicileg. eas cum aliis qq. ſequi tenuit.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto fratri Lamberto Atrebatenſi epiſcopo noſtris manibus conſecrato, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

LIquet ſanctorum canonum inſtitutis integram eſſe provinciam, & metropolitanum proprium debere ſortiri, quæ duodecim conſtat epiſcopatibus. Secundam igitur Belgicam conſtat integritatem provinciæ obtinere, quæ duodecim quondam ſcitur epiſcopos habuiſſe, & Remenſem eccleſiam jure metropolitanam haberi, quæ tot ſoleat ſuffraganeis eminere. Cæterum peccatis exigentibus accolarum, cum irruentibus barbaris urbes quædam detritæ ſunt, duodecimus ille numerus imminutus eſt. Inter quas Atrebatenſis nobilis quondam & populoſa civitas, quæ per B. Remigium epiſc. Vedaſtum obtinuit, poſt nonnullorum antiſtitum obitum epiſcopalis cathedræ perdidit

(1) Hæc, & ſequentes Epiſtolæ tum Urbani PP. cum Rainoldi Archiep. Remenſis, Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi, aliorumque ad reſtitutionem Atrebatenſis Epiſcopatus ſpectantes, hic ordine præpoſtero allatæ, juxta rei geſtæ ſeriem digeſtæ leguntur in Geſtis de Reſtitutione Epiſcopatus Atrebatenſis apud Baluzium Miſcellan. tom. 5. pag. 237. & ſeqq.

didit dignitatem, & per nonnulla tempora Cameracenſi epiſcopo ſubdita obedivit. Porro noſtris temporibus ſuperne miſerationis reſpectu prædicta civitas in ejuſmodi ſtatum reducta eſt, ut & populi frequentia & divitiarum abundantia Cameracenſem ſuperet civitatem. Dignum igitur Spiritui ſancto & auctoritati apoſtolicæ vilum eſt, ut Atrebatenſi eccleſiæ cardinalis reſtitueretur antiſtes. Sanctum enim Sardicenſe concilium ſtatuit non paſſim epiſcopum ordinari, niſi aut in civitatibus quæ epiſcopos habuerunt, aut quæ tam populoſæ ſunt ut habere mereantur epiſcopum. In ſecundo quoque concilio Africano decernitur, ut illa diœceſis quæ aliquando habuit epiſcopum, habeat proprium. Et ſi accedente tempore, crescente fide Dei populus multiplicatus deſideraverit habere proprium rectorem, ejus videlicet voluntate in cujus poteſtate eſt diœceſis conſtituta, habeat proprium epiſcopum. B. quoque Gregorius in Sardinia apud Phautianam oppidum ſecundum priſtinum modum reordinari præcepit antiſtitem, & nos ergo Atrebatenſis eccleſiæ reſtitutioni, & Remenſis metropoli redintegrationi pro noſtri officii debito imminentes, te frater cariſſime Lamberte cleri plebiſque conſenſu electum unanimi, B. Vedaſto & ſanctis qui in urbe ipſa quondam præſedere pontificibus conſtituimus ſucceſſorem. Per præſentis itaque privilegii paginam legitimum perpetuum ſtatuimus, ut Atrebatenſis eccleſia deinceps cardinalem ſemper epiſcopum ſortiatur. Quicquid autem prædictæ eccleſiæ B. Remigius contulit, quicquid antiquis temporibus dum epiſcopali dignitate polleret eam poſſidere conſtiterit, ſalvis legalibus inſtitutis & Romanæ eccleſiæ privilegiis, ratum tibi ac tuis ſucceſſoribus ſancimus permanere. In quibus nominatim archidiaconias duas, quarum una Atrebatenſis, altera dicitur Obſtrevandenſis, præfatæ eccleſiæ confirmamus, & illos omnino limites inter Atrebatenſem & Cameracenſem eccleſias fore præcipimus, quos antiquitus fuiſſe vel ſcriptorum monimentis vel territoriorum diremptione, vel certis aliquibus indiciis poterit comprobari, ut annuente Deo eccleſiarum pax nulla occaſione turbetur, & quæ pro fidelium ſalute ſtatuta ſunt, perenni tempore inconvulſa ſtabilitate perſiſtant. Sane ſi quis in craſtinum archiepiſcopus, epiſcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, comes aut vicecomes, judex aut perſona quælibet magna vel parva hujus noſtri privilegii paginam ſciens, contra eam temere venire temptaverit, ſecundo, tertiove commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis eidem iſta loco ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Benedictus Deus & Pater

S. Petrus	*S. Paulus*
Urba PP.	*nus II.*

Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Falſa notatio temporis H.

Scriptum per manum Boni hominis ſcriniarii ſacri palatii. Datum Romæ per manum Joannis S. R. E. diaconi cardinalis X. Kalend. Aprilis indictione 2. anno dominicæ incarnationis 1093. pontificatus autem domni Urbani II. papæ ſeptimo.

Recitatum eſt autem hoc privilegium in Claramontenſi concilio ex præcepto domni Urbani II. cui ipſe præſedit, & cum eo cardinales Romani, archiepiſcopi XIII. Epiſcopi CCXXV. Abbates vero XC. & eo amplius; exceptis honeſtis & religioſis diverſarum regionum & provinciarum clericis & laicis. Et intente & ſub magno ſilentio ab omni conceſſi concilii auditu collaudatum & confirmatum eſt IV. Kalendas Decembris indictione IV. anno dominicæ incarnationis MXCV. pontificatus autem domni Urbani papæ II.

IV. AD RAINOLDUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto confratri Rainoldo Remorum archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOverit tua fraternitas quod Atrebatenſis eccleſia una ex nobilibus eccleſiis Remenſis metropolis, fuit, & pontifices viros religioſiſſimos & cætera pontificalia jura firmis rationum monimentis obtinuit. Mandamus itaque tibi atque præcipimus, ut illum quem eccleſia illa canonico conſenſu cleri & populi ſibi in epiſcopum elegerit, conſecrare & eidem eccleſiæ incardinare non differas. Solet enim fieri ut eccleſiæ perſecutionis tempore ſuis ordinibus, ſuis populis, ſubſidiis etiam temporalibus deſtitutæ aliis temporaliter committantur eccleſiis: Poſtquam vero his quibus imminutæ fuerant Deo diſponente abundare cœperint, priſtinam recipiant dignitatem. Solius etenim apoſtolici eſt epiſcopatus conjungere, conjunctos disjungere, aut etiam novos conſtruere. Fretus itaque noſtra auctoritate id ne timeas adimplere. Voluntatis etenim noſtræ eſt * Remenſis eccleſiæ olim XII. epiſcopatum dignitatem Deo cooperante in priſtinum gradum revocare.

* Forte, *Remenſi & mox, Epiſcopatum*. H.

V. AD EUMDEM.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri & coepiſcopo Rainaldo Remenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ATrebatenſes clerici cum fraternitatis tuæ literis ad noſtram præſentiam redierunt pro reſtitutione eccleſiæ ſuæ ſuppliciter implorantes. Suſtinuerunt autem Cameracenſium clericorum adventum uſque ad tempus quod utriſque in provinciali concilio fuerat conſtitutum. Cæterum Cameracenſium ante nos nullus advenit. Nos igitur idipſum repetitis literis fraternitati tuæ ſignificamus, idipſum præcipimus. Omnino enim volumus ut Remenſis metropolis ad integritatem antiquæ dignitatis annuente Domino reducatur. Ideoque omnino præcipimus in Atrebatenſi eccleſia epiſcopum ordinandum, niſi forte ejuſdem urbis poſſeſſionem Cameracenſis eccleſia valeat auctoritatis Romanæ privilegio vendicare. Hoc enim juſtitiæ ratio exigit, animarum utilitas poſtulat, eccleſiæ honor implorat. Quod ſi forte æmulorum vereris invidiam, & obſequentium latratus pro gravitate tuæ religionis horreſcis; quemcumque in præfata eccleſia te annuente clerus & populus ſecundum Deum elegerit, ad nos cum communi decreto & ſollicitudinis tuæ literis tranſmittatur. Nos cum divinæ gratiæ adjutorio, ſalvo eccleſiæ tuæ jure eum tamquam B. Petri manibus conſecrabimus.

VI. AD

VI. AD CLERUM ET POPULUM Atrebatenſem.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis clero & populo Atrebatenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem:

DUo eccleſiæ veſtræ clerici confratris noſtri reverendiſſimi Remorum archiepiſcopi literas offerentes ante noſtram præſentiam redierunt pro reſtitutione eccleſiæ veſtræ ſuppliciter implorantes, ſuſtinuerunt autem Cameracenſium clericorum adventum uſque ad tempus quod utriſque fuerat in provinciali concilio conſtitutum. Cæterum Cameracenſium ante nos nullus advenit. Nos igitur id ipſum repetitis literis ſignificamus, idipſum præcipimus. Omnino enim volumus, ut Remenſis metropolis ad integritatem antiquæ dignitatis annuente Domino reducatur. Ideoque omnino præcipimus in eccleſia veſtra epiſcopum ordinandum, niſi forte ejuſdem urbis veſtræ poſſeſſionem Cameracenſis eccleſia valeat Romanæ auctoritatis privilegio vendicare. Quod ſi ſe ab hujus noſtræ præceptionis effectu veſter archiepiſcopus provida diſſimulatione ſubtraxerit, vos quemcumque in paſtorem vobis ipſo conſentiente ſecundum Deum elegerit, ad nos cum communi decreto & ejuſdem archiepiſcopi literis tranſmittere procurabitis; nos eum ſalvo Remenſis eccleſiæ jure opitulante divina gratia conſecrabimus.

VII. AD EOSDEM.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Atrebatenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ATrebatenſis eccleſia una ex nobilioribus eccleſiis comprovincialibus Remenſis metropolis ſolemnibus canonum monumentis fœta, olim principalis ſedes epiſcopatus fuit, proprium pontificem habuit; ſuam diœceſim & cætera pontificalia jura firmis antiquitate rationum inſtrumentis obtinuit. Volumus itaque & apoſtolica auctoritate præcipimus, ut jugo Cameracenſis ſubjectionis ab eccleſia veſtra excuſſo, & recepta dignitate primis temporibus rationabili firmitate poſſeſſa cardinalem epiſcopum vobis & eccleſiæ veſtræ utilem eligere, & electum per manum metropolitani veſtri conſecrare, & eccleſiæ veſtræ incardinare ſtudeatis. Ei vero qui canonico conſenſu cleri & populi electus fuerit, apoſtolica auctoritate interdicimus, ne impoſitam ſibi electionem diſſimulatione aliqua hujus novæ ordinationis ſubterfugiat. Solet enim fieri ut eccleſiæ perſecutionis tempore ſuis ordinibus, ſuis populis, ſubſidiis etiam temporalibus deſtitutæ, aliis temporaliter committantur eccleſiis, poſtquam vero his quibus imminutæ fuerant, Deo donante abundare cœperint, priſtinam recipiant dignitatem. Caſtraneti IV. Nonas Decembris.

VIII. AD EUMDEM RAYNOLDUM Remenſem Archiepiſcopum.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimo confratri & coepiſcopo Raynaldo Remenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUod de Atrebatenſi eccleſia conſtituimus, cum pro animarum ſalute multiplici, tum pro veſtræ metropolis redintegratione, tum etiam pro juſtitiæ exhibitione perfecimus. Etſi enim in tempore frater fratri, ſoror ſorori vel annis minor, vel infirmitate defectior committatur: non tamen idcirco cum ad emancipationem venerit tutelæ ejus vel curæ legalibus ſanctionibus ſubjacebit. Gravamur igitur quod huic noſtræ conſtitutioni, & tuæ metropolis reſtitutioni tamdiu tam obſtinaciter reſtitiſti, & electum Atrebatenſis eccleſiæ conſecrare uſque hodie diſtuliſti. Tuæ igitur reverentiæ præſentium literarum auctoritate præcipimus, ut eundem electum poſtquam has literas videris, infra triginta dierum ſpatium conſecrare procures omni ſortitudine ſemota, omni diſſimulatione poſtpoſita. Quod ſi fortaſſis occultiori aliquo conſilio adimplere nolueris, eum ad nos cum literarum tuarum adſtipulatione tranſmitte. Si vero & hoc contempſeris, nos eum ad nos venire præcipimus conſecrationis gratiam recepturum.

IX. AD LAMBERTUM ATREBATENSEM EPISCOPUM.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto confratri & conſacerdoti Lamberto eccleſiæ Atrebatenſis electo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LÆtamur propter te in Domino, frater carriſſime, quia ipſo diſponente in Atrebatenſi eccleſia quæ tamdiu proprii paſtoris ſolatio caruit, nunc tandem ſecundum noſtrum præceptum novus paſtor electus es. Speramus etenim per divinitus tibi datam ſcientiam & religionem quorumdam veſtratium relatione nobis inſinuatam, maximum eidem eccleſiæ & corporalium & ſpiritualium rerum commodum affuturum. Scire autem te volumus de conſecratione tua archiepiſcopo ſcripſiſſe. Tu igitur ejus conſpectui te præſentare procura. Quod ſi ille infra triginta dies poſtquam noſtras literas acceperit, te conſecrare noluerit, nos te quantocius poteris ad nos venire præcipimus. Interim commiſſæ tibi eccleſiæ bona interius exteriuſque cuſtodi. Data V. Idus Octobris.

X. AD EUMDEM RAYNOLDUM Remorum archiepiſcopum.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri & coepiſcopo Raynoldo Remenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DEcuerat fraternitatis tuæ prudentiam ad reparandam dignitatem commiſſæ tibi eccleſiæ diligentius inſudare. Miramur ergo quod nunc quoque Cameracenſium injuſtis clamoribus aures inclines, ut eis Atrebatenſis ſubjiciatur eccleſia, cum conſtet eos ipſum quoque eccleſiæ ſuæ clericum quem ſecundum literarum veſtrarum tenorem ſibi unanimiter elegerunt, non niſi per manum excommunicati & hæretici velle ſuſcipere. Propter quod ſolum debitæ etiam dignitatis merentur detrimenta perferre. Illud autem nullomodo verearis, ut ſub hac occaſione ſuum in Cameracenſi eccleſia jus metropolis Remenſis amittat. Quiſquis enim illic niſi per Remenſem archiepiſcopum præſumpſerit ordinari, una cum ordinatione ſuo diſtrictionis apoſtolicæ gladio feriatur. Quamobrem tuam ſollicitudinem expedit vigilanter inſiſtere, ut utraque eccleſia cardinali non deſtituatur epiſcopo, niſi forte Cameracenſes privilegium Romanæ auctoritatis oſtenderint, quod

quod eis Atrebatenſem ſubdat eccleſiam. Unde frater virtus tua eos præmonere procuret, quatenus in proxima quadrageſima cum Atrebatenſes pro electi ſui confirmatione ad nos venerint, ipſi quoque cum eccleſiæ ſuæ auctoritatibus noſtræ ſe audientiæ repræſentent. Porro electionem quam de communi filio Manaſſe eos generaliter feciſſe ſignificaſti, collaudamus & confirmamus, niſi quælibet talia obvient, quæ ſanctis debeant canonibus coerceri. Quod ut ad effectum veniat, Cameracenſes ipſos a ſacramento illo temerario parati ſumus abſolvere, ſi tamen & ipſi electum ſuum recipere, & de temeritate illa parati fuerint ſecundum tuum conſilium pœnitentiam exhibere. Alioqui datam in eos fraternitate tuæ interdictionis ſententiam confirmamus.

XI. AD EUMDEM EJUSQUE SUFFRAGANEOS.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis fratribus & coepiſcopis Raynaldo Remenſi & ſuffraganeis ejus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUm Atrebatenſes clerici electum ſuum cum decreto communi præſentiæ noſtræ exhibuiſſent, nos eos apud nos integro menſis ſpatio retinuimus, Cameracenſium præſtolantes adventum, ſi forte aliquod munimentum afferrent, per quod Cameracenſi eccleſiæ Atrebatenſis videretur eſſe ſubjecta. Ipſi autem ſicut in præteritis terminis ita & tunc non venerunt, nec cauſas cur non venerant direxerunt. Nos igitur juſtam omnino cauſam Atrebatenſium perpendentes, & labores pro eccleſiæ ſuæ reſtitutione jam diutinos apoſtolica manſuetudine reſpicientes, ſanctorum canonum decretis & apoſtolicæ ſedis auctoritate muniti, religioſum ac ſapientem virum Lambertum, quem ad nos deduxerant, B. Vedaſto & ſanctis aliis pontificibus qui in Atrebatenſi eccleſia quondam præſederunt, tandem largiente Domino inſtituimus ſucceſſorem. Salva in omnibus Remenſis metropolis reverentia, quam videlicet multis retro temporibus imminutam, nunc tandem per humilitatem noſtram omnipotens Deus in parte hac redintegrare dignatus eſt. Eum itaque ad vos cum literis præſentibus remittentes caritati veſtræ attentius commendamus, rogantes ac præcipientes, ut ei ad redintegrandum commiſſæ ſibi eccleſiæ ſtatum tamquam confratri & coepiſcopo ſollicite adſiſtatis. Nos ſiquidem auctore Deo legitimum ſempiternum ſtatuimus, ut Atrebatenſis eccleſia cardinali deinceps potiatur epiſcopo. Quod annuente Deo & religionis augmento & animarum ſalute, & temporali ipſius eccleſiæ revelationi plurimum credimus profuturum. Nunc tuæ ſollicitudinis intereſt, cariſſime frater Rainolde, qui tam Atrebatenſi eccleſiæ quam Cameracenſi metropolitani auctoritate præſidere cognoſceris, eos omnes qui ſecundum privilegii noſtri tenorem ad Atrebatenſem videntur pertinere parochiam, ad epiſcopi Atrebatenſis obedientiam tuis literis invitare, & ſententiam noſtram tuis ſuffragiis proſequi, ut quicumque in duabus archidiaconiis, videlicet Atrebatenſi & Obſtrevandenſi clerici ſunt, a profeſſione Cameracenſis eccleſiæ abſolvantur. Si qui vero obedire contempſerint, quamcumque in eos ſententiam ipſe epiſcopali moderatione dictaveris firma permaneat. Data Romæ VIII. Kalendas Aprilis.

XII. AD ALARDUM ATREBATENSEM, Bernardum Obſtrevandenſem archidiaconus, &c.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Alardo Atrebatenſi, Bernardo Obſtrevandenſi archidiaconis & omnibus præpoſitis atque decanis cum omnibus clericis qui in prædictis archidiaconiis ſunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

APoſtolicæ ſedis nos compellit auctoritas univerſis per orbem terrarum eccleſiis providere, & ſua jura poſcentibus paterna compaſſione ſuccurrere. Quia igitur Atrebatenſis eccleſia multis jam temporibus propria carens dignitate Cameracenſis eccleſiæ jugum pertulit, dignum profecto duximus, ut propitiante Domino amiſſa ei dignitas ex apoſtolicæ ſedis dignitate reſtitueretur. Neque enim ſubjectionem Atrebatenſis eccleſiæ aliquod Romanæ auctoritatis chirographum Cameracenſibus vendicat, & Atrebatenſis urbis populoſitas longe illam cui hactenus ſubdita fuerat antecedit. Et canonum itaque decretis, & prædeceſſorum noſtrorum exemplis freti, nunc tandem annuente Domino Atrebatenſium votis juſtis & petitionibus importunis effectum dedimus, & venerabilem virum Lambertum quem communi aſſenſu electum ad nos cum communi decreto deduxerant in epiſcopum conſecravimus. Et quæque ad Atrebatenſem parochiam antiquitus pertinuiſſe noſcuntur, ipſi & ipſius ſucceſſoribus perpetuo regenda, & epiſcopali jure poſſidenda privilegii auctoritate firmamus. Nominatim archidiaconias duas, quarum una Atrebatenſis, altera dicitur Obſtrevandenſis. Veſtram ergo dilectionem literis præſentibus admonemus atque præcipimus, ut ei deinceps tanquam cardinali epiſcopo, tanquam B. Petri manibus conſecratos ſubeſſe & obedire curetis. Unde & vos & clericos univerſos qui in prædictis archidiaconiis ſunt, a profeſſione eccleſiæ Cameracenſis abſolvimus. Si qui vero inter vos hujus noſtræ conſtitutionis tenore perſpecto prædicto confratri noſtro Atrebatenſi epiſcopo obedire contempſerint, quamcumque in eos ſententiam ipſe epiſcopali moderatione dictaverit, auctoritate noſtræ pondere firma permaneat. Data Romæ VIIII. Kal. Aprilis.

XIII. AD ABBATES ET ABBATISSAS.

*Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis ſuis Aloldo S. Vedaſti, Richardo * Marcienſi, Alberto * Hanonenſi, Hamerico * Aquicinenſi abbatibus. Item abbatiſſæ S. Ragenfredis, & abbatiſſæ Strumenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* Marchiennenſi, Maſoenſi, Pro Aquicinenſi. H.

APoſtolicæ ſedis nos compellit auctoritas univerſis per orbem terrarum eccleſiis providere, & ſua jura præſentibus paterna compaſſione ſuccurrere: Quia, *cætera quæ de hac epiſtola reſtant, require in Atrebatenſis eccleſiæ monimento*; inquit MSS. codex: verum non alia videntur ab iis quæ in præcedenti habentur epiſtola.

XIV. AD ROTBERTUM FLANDRENSEM Comitem.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Rotberto Flandrenſium comiti ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MAgna tibi exultatione gratulandum eſt, quod eccleſiæ quæ in tua ditione ſunt tuis tempori-

poribus amiſſam recipiunt dignitatem. Ecce enim civitas Atrebatenſis, quæ in comitatu tuo principalis eſt ex apoſtolicæ ſedis dignitate cardinalem recepit epiſcopum. Eum ergo & ei commiſſam eccleſiam nobilitati tuæ literis præſentibus commendamus, & in peccatorum tuorum remiſſionem præcipientes, ut eum debita obedientia venereris, tuearis, adjuves, atque ad reſtituenda ipſius eccleſiæ bona auxilii tui brachium modis omnibus porrigas. Data Romæ 11. Kalend. Aprilis.

AD EUMDEM COMITEM EPISTOLA
Hugonis Lugdunenſis archiepiſcopi apoſtolicæ ſedis legati.

Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, Rotberto nobiliſſimo comiti Flandrenſium, ſalutem.

VEnerabilem in Chriſto fratrem noſtrum Atrebatenſem epiſcopum excellentiæ veſtræ commendamus, & ut tanquam cardinalem epiſcopum, tanquam B. Petri manibus conſecratum ope veſtra & auxilio tueamini rogamus, & vice domini papæ Urbani, ſecundum præceptum ipſius in remiſſionem peccatorum vobis præcipimus. Ad reſtituenda quoque bona ipſius eccleſiæ brachium adjutorii veſtri ei porrigite. Cognoſcentes vos pro obedientia hac habituros gratiam apoſtolicam, & a Deo remunerationem æternam.

XV. AD GUALCHERUM EPISCOPUM Cameracenſem.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Gualchero Cameracenſi electo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem

MEminiſſe te convenit quod jurejurando promiſeris apoſtolicæ ſedis decreta te fideliter obſervaturum. Quod igitur de Atrebatenſi eccleſia ſedes apoſtolica ſtatuit, cave ne temptes qualibet occaſione turbare. Immo volumus atque præcipimus ut ea omnia quæ ad jus illius eccleſiæ ſecundum privilegium noſtrum pertinere cognoſcis, quiete ab ea poſſideri, & inconvulſa D manere permittas.

XVI. AD EUMDEM ROTBERTUM FLANDRENSIUM COMITEM, & ejus optimates.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Rotberto Flandrenſium comiti, & optimatibus ſuis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PRo cariſſimo fratre noſtro Lamberto Atrebatenſi epiſcopo repetitis vos literis exhortamur & oramus, ut ei ad reparandam renovati epiſcopatus dignitatem conſilii & auxilii veſtri manus porrigatis, & poſſeſſiones ejuſdem epiſcopatus a Cameracenſibus epiſcopis, quibus eccleſia eadem commiſſa fuerat, male diſtractas, de manibus tenentium eripere, & eidem eccleſiæ reſtituere pro veſtrorum peccatorum remiſſione omnibus modis laboretis. Volumus præterea & apoſtolica auctoritate jubemus, ut nullo deinceps tempore præfatam eccleſiam alicui eccleſiæ ſubjici, vel infeſtari patiamini; ſed ipſam tanquam matrem veſtram & dominam, ſalvo Remenſis eccleſiæ jure honorare, ab injuriis tueri & defendere procurate. Data Placentiæ v. Idus Martii.

XVII. AD PIBONEM TULLENSEM EPISCOPUM.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri Piboni Tullenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex codice MSS Petaviano bibliothecæ.

SUper quæſtionibus, quas ad nos Adalbero veſtræ eccleſiæ filius detulit, hæc a nobis ſunt in ſynodalis aſſenſu concilii capitula per Dei gratiam confirmata.

Cap. I. Epiſcopus omnia ſui epiſcopatus membra, videlicet archidiaconatus, archipresbyteratus, decanias, vel aliquas præpoſituras eccleſiæ ſuæ B canonicas, gratis abſque omni venalitate diſtribuat. Quiſquis autem ea pretio dederit, depoſitioni ſubjaceat.

Cap. II. Eos qui a ſubdiaconatu uxoribus vacaverint ab omni ſacro ordine removemus, officioque atque beneficio eccleſiæ carere decernimus. Si vero epiſcopi conſenſerint earum pravitatibus, a ſuis ſe noverint officiis interdictos.

Cap. III. Presbyterorum filios a ſacri altaris D LVI. presminiſteriis removendos decernimus, niſi aut in cœnobiis, aut in canonicis religioſe probati fuerint converſati. (Abſque præjudicio tamen capitulorum iſtorum, eis qui præbendas aut ipſi ante hanc ſedis apoſtolicæ interdictionem emerunt, aut emptas ſe neſcientibus poſſiderunt, habendas eas permittimus, ſi eorum perſonæ tuo arbitratu vitæ C fuerint promereri. Eis autem qui fidem poſſeſſionis ſuæ irritam facientes, poſt ſubdiaconatus acceptionem vacare uxoribus præſumpſerint, & officium & conjugium penitus interdicimus, eiſque quoniam ſeipſos apoſtatando deſtruxerunt, & voluptatem corporis Domino prætulerunt, omni vitæ ſuæ tempore aut in cœnobiis, aut in canonicis regularibus pœnitentiam decernimus injungendam. Presbyterorum vero filios, qui ſecundum præcepti noſtri conditionem aut in cœnobiis aut in canonicis religioſe probati fuerint converſati, quia patrum peccata cum * ſæculo poſſeſſionibus abdicarunt, pro religionis ac ſcientiæ prærogativa apoſtolico moderamine tolerandos ducimus, & ad ſacros ordines, & ad honores eccleſiaſticos permittimus provehendos.

byterorum.

* Forte, ſæculi.

Cap. IV. Porro de clericis qui ab excommunicatis epiſcopis ſunt ordinati necdum quidem ſententiam ſiximus, quia generalis mali contagium generalis ſynodi eſt cauterio comburendum. Tuæ tamen fraternitati hoc reſpondemus ad præſens, ut * ab excommunicatis quondam tamen catho- * q. d. Ab licis epiſcopis ordinatos, ſi quidem non ſimoniace ipſos ordines acceperunt, & ſi epiſcopos iſtos non ſimoniacos fuiſſe conſtiterit, & adhuc ſi eorum religioſior vita & doctrinæ prærogativa viſa fuerit promereri, pœnitentia indicta quam congruam duxeris, in ipſis quos accepe unt ordinibus manere permittas. Ad ſuperiores autem aſE cendere non concedimus, niſi neceſſitas vel utilitas maxima flagitaverit eccleſiæ. Hoc tamen ipſum rarius & cum cautela eſt præcipua concedendum.

excommunicatis.

Cap. V. Epiſcopos ac clericos, quos ſimoniacos eſſe conſtat, a ſacris officiis & beneficiis removendos omnino decernimus. In eccleſias vere quæ ab hujuſmodi ſimoniacis execratæ ſunt, non aliter quam in locis orandum videtur, donec ſubverſis altaribus benedictione & unctione catholici antiſtitis conſecrentur.

Cap. VI. De his qui ſine titulis ordinati ſunt, licet ejuſmodi ordinatio ſanctorum canonum ſanctio-

ctioni contraria judicetur, utrum tamen aliqui in A acceptis ſint ordinibus permittendi, diſcretioni tuæ pro præſenti eccleſiæ neceſſitate committimus; ſi tamen alias ſine pravitate eos ordinatos fuiſſe conſtiterit.

Cap. VII. Bigamos & viduarum maritos a ſacris ordinibus ſecundum communem eccleſiæ conſuetudinem, auctoritate noſtri officii ſegregamus. Hæc univerſa tamquam apoſtolicæ ſedis præcepta ſanctorum conciliorum ſententiis conſonantia, religionis tuæ ſtrenuitas & in eccleſia ſibi commiſſa, Deo juvante cuſtodiat, & cuſtodienda aliis innoteſcat. Nec ſenectutem tuam oblatrantium canum multitudo perterreat. Major enim eſt qui in nobis eſt quam qui in illis. Ipſe ſiquidem confirmans diſcipulos ſuos ait: Nolite timere puſillus B grex quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Ipſe miſericordia ſua nos confirmet ac protegat, & ad cæleſtia regna perducat. Amen.

XVIII. AD ROTGERIUM SUESSIONENSEM EPISCOPUM,

Ut in parochianis eccleſiis canonici regulares ordinentur.

Urbanus papa Rotgerio Sueſſionenſi abbati.

JUſtis votis aſſenſum præbere, juſtiſque poſtulationibus aures accommodare nos convenit, qui licet indigni juſtitiæ cuſtodes atque præcones in C excelſa apoſtolorum principum Petri & Pauli ſpecula poſiti Domino diſponente videmur exiſtere. Ut igitur propoſiti veſtri ordinem ſecundum beati Auguſtini regulam commiſſi tibi fratres tranquille valeant abſque ſæcularium tumultuum perturbationibus annuente Domino cuſtodire, * poſtulationi tuæ libenter annuimus, & præſentium literarum auctoritate concedimus, ut in parochianis eccleſiis quæ ad veſtrum monaſterium pertinent, regulares vobis liceat clauſtri veſtri * clericos ordinare, qui & eccleſiis ipſis religioſe ſerviant, & adjacentis populi parochiam ſecundum timorem Dei, ſalvo epiſcopi jure debito, ſollicite procurare non negligant, quatenus omnia quæ domus Dei ſunt a ſapientibus & ſapienter adminiſtrentur. Data 11. Idus Julii.

* Collectio vetus N. c.

* canonicos

XIX. AD HUGONEM LUGDUNENSEM Archiepiſcopum.

Urbanus II. Hugoni Lugdunenſi archiepiſcopo.

LUgdunenſis paræciæ clericos quos contra ſtatuta canonum, & ab alterius paræciæ epiſcopis ordinatos, literarum tuarum ſignificatione monſtraſti, cum graduum ſuorum honore recipere religionis tuæ prudentia poterit, ſi eos alias canonice & ſine pravitate aliqua ordinatos conſtiterit: ſi tamen eorum vitam probabilem id indulgentiæ proſpexeris promereri. Legimus quippe E ſanctum Epiphanium epiſcopum ex diœceſi ſancti Joannis Chryſoſtomi quoſdam clericos ordinaſſe, quod ſanctus vir omnino non feciſſet ſi eis detrimentum ferre perpenderet. Quos igitur recipiendos moderatio tua arbitrata fuerit, injuncta ſatisfactionis gratia propter eccleſiam quam offenderunt congrua pœnitentia miſerationis intuitu in ſuo quemque honore recipias, ſalva in omnibus ſanctorum canonum diſciplina.

XX. AD INGELRANNUM Laudunenſem epiſcopum.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ingelranno Laudunenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Deſcripſimus ex veteribus membranis quæ apud nos aſſervantur.

QUanto familiarius ab eccleſia Romana dilig eris, tanto carius quos ipſa diligit fovere debueras & amplecti. Idcirco ab infeſtatione fratrum beati Remigii fraternitas tua ceſſet, & altare quod in villa quæ Corbiniacus dicitur iidem fratres habuiſſe noſcuntur, eis reſtituas. Etenim perſonas removimus, non tamen antiquæ poſſeſſionis jus monaſteriis abſtulimus. In illa ſiquidem perſonarum mutatione avaritiæ renovatio, & eccleſiaſticarum rerum diſtractio contingebat. Porro altaria quæ per XL. ſeu XXX. annos monaſteria poſſederunt, ſicut in ſynodo conſtitutum eſt, immota eis permanere volumus.

XXI. AD RAYMUNDUM COMITEM, AYMERICUM VICECOMITEM, clerum populumque Narbonenſem.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Narbonenſi, Raymundo videlicet comiti atque Aymerico vicecomiti cariſſimis filiis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex veteri codice MS deſcripſimus.

VEnientem ad nos reverendiſſimum fratrem noſtrum Dalmatium veſtratem archiepiſcopum debita veneratione ſuſcepimus, ejuſque probitatem & religionem jamdudum agnoſcentes ipſum dilectioni veſtræ apoſtolicæ ſeuis apicibus commendavimus. Vos itaque ei ut dilecto & catholico patri dilecti filii obedite, reverentiam & debitam ſubjectionem ut domini vicario in omnibus exhibete, decimas unicuique eccleſiæ pertinentes ex integro reddite, & quæcumque epiſcopalis juſtitiæ ſunt, integra ſibi conſervate. Quæ autem vobis ex Domino dixerit, devote ac libenter audite & obedite. Pro Chriſto enim legatione fungitur inter vos obſecrans pro Chriſto ut reconciliemini D Deo. Ipſum ergo ſicut Chriſtum audientes & honorantes mores veſtros corrigite, a vitiis abſtinete, Deo in omnibus placere curate. Si enim Deo placere ſtudueritis, paſtorem profecto Deo placentem habebitis, & ſummum pro vobis judicem interpellans niſi veſtra delicta impediant, copioſius audietur. Eis autem qui bona Narbonenſis eccleſiæ injuſte detinent & violenter auferunt, denunciamus in nomine Domini Jeſu & apoſtolica auctoritate præcipimus quatenus aut ea archiepiſcopo reddant, aut pactum cum eo tale faciant, quod ipſi debent complacere, ne bona injuſte detinendo, & auferendo terrena, & animæ incurrant periculum & bonis priventur æternis. Quod ſi noſtra præcepta contempſerint, E cum iterata ad nos querela pervenerit, nos canonum ultionem & gladium ſpiritus exeremus, obedientes vero monitis noſtris miſericordia divina cuſtodiat.

XXII. AD FROTARDUM TOMERIENSEM Abbatem.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo & reverendiſſimo fratri Frotardo Tomerienſi abbati ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex eodem.

VEnientes nuper ad nos reverendiſſimi fratres Narbonenſis ac * Barcinonenſis antiſtites ad- * Dalmatius, Bertrandus.

verſus fraternitatem tuam multum conqueſti ſunt. Narbonenſis enim eccleſias ſuas a te invaſas & excommunicatos a te receptos & in Jacenſi ſede per te ſine ſua licentia aſſerebat epiſcopum conſecratum. Mortuum quoque ſub anathemate monachos tuos extumulaſſe, & intra cœnobium tumulaſſe dicebat. Quod auditu quoque videtur horrendum. Super his omnibus ſi vera ſunt tuam religionem ei congrue ſatisfacere legati noſtri judicio, & ab invaſione eorum quæ ſunt epiſcopalis juris de cætero abſtinere, & pacem cum eo firmam habere ut dignum eſt vobis deprecamur atque præcipimus. Barcinonenſis præterea querebatur cœnobium ſancti Cucufatis quod ſui juris eſt te invadente ſublatum monachis violenter expulſis, idem etiam de cœnobio ſancti Laurentii factum adſtruxit. Quia igitur & vir talis eſt morum dignitate & pontificali gratia ut ei diſcredere non poſſimus, & tu olim nobis aliter retuliſti, cauſæ hujus judicium irretractabili ſententia terminandum legato noſtro mandavimus, & te ei judicio volumus obedire, ut neque tu, neque ille ulterius ſuper hoc ſedem apoſtolicam permittamini appellare. Præterea rogantes rogamus quemadmodum de tua ſpeciali & familiari religione confidimus, ut Narbonenſem antiſtitem ſicut proprium, & patrem ſpiritualem reſpectu ejus cujus vice fungitur reverearis & diligas.

XXIII. AD RAYNERIUM S. R. ECCLESIÆ PRESBYTERUM ET LEGATUM.

Ex eodem *Urbanus ſervus ſervorum Dei cariſſimo atque dulciſſimo fratri Raynerio ſanctæ Romanæ eccleſiæ preſbytero atque legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

POſtquam a nobis, frater cariſſime, diſceſſiſti, fratres cariſſimi noſtri * Narbonenſis & Barcinonenſis antiſtites pervenerunt ad nos juſtitiam ſedis apoſtolicæ ſuper ſuis querimoniis flagitantes in * abbatem beati Pontii. Barcinonenſis querebatur dicens ſe poſt ſuſceptum epiſcopatus officium ſub manu propria quiete cœnobium ſancti Cucufatis anno integro, ut ſpeciale ſuæ eccleſiæ beneficium poſſediſſe abbatemque inibi per ſe electum conſentiente & laudante legato Romanæ eccleſiæ Ricardo regulariter fuiſſe, quem poſtea Tomerienſis abbas una cum monachis, renitente epiſcopo, violenter monaſterio exturbavit. Porro quam diverſa his te adhuc nobiſcum poſito beati Pontii abbas retulerit tua fraternitas recognoſcit. Tuæ ergo prudentiæ intererit, cui hujuſmodi negotia in partibus illis diſcutienda & definienda commiſimus, cauſam hanc diligenter inquirere, & ita Domino donante agere ne locum juſtitia perdat, neve favore cujuslibet aut zelo in partem alteram ſupplanteris. Memor eſto conſilii quod a nobis tibi datum eſt abeunti, & conſilio religioſorum virorum communicato ſic diſponenda diſpone, ut Romana æquitas nulli ſit obloquutioni obnoxia, ſed in omnibus judicium tuum veritatem exequens diſcretionis apoſtolicæ ſemitam non relinquat. Sane his te ſuſpectum eſſe noveris quia in domo adverſarii commoraris. Et ſolent plerumque officia a rigore animos commutare. Præcipimus ergo dilectioni tuæ ne abbatis aut ullius hominis cauſa omittas quin hanc cauſam ſententia irretractabili omnino decidas, nec eorum aliquem ſuper hoc ulterius apoſtolicam ſedem appellare permittas. De eccleſia quoque beati Sylveſtri quam Salmodienſes monachi beato Rufo abſtuliſſe dicuntur, juſtum omnino & irretractabile determinato judicium. *Cætera videntur deſiderari.*

* idem qui ſupra

* Frotardum.

XXIV. DE MONASTERIO S. ÆGIDII.

XXV. DE ABBATE CORMARICENSI.

UTramque paulo poſt ſuo loco dabimus in conciliis Claromontenſi & Nemauſenſi.

XXVI. AD HUGONEM ARCH. LUGDUN.

DEcretum illud Urbani papæ II. & ſynodi Claromontanæ debemus viro eruditiſſimo Petro de Marca, præfixum diſſertationi de primatu Lugdunenſi cæteriſque primatibus.

XXVII. AD BERENGARIUM COMITEM Barcinonenſem, Ermengaudum comitem Vigellenſem, & Bernardum comitem Biſuldunenſem

IN ea agitur de reſtauratione eccleſiæ Tarraconenſis quam principibus illis viris apprime commendat. *Eam ex archivo archiepiſcopatus Tarraconenſis eduxerat vir omni mea laude major Petrus de Marca, mihique conciliiſque meis addixerat, ut docet pag. 379. appendicis ad hiſtoricam ſynopſim.* Verum qui ſuprema clariſſimi præſulis mandata ultimamque voluntatem exequi voluerit, non eſt adhuc inventus ſuper.

XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. ad Raynerium S. R. E. cardinalem & legatum, regem Alfonſum & alios.

AGit *de primatu archiepiſcopatus Toletani: eoque modo conceſſiſſe aſſerit jus illud antiſtiti Toletano, ut ſalva ſint metropolitanorum privilegia ſingulorum. Integram ex chartuario archiepiſcopi Narbonenſis nactus fuerat numquam ſat laudandus Petrus de Marca noſtroque huic operi conſecraverat, ut diſces ex eodem loco noſtræ appendicis. Solabuntur interim lectorem pauca hæc quæ Odoricus Raynaldus intexuit annalibus ſuis ad an. 1239. n. 52. & ſeqq. ubi & aliarum epiſtolarum fragmenta.*

Supplicaſti nobis, frater archiepiſcope, ut cum in regeſtis Romanorum pontificum quædam contineantur * munimenta eccleſiæ Toletanæ, illa conſcribi, & tibi tradi ſub bullæ noſtræ munimine faceremus, ne regeſtis ipſis perditis caſu fortuito, aut vetuſtate conſumptis, jus ipſius eccleſiæ contingat cum pereuntibus deperire. Nos igitur tuæ ſolicitudinis providentiam commendantes, præſentium ſignificatione teſtamur, quod in regeſtis felic. record. Urbani II. prædeceſſoris noſtri ſcriptum eſt de bonæ memoriæ Bernardo Toletano archiepiſcopo in hæc verba: Hoc tempore Toletanus archiepiſcopus Bernardus Romam ad dominum Urbanum papam veniens, ei pro epiſcoporum more juravit, & pallium & privilegium accepit, regnique Hiſpaniarum primas inſtitutus eſt. Tunc etiam in Gallicia omnis diœceſis ſancti Jacobi ab omni eſt officio excommunicata divino, quia ſancti Jacobi epiſcopus in regis carcere depoſitus fuerat; unde & hæc regi Ildefonſo epiſtola miſſa eſt.

* monimenta

Idem regi Ildefonſo Gallecia.

Duo ſunt, rex Ildefonſe, quibus principaliter mundus hic regitur, ſacerdotalis dignitas, & regalis poteſtas. Sed ſacerdotalis dignitas fili cariſſi-

riſſime, tanto poteſtatem regiam antecedit, ut de A ipſis regibus omnium rationem poſituri ſumus regi univerſorum. Quapropter paſtoralis nos cura compellit, non ſolum de minorum, ſed de majorum quoque ſalute pro viribus providere, quam paſtori vero ſuas oves reſtituere illæſas, quæ nobis commiſſæ ſunt, valeamus: Tum præcipue debemus ſaluti proſpicere, quem Chriſtianæ fidei propugnatorem & eccleſiæ Chriſtus effecit. Memento ergo, memento fili mi amantiſſime, quantam tibi gloriam divinæ tibi contulit gratia majeſtatis, & ſicut ipſe tuum præ cæteris regnum nobilitavit, ita tu ei ſtudeas præ cæteris devotius, ac familiarius deſervire. Dicit enim ipſe dominus per prophetam: Honorificantes me honorificabo: qui autem me contemnunt, erunt i- B gnobiles. Gratias itaque domino, & laboribus tuis agimus, quod de Saracenorum jure Toletana eſt eccleſia liberata. Fratrem autem Bernardum venerabilem ejuſdem urbis præſulem tuis exhortationibus invitati, digne ac reverenter excepimus, & ei pallium contradentes, privilegium quoque Toletanæ eccleſiæ antiquæ majeſtatis indulſimus. Ipſum enim in totis Hiſpaniarum regnis primatem ſtatuimus, & quidquid Toletana eccleſia antiquitus noſcitur habuiſſe, nunc quoque ex apoſtolicæ ſedis liberalitate impoſterum habere cenſuimus. Tu illum ut patrem cariſſimum exaudias, & quæque tibi ex domino nuntiaverit, obedire curato: & eccleſiam ejus temporalibus non deſiſtas auxiliis, ac beneficiis exaltare. Inter cæ- C tera vero laudum tuarum præconia pervenit ad aures noſtras, quod ſine gravi dolore audire nequivimus, epiſcopum ſcilicet ſancti Jacobi a te captum, & in captione ab epiſcopali dignitate depoſitum, quod canonibus noveris omnino contrarium, & catholicis auribus non ferendum, quod tanto nos amplius contriſtavit, quanto te ampliori affectione complectimur. Nunc tibi, rex glorioſiſſime Ildefonſe, Dei & apoſtolorum vice mandamus orantes, quatenus eundem epiſcopum ſuæ integre reſtituas per Toletanum archiepiſcopum dignitati: neque id per Riccardum cardinalem ſedis apoſtolicæ factum excuſaveris; quia & canonibus eſt omnino contrarium, & Riccardus D tunc legatione ſedis apoſtolicæ minime fungebatur. Quod ergo ille tunc geſſit quem Victor papa ſanctæ memoriæ tertius legatione privaverat, nos irritum judicamus. In remiſſionem igitur peccatorum, & ſedis apoſtolicæ obedientiam, ſuæ dignitati epiſcopo reſtituto, & ad noſtram præſentiam cum legatis tuis ipſe perveniat canonice judicandus: Sin autem, facere nos erga dilectionem tuam compelleres invitos, quod nos quoque feciſſe nollemus. Memento religioſi principis Conſtantini, qui ſacerdotum judicia nec audire voluit, indignum judicans Deos ab hominibus judicari. Audi ergo in nobis dominum & apoſtolos ejus, ſi te ab ipſis velis, & a nobis in iis, quæ poſtulaveris, exaudiri. Rex regum dominus E cor tuum gratiæ ſuæ fulgore illuſtret, victorias tibi tribuat, regnum tuum exaltet, itaque te ſemper vivere concedat, ut & temporali regno perfruaris feliciter, & æterno perenniter gratuleris. Amen.

Idem Tarraconenſi & cæteris Hiſpaniarum archiepiſcopis.

Quiſquis voluntatem gerit, ut ſibi alii ſubjiciantur, dedignari non debet; ut ipſe quoque aliis ſit ſubjectus. Hic enim ordo regiminis atque prælationis, non ſolum in terreſtri, ſed in ſuper cæleſti quoque eccleſia obſervatur rege omnium diſponente, ut ſe omnium principe alii aliis principentur. Toletanum ſiquidem archiepiſcopum privilegii noſtri auctoritate primatem in totis Hiſpaniarum regnis fore decrevimus, ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate, & metropolitanorum privilegiis ſingulorum. Si quid igitur inter vos grave contigerit, quia ab apoſtolica ſede procul eſtis, ad eum velut ad primatem veſtrum omnium recurretis ejuſque judicio quæ vobis ſunt gravia terminabitis. Quod ſi quid forte ipſius quoque judicio nequiverit definiri, ad apoſtolicam ſedem, ut dignum eſt, velut ſedium omnium principem referetur. Qui autem veſtrum ſine metropolitanis propriis ſunt, ipſi interim velut proprio ſubeſſe debebunt. Valete.

Idem Urbanus B. Tarraconenſi archiepiſcopo.

Novit dilectio tua frater in Chriſto venerabilis, quo tenore, qua conditione pallium tibi, privilegiumque conceſſerimus: quomodo nobis & tu in fide tua, & comprovinciales primates per ſcriptum promiſeritis vos in reſtitutionem Tarraconenſis eccleſiæ omnimodis inſtituros: nunc autem frequenti fama audimus veſtram illam induſtriam, veſtrum ſtudium jam ceſſare, & Tarraconenſem reſtitutionem jam pene deficere. Te igitur literis præſentibus admonemus, ut hujus boni operis perfectionis ſedulus operator exiſtas. Memineris tamen ita te archiepiſcopum inſtitutum, ut tam tu, quam univerſi provinciæ Tarraconenſis epiſcopi Toletano tanquam primati debeatis eſſe ſubjecti. Sic enim a vobis in Toletanæ eccleſiæ privilegio conſtitutum eſt, quod nos omnino ratum volumus permanere. Nunc autem multo amplius, quia ei noſtræ ſolicitudinis vices in Hiſpania univerſa, & in Narbonenſi provincia miniſtrandas injunximus. Datum VII. Kalendas Maii.

Idem Rainerio cardinali presbytero.

Veniens ad nos cum Barchinonenſi fratre noſtro venerabili epiſcopo reverendiſſimus frater noſter Narbonenſis archiepiſcopus, quem jamdudum vita & religione ſpectatum habemus, &c. inter cætera præjudicium ſibi factum de Tarraconenſium epiſcoporum ſubjectione per Romanam eccleſiam ſuppliciter intimavit, cum eos Narbonenſis Metropolis per annos quadringentos ſine alterius reclamatione poſſederit. Noſtra igitur vice in illis partibus fungens, Tarraconenſibus epiſcopis noſtra auctoritate præcipio, ut interim Narbonenſi tanquam proprio metropolitano obediant, donec præſtante domino Tarraconenſis reſtauretur eccleſia. Toletano autem ſicut primati reverentiam exhibeant, donec Narbonenſis archiepiſcopus ſe eorum primatem fuiſſe certa poſſit auctoritate monſtrare. Novit ſiquidem tua fraternitas primatem a nobis Toletanum ſic inſtitutum, ut ſalva ſint metropolitanorum privilegia cæterorum, &c.

Addemus & hic in anteceſſum quæ ſequentes quidam pontifices de eodem argumento ſcripſerunt ex iiſdem annalibus deprompta.

Hadrianus Bracharenſi archiepiſcopo.

Si quanta ſit obedientiæ virtus debita vigilantia cogitares, & quantum ipſa utilitatis afferat intenta curares ſolicitudine circumſpicere, venerabili fratri noſtro I..... Toletano archiepiſcopo,

po, ita ſtuderes debitam reverentiam exhibere, A quod tuæ devotionis ſinceritas, tam in conſpectu Dei, quem in oculis hominum commendabilis appareret. Cæterum in hoc videris & humilitatis amiſiſſe conſtantiam, & a juſtitiæ tramite deviaſſe, quod ei, neſcimus quo ſupercilio, negligis & deſpicis obedire. Ne igitur præſumptionis aut contumaciæ ulterius arguaris, mandamus, quatenus prædicto fratri noſtro Toletano archiepiſcopo, cui in toto Hiſpaniarum regno confirmavimus apoſtolica auctoritate primatum, debitam reverentiam tanquam primati tuo, & omnimodam ſubjectionem impendas. Alioquin ſuſpenſionis ſententiam, quam dilectus filius noſter Hyacinthus diaconus cardinalis * A. S. L. intermotcitur promulgaſſe, ratam & firmam habenius, & eam robur B firmitatis rerperuæ ſtatuimus obtinere Nos enim prædeceſſorum noſtrorum ſel mem. Eugenii & Anaſtaſii Romanorum pontificum veſtigiis inhærentes, ſententiam memorati filli noſtri Hyacinthi cardinalis, niſi ad præfatum archiepiſcopum cum omni humilitate accelleris & ei de cætero curaveris obedire, ab omni pontificali officio te jubemus eſſe ſuſpenſum, & omnes ſuffraganeos tuos ab obedientia perſonæ tuæ abſolvimus. Datum Beneventi XIV. Kal. Febr.

*Apoſtolicæ ſedis Legatus.

Anaſtaſius Bracharenſi archiepiſcopo.

Quanti criminis habeatur apoſtolicæ ſedis contemptus, ex propheticis verbis oſtenditur, ubi ſcri-C ptum eſt: *Peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Item beatus Gregorius de inobedientibus & apoſtolicæ ſedis mandatis dura cervice reſiſtentibus ait: Suæ ruinæ debet dolore proſterni quiſquis apoſtolicis noluerit obedire mandatis; nec locum inter ſacerdotes habeat; ſed extors a ſancto miniſterio fiat. Quam frequenter & quam diſtricte a prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ papa Eugenio fueris monitus, ut Toletano archiepiſcopo tanquam primati tuo debitam reverentiam & obedientiam exhiberes, & qualiter ei obedieris, unde etiam priuſquam mandatis ipſius obtemperares pro tua inobedientia & cervicoſitate ſecundo ſuſpenſionis ſententiam incurriſti, a tua memoria non debuit D excidiſſe. Sed ſicut venerabilis fratris noſtri I..... nunc Toletani archiepiſcopi conqueſtione accepimus, poſtquam de obitu ejuſdem prædeceſſoris noſtri certus fuiſti, obedientiam quam R. prædeceſſori ejuſdem archiepiſcopi exhibueras, ſibi deferre nullatenus voluiſti, non attendens, quod unius morte apoſtolicæ Petræ ſoliditas, nec frangitur, nec mutatur. Quocirca per præſentia tibi ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad prædictum fratrem noſtrum I..... Toletanum archiepiſcopum ſepoſita excuſatione accedas, & tanquam primati obedientiam debitam ſibi exhibeas. Quod ſi infra triginta dies poſt harum acceptionem adimplere neglexeris, extunc a pontificali officio te noveris eſſe ſuſpentum. Datum E Later. VI. Idus Aprilis.

1. Reg. 15. 23.

Subjiciuntur aliæ ejuſdem pontificis ad eundem Bracharenſem & Tarraconenſem archiepiſcopos, quibus graviſſime illos arguit, ſe a Toletani archiepiſcopi Hiſpaniarum primatis auctoritate ſubduxiſſe: Tum ad Hyacinthum diaconum cardin. in Hiſpania legatum de iis archiepiſcopis, qui Toletano ut primati parere detrectabant, ad officium revocandis.

De Compoſtellano vero hæc Anaſtaſius IV. Hyacintho cardinali.

Quoniam fratri noſtro Compoſtellano mandavimus, ut vel ei tanquam primati ſuo obediat, vel ſub tuo judicio ipſi exhibeat juſtitiæ complementum, nihilominus caritati tuæ mandamus, ut ſi idem frater noeer ambiguitatem noluerit ſubire judicii, utramque partem ante tuam præſentiam advoces, & rationibus utriuſque partis plenarie auditis & cognitis, quod æquitati & rationi congruat, inde cenieas obſervandum. Alias enim eum ſicut primati ſuo illi facias humiliter obedire.

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Joanni Toletano archiepiſcopo & Hiſpaniarum primati, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

Per præſentis privilegii paginam primatus dignitatem per Hiſpaniarum regna tibi, & eccleſiæ Toletanæ auctoritate apoſtolica confirmamus. Pallio itaque a ſede apoſtolica tuæ charitati conceſſo in miſſarum celebrationibus uti debetis tantum in præcipuis feſtivitatibus, tribus videlicet diebus in natali Domini, in epiphania, hypapante, cœna Domini, ſabbato ſancto, tribus diebus in paſcha, in aſcenſione, pentecoſte, in ſolemnitatibus ſanctæ Mariæ, ſancti quoque Michaelis, & ſancti Joannis Baptiſtæ, in omnibus natalitiis apoſtolorum, & eorum martyrum, quorum pignora in veſtra eccleſia requieſcunt, ſancti quoque Martini & Idefonſi confeſſorum, & omnium commemoratione ſanctorum, in conſecrationibus eccleſiarum, epiſcoporum, & clericorum; in annuo conſecrationis tuæ die, & in natali etiam ſanctorum Iſidori & Leandri. Primatem te præſules Hiſpaniarum recipient, & ad te, ſi quid inter eos quæſtione dignum exortum fuerit, referent, ſalva tamen in omnibus apoſtolicæ ſedis auctoritate. Verum perſonam tuam in manu noſtra propenſiori gratia retinentes cenſemus, ut ſolius Romani pontifici judicio ejus cauſa ſi qua fuerit decidatur, &c.

XXXIII. SIVE URBANI II. DECRETUM.

De controverſia Credonenſi inter monachos S. Albini & Vindocinenſes.

*Urbanus * epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis Goffrido abbati ſancti Albini Andecavenſis, & Bernoni abbati ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

*Hanc & ſequentem edidit R. P. Sirmondus in notis ad epiſt. Gaufridi abbatis Vindocinenſis.

ANno dominicæ incarnationis MXCII. pontificatus noſtri V. indictione I. cum eſſem in provincia Calabriæ apud monaſterium ſanctæ Mariæ quæ dicitur de Matina, monachi ſancti Albini, Girardus prior, Milo, Stephanus, adverſus monachos ſanctæ Trinitatis de Vindocino, Frotmundum priorem, Ingebaldum oſtiarium, qui præſentes aderant conqueſti ſunt, quod Vindocinenſes fratres eccleſiam ſancti Clementis Credonenſis, quæ a monachis ſancti Albini juſte ſecundum illorum temporum conſuetudinem acquiſita, & per triginta annos quiete & ſine interruptione poſſeſſa, violenter ablatam injuſte detinerent. Qui cum ſuis inſtrumentis & rationibus cauſam ſuam defendere niterentur; primo die proclamationis res diu & multum ventilata nullo potuit fine termi-

minari, ſecundo vero die ſimiliter multum diſcuſſa, ad nullum tamen eſt finem deducta, die autem tertio XII. ſcilicet Kalendas Decembris reſidentibus nobis in Anglone civitate Apuliæ, præſidentibus religioſis, & venerabilibus tam epiſcopis, quam ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, ſive diaconibus: adſtantibus etiam nobilibus Romanis & comitibus Apuliæ glorioſiſſimis, Boamunte & Guillelmo; re iterum diu, & multum inquiſita, tandem inſpirante Deo lucidius eluxit, in quam potius partem juſtitia declinaret, cum enim utraque pars ſuis nobis allegationibus obviaret, & hinc pactionem abbatum, confirmationem pontificum, Romanæ eccleſiæ legatorum; illinc vero legitimum introitum, & canonicam triginta annorum poſſeſſionem nobis opponerent: Nos qui omnium fidelium cauſas æqua lance penſare debemus, utriuſque utilitati providentes, ipſam litem concordiæ convenientis æquitate decidere maluimus. Omnes igitur qui nobiſcum aderant hanc ſententiam collaudantes, conſentientibus prædictis utriuſque cœnobii fratribus, & in manus noſtras fidem pollicendo firmantibus, concordia & pax inter eos hoc modo poſita eſt; ut ſcilicet Vindocinenſes monachi de his tribus eccleſiis, aut eccleſiam Manitilium vel ſancti Saturnini, ſive ſancti Joannis ſupra Ligerim, unam quam congregatio tota ſanctæ Trinitatis elegerit, cum omnibus, quæ ad eandem eccleſiam tam mobilibus quam immobilibus interius, exteriuſque ad præſens pertinent, infra dies triginta poſtquam domum redierint, monaſterio ſancti Albini in perpetuum tradant. Fratres itaque S. Albini omnem litem, omnemque calumniam ex cauſa hac in manus noſtras, & Vindocinenſium fratrum refutarunt: Vindocinenſes vero unam ſupradictarum eccleſiarum in manus noſtras reddiderunt, & per nos eoſdem monachos inveſtierunt. Præſenti igitur auctoritate fraternitatem veſtram admonemus, & præcipimus, ut hoc pactum a nobis intentione pacis & quietis diſpoſitum, & ſtatutum, omni tempore deinceps ratum & inconcuſſum teneatis & obſervetis. Quæcumque autem pars hanc noſtræ deciſionis ſententiam non ſuſceperit, vel tranſgredi præſumpſerit, tam canonum ſeveritati ſubjaceat, quam legitimæ compoſitionis pœnam, id eſt auri centum librarum ſuſtineat, & a cauſa penitus cadat. Data Tarenti VIII. Kal. Decemb.

XXXIV. AD GUILLELMUM AQUITANIÆ DUCEM.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Guillelmo Pictavienſium comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SÆpe tuam indolem commonuimus, ut egregii principis patris tui devotionem atque prudentiam imiteris. Ipſe principatus ſui eccleſias devotiſſime coluit, plures rebus ſuis ditavit; novas etiam a fundamentis extruxit. De te vero miramur: qui cum aliis bonis ſtudiis, quantum ad militem polleas, in hoc a patris tui probitate degenerare perhiberis, quod eccleſiarum jura perturbes, & quas ille fundavit expolies. Pervenit ad nos, quod monaſterio Vindocinenſi eccleſiam B. Georgii in Oleronis inſula ſitam cum quadam optima terra abſtuleris. Te itaque, cariſſime fili, præſentibus literis admonemus, ut ſicut ſanctorum apoſtolorum & noſtram gratiam diligis, eccleſiam illam & cætera quæ Vindocinenſibus monachis abſtuliſti in eorum poteſtatem omnino reſtituas. Res enim eorum parentum tuorum clemoſynæ ſunt & apoſtolicæ ſedis alodium. Quod; ſi infra dies triginta viſis his literis quod mandamus adimplere contempſeris, & indignationem noſtram * incutriſti & apoſtolicæ ſedis anathemate te percuſſum indubitanter agnoſcas. M[illegible]rium Vindocinenſe & res ad ipſum pertinentes ita apoſtolica auctoritate corroboratæ noſcuntur, ut ſi quid inde ablatum vel diſtractum a quoquam fuerit, a prædeceſſoribus noſtris excommunicatum non dubites: & quem beati illi viri excommunicaverunt non poſſumus ſolvere, nec debemus: ſed quod fecerunt, nos eadem auctoritate firmamus. Datum Romæ II. Kalendas Aprilis.

* Forte in[illegible]

XXXV. AD RAYNOLDUM ARCHIEPISC. Remenſem, & ſuffraganeos ejus.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus confratribus & coepiſcopis Raynaldo Remenſi, & ſuffraganeis ejus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex Pag. 137. tom. V Spicilegii Dacherianii hæc & ſeq.

SI ſacerdotale quod geritis officium conſideratione debita penſaretis, tanti facinoris infamia ad aures noſtras ſaltem impunita non perveniſſet. Cum enim Domui Iſrael ſpeculatores a Deo dati, impiis impietates ſuas annunciare, & pro domo Iſrael murum opponere deberetis, qualibet ratione vos pati potuiſſe miramur, ut tam inclyti regni rex humani pudoris oblitus, divini timoris immemor, contra jus, contra fas, contra legum & canonum ſanctiones contra totius catholicæ eccleſiæ conſuetudines, & ſuam uxorem inordinate relinqueret, & propinqui ſui conjugem amore ſibi nefario copularet. Quod factum utique & regni totius confuſionem, & eccleſiarum veſtrarum diſſipationem portendit, & ad animam veſtram redundat infamia. Peccanti enim, cum poſſis, non contradicere, conſentire eſt. Te autem, cariſſime confrater Raynoldo, noxa hæc maxime impetit, pro eo quod Sylvanectenſis ſubjectus tibi epiſcopus, hoc puolici adulterii crimen, ſuo, ut audivimus, firmavit aſſenſu, cum mœchis illis benedictionis ſacerdotalis manum impoſuit. Quod & ſi licite nuberent, bigamus tamen impendi ſecundum canones non liceret: Nunc igitur vobis apoſtolica auctoritate præcipimus, ut his viſis apicibus, quod etiam non jubentibus nobis jamdudum feciſſe veſtram prudentiam decuiſſet, mature convenire curetis regem, & ex Dei, & noſtra pariter & veſtra parte inſtanter commoneatis, arguatis, obſecretis, increpetis, & a tanto, tamque horrendo facinore deſiſtere compellatis. Quod ſi contempſerit, & nobis & vobis neceſſitas imminebit, ut ad ulciſcendas divinæ legis injurias pro noſtri officii debito accingamur, & Phinees gladio Madianitas adulteros perforemus.

Eandem quoque inſtantiam pro ereptione confratris noſtri Carnotenſis epiſcopi adhibete. Quod ſi monitis veſtris, qui eum cœpit, obtemperare contempſerit, vos & ipſum excommunicationi ſubjicite, & caſtellis in quibuſcumque eum retinuerit, & terræ ejus divinum officium interdicite, ne ſimilia deinceps in viris hujus ordinis præſumantur. Ut ordinem veſtrum diligitis, ita hoc accelerare omnibus modis ſatagetis. Valete.

Data ſexto Kalendas Novembris, anno videlicet Dei Chriſti MXCII.

XXXVI

XXXVI. AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS FRANCIÆ.

Urbanus episcopus servus servorum Dei carissimis in Christo fratribus Manassæ Remensi archiepiscopo, & cæteris per Franciam tam archiepiscopis quam episcopis, salutem & apostolicam benedictionem.

CAriſſimi filii noſtri Philippi Francorum regis nuntius ad ſedem apoſtolicam veniens, debitæ humilitatis literas, ac devotionis attulit verba: atque de illius mulieris culpa, pro qua venerabilis confrater noſter Lugdunenſis archiepiſcopus interdictionis in ipſum ſententiam protulerat, ſecundum fratrum noſtrorum conſilium ſatisfecit. Juravit enim quod idem rex mulierem illam poſtquam in manu noſtra, immo per nos in B. Petri manu reſtituit, nunquam eam carnaliter habuerit. Poſtea vero cum confratribus noſtris conſilium habentes, ſtatuimus, ut rex de epiſcopis, & regni ſui primatibus uſque ad feſtivitatem omnium ſanctorum aliquot ad nos dirigat, qui hoc ipſum quod nuncius ejus juravit, debeant affirmare: Ejuſmodi igitur per legatum ipſius ſatisfactione accepta, eundem filium noſtrum regem ab interdictionis, quæ pro hac cauſa in eum prolata fuerat, vinculo abſolvimus, & uti pro more ſui regni corona auctoritatem ei præbuimus.

Data Lateram VIII. Kalendas Maii.

Raynoldi archiepiſcopi ad electum Atrebatenſem Lambertum

Raynoldus Dei gratia Remorum archiepiſcopus dilectiſſimo confratri & conſacerdoti ſuo Lamberto, ſalutem & benedictionem in Domino Jeſu.

An. Chr. 1093 Literas quas nobis pro conſecratione tua dominus papa direxit, ſuſcepimus, ſed & earum quæ tibi directæ ſunt exemplar audivimus. Quas cum perlegiſſemus, & coepiſcopo noſtro Sueſſionenſi eas tranſmiſimus, & ut ipſe cæteris ſuffraganeis tranſmitteret præcepimus: quatenus ab eis accepto conſilio, tuæ fraternitati reſpondeamus; Ideoque tibi uſque ad octavas S. Andreæ aliquem legatum tuum ad nos deleges mandamus, per quem tuæ dilectioni reſcribamus quid ſuper omnibus illis, quæ de te dominus papa injunxit, acturi ſumus. Valete.

* ad Atrebatenſes hæc proxime referenda. Nos * vero die ſtatuto legatos noſtros ei miſimus, ſed nec terminum certum conſecrationis, nec ejus literas accepimus, tamen nos a cœpto opere deſiſtere recuſavimus. Electum noſtrum cum his ſubjunctis literis miſimus ipſi.

Atrebatenſium ad Raynoldum archiepiſcopum Remenſem.

Dilecto & in veritate diligendo & honorando patri ac domino Raynoldo Dei ordinatione Remorum archiepiſcopo, clerus & populus Atrebatenſis eccleſiæ, cum Lamberto, & ſi inutili ſanctitatis ſuæ ſervo, veram dilectionem cum orationibus & obedientia.

Veſtræ excellentiæ dignitati multiplices referimus gratias, quia hactenus nobis gratanter ut pius pater juvamen exhibuiſtis, & benignum vos erga nos in cunctis cauſæ noſtræ fore promiſiſtis. Sed paternitatem veſtram miramur plurimum in calce noſtri negotii infrigidatam exiſtere, cum infra terminum ab apoſtolico veſtræ magnificentiæ A electi noſtri conſecrationis injunctum, nec ſolemniter literis veſtris, ut arbitrabamur, ad conſecrationem electum noſtrum vocaſtis; nec diem certum infra terminum deſignaſtis. Nunc autem cum conſecratio deinceps infra triennalem metam nequit fieri, ſaltem literas veſtræ auctoritatis, quæ apoſtolico deferantur, ut ipſe juſſit, pro conſecratione noſtri electi nobis dare velitis, plurima pace precamur. Vale.

Raynoldi ad Urbanum papam.

Domino & reverendiſſimo S. & apoſtolicæ ſedis Urbano, Raynoldus licet indignus Dei gratia Remorum archiepiſcopus, ſalutis, obſequii, debitæque ſubjectionis munus uberrimum in domino.

Poſt directas primum nobis a paternitate veſtra literas, placuit veſtro, ſereniſſime pater, apoſtolatui, ut iterum nobis alias dirigeretis, præcepto præcipientes, quatenus infra triginta dierum ſpacium, poſtquam veſtras literas videremus, Atrebatenſis eccleſiæ electum in epiſcopum conſecrare non differremus. Addit & hoc ſolertia veſtra, ut ſi aliqua nobis occurreret cauſa, qua illud minus aggredi formidaremus, eum vobis cum literarum noſtrarum adſtipulatione conſecrandum dirigeremus. Suſceptis igitur hujus veſtræ præceptionis apicibus, ne quid inconſultis coepiſcopis noſtris & conſacerdotibus præſumeremus, cum conſtet utique tam ex eorumdem, quam ex noſtra auctoritate eandem pendere conſecrationem, mandatorum veſtrorum ſchedulam ad univerſos quos potuimus, direximus, ſingulorumque ſciſcitati ſumus ſententiam, quatenus illud nobis ſuper hac re conſilium providerent, quod nec veſtræ obeditioni adverſaretur, & ex quo Remenſis eccleſiæ dignitas non imminueretur. Itaque hæc omnium & epiſcoporum, & clericorum noſtrorum una vox fuit & ſententia, ut nos quidem ab illius electi conſecratione manum ſuſpenderemus, ſed eum vobis, cum hoc veſtræ præciperent literæ, tranſmitteremus, & quidquid inde altitudinis veſtræ ſolertia faciendum decerneret, arbitrio veſtro relinqueremus. Timuerunt enim, & timent, ne Cameracenſes ex hoc facto accepta occaſione, ſe ab Remenſi eccleſia abrumperent, cum & civitas eorum alterius regni habeatur, & regni cujus rex nobis & eccleſiæ Rom. jam ex longo tempore inimicatur. Addiderunt etiam damnoſam admodum fieri commutationem, ſi dum Remenſis eccleſia Atrebati epiſcopum fieri conſentiret, Cameracum quæ ſexies quam Atrebatum, & continentior, & locupletior eſt, amitteret. Obſecramus ergo excellentiam veſtram, pater ſanctiſſime, obſecrant & epiſcopi & clerici noſtri, quatenus vos, qui in arce & in ſpecula omnium eccleſiarum præſidetis, negotium ita temperetis, ut nec quiſquam, (quod abſit) decretorum veſtrorum inde diſpoſitionem reprehendat, nec Remenſis eccleſia ullam dignitatis jacturam veſtris temporibus ſuſtineat. Nos tamen qui veſtris obſecundandum deliberationibus perpetuo propoſuimus, quæcumque ſit ratio, quicumque ſit modus conſecrationis, ubi eum dignitas veſtra conſecrarit, conſecratum benigne ſuſcipiemus, ſuſceptumque, ſicut epiſcopum, & ſuffraganeum noſtrum deinceps honorabimus. Cæterum veſtram noſſe volumus celſitudinem, nos nequaquam rem hanc ideo tandiu diſtuliſſe, ut aut veſtris unquam juſſionibus obſiſtere enitamur, aut ut domino illi in aliquo derogemus. Eum non hoc dumtaxat honore dignum eſſe cenſemus, ſed cujuſvis alterius promotionis apicem

Anno Chr. 1093

ei

ei merito conferendum adjudicamus. Valeat beatitudo veſtra incolumis in domino.

Atrebatenſium ad Urbanum papam.

Urbano Dei gratia papæ, zelo boni ferventiſſimo, ac eccleſiarum reſtauratori excellentiſſimo, eccleſia Atrebatenſis ſummatim reſpirans, depulſo jugo indebitæ ſervitutis, vigere, viveréque perenniter in Chriſto cum orationum & obedientiæ munere.

Ad Chriſtop. Sanctitatis veſtræ paternitati prædicabili agimus quamplures gratias, & licet quaterno itinere fatigati, virtutem tamen in vobis perſeverantiæ, & exrollimus & ampleſtimur, quoniam in reſtitutione eccleſiæ noſtræ non invenitur in vobis, eſt B & non, ſed ſpiritu ſancto innuente viſitati a vobis antiquæ donamur libertati, & propriæ diœceſis jura mancipamus. * Omne igitur collegium perfectorum, quia ſoſpitas recuperata vivi commembri fit gaudium totius corporis Chriſti. Sicut autem juſſit veſtra ſublimitas, literas veſtras de noſtri electi conſecratione archiepiſcopo tradidimus, eundemque electum infra tricennalem terminum a veſtra auctoritate conſtitutum præſentamus. Quod vero eum conſecrare diſtulerit, non ipſius negligentiæ, ſed Dei (a quo omnis poteſtas) ordinationi attribuimus: quas tamen dilationis protulerit cauſas, fratribus referentibus, ſeriatim ſcietis. Nunc ergo cum ad veſtram excellentiam cum paucis fratribus pro temporis an- C guſtia, periculorum inſtantia, rerum quoque diu afflictæ eccleſiæ penuria, tranſmittimus conſecrandum, obnixe pro Chriſto & in Chriſto ſupplicantes, ut ſublimatus pontificali infula nobis indilate remittatur noſter Lambertus, quia nobis plurimum eſt neceſſarius exiſtens animarum noſtrarum peritiſſimus medicus. Hinc etiam ſanctitatem veſtram affluentem miſericordia precamur, quo ſervulis veſtris hoc privilegii velitis dare, ne deinceps quibuslibet forte proclamationem excitantibus hujus canonicæ incardinationis debeamus reſpondere, quoniam quod ſemel conſtat bene diffinitum, perpetualiter debet manere inconvulſum; ſimulque præcipiat auctoritas veſtra ut diviſio duorum regnorum, Francorum ſcilicet, & D Teutonicorum, ſit epiſcopatus noſtri meta, ſicut antiquis temporibus fuiſſe per ſucceſſorum relationem & alia indicia cognovimus; ne aliquando lis inde oriatur, vel nefas diſcordiæ efficiatur. Decet namque ſanctitatem veſtram ad finem uſque bonum perducere, quod conſtat vos laudabiliter incœpiſſe.

Gaudet ergo igitur. H.

Quæ acta ſunt Romæ, in conſecratione Lamberti, narrantur.

Atrebatenſis itaque electus ex obedientia domini papæ, & ſi non multum rationali invitatione domini Raynaldi metropolitani ſui ad conſecrationem vocatus, tamen ne arrogantiæ, aut injuſtitiæ aſcriberetur, 16. Kalendas Januarii, quæ tunc dies dominica habebatur Remis ſe archiepiſcopo præſentavit juxta tenorem & terminum ſibi a domino papa conſtitutum: archiepiſcopus vero accepto aſtutiori quam prudentiori conſilio, electum Atrebatenſem cum adſtipulatione, & ſuarum & Atrebatenſis eccleſiæ ...erarum miſit Romam ad domnum papam. Igitur Atrabatenſis electus, & dominus Odo cantor, & Achardus magiſter ſcholarum, & Drogo Albiniacenſis præpoſitus, cum ſervientibus ſuis: decimo nono Calendas Januarii, quæ tunc vigilia natalis Domini erat, urbem Remorum egreditur, & apud Urbem Cathalaunorum in monaſterium omnium ſanctorum domno Odone venerabili abbate canonicorum ibidem communiter viventium, honeſte colligitur, & in natali B. protomartyris Stephani per fratrem Nevelonem prædicti monaſterii ſacerdotem & canonicum uſque Trecas urbem conducitur: & licet apud Trecas cum periculo & timore ſit demoratus, pro odio Philippi regis Francorum, Roberti comitis Flandriæ, tamen Deo miſerante, uſque Moliſmum in terram Odonis ducis cum pace pervenit, ibique domnum Gualterium, Duacenſem aliquando caſtellanum, virum religioſum, licet laicum expectavit. Lætificatus tandem & conſolatus ex adventu domini Gualterii Duacenſis, laborem viarum & difficultatem aggreditur, & apud Divionem, memorabile ducis Burgundiæ caſtellum, propter recreandos & equos, & equites ſuos, per duos hoſpitatus eſt dies; Cum autem demoraretur, ſupervenit lucerna ardens ibi & lucens in domo domini, laudabiliter honorabilis, & honorabiliter laudabilis dominus Hugo Lugdunenſis primas, & apoſtolicæ ſedis legatus. Cognita Atrebatenſis electi cauſa, venerabilis prædictus primas & apoſtolicæ ſedis legatus domnus Hugo, ipſum electum & omnes ſuos ſecum per magni nominis & religionis virum domnum abbatem Cluniacenſem amicum & æquivocum ſuum deduxit, & apud Lugdunum per tex dies pro nimia aquarum inundantia, & hyemis aſperitate detinuit, & quæque neceſſaria abunde ſubminiſtravit.

Accepta tandem tanti pontificis benedictione, Atrebatenſis electus, & conviatores ſui ſecuri iter arripiunt, & poſt multa viarum & hyemis diſcrimina, porticum B. Petri apoſtolorum principis, feria ſexta ante dominicam, *Eſto mihi in Deum protectorem*, ingrediuntur. Ne autem a Guibertinis aliqua illis inferretur injuria, ſubſequenti ſabbato ſummo in mane, domno Urbano papæ ſuum præmittunt electum, Romæ apud ſanctam Mariam novam tunc commoranti. Ad pedes autem domini papæ Urbani electus ſe proſternens, cum lacrymis petiit a domno papa ſe ab illa electione abſolvi dicens ſe non eſſe idoneum, nec debere vocari ad tam importabile ſibi onus, tum pro infeſtatione Henrici excommunicati imperatoris, ad cujus imperium Cameracus hactenus pertinebat, tum pro infeſtatione clericorum & laicorum Cameracenſium, divitum, potentum, & ſecundum ſæculum valde ſapientium; necnon etiam pro nimia vaſtatione & paupertate rerum & * religionis Atrebatenſis eccleſiæ. Beatiſſimus vero papa facta abſolutione, & data benedictione, ſicut mos eſt apoſtolicæ ſedis, ſuſcepit eum oſculo ſancto, & flocci pendens hæc omnia, dixit ei, frater, *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, & cætera verba confortantia, quæ ad plenum nunc memoriæ non occurrunt. Ad ultimum ſubjecit: Eſne, E frater, hoſpitatus, & ubi ſunt comperegrini tui? reſpondit: nondum ſum hoſpitatus, ſed ſocios meos apud beatum Petrum in porticu dimiſi. Hoc audiens papa ſtatim præcepit adeſſe domnum Elaibertum Piſanum archiepiſcopum, & ait illi; Hunc fratrem noſtrum Lambertum Atrebatenſem electum in hoſpitium collige, & qualiter ſui & ſua de porticu S. Petri ad nos cum ſecuritate deducantur; Tu & Petrus Leonis quantocius providete. Quod & factum eſt.

* Forte, re. gimen. H.

Cum autem opportunitatem ſibi & locum loquendi domnus papa mandavit, iterum ſicut & prius proſtravit ſe ad pedes ejus rogans eum qua-

tenus propter Deum ab hac ſibi impoſita electione abſolveret; ſed domnus papa nec huic petitioni aſſenſit; ſed & prædicti canonici, & qui cum eo Romam venerant, domnum papam inſtanter exorant, ut eorum & eccleſiæ ſuæ miſereatur, & electum ſuum conſecrare non differat: accepto dominus papa conſilio, die ſtatuto, abſente electo, in præſentia epiſcoporum & cardinalium ſuorum, & Romanorum, & fecit recitare omnem Atrebatenſis eccleſiæ actionem. Quam Romani audientes petierunt, ut ſibi Oſtienſis ordinaretur epiſcopus. Domnus vero papa ſicut prudens vir, ne novella Atrebatenſis eccleſiæ plantatio eradicaretur, Romanorum preces in hac parte non ſuſcepit, ſed poſt aliquot dies ſecreto alloquitur ſæpe dictum electum Atrebatenſem, & in nomine Domini, & ex parte B. Petri præcepit ei obedientiam ſubire in remiſſionem peccatorum ſuorum. Ille tandem acquieſcens divinæ ordinationi & apoſtolicæ obeditioni, conſecratur in epiſcopum Romæ apud ſanctam Mariam novam a ſæpius jam dicto apoſtolico Urbano, anno Dei Chriſti 1093. 14. Calend. Aprilis, quæ tunc dominica *Lætare Hieruſalem* habebatur, ſub teſtimonio venerabilium epiſcoporum Joannis Tuſculani, Humbaldi Sabiniani, Joannis Portuenſis, Brunonis Signenſis, domni quoque Elaiberti Pitanorum archiepiſcopi & cardinalium presbyterorum, & maximæ multitudinis Romanorum.

Auctor hic fruſtratus eſt more veteri Gallico Nativitate annum Juliæum anno dominicæ incarnationis ducendo. A. & dies ep. Martii indicens a dominica quadrageſimæ quadrageſima dicitur Lætare, quod tunc obſervandum ac lectores abierrent.

Confirmatus autem Atrebatenſis epiſcopus, ſicut canonicum eſt, privilegio & auctoritate literarum apoſtolicæ ſedis, præmiſit Drogonem cum quibuſdam ſociis ſuis, poſtmodum Odonem cantorem, & Achardum magiſtrum ſcholarum. Ipſe vero aſſociatus domno Radulpho Turonenſi archiepiſcopo, retento ſecum Gualtero Duacenſi, in feria ſexta de dominica, *Quaſi modo geniti*, Roma egreditur, & apud Oſtiam mare intrat, & poſt aliqua tempeſtuoſa pericula portum Piſanum deſideratum occupant; & inde Odonem cantorem & Gualterium Duacenſem præmittunt. Ibi invento Auxienſi archiepiſcopo Petro, rurſum Turonenſis archiepiſcopus, & Atrebatenſis epiſcopus mare intrant, & apud Januam anchoram figunt. Dimiſſo ibi Auxienſi archiepiſcopo, Turonenſis & Atrebatenſis comperegrini apud Cluſam Longobardorum aſſociati conviatoribus Odone cantore & Gualterio Duacenſi, uſque Lugdunum proſpere perveniunt, ibique diſcedunt. Et ſic, Deo miſerante, domnus Lambertus in die pentecoſtes a clericis & civibus Atrebatenſibus devote ſuſcipitur, & ante horam tertiam in pontificali ſede per auctoritatem B. Petri, & obedientiam Romanæ eccleſiæ inthronizatur.

Lamberti ad Raynoldum archiepiſcopum Remenſem.

Reverendo patri ac domino ſuo Raynoldo, Dei gratia Remorum archiepiſcopo, Lambertus ſanctæ Atrebatenſis ſedis ſervus inutilis, cum debita ſubjectionis reverentia; quod oculus non vidit, & in cor hominis non aſcendit.

Cum paternitati veſtræ quantocius potuimus literas domini papæ Urbani, noſtras quoque noſtri impedimenti cauſas continentes, mittere ſtuduerimus, valde durum nobis videtur, quod neque ex tenore literarum domini papæ, neque ex ſupplicatione literarum noſtrarum, aliquid nobis reſcribere placuit, ſed per abbatem Hamericum Aquicinenſem, quod manſuetudinem veſtram non decuiſſet, literas nobis delegaſtis, in quibus nos præoccupatorem ſedis Atrebatenſis nominaſtis, & ne abbates ad obedientiam eccleſiæ noſtræ, ſecundum quod miſſæ eis a domino papa literæ præcipiunt, commonerem, mandaſtis nos vero rurſus per communem filium veſtræ & noſtræ eccleſiæ domnum Hugonem S. Dionyſii abbatem cauſas, impoſſibilitatis noſtræ veniendi ad vos inpræſentiarum, diſcretioni veſtræ intimare ſtuduimus. Sed ſuper his omnibus, nec primo nec ſecundo aliquid ex affectu pietatis, nec alicujus compaſſionis legationem veſtram ſuſcipere potuimus, ſed per monachos Marcienſes pro cauſa domini Alardi archidiaconi, & pro excommunicato in aſſultu eccleſiæ, ſine confeſſione & viatico defuncto, quamquam vobis aliter relatum ſit, literas direxiſtis, in quibus nos quaſi contemptorem Remenſis eccleſiæ inſinuare voluiſtis; quanquam non lateat prudentiam veſtram, nos hanc ſedem non præoccupaſſe, ſed coactos, & conſtrictos, & apoſtolicæ auctoritatis obedientia eandem ſedem obtinuiſſe. Ne autem quaſi contemptor ſanctæ Remenſis eccleſiæ videar, in oculis miſericordiæ veſtræ, hos fratres noſtros in perſona & verbo noſtro, pro excuſatione noſtra ſatisfacturos tranſmittimus. Precamur itaque clementiam veſtram, ut per præſentes fratres noſtros, tum pro caritate Spiritus ſancti, tum pro dilectione & reverentia domini papæ, noſtram profeſſionem interim ſuſcipiatis, conſimile opus miſericordiæ nobiſcum facientes, quod in apoſtolica benevolentia tempore veſtræ profeſſionis contecuti eſtis. Cum autem Deo miſerante ad vos profitendi facultas attributa fuerit, quod nunc per fratres noſtros facimus, tunc, Deo volente, in propria perſona nos facturos profitemur. Exoramus etiam paternitatem veſtram, ut literas domini papæ, quemadmodum nobis ſcripſit, veſtris ſuffragiis proſequamini. Domnum Alardum archidiaconum, & abbates, & cauſas eorum intuitu veſtri amoris, ſi literis domni papæ obedierint, benigne tractabimus. Bene valete in domino ſemper, reverende pater & domine.

Lamberti ad clericos Remenſis eccleſiæ.

Reverendis patribus domino Manaſſi præpoſito, L. decano, cum omni capitulo ſanctæ Remenſis eccleſiæ, Lambertus Atrebatenſis ſedis ſervus inutilis ſeipſum, & æternam in domino Deo ſalutem. Cum ſciamus non latere diligentiam veſtram, quod quantocius potuimus domino archiepiſcopo literas domini papæ Urbani ſibi & ſuffraganeis ſuis pro me miſſas, per domnum Lambertum monachum virum religioſum miſerim; literas quoque impedimenti mei veniendi ad ſanctam ſedem Remenſem non præterniſerim; poſtmodum vero per domnum Hugonem abbatem S. Dionyſii excuſationes canonicas mandaverim: ſatis miror quod necdum aliquid conſolationis aut pietatis nec ab ipſo, nec a vobis ſuſcipere meruerim, ſed me præoccupatorem ſedis Atrebatenſis, & quaſi contemptorem ſanctæ Remenſis eccleſiæ per abbatem Aquicinenſem, & per monachos Marcienſes vos nominare complacuit. Sed novit dominus cujus oculis ſunt nuda & aperta omnia, inſuper apoſtolica ſedes, quam rogatus, quam coactus, imo apoſtolicæ obedientiæ ligatus prædictæ Atrebatenſi ſedi deſervire compulſus fuerim. De quaſi contemptu autem veniendi apud ſanctam Remenſem ſedem, unde placuit domino archiepiſcopo nos arguere, ſatisfacere per præſentes fratres noſtros vobis paratus, noſtis enim & inopiam rerum ſedis noſtræ, & difficultatem viarum, & tempeſtatem bellorum, & odium Cameracenſium in nos, & quorumdam aliorum in via

poli-

poſitorum proſtratus itaque ſanctitatis veſtræ pedibus, ut me in verbo veritatis audiatis, & excuſatum me habere velitis, ſuppliciter exoramus, atque domino archiepiſcopo ſuggerere velitis, ut ſuper nos, & ſuper eccleſiam nobis commiſſa viſcera miſericordiæ ſuæ aperiens, ſecundum tenorem literarum a domino papa ſibi miſſarum, eodem literas ſuis ſuffraganeis proſequatur. Ut autem omnem occaſionem contemptus a vobis removeatis, profeſſionem noſtram per hos fratres noſtros præſentamus, eandem facturi, cum ad vos, Deo miſerante, cum ſalute advenire poterimus.

Rainoldo ad Robertum Flandriæ comitem.

Rainoldus gratia Dei Remorum archiepiſcopus, glorioſiſſimo principi domino Roberto Flandrenſium comiti, ſalutis & benedictionis ubertatem in domino. Dilectionis veſtræ literas benigne ſuſcepimus, ſuſceptaſque gratanter perlegimus. Quoniam itaque in ipſis ut nobis quid animi ſuper ordinatione dilectiſſimi fratris noſtri Lamberti Atrebatenſis epiſcopi haberemus rogaſtis, vellemus remandare; nolumus lateat cariſſimam nobis prudentiam veſtram nos ipſum plurimis diebus, ut quod de eo agendum erat, legitime & epiſcoporum noſtrorum conſilio fieret, detinuiſſe, ad ultimum in concilio quod Remis cum coarchiepiſcopis & epiſcopis noſtris, atque principibus multis xv. Calendas Octobris habuimus, juxta domini papæ Urbani præcepta, quibus inobedire nefas eſt, conſilio & aſſenſu coepiſcoporum noſtrorum more eccleſiaſtico illius profeſſionem ſuſcepimus, ejuſque conſecrationem confirmantes, confirmavimus. Unde veſtræ mandamus ſollicitudini, quatenus eundem modo cum debito honore, cum debita reverentia ſuſcipiatis, ejuſque laboribus publice & privatim pro amore Dei communicetis, ſed & in quantum eccleſiaſtica permittit ratio, ei, ut paſtori veſtro, obediatis. Valete.

Raynoldi archiepiſcopi Remenſis, Lamberto Atrebatenſi epiſcopo.

Raynoldus Dei gratia Remorum archiepiſcopus dilectiſſimo confratri & conſacerdoti ſuo, dom. Lamberto Atrebatenſi epiſcopo, ſalutem & benedictionem in domino Jeſu.

Dilectioni veſtræ inſinuandum dignum duximus, nos nuperrime domini papæ Urbani epiſtolam ſuſcepiſſe, & ab eo, ut veſtra convocata fraternitate circa medium Februarii proximi ad concilium, quod intra Tuſciam vel Longobardiam tunc temporis celebraturus eſt, præſentiam ejus accedere curemus, ſolicitudinem veſtram monitam eſſe. Et nos igitur ad ipſius monitionem veſtram monemus fraternitatem, quatenus circa prædictum terminum veſtram ipſi præſentiam, cum omnibus abbatibus veſtris, ad ipſum concilium exhibere curetis. Vale.

Fuit celebratum apud Placentiam circa medium quadrageſim.

Ejuſdem Lamberto epiſcopo Atrebatenſi.

Raynoldus Dei gratia Remorum archiepiſcopus dilectiſſimo fratri & conſacerdoti ſuo Lamberto Atrebatenſium epiſcopo ſalutem & benedictionem in domino Jeſu.

Dilectiſſimam nobis fraternitatem veſtram ignorare nolumus, quoniam domini papæ Urbani epiſtolam nuperrime ſuſcepimus, quod nos ut ad concilium quod in octavio S. Martini, quartodecimo videlicet Calendas Decembris, apud Arverenſem, quæ & Clarimontis dicitur, eccleſiam celebraturus eſt, accederemus præſentialiter, præmonuit, & ut omnes noſtræ metropolis ſuffraganeos convocatis tam abbatibus quam cæteris eccleſiarum primoribus, ſed & excellentioribus principibus ad ipſum concilium invitaremus præcepit. Et nos tanc apoſtolicæ monitioni obviam, quod nefas eſt, incedere nolentes, concilium quod in octavio omnium ſanctorum inſumpteramus propter hoc, ut juſtum eſt, dimittendum dignum putavimus. Veſtram ergo ſolicitudinem literis præſentibus monemus, quatenus omni occaſione ſepoſita, veſtram ad idem concilium exhibere præſentiam, & ut prædictum eſt, & abbates & cæterarum eccleſiarum veſtrarum primores, & diœceſeos veſtræ principes, & maxime Balduinum comitem de montibus monere curetis, multi autem vel inopiæ, vel alicujus neceſſitatis occaſio, quin veniat, præbeat audaciam; cum nos niſi perſonas non ingenti quidem famulorum caterva ſtipatas requiramus. Quicumque autem poſt hanc admonitionem noſtram ſe ab hoc concilio abſtentaverit, noverit proculdubio, quoniam & ordinis ſui periculum incurret, & domini papæ iram, nec impune quidem theſaurizabit. Vale.

XXXVII. *Ad Lambertum Atrebatenſem epiſcopum*

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri Lamberto Atrebatenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Noverit dilectio tua nos in proximo Novembri, in octavio videlicet S. Martini apud Clarummontem, annuente domino, ſynodale concilium ſtatuiſſe, ad quod tuam providentiam invitamus, ut omni occaſione ſepoſita, ſtatuto in tempore, prædicto in loco, non omittat occurrere. Noveris præterea Cameracenſem epiſcopum miſſis ad nos literis ac nuntiis pro Atrebatenſi eccleſia vehementer interpellaſſe, dicentem, ſe & eccleſiam ſuam Romanis privilegiis eſſe munitam, unde oportet prudentiam tuam ad hujus negotii reſponſionem paratam cum tuis clericis convenire.

Data apud Anicium XVIII. Kal. Auguſti.

Narratio quomodo Lambertus ad concilium Claromontenſe proficiſcens in itinere capitur.

Taliter itaque Lambertus Atrebatenſ. epiſc. ad Claromont. concil. domini papæ Urbani invitatus proficiſcitur, die natalis apoſtolorum Simonis & Judæ, quæ tunc dies dominica habebatur, & cum eo domnus Clarembaldus archidiaconus ſuus, & venerabiles domnus Aloldus S. Vedaſti, & domnus Hamericus Aquicinenſis abbates, domnus quoque Gualbertus præpoſitus, Odo cantor, Achardus magiſter ſcholarum, Hugo presbyter & canonicus, Maſcellinus archipresbyter, religioſus etiam diaconus Joannes de monte ſancti Eligii poſtmodum Atrebatenſis archidiaconus, & Drogo prædicti epiſcopi œconomus, & Orbertus ſcholaſticus de Bethunia. Perveniens itaque apud Proviniacum comitis Stephani celebre caſtellum octavo idus Novembris, Proviniaco egreditur, & ipſa eadem die itineris ſui, a Guarnerio quodam milite de Caſtello-ponz de via ſua trahitur, capitur, & captus epiſcopus cum clericis ſuis a Guarnerio prædicto milite & ſuis ſatellitibus detinetur. Abbas S. Vedaſti præceſſerat epiſcopum ſuum cum gratia & benedictione ſua, Guarnerius vero increpatus a Philippo fratre ſuo Trecenſe epiſcopo, & Dei omnipotentis viſitatus miſeratione, quinto Idus Novembris ſummo in mane ad pe-

des epiſcopi & archidiaconi ſui Clarenbaldi, & reliquorum clericorum ſuorum proſtratus, cum lacrymis veniam poſtulavit, dolens ac pœnitens ſe ſtulte & prave egiſſe, quia manum miſerit in Chriſtum domini; epiſcopus vero proſtratum militem erigens, diſcalciatum ad monaſterium præceſſit, ibique eum pœnitentiam cum ſuis, qui eum ceperant, agentem abſolvit, & eodem die epiſcopus a prædicto milite cum omnibus ſuis clericis & laicis detinetur, ſervitur, & per manum ejus uſque Antiſſiodorum cum ſecuritate conducitur. Dominus vero Urbanus papa audiens Atrebatenſem epiſcopum captum, quantocius ſcripſit Guarnerio de Ponz, & Richerio venerabili Senonum archiepiſcopo, in hæc verba:

XXXVIII. *Ad Guarnerium de Caſtellione.*

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Guarnerio, Pontionis filio, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi obedierit.

Venerabilem fratrem noſtrum Atrebatenſem epiſcopum ad concilium venientem te cepiſſe audivimus, & cur ceperis plurimum miramur. Rex enim Francorum non ſolum venire ad nos, alios non prohibet, verum etiam omnibus ſuæ poteſtatis epiſcopis & abbatibus venire ad concilium licentiam dedit. Unde literis te præſentibus, ut captum commonemus epiſcopum pro reverentia B. Petri ac noſtro amore cum ſuis omnibus liberum adire permittas; alioquin quandiu illum tenueris, & te & terram tuam excommunicationi ſubjicimus.

XXXIX. *Ad archiepiſcopum Senonenſem.*

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo fratri Senonum archiep. Richerio, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Audivimus Guarnerium Pontionis filium, venerabilem fratrem noſtrum Atrebatenſem epiſcopum ad concilium venientem cepiſſe, captumque retinere, ea propter literis te præſentibus jubemus, ut eundem Guarnerium captum præſulem cum ſuis omnibus libertati reſtituere commoneas. Quod ſi contempſerit, quandiu illum tenuerit, & ipſum, & locum ſuum excommunicationi ſubjicias.

Narratio de itinere Lamberti epiſcopi Atrebatenſis ad concilium Claromontenſe proficiſcentis.

Apud Antiſſiodorum autem Atrebatenſis epiſcopus perveniens, aſſociatur comitatui domni Richerii Senonenſis archiepiſcopi, & conſuffraganeorum ſuorum Remenſis provinciæ, domni Gervuini Ambianenſis, domni Gerardi Tarvanenſis epiſcoporum; & ſic decimo quinto Kalend. Decembris in octavas S. Martini, quas tunc dies dominica feſtiviores reddidit, Urbem Claromontem ingreditur, & a venerabili primate Lugdunenſi domino Hugone apoſtolicæ ſedis legato, necnon & ab ipſo domino papa benigne in oſculo ſancto ſuſcipitur, atque apoſtolica benedictione cum ſuis ſociis lætificatus, exhilaratur. Deinde dominus papa IV. Calend. Decembris, indict. IV. concilium Claromontenſe concludens præcepit recitari privilegium renovationis & reſtitutionis Atrebat. eccleſiæ in conſpectu totius concilii, in quo cardinales Romani conſederunt ei, & archiepiſcopi XIV. epiſcopi CCXXV. & abbates XC. & amplius; exceptis honeſtis atque religioſis diverſarum regionum atque provinciarum clericis & laicis, quorum numerum leviter quiſquam ſcire præ multitudine non potuit. Recitatum eſt autem Atrebatenſis eccleſiæ privilegium, & diſtincte & aperte lectum, atque omni conſenſu concilii magno ſilentio intente auditum, collaudatum & confirmatum eſt, anno Dei Chriſti M. XCV. cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt æqualis honor, & gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Depoſitus eſt ibi judicio concilii Gualcherus Cameracenſis epiſcopus ab omni ſacerdotali, atque epiſcopali officio, & ſi ulterius quolibet modo ſedem Cameracenſem occuparet, vinculo anathematis, tam ipſe quam fautores & adjutores ſui innodati. Manaſſes autem ſanctæ Remenſis eccleſiæ archidiaconus, cui prædictus Gualcherus electionem & epiſcopalem Cameracenſis eccleſiæ benedictionem ſubripuit, per invaſionem & per manum Henrici excommunicati imperatoris adjudicavit ſanctum concilium, ut in Cameracenſi eccleſia ordinaretur epiſcopus.

Raynoldi Remenſis archiepiſcopi eidem Lamberto,

Raynoldus Dei gratia Remorum archiepiſcopus dilecto fratri & conſacerdotali ſuo Lamberto Atrebat. epiſcopo, ſalutem, & in domino benedictionem.

Memoriter vobis inhærere credimus, quicquid de Hugone de Inciaco nuper cum fraternitate veſtra multo ſermone contulimus. Ipſe ſiquidem Hugo nuperrime in villam ſancti Gaugerici, quæ Faicherias dicitur, in trevia Dei cum armata manu venit, ibique circumquaque diſcurrens, igni penitus totam villam concremavit, prædamque non minimam, atque hominum multitudinem miſerabiliter ſecum abduxit. Pervenit etiam ad aures noſtras, quod ſe epiſtolam noſtram habere glorietur, quæ eum ab omni timore Cameracenſis epiſcopi, ſed & ab omnium presbyterorum excommunicatione, in quacumque dementia elatus fuerit, deliberari (quod abſit) debeat. Scire igitur vos volentes hanc omnem jactantiam ejus irritam eſſe, veſtræ fraternitati mandamus, ut & illum quem præcipue diligimus, vos admoneatis, quatenus omni excuſatione ſublata, ut in ſanctæ pacis violatorem, in ipſum, gladium anathematis exeratis, & ne ulterius donec ad ſatisfactionem veniat, in cunctis receptibus ſuis, ſeu in omni loco in quo ipſe, vel complices ejus præſentialiter affuerint, divinum celebretur officium præcepti veſtri auctoritate inhibeatis. Vale.

Ejuſdem eidem Lamberto.

Raynoldus Dei gratia Remorum archiepiſcopus fratri & coepiſcopo ſuo Lamberto Atrebatenſi, ſalutem & benedictionem in domino Jeſu.

Ad colloquium comitis Roberti, & ad recipiendam de eo juſtitiam in octavis ſanctæ Mariæ in Auguſto, vel præſentiam noſtram exhibere, vel nuntios noſtros delegare, ſicut jam vobis & coepiſcopis noſtris Noviomenſi atque Morinenſi mandavimus, parati erimus. Quod autem de Hugone de Inciaco nobis ſcripſiſtis, liquere vobis credimus, quonim in concilio, quod Compendii celebravimus, ad querimonias & clamores Gerardi Cameracenſis epiſcopi omnium præſidentium judicio in eum anathematis gladium exeruimus, & in omnes ejus cooperatores & conſentaneos. Sed neque ideo ipſe, nec filius ejus, Cameracenſem eccleſiam perſequi deſtiterunt, quippe vos par expectatio ultionis angebat, par malitiæ & immoderationis vinculum aſtringebat. Itaque quoniam ſicut ab apoſtolo dictum eſt, *Inſipiens ſa-*

factus sum, vos me coegistis: & iterum in actibus A apostolorum ad Judæos: *Quoniam vos indignos judicastis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes*. Sic quia idem Hugo indignum se conversionis & concordiæ judicavit, Gerardus Cameracensis episcopus, cum comite Flandrensi, ad convincendam Hugonis malitiam fœdus iniit. Unde episcopum Cameracensem Gerardum cum Hugone concordiam facere absque comite Flandrensi nulla æquitatis ratio permisit; Nec nos sane eum nihilominus nisi excommunicatum habuimus. At vero si voluntas ipsius esset, & Cameracensem episcopum Remis in præsentia nostra ad justitiam faciendam & recipiendam ab ipso, termino congruente, paratum haberemus, & nos similiter utrorumque rationes, æqua judicii & misericordiæ B lance penderemus, & in omnibus modum servare non dissimularemus. Per vos autem solum ad emendationem venire, nec solam excommunicationis vestræ sententiam vereri debet, cum & parochianus episcopi Cameracensis esse dignoscatur, & Inciacum, per quod hanc exercet malitiam, in episcopatu Cameracensi positum sit. Valete, & quid cum comite Flandrensi egeritis, nobis rescribite.

Ex Labbei Append. Tom. X.

XL. AD BERNARDUM TOLETANUM archiepiscopum.

Cum Ricardo Massiliensi episcopo sit adempta legatio, ipse invigilet omnibus: archiepiscopus Compostellanus vinculis solutus, suo restituatur officio. Moneat cui committendam legationem putet.

Ex primato Tolet. Caſpari.

SEmper te memorem esse oportet benedictionis & gratiæ, excellentisque liberalitatis, quam a sede apostolica accepisti; semper te, quanti geras culmen officii, & rebus ostendere; rivum te a fonte Petri apostoli descendisse, & flammam, quam ab ignis ejus camino susceptam foves, semper in altiora producere. Nunc præcipue fraternitatem tuam ampliorem principum Petri & Pauli disciplinam instruere, tuique officii oportet exhibere censuram: nunc præcipue, cum nullus in vestris partibus apostolicæ sedis legatus existit. Ricardo enim legationem, quam hactenus habuit, D denegavimus, neque alii cuipiam vestrarum partium legationem injunximus. Te igitur, ut prudentem ac religiosum virum, hortamur, & obsecramus in Domino, ut quæ dicta sunt, studiose exerceas, bonos in melius acuas, pravos corrigas, & canonicam in omnibus disciplinam ad Romanæ ecclesiæ gloriam, tuique studii mercedem, ferventer & indesinenter observare procures. Adesto, invigila, insta cum fratribus nostris episcopis, regibus, principibus, ac populo, quatenus aberrantes ad rectum propositum redeant, manentes in fidei veritate, ad exitum usque viriliter perseverent. Id vero præcipue te laborare volumus, & rogamus, ut sancti Jacobi episcopus emancipatus vinculis, suo restituatur officio. De E quo quidquid, auxiliante Domino, egeris, tuis nobis literis indicabis. De cæteris, & quæ in Hispaniarum regnis per nos disponenda provideris, & cui potissimum committenda sedis apostolicæ legatio videatur, tuis nos nunciis & apicibus informabis. Labores autem, quos in membris suis apostolorum principes quotidie patiuntur, nolito ullo modo oblivisci: sed eos semper in corde bajulans, & fidelibus omnibus commendans, solatiorum vestrorum ope lenire festina.

XLI. AD HUGONEM CLUNIACENSEM Abbatem.

Bernardum Toletanum archiepiscopum bene exceptum a se fuisse, & Hispaniæ primatem constitutum.

VEnerabilem fratrem nostrum Bernardum To- *Eundem*
letanæ ecclesiæ præsulem, tam pro tuæ postulatione dilectionis, quam pro ipsius reverentia religionis, & Toletanæ ecclesiæ honore, reverenter excepimus. Ipsi etiam ad sedis apostolicæ, & Romanæ ecclesiæ, ut matris omnium, majestatem, quemadmodum dignum est, devote ac suppliciter concurrenti, antiqua ecclesiæ suæ, prout rogasti, munimenta concessimus: & privilegii nostri paginam pristina plenam dignitate libenter indulsimus. Primatem episcoporum omnium, qui in Hispaniis sunt, effecimus: & quæque super eo tua nos caritas flagitavit, cum pallii datione contradidimus. Tibi ergo par est amoris nostri studio respondere, & nostris, ac Romanæ ecclesiæ auxiliis fideliter deservire. Nos enim & præcipua te, ac fratres tuos affectione diligimus: & omnia monasterii vestri loca, ubi liberum fuerit, in nostræ specialiter manus protectionem suscipimus; ita ut nec episcopus quilibet, nec legatus, nisi cui a nobis idipsum specialiter injunctum fuerit, præter voluntatem tuam, de vestris C audeat negotiis judicare: salvo tamen jure episcoporum, quod in eis hactenus habuisse noscuntur. Vos ergo nostri semper in omnibus vestris ad Dominum precibus memores sitis: & sicut nos, vos & vestra specialiter fovemus, ita vos, nos apud Dominum spiritualiter commendare curetis; nosque, ac Romanam ecclesiam, ubi oportet, & ubi facultas est, adjuvetis. Dominus omnipotens sua nos gratia foveat, conservet, ac protegat. Amen.

XLII. AD L. CARDIN. PRESBYTERUM.

Multa mandat ad res Hispanicas spectantia.

QUantum de religione tua confidentes, qua fide, qua caritate; in partes illas reduximus, ipse tu, frater dilectissime recognoscis. Age ergo pro spe, quam de tua providentia gerimus, & negotia quæque poteris, Domino adjuvante, canonice diffinire procura, & ea maxime, pro quibus missus es: videlicet quæ inter Narbonensem antistitem, & Comorienſem abbatem jactantur. Veniens si quidem ad nos cum Barchinonense fratre nostro venerabili episcopo, reverendissimus frater noster Narbonensis archiepiscopus, quem jamdudum vita & religione spectatum habemus, plurima adversa contra Comorienſem abbatem conquestus est: scilicet, quod ecclesias suæ diœceſis, sæcularibus potestatibus fultus, invadat; quod excommunicatos ab eo sine omni ejus absolutione recipiat; quod in Jacensi sede sine sui licentia fecerit episcopum consecrari: quodque auditu horrendum est, mortuum quemdam sub anathemate, ab ejus monachis extumulatum, & inter monasterium tumulatum asseruit. Inter cætera, præjudicium sibi factum de Tarraconensium episcoporum subtractione per Romanam ecclesiam suppliciter intimavit, circa * eos Narbonensis metropolis per annos quadringentos sine alterius reclamatione prius sederit. Nostra igitur vice in partibus illis fungens, Tarraconensibus episcopis nostra auctoritate præcipito, ut interim Narbonen- si, tan-

* *f.* cum eis de eccle. pos sederit.

ſi, tanquam proprio metropolitano, obediant, donec, parante Domino, Tarraconenſis reſtauretur eccleſia: Toletano autem, ſicut primati, reverentiam exhibeant, donec Narbonenſis archiepiſcopus ſe eorum primatem fuiſſe certa poſſit auctoritate monſtrare. Novit ſiquidem tua fraternitas, primatem a nobis Toletanum ſic inſtitutum, ut ſalva ſit metropolitanorum privilegia cæterorum. Abbatem quoque, ut ſanctæ opinionis virum, admoneas, præcipiens, ne ulterius, quæ epiſcopalis juris ſunt, ſine epiſcopi conceſſione recipiat, & de injuriis Narbonenſi archiepiſcopo illatis competenti emendatione ſatisfaciat: de cætero ut proprium, & ſanctæ conſecrationis revereatur antiſtitem, & pacem cum eo fraternæ caritatis inviolabiliter retinere procuret. Tu autem in omnibus Romanæ auctoritatis memorem te exhibe, ut nulla de te poſſit ſuſpicio remanere. Quia vero Narbonenſis archiepiſcopus privilegia de primatu eccleſiam ſuam habuiſſe memoravit, quæ a ſuo prædeceſſore translata, ſe tamen ſperat, parante Domino, reperturum: tu cauſam diligenter inquire, inquiſitam ad nos referre procura. Quod ſi privilegiorum auctoritas nequiverit reperiri: tu cum principibus terræ de reſtauratione Tarraconenſis eccleſiæ ſtude. Interim tamen Tarraconenſes epiſcopos ei, tanquam metropolitano proprio, obedire præcipito. Elenenſis quoque epiſcopi cauſam diligenter inquirito, & inter Narbonenſem epiſcopum, & ipſum, juſto omnia judicio diffinito. Idem quoque te de Craſenſi cœnobio inter Narbonenſem archiepiſcopum, & monachos ejuſdem cœnobii, exercere præcipimus.

XLIII. AD MADELMUM ABBATEM S. Sophiæ.

Urbanus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Madelmo, abbati venerabilis monaſterii S. Sophiæ intra Beneventum, ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

Eadem PIII Italia ſacra * f. quibus eum eſt Dominus alloquutus. Matth. 16.

POteſtatem ligandi atque ſolvendi in cælis, & in terra, ſancto Petro apoſtolo, ſuiſque ſucceſſoribus, auctore Domino, principaliter tradidit illis eccleſia verbis agnoſcit, * cujus iterum eſt Dominus locutus: *Quæcumque ligaveris in terra, erunt ligata & in cælis; & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Ipſi quoque & proprie firmitas, & plenæ fidei confirmatio, eodem Domino auctore, præſtatur, cum ad eum dicitur: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Luc. 22. Oportet ergo nos, qui, licet indigni, Petri reſidere videmur in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni eccleſia ad æterni arbitrium judicis ſic diſponenda diſponere, ut de vultu ejus judicium noſtrum prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem. Tuis igitur, fili Madelme, juſtis petitionibus annuentes, beatæ Sophiæ cœnobium, cui, Domino auctore, præſidere cognoſceris, ſub tutela & juriſdictione ſedis apoſtolicæ, ſicut hactenus manſit, perpetuo permanere præſentis paginæ auctoritate ſancimus: ut ſoli Romanæ eccleſiæ ſubditum, ab omnium eccleſiarum ſeu perſonarum jugo liberum habeatur: cuncta etiam quæ prædeceſſoribus tuis, vel tibi, ad ejuſdem monaſterii immunitatem, vel poſſeſſionem, noſtrorum prædeceſſorum ſunt privilegiis attributa, nos quoque tibi, ac ſucceſſoribus tuis regulariter promovendis, præſenti privilegio contribuimus. Cellas præterea, vel eccleſias, vel villas, quæ aut induſtria prædicto videntur cœnobio juſte ac rationabiliter acquiſita, poſſidendas in perpetuum confirmamus; id eſt, eccleſiam, &c.

Enumerat cœnobii poſſeſſiones.

Per præſentem igitur noſtri privilegii paginam apoſtolica auctoritate conſtituimus, ut quæcumque hodie idem cœnobium juſte poſſidet, quæque in craſtinum conceſſione pontificum, liberalitate principum, aut oblatione fidelium, juſte atque canonice poterit adipiſci, firmamus tibi, tuiſque ſucceſſoribus, illibata ut permaneant.

Decrevimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium tenere, perturbare, aut ei ſubditas poſſeſſiones auferre, vel ablata retinere, vel minuere, vel temerariis vexationibus moleſtare, aut etiam fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum quorum ſubſtantia, ac gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omni modo profutura. Abeunte autem nunc abbate, vel quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, vel violentia, præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilio ſaniori, elegerint; electus a Romano pontifice conſecretur; chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſive baſilicarum, ordinationem monachorum qui ad ſacros ſunt jam nunc ordines promovendi, ab epiſcopis, in quorum diœceſibus eſtis, accipietis; ſiquidem gratiam & communionem apoſtolicæ ſedis habuerint, & ſi gratis ea, & ſine pravitate impenderint. Si quid autem horum obſtiterit, liceat vobis a quocumque volueritis catholico epiſcopo, quæ prædicta ſunt ſacramenta percipere. Tibi vero, quem propenſiore caritate amplectimur, ex apoſtolicæ ſedis peculiari benignitate id muneris perſonaliter indulgemus, ut per annum quinquies, id eſt, in die ſanctæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, & Natalis Domini noſtri ſalvatoriſque Jeſu Chriſti, ſolemnitatiſque duodecim ſanctorum Fratrum, necnon & ſancti martyris Mercurii, ad miſſarum tantum ſolemnia, chirothecis, atque etiam campagis uti aris. Sane ſi quis in craſtinum archiepiſcopus, aut epiſcopus, imperator, aut dux, rex, princeps, aut comes, aut vicecomes, judex, aut perſona quælibet, magna aut parva, potens aut etiam impoteps, juris noſtri privilegii paginam ſciens, contra eam venire temere, aut primaria mente tentaverit, ſecundo, tertiove commonitus atque adhortatus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, eumdem honoris ſui & officii periculo ſubjacere, necnon & ſubmovere decrevimus, & a Chriſti atque eccleſiæ corpore, auctoritate apoſtolicæ poteſtatis ſegregamus: conſervantibus autem ea, pax a Domino & miſericordia præſentibus & futuris ſæculis conſervetur. Amen. Bene valete.

Datum Anagniæ per manus Joannis S. R. ſedis diaconi, prid. Id. Mart. Indict. XV. anno pontificatus domini maximi Urbani II. papæ quinto, Incarnationis autem Domini noſtri, patriſque æterni Jeſu Chriſti anno MXCII.

XLIV. *Urbani papæ II. epiſtola ad ſuffraganeos Eccleſiæ Arelatenſis.*

Ex Baluzii Miſcel. tom. v. p. 219.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ſuffraganeis Eccleſiæ Arelatenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ILla omnia ſacramenta quæ adverſus Eccleſiæ juſtitiam atque religionem confrater Guibilinus Archiepiſcopus veſter invitus & omnibus modis coactus juraſſe cognoſcitur, quia, ut prædixi-

mus,

ximus, Deo & Eccleſiæ conſtitutionibus adverſantur, decreti noſtri auctoritate (irrita) omnino eſſe cenſemus & Arelatenſi Eccleſiæ annuente Domino perpetuo permanere decernimus. Eos autem qui prædictum virum captum gladiis & membrorum detruncationibus perterrentes nefandis ſacramentis auſi ſunt implicare infames in perpetuum eſſe ſancimus, & niſi congruam pœnitentiam egerint a Chriſti corpore & ſanguine atque ab Eccleſiarum introitu ſegregamus.

XLV. *Ejuſdem Urbani Papæ epiſtola ad Bernardum Archiepiſcopum Toletanum.*

Ibidem P 1230.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri & coepiſcopo Bernardo Toletano ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LIterarum præſentium lator ad nos veniens ab exorciſta uſque ad ſacerdotium nullum ordinem ſe accepiſſe confeſſus eſt. Quod audientes plurimum mirati ſumus. Et quia ejus perſona nobis ignota ſine literis & ſine ullis indiciis noſtro ſe præſentavit conſpectui, eum ſtrenuitati tuæ remiſimus, præcipientes ut cauſam ejus diligenter inquiras; & ſi quod refert verum eſſe conſtiterit, a ſacerdotio male & inordinate accepto, indicta quam dignam duxeris pœnitentia, per annum ceſſare jubebis. Anno vero tranſacto, ſi ejus vita & converſatio talis viſa fuerit & alia non impediunt ut honore digna ſit tanto, omnes ordines quos non accepit cum ipſo pariter presbyteratu, ſiquidem presbyteratum gratis aſſumpſerit, illi reſtituas.

Ibidem.

XLVI. *Ejuſdem Urbani Papæ epiſtola ad Villelmum Archiepiſcopum Rothomagenſem.*

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Willelmo dilecto fratri Rothomagenſi Archiepiſcopo & Canonicis ſancti Mellonis de Ponte Iſaræ & habitatoribus ejuſdem caſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIgnificatum nobis eſt quia prohibetis monachos Becceníes qui ſunt in Eccleſia ſancti Petri de Ponte Iſaræ pulſare ſigna ſua ad horas ſecundum ordinem ſuum. Quod, niſi vobis parceremus, quam religioſum & inhumanum ſit & de qua radice procedat detegeremus. Paterna igitur monitione & præſenti auctoritate præcipimus ne ulterius hanc prohibitionem faciatis aut fieri permittatis, ſed illos ſecundum ordinem monachicum & ſigna pulſare & per omnia ordinem ſuum ſervare abſque omni impedimento concedatis. Data trans Tiberim III. Kal. Auguſti.

Ex Append. ad Marcam Hiſp. p. 1280.

XLVII. *Epiſtola Urbani II. Papæ ad proceres provinciæ Tarraconenſis de reſtauratione Eccleſiæ Tarraconenſis.*

An. 1089 Ex chartulario Eccleſiæ Tarraconenſi.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimis filiis Berengario Barchinonenſi Comiti Marchioni, Ermengaudo Urgellenſi, Bernardo Biſulunenſi Comitibus, omnibuſque Tarraconenſis & Barchinonenſis provinciæ Epiſcopis, Vicecomitibus, & cæteris nobilibus & potentibus, ſive clericis, ſive laicis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DIlectiſſimus & reverentiſſimus frater noſter Berengarius Auſonenſis Epiſcopus devotione & labore maximo ad Apoſtolorum limina veniens, diu nobiſcum moratus eſt; cujus nos prudentia & bonis moribus, ut dignum eſt, delectati, privilegia quibus ſua, videlicet Tarraconenſis, Eccleſia per Romanam Eccleſiam donata eſt diligenter inſpeximus & quod ad nos eſt, eandem Eccleſiam tum pro ſanctorum reverentia, tum pro prædicti fratris noſtri dilectione, prout juſtitia exegerit, honorare & exaltare optamus. Quia igitur corporalia ſpiritualibus, temporalia æternalibus, cæleſtibus dignum eſt terreſtria famulari, hortamur & obſecramus in Domino prudentiam veſtram ut ſumma ope nitamini Tarraconenſis urbis ſtatum eatenus reparare, quatenus ibi cathedra haberi poſſit epiſcopalis. Vobis ergo in pœnitentiam peccatorumque remiſſionem mandamus ut potentia & divitiis veſtris in reſtitutionem ejuſdem Eccleſiæ devotiſſime & intentiſſime deſudetis. Eis autem qui vel in Hieruſalem vel in partes alias pœnitentiæ ſpiritu vel devotionis ituri ſunt ſuademus totam illam viæ & ſumptus operam reſtitutioni Eccleſiæ Tarraconenſis impendere: quatenus auxiliante Domino & cathedra inibi tuto habeatur epiſcopalis, & civitas eadem Saracenorum oppoſita populis in murum & antemurale Chriſticolæ populi celebretur, quibus eandem ex Dei miſericordia indulgentiam pollicemur quam promererentur ſi indictæ viæ prolixitatem explerent. Nos ſiquidem, ſi veſtræ bonæ voluntatis effectum, & ferventis ſtudii ſollicitudinem cognoverimus, prædicto fratri noſtro & Tarraconenſi Eccleſiæ quæ ad antiquam ejus dignitatem ſpectant libentiſſime impendemus, & corporalia veſtra ſpiritualibus infuſis proſequemur; ſalva tamen Narbonenſis Eccleſiæ juſtitia. Si enim Romani auctoritate privilegii Tarraconenſem provinciam canonice vendicare Narbonenſis antiſtes nequiverit, nos omni querela liberi Tarraconenſi Eccleſiæ jus ſuum reſtituere & fratri noſtro Berengario pallii dignitatem conferre non prætermittemus, prout mereri ſtudia veſtra videbimus. Iterum iterumque vos, cariſſimi filii, admonemus, ut fratrem noſtrum Berengarium in reſtitutionem Tarraconenſis Eccleſiæ adjuvetis; quatenus & in præſenti gloriam & in futuro vitam percipiatis æternam. Porro ſi noſter ad vos Legatus Domino annuente pervenerit, ei pro ſedis apoſtolicæ reverentia debitam obedientiam exhibere curate. Datum Romæ Kalen. Julii per manus Johannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii anno ſecundo domni Urbani Papæ II. Indictione duodecima.

XLVIII. AD PETRUM OSCENSEM Epiſcopum, & ejus ſucceſſores.

Oſcenſem Eccleſiam caput Jacenſis Eccleſiæ conſtituit.

Ex Aguirre Concil. Hiſp. tom 3 p. 308.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ven. fratri Petro Oſcenſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice promovendis in perpetuum.

MIſerationibus Domini multiplices a nobis gratiarum habentur actiones, quia poſt multa annorum curricula noſtris potiſſimum temporibus Chriſtiani populi preſſuras relevare, fidem exaltare dignatus eſt. Noſtris ſiquidem diebus in Aſia Turcos, in Europa Mauros Chriſtianorum viribus debellavit, & urbes quondam famoſas religionis ſuæ cultui gratia propenſiore reſtituit. Inter quas Oſcam quoque pontificalis cathedræ urbem Saracenorum tyrannide liberatam, chariſſimi filii noſtri Petri Aragonenſis Regis inſtantia catholicæ ſuæ eccleſiæ reformavit. Æquum igi-

tur

tur fore perpendimus, ut & nos omnipotentis Dei benignitatem ipso præstante liberalitate sanctæ sedis apostolicæ prosequamur, & cui multiplici miseratione ipse fidei suæ reddidit libertatem, & nos quoque restituamus episcopalis cathedræ dignitatem. Præsentis ergo decreti auctoritate statuimus, ut eadem Oscitana ecclesia, totius parochiæ, quæ nunc Jaccensi Ecclesiæ subdita est, & ipsius Jaccensis Ecclesiæ, caput deinceps temporibus perpetuis habeatur. Locus autem Episcopalis Cathedræ in majori illa Mezcita servetur, quam Sancii regis dono Saracenorum temporibus canonici Domini nostri Jesu Christi Nazareni possederant, sed Petrus ejus filius Rex tuæ fraternitati capta civitate concessit, cujus etiam dona cætera vestræ ecclesiæ collata, nos præsentis decreti auctoritate firmamus, & universa prædia, sive possessiones, aut redditus vectigalium seu tributorum, quæ bon. mem. Ranimirus rex præsentis Regis Petri in Domino carissimi filii avus cum filio suo Sancio Jaccensi Ecclesiæ per regalis excellentiæ scripta concessit. Nos largiente Domino supradictæ Oscitanæ ecclesiæ illibata in perpetuum permanere censemus, sicut etiam idem Rex Petrus in oblationis suæ literis optasse ac statuisse cognoscitur, exceptis nimirum his, quæ præfatus ejus filius Sanctius Rex, una cum filio suo Petro sæpe superius nominato, consentientibus prædecessoribus tuis Sancio, & Garsia, te quoque id ipsum confirmante de illa Ranimiri parentis sui constitutione mutavit. Item tam tibi, quam successoribus tuis, & ecclesiæ vestræ in perpetuum stabilimus quidquid ab egregio Rege Sancio oblatum cognoscitur, his exceptis, quæ de ipsius chirographo præfatus rex Sancii filius, consentientibus ecclesiæ tuæ clericis, & eximio Præposito canoniæ D. N. Jesu Nazareni, teque idipsum confirmante mutavit.

Venientes enim ad nos sedis tuæ archidiaconus Lupus, & idem eximius Ecclesiæ D. N. Jesu Nazareni Præpositus in nostra audientia collaudaverunt, & mutuo consensu confirmari petierunt diffinitionem illam, quæ inter te, & filium nostrum Petrum Aragonensem, seu Pampilonensem regem acta est apud castrum Calatanz, de rebus ac redditibus ecclesiæ tuæ & canonice D. N. Jesu Nazareni. Dilectio siquidem tua quartam decimarum partem de toto monte Aragone, & quicquid præter animarum curam, & ecclesiarum, seu clericorum consecrationem ad se episcopali jure pertinebat, intercedente supradicto Rege illius canoniæ clericis tradidit, & scripti cautione firmavit. Illi vero medietatem decimarum quam de Oscitana civitate per manum ejusdem regis accipere consuevverant, tuæ, tuorumque successorum ditioni restituerunt. De laboribus autem domui Regis decimarum medietas tibi & Episcopalis cathedræ clericis, altera autem medietas Canonicis D. N. Jesu Christi mutua charitate convenit. Cætera vero omnia secundum Sancii bon. mem. regis, & supradicti ejus filii chirographum communi concordia statuistis, & a nobis eadem stabiliri per supradictos Nuncios postulastis.

Ad hæc adjicientes statuimus, ut parochiarum fines, qui adhuc Saracenorum oppressionibus detinentur, ad Oscitanam Ecclesiam antiquo jure pertinentes, in idipsum referantur, cum eas omnipotentis Dei dignatio Christianæ restituerit ditioni. Hasien * quoque canonicam nostri juris, quam supradicti Ranimiri regis filius, Petri vero regis avunculus, Sancius Comes suo studio ædificatam sanctæ Romanæ ecclesiæ obtulit, nos tam tibi, quam successoribus tuis, & ecclesiæ vestræ canonicis, apostolicæ sedis decreta servantibus, & gratiam obtinentibus, regendam seu disponendam secundum fundatoris votum committimus. Eo videlicet tenore, ut & regularem illic disciplinam servari attentius faciatis, & ex loco ipso censum annuum Lateranensi palatio auri unciam dimidiam persolvatis. Præter hoc universa decimarum, seu primitiarum debita tam ex ipsa civitate Osca, quam ex cæteris finibus, quos ad eam episcopali jure pertinere constiterit, tam tibi, quam tuis successoribus canonicæ ordinatis, seu cathedræ ipsius clericis confirmamus præter illam redditum partem, quam supradicti Regis Petri precibus fraternitas tua Jesu Nazareni Canonicis benigniore liberalitate concessit. Si qua igitur ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit &c. Datum Laterani per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis V. idus Maii Indict. VI. Incarnationis Dominicæ an. MXCVIII. Pontificatus autem Domini Urbani II. Papæ anno XI.

* Ecclesiam ©

ANNO CHRISTI 1088.

AD EPISTOLAS ET DECRETA URBANI II. PAPÆ

APPENDIX.

EPISTOLA URBANI PAPÆ II. AD SALZBURGENSEM ALIOSQUE EPISCOPOS.

Eos de sua in summum pontificem electione certos facit, hortaturque ut viriliter pro ecclesia certent.

Ex Mss. Suppl. T. II. pag. 16. ex Marten. Vet. Monum. tom. I. col. 570.

URbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili Salzburgensi archiepiscopo, cæterisque reverentissimis episcopis Pataviensi, Wireburgensi, Wormatiensi, Augustensi, Constantiensi, & venerandis abbatibus & gloriosissimis welphonibus B. & S. atque omnibus majoribus & minoribus B. Petri fidelibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Nosse volumus beatitudinem vestram quæ circa nos gesta sunt noviter: reverentissimi siquidem fratres nostri episcopi & cardinales, Saviensis * videlicet, Tusculanensis, Albanensis, Signensis præterea & Portuensis legationem & consensum & petitionem ferens omnium fidelium laicorum nostræ parti faventium clericorum Romæ eligentium, & religiosissimus abbas Cassinensis omnium diaconorum & R. cardinalis tituli S. Clementis omnium cardinalium, nec non & B. præfectus omnium fidelium laicorum una cum viginti & uno episcopis & quatuor abbatibus apud Terracinam coadunati, & triduano jejunio cum mul-

* Sabinensis.

multis precibus communiter celebrato ; domi- ANNO CHRISTI 1088.
nico tandem die IV. Idus Martii mihi omnium indigniſſimo contra omne votum & deſiderium, Deus ſcit, & plurimum renitenti regimen ſedis apoſtolicæ commiſere & omnium tam præſentium quam & abſentium prædictorum fidelium conſenſu me eligentes, & auctoritatem atque imperium ſanctæ memoriæ prædeceſſorum meorum, Gregorii & Victoris habere ſe ſuper hoc aſſerentes, longe impar (onus) viribus meis impoſuerunt. Sed quoniam, ut ante Deum loquar, nulla honoris ambitione, nulla omnino præſumptione, ſed ſola tot tantorumque religioſorum virorum non abſque periculo contemnenda obedientia, confidens inſuper de miſericordia omnipotentis Dei, tantum onus in præſenti in tam periculoſo tempore ſubire ſum coactus. Rogamus & obſecramus in Domino Jeſu, ut in ea, quam cœpiſtis, & quam Domino & prædeceſſori noſtro beatæ memoriæ Gregorio ſemper oſtendiſtis fidelitate, & devotione, & benevolentia firmiter maneatis, ſanctamque Romanam eccleſiam matrem veſtram omnibus quibus valeatis auxiliis & conſiliis adjuvetis. De me porro ita in omnibus confidite & credite, ſicut de beatiſſimo patre noſtro Papa Gregorio, cujus ex toto ſequi veſtigia cupiens, omnia quæ reſpuit reſpuo, quæ damnavit damno, quæ dilexit prorſus amplector, quæ vero rata & catholica duxerit, confirmo & approbo, & ad poſtremum in utramque partem, qualiter ipſe ſenſit in omnibus omnino ſentio atque conſentio. Nunc ergo precor, & amplector fraternitatem veſtram, ut agatis viriliter atque conſtanter & confortemini in potentia virtutis Dei, aſcendentes ex adverſo & opponentes murum pro domo Iſrael, ut ſtrenuiſſimi Domini bellatores ſtetis in prælio in die ipſius. Vos ergo, qui ſpiritualiter eſtis, eos qui inſtructi non ſunt verbis & exemplis inſtruite, & exhortamini, ſicut ſcitis, & neceſſitas exigit hujus periculoſi temporis. Cum enim apud vos eram, tales vos omnes inveni, ut voce ipſius Domini poſſem clamare: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael*: qui autem perſeveraverit in finem, hic ſalvus erit. Inſuper apud omnipotentis Dei miſericordiam continuas preces effundite, quatenus & eccleſiam ſuam ſanctam in gradum priſtinum miſericorditer reſtaurare dignetur. Ipſe autem Deus pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit cum omnibus vobis, dilectiſſimi in Chriſto. Datum apud Terracinam tertio idus Martii.

EJUSDEM AD LANZONEM ET RODULFUM ABBATES, ET ADALBERONEM PRIMICERIUM.

Confirmat electionem Metenſis epiſcopi ab eis factam.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiis Lanzoni, Rodulfo abbatibus, Adalberoni primicerio, archidiaconis, & omni catholico Metenſis eccleſiæ clero ac populo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

In pos. 119 GAudemus, filii in Chriſto cariſſimi, quia vos gaudetis in Domino, quia catholicæ fidei lucernam, qui in Herimanno ſanctæ memoriæ permanſit epiſcopo, necdum extincta eſt; quia prædeceſſori bono ſucceſſorem probabilem providiſtis. Et nos igitur bonis votis veſtris robur præſtantes auctoritatis apoſtolicæ devotionem, & electionem veſtram literis præſentibus approbamus. Veſtris quoque poſtulationibus aſſenſum conferimus, ut veſtri intereſſit arbitrii, a quibus potiſſimum catholicis debeat epiſcopis conſecrari. Illud ſane omni modo requirendum eſt, utrum per manum Trevirenſis illius dicti archiepiſc. ſimoniace fuerit in diaconem ordinatus. Quidquid enim ab eo extraordinarie indigneque ſuſcepit, nos ſancti Spiritus judicio irritum eſſe cenſemus, ut eoſdem ordines ab aliquo ſortiatur epiſcopo catholico præſenti auctoritate præcipimus. Talis enim ordinator, cum nihil habuerit, dare nihil potuit. Vos itaque filii in Chriſto chariſſimi, perſeverate in his, quæ a reverentiſſimo confratre noſtro, nunc angelorum concivi, Herimanno epiſcopo didiciſtis. Agite quæ agitis, quia ſerpentis caput calcantibus æterna a Domino corona præbebitur. Ipſe vos ſua gratia fideliter certare tribuat, & æterni mercedem bravii dignetur. Data Beneventi calendis Februarii. ANNO CHRISTI 1088.

EJUSDEM

Privilegium immunitatis Schaffuſano in Hirſaugia monaſterio conceſſum.

Urbanus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Schaffuſenſi abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

Ex Cod. U. dalrici n. 117 CUm univerſis ſanctæ eccleſiæ filiis & apoſtolicæ ſedis auctoritate ac benevolentia debitores exiſtamus, illis tamen locis atque perſonis quæ ſpecialius ac familiarius Romanæ adhærent eccleſiæ, quæque amplioris religionis gratia eminent, propenſiori nos convenit caritatis ſtudio imminere. Igitur tam tuis & tuorum fratrum, quam & religioſi comitis N. piis votis & petitionibus annuentes, ſancti Salvatoris venerabile cœnobium, ab N. quondam comite apud villam H. ſub honore omnium ſanctorum ædificatum, & beato Petro oblatum in jus perpetuum, & tutelam recipimus apoſtolicæ ſedis, ſicut a piæ memoriæ prædeceſſore noſtro Gregorio VII. conſtat fuiſſe ſuſceptum. Quicquid etiam immunitatis idem pontifex loco ipſi contulit, nos quoque concedimus, & præſenti decreto corroboramus. Apoſtolica itaque auctoritate ſtatuimus, ut univerſa quæ præfati comites, vel alii quilibet fideles cœnobio veſtro de ſuis facultatibus contulerint, quæque hodie poſſidet, ſive in futurum conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juſte atque canonice poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. De cellis autem beatæ Agnetis & beatæ Mariæ in villa N. nominatim interdicimus, ne quis occaſione qualibet eas audeat a præfati monaſterii proprietate ſubtrahere vel alienare; ſed in eo ordine ſemper maneant; quo a te, chariſſime fili N. inſtitutæ ſunt, nec tibi nec ſucceſſorum tuorum alicui liceat eas diſtrahere, vel earum bona temere aut violenter minuere vel auferre. Si quis vero hactenus eorum quicquam abſtulit, donec reſtituat, ab omnipotentis Dei gratia alienus exiſtat. Præterea manſuro in perpetuum decreto ſancimus, ut nulli omnino viventium liceat, in veſtro monaſterio aliquid proprietatis, conditionis, hæreditarii juris, advocatiæ, inveſtituræ, aut cujuslibet potenatus, quæ libertati & quieti fratrum noceat, vendicare. Abbas ſane cum fratribus advocatum ſibi, quem utiliorem providerint, inſtituat. Qui ſi poſtmodum monaſterio inutilis fuerit, remoto eo alium pru-

ficiant: ſepulturam ejuſdem loci liberam omnino eſſe decrevimus, ut eorum qui ibi ſepeliri delibe- ANNO CHRISTI 1088. raverint, devotioni & extremæ voluntati, niſi forte excommunicati ſint, nullus obſiſtat. Si quas vero decimas pertinentes eccleſiis, quas habetis & habebitis, a laicis recuperare, annuente Domino potueritis, veſtris uſibus perpetuo mancipandas abſque omnium epiſcoporum contradictione cenſemus, ſalva epiſcopali reverentia. Laicos ſeu clericos ſæculares ad converſionem ſuſcipere, nullius epiſcopi vel præpoſiti contradictio vos inhibeat. Ad hoc adjicimus, ut nulli epiſcoporum facultas ſit ſine Romani pontificis licentia loca veſtra vel monachos interdictioni, vel excommunicationi ſubjicere. Nulli præterea homini liceat ſæpefatum monaſterium temere perturbare, vel ejus poſſeſſiones, ſeu res cæteras auferre, ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum ſubſtentatione, ac gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, quatenus illic Deo ſervientes fratres ab omni poteſtate liberi Romanæ liberalitatis gratia potiantur, & a ſæcularibus tumultibus alieni, omnipotentis Dei ſpeculationi licentius vacare prævaleant. Obeunte te nunc ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum beati Benedicti regulam elegerint. Conſecrationes altarium, baſilicarum, ordines clericorum, chriſma, & cætera ad epiſcopale officium pertinentia ab epiſcopo Conſtantienſi, in cujus eſtis diœceſi, accipiatis, ſi tamen catholicus eſt, & gratiam & communionem apoſtolicæ ſedis habuerit. Alias vero liceat nobis catholicum, quem volueritis, adire antiſtitem, & ab eo conſecrationis ſacramenta ſuſcipere, vel ad ſedem apoſtolicam recurrere: qui apoſtolica fultus auctoritate, quæ poſtulantur, indulgeat. Ad indicium autem perceptæ a Romana eccleſia libertatis auri unciam quotannis Lateranenſi palatio perſolvetis. Si qua ſane deinceps eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hujus privilegii paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſve ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque a ſanctiſſimo corpore & ſanguine Dei, ac redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loca juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

EJUSDEM AD GAUFRIDUM CONSTANTIENSEM EPISCOPUM.

Perfugam e monaſterio Schafhuſenſi tertio revocari mandat, & parere recuſantem anathemati tradit.

Ibid. n. 278. *Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri & coepiſcopo Gaufrido Conſtantienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

DIlectiſſimus filius noſter N. conqueſtus eſt nobis, quod quidam vir nomine N. poſtquam ſe ſuaque omnia ſuper altare Domini Salvatoris & omnium ſanctorum in Schafhuſen obtulerat, inſtinctu Diaboli apoſtatando ſe ſuaque ab eodem monaſterio alienare præſumpſerit. Volumus ergo, tuæque charitati injungimus, ut eumdem virum ſecundum Evangelicam auctoritatem ſecundo & tertio canonice ut revertatur commoneas. Si vero, quod abſit, in pravitate ſua perſtiterit, tu in promptu ulciſci habens omnem inobedientiam pro officii tui debito gladium excommunicationis in illum evaginare non differas, ut ſi ipſe incorrigibilis permanſerit, cæteri timorem habeant. Labores & anguſtias univerſalis matris Romanæ eccleſiæ tibi tanquam fideli filio commendamus. Dat. Romæ 10. April. ANNO CHRISTI 1088.

EJUSDEM DE EODEM.

Ibid. n. 279. *Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Conſtantienſi epiſcopo N. & N. comitibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

VEnerunt ad nos literæ abbatis monaſterii Sancti Salvatoris, conquerentes Deo & ſancto Petro, quod vir quidam nomine N. veniens ad prædictum monaſterium, ſæculo renuntiavit, promiſſionem ſtabilitatis ſecundum conſuetudinem monaſterii fecit, & ſua eidem eccleſiæ ſecundum legem Suevorum multis coram teſtibus tradidit & confirmavit. Abbas autem, ut eſt devotus & prudens diſpenſator & fidelis, in eodem prædio monaſterium venuſte conſtruxit, fratres ordinavit, & cætera quæ ad monaſticam pertinent regulam inſtituit. Prædictus autem N. ut omnia vidit abbatis labore & ſtudio ordinata, atque perfecta, poſtquam prædictum monaſterium idem prædium per ſeptennium & eo amplius ſine omni contradictione obtinuit, inſtinctu diaboli, nunquam ſe tradidiſſe fatetur, & ſi quicquam ob hoc moleſtiæ ſuſtinuerit, non ſolum auferre, ſed & ipſum monaſterium minatur evertere. Quapropter, filii excellentiſſimi, obnixe vos exoramus, ut pro Domini Salvatoris devotione, ac reverentia beati Petri & noſtri amore eundem virum a tanta apoſtaſia prohibere & abbati & monaſterio curetis aſſiſtere. Dicit vero Innocentius: *Error cui non reſiſtitur approbatur*; ac apoſtolus: *Non ſolum qui faciunt digni ſunt morte, ſed qui conſentiunt facientibus*. Volumus autem, fili, te eumdem peſtilentem virum, ſi jam non factum eſt, ſecundo & tertio canonice commonere, ut reſipiſcat. Quod ſi contempſerit, ut cæteri metum habeant, gladium anathematis in illum evaginare, quatenus in interitum carnis traditus Satanæ diſcat non blaſphemare, & ſalvus ſit in die Domini. Incolumes vos & monitis noſtris obedientes divina gratia cuſtodiat, & ab omni malo defendat.

EJUSDEM AD CLERUM ET POPULUM ALBERSTADENSEM.

Laudat quod epiſcopo in ſchiſmate delapſo alium loco ejus elegerint, quam electionem approbat.

Ibid. n. 280. *Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, clero, ac populo Halberſtadenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

NOn exigua ſalutis veſtræ jactura perpenditur, quod tamdiu eccleſia veſtra paſtoris eſt ſolatio deſtituta. Venerabilis ſiquidem frater noſter, quem communi conſenſu ſecundum ſanctorum canonum ſcita in pontificem vobis elegeratis, ſchiſmaticorum vi cogente, partim dolis & blanditiis, partim terroribus & minis a veſtra eſt eccleſia contra ſanctiones canonicas & conſuetudi-

ANNO CHRISTI 1088

nes eccleſiaſticas conturbatus. Neque vero licuit ſuſceptam ſemel juſte & canonice pro apoſtolicæ ſedis obedientia, electionem ſine apoſtolicæ ſedis licentia vel permiſſione deſerere. Reſpexit tamen vos ſupernæ miſerationis dignatio, cum eum ad ſanctorum apoſtolorum limina, & ad præſentiam noſtram venire conceſſit. Nos igitur, quibus, licet indignis, pro apoſtolorum principis vice ac loco cunctarum per orbem terrarum cura ac diſpoſitio cernitur imminere, ipſius electionem juſtam atque canonicam cognoſcentes præſentiſque temporis neceſſitatem, quod a Moguntina ſede accipere conſecrationem in tanta ſchiſmaticorum tempeſtate non poſſet, conſiderantes, eum in prima primorum apoſtolorum principis ſede, annuente Domino conſecravimus, conſecratum ad vos cum præſentium literarum commendatione remittimus. Vos itaque antiquæ fidei & obedientiæ memores tanto eum devotius illic uſque ſuſcipite, quanto amplius vos veſtræ ſalutis & fidei veſtræ apoſtolicæ eccleſiæ debitores eſſe cognoſcitis. Sanctæ ſiquidem memoriæ, noſter in ſede apoſtolica prædeceſſor, Gregorius II. primum veſtræ gentis archiepiſcopum beatum Bonifacium pallio donans, & vicis ſuæ auctoritatis corroborans veſtræ eccleſias inſtruxit religionis. Et nos igitur diuturnam veſtræ eccleſiæ deſolationem pro noſtri officii debito perpendentes, hunc ad vos ſalutis veſtræ dirigimus inſtructorem. Quem vos eo reverentius ſuſcipere & obedientius convenit exaudire, quo eum ab ipſo fidei & ſalutis veſtræ fonte conſpicitis deſtinatum. Omnis autem qui eum, ut paſtorem ſuum debito honore atque affectione tractaverit, nos omnipotentis Dei & apoſtolorum ejus donamus benedictione: qui vero huic conſtitutioni noſtræ obviam ire tentaverit, clericos quidem a clericatus officio removemus: Laicis autem gratiæ apoſtolicæ conſortium interdicimus. Illum nimirum, qui ſe in veſtram eccleſiam poſt hujus catholici paſtoris electionem præſumptuoſe, ac irreverenter ingeſſit, nos eum pro perſonæ inutilitate, tum pro veſtræ eccleſiæ neceſſitate ab uſurpatione indebita per præſentis decreti paginam omnibus modis ſequeſtramus, & omnes qui ei ſacramento adſtricti ſunt, quatenus ad epiſcopatus honorem ab ejus fidelitate abſolvimus. Hunc ergo dilectiſſimi in Chriſto filii, tanquam Angelum Domini & catholicæ fidei legatum excipite, huic tam in divinorum, quam in ſæcularium negotiorum conſiliis obedite. Sane quæ catholicorum in veſtris partibus epiſcoporum magna eſt raritas, ſi, quid & in alienis parochiis diſpoſuerit, ex abundantiori apoſtolicæ gratiæ, & noſtræ auctoritatis diſpoſuerit plenitudine, ratum, inconvulſumque permaneat. Omnipotens Dominus apoſtolorum ſuorum meritis vos a peccatis abſolvat, & æternæ vitæ conſortes efficiat

IN SUPERIOREM EPISTOLAM, COLLECTORIS ADNOTATIO.

NEci tradito ob catholicæ partis defenſionem Burchardo II. Halberſtadenſi epiſcopo anno 1088. Thietmarum diaconum pars catholica elegit; ſed eo veneni propinatione a ſchiſmaticis haud diu poſt extincto; in eandem cathedram aſſumitur Hervaudus, qui & Stephanus abbas Ilſineburgenſis, quem in hac epiſtola reſp cere Urbanum cenſeo. Hæc deſumpſi ex Annaliſta Saxone Eccardi.

EJUSDEM AD SAXONES CATHOLICOS.

ANNO CHRISTI 1088.

Nunciat ſe Halberſtadenſem electum conſecraſſe, neglecto Moguntino Metropolitano ob ſchiſma.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis fratribus N. Magdeburgenſi archiepiſcopo & N. Virdunenſi epiſcopo, & cæteris epiſcopis & abbatibus Saxoniæ in catholica fide perſiſtentibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ibid. n. 181.

QUaliter in Halberſtadenſi eccleſia venerabilis frater noſter * H. cui nos Stephani nomen impoſuimus, jam dudum electus fuerit, quemadmodum dolis, & blanditiis, minis ac terroribus ab eadem eccleſia ſit exturbatus, prudentiam veſtram latere non credimus. Reſpexit tamen populum ſuum miſerationis ſupremæ dignatio cum eundem electum ad ſanctorum apoſtolorum limina & ad noſtram præſentiam adduxit, & quia in Metropolitana Moguntinæ eccleſiæ ſede pro tanta ſchiſmaticorum tempeſtate ordinari non poterat, eum in ipſa catholicorum omnium matris Romanæ eccleſiæ ſede conſecrari conceſſit. Cum vero veniſſet ad nos, quibus licet indignis, apoſtolorum principis vice ac loco cunctarum per orbem eccleſiarum cura ac diſpoſitio cernitur imminere, ipſius electionem juſtam atque canonicam cognoſcentes, præſentiſque temporis neceſſitatem conſiderantes communicato confratrum noſtrorum epiſcoporum & cardinalium ac nobilium Romanorum conſilio, eum annuente Domino conſecravimus. Oportuit ſiquidem nos pro commiſſi nobis ſervitute officii tam diutinam ejuſdem eccleſiæ deſolationem attendere & tot animarum ſaluti largiente Domino providere. Hunc itaque noſtri laboris ſocium cum literarum præſentium commendatione remittimus, obſecrantes pro Chriſto, atque præcipientes, ut ad evellendas Dominici agri ſentes communi conſilio & auxilio inſudemus. Nulla vos diſſimulatio retrahat, nulla ſegnities impediat, quin ipſum ad recuperandam eccleſiæ ſuæ ſedem viriliter adjuvetis, & ei reſiſtentes tam clericos quam laicos potentia veſtra coerce re curetis. Illum nimirum qui ſe in Halberſtadenſem eccleſiam poſt canonicam hujus electionem præſumptuoſe, & irreverenter ingeſſit, nos eum pro perſonæ inutilitate, tum eccleſiæ ipſius neceſſitate ab uſurpatione indebita per præſentis decreti paginam ſequeſtramus, & omnes qui ei ſacramento adſtricti ſunt quantum ad epiſcopatus honorem a vinculo ipſius fidelitatis abſolvimus. In illis ſane partibus catholici non habentur parochiis epiſcopi, unde ſi quid ex abundantiori apoſtolicæ gratiæ & noſtræ auctoritatis plenitudine diſpoſuerit, ratum habetote, ipſum & divinorum & ſæcularium negotiorum conſiliis ſocium adhibete. Ita contra eum vos in omnibus agite, ut & nos pro eo vobis gratias debeamus, & catholicæ veritatis lumen contra unumquemque reſplendeat. Fraternitatem veſtram ſuperna dignatio per tempora multa ſervet incolumem. Data Romæ VIII. idus Februarii.

* Harvaudi

AD RAINOLDUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM,

Quod Pulconem Bolvacenſem epiſcopum coram ſe purgatum a crimine iterum purgari voluerit, queritur.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimis fratribus R. Remenſi archiepiſcopo ejuſque ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ANNO CHRISTI 1088.

Extat apud Baluzium Miſcell. to. 5 p. 6. 398.

FRaternitati veſtræ notiſſimum credimus quemadmodum anno præterito ad apoſtolorum limina Fulco Belvacenſis epiſcopus veniens ultro in manibus noſtris epiſcopatum ex intepro refutavit. Nos autem neceſſitati eccleſiaſticæ diſpenſatione apoſtolica providentes, eidem fratri nolenti & renitenti epiſcopatus curam injunximus, retenta tamen pontificalis officii plenitudine; quoniam quidem patrem ejus pro ipſius electione pecuniam obtuliſſe rumor extiterat. Cæterum poſt aliquantum temporis & pater ejus & Odo venerabilis Belvacenſis eccleſiæ canonicus ad noſtram præſentiam pervenientes, tactis ſacroſanctis evangeliis ab omni cum ſimoniacæ pravitatis ſuſpicione liberum reddiderunt. Ita nos eccleſiæ noſtræ fratribus ſatisfactum juſtitiæ judicantibus, plenitudinem illi pontificalis officii reſtituimus.

Cum igitur nemini unquam apoſtolicæ ſedis liceat retractare judicium, cum nemini de ſe conſeſſo credi debeat; cum ad unius accuſationem nemo valeat legitime condemnari, miramur qua præſumptione poſt datam a Petri vicario ſententiam præjudicium intuliſtis, quo ſpiritu præditum confratrem & coepiſcopum noſtrum ob unius accuſationem hominis addixiſtis, qua temeritate eidem uni ſemetipſum ſimoniacum accuſanti adverſus alium adeo credideritis, ut quem de cauſa eadem canonico ordine diſcuſſum eccleſia Romana abſolverat, vos in ejus injuriam iterato illum judicio purgationi canonicæ ſubjiceretis. Quia ergo adverſus matrem veſtram Romanam eccleſiam brachium extendiſtis, magna eſtis animadverſione digniſſimi, quippe ut auctoritatem ſanctorum canonum conculcantes. Te præcipue cariſſime ac reverendiſſime frater R. Remenſis archiepiſcope, ſalva dilectionis inclytæ reverentia te ſuper hoc ducimus arguendum, quod in conſpectu tuo tantam pati potueris apoſtolorum principi injuriam irrogari. Nos itaque accuſationem illam, & ſententiam illam contra ſanctorum canonum inſtituta prolatam omnino irritam eſſe cenſemus, & Belvacenſem epiſcopum religioſæ & ſimplicis vitæ virum loco ſuo & officio reſtitutum firmamus. Sane quicumque ex vobis adverſus eum non judicium ſed præjudicium protulerunt, noverint ſe auctore Petro & judicium uſque ad ſatisfactionem congruam ſubituros, & jacturam quam frater ille perpeſſus eſt, æſtimatione legitima ſoluturos. Illum autem ita abſolutum eſſe cenſemus, ut ſi qua in eum deinceps quæſtio emerſerit, ſolo Romanæ ſedis judicio terminatur. De cætero rogamus, te reverentiſſime frater Remenſis archiepiſcope, ut Belvacenſem epiſcopum noſtræ gratiæ plenitudinem obtinentem in ſuis tam ſpiritualibus, quam corporalibus opportunitatibus adjuvetis. Data Lateranis III. idus Maii.

AD EPISCOPUM MAGDEBURGENSEM.

Ne vacillet, ſed recta cauſa inſiſtat, hortatur.

Ex Cod. Udalric. num. 181.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei N. Magdeburgenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INdolis tuæ, dilecte in Chriſto frater, ſtrenuitatem miramur, immo aliquantulum circa pietatis viſcera timemus, ne incurrentis erroris perſuaſio infra præcordia jam dudum tibi pullulaſſet, quod abſit; quandoquidem per utriuſque ſexus fideles religioſos veraciter tibi exoptatos aliquoties noſtras direximus literas tuas, ut ſperamus, fidelitati, nullumque aut prorſus raro, uti talem ac tam ſtrenuum, decet virum, nobis dediſti reſponſum. Cave ergo, cave interim, quæſo, ne collum tuum Pharaoni ſubdatur quo decidente veteri controverſia, quæ peccatis noſtris exigentibus magno temporis ſpatio eccleſiam Dei per diverſa orbis climata, pene per interiores medullas fatigavit; ſalvo tamen paucorum interiore homine, Baal paullatim confuſus eſt & mundo abſorbet donorum epiſcopi ſancti fraudulentus mercator. Tu ergo qui, ut a Deo, ita & ab hominibus culmen accepiſti, quod magiſtro apoſtolorum, cujus vicem adeptus es, ſuiſque ſucceſſoribus ſpopondiſti. Quod ſi perſeverare valeas ſalvus eris. Nemo enim mittens manum ſuam in aratrum, ſi retro proſpiciat faciens injuſtum ſulcum, aptus eſt regno Dei; & qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Sunt autem alia non modulo chartulæ commendanda, quæ Deo diſponente præſens legatus verbis auri ſecrete intimabit, quæ precamur honeſte remittas quantocius poteris. Glorioſus Deus mentem tuam atque provideat tuos actus.

ANNO CHRISTI 1088

URBANI II. DECRETA QUÆDAM

Stephanus Tornacenſis in epiſtola prima ad Robertum Pontiniacenſem hoc Urbani decretum refert.

Si quis in eccleſia ſua ſub epiſcopo populum retinet, ſi afflatus Spiritu ſancto in aliquo monaſterio vel regulari canonica ſalvare ſe voluerit, etiam epiſcopo ſuo contradicente, eat liber auctoritate noſtra. Juſto enim non eſt lex poſita, ſed ubi Spiritus Domini ibi libertas, & ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.

Et infra: Mandamus & univerſaliter interdicimus ne quis canonicus regulariter profeſſus, niſi, quod abſit, publice lapſus fuerit, monachus efficiatur. Quod ſi decreto noſtro contraire præſumens agere tentaverit, ad ordinem canonicum præcipimus ut redeat, & deinde memorialem cellulam * deferat, & ultimus in choro ſedeat.

* Alias memoriale præſumptionis ſuæ cucullam deferat Anſel. Havelperg. de ord. canon. cap. XVV. qui & monet ab aliis legi cucullam deferre.

Item ſtatuimus ne profeſſionis canonicæ quiſpiam Dei vice ſuper caput ſibi hominem impoſuit alicujus levitatis inſtinctu vel diſtrictioris religionis obtentu ex eodem clauſtro audeat ſine patris totius congregationis permiſſione recedere. Diſcedentes vero nullus abbatum, vel epiſcoporum, & nullus monachorum ſine communi literarum cautione ſuſcipiat, ad hæc impetrata venia, ſalva reverentia majorum & gratia.

URBANUS PAPA SECUNDUS.

Ad canonicos regulares in quodam ſuo decretali ſcripto dicit inter cætera.

Ex Gerhoh. in lib. de ædificio Dei apud Pez in anecdot. to. 5. par 2. pag. 147.

OPortet nos qui licet indigni, Petri reſidemus in loco prava corrigere, recta firmare, & in omni eccleſia arbitrium judicis ejus judicium noſtrum prodeat, oculi noſtri videant æquitatem. Omnipotenti ergo Deo, cujus melior eſt miſericordia ſuper vitas, gratias agimus: quod vos eſtis qui ſanctorum Patrum vitam probabilem renovatis & apoſtolica inſtituta diſciplinæ in primordiis eccleſiæ ſanctæ exorta, ſed creſcente eccleſia jam pene deleta inſtinctu ſancti ſpiritus ſuſci-

ANNO CHRISTI 1089

scitatis. Duæ enim ab Ecclesiæ sanctæ primordiis A vitæ ejus filiis sunt institutæ, una, qua infirmorum debilitas retinetur: altera, qua fortiorum virtus beata perficitur. Una remanens in Segor parvula, altera ad montis altiora conscendens. Una lacrymis & eleemosynis quotidiana peccata redimens; altera quotidiana instantia merita æterna conquirens. Alteram tenentes inferiorem, terrenis bonis utuntur, alteram sequentes superiorem, bonam terram despiciunt ac relinquunt. Hæc autem quæ a terrenis divertitur, in duas pene unius ejusdemque propositi dividitur portiones, canonicorum scilicet & monachorum. Harum secunda per divinam misericordiam frequentata satis jam sæculo universo elucet. Prima vero decalescente fervore fidelium jam pene omni- B no defluxit. Hanc martyr & pontifex Urbanus instituit. Hanc Augustinus suis regulis ordinavit. Hanc Gregorius Augustino Anglorum archiepiscopo instituendam præcepit. Itaque non minoris æstimandum est meriti, hanc vitam ecclesiæ primitivæ aspirante ac prosequente Domini Spiritu suscitare, quam florentem monachorum religionem ejusdem spiritus perseverantia custodire.

Urbanus papa super Arragonum regem qui neptem suam cuidam militi se daturum sub fidei promissione firmaverat canonicum profert in hac verba capitulum:

De neptis tuæ conjugio, quam te cuidam daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione firmasti, hoc æquitate dictante decer- C nimus, ut si illa virum, ut dicitur omnino renuit, & in eadem voluntatis auctoritate persistit, ut viro illo prorsus se deneget nupturam, nequaquam eam invitam & renitentem ejusdem viri cogas conjugio sociari; quorum enim unum corpus est, debet esse & animus, ne forte cum viro alii invita fuerit copulata contra Domini apostolique præceptum, aut reatum dissidii, aut crimen fornicationis incurrat. Cujus videlicet peccati malum in eum redundare constet, qui eam conjunxit invitam.

GODEFRIDO LUCANO EPISCOPO.

Quod non sint homicidæ existimandi qui excommunicatos zelo ecclesiæ occiderint.

Vide Carnot in dec. p. 332. EXcommunicatorum interfectoribus prout morem Romanæ ecclesiæ nosti secundum ipsorum intentionem modum congruæ satisfactionis injunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quod adversus excommunicatos zelo catholicæ matris ardentes, eorum quoslibet trucidasse contigerit. Ne tamen ejusdem ecclesiæ matris disciplina desæviat, tenore quem diximus, pœnitentiam eis indicito congruentem, qua divinæ simplicitatis oculos adversus se complacere pervaleant, si forte quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio contraxerunt. E

ADNOTATIO IN HOC DECRETUM.

Hæc ipsa verba ex epist. Urbani ad Sanctum decerpsit Gratianus 32. q. 2. can. De neptis.

URBANUS II. ADMONEMUS &c.

ANNO CHRISTI 1088.

Ex responsalibus Urbani ad Carolum cap. XLIV.

OMnem vim inventorum suorum in dialectica disputantes ponunt hæretici q. philosophorum sententia diffinit non astruendi vim habere, sed studium destruendi, sed non in dialectica placuit Deo s. e. s. regnum Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. *Additio ad Gratian. dist. 37. (a).*

Adjecit Anonymus MSS. Cod Gratian. in Bibl. PP. Carm. Matris Dei Lecensis.

URBANUS PAPA IN EPISTOLA AD POPULUM S. VINCENTII.

(Vulturnensis juxta Capuam.)

SI adulteri vel alias criminosi hæresi vel schismate, ideſt præcisione vel depositione ab ecclesia non separantur, sacramenta eorum sancta non negamus, sic Augustinum sequentes: sed prædecessores nostri Gregorius & Nicolaus a missis talium abstinere præceperunt, ut hoc terrore & peccandi licentiam cæteris auferrent, & ipsos rubore sui contemtus ad digna pœnitentiæ lamenta revocarent.

Affert Anonymus contemtor. Alberonis. Muratori Ver. Mon. to IX p. 1.

Et post modicum: Proprias habet criminosorum sacramenta virtutis dignitates, ut beatus Augustinus super Johannem contra Donatistas ait; sed agentibus & suscipientibus eadem sacramenta contra sanctorum pontificum instituta, nisi forte sola morte interveniente, utpote ne sine baptismate vel communione quilibet humanis rebus excedat, eis inquam, in tantum obsunt, ut veri idololatræ sint, cum talibus & ordinationum, & sacramentorum confectio, & aliter quam præmissum susceptio vehementer a sacris ordinibus prohibeantur.

Item post pauca: Hæc de malis catholicis qui intra ecclesiam sunt. Cæterum schismaticorum & hæreticorum sacramenta quoniam extra sunt, juxta sanctorum patrum traditiones, Pelagii scilicet, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi, formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi vel eorum sacramentis initiati per manus impositionem ad catholicam veritatem redierint.

☞ ALIUD URBANI II. DECRETUM.

Ex Burchardi Cod in Bibl. Barberina n. 1881.

URbanus Papa secundus duæ inquit leges sunt, una publica, altera privata; publica lex est, quæ a sanctis Patribus scripta est firmata, ut est lex canonum, quæ quidem propter transgressores est tradita, verbi gratia, decretum est in canonibus clericum non debere de suo episcopatu ad alium transire, nisi commendatitiis litteris episcopi sui, quod propter criminosos sic statutum est, nec videlicet infames ab aliquo episcopo suscipiantur personæ. Solebant enim officia sua cum non poterant in suo, in episcopatu altero celebrare, quod jure præceptis, & scriptis detestatum est. Lex vero privata, quod instinctum est sancti spiritus, in corde scribitur, sicut de quibusdam dicit Apostolus, qui habent legem Dei scriptam in cordibus suis, & sibi & ipsi sancti sunt lex. Si quis horum in ecclesia sua sub episcopo suo proprium retinet, & secularitèr vivit, si afflante spiritu sancto in aliquo monasterio se salvare vo-

(a) Nullus tamen fuit Carolus Imperator sub Urbano II. quare mendosus est titulus, & forte hoc decretum ad alium Pontificem pertinet. *Manſi.*

luerit, quia lege privata ducitur, nulla ratio exigit ut ad publica conſtringat ; (ſi ut a publica conſtringatur) dignior eſt enim privata lex, quam publica. Spiritus quidem Dei lex eſt, & qui ſpiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur. Et quis eſt, qui poſſit ſpiritui ſancto digne reſiſtere ? Quiſquis ergo hoc ſpiritu ducitur & epiſcopo ſuo contradicente, eat liber noſtra auctoritate. Juſto enim lex non eſt poſita, & ubi ſpiritus Domini ibi libertas, & ſi ſpiritu Dei ducimini, non eſtis ſub lege.

ANNO CHRISTI 1084

EJUSDEM PONTIFICIS.

Ex cod. Vatic. Baronius ex Schannat. ex quo Hartzheim conc. Germ. 3. pag. 110.

Alia Epiſtola ex Synodo Romana ſcripta ad Gebehardum Conſtantiæ Epiſcopum canonica, B qua eidem legationem Apoſtolicam, & procurationem Eccleſiarum in Saxonia, Alemannia defert & confirmat.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Gebehardo Conſtantienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUia te ſpeciale, poſt Dominum, manuum noſtrarum opus eſſe perpendimus, & quia ſpecialem in te Religionis gratiam eſſe cognoſcimus; idcirco te adjuvare, tuisque neceſſitatibus ſpecialiter ſubvinire, Domino annuente, ſatagimus. Quæſtiones autem, quas tuis litteris ſignificaſti, veſtris in partibus agitari, apud nos quo- C que ſatis frequenter noveris commoveri.

Fratrum itaque communicato conſilio, diuque excommunicationis quæſtione tractata, ſancti prædeceſſoris noſtri Gregorii ſententiam confirmantes, ita eam Domino inſpirante determinavimus.

Primo quidem gradu Ravennatem hæreſiarcham, Romanæ Eccleſiæ invaſorem, cum Henrico Rege, ejuſdem perverſitatis capite, ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ membris alienum, & excommunicatum eſſe cenſemus.

Secundo eos, qui armis, pecunia, conſilio, aut obedientia, Eccleſiaſticos maxime ordines, aut honores ab eis, aut eorum fautoribus accipiendo, eorum nequitiæ adminiculum ſubminiſtrant. Hos igitur principaliter anathematis vin- D culo adſtringentes.

In tertio gradu communicantes eis nos quidem non excommunicavimus, ſed quia ipſi ſe eorum communione commaculant, in noſtram eos ſocietatem nequaquam ſine pœnitentiæ ultione, & abſolutione recepimus. Sanctis quippe canonibus cautum conſtat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur. Ipſius autem pœnitentiæ atque abſolutionis modos ea moderatione diſcrevimus, ut quicunque ſeu ignorantia ſeu timore, ſeu neceſſitate negotii cuiquam maxime neceſſarii eorum ſe convictu, ſalutatione, oratione, oſculatione contaminaverit cum minoris pœnitentiæ abſolutioniſque medicina ſocietatis noſtræ participium ſortiatur : Eos vero qui aut ſponta- E nee aut negligenter inciderint ſub ea volumus diſciplinæ coercitione ſuſcipi, ut cæteris metus incutiatur, cujus diſciplinæ moderamina, quod ad tuam curam ſpectat noſtræ providentiæ, prout oportere videris, pro temporibus & perſonarum competentia ſervanda committimus.

Quarto. Porro de clericis qui ab excommunicatis Epiſcopis ordinati ſunt necdum quidem ſententiam fiximus, quia generalis mali contagium, generalis ſynodi eſt cauterio comburendum. Tuæ A tamen paternitati hoc reſpondemus ad præſens ut ab excommunicatis quondam tamen catholicis epiſcopis ordinatis ſi quidem non ſimoniace ordines ipſos ſuſceperint & ſi ipſos epiſcopos non ſimoniacos fuiſſe conſtiterit; ad hoc ſi eorum religioſior vita & doctrinæ prærogativa viſa fuerit promereri, pœnitentia indicta quam congruam duxeris in ipſis quos acceperunt ordinibus manere permittas, ad ſuperiores autem aſcendere non concedimus, niſi neceſſitas, & utilitas maxima flagitaverit, & ipſorum ſancta converſatio promoverit ; & hoc tamen ipſum rarius cum cautela præcipua eſt concedendum.

ANNO CHRISTI 1084

V. De Presbyteris, Diaconis, aut Subdiaconis, qui poſt acceptum ordinem in aliquo crimine lapſi fuerint ſive palam ſive clam, conſtat quidem canonum cenſura ab Eccleſiaſticis eos officiis inhiberi ; tuæ tamen diſcretioni providentiæque committimus, utrum aliqui, qui tamen infamiæ notis non fuerint aſperſi, neceſſitate Eccleſiæ urgente, & ipſorum ſancta converſatione promerente in ſuis gradibus recuperari debeant. Hoc autem ſecundum indulgentiam dico, non ſecundum imperium, ut veſtra major veſtris in partibus contra hæreticos habeatur auctoritas, ſalva tamen auctoritate Canonum & Sanctorum Patrum decretalibus inſtitutis. Si quem vero, quod abſit, aut poſt acceptum, aut ante acceptum officium contigerit perentorio, ſive clam, ſive palam occupatum crimine inveniri : eos maxime, qui mundo adhuc vivunt ab omni altaris miniſterio ſequeſtramus.

VI. Sane inſulam Augiam ſub juriſdictione B. Petri, ac Romanæ Eccleſiæ conſtat ſpecialiter contineri, ſed quia eorum privilegium ; quod ab Romana Eccleſia obtinent non ſatis meminimus cauſam facile determinare non poſſumus, ſalva tamen ejus privilegii auctoritate, tibi ſingulariter in clerum, & in populum illic habitantem, præter Monachos, omnem concedimus Epiſcopalem regiminis poteſtatem. Cæterum ut in eodem Abbatem Catholicum regulariter, vice noſtra præſtituere ſtudeas, tuæ obedientiæ imperamus, nec ſolum in eo, ſed & in S. Galli cœnobio, & in ceteris, ſi quæ ſint, propriis Abbatibus deſtituta, noſtra fretus auctoritate, cum conſilio, quorum intereſſe noveris, Abbates eligere atque electos conſecrare procura. Idem etiam tibi ſtudendum de Auguſtenſi, & Curienſi Epiſcopatibus injungimus : nec non & de cæteris, ad quæ Pactavienſis Epiſcopus advocari, vel adeſſe nequiverit.

IX. Et ipſi enim, quemadmodum, & tibi Saxoniæ, Alemanniæ, aut cæterarum, quæ prope ſunt, regionum, vice noſtra procurationem injunximus, ut ordinationes improbandas improbetis, roborandas roboretis, & quidquid Eccleſiaſtici negotii diſponendum fuerit, communicato Religioſorum virorum conſilio, diſponentes, quoad uſque privationem, annuente Domino, Legatum Sedis Apoſtolicæ ſuſcipere valeatis. Vos qui Dei zelo fervetis, & ſcientia, doctrinaque præcellitis, omni cura, atque ſollicitudine utilitatibus Eccleſiaſticis inſudate, ſcientes quoniam & nos in Ipſis veſtris utilitatibus libentiſſime annuemus : labores autem Romanæ Eccleſiæ communicare, eoſque opis veſtræ auxilio ſublevare nullo modo pigri ſitis. Benedictionum ſuarum vos Omnipotens Deus ubertate perfundat, incolumes cuſtodiat, & ad vitam perducat æternam.

Dat. Romæ XIV. Kalend. Maii anno ab Incarnat. Domini Noſtri Jeſu Chriſti MLXXXIX.

CON-

ANNO CHRISTI 1088.

CONCILIUM FUSSELENSE

ANNO (1) 1088. CELEBRATUM.

Ex P. Pagi ad An. Chr. 1088. n. 16.

SAndovallius in Alphonso VI. pag. 79. refert Richardum Abbatem S. Victoris Massilienſis, & Urbani II. in Hiſpania Legatum, Concilium apud S. Mariam de Fuſellis, oppidum vulgo *Huzillos* dictum, prope Palentiam urbem poſitum, æra MCXXVI. anno nempe Chriſti 1088 celebraſſe, cui ipſemet cum Bernardo Toletano & Petro Aquenſi Archiepiſcopis præfuit; amicus enim erat eidem Petro, qui comes ejus in hac legatione fuit. Huic Concilio interfuere Epiſcopi undecim in Actis nominati, Gomeſanus ſcilicet Burgenſis, Gonſalvus Dumienſis, Adericus Tudenſis, Arias Ovetenſis, Oſmundus Aſturicenſis, Raymundus Palentinus, Petrus Legionenſis, Petrus electus Compoſtellanus, Martinus Colimbrienſis, Sigefredus electus Naxarenſis, Petrus electus Aurienſis; præcipui regni Abbates, videlicet Fortunius Silenſis, Vincentius Arlancenſis, Didacus Sahagunti- A nus, Joannes electus Onienſis; & Petrus electus Caradignenſis; & octo proceres, ibidem *Principes* appellati. Nulla in eo officii Romani mentio (jam enim caput illud decitum fuerat) ſed diviſionis, ſeu diſtinctionis limitum diœceſeon Oſmenſis & Burgenſis. Quia vero Oſma ab Archiepiſcopatu Toletano pendebat, Bernardus huic Eccleſiæ antea a Mauris everſæ favebat; Burgenſis enim diœceſis Toleto non ſubjiciebatur. Epiſcopus Oſmenſis nondum tunc electus, aut nominatus, & Petrus, qui huic eccleſiæ poſtea prætectus fuit, anno tantum 1102. a Bernardo conſecratus, ut refert Gillius Gonzalez Avila in ſuo Theatro Eccleſiaſtico. Hujus Concilii Coſſartius loco ſuo non meminit; illud tamen retulit Labbeus ſupra tom. VI. pag. 566. ubi ejus acta refert.

ANNO CHRISTI 1089.

CONCILIUM TURRITANUM

In Sardinia adverſus Torquitorem ejus inſulæ Regulum celebratum anno circiter 1089.

Ex Martene ampliſs. collect. Anecdot. 1. in Præf.

IGnotum hactenus in Sardinia concilium provinciale ſuggerit nobis Joannis Monachi ad Richardum S. Victoris Maſſilienſis abbatem, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinalem epiſtola. Turribus a Piſano Archiepiſcopo celebratum fuit adverſus Torquitorem Sardiniæ judicem, ſic tum reges, ſive regulos in Sardinia appellabant. Fuit autem Torquitor frater, aut ſaltem conſanguineus Bareſonis judicis, pater aut avus Gunnari Sardorum item judicis, qui Bareſonis & Torquitoris parentum ſuorum veſtigia ſequens, cum licentia archiepiſcopi ſui obtulit B. Benedicto Eccleſiam S. Petri de Nurchi &c. ut docet Petrus Diaconus Chron. Caſſin. l. 4. c. 67. Sub pontificatu Alexandri Papæ II. erga Caſſinenſes munificum ſe in primis exhibuit idem Torquitor, cujus inſignes donationes deſcribit Leo Marſicanus l. 3. ejuſdem Chronici c. 24. Poſtea vero ſive a Gregorio VII. ſive ab Urbano anathemate percuſſus eſt, ita ut nullus Chriſtianus daret ei conſilium, neque oſculum pacis, & ave ei nullus Chriſtianus dicere præſumeret, ut loquitur Joannes Monachus. Hujus anathematis cauſam nullam profert. Suſpicamur autem Torquitorem Henrici IV. Imp. ſedis apoſtolicæ hoſtis infenſiſſimi, ac Wiberti antipapæ partes aut ſectatum fuiſſe, aut forte inveſtituras eccleſiarum, quas Gregorius & Urbanus II. e manibus Principum eripere conabantur, dimittere noluiſſe, aut certe ſimoniaca labe, quæ tum paſſim vigebat, infectum fuiſſe. Ut ut eſt, cum ipſe in errore ſuo perſeveraret, miſit ſummus Pontifex Legatum ſuum in Sardiniam Piſanum Archiepiſcopum, a quo coacta ſynodus, quam ad an. 1089. aut circiter revocamus, cum jam Piſanus eſſet Archiepiſcopus, hoc eſt paulo poſt erectam eccleſiam Piſanam in ſedem archiepiſcopalem, quod initio Pontificatus Urbani Papæ II. factum tradunt Piſani. Porro Joannis Monachi epiſtola mendis equidem ſcatens, talis eſt.

C Domino ac reverentiſſimo R. cardinali S. R. E. atque cunctæ congregationis monaſterii Maſſilienſis abbati Joannes ſervus..... indignus monachus veſter apud Galiuri fideles orationes.

Volo vobis notificare & indicare, domine pater, quod adverſum nobis eſt in hac terra in qua ſumus. Scitis vos, cariſſime pater, quod domnus Papa anathematizavit Judicem Torquitorem, & cunctam regionem ſuam: ita ut nullus Chriſtianus det ei conſilium, neque oſculum pacis, & ave ei nullus Chriſtianus dicere præſumat, & ipſe ſuperbus & profugus ſemper in errore ſuo perſeverat, & ad gremium ſanctæ eccleſiæ revertere nollet. Super omnia iſta miſit domnus Papa Legatum ſuum apud Sardiniæ, & jam Archiepiſcopum Piſano viro prudentiſſimo venit apud Turris, vocavit Archiepiſcopos & Epiſcopos Sardiniæ, ut venirent ad ſanctam ſynodum. Venerunt omnes in hunc locum, & vocaverunt ex parte apoſtolica iſtum hæreticum, ut reverteretur ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ: ſed iſte maledictus & impiiſſimus tyrannus obduratus eſt ſicut lapis adamantinus, ut nullus ferre neque accedere in eum poteſt. Fecit itaque ut archiepiſcopi, & epiſcopi omnes contriſtati ſunt valde, clamabant una voce omnes: anathematiza, anathematiza: & confirmavit Legatus & Epiſcopi cum Concilio, omnes principes Sardiniæ præcepta apoſtolica, maledixerunt, & condemnaverunt eum, & traxerunt in poteſtate dœmoniorum. Modo magiſter, & pater nos ſumus in hac tribulatione, & neſcimus quid faciamus. Rogamus, & obſecramus, cariſſime domine, ut tale conſilium mittatis nobis ſicut paſtor bonus, qui ſiat ſalvas animas & corpora noſtra: quia nos magnam verecundiam habemus, quod oculos humanos digito demonſtrat nobis, ecce illos qui participant cum illo

(1) Ad an. circiter 1104. ſub Paſchali II. hoc concilium retert Card. de Aguirre in Concil. Hiſp. to. 4. p. 217.

illo hæretico, & nos ſumus in magna tribulatione & anguſtia, non tantum propter nos, ſed etiam propter infamiam malam noſtro monaſterio. Adhuc omnia ſuſtinemus pro veſtra obedientia, ſed unum pondus adverſum nobis eſt, quod non poſſumus ſuſtinere de iſto excommunicato, qui narrat nobis: ſi vultis fieri mecum in terra mea, ſciatis bene in veritate, quod ego volo ut omne divinum officium faciatis, ſed tantum non vultis facere, hoc exite de terra & cognatione mea, & de re veſtra nullum vobis dabo, niſi tantum veſtimenta, modo de iſtum volumus habere veſtrum conſilium, quomodo faciamus ad honorem Dei & de noſtro monaſterio & Eccleſiæ Romanæ &c.

ANNO CHRISTI 1089.

ANNO CHRISTI 1089.

CONCILIUM ROMANUM I.

Centum & quindecim epiſcoporum, quo res Gregorii VII. & Victoris III. contra Guibertum antipapam, & Henricum pſeudo-imperatorem aliosque ſchiſmaticos geſtæ confirmantur, Anno MLXXXIX. tempore Urbani papæ II.

Acta concilii.

De rebus in hac ſynodo geſtis Bertholdus hujus temporis ſcriptor probatiſſimus iſta refert: *Hoc eodem anno*, nimirum milleſimo octogeſimonono, *dominus papa Urbanus generalem ſynodum centum quindecim epiſcoporum collegit, & eccleſiaſtica ſtatuta ſuorum prædeceſſorum apoſtolica auctoritate confirmavit. Guibertus autem hæreſiarches a Romanis turpiter expellitur, & ne amplius apoſtolicam ſedem invadere præſumat juramento promittere compellitur. Sed jam aliquantulum diuturna regni diſcordia inter catholicos & ſchiſmaticos tepeſcere cœpit, ut non jam bellum adinvicem, ſed pacem componere ſanius judicarent. Quapropter duces & comites fideles ſancti Petri cum Henrico colloquium habuerunt, eique ſuum conſilium & auxilium ad obtinendum regnum firmiſſime promiſerunt, ſi Guibertum hæreſiarcham vellet dimittere, & ad eccleſiaſticam communionem per catholicum paſtorem remeare. Quam quidem conditionem nec ipſe multum reſpuit, ſi tamen in hoc ei principes ſui aſſentiri vellent videlicet epiſcopi, qui ſe cum Guiberto deponendos eſſe non dubitaverunt, eo quod in ejus parte ordinationem, imo execrationem perceperunt.*

Hi ergo penitus hac vice diſſuaſerunt, ne ſanctæ eccleſiæ reconciliaretur. Dominus papa Conſtantinopolitanum imperatorem ab excommunicatione per legatos ſuos (1) abſolvit. Item literas Philippi regis Francorum debitam ei ſubjectionem promittentis ſuſcepit.

Alexius imperator ab ſolvitur ab Urbano Pp.

AD CONCILIUM ROMANUM

Tempore Urbani II. Papæ anno 1089. celebratum.

ADDITIO.

Suppl. Manſi to. II. p. 86

Cum in concilio iſto de cauſa Guiberti actum fuerit, non dubito quominus hujus ejuſdemque concilii ſynodica reputanda ſit epiſtola illa, quam offendi in codice Udalrici num. CLXXVI. Quamvis autem hæc ipſa epiſtola, quo ad ſui partem inſertæ legitur in epiſtola ad Guiebardum epiſcopum Conſtantienſem, apud Labbeum in appendice epiſtolar. Urbani II. pag. 737. tom. XII edit. Veneto-Labbeanæ, non dubito tamen quominus hæc ipſa epiſtola encyclica fuerit, & ad omnes epiſcopos fideles maxime in Germaniam miſſa, quod & demonſtrat titulus, quem in codice Udalrici præfert. Antequam vero hanc epiſtolam recitem, admonere juvat in hac ipſa Romana ſynodo depoſitum excommunicatumque fuiſſe Piſanum archiepiſcopum, qui hoc ipſo anno 1088. circiter Gerardo defuncto ſubſtitutus erat. Narrat enim Urbanus in epiſtola ad Piſtorienſem & Ruſticum abbates, quæ eſt XIX. inter Labbeanas, ſe ſtatim ac comperit illum initiatum fuiſſe diaconum a Werzelone archiepiſcopo Moguntino ſchiſmatico, actutum illum in ſynodali concilio excommunicaſſe & condemnaſſe. Quam abrogatimem locum feciſſe arbitror Daiberto, quem hoc ipſo anno 1088. ad cathedram Piſanam aſcendiſſe ferunt Piſanæ tabulæ. En vero concilii hujus ſynodicam, qualem Udalricus num. 176. exhibet.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei epiſcopis Germaniæ in unitate eccleſiæ conſtitutis ſalutem & A. B. Fratrum noſtrorum communicato concilio, diuque excommunicationis quæſtione tractata, ſancti prædeceſſoris noſtri Gregorii ſententiam confirmantes, ita eam Domino inſpirante determinavimus. Primo ſiquidem gradu Ravennatem hæreſiarcham Romanæ eccleſiæ invaſorem cum ejuſdem perverſitatis capite, ab omnibus eccleſiæ catholicæ membris alienum & excommunicatum eſſe cenſemus; ſecundo qui armis, pecunia, conſilio, aut obedientia eccleſiaſticos maxime ordines aut honores ab eis aut eorum fautoribus accipiendo eorum nequitiæ adminiculum ſubminiſtrant. Hos igitur principaliter anathematis vinculis adſtringentes in tertio gradu communicantes eis, nos quidem non excommunicamus, ſed qui ſe eorum communione commaculant nequaquam in noſtram ſocietatem ſine pœnitentiæ ultione & abſolutione recipimus. Sanctis quippe canonibus ſancitum conſtat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur. Ipſius tamen pœnitentiæ & abſolutionis modos ea moderatione diſcrevimus, ut quiſquis ſeu ignorantia, ſeu timore, ſeu neceſſitate negotii cujuſque maximi & maxime neceſſarii eorum ſe convictu, ſalutatione, oratione l. oſculo contaminaverit, cum

(1) Quod ſubdit Bertholdus, Urbanum II. per Legatos ſuos Imperatorem Conſtantinop. ab excommunicatione abſolviſſe, commentitium eſt, ipſeque Bertholdus de rebus in Oriente geſtis parum edoctus fuit. Neque enim ullus alius Latinus Hiſtoricus, neque ullus Byzantinus hoc in literas miſit, & Anna Comnena, quæ Alexii Imp. patris ſui res diligenter perſequitur, quæque Pontificibus Romanis parum æqua fuit, nihil ſimile habet. *Pagius ad An. Ch. 1089. num. 1.*

ANNO CHRISTI 1089.

cum minoris pœnitentiæ abſolutionisque medicina A noſtræ ſocietatis participium ſortiatur. Eos vero qui ſpontanee, aut negligenter inciderit ſub ea, nolumus diſciplinæ coercitione ſuſcipi, ut cæteris metus incutiatur.

ANNO CHRISTI 1089.

CONCILIUM SANTONENSE

Præſide Amato Oloronenſi epiſcopo S. R. E. legato apoſtolico anno 1089.

ILlud concilium acceptum habemus anonymo B monacho cœnobii S. Maxentii in Pictonibus auctori chronici quod vulgo appellari ſolet Malleacenſe pag. 213. Tomi II. Novæ bibliothecæ MSS. librorum in hæc verba.

Anno MLXXXIX. *Amatus tenuit concilium Santonas quarto Novembris in quod idem* (Amatus apoſtolicæ ſedis vicarius per Aquitaniam & Gaſconiam) *elevatus eſt archiepiſcopus Burdegalæ*. Nec plura de eo hactenus mihi reperta.

CONCILIUM TROJANUM

A BARONIO, BINIO,

Aliiſque appellatum I. epiſcoporum fere ſeptuagintaquinque in Apulia de conjugiis conſanguineorum diſſolvendis celebratum anno domini MLXXXIX. ut volunt.

Locus & acta concilii. *imo 7 pag. 655 editionis Pariſienſis in folio anni 1683.

HUjus concilii meminit Petrus draconus in C chronico Caſſinatæ lib. 1. cap. * 8. Apud Ivonem Carnotenſem ejuſdem concilii fragmentum ejuſmodi reperitur: *Convenit Troiæ in Apulia concilium epiſcoporum fere ſeptuaginta quinque abbatum duodecim, in quo actum eſt de conſanguinitatis linea conjugatis. Cum nemo tamen dictum ſacramenti impedimentum vellet aſſertione firmare, præceptum eſt, ut epiſcopi, quorum diœceſani ſunt, eos per congrua ſpatia trina * advocatione conveniant. Tunc ſi duo vel tres viri conſanguinitatem jurejurando firmaverint, vel ipſimet forte confeſſi fuerint, conjugia diſſolvantur. Si vero neutrum contigerit, epiſcopi eos per baptiſmum, per fidem, per judicium Chriſti, in vera obedientia obteſtentur, quatenus palam faciant, utrum ſe, ſicut fama eſt, conſanguineos recognoſcant. Si negaverint, ſibiipſis relinquendi ſunt, ita tamen, ut ſi aliud in conſcientia habeant, ſe a liminibus eccleſiæ a corpore & ſanguine Domini, a fidelium communione, noverint ſegregatos atque infames effectos, donec ab inceſti facinore * deſinant. Si ſe epiſcoporum judicio ſegregaverint, ſi juvenes ſunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur.* Hactenus quod ſupereſt ex concilio Troiano fragmentum: quod & apud Gratianum & Magiſtrum ſententiarum invenies.

*invocatione.

* deſiſtant. 35. quæſt. cap. 4 Magiſt. diſt. 40

D

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Levi admodum nixus argumento cardinalis Baronius atque ex eo pro more Binius, ejuſque exſcriptores duplicem Troiæ in Apulia ſub Urbano II. papa collocavere ſynodum, priorem hoc anno 1089. alteram 1093. celebratam. enim vero qui canonem illum famoſiſſimum de conjugiis conſanguineorum diſſolvendis memorant Ivo Carnotenſis, Gratianus monachus, Petrus Lombardus ep Pariſienſis, alique nullum temporum characterem proferunt ex quo colligi poſſit uno potius quam altero anno fuiſſe ſancitum. neque ullus quod ſciam illius ætatis ſcriptor meminit hujuſce ſynodi. Quem enim proferunt Petrum diaconum cap. non 8. ſed 7. lib. IV. chronici Caſſinenſis, is nullo pacto ſententiam eorum juvat: immo potius aperte condemnat ſic enim loquitur: *Sequenti tempore idem Urbanus papa ad hæc iterum* (notetur hæc vocula) *deveniens partes, Joannem Cajetanum hujus loci* (Caſſinenſis) *a puero monachum, diaconum, in Lateranenſi patriarchio ordinavit. Quo etiam tempore cum apud Trojam Apuliæ civitatem ſynodum celebraret, abbas noſter quæſtionem de cella Sanctæ Sophiæ intra Beneventum poſuit, ſed ob fremitum bellorum nihil proficere potuit.*

ANNO CHRISTI 1090. * 1089.

a CONCILIUM MELFITANUM

ANNO CHRISTI 1090. * 1089.

IN APULIA CELEBRATUM

Anno Domini non MXC. ut hactenus fere omnes chronologi ſcripſerunt, ſed MLXXXIX. tempore Urbani papæ II. ut docebit tum Joannis S. R. E. diaconi & cancellarii, quam canonibus ſubjiciemus, epiſtola; tum pleraque alia a nobis adjungenda.

CANONES.

I.

Acta ſynodalia ex codice Anconii Auguſtini accepta, & cum Vaticano collata ſunt. * impenſe. * prætexato.

EX ſynodo Urbani papæ ad Melfiam: Sanctorum patrum ſententiis conſona ſentientes Dei & apoſtolorum ejus parte præcipimus, ne quis ulterius dato vel promiſſo, vel pretio, vel ſervitio ea intentione * intento, vel precibus, epiſcopalem nitatur aſſequi dignitatem, nec ullus eam * prætexato tenore indulgeat. Hoc idem etiam de omni eccleſiaſtica dignitate vel officio apoſtolicæ poteſtatis auctoritate præfigimus: alias & dator & acceptor proprii ordinis dignitate priventur.

Epiſcopus omnia ſua epiſcopatus membra, videlicet archidiaconatus, archipresbyteratus, decanias, vel alias præpoſituras eccleſiæ, ſive canonicas, gratis abique omni venalitate diſponat præbendas, etiam * quæ canonicatus dicuntur ſine venalitate diſtribuat. Quiſquis autem ea pretio dederit, quiſquis acceperit, depoſitioni ſubjaceat, ut unica * tunica domini noſtri ſponſæ ſine macula aut ruga permaneat.

* canonicæ, nunc etiam Gallice dicuntur chanoines

* Hæc vocula videtur a librario ex præcedentibus male junctis prodita & a MS. abeſſe.

II.

ANNO CHRISTI 1090. * 1089 qui

Sacrorum canonum inſtituta renovantes præcipimus, ut a tempore ſubdiaconatus nulli liceat carnale commercium exercere. Quod * ſi deprehenſus fuerit, ordinis ſui periculum ſuſtinebit.

III.

Nemo præterea ad ſacrum ordinem permittatur accedere, niſi aut virgo, aut probatæ ſit caſtitatis, & qui uſque ad ſubdiaconatum unicam & virginem uxorem habuerit.

IV.

Igitur ut hæc, annuente domino valeant conſervari, ſanctorum patrum decretis obſecundantes, & eorum præcepta apoſtolico moderamine temperantes, conſtituimus ut nemo ante annos quindecim, aut quatuordecim, ſubdiaconus ordinetur, B nemo ante annos viginti quinque vel viginti quatuor diaconus fiat, nemo ante trigeſimum in presbyterum conſecretur.

V.

Nullus laicus decimas ſuas, aut eccleſiam, aut quidquid eccleſiaſtici juris eſt, ſine conſenſu epiſcopi, vel Romani conceſſione pontificis, monaſteriis aut canonicis offerre præſumat. Quod ſi quis epiſcopus improbitatis & avaritiæ cauſa conſentire noluerit, Romano pontifici nuntietur, & cum ejus licentia quod offerendum eſt * offerat,

offeratur.

VI.

1. q. 3. c. 3. Nullus abbas, nullus eccleſiarum præpoſitus, quæ juris ſunt eccleſiaſtici accipere ſine epiſcopi C conceſſione præſumat.

VII.

Nullus abbas pretium exigere ab eis qui ad converſionem veniunt aliqua placiti occaſione præſumat.

VIII.

* Et providentes. Illud ſummopere & apoſtolicæ auctoritatis privilegio prohibentes * interdicimus, ut nullus in clericali ordine conſtitutus, nullus monachus, epiſcopatus, aut abbatiæ, aut cujuslibet eccleſiaſticæ dignitatis, inveſtituram de manu laici ſuſcipere audeat. Quod ſi præſumpſerit, depoſitione mulctetur.

IX.

Quia novum hoc tempore clericorum Acephalorum genus emerſit, qui morantur in curiis, & viris & feminis ad ſui ordinis dedecus ſubditi, cum in canonibus cautum ſit ne quis ſine licentia epiſcopi clericus, nec epiſcopus ſine metropolitano curiam adeat præcipiendo præcipimus, & prohibentes prohibemus, ne quis * retineat hujuſmodi. Sed proceres ab epiſcopis animarum ſuarum * procures clericos * poſtularet, ſi epiſcopi juſſione pro tempore ac viciſſim in curiis conſentur. Ipſis itaque omnino interdicimus, ne * decimis * procerum ſine conceſſione ſui epiſcopi abutantur.

Præterea ſtatuimus, ne quis epiſcopus, aut primas, monachum quemlibet vagantem in ſua E diœceſi provinciave retineat, niſi abbatis proprii fuerit literis regulariter commendatus.

Præterea.
* procuratores.
* poſtulet
* ſi ecclei ens proceres
* Ita habent Mſſ cod. nec quicquam mutandum cum ſenſus commodius queat elici.

XI.

Ne gravamen aliquod ſancta patiatur eccleſia, nullum jus laicis in clericos eſſe volumus & cenſemus. Unde cavendum eſt, ne ſervilis conditionis, aut curialium officiorum obnoxii ab epiſcopis promoveantur in clerum. Neque liceat laicis exactionem aliquam pro eccleſiæ beneficiis, aut paternis maternisve facultatibus quærere. Quod ſi forte clericorum aliquis cujuslibet laici poſſeſſionibus uſus fuerit, aut vicarium qui debitum reddet inveniat, aut * poſſeſſione cadat, ne gravamen eccleſiæ inferatur. A

XII.

ANNO CHRISTI 1090. * 1089. * Poſſeſſionem colat, ita Mſſ Dist. 50 c. 1

Porro eos qui in ſubdiaconatu * uxoribus vacare voluerint, ab omni ſacro ordine removemus, officio atque beneficio eccleſiæ carere decernimus. Quod ſi ab epiſcopo commoniti non ſe correxerint, principibus licentiam indulgemus, ut eorum feminas mancipent ſervituti. Si vero epiſcopi conſenſerint eorum pravitatibus, ipſi officii interdictione mulctentur.

XIII.

Utque omnia ſcandala omneſque occaſiones laicis ſubtrahantur, ſciſſis veſtibus clericos abuti ulterius prohibemus, & ne pompoſis induantur exuviis admonemus. Penſandum eſt namque, quantum viris flagitii adſcribatur, a quibus * curam paſtor eccleſiæ exigit & feminas prohibere, dicens: *Non in veſte pretioſa*, quam dominus ipſe vituperans, nobiſque cavendam inſinuans, ait: *Qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.*

* Curavi paſtor eccleſiæ (hoc eſt apoſtolus Paulus) 1. Tim. 2. Matth. 11. etiam feminas prob. d. Canon XIV. XV. & XVI. ildem cum Can. 3 et. 4 et. Concil. Later. II.

XIV.

Presbyterorum filios a ſacris altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in cœnobiis, aut in canonicis religioſe probati fuerint converſari.

XV.

A ſuis epiſcopis excommunicatos ab aliis recipi magnopere prohibemus.

XVI.

Sane quia inter cætera unum eſt quod maxime ſanctam perturbat eccleſiam, falſæ videlicet pœnitentiæ, confratres noſtros epiſcopos & presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum * protrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat, cum, ſpretis pluribus, de uno ſolo peccato pœnitentia agitur. Aut * ſic cum agitur de uno, ut non * diſcedatur ab alio, (peccato ſcilicet.) Unde ſcriptum eſt: *Qui totam legem ſervaverit, offendit autem in uno, factus eſt omnium reus*, ſcilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim ſi peccatis eſſet omnibus involutus, ita ſi in uno tantum maneat, vitæ æternæ januam non intrabit. Falſa etiam ſit pœnitentia, cum * penitus ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quæ ſine peccatis agi ulla ratione non prævalent: aut ſi odium in corde * geſtet, aut ſi offenſo cuilibet non * ſatisfaciat, aut ſi, cum non offenderit, offenſus non indulgeat, aut ſi arma quis contra juſtitiam gerat.

* protrahi.
* cum ſic diſcedat Jac. 2.
* penitus
* geſtetur.
* ſatisfiat

Notæ Severini Binii.

a *Concilium*) De tempore aliiſque rebus geſtis hujus ſynodi Meſſanæ Romualdus Salernitanus archiepiſcopus in chronico iſta refert: *Anno dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo, indictione decima tertia, menſe Septembri, Urbanus papa Synodum celebravit in civitate Melfiæ, in qua Rogerius dux ligius ejus homo effectus, promiſſa jurejurando ſe ſervaturum fidem Romanæ eccleſiæ, & civibus papa ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Accepit per vexillum ab eo terram cum ducatus honore.* Hæc Romualdus. Tempus & acta concilii. Rogerius dux vaſſallus fit Romanæ eccleſiæ inveſtitur.

Additio Philippi Labbe S. J.

Ex chronico Lupi Protoſpathæ ab Antonio Caraccioli Theatino anno 1626. cum aliis Neapoli excuſo.

Anno 1089. facta eſt ſynodus omnium Apulienſium, Calabrorum ac Brutiorum epiſcoporum in civitate Meſſiæ, ubi adfuit etiam dux Rogerius cum univerſis comitibus Apuliæ ac Calabriæ & alia-

& aliarum provinciarum, in quas ſtatutum eſt ut A ſancta treva retineretur ab omnibus ſubjectis. Urbanus papa venit in civitatem Barum, & conſecravit ibi confeſſionem S. Nicolai & Heliam archiepiſcopum, &c.

ANNO CHRISTI 1089.

Eundem quoque annum Melfitani concilii expreſſum habemus tum, ut paulo ante monuimus in epiſtola Joannis cancellarii S. R. E. quam mox ſubjicimus, tum in præfatione canonibus Melfitanis præfixa, quæ ex MSS. codice Romano deſcripta huc ad me tranſmiſſa eſt.

Anno 1089 Vide Baron. ad eumdem annum. H.

Anno dominicæ incarnationis MLXXXIX. pontificatus domini * V. papæ II. indict. XII. IV. Idus Septembr. congregata eſt apud Melphiam Apuliæ urbem ejus juſſu ſynodus epiſcoporum LXX. abbatum XII. Die autem ſecundo edita ſunt capitula hæc ſanctorum Patrum ſententiis conſona.

* Urbani papæ II.

In eandem quoque ſententiam hæc addit Camillus Peregrinius pag. 89. caſtigationum in Lupum Protoſpatham. B

De menſe acti concilii concordat Joannes archidiaconus Barenſis apud Baronium an. 1091. n. 14. *Electo*, inquit, *Elia in archiepiſcopum Barii voluntate atque conſenſu ducis Rogerii filii ducis Roberti, Melfiam papam Urbanum adivimus qui ibidem ſynodum celebrabat menſe Septembris, quem rogavimus ut uſque Barum deſcenderet*, &c. At Eliam in archiepiſcopum ordinatum conſtat ab Urbano in anno ſecundo pontificatus ſui, Chriſti 1089. Indict. 13. die 9. Octobris. Baronio metipſo bullam conſecrationis referente ad annum modo dictum n. 5. & ſeq. Lupus igitur rei geſtæ æqualis Melfitanam ſynodum rite in annum refert 1089. imperite Romualdus ad an. 1090. qui integro fere ſæculo poſterior fuit. Verum ex librarii id accidiſſe culpa non dubito, qui unitatis notam detraxit, annoſque a Romualdo deſcriptos MLXXXIX. reddidit MLXXXX. ſicuti ex adjecta liquet inductione XIII. cœpta numerari a menſe Septembri, quo ſynodus Melphitana eſt celebrata. *Sed ad epiſtolam veniamus.*

EPISTOLA JOANNIS S. R. E. DIACONI

ANNO CHRISTI 1089.

Et Cancellarii ad Abbatem Moliſmenſem.

Venerabili monaſterii Moliſmenſis abbati Gu. Fr. Joannes ſanctæ ſedis apoſtolicæ diaconus & cancellarius ſalutem in domino.

OMnes eccleſiarum res in manu epiſcoporum canonica decreta conſtituunt. Sed præteritis temporibus principibus ſæcularibus licuit etiam eccleſias monaſteriis tradere. Hac vero licentia nimis laxe principes uſi ſunt, ut etiam eccleſias monachis venderent. Hoc papa Gregorius ſeptimus acriter prohibuit. Propter quam prohibitionem epiſcopi monaſteria acrius ſpoliare cœperunt. Unde idem moderatione hac uti volunt in concilio antepenultimi anni ſui, ut quæcumque res vel eccleſiæ ante ipſum concilium a principibus datæ monaſteriis fuerant, in eorum poſſeſſione perſiſterent.

Poſt hæc ſecundo pontificatus ſui anno dominus noſter Urbanus papa concilium apud Melfiam urbem Apuliæ celebravit. Sane quia Gregorii papæ præceptio Heinricianæ perſecutionis urgente periculo minus celebrata fuerat, ipſe quoque dominus Urbanus papa præcepit in eodem concilio Melfitano, ut quæ uſque ad illud concilium per principes data monaſteriis fuerant, firma & integra permanerent. De cætero abbates ab adquiſitione hujuſmodi abſtinerent. Hoc ſane concilium Melfitanum celebratum eſt anno dominicæ incarnat. 1089. Porro per huiuſmodi temperamentum & abbates ab eccleſiarum invaſionibus ceſſaverunt, & epiſcopi non omnino ſpoliare monaſteria voluerunt. Plures enim inter eos querelæ ſic poſtea in noſtra Romana eccleſia definitæ ſunt. Quæ autem ſcribimus præſentes nos & audiſſe & vidiſſe noſcatis.

Anno Chriſti 1089.

AD CONCILIUM MELPHITANUM

Ab Urbano papa II. celebratum Anno 1089.

ADDITIO.

Suppl. Mans. Tom. II. p. 86.

Sive ad concilium iſtud, ſive ad aliud Placentinum poſt hoc quinquennio habitum referendus eſt canon, quem exhibet vetuſtus codex Vaticanus, in quo concilium Melphitanum & Placentinum ab Urbano II. celebrata leguntur. Recitant vero illum Romani correctores in notis ad cap. Queſti ſunt D 16. qu. 1. *iidemque ſcite monent, ſanctionem eſſe fere ſimilem canoni XIX. Cabilonenſis concilii anni* 813. *Forte Urbanus vetus hoc decretum, quod rei præſenti conveniret, innovandum, variatis tamen nonnullis, cenſuit.*

Perlatum eſt ad ſanctam ſynodum quod ſint quidam epiſcopi & abbates, qui colonos ad ſe pertinentes non ſinant decimas dare ad eccleſias, ubi miſſas audiunt, & infantes eorum baptizantur. Proinde decrevit ſacer iſte conventus ut epiſcopi, & abbates de vineis, vel agris, E ac frugibus, quæ ad ſuum, vel fratrum uſum laborant, decimas ſibi pro benedictione vel hoſpitum ſuſceptione habeant: familiæ vero ibi dent decimas ſuas, ubi per totum anni circulum miſſas audiunt, & infantes eorum baptizantur.

ANNO CHRISTI 1089.

AD MELFITANUM CONCILIUM

Ab Urbano papa II. anno 1089. *habitum.*

CANONES ADDITI.

ITem *Urbanus II. in Melfitano concilio*. Omnibus modis præcipimus, ut ſi quis in epiſcopum manus injecerit, * eumque, quod dici nefas eſt, capere præſumpſerit, juxta ſanctorum patrum interdictionem proprii honoris dignitate privetur & depoſitis armis perpetua exilii damnatione mulctetur, vel in monaſterium Domino ſerviturus detrudatur. Si quis vero presbyterum aut diaconum, vel ſubdiaconum, vel clericum quemlibet A ceperit, tamdiu excommunicatus permaneat, donec contumeliam captionis pro ſacrilegio reſtituat, bona vero clericorum ſi quis abſtulerit in quatriduum emendare cogatur, bona autem clericorum * & epiſcoporum quæ ipſi pro morte dimiſerunt ita maneant, ſicut ipſi in ſupremo fine ordinaverunt; illis omni modo profutura quibus ipſi ea reliquerunt, quod ſi quis ex rebus illorum aliquid arripuerit vel aliter (quam) ſtatutum eſt evertere (avertere) temptaverit, tamdiu excommunicetur donec pro ſacrilegio emendet. Item * inſtituit ut nullus deinceps ex militia neque ex minoribus ordinibus in epiſcopum promoveatur niſi prius ante annum ſubdiaconus aut B diaconus ſive presbyter fuerit ordinatus.

* Simile aliquid ſis utem eſt ab eod Urbano in Conc Claramont. can. XXXII. ſed diſcrepat in omnibus.

ANNO CHRISTI 1049. * Affert hanc can. Gratian. 10. q. 1. c. De laicis ſed ibi non verba ipſa canonum ut ſonant tam omnino verborum contextus exhibetur & conc Claromontano tributus. * Affert hunc can. ex conc Claramont. Franc. Helie. foreſtus apud Lab. to. XII. pag. 834 ſed hic variat in nonnullis.

ANNO CHRISTI 1090.

CONVENTUS EPISCOPORUM

ANNO CHRISTI 1090.

Ex Martene Anecd Theſ. to 4 p. 119.

Anathema dicentium in invaſores eccleſiæ Biterrenſis,

Ex Chartario Biterrenſi.

VEteris & novæ legis auctoritate ſimul & præceptione docemur, ut ſi quod forte membrum catholicæ eccleſiæ direptionem vel detrimentum ſui in aliquo ab infidelibus patitur, conqueſtionem ſimul & clamorem ante eos qui rectores ſunt eccleſiæ proponat, ut juſtitiæ æquitate inde deſcendente, fidele membrum, unde prius triſtabatur, gratulari videatur. Nos igitur Biterrenſis eccleſia, ubi ſancta unius Deitatis Trinitas, in qua omnis ſedet & regnat pietas & juſtitia, & tibi vir illuſtris & Romanæ Eccleſiæ vicari RICARDE, & tibi ſimul, Sanctiſſime noſtræ metropolitanæ eccleſiæ ſpecialiter prærogate DALMACI, per quem nobis magis reſpondere debet juſtitia, & tibi cariſſimo & amantiſſimo, GODAFREDE Magellonenſium præſul reverentiſſime, vobis quoque omnibus circumquaque vicinis noſtris epiſcopis; immo & omnibus utriuſque ordinis fidelibus, de tanta præſumtione, & tam publice nobis illata injuria conquerimur: quæ magis punienda in capita ſubripientium, quam leniter tractanda jure videtur. Olim enim ſicut & multi alii eccleſiarum adjutores, quidam illuſtris vir & ſanctæ operationis largus effector timens Deum ſimul & amans nomine ATRADULFUS & uxor ſua nomine GARSINDIS contulerunt Domino Deo & SS. martyribus Nazario & Celſo Biterrenſis ſedis eccleſiæ, pro ſuorum & omnis genealogiæ ſuæ peccatorum redemptione, & æterna adipiſcenda beatitudine, contulerunt in quadam noſtri epiſcopatus villa TORTILIAS dicta eccleſiam ejuſdem villæ cum ſuis decimis & pertinentiis & cum omnibus ad eam jure pertinentibus, & omnem alium alodem ſuum, quem in illa villa, ſupra ſcripta & in ejus terminio habere videbantur, ſicut libellus harum rerum roboratæ donationis legitime teſtatur, in quo plurima fit imprecatio & mirabilis atque terribilis conteſtatio in eos & in eas, qui illius ſanctæ donationis quolibet modo eſſent præſumtuoſi invaſores & violatores. Nunc autem, proh dolor! ſurrexerunt quidam falſi chriſtiani, & inimici Dei, & noſtræ eccleſiæ ſacrilegi deſtructores, qui ſupra dicta bona quæ memoratus vir in commune ſtipendium eccleſiæ noſtræ & pauperum eleemoſynas devote contulerat, audaciter & inverecunde eccleſiæ ſurripiunt, ſibi infernaliter contradunt. C Quorum hæc ſunt nomina Raimundus Abbo de Neiracio & uxor ejus & infantes ſui, Hugo Raniſondus de Boiſedone & fratres ſui. Quamobrem oramus vos ſupradicti patres & fratres Dei adjutores & ſanctæ eccleſiæ reparatores, ut falce juſtitiæ hoc pullulans malum reſeceris; & auctoritate vobis a Deo conceſſa hos ſupradictos noſtræ eccleſiæ deſtructores vinculo excommunicationis innodetis.

Audita quæ ſuperius relata eſt & ſcripta Biterrenſis eccleſiæ deſtructione & querimonia, nos omnes ego ſcilicet RICARDUS Romanæ Eccleſiæ vicarius, & AMATUS alius vicarius, & DALMACHIUS Narbonenſis metropolitanus, & MATFREDUS pontifex Biterrenſis, & GODAFRIDUS Magalonenſis epiſcopus, & PETRUS Nemauſenſis epiſcopus, & PETRUS Carcaſſenſis epiſcopus, & BERNARDUS Lutevenſis epiſcopus, & BERENGARIUS Agathenſis, & WILLELMUS Albienſis auctoritate Dei & apoſtolorum Petri & Pauli atque omnium ſanctorum Dei & noſtra maledicimus, excommunicamus & anathematizamus ſupradictos ſacrilegos, & eorum in hac re adjutores, & aſſenſores, & omnes qui vel nunc tollunt vel inantea tollent de toto ipſo honore de TORTILIAS, unde iſta querela facta eſt, & omnes decimatores & miniſtrales eorum, & omnes illos qui decimas vel aliquem uſum vel cenſum de toto ſupra dicto honore donaverint ad eos, vel ad aliquem hominem vel feminam propter illos. Maledicantur, excommunicentur, & anathematizentur, ab omni chriſtianorum cœtu ſeparentur. Maledicti ſint vigilantes, dormientes, ſtantes, ſedentes, jacentes, manducantes, bibentes, loquentes, tacentes, ſupra, infra, dextra, ſiniſtra, ante, retro. Abſorbeat eos terra ſicut abſorbuit Dathan & Abiron. Participes ſint in inferno cum Juda Scariotis traditore, & damnentur cum illis qui dixerunt Domino Deo: Recede a nobis. Veniat ſuper eos lepra de generatione in generationem. Fiant filii eorum orphani & uxores eorum viduæ. Transferantur de habitationibus ſuis & mendicent. Veniant ſuper eos plagæ, quas dedit Deus ad Pharaonem & ad populum ejus, & ſint anathema Maranatha, & omnes maledictiones novi & veteris Teſtamenti incurrant, quouſque reſipiſcant, & de ſupradicta

que-

querela ſatisfaciant Domino Deo & ſanctis martyribus Nazario & Celſo, & proprio epiſcopo, & canonicis ſuis. Et ſi forte quod Deus avertat in hac excommunicatione mortui fuerint, ſepultura aſini ſepeliantur.

ANNO CHRISTI 1050.

ANNO CHRISTI 1050

CONCILIUM NARBONENSE

SUB DALMATIO ARCHIEPISCOPO

Celebratum anno MXC. *die* VII. *Kalendas Aprilis.*

COncilii hujus mentionem fecit v. c. Guillelmus Catellus ſenator Toloſanus in commentariis hiſtoriæ Occitanicæ. In eo præſentibus epiſcopis Toloſano, Carcaſſonenſi, Helenenſi, Biterrenſi & Magalonenſi agitata eſt quæſtio de abbatia S. Laurentii adverſus ipſummet qui præſidebat Dalmatium Narbonenſem archiepiſcopum, factaque eſt ibidem conventio inter eundem præſulem & Robertum abbatem Craſſenſem. Huic quoque abbatiæ ab eodem archiepiſcopo ſubjecta fuit abbatia S. Polycarpi.

In ſecunda parte actorum habetur quomodo Robertus idem abbas ſe & ſuos culpabiles & merito dignos humili ſatisfactione recognoverit, quod interdictum Narbonenſis archiepiſcopi divinum celebrando officium tranſgreſſus fuiſſet; & de quadam abbatia S. Laurentii quam ſine ſui plenaria conceſſione ſuſceperat &c. unde plena rediit inter archiepiſcopum & abbatem concordia. *Plura ex chartulario archiepiſcopi Narbonenſis exhibebimus, cum illuſtriſſimus epiſcopus Monſpelienſis ad nos ea tranſmiſerit, aut eadem aliunde acceperimus.*

Ex Labbei Append. to X.

PARS PRIOR ACTORUM.

IN nomine Domini. In concilio apud Narbonam ad honorem Dei celebrato, veniens dominus Rotbertus abbas, cum majori parte conventus ſibi commiſſi, ante præſentiam domini Dalmatii Dei gratia Narbonenſis archiepiſcopi, atque ejuſdem eccleſiæ ſuffraganeorum, Toloſani, Carcaſſonenſis, Helenenſis, & Biterrenſis, ſeu Magalonenſis, epiſcoporum, & canonicorum ejuſdem eccleſiæ Narbonenſis, cæterorumque virorum, religioſorum, abbatum, & nobilium virorum, qui venerant ad dictum ſanctum concilium.

Proclamavit ſiquidem dictus abbas, cum majori parte ſui conventus, contra præfatum dominum Dalmatium archiepiſcopum, coram toto concilio, quia injuſte moleſtabat eos ſuper abbatia quondam ſancti Laurentii, quæ propter terræ malitiam erat redacta in prioratum: quæ abbatia, ſive prioratus, dicebat eſſe pleno jure Craſſenſis monaſterii ſub cenſu annuo unius vaccæ optimæ, vel decem ſolidorum Narbonenſium monetæ curribilis, quod magis canonici Narbonenſes recipere elegerint, quod cenſum tenetur ſolvere Craſſenſe monaſterium dictis canonicis ratione feudi. Item conquerebantur abbas & dicta pars conventus ſui, coram toto ſancto concilio, quod præfatus dominus Dalmatius Narbonenſis archiepiſcopus, & canonici S. Juſti, prioratum S. Martini, olim exiſtens abbatia monaſterii Craſſenſis propria, & eccleſias parochiales, ac heremas, & capellanos, clericos, & laicos parochianos dictarum eccleſiarum Craſſenſis monaſterii, ſitos in Narbonenſi diœceſi, moleſtabant injuſte, eos de facto interdicendo, & aliis modis infeſtando: & quod nihil habebant in aliquo vel aliquibus de prædictis, vel habere debebant aliquo jure diœceſano vel epiſcopali, niſi unum ſextarium tantum olei perſolvendum ad menſuram Narbonenſem curribilem terræ, pro omnibus ſupradictis, feria IV. capitis jejunii annuatim, pro jure epiſcopali quod petent in prædictis, cum omnia ſupradicta ſint per privilegia ſanctæ Romanæ eccleſiæ exempta ab omni juriſdictione epiſcopali, & dicto Craſſenſi monaſterio conceſſa jure pleno. Cæterum petierunt ſimiliter dictus abbas, & pars ſua monachorum, abbatiam ſancti Polycarpi, plenarie Craſſenſi abbati, & ejus monaſterio pertinere.

Et contra dictus dominus Dalmatius Dei gratia Narbonenſis archiepiſcopus, & canonici ſancti Juſti & Paſtoris, negabant omnia iſta ita eſſe, & aſſerebant omnia ſupradicta ad Narbonenſem eccleſiam de jure communi in omnibus pertinere. Et cum fuiſſet ſuper iis in dicto ſancto concilio hinc inde diu proclamatum, & privilegia ſanctæ Romanæ eccleſiæ perlecta, ubi omnis prioratus eccleſiæ parochialis & heremæ Craſſenſis monaſterii ſiti in Narbonenſi diœceſi plenius continetur, totum ſanctum concilium ordinavit & dixit, quod juſtum erat quod tam Narbonenſis eccleſia, quam abbas monaſterii & monachi Craſſenſes, haberent jus ſuum in prædictis, & ne privilegia ſanctæ Romanæ eccleſiæ dicto monaſterio conceſſa in aliquo frangerentur.

Ego igitur dominus Dalmatius Dei gratia Narbonenſis archiepiſcopus, ex judicio & conſilio præſentium epiſcoporum ſuffraganeorum Narbonenſis eccleſiæ, & canonicorum ſancti Juſti & Paſtoris, dimitto atque relinquo & in perpetuum concedo prioratus & eccleſias parochiales, & heremas, ac earundem capellanos, & earundem clericos parochiales, & parochianos, ſecundum quod omnia continentur plenius in privilegiis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, prædicto Rotberto abbati Craſſenſis monaſterii, ejuique monachis, & eorum ſucceſſoribus, ad honorem Dei, & ſancti Benedicti, regendas, & perpetuo habendas, & in omnibus gubernandas, remota omni juriſdictione diœceſiana vel epiſcopali: tali videlicet ratione, ut pro omnibus eccleſiis, prioribus, & prioratibus, eorumque clericis, capellanis, & parochianis, ratione omnis juriſdictionis epiſcopalis, unum ſextarium olei feria IV. capitis jejunii ſolvant abbates & Craſſenſes monachi canonicis ſancti Juſti & Paſtoris, & nihil amplius teneantur facere ſedi Narbonenſis eccleſiæ pro omnibus ſupradictis. Et prædicta loca ſancti Laurentii, & ſancti Polycarpi dimitto & concedo ſimiliter ex judicio & conſilio omnium ſupradictorum, tam epiſcoporum, quam canonicorum ſancti Juſti & Paſtoris, dicto abbati & monaſterio in perpetuum, ea videlicet ratione, quod locus ſancti Laurentii cum ſuis pertinentiis, qui antiquitus abbatia fuit, pertinet ad dominium ſancti Juſti & Paſtoris, & unam vaccam optimam, aut decem ſolidos Narbo-

ANNO CHRISTI 1090.

bonenſes curribiles, quod iſtorum magis clerici A ſeu canonici ſancti Juſti & Paſtoris recipere elegerint, reddent abbas & monachi Craſſenſes beato Juſto & canonicis ejus annuatim, a natale Domini uſque ad Carniſprivium, & nihil amplius priores, vel clerici, ſeu gubernatores, qui præ monaſterio fuerint præfati ſancti Laurentii, teneantur reddere vel facere archiepiſcopo, vel canonicis, aut eorum ſucceſſoribus, pro dicto loco, eccleſiis, & pertinentiis ejuſdem ſancti Laurentii. Præterea præfatus dominus Rotbertus abbas Craſſenſis, & pars ejuſdem monachorum præſentium, prædictum ſextarium olei aſſignarunt prædictis canonicis ſancti Juſti & Paſtoris, ſuper locum ſancti Laurentii, ad menſuram rectam Narbonenſem curribilem, in prædicta feria IV. B Carniſprivii perpetuo ſolvendum, & apud Narbonam portandum, pro omnibus juribus diœceſianis vel epiſcopalibus, quæ Narbonenſis eccleſia poſſet petere aliquo jure vel ratione, in aliquo vel in aliquibus prioratibus, eccleſiis parochialibus, vel heremis, Craſſenſis monaſterii, ſitis in diœceſi Narbonenſi, & ſcriptis in privilegiis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, conceſſis monaſterio Craſſenſi. Cæterum abbatiam ſancti Polycarpi ego jam dictus dominus Dalmatius Dei gratia archiepiſcopus Narbonenſis, cum conſilio & voluntate omnium prædictorum, & ſpecialiter canonicorum ſancti Juſti & Paſtoris, præfato Craſſenſi abbati, ejuſque ſucceſſoribus, committo & trado perpetuo gubernandam, ut juxta regulam beati Benedicti, C abbates ibi de Craſſenſi monaſterio eligantur & ordinentur conſentiente ac laudante archiepiſcopo Narbonenſi, ejuſque ſucceſſoribus, & ab eiſdem electi in abbates benedicantur, & debitam ſubjectionem prædictæ ſedi Narbonenſi promittant, & in manu ejus archiepiſcopi obedientiam & reverentiam ſecundum Deum in omnibus profiteantur.

Agebat tunc Ludovicus Craſſus annum ætatis decimum *H.*

Factum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini MXC. XIII. Kalend. Aprilis, regnante rege Ludoico, in præſentia domini Dalmatii Dei gratia Narbonenſis archiepiſcopi, qui hanc chartam fieri juſſit, & ſubſcriptis nominibus, tam epiſcoporum quam aliorum, & canonicorum ſancti Juſti & Paſtoris, adnotari fecit, & in prædicta charta D hoc ſignum ſanctæ crucis † fecit, & tam ipſe, quam dominus dictus abbas Rotbertus, alios hanc chartam firmare rogarunt.

Signum Petri Carcaſſonenſis epiſcopi.
Signum Gotafredi Magalonenſis epiſcopi.
Signum Raimundi abbatis de Quadraginta.
Signum Bernardi archidiaconi Narbonenſis.
Signum Guillelmi archidiaconi.
Signum canonicorum S. Juſti, * Petri Amelii.
Signum Pontii Setfredii.
Signum Petri Ebrini.
Signum Petri Raimundi.
Signum Petri Geraldi.
Signum Augerii.
Signum Raimundi.
Signum Petri Olivæ.
Signum Vitalis.
Signum Guillelmi Bernardi.

* Forte decſt *Signum*. Vide in hoc 2. Part. Actor.

Signum mei Joannis monachi, qui hanc chartam ſcripſi apud Narbonam, in clauſtro S. Juſti, mandato prædictorum dominorum, ſub die & anno quo ſupra.

ALTERA PARS ACTORUM ejuſdem concilii Narbonenſis.

ANNO CHRISTI 1090.

ANno MXC. Dominicæ Incarnationis, XIII. Kal. Aprilis, in ſynodo apud Narbonam ad honorem Dei celebrata, veniens Rodbertus Craſſenſis abbas, cum priore & cum multa parte conventus ſibi commiſſi, ante præſentiam & deliberationem domni Dalmacii Narbonenſis archiepiſcopi, atque ejuſdem eccleſiæ ſuffraganeorum, Petri videlicet Carcaſſonenſis epiſcopi, atque Godafredi Magalonenſis, necnon Bertrandi Barchinonenſis epiſcopi, & clericorum ejuſdem eccleſiæ, cæterorumque religioſorum virorum & nobilium virorum, ſe & ſuos culpabiles & merito dignos humili ſatisfactione recognovit. Interdictum quippe Narbonenſis archiepiſcopi, Divinum celebrando officium, tranſgreſſus fuerat; & de quadam abbatia ſancti Laurentii, quam ſine ſui plenaria conceſſione ſuſceperat, quæ ex regali præcepto & Romanæ eccleſiæ privilegio, in proprio jure Narbonenſis eccleſiæ donativa auctoritate tradita eſt, atque de monaſterio ſancti Polycarpi, quod in ſua diœceſi ſitum eſſe manifeſtum eſt, quod ſine prædicti ejuſdem Narbonenſis archiepiſcopi ejuſdemque cleri deliberata licentia perceperat.

Unde ex judicio & conſilio prælictorum epiſcoporum, cæterorumque religioſorum virorum, utraque in manu prædicti archiepiſcopi regulariter dimittens deliberavit loca.

Proinde ſiquidem ex beneplacito Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopi eidem Craſſenſi abbati & fratribus ejuſdem loci, ad honorem Dei & reſtaurationem prædictorum locorum, Narbonenſis archiepiſcopus condeſcendens, reſervata ſibi auctoritate regalis præcepti & Romani privilegii, prædictum locum ſancti Laurentii commiſit & fideliter meliorandum perpetuo gubernandum conceſſit: tali videlicet tenore, ut per unumquemque annum, in feſtivitate natalis Domini, pro recognitione quia proprium alodium eſt ſanctorum Juſti & Paſtoris, unam vaccam optimam aut decem ſolidos Narbonenſes monetæ curribilis, quod de utroque magis clerici recipere elegerint, reddant beato Juſto & canonicis ejus, & in feria IIII. capitis jejunii unum ſextarium olei ad juſtam menſuram ſancti Laurentii pro ſimili recognitione, prædictis canonicis reddant. Abbatiam etiam ſancti Polycarpi prædicto Craſſenſi abbati ejuſque ſucceſſoribus prædictus Narbonenſis archiepiſcopus, cum voluntate Narbonenſis eccleſiæ cleri, commiſit & perpetuo regendam tradidit. Tempore autem quo prædicta loca, ſecundum qualitatem locorum, juxta regulam beati Benedicti, abbates habere potuerint, canonice abbates eligantur, conſentiente & laudante Narbonenſi archiepiſcopo, ſi ſecundum regulam ſancti Benedicti eis aſſentire voluerit: & benedictione E præfatæ ſedis Narbonenſis benedicantur, & debitam ſubjectionem prædictæ ſedi promittentes, in manu archiepiſcopi obedientiam ſecundum Deum profiteantur. Interim vero priores qui præfuerint in prædictis locis, cum debita reverentia Narbonenſi eccleſiæ ſubjacentes, jam ſæpedicto archiepiſcopo & ſucceſſoribus ejus obedientiam debitam exhibeant. Dalmatius gratia Dei Narbonenſis archiepiſcopus. † Factum eſt hoc in præſentia domni Dalmacii Narbonenſis archiepiſcopi, qui hanc chartam fieri juſſit, & ſubſcriptis nominibus tam epiſcoporum & clericorum & abbatum, quam virorum nobilium, adnotavit & laicorum.

Si-

ANNO CHRISTI 1090.

Signum Petri Carcaſſonenſis epiſcopi. Signum Gotafredi Magalonenſis epiſcopi. Signum Bertranni Barchinonenſis epiſcopi. Signum Raimundi abbatis de Quadraginta. Signum Pontii Sicfredi. Signum Petri Raimundi. Signum Petri Geraldi. Signum Bernardi archidiaconi. Signum Guillelmi archidiaconi. Signum Petri Amelii. Signum Petri Oliveæ. Signum Vitalis. Signum Raimundi. Signum Augerii. Signum Arnaldi Guillermi. Signum Bernardi Guillermi. Signum Petri Ebrini. Signum Bernardi.

ANNO CHRISTI 1090.

Poncius monachus qui hanc chartam ſcripſit die & anno quo ſupra.

ANNO CHRISTI 1090. 1089.

CONCILIUM TOLOSANUM

PRO EXPURGANDO TOLOSANO EPISCOPO,

Aliiſque moribus Gallicanæ eccleſiæ reformandis, celebratum anno Domini MXC. vel ut alii MLXXXIX.

Ex Concil. tit.

BErtholdus hujus temporis ſcriptor anno 1090. de iſta ſynodo Toloſana agens hæc ſcribit: *Dominus papa Urbanus generalem ſynodum cum epiſcopis diverſarum provinciarum per legatos ſuos in Toloſana civitate circa pentecoſten collegit, ibique multa in eccleſiaſticis cauſis quæ corrigenda erant correxit. In qua ſynodo Toloſanus epiſcopus de illatis criminibus canonice expurgatur, & legatio pro reſtauranda Chriſtianitate in Toletana civitate, rege Hiſpanorum ſupplicante, deſtinatur.* Hæc ipſe.

Additio Philippi Labbe S. J.

DE Toloſana hac ſynodo præſente Bernardo archiepiſcopo Toletano, cui adſedere Narbonenſis archiepiſcopus & Galliæ Gothicæ epiſcopi, celebrata, jejune admodum Baronius atque ex eo Binius & alii: nos ex Roderico Toletano archiepiſcopo paullo plura ac certiora proferemus deſcriptis libri VI. hiſtoriæ de rebus Hiſpanicis integris capitibus 26. & 27. quæ ad illuſtrandam temporum illorum eccleſiaſticam hiſtoriam plurimum conducent de Gallicano officio in locum Toletani veteris ſive Gothici aut Mozarabici ſubſtituto.

Quod Mezquita Maurorum facta eſt eccleſia Chriſtianorum.

Et quia adhuc litera Gothica, & translatio pſalterii, & officium miſſæ inſtitutum ab Iſidoro & Leandro pontificibus, quod cum translatione & litera dicitur Toletanum, per totam Hiſpaniam ſervabantur, ad inſtantiam uxoris ſuæ reginæ Conſtantiæ quæ erat de partibus Galliarum, miſit Romam ad Gregorium papam ſeptimum, ut in Hiſpaniis omiſſo Toletano Romanum ſeu Gallicanum officium ſervaretur. Bernardus autem Toletanæ eccleſiæ electus fuit de Agennenſi territorio oriundus, ſcilicet de oppido Salvitatis. Hic cum fuiſſet ab infantia literatus omiſſo clericatu militiæ ſe aſcripſit, & poſtmodum infirmitate coactus in monaſterio S. Aurentii Auxitani B. Benedicti regulæ ſumpto habitu ſe dicavit, exinde vocatus ab Hugone Cluniacenſi abbate cum eo laudabilem egit vitam. Deinde cum rex Aldephonſus vellet ſanctorum Facundi & Primitivi ex ea cauſa quam diximus, monaſterium ampliare, * mittit ad venerabilem Hugonem Cluniacenſem abbatem, ut ei virum providum & religioſum mitteret, qui in prædicto monaſterio ſanctorum Facundi & Primitivi abbatis officio fungeretur, & ſicut in Gallis illud monaſterium præcellebat, ita & iſtud omnibus monaſteriis ejuſdem ordinis in Hiſpaniis præſideret. Prædictus autem abbas Cluniacenſis Bernardum quem ob ſanctitatis meritum charum habebat, cum aliis monachis deſtinavit. Qui mox veniens factus abbas, omnibus ſe exhibuit amabilem & benignum, adeo quod cum Deus omnipotens Toletum Chriſtianæ reſtituit poteſtati, mox ipſe poſt modicum intervallum fuit electus in archiepiſcopum & primatem. Cumque rex ad partes Legionis iviſſet, ipſe electus regina Conſtantia hortante aſcitis militibus Chriſtianis majorem mezquitam ingreſſus eſt Toletanam, & eliminata ſpurcitia Mahometi erexit altaria fidei Chriſtianæ, & in majori turri campanas ad convocationem fidelium collocavit. Quod cum ad regis notitiam perveniſſet, indignatus animo & dolore accenſus, eo quod Saracenis pactum firmaverat de Mezquita, a ſancto Facundo tribus diebus venit Toletum, proponens Bernardum electum, & reginam Conſtantiam incendio concremare. Cumque tanti furoris indignatio ad notitiam Toletanorum Arabum perveniſſet, majores & minores cum parvulis & uxoribus in pago qui Magam dicitur, regi obviam exierunt. Cumque rex ad eorum multitudinem mea autem intererit, & vobis ſatisfacere, & in præſumptores acrius vindicare. Arabes autem ut erant prudentes, elevatis vocibus, & flexis poplitibus cum lachrymis audientiam poſtularunt. Tunc rex aliquantum ſubſtitit tenens equum, & Arabes in hunc morem pero.are cœperunt: Bene novimus, quod archiepiſcopus dux & princeps eſt legis veſtræ, & ſi cauſa fuerimus necis ejus, ob zelum fidei Chriſtiani nos percutient una die, & ſi regina perierit cauſa noſtri, ſemini ejus erimus perpetuo odioſi, & poſt dies tuos acrius vindicabunt. Unde petimus ut parcas eis, & nos voluntarie te abſolvimus a fœdere juramenti. His auditis * ira regis in gaudium commutatur, eo quod Mezquitam habere poterat ſine fidei læſione, & ingreſſus urbem regiam omnia pacifice pertractavit.

* ira regis compeſcitur &c.

DE COMMUTATIONE OFFICII Toletani.

Gregorius autem ſeptimus de quo diximus, ad petitionem regis Aldephonſi miſit quendam Richardum abbatem ſancti Victoris Maſſilienſis, ut eccleſias Hiſpaniæ tot perſecutionibus perturbatas eccleſiaſtico moderamine ordinaret. Qui minus religioſe officium peragens cœpit irregularius ſe habere. Quod attendens Toletanus electus per maris & terræ pericula ſe Romam pontificis conſpectui præſentavit, & Gregorio ſeptimo viam univerſæ carnis ingreſſo, invenit Urbanum ſecundum in ſede apoſtolica ſubſtitutum. A quo gratanter & benigne ſuſceptus conſecrationem, pallium, & privilegium obtinuit, & primas inſtitutus Hiſpaniarum, apoſtolicæ ſedis benedictione

ſu-

ANNO CHRISTI 1090.

ſuſcepta, & per Toloſam rediens ibidem cum epiſcopis Gothicæ Galliæ, & Narbonenſi archiepiſcopo concilium celebravit. Ideo per Pyrenæum in Hiſpanias tranſiens omnium eccleſiarum Hiſpaniæ curam geſſit, & ſtatuto die, in feſto ſcilicet ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, octavo Kalendas Novembris, in honore beatæ Mariæ ſemper Virginis, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctæ Crucis, & beati Stephani protomartyris, Toletanam eccleſiam convocatis epiſcopis dedicavit, & in majori altari multas & pretioſas reliquias quas a ſede apoſtolica attulerat, & quas rex & regina de ſuis & patrum ſuorum theſauris obtulerant, collocavit, quorum hodie beneficiis lætatur populus Chriſtianus. Verum quia Richardus legatus ſe gerebat in aliquibus minus caute, religione & auctoritate compeſcuit attentata, adeo quod ille Ricardus legatione privatus, fuit ab Urbano ſummo pontifice revocatus: Verum ante revocationem clerus & populus totius Hiſpaniæ turbatur, eo quod Gallicanum officium ſuſcipere a legato & principe cogebantur, & ſtatuto die, rege, primate, legato, clero & populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum, clero, militia, & populo firmiter reſiſtentibus ne officium mutaretur, rege a regina ſuaſo contrarium minis & terroribus intonante. Ad hoc ultimo res pervenit militari pertinacia decernente, ut hæc diſſenſio duelli certamine ſedaretur. Cumque duo milites fuiſſent electi, unus a rege, qui pro officio Gallicano, altera militia & populis, qui pro Toletano pariter decertarent, miles regis illico victus fuit, populis exultantibus quod victor erat miles officii Toletani. Sed rex adeo fuit a regina Conſtantia ſtimulatus, quod a propoſito non diſceſſit, duellum judicans jus non eſſe. Miles autem qui pugnaverat pro officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Piſoricam, cujus hodie genus extat. Cumque ſuper hoc magna ſeditio in militia & populo oriretur, demum placuit, ut liber officii Toletani, & liber officii Gallicani in magna ignis congerie poA nerentur. Et indicto omnibus jejunio a primate, legato & clero, & oratione ab omnibus devote peracta, igne conſumitur liber officii Gallicani, & proſiliit ſuper omnes flammas incendii, cunctis videntibus & Dominum laudantibus, liber officii Toletani illæſus omnino, * combuſtione incendii alienus. Sed cum rex magnanimus, & ſnæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec ſupplicatione ſuaſus voluit inclinari, ſed mortis ſupplicia & direptionem minitans reſiſtentibus, præcepit ut Gallicanum officium in omnibus regni ſui finibus ſervaretur. Et tunc cunctis ſtentibus & dolentibus inolevit proverbium: *Quo volunt reges, vadunt leges*. Et tunc Gallicanum officium tam in ſpalterio, quam in aliis nunquam ante ſuſceptum, fuit in Hiſpaniis obſervatum, licet in aliquibus monaſteriis fuerit aliquanto tempore cuſtoditum, & etiam translatio ſpalterii in plurimis eccletiis cathedralibus & monaſteriis adhuc hodie recitatur. Ricardo itaque legatione privato, primas Bernardus cœpit in Hiſpaniis eccleſias ordinare.

ANNO CHRISTI 1090

* al. aromb.

Observatio Philippi Labbe, S. J.

Scio narrationi Rodericianæ non conſentire in omnibus Joannem noſtrum Marianam libro IX. hiſtoriæ Hiſpanicæ capp. 17. & 18. Verum cum Ximenius Toletanus archiepiſcopus trecentis & eo amplius annis antecellerit, majorem ei fidem habendam eſſe ſemper arbitratus ſum. De Burgenſi vero cujus ibidem fit perfunctoria dumtaxat mentio, dicemus Deo dante ſuo loco in appendice hujuſce tomi.

Addendum quoque hoc loco arbitror non recte a Catello dici Iſarnum Toloſanum epiſcopum cum hoc concilium celebraretur fuiſſe a papa aut ejus legato excommunicatum. Neque enim illud declarant verba veteris inſtrumenti quod integrum refert pag. 873. commentariorum Landgothicorum: *Propter hoc placitum & propter conſtitutionem ſupradictam videns quod ep. Iſarnus conſentit ac permittit inſtitui monaſticam regulam in loco S. Saturnini, ego, Guillelmus Toloſanus comes, dono & laudo & firmo ipſi epiſcopo Iſarno, ut propter excommunicationem apoſtolici vel ejus legati nunquam interpellem illi honorem, neque auferam, neque ullam vim inferam &c.*

CONCILIUM (1) LEGIONENSE

PRÆSIDE RENERIO S. R. E. CARDINALE,

Et per Hiſpanias legato, una cum Bernardo Toletano primate, anno Adelfonſi regis 28. æra Hiſpanica 1129. Chriſti 1091.

IDem de quo antea Rodericus Toletanus archiepiſcopus ignotum hactenus Binio cæteriſque collectoribus concilium nobis aperuit cap. 30. lib. 6. de rebus Hiſpanicis. Poſtquam enim narravit Garſiam regem Legione fuiſſe ſepultum anno regni fratris ſui Adelfonſi, non 16. ut vulgati codices habent, ſed 28. æra Hiſpanica, non 1117. ut iiſdem mendoſe legitur, ſed ut corrigendum docuimus, 1129. ſtatim hæc ſubjicit diligenter notanda.

Interfuit autem Renerius legatus, & Romanæ eccleſiæ cardinalis, ibidemque (hoc eſt, in Legionenſi civitate antiquiſſima Hiſpaniæ) *celebrato concilio cum Bernardo Toletano primate multa de officiis eccleſiæ ſtatuerunt, &* * *etiam de cætero omnes ſcriptores omiſſa litera Toletana, quam Guiſilas epiſcopus adinvenit, Gallicis literis uterentur.*

Hinc vero patet erraſſe, ut jampridem obſervavimus in ſynopſi, Hermannum Coringium cap. 3. libri de origine juris Germanici, pag. 8. editionis ſecundæ, qui concilium illud Toletanum vocat, & anno reparatæ per Chriſtum ſalutis 1116. affigit æram Hiſpanicam cum annis æræ Chriſtianæ haud dubie confundens, præſertim cum Renerius ille, qui tum erat legatus apoſtolicæ ſedis, ab anno 1099. ad 1118. obtinuerit certo certius Romanum pontificatum, dictus Paſchalis II.

Einſdem Legionenſis ſynodi mentionem reperimus apud Lucam Tudenſem diaconum, Roder. c. Ximenii æqualem pag. 101. *chronici mundi parte* IV. *Hiſpaniæ illuſtratæ, his verbis*: Rex autem Garſias cum veniret Legionem in itinere mortuus eſt: cujus funeri ambæ ſorores, Urraca ſcilicet & Geloy-

(1) Comitia Legionenſia, *Cortes*, anno 1001. peritiores collocant: arbitranturque Rodericum Toletanum & Lucam Tudenſem Comitia iſta confudiſſe cum Concilio Legionenſi anni 1090. *Hardouinus*.

ANNO CHRISTI 1091.

loyra more regio occurrentes, & Renerio Romanæ eccleſiæ legato, qui poſtea papa effectus eſt, & cum Bernardo Toletano archiepiſcopo, aliiſque comprovincialibus epiſcopis & abbatibus Legione ſynodum celebrabat, omnibus pro ejus anima Deo ſalutarem hoſtiam offerentibus, corpus ejus in eadem urbe cum proceribus ſuis ſepulturæ honorifice tradiderunt, æra MCXXIX. In prædicta vero ſynodo almi ſacerdotes de fide catholica colloqnentes ſtatuerunt, ut ſecundum regulam beati Iſidori Hiſpalenſis archiepiſcopi eccleſiaſtica officia in Hiſpania regerentur. Statuerunt etiam ut ſcriptores de cætero Gallicam literam ſcriberent, & prætermitterent Toletanam in officiis eccleſiaſticis, ut nulla eſſet diviſio inter miniſtros eccleſiæ Dei. *Alia quoque in eodem Legionenſi ſynodo tractata docebit nos ſcriptor accuratus ac diligens Joannes Mariana hiſtoriæ Hiſpanicæ lib. x. cap. 6. hiſce verbis*: In Ricardi locum Reynerus Cardinalis in Hiſpaniam legatus concilio Legione habito Petrum Compoſtellanum epiſcopum loco movet, neque legibus, neque auſpicato rebus præfectum: ut Pelagius libertati, eccleſiæque reſtitueretur impetrari non potuit, agente tantum Raymundo Burgundo regis genero tunc ſuperſtite pontifici perſuaſum, ut Dalmachius Cluniacenſis monachus, eoque pontifici (Urbano) nimirum ex eodem ordine, carus, eccleſiæ Compoſtellanæ præficeretur epiſcopus. Ab hoc cum Claromontem ad generales de bello ſacro conventus unus e multis epiſcopis abiiſſet, impetratum eſt, ut eccleſia Compoſtellana ſui juris eſſet, ac Romanæ tantum contributa, &c. *Sed hæc ad poſteriora pertinent tempora*.

ANNO CHRISTI 1091.

dori de Officiis Eccleſiaſticis, ad cujus præſcriptum ea adminiſtrari deberent, ſervanda præcipitur, ubi Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre Tom. III. Concil. Hiſpan. pag. 298. intelligit Epiſtolam ejuſdem Sancti Iſidori ad Lanuefredum Epiſcopum Cordubenſem, in qua agit de omnibus & ſingulis Officiis Eccleſiaſticis, & propriis unjuſcujuſque functiones exponit. Quarum diſciplina & executio cum jam obliterata, aut neglecta aliquibus retro ſeculis, propter irruptionem Saracenorum, & bella cum iis aſſidua, in Hiſpania fuiſſet, in hoc Concilio inſtauratur. Porro Regula Sancti Iſidori quædam Regulæ Sancti Benedicti mitigatio erat, ut notat Hugo Menardus in Concordia Regularum pag. 72. ad hæc verba, *non multum differt a Sancti Benedicti Regula*, & rurſus ad iſta ejuſdem Iſidori, *quiſquis veſtrum illam univerſam Veterum diſciplinam contendit appetere, pergat inquantum placet, & arduum illum limitem atque anguſtum levigato curſu incedat. Qui vero tanta juſſa priorum explere nequiverit, in hujus limitis diſcipl nam greſſum ponat ..... Quapropter ſicut illa præcepta priorum perfectum teddunt & ſummum; ita facienti iſta vel ultimum*. „ Ad quæ Menardus habet: Innuit Sanctus Iſidorus Regulam ad captum imperfectorum & infirmorum a ſe compoſitam fuiſſe; quod confirmatur auctoritate Sancti Braulionis Epiſcopi Cæſarauguſtani, cum agit de Scriptis Sancti Iſidori, *monaſticæ Regulæ librum unum, quem pro patriæ uſu, & invalidorum animis decentiſſime* temperavit. Ita Menardus.

Quad alterum Decretum, hæc ſcribit eruditiſſimus Cardinalis citatus: Mutatio primum ſtatuta in hoc Concilio Legionenſi, non fuit penes Officium Divinum ſed ſolum quoad litteras, ſive characteres, qui eo uſque erant Toletani, ſive proprii Mozarabum; verum ab hoc tempore derelicti fuerunt in Officiis Eccleſiaſticis, & mutati in Gallicanos, communes fere tunc in Eccleſia. Hoc enim indicat Tudenſis ipſe poſtremis illis verbis: *ut nulla eſſet diviſio inter miniſtros Eccleſiæ Dei*. Hæc enim cauſalis omnino extra rem eſſet, niſi eo uſque in aliis regionibus libri officiorum Divinorum in Choris Eccleſiarum uſitati, & Miſſalia quælibet, ac Breviaria, ſcripta eſſent Gallicis litteris. Ita Card. doctiſſimus. Character Gothicus littera Toletana appellabatur, ut Officium Gothicum Toletanum dicebatur. Monachi Cluniacenſes, qui magna in Hiſpania auctoritate pollebant, quinque natione Galli erant, uſus Gallicos, quantum poterant, introducebant. Sed hoc Synodi Legionenſis decretum receptum non fuit, ſicuti nec Edictum Statuum Regni anno MCI. Legione congregatorum, ut ibidem videbimus, ideoque *Alphonſi* VI. Regis Legionis, Caſtellæ & Gallæciæ conatus irritus fuit.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI ad An. Chr. 1091. n. 10. & 11.

Duo in hoc Concilio conſtituta, quorum primum reſpicit Officia Eccleſiaſtica; alterum Gallicam litteram, quæ uſurpari jubetur. Priori, Regula Sancti Iſi-

CONCILIUM BENEVENTANUM

QUO GUIBERTUS ANTIPAPA

Omneſque ejus complices excommunicantur, anno Domini MXCI. tempore Urbani Papæ II.

Guibertus ſive Clemens III antipapa excommunicatur.

Bertholdus Conſtantienſis de hac ſynodo anno 1091. *iſta ſcribit*: Urbanus papa generalem ſynodum Beneventi collegit, & ſententiam anathematis ſuper Guibertum hæreſiarcham & omnes ejus complices ſynodali judicio confirmavit. *In hoc concilio, auctore Baronio, factum putamus quod de Urbano papa, Petro Cavenſi abbati, alumno monaſterii Cluniacenſis, mitræ uſum tribuente, in actis vitæ ipſius deſcribitur apud Surium his verbis*: In

Petro Cavenſi uſus mitræ conceſſus

ſynodo ei more ſuo capite nudo reſidenti ſanctæ memoriæ papa Urbanus pontificalem infulam miſit, *nempe mitram*, quam utique vir domini & pro ſummi pontificis reverentia venerabiliter recepit, & officioſiſſime ſalutavit, & tamen ejuſdem ſacerdotalis mitræ uſum, etiam rogante papa, contempſit. Quod non ob aliud feciſſe creditur, niſi ut quorumdam arrogantiam humilitatis exemplo condemnaret, qui dum ſe inaniter extollunt, indebitos ſibi ſanctæ eccleſiæ honores non metuunt uſurpare. *Hæc de his ibi. Nec quidquam licuit præterea de eadem ſynodo reperire*.

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Romæ ad nos tranſmiſſi ſunt ex veteri MSS. codice exarati canones ſynodi Beneventanæ cum præfatiuncula in hæc verba quibuſdam mendis deformata.

Anno dominicæ incarnationis MXCI. indictione XIV. v. Kalend. Aprilis celebrata ſynodus Beneventi, præſidente domino papa Urbano, præſentibus epiſcopis & abbatibus, quorum numerus facile numerari non potuit. Secundo igitur de hoc capitulum editum eſt.

I.

Nullus deinceps in epiſcopum eligatur, niſi qui in ſacris ordinibus religioſe vivens inventus eſt. Sacros autem ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur eccleſia habuiſſe: ſuper his ſolum præceptum habemus apoſtoli. Subdiaconos vero, quia & ipſi altaribus adminiſtrant, opportunitate exigente concedimus, ſed rariſſimo, ſi tamen ſpectatæ ſint reli-

Gratian. diſtinct. 70. c. 84.

religionis & ſcientiæ. (1) Quod & ipſum ſine Romani pontificis, vel metropolitanti licentia non fiat. ANNO CHRISTI 1091.

II.

(2) Capellanos, qui contra ſtatutum numerum in eccleſiis ſine conſenſu ſui epiſcopi miſtaverint, & a laicis decimas ſine intermiſſione epiſcoporum obtinuerint, nos ſancti Spiritus judicio ſanctorumque apoſtolorum auctoritate ab officio & beneficio interdicimus. Acclamatum eſt ab univerſis: fiat, fiat.

III.

(3) Nullus omnino epiſcopus tranſalpinum vel tranſmarinum, vel quemlibet alienum clericum ſine formata epiſtola & commendatione ſui epiſcopi recipere, aut in ſua eccleſia eum ordinare præſumat. Quod qui præſumpſerit, ut canonum contemptor periculum ſentiat gradus ſui.

Præceptum eſt etiam in eiſdem ſynodis die ultima.

IV.

Nullus omnino laicus poſt diem cineris & cilicii, qui caput jejunii dicitur, carnibus veſci audeat. Omnes tam clerici, quam laici, tam viri quam mulieres die illo cinerem ſupra capita ſua accipiant.

A die Septuageſimæ uſque in (4) octavas Pentecoſtes, vel a die dominici Adventus uſque in octavam Epiphaniæ matrimonia nullo modo contrahantur.

In hoc Concilio agitata fuit controverſia inter Archiepiſcopum Brunduſinum, & Epiſcopum Monopolitanum; ſancitumque eſt Eccleſiam Monopolitanam ab omni metropolitico jure liberam, & immediate S. Apoſtolicæ ſedi ſubjectam eſſe debere, hoc edito diplomate ab Ugelio in Tom. 1. Ital. ſacr. allato.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri Romualdo Monopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

SAcrorum canonum, & decretorum Pontificalium depoſcit auctoritas, ut majores Eccleſiarum cauſæ Apoſtolicæ ſedis judicio terminentur, cui nos licet indigni divinæ diſpoſitionis arbitrio præſidentes eamdem ſollicitudinem univerſis per orbem Eccleſiis, prout nobis Apoſtolorum ſuorum divinæ dignatio majeſtatis ſcire, & poſſe impendit, impendimus. Cum ergo præſtante Domino incarnationis dominicæ anno MXCI. ſynodale concilium in Beneventana eſſet Eccleſia ſub noſtra præſentia congregatum, & adverſus fraternitatem tuam Brunduſinus, ſeu Oritanus conquereretur Epiſc. & tuæ, & illius Eccleſiæ munimenta perſpecta ſunt. Quibus in conſpectu noſtro concilii univerſi diligentiori indagine perquiſitis a venerabilibus noſtris Epiſcopis presbyteriſque Cardinalibus adjudicatum eſt Monopolitanam Eccleſiam majori ſcriptorum pontificalium auctoritate fultam Brunduſinæ Eccleſiæ ſubjectionem, & obedientiam non debere. Quorum nos ſententiam approbantes noſtræ auctoritatis robore confirmavimus, & per præſentis privilegii paginam te tuoſque ſucceſſores ab Oritanæ, ſeu Brunduſinæ Eccleſiæ ſubjectione liberos ſub ſolius Apoſtolicæ ſedis obedientiæ in perpetuum permanere decernimus, ſtatuentes ut quacumque Monopolitana Eccleſia hactenus juſte poſſedit, aut hodie poſſidet, ſive in craſtinum juſte, atque canonice poterit adipiſci in caſtellis, villis, ſilvis, in Eccleſiis, in monaſteriis tibi tuiſque ſucceſſoribus Epiſcopali jure regenda, diſponenda, ac poſſidenda firma, & illibata perſiſtant ſalva in omnibus Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ reverentia. Obeunte te, vel tuorum quolibet ſucceſſorum clero, populoque Monopolitano facultas ſit, ſemota omni pravitate, Epiſcopum canonice eligendi, electus autem a Romano Pontifice conſecrabitur. Sane ſi quis in craſtinum Archiepiſcopus, aut Epiſc. Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, aut Vicecomes, Judex, aut perſona quælibet magna, vel parva, potens, aut impotens hujus noſtri privilegii paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonitus ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, eum honoris ſui, & officii periculo ſubjacere decernimus, & a Chriſti atque Eccleſiæ corpore auctoritate poteſtatis Apoſtolicæ ſegregamus, conſervantibus autem pax a Deo, & merito præſentibus ac futuri ſeculi conſervetur. Amen. Amen. Amen. Scriptum per manus Lanfranci notarii ſacri Palatii.

Datum Beneventi per manus Joannis S. R. E. diaconi Card. anno Domini Incarn. MXCI. indict. XIV. Kal. Aprilis anno Pontificatus D. Urbani papæ II. 4.

CONCILIUM ROTOMAGENSE

In Electione Serlonis Abbatis quondam Uticenſis in Epiſcopum Sagienſem a Guillelmo Metropolitano & ſuffraganeis Præſulibus celebratum anno 1091.

Ex Beſſin Concil Rotomag pag 76.

Concilii hujus meminit Ordericus Vitalis ad annum 1091. *ac rem geſtam paucis in hæc verba complectitur pag.* 697. Poſt ſolemnitatem Pentecoſtes Guillelmus Archiepiſcopus Synodum Epiſcoporum & Abbatum apud Rotomagum aggregavit, & cum Duce Roberto, ſuffraganeiſque Præſulibus de Sagienſi Præſulatu tractare cœpit. Tandem finito conſultu Serlonem Uticenſium rectorem elegit, eique * Salarienſem Epiſcopatum valde renitenti commiſit. Denique 10. Kal. Julii præfatum cœnobitam Rotomagum convocavit, & in Eccleſia S. Dei genitricis Mariæ canonice conſecravit. * de Sees

Concilium aliud Rotomagenſe memorat Chronicon Rotomag. ad calcem Molinæi de profectione Normannorum in Apuliam, de quo nihil ſupereſt.

CON-

(1) Baluz. ad l. 8. c. 4. de Concord. legit ex codice Anaſienſi: *Quod & ipſum non ſine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia fieri permittimus.* (2) Id. ibid. *Item ſecundo die. Capellanos, qui contra ſtatutum numerum in curiis juris &c.* & paulo poſt: *ſine permiſſione Epiſcoporum.* (3) Id. ibid. Item die tertio. *Nullus &c.* & infra: *ſine formata Epiſtola & commendatitiis Epiſcopi ſui literis.* (4) Id. ibid. *Obſervanda S. Paſchæ.*

ANNO CHRISTI 1092.

CONCILIUM SUESSIONENSE

PRÆSIDE RAYNALDO ARCHIEPISCOPO REMENSI

Adverſus Roſcelinum Compendienſem, dialecticum, magiſtrum Petri Abaillardi novi Lycæi conditorem, qui in eo hæreſim ſuam circa perſonas SS. Trinitatis abjuraſſe dicitur an. 1092. ſaltem ante an. 1093. quo Sanctus Anſelmus ad infulas Cantuarienſis in Anglia Metropoleos eſt vocatus. Errant enim qui aut in an. 1094. differunt, aut etiam 1112. cum jam a tribus annis occubuiſſet S. Anſelmus.

Locum concilii, præſidem, cauſam, tempus, res- A que in eo peractas diſcimus, cum ex Anſelmo qui ejus bis meminit, tum ex Ivoni Carnotenſi, atque ab ipſo etiam ejuſdem, ut quidam cum Orbone Friſingenſi ep. & Joanne Aventino putant, diſcipulo Petro Abailardo.

EPISTOLA XLI. Libri II. S. ANSELMI.

De Roſcelino, qui Lanfrancum & Anſelmum inſimulabat hæreſeos trinitariæ.

Domino & amico chariſſimo, reverendo epiſcopo Belnacenſi Fulconi, frater Anſelmus dictus abbas Becci ſalutem. B

AUdio (quod tamen abſque dubietate credere non poſſum) quia Roſcelinus clericus dicit in Deo tres perſonas, eſſe tres res ab invicem ſeparatas: ſicut ſunt tres angeli: ita tamen ut una ſit voluntas & poteſtas: aut Patrem & Spiritum ſanctum eſſe incarnatum; & tres Deos vere poſſe dici, ſi uſus admitteret. In qua ſententia aſſerit venerabilis memoriæ archiepiſcopum Lanfrancum fuiſſe, & me eſſe. Quapropter dictum eſt, concilium a venerabili Remenſi archiepiſcopo Raynaldo colligendum eſſe in proximo. Quoniam ergo puto reverentiam veſtram ibi præſentem futuram: volo ut inſtructa ſit, quid pro me reſpondere debeat, ſi ratio exegerit. Archiepiſcopum quidem Lanfrancum, vita ejus multis religioſis & ſapientibus viris nota, quia de eo nunquam aliquid tale ſonuit, ab hoc crimine ſatis excuſat: & abſentia & mors ejus omnem de eo novam accuſationem recuſat. De me autem hanc veram omnes homines habere volo ſententiam. Sic teneo ea, quæ confitemur in ſymbolo cum dicimus: *Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.* Et *credo in unum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ.* Et *Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat catholicam fidem*, & ea quæ ſequuntur. Hæc tria Chriſtianæ religionis principia, quæ hic propoſui, ſic, inquam, hæc & corde credo, & ore confiteor; ut certus ſim quia quicumque horum aliquid negare voluerit, & nominatim, quicumque blaſphemiam, quam ſupra poſui me audiſſe a Roſcelino dici, pro veritate aſſeruerit, ſive homo, ſive angelus, anathema eſt: & confirmando dicam, quandiu in hac perſtiterit pertinacia anathema ſit. Omnino enim Chriſtianus non eſt. Quod ſi baptizatus eſt, & inter Chriſtianos eſt nutritus, nullo modo audiendus eſt: nec ulla ratio aut ſui erroris eſt ab illo exigenda, aut noſtræ veritatis eſt illi exhibenda, * ſi mox aut ejus perfidia abſque dubietate innotuerit, aut anathematizet venenum, quod proferendo evomuit, aut anathematizetur ab omnibus Catholicis, niſi reſipuerit. Inſipientiſſimum enim & infinitum eſt, propter unumquemque non intelligentem, quod ſupra firmam Petram ſolidiſſime fundatum eſt, quæſtionum revocare dubietatem. Fides enim noſtra contra impios ratione defendenda eſt, non contra eos, qui ſe Chriſtiani nominis honore gaudere fatentur. Ab his enim viris exigendum eſt, ut cautionem in baptiſmate factam, inconcuſſe teneant: illis vero rationabiliter oſtendendum eſt, quam irrationabiliter nos contemnant. Nam Chriſtianus per fidem debet ad intellectum proficere, non per intellectum ad fidem accedere: aut ſi intelligere non valet, a fide recedere. Sed cum ad intellectum valet pertingere, delectatur: cum vero nequit, quod capere non poteſt, veneratur. Has autem noſtras literas ad prædictum concilium a veſtra ſanctitate portari: aut ſi forte non iveritis, per aliquem de veſtris literarum mitti depoſco. Quæ ſi ratio nominis mei exegerit, in totius conventus audientia legantur: ſin autem, non erit opus ut legantur. Valete.

* Lege, ſed mox H.

CAPUT I. LIBRI DE FIDE

ſive de incarnatione Verbi ejuſdem Anſelmi.

CUm adhuc in Becci monaſterio eſſem abbas, C præſumpta eſt a quodam clerico in Francia talis aſſertio: Si in Deo, inquit, tres perſonæ ſunt una tantum res, & non ſunt tres res unaquæque per ſe ſeparatim, ſicut tres angeli, aut tres animæ; ita tamen ut potentia & voluntate omnino ſint idem: ergo Pater & Spiritus ſanctus cum Filio eſt incarnatus. Quod cum ad me perlatum eſſet, incepi contra hunc errorem quandam epiſtolam, quam parte quadam edita, perficere contempſi: credens non ea opus eſſe, quoniam & ille, contra quem fiebat, in concilio a venerabili Remenſi archiepiſcopo Reynaldo collecto, errorem ſuum abjuraverat: & nullus videbatur, qui eum errare ignoraret: partem tamen illam, quam feceram, quidam fratres, me neſciente, tranſcripſerunt, atque aliis legendam tradiderunt: quod idcirco dico, ut ſi in alicujus manus pars illa venerit, quanquam ibi nihil falſum ſit, tamen tanquam imperfecta, & non exquiſita relinquatur: & hic quod ibi incepi, diligentius inceptum & perfectum requiratur. Poſtquam enim in Anglia ad epiſcopatum neſcio qua Dei diſpoſitione captus & retentus ſum, audivi præfatæ novitatis auctorem in ſua perſeverantem ſententia dicere, ſe non ob aliud abjuraſſe quod dicebat, niſi quia a populo interfici timebat. Hac igitur cauſa quidam fratres precibus ſuis me coegerunt ut ſolverem quæſtionem, qua ipſe ſic irretitus erat, ut nullo modo ſe expediri ab ea crederet, niſi aut incarnatione Dei Patris & Spiritus ſancti, aut Deorum multitudine ſe impediret. Quod rogo ne quis putet præſumpſiſſe me, quaſi tortitudinem fidei Chriſtianæ, meæ exiſtimem indigere defenſionis auxilio.

ANNO CHRISTI 1092.

IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI ad Roſcelinum ep. 7.

Ivo Dei gratia Carnotenſium humilis epiſcopus Roſcelino non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.

Luc. 15 Matth. 18

SI eſſes ovis centeſima in deſerto perdita, ſed gregi jam reddita, ſicut exarſerat in te zelus meus quamdiu te intellexi averſum & adverſum, ſic requieſcet in te ſpiritus meus, ſi te cognoſcerem ad doctrinam ſanam converſum & reverſum. Sed quia ſcio te poſt concilium Sueſſionenſe in auribus quorumdam quos mecum bene noſti, priſtinam ſententiam tuam clandeſtinis diſputationibus ſtudioſiſſime defendiſſe, & eandem quam abjuraveras, & alias non minus inſanas perſuadere voluiſſe, non poteſt intrare in cor meum quod adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaveris.

Si ergo ex hac occaſione te adflixit, & rebus tuis nudavit quorumdam violentorum rapax avaritia, non hoc ex ſe fecit injuſta eorum violentia, ſed juſta & correctioni tuæ conſulens Dei ſapientia, faciens etiam per malos, quamvis neſcientes, bona ſua: cujus veſtem ſcindere conaſ ſic loquitur ep 20? Horatius l. 1. ep. 3. baris, rationibus humanis armata, ſed * tamen infœcunda facundia. Cum vero multis exemplis ethici tractoris veram conſtet eſſe ſententi m:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem Teſta diu

Non tamen propter me timerem vel horrerem præſentiam tuam, de te ſperans meliora & ſaluti viciniora, ſed quidam cives noſtri ad cognoſcendam vitam alienam curioſi, * quamvis ad cortipendam ſuam deſidioſi; te quidem odibilem, me vero propter te ſuſpectum haberent, & audito nomine tuo & priſtina converſatione tua, more ſuo ſubito ad lapides convolarent, & lapidum aggere præfocarent. Interim igitur conſulo tibi ut aſſumpta patientia B. Job, quamvis longe impar, cum eo tamen dicas: Suſtinebo iram Dei, quoniam merui, donec juſtificet cauſam meam. Teſtificor enim tibi, ſi converſus ingemueris, & ſi ſimplicitate fidei degere volens a vanitate carnalis ſenſus tui detumueris, non deerunt tibi uberra divinæ conſolationis: & mater eccleſia quæ devium exaſperavit paterna ſeveritate, correctum aſſumet materna pietate. Reſtat igitur ut palinodiam ſcribas, & recaſtatis opprobriis veſtem Domini tui, quam publice ſcindebas, publice reſarcias, quatinus ſicut multis exemplum erroris fuiſti, ſic de cætero fias exemplum correctionis. Sic enim bono odore præcedente & priſtinum fœtorem conſumente, & a nobis, & ab aliis diligi & colligi, & beneficiis poteris ampliari.

* idem locus ep 34. & 208. & 200 ex Aug l 10 confeſſ.

Non eſt in Vulg

Petri Abaylardi epiſtola 21. ad Gaufredum Pariſienſem epiſcopum.

G. Dei gratia Pariſiaca ſedis epiſcopo, unaque venerabili ejuſdem eccleſiæ clero P. debita reverentiæ ſubjectionem ſempiternam.

Relatum eſt nobis a quibuſdam diſcipulorum noſtrorum ſupervenientibus, quod * electus ille & ſemper inflatus catholicæ fidei hoſtis antiquus, cujus hæreſis deteſtabilis tres Deos confiteri, immo & prædicate Sueſſionenſi concilio a patribus convicta eſt, atque inſuper exilio punita, multas in me contumelias & minas evomuerit, viſo opuſculo quodam noſtro de fide ſanctæ Trinitatis, maxime adverſus hæreſim præfatam, qua ipſe infamis eſt, conſcripto. Nunciatum inſuper nobis eſt a quodam diſcipulo noſtro, cui inde locutus eſt, quod vos tunc abſentem expectaret, ut vobis in illo opuſculo quaſdam hæreſes me inſeruiſſe monſtraret: & vos quoque contra me, ſicut & omnes quos nititur, commoveret. Quod ſi ita eſt, ut in hoc quoque nunc ille perſiſtat, precamur vos athletas Domini, & fidei ſacræ defenſores, ut ſtatuto loco & tempore convenienti me & illum convocetis, & coram catholicis & diſcretis viris, quos vobiſcum provideatis, quid ille adverſum me abſentem muſſitet audiantur, & debitæ correctioni ſubjaceant, vel ille de tanti criminis impoſitione, vel ego de tanta ſcribendi præſumptione. Interea autem Deo gratias refero, quod ſummum Dei inimicum & fidei labefactorem, in fide contrarium ſi perfero, & pro fide qua ſtamus dimicare compellor; & quod numero bonorum hominum jam eſſe videor ex ejus infeſtatione, quem ſolis bonis ſemper conſtat eſſe infeſtum, cujus tam vita quam diſciplina omnibus eſt manifeſta. Hic contra egregium illum præconem Chriſti Robertum de Arbroſello contumacem autus eſt epiſtolam confingere & contra illum magnificum eccleſiæ doctorem Anſelmum Cantuarienſem archiepiſcopum adeo per contumelias exarſit, ut ad regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia ſit ejecta, & vix tum cum vita evaſerit. Vult eum infamiæ habere participem, ut per infamiam bonorum ſuam conſoletur infamiam; nec niſi bonum odit, qui bonus eſſe non ſuſtinet: qui ob * temperantiam arrogantiæ ſuæ, ab utroque regno, in quo converſatus eſt, tam Anglorum ſcilicet, quam Francorum, cum ſummo dedecore expulſus eſt, & in ipſa, cujus pudore canonicus dicitur, beati Martini eccleſia numquam ut ajunt, a canonicis verberatus morem ſolitum ſervaverit. Nomine deſignare quis iſte ſit ſupervacaneum duxi, quem ſingularis infamia infidelitatis & vitæ ejus ſingulariter notabilem facit. Hic ſicut pſeudo-dialecticus, ita & pſeudo-Chriſtianus, cum in dialectica ſua nullam rem patres habere æſtimat, ita divinam paginam impudenter pervertit; ut eo loco, quo dicitur Dominus partem piſcis aſſi comediſſe, partem hujus vocis, quæ eſt piſcis aſſi, non partem rei intelligere cogatur. Ne quid igitur, ſi is qui in cælum os ponere conſuevit, in terris inſaniat; & qui Dominum perſequitur, membris ejus deroget; & nemini parcit, qui nec ſibi parcere poteſt. Valete.

ANNO CHRISTI 1092.

* f. erectus

* f. intemperantiam.

Eundem hæreticum pluribus exagitat Theobaldus Stampenſis clericus in epiſtola quam ad eum ſcripſit conſertiſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis abundantem: extat pag. 142. tomi III. ſpicilegii Dacheriani hoc initio.

Roſcelino Compendioſo magiſtro Theobaldus Stampenſis magiſter Oxnefordiæ non plus ſapere quam oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem.

Quoniam ſacerdotum filios, &c. *quæ per otium quis legere poterit; neque enim ad res in Sueſſionenſi concilio peractas ſpectant.*

CON-

ANNO CHRISTI 1091

CONCILIUM REMENSE,

CUJUS AUCTORITATE ROBERTUS COMES FLANDRIÆ

Morientium clericorum bona occupare desiit, a Rainaldo Remorum archiepiscopo cum suffraganeis suis celebratum anno Christi MXCII. Urbani II. papæ anno VI. Philippi regis XXXII.

R. P. Jacobus Sirmondus Societatis Jesu descripsit ex mss. codice Chartusiæ Montis Dei.

Robertus comes Flandriæ morientes clericos exhæreditabat, mittens exactores, qui post eorum obitum hæredes & familias ab eorum domibus pellebant. Quod importabile jugum & inauditum servitutis genus clerici non valentes sustinere diutius, Urbanum papam adeuntes ejus provoluti pedibus lacrymabilem de tyranno fecerunt querimoniam, cui pro ereptione clericorum hanc misit epistolam.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio suo Roberto totius Flandriæ strenuo militi salutem & apostolicam benedictionem.

MEmento, carissime fili, quantum omnipotenti Deo debeas, qui te contra voluntatem parentum tuorum de parvo magnum, de paupere divitem, de humili gloriosum principem fecit, & quod maximum est, inter sæculi principes rarum, dote literarum, scientiæ atque religionis donavit. Ejus igitur memor esto, qui te talem fecit & omnibus modis elabora, ut tantis beneficiis non inveniaris ingratus. Honora igitur eum in ecclesiis suis, & ulterius sub aliqua occasione eos qualescumque sint vexare minime præsumas, nec eorum prædia in tuos usus post eorum exitum redigas. Nec pecuniam, seu quæcumque de patrimonio suo eis dimittunt, violenter auferas. Sed libera sit eis facultas & Deo serviendi, & res sui patrimonii cuicumque voluerint impendendi. Quod si prætendis hoc ex antiquo usu in terra tua processisse, scire debes creatorem tuum dixisse, Ego sum veritas, non autem usus vel consuetudo. Quæ ergo diximus, fili carissime, volumus & per B. apostolorum principis claves præcipimus ut observes, & super libertate clericorum te Christum honorantem honorifices: Ipse vero attestatione sui ipsius honorificantem se honorificabit. Vale data Castranetі IV. Nonas Decembris.

Robertus autem comes in malitia sua perseverans apostolicis literis obedire noluit. Sed clericos minis terrendo, bona eorum per satellites & apparitores impios diripuit violenter. Tunc Flandrenses clerici tristes & anxii interesse studentes concilio eo tempore a Raynaldo Remorum archiepiscopo Remis celebrato, epistolam a tyranno contemptam sacro repræsentant concilio, referuntque minas necnon injurias ab eo multo tempore passas.

EPISTOLA CLERI FLANDRENSIS
Rainaldo archiepiscopo missa pro comite Roberto de clericorum ereptione ab ejus servitute.

Domino suo Dei gratia Rainaldo Remensi archiepiscopo, & universis episcopis in concilio confidentibus clerus Flandrensis, quæ Domino placita sunt peragere.

ECce iterum, pater sanctissime, compellimur consurgere ad matrem nostram sanctam, videlicet Remensem, * quam supplices exoramus, ut secundum viscera pietatis suæ dignetur respicere lacrymas miseriarum nostrarum. Nunc quidem corpore absentes, pedibus tamen vestris provoluti, ac sanguineis lacrymis tam vos, quam hoc sacrum concilium per epistolam nostram interpellamus pro comite, qui nos tanquam leo conculcat & devorat, & tanquam draco serpentina astutia circumvenit. Sed qui ambulat super aspidem & basiliscum, & qui conculcat leonem & draconem, vobis sua gratia cooperante de his malis nos eripere prævalebit. Siquidem ut auditum fuerit quemlibet nostrorum infirmari, statim mittentur apparitores & carnifices comitis Roberti, qui occupent domum, & omnia quæ videbantur esse ægroti, ita ut si forte velit quicquam Deo vovere, aut debita sua solvere, aut quicquam beneficii famulantibus sibi impendere omnino non liceat. Mittuntur etiam exploratores circumquaque inquisitum utrum domus illa vel illa aliquo tempore fuerit clerici. Quod si inventum fuerit, illico juri comitis tamquam sua recipientis designatur. Quod importabile jugum, quod novum & inauditum servitutis genus sufficienter ferocitatem leonis, * cujus immanitatem atque rugitum nube fallaciæ contegere solet dicens se optare omnes clericos bonos esse, transitoria contemnere, tendere ad æterna. Addens malos sacerdotes non esse, ac si homo peccator non esset homo. Nam si peccator homo non esset, nequaquam Dominus Jesus hominem redemisset. In tantum autem terror illius excrevit, ut pastorum nostrorum ora obstruxerit. Ipsi vero videant quid summo pastori respondeant, qui pro ovibus suis periculo se non opponunt. Non solum autem adversum nos nimis immane agit: sed & contra jura cælestia in vestras cathedras persævit, dum clerum vestrum suis coarctat legibus, & vestras quasi disponit ecclesias. Sicque fit ut quamvis non habeat potestatem solvendi, habeat tamen potestatem ligandi, capiendi, spoliandi. Unde necesse habemus, sanctissimi patres, ad vos confugere. Vos quoque manus armate, & linguas vestras insuperabili gladio Spiritus sancti, si dignum judicaveritis, quia etsi nunc afflicti sumus tamen de grege vestro & de corpore vestro, nec in posterum erubescetis tales ad vestras sedes pertinere, quales vos cogit sæcularis potentia esse. Conventus quidem est ab episcopo nostro, ab abbatibus nostris, ab episcopi metropolitani præsentia, nuperrime a literis domini papæ Urbani, in quibus præcepit ei per claves B. Petri ne ulterius vexaret clericos, & prætenderet in excusationem hoc esse more patriæ suæ. Convicit autem eum ideo domnus papa verbis Domini dicentis, *Ego sum veritas*, non autem usus vel consuetudo. Quibus omnibus contemptis ad callida conversus argumenta, cum revera crudeliter vexet clericos, dicit tamen se clericos non vexare.

* Forte de eo, Ecclesiam H.

* Forte de eo, tyrannum, aut Cui verbum H.

Uni-

ANNO CHRISTI 1091.

minatum eſt, paucos fructus ex meo labore capere me ſentio. Timens igitur triticum eradicare cum lolio, & tanquam de diſcretione prudentis agricolæ mihi blandiens multa tolero, multa diſſimulo. Sed rurſus, utrum hoc ſit virtus diſcretionis, * vel vitium remiſſionis ſub ſpecie virtutis occurrentis, non ſatis acute diſtinguo. In qua mentis anxietate, cum divinum a me ſtudioſius imploretur auxilium, inſufficientiæ meæ neceſſarium ac debitum a veſtra paternitate piæ orationis imploro ſuffragium. Neque enim aliqua ratione hoc onus ſubire voluiſſem, niſi veſtra prænonuiſſet ſanctitas: niſi ut idipſum ſubirem veſtra perfeciſſet auctoritas. Paterne igitur filio uteri veſtri conſulite, paterne ſuccurrite: ut ſi quid per me divina manus dignata fuerit operari, non meæ parvitati, ſed veſtræ poſt Deum aſcribatur ſanctitati. Multa enim inordinata fieri video in domo Dei quæ me torquent maxime quod apud nos qui * altari non ſerviunt, de altari vivunt. A quo ſacrilegio, cum eos abſterrere vel in monendo, increpando, excommunicando; altaria a me redimere volunt ſub nomine perſonæ, ſicut a * prædeceſſoribus meis ex prava conſuetudine redemerunt. In quo maxime indigeo conſilio veſtro, ſi id tolerabile vobis videtur, vel auxilio, ſi intolerabile judicatur. Cætera quidem tolerabilia vel corrigibilia mihi in parochia noſtra videntur, ſi hoc conſilio veſtro & auxilio ad ordinem redigi cogeretur. De cætero notum facio beatitudini veſtræ, quod Senonenſis archiepiſcopus * conſilio Pariſienſis epiſcopi infatuatus, adhibito * ſibi eodem Pariſienſi epiſcopo, & duobus aliis non diſſimilis verecordiæ, Meldenſi & Trecaſſino, hoc anno Stampis de ordinatione quam a vobis acceperam, me inordinate ſatis accuſant, dicens me in majeſtatem regiam offendiſſe, qui a ſede apoſtolica conſecrationem præſumpſeram accepiſſe. Cum itaque conarentur Gaufridum depoſitum * contra decretum veſtrum in A ſtatum priſtinum reformare, & in me depoſitionis ſententiam proferre, ſedem apoſtolicam appellavi, & decretis apoſtolicis, quamvis ea non niſi in futurum timerent, a ſua præſumptione revocavi: appellationem tamen nec proſequi taxaverunt, nec plenam pacem mecum habere voluerunt. Unde neceſſarium mihi videtur, ut literas communes tam archiepiſcopo, quam ſuffraganeis mittatis, quatinus, aut plenam mecum pacem habeant, aut præſentiam veſtram, rationem inde reddituri, mecum adeant. Suggero etiam paternitati veſtræ, ut partibus noſtris ordinetis aliquem legatum, virum boni teſtimonii, qui non ſua quærat, ſed quæ Jeſu Chriſti. Neceſſarius enim eſſet eccleſiæ Dei, in qua quilibet quodlibet audet, & B quod audet facit, & quod fecit impunitum tranſit, adverſa an proſpera erga vos ſint. Speciali filio veſtro mandate, quatinus quantum Deus donaverit, orare ſtudeamus: ut ſi proſpera ſunt firmentur, ſi vero adverſa pellantur. Si venerit ad vos quidam propter infamiam de eccleſia noſtra pulſus, rogo ne de eo quicquam ſtatuatur, donec a vobis cauſa ejus plenius audiatur. Bene valeat ſanctitas veſtra.

ANNO CHRIST. 1091.

* al. an vitium.

* al. altario 1. Cor. 9.

* al. ab anteceſſoribus ipſe etiam verba concilii Arvernenſis relata in cap. quæſitum can. 1. q. 3.

* Richerius ep. & * al. locum.

* Excepiſcopum dicit ep. 49

Observatio P. Antonii Pagi ad an. Chr. 1093. n. 4.

Stampis, quod oppidum eſt Pariſios inter & Aurelianos poſitum Richerius Senonenſis Archiep. Concilium celebravit, in quo Ivonis Carnotenſis epiſcopi ordinationem ad examen revocavit, conatuſque eſt Gaufredum depoſitum contra decretum Urbani II. in ſtatum priſtinum reſtituere; ſed ut de ſemetipſo inquit Ivo in Epiſt. 12. *Sedem Apoſtolicam appellavi, & decretis Apoſtolicis, quamvis ea non niſi in futurum timerens a ſua præſumptione revocavi.* Verum cum Ivo ante diem 24. menſis Novembri anni 1090. Capuæ ab Urbano II. Epiſcopus ordinatus fuerit, Concilium adverſus illam ordinationem Stampis habitum, ad annum 1091. retrahendum, ut recte Coſſartius (*infra ad Concilium Stampenſe annus* 1099.) Sed fruſtra illud Concilium fuit; Ivo enim Epiſcopus Carnotenſis remanſit.

CONCILIUM (1) PARISIENSE

In quo confirmata ſunt ſunt bona Abbatiæ S. Cornelii Compendienſis anno Chriſti MXCII.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Philippus Dei providentia Francorum rex piiſſimus.

QUoniam divina bonitate ſancta Compendienſis eccleſia ab imperatore Carolo, & noſtris anteceſſoribus, pia devotione fundata a ſancto Joanne ſummo pontifice ſacrata, privilegiis atque excommunicationibus ita nobilitata exiſtit ac præmunita, ut nullus ſine anathematis incurſione, ac tremendi judicis offenſione poſſit violentiam inferre, vel dominationem exercere per omnem terram, quam præfatus anteceſſor noſter Carolus, vel ſucceſſores ejus, eidem ſancto loco contulerunt, & de jure proprio in jus ejuſdem eccleſiæ tranſpoſuerunt: idcirco nos tam devota ſollicitudine anteceſſorum noſtrorum ad ampliandam & nobilitandam eamdem eccleſiam provocati, notum fieri volumus univerſis eccleſiæ fidelibus tam futuris, quam præſentibus, quod canonici prædictæ ſanctæ Compendienſis eccleſiæ noſtram adierunt præſentiam, poſtulantes, ut pro remedio animæ noſtræ, atque anteceſſorum noſtrorum, concederemus eidem eccleſiæ quod pater noſter Henricus antea dederat, videlicet advocationem & viaturam de Longolio uſque ad medium fluminis Yſaræ, viaturam de Saceio, viaturam de terra quam habet prædicta eccleſia in Gellis, & domum quod Robertus rex de tota ſylva lotia ad ædificationem eccleſiæ, domorumque ſuarum, atque ignis alimenta fecerat. Et ut nullus de eorum porcis vel pecoribus, prædictam ſylvam frequentantibus, aliquam conſuetudinem vel exactionem exigere præſumat.

Eccleſiam quoque in fiſco regio apud Compendium in honore ſancti Germani dicatam, quam prælibatæ ſanctæ Compendienſi eccleſiæ Carolus pius cum duobus manſis dedit eccleſiam quoque ſancti Clementis quam iſdem pius rex pro remedio animæ ſuæ, ac dilectæ conjugis ſuæ Frederunæ fundavit, & capitulo majoris eccleſiæ diſponendam ac providendam libere tradidit.

Et a confluentibus ſimiliter aquis contra villam Clariſium uſque contra eccleſiam de Gellis flumen cum utriſque ripis, & piſcatoria, & navium tranſitu, & ubicumque retia extra Puvium trahenda fuerint, ſive creſcat aqua, ſive decreſcat:

(1) Hujus Concilii videtur mentio fieri in vita S. Galteri Abbatis ſæcul. 6. Bened. par. 2. pag. 818. *Hardouinus*.

ANNO CHRISTI 1092.

cat: & ut ibi nullius piſcationis vel venationis opus abſque licentia fratrum exercere præſumat. Et ſi beſtia aliqua fugiens abſque venatoribus ibi devenerit, ad menſam fratrum deferatur, ſicut prædictus pius rex Carolus eis conceſſit.

Quorum petitionem in omnibus memoratis libenter ſuſcepimus. Et ut ea firmius amodo prædicta eccleſia poſſideat, præſentem paginam ſigillo regiæ majeſtatis inſigniri, & in pervaſores harum rerum, quas enumeravimus excommunicationem fieri ab epiſcopis, qui tunc Pariſiis congregati erant, præcipimus: ſcilicet Manaſſedo Remenſi archiepiſcopo, Richardo Bituricenſi archiepiſcopo, Rogero Catalaunenſi epiſcopo, Elinando Laudunenſi epiſcopo, Ratbodo Noviomenſi epiſcopo, Widone Belvacenſi epiſcopo. Item Widone Ambianenſi epiſcopo, Goifrido Pariſienſi epiſcopo, Walterio Meldenſi epiſcopo, Waltero Tricaſſino epiſcopo, & Goifrido Autiſſiodorenſi epiſcopo. Si quis hanc noſtram confirmationis paginam violare, & ſanctam Compendienſem eccleſiam ſuper his omnibus inquietare præſumpſerit, iram ſummi judicis incurrat, & coactus regi centum libras auri perſolvat.

ANNO CHRISTI 1092.

P

Sign. Philip. glorioſi P---Y---S Francorum regis.

L'

Ego Gaufridus archicancellarius relegi atque ſubſcripſi. Actum Pariſiis anno dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo ſecundo.

WIGORNIENSE CONCILIUM

A. S. Vulſtano anno 1092. *celebratum.*

Sopp! Manſi to. 11 p 87 Ex Wilkins conc. Britan. t. 1. p. 369.

EGo Wlſtanus gratia Dei Wigornienſis epiſcopus decrevi ſynodum congregare in monaſterio ſanctæ Mariæ in cryptis, quas ego a fundamentis ædificavi. Hæc ſynodus habita eſt anno Dominicæ Incarnationis MXCII. indict. XV. Ad hanc ſynodum invitati convenerunt omnes ſapientiſſimæ perſonæ de tribus comitatibus noſtræ diœceſeos Wigraceſtriæ videlicet Glauceſtriæ, Warewicciæ; eo quod ego longævus dierum, imbecillitatem corporis mei ſentiens, & finem vitæ meæ inſtare intelligens, cupiebam res eccleſiaſticas noſtræ curæ commiſſas canonice tractare, & quæque emendanda forent, illorum ſapienti conſilio corrigere & emendare. Noſtra itaque humilitate in hac ſynodo præſidente, orta eſt quæſtio inter duos presbyteros, Alfnothum ſcilicet, presbyterum S. Elenæ & Alam presbyterum ſancti Albani de parochiis & conſuetudinibus eccleſiarum ſuarum. Horum presbyterorum altercatio ſanctam ſynodum multum detinuit. Hanc litem ego canonice diſcindere cupiens, juſſi ſenſores quoſque, & quibus notiſſimæ eſſent antiquæ inſtitutiones eccleſiarum ſeu parochiarum Wigraceſtriæ, veritatem edicere tam de ſupradictarum, quam de omnium eccleſiarum urbis Wigraceſtriæ antiquiſſimis inſtitutionibus & parochiis. Et cum inter ſupradictorum presbyterorum diſceptationem auditus eſt a ſancta ſynodo clamor filiorum eccleſiæ, monachorum videlicet, quod ipſi damna paterentur ſuorum redituum, quos juſte habere debuiſſent de ſua eccleſia, ſanctæ Elenæ ſcilicet, propter tam diuturnam presbyterorum diſcordiam; juſſi, ſicut de inſtitutionibus cæterarum eccleſiarum, ſic etiam de hujus matris eccleſiæ inſtitutione dicerent. Ad harum rerum ſcrutinium ex noſtro præcepto fuerunt Thomas prior, Alfere ſecretarius, Godricpril camerarius, Uhtred cantor, Adelric archidiaconus, Edwine frater ejus, Frideric, Agelmar presbyter, cum aliis quamplurimis, quos ad hoc elegi. Hi omnes igitur communi habito conſilio, reverſi in ſanctam ſynodum affirmaverunt, nullam eſſe parochiam in tota urbe Wigrac, niſi tantum matris eccleſiæ. Eccleſiam vero ſanctæ Elenæ vicariam hujus matris eccleſiæ extitiſſe a temporibus Æthelredi regis & Theodori archiepiſcopi, qui locum tunc fundaverunt, & ibi Boſelum primum epiſcopum conſtituerunt anno Incarnationis Domini DCLXXX. indict. VII. Hanc inſtitutio a tempore ſupradicti Boſeli, per tempora omnium epiſcoporum hujus ſanctæ eccleſiæ per manus clericorum in hac ſede ſervientium inconvulſa ſervata eſt uſque ad tempora beati Oſwaldi archiepiſcopi, qui opitulatione Eadgari regis, & auctoritate pii patris Dunſtani, Cantuarienſis archiepiſcopi, de irregulari converſatione clericorum in regularem converſationem & habitum monachorum tranſtulit & mutavit hujus eccleſiæ congregationem anno Dominicæ Incarnat. DCCCCLXIX. indict. XII. Hujus pii patris Oſwaldi temporibus Winſius, ſanctæ Elenæ presbyter, vicarius hujus ſanctæ matris eccleſiæ extitit. Hic idem monitis ſancti Oſwaldi cum cæteris, qui in clericali habitu huic eccleſiæ utcumque ſerviebant, mundo poſthabito, monaſticæ religionis habitum ſuſcepit, & claves eccleſiæ S. Elenæ, quarum ipſe ſicut vicarius cuſtos extiterat, cum terris decimis, cæteriſque redditibus ad communem uſum monachorum reddidit. Winſio proinde monacho facto cum cæteris qui ſecum ſponte converti elegerunt, tam prædicta eccleſia, quam cæteræ quæ nunc uſque monachorum ſunt eccleſiæ terræ, ſepulturæ, vel quælibet aliæ conſuetudines, ſeu dignitates eccleſiaſticæ, quæ clericorum quaſi propria hactenus extiterant, in jus monachorum tranſierunt, & in communem uſum illorum redactæ ſunt, aſſenſu regis Eadgari, & beati Dunſtani, ſanctique Oſwaldi archiepiſcoporum. Anno tertio converſionis Winſii presbyteri, beatus Bwaldus prioratum ei ſuper monachos hujus eccleſiæ conceſſit, aſſenſu ejuſdem regis. Conceſſit etiam illi omnibuſque ſuis ſucceſſoribus, prioribus hujus eccleſiæ decanos eſſe ſuper omnes eccleſias ſuas & presbytero, ita videlicet, quod nullus decanus, nullus archidiaconus de monachorum eccleſiis ſeu clericis ſe intromittat, niſi per priorem eccleſiæ. Omnes eccleſiaſticas conſuetudines prior ſicut ſummus decanus epiſcopi pro ſuis eccleſiis epiſcopo perſolvat. Harum rerum, ſicut ab anteceſſoribus noſtris didicimus, & his temporibus ſub anteceſſore noſtro Aldredo, & vobis hactenus ſervatas vidimus, teſte ſumus. Hoc igitur teſtimonium ego Wlſtanus verum comprobans, litem presbyterorum ſedavi, & veram comprobationem teſtimonio hujus ſanctæ ſynodi literis noſtris & ſigillo corroboravi; cavens ne amodo de his rebus in hac ſancta & matre eccleſia inter monachos & alias quaslibet perſonas diſſenſio, ſive ſcandalum oriatur.

tur. Servantibus hæc vita æterna donetur in cælestibus. Qui autem fregerit, vel in pejus mutaverit, cum diabolo & angelis ejus perpetuis damnetur cruciatibus. Amen.

ANNO CHRISTI 1092.

ANNO CHRISTI 1092

REMENSE CONCILIUM II.

A Raynoldo Remensi archiepiscopo id causa electi Atrebatensis Anno 1092. *die XV. Augusti celebratum*

Ibid. pag. 89.

Atrebatenses concesso sibi ab Urbano II. eligendi jure, in Lambertum quemdam ecclesiæ suæ clericum convenerunt. Requisitus est Remensis archiepiscopus pro consecratione. Qui cum intelligeret Cameracenses clericos electioni huic repugnare, rem gravem nisi in synodo statuere noluit. Alterum eo ipso anno 1092. *habuerat pro agnoscendis, admittendisque Urbani II. literis, quibus facultas illis de electione dabatur. Quam synodum Labbeus non omittit. Altera addenda erat pro consecratione electi. Hæc igitur epistola illos invitavit, quam accipio ex Baluzii Miscellan. tom. V. pag.* 150. *unde pariter de gestis alterius hujus synodi aliqua discet.*

RAYNOLDI REMENSIS ARCHIEPISCOPI

Epistola ad Clerum Atrebatensem, invitat eos ad synodum.

Raynoldus gratia Dei Remorum archiepiscopus, domno Gualberto, universoque Atrebatensis ecclesiæ congregationi salutem, & benedictionem in Domino Jesu.

Ex Baluzii Miscellan. to. 5. p. 250.

Scripsistis nobis quatenus terminum vobis rescriberemus in quo electum vestrum consecrare vellemus. At quia consecratio illa non solum ad nostram, verum etiam ad coepiscoporum nostrorum potestatem juxta canonum sanctionem pertinere videtur, diem vobis hujus consecrationis, abique eorumdem consilio hauquaquam rescribendum esse dignum duximus. Sed cum in festo sanctæ Mariæ mediante Augusto magnum & episcoporum & clericorum conventum Remis habituri simus, illud quod ab eis super hoc consilium acceperimus, & terminum in quo eumdem electum vestrum debeamus consecrare, vobis mandare non differemus. Valete.

Post quas literas hæc de gestis in synodo in veteri charta apud eumdem Baluzium ibidem.

Ad hanc ergo diem Atrebatensis ecclesia iterum se domno archiepiscopo Remis in his personis præsentavit, domno scilicet Abone, Heriberto, Johanne, & altero Johanne, a quibus iterum hujus consecrationis secundas inducias usque ad omnium sanctorum solemnitatem expetivit. Sed sæpefata ecclesia desolationis diuturno tædio affecta, protelationibus tantis non canonicis annuere non valens, domni papæ mansuetudinem jam tertio repetere procuravit. Ad hoc itaque duo clerici missi, cantor scilicet ecclesiæ Odo, cum Johanne diacono has literas domno papæ præsentaverunt.

Venerabili magnificoque totius sanctæ ecclesiæ papa Urbano devotus clerus & populus Atrebatensis orationem continuam atque subjectionem prona mente omnimodam.

Gratias immensas conditori, atque reparatori nostro pleno corde agimus omnium, qui inspirando movendoque cor tuum hactenus per multa annorum volumina depressos, gementesque vitiare ac liberare dignatus es a jugo novercæ nostræ scilicet Cameracensis ecclesiæ, ut ad pristinam libertatem canonico rediremus scripto, & apostolica auctoritate roborasti, testando Atrebatensem ecclesiam unam ex nobilioribus civitatibus Remensis metropolis, & principalem sedem episcopatus fuisse, suam diœcesim, & cætera pontificalia jura habuisse, ac ut secundum sacros canones nobis dignum Deo & hominibus eligeremus pastorem præcepisti, quod & fecimus in imitatione sanctorum patrum jejunio triduano, precibus lacrimabilibus & eleemosynis nonnullis, Lambertum videlicet Ghisnensem, virum religiosum, corda fidelium largo fonte prædicationis, irrigantem; ita ut a multis millibus piæ plebis clametur, quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam, Hunc itaque catena obedientiæ suæ vinculatum tenemus, præstolantes misericordiam Dei, a quo omnes procedunt benedictiones, per te nobis impleri. Nos enim, rector sancte, ut jussit clementia tua, obediendo tibi per omnia bis misimus jam pro ipsius consecratione archiepiscopo Remensi legationem, ut eum aut consecraret, aut cum literis suis tibi consecrandum dirigeret. Ipse vero tuo sancto canonicoque præcepto differens obedire, dilationem invenit animabus fidelium periculosam, ac nulla ratione subnixam, ut dignitas tua præsentium fratrum perpendere poterit relatione. Nunc igitur pie pater, hac tam gravi necessitate compulsi, ad te nostrum solum sub Deo refugium cogimur redire, ut quod sancte, Deoque digne cœpisti, amore ipsius, cujus sanguine sumus abluti ne differas adimplere. Idque humiliter petimus, ut summa obedientia infra terminum tuæ dispositioni placitum archiepiscopo eum præcipias consecrare, aut adduci jubeas consecrandum dignitati tuæ, ne diverticulando jussio tua jam tertio archiepiscopo injuncta, ac in omnibus pene Galliæ partibus divulgata videatur annullari.

CONCILIUM IN CARI-LOCI MATISCONENSI MONASTERIO

Tempore S. Hugonis Cluniacensis abbatis circa annum 1092: *celebratum.*

Ibid. p. 91.

Concilii hujus nulla supereſt mentio præterquam in charta quadam, in qua describuntur acta placiti in causa Archimbaldi V. Borbonensium domini, & monachorum Silviniacensium, de qua inferius ad concilium Claramontanum. Hæc igitur ibi: *Sapius blande, sapius severe correptus* (Archimbaldus) *a Domno Hugone Cluniacensis monasterii patre, cum nequaquam monitis sa-*

lu-

☞ *lutaribus acquieſceret, ad ultimum etiam apud Ca-*
rum-locum ſynodus congregata eſt epiſcoporum ob ejus
ANNO CHRISTI 1092. *vel maxime coercendam duritiam. Sed quamvis di-*
ſcretus pater confidens de ejus melioratione excom-
municationis gladium etiam tunc ab eo ſuſpendi ſe-
ciſſet, non tamen ad plenum mala incœpta deſeruit. ANNO CHRISTI 1092.
Nec plura de hac ſynodo.

☞ SYNODUS SZABOLCHENSIS NATIONALIS

Habita ſub Ladislao rege & Seraphino archiepiſcopo Strigonienſi Anno MXCII. die XX. Maii.

NARRATIO PRÆVIA.

Ibid. p. 91. Ex Peterffy Conc. Hung. T. I pag. 93.

„ CUm variæ gentes auctо populi Chriſtiani B
„ numero, novus ſecum mores Hungariæ
„ inferrent, intepuit nonnihil primus ille pietatis
„ calor, & quædam divini cultus neglectio ſen-
„ ſim illapſa eſt, eo renacius hæſura, quo ſecu-
„ rius ardente bello inter Salomonem & Ladis-
„ laum penetrabat. Poſtquam vero, tentata ultri-
„ ma alea, Salomon ingenti clade a Mariano
„ rege profligatus, mundum faſtidiret & ſanctius
„ vitæ genus anno 1086. inter ſylvarum receſſus
„ quæreret (a) pacanda reſtabat Dalmatia, quam
„ etiam felici expeditione ſuſcepta, cum Croa-
„ tia, coronæ adjicit. Alii utrumque regnum hæ-
„ reditario jure acceptum aſſerunt. Sed dubium
„ iſtud, promovente Deo onerariam noſtram,
„ data opera excutiemus. Inde regreſſus in Hun-
„ gariam adverſus Cumanos rapinis & incendiis
„ provinciam vaſtantes exercitum movet, eoſque
„ extortis ſpoliis proterit. Conſulat lector auctо-
„ res domeſticos.

(a) M. S. ex notitia abbatiarum ord. Ciſt. Gaſpar. Jongel. de Monaſt. S. Crucis in Auſtria, hæc: *Demum quieſcis in hoc cœnobio*, quod certum eſt, *Sigiſmundus, quem alii Salomonem nominant, rex Hungariæ. Hic cum controverſias gereret cum fratre ſuo de regno, contempto terreſtri, inquirere cœpit cœleſte. ac proinde incognitus venit ad S. Crucem: ubi, dum in omni patientia & ſanctitate viginti quatuor annis ſanctam fratrem converſus fuiſſet cum ageret, exiſtens in mortis articulo, abbati conditionem ſuam revelavit. Atque hujus rei occaſione monaſterium a regibus Hung. egregie dotatum. ſolum eſt quod patres noſtri non notarint hujus regis converſi monumentum. Sed quia duces Auſtriæ cuique lapillo deprehenduntur teſti, credere licet, eumdem etiam more converſorum vel ad oſſuarium, vel cœmeterium delatum.* Hæc Jongelinus. Continebant in valle hac Umbrula Sanctæ Crucis teſti illi, qui exuviis S. Regis in Dalmatia, vel Iſtria quæſiverunt. Sed adhuc ſub Judice lis eſt. PEIERFFY.

Pace igitur undique refecta, curandis reipublicæ vulneribus animum adiiciens, Szabolchum (b) comitia ex omni regni optimatum ordine anno 1092. indicit, neglectam, ut heri amat, inter armorum ſtrepitus diſciplinam, in novello adhuc populo novis ſubſidiis, ſeu decretis erectus. Seraphinus archiepiſcopus facta nuper acceſſione Varadienſis (c) & Zagrabienſis epiſcopatus e re ſua exiſtimavit, ut aperta occaſione, eccleſiæ quoque commoda procuraret, aut ſi quam paſſa eſſet religio injuriam, de hoc legitime cogniceret. Multis proinde conſiliis Seraphinus cum rege ſynodum collegerunt (d) *qua appellatione, retento a nobiliore, ſeu eccleſiaſtica materia titulo, eandem Divinus Ladislaus volumi diſtinguit.* Partitis, ut ſententiæ ferebant, negotiis, politica lacris acceſſere; ea fere ratione, qua ætate Divi Stephani eveniſſe præmonuimus. Ladislaus enim hac in ſynodo eccleſiæ jura & rem civilem auctoritate ſua ſuſtinebat, ut altero velut brachio epiſcoporum poteſtatem fulciret; ne populus arbitrio ſolius cleri ad complectendas novas rurſum morum regulas, quibus nonnulla religionis capita ſtabilita ſunt, ſe adigi quereretur: cui certe minus, quam virgæ regiæ obtemperare conſuevit. (e) Præceptiones ipſæ manifeſto docent, ob epiſcoporum ſuffragio omnia ea pependiſſe, quæ eccleſiæ ritus, cleri, cœnobiorum, matrimonii jura, privilegia, & immunitates contingunt, ad conſuetudinem tum vigentem æquis de cauſis eſſe reducta.

E decretis libri primi (ſecundo & tertio ad forum remiſſis) cum quædam ab imperitorum intelligentia remota ſint, alienſque a ſana fide perperam interpretandi viam offerant commentarium P. Melchioris Inchoffer, cui primos conatus in ſcribendis eccleſiæ ſuæ annalibus debet Hungaria, librum hunc decretorum ſynodalium S. Ladiſlai, magna eruditione explanantem ſingulis fere capitibus ſubjicio. Obtigit M. S. iſtud, e viri de patria optime meriti operibus poſthumis, plura, dum oportuit, in eo vulnera curavi; addidi multa in contextum, quæ virum eruditum fugerant, aut opella mea expolita ſunt, pauca ad recentia regum Decreta illuſtrare neceſſum fuit. Secundi ac tertii libri canones qui hunc faciunt ſelecti. Erit quemadmodum mihi pollicor, ea in commentatione plurimum, ut Lector proficiat, quantove conatu, in conſervanda integritate eccleſiæ, epiſcopi noſtri verſati ſint plene intelligat. Recurrunt canones plurimi, in aliis etiam provinciis, & pleriſque conciliis orientalibus ſancti, quos partim apud Binium, partim apud Labbeum, & Harduinum invenies. Deprommunt quidem ex hac ſynodo Heterodoxi arma obtuſa, in Romanæ eccleſiæ originem apud Hungaros, ſed in ſuum ipſi caput, duramque cervicem tela recidere ſentient, cum noſtra legent. Ajebam, debere nos aliqua Græcis Bulgariſque; quin tamen Photio, quod Lampe vult, ortum chriſtianæ & catholicæ Religionis, dumi noſtræ aſcribere cogamur.

(b) Szaboles eſt urbecula in regione Nyir ultra Tibiſcum: ab ea nomen comitatui.
(c) Varadienſem epiſcopatum a S. Ladislao inſtauratum malunt, quam fundatum. Utri deferam, nondum mecum conſtituo. Aſſentiar tamen, ſi per me ſteterit, primis præ ſecundis.
(d) Clariſs. Ostrokocay teſtimonium exhibemus.
(e) Offendit ad lapidem plagiarius Lampe, cap. 3. pag. 30. dum S. Ladislaum præſediſſe S. Synodo legit: remitto hominem ad ea quæ oppoſui.

☞ SYNODUS SZABOLCHENSIS.

Celebrata ſub Ladislao Hungariæ rege & Seraphino archiepiſcopo Strigonienſi anno MXCII

PRÆFATIO.

Ibid. p. 93. REgnante creatore & Salvatore Do C
mino noſtro Jeſu Chriſto; anno In-
carnationis ejus milleſimo nonageſimo ſe-
cundo XII. Calend. Junii, in civitate

Szabolch, S. Synodus habita eſt; præſidente chriſtianiſſimo Hungarorum rege Ladislao, cum univerſis regni ſui pontificibus & abbatibus, nec non cunctis o-

primatibus, cum teſtimonio totius cleri & populi. In qua ſancta ſynodo canonice, & laudabiliter hæc inventa ſunt decreta. ANNO CHRISTI 1092.

CAPUT I.

De bigamis presbyteris, & diaconis.

BIgamos presbyteros & diaconos & viduarum, vel repudiatarum maritos, A jubemus ſeparari, & peracta pœnitentia ad ordinem ſuum reverti. Et qui noluerint illicita conjugia dimittere ſecundum inſtituta canonis debeant degradari. Separatas autem fœminas parentibus reddi jubemus ſuis: & quia non erant legitimæ, ſi voluerint liceat eis maritari. ANNO CHRISTI 1092.

NOTÆ P. MELCHIORIS INCOFFER S. J

PRO hujus intellectu capitis non eſt putandum, aliquando licuiſſe in eccleſia latina presbyteris uti conjugio, prout admodum falſo exiſtimavit Gratianus Can. quoniam 13. diſt. 31. neque hujus capitis ſenſus eſt, bigamos tantum presbyteros & diaconos ſeparandos eſſe, quaſi non prima ſed ſecunda dumtaxat eorum conjugia fuerint irrita; ſed bigami dicuntur vel quia antequam ſacris eſſent initiati, legitime conjuncti, primis defunctis ſecundas ducebant, eamque uſum in ſacris quoque conſtituti licitum eſſe ſibi putabant, vel certe quia nullo habito reſpectu, perinde ac laicis id conceſſum rebantur: ad id faciente prava quadam conſuetudine, quæ a primis religionis initiis, non per omnia firmam radicem egerat: quæ etiam in Bulgaris recens ad fidem conversis Nicolaus primus, anno pontificatus ſecundo, pridem ante tolerabat. Idem vero exceſſus plectitur hoc loco: & multo magis ob ductas viduas & repudiatas, quæ etiam in legitimo ſtatu ductæ (ut de viduis loquamur) bigamiam inducebant; multo vero minus ducebantur licite ab iis, qui jam in ſacris conſtituti eſſent, præſertim presbyteris & diaconis, de quibus decernitur expreſſe hoc capite: qui proin merito jubentur ſeparari, & peracta pœnitentia ad ordinem ſuum ex indulgentia pura reverti, ſeparatæ autem reddi parentibus ſuis, libere aliis tradendæ ſi nubere vellent; quia non erant legitimæ, ideſt conjugia earum irrita erant, vel ſi primis legitimis inducta, nedum, ſi iis quoque non legalibus ſucceſſere. Quod autem nolentes illicita conjugia dimittere ſecundum inſtituta canonis degradari jubentur, hoc loco idem ſignificat ac deponi. Intelligatur autem canon in concilio Neocæſarienſi editus, in quo presbyter, qui uxorem duxerit, jubetur ab ordine deponi.

CAPUT II.

De his, qui ancillam in locum ſurrogaverint uxoris.

SI quis autem presbyter ancillam ſuam uxoris in locum ſibi aſſociaverit venumdetur, & pretium ejus ad epiſcopum transferatur.

B CAPUT III.

De indulgentia ad tempus facta presbyteris, ut cum uxoribus maneant.

PResbyteris autem qui prima & legitima duxere conjugia, indulgentia ad tempus datur, propter vinculum pacis & unitatem Spiritus Sancti, quouſque nobis in hoc Domini apoſtolici paternitas conſilietur. (a)

NOTÆ.

EX hoc capite apparet, bigamos ſuperius dictos eſſe illos, qui ſecundo conjungati erant; quorum nuptiæ non legitimæ, ſeu non legales dicebantur juxta canonem concilii Neocæſarienſis. Quod autem indulgentia concedatur ad tempus iis qui prima & legitima duxere conjugia, non intelliguntur de prima uxore ducta in presbyteratu vel diaconatu, neque enim hoc eſſet legitimum conjugium, utpote contra plures canones qui recitantur in Diſt. 28. & 31. ſed prima ducta in ſtatu laicali, quam Sacerdotes & diaconi retinere poterant, ac ut ſorores diligere juxta canon. Presbyter quidam 28. diſt. 31. exceptum ex Gregorio lib. 4. dialog. cap. 2. non tamen cum ea commiſceri: jam enim hoc cautum erat variis canonibus, inter quos eſt ille ſi Laicus 7. diſt. 31. ex Hieronymo ad Jovinianum lib 1. multoque magis can. Placuit epiſcopos 23. diſt. 32. Ex concilio Chartaginenſi V. cap. 3. ubi dicitur: Placuit epiſcopos, presbyteros, diaconos ſecundum priora ſtatuta etiam ab uxoribus abſtinere, quod niſi fecerint ab eccleſiaſtico removentur officio. Cæteros vero clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum intuitu cujuſque eccleſiæ conſuetudinem obſervare debere. Quare quod in hoc capite indulgentia ad tempus datur non tam intelligendum eſt quoad uſum matrimonii, quam ſeparationem; quem ſine dubio fuiſſet contra vinculum pacis & unitatem Spiritus Sancti: neque enim licebat unquam epiſcopo, presbytero, diacono uxorem cauſa religionis abdicere a cura ſua, ut & victum & veſtitum largiatur, non ut cum illa ex more carnaliter jaceret, quemadmodum ſanxit Leo IX. can. omnino II. diſt. 31. Cujus tamen dicta ſicut et am apoſtoli Pauli 1. ad Cor. 9. more hæreticorum falſificat inſigniter celebris hæret cus Joannes Sleidanus l. 3 de monachis. Nam cum Leo pontifex rationem ſui dicti reddat, his dictis: Sic & ſanctos apoſtolos legimus egiſſe, beato Paulo apoſtolo dicente: Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi ſicut fratres Domini & Cephas. Vide inſipiens (arguit Leo Nicetam abbatem contra quem ſcribit) quia non dixit; Nunquid non habemus poteſtatem ſororem, mulierem amplectendi, ſed circumducendi, ſcilicet, ut de mercede prædicationis ſuſtentaretur ab iis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale conjugium. Hæc, inquam, ita legit hæreticus Sleidanus ut pro ſorore, uxorem reponat, Paulumque dixiſſe velit, ſibi quoque liberum eſſe non minus, quam reliquis apoſtolis uxorem circumducere. Qua in re & ſcripturæ textum corrumpit, & ex gravi ignorantia Paulo uxorem tribuit. Quod ſi quis omnino contendat de indulgentia, quo ad uſum matrimonii conceſſa ſermonem eſſe in prædicto decreto, non eſt laborandum magnopere; fieri enim poteſt, fuiſſe quoſdam in ea ſynodo, qui aut cum Orientalibus ſaperent, aut metu in corruptis ſæculi moribus ſuperſede e putarent, quoad novum Romani pontificis mandatum urgeret. Satis enim conſtat quantum & ſub Leone IX. ante 40. annos laboratum ſit contra ſacerdotes uxoratos in ordinem redigendos, quos Niceteæ monachi Conſtantinopolitani falſa doctrina depravaverat. Quem & idem Leo perſtrinxit, cujus verba feruntur can. Omnino II. diſt. 31. Sed longe acrius idem confutatus eſt ab Huberto epiſcopo Sylvæ Candidæ Conſtantinopoli tunc agente, qui Nicetam & erroris & fallitatis & ignorantiæ convincit. Sed præterea ob oculos verſabatur Ladislao regi, ac Hungaricæ eccleſiæ præſulibus quantum recenti tempore & Alexander II. laboraverit adverſus clericos uxoratos, quos Nicolaitas, & hæreticos vocat in concilio Mantuano: contra quos ſtylem acuit etiam Petrus Damiani, & quantum recentius, anno videlicet 1074. Gregorius VII. ſit conflictatus, quando, uti refert ad hunc annum Lambertus, promulgatum contra clericos concubinarios, ſive conjugatos per Italiam decretum edidit paulo ante in ſynodo ſancitum, quod tale fuit: Presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur, nec quiſquam omnino ad ſacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamque cœlibem profiteatur. Hoc etiam decreto per Italiam promulgato crebras literas ad varios per Europam antiſtites dedit, præ-

(a) *Quouſque nobis in hoc, &c.* Hæc verba Lampe ſuſtulit: Ne Romano pontifici contra, quam velit deferre cogatur, uxorio vinculo pacis exagerando totus inſudans cit. cap. Peterſſy.

præcipiens, ut ipſi quoque in ſuis eccleſiis ſimiliter facerent, atque a contubernio ſacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate *refecarent*. Cujuſmodi mandata ad metropolitanum quoque Strigonienſem cæteroſque Hungariæ præſules pervenille dubitari non poteſt. Quia tamen illis incertum erat quem effectum in aliis provinciis habuit ejuſmodi edictum, merito Romani pontificis ſententiam expectabant, quod ipſum verba canonis, *quæcunque in hoc Domini apoſtolici*, (leu papæ) *paternitas conſtituit*, clare indicant. ANNO CHRISTI 1092. ANNO CHRISTI 1092.

CAPUT IV.

De epiſcopo conſenſum præbente nolentibus ſeparari ab illicito conjugio.

SI quis autem epiſcopus, aut archiepiſcopus ab illicitis conjugiis ſeparari nolenti, ſpreto ſynodali decreto, aut conſilium aut conſenſum præbuerit, aut ei A eccleſiam dederit, aut aliquid quod in ordinem pertinet agere permiſerit; a rege & coepiſcopis ſuis, ſecundum quod rationabile videbitur, is dijudicetur. Si vero archiepiſcopus, cauſa ignorantiæ, epiſcopo conſenſerit, aut presbyter per conſenſum illius in tali vitio permanſerit, judicio epiſcopi voluntario ſubjaceat.

NOTÆ.

DEcretum eſt cum quadam extenſione deſumptum ex decreto duodecimo Urbani papæ, in quo habetur: Si vero epiſcopi conſenſerint eorum pravitatibus, hoc eſt: qui in ſubdiaconatu uxoribus vacare voluerint, de his enim loquutus eſt Urbanus vel juxta extenſionem ſynodi Hungariæ: Quicumque ii ſint qui ab illicitis connubiis ſeparari noluerint. &c. ipſi officii interdictione mulctentur. Ita Urbanus. Porro quod dicitur: Si archiepiſcopi, cauſa ignorantiæ epiſcopo conſenſerint, aut presbyter, per conſenſum illius, in tali vitio permanſerit, judicio epiſcopi voluntario ſubjaceat. Non eſt ſenſus: ab epiſcopo eum judicandum, quo modo enim judicet is, qui eadem culpa implicatur? quod ſane plures vetant canones; ſed ſenſus eſt: eadem plectendum ſententia, cui obnoxius eſt epiſcopus, ob conſilium, aut conſenſum, aut nimirum juxta Urbanum. *Officii interdictione mulctetur*: juxta Gregorium: *& officio, & beneficio privetur*.

CAPUT V.

De dote eccleſiarum non expleta.

QUicumque eccleſiam Deo ædificaverit, & dotem nominaverit, nominatam vero non dederit, ad illud explendum, tranſmiſſo nuntio, prævaleat epiſcopale judicium: cui ſi quis contradixerit, & contradicendo verberaverit, ipſe regali judicio ſubjacebit. B

CAPUT VI.

De perditione rerum eccleſiaſticarum ob ſacerdotis incuriam.

SI quis presbyterorum res eccleſiæ ad propria loca duxerit, & ibi vendiderit, vel per incuriam ſuam perdiderit ſimpliciter eccleſiæ reſtituat.

CAPUT VII.

De reſtauratione deſolatarum eccleſiarum propter ſeditionem.

ECcleſias propter ſeditionem deſolatas aut combuſtas, juſſu regis parochiani reſtaurent; calices & veſtimenta ex ſumptu Regis dentur, libros epiſcopus provideat. C

NOTÆ.

MIra ſane hic elucet Ladislai pietas, non ut gravato ſubditorum cenſu, cum ſingula capita nonniſi exiguo ſymbolo penſitarent, ipſe præcipuas expenſas e ſuis rationibus duxerit: nullo etiam epiſcopis, niſi honorario onere commiſſo; quorum tam opimi erant proventus, quibus omnium curam facile ipſi ſoli, ſi, ſynodo viſum fuiſſet, redempturi erant, nullo fortunarum detrimento. Idem fere olim ſanxerat circa eccleſias ædificandas primus regum Divus Stephanus, ut vidimus in conſtitutionibus S. Regis cap. 13. cujus pietatem Ladislaus ſibi propoſuiſſe imitandam videtur.

CAPUT VIII.

De deſolatione propter vetuſtatem.

ECcleſias ex vetuſtate deſolatas epiſcopus reædificet. E

NOTÆ.

ID quoque juxta ſanctorum patrum canones, ſapienter decretum eſt. Non mirum autem vetuſtate labefactari potuiſſe nonnullas eccleſias, etſi a converſione nondum plane ſæcularem ætatem ducentes, quando in iis initus haud paucas præſertim in villis oportuit eſſe, non eatenus materiatas, quæ æternitatem promitterent; ut propterea epiſcoporum impenſis in poſterum tales ædificandæ eſſent, quæ illorum dignitati & diligentiæ pares eſſent, cum ſumptuoſis, etiam regum munificentia, baſilicis extructis certantes, quales hodieque non uno in loco in Hungaria viſuntur. Et licet plurimæ Turcarum barbarie vaſtatæ & pene ſolo æquatæ ſint, ipſis tamen ruinis ſplendorem oſtendunt duraturum, ſi vim non ſenſiſſent, aut reges temporum coacti injuriis, in hæreticorum poteſtatem tranſtuliſſent.

CAPUT IX.

De negotiatoribus quos Iſmahelitas appellant.

DE negotiatoribus quos appellant Iſmahelitas, ſi poſt baptiſmum ad legem ſuam antiquam per circumciſionem rediiſſe inventi fuerint, a ſedibus ſuis ſeparati ad alias villas removeantur. Illi vero, qui inculpabiles per judicium apparuerint in propriis ſedibus, aut ædibus remaneant. D

NOTÆ.

ANNO CHRISTI 1091.

LOquitur de Iſmaheitarum ſeu Agarenorum filiis, qui ſubinde ſive allecti, ſive altero oblati baptizabantur, deinde vero a conſanguineis & affinibus ſeducti, ad legem antiquam redibant circumciſione chriſtiana ſacra ejurantes. Hos itaque jubet a ſuis ſeparari, & per alias villas diſtribui, ut longe exiſtentes a commercio infidelium, facilius reducantur ad chriſtianam religionem. Qui vero inculpabiles, id eſt minime obno il perfidiæ inveniretur & conſtantes in Chriſti cultu, illi in propriis ſedibus, aut ædibus manere permittebantur. Nec minor pœna implicat ſeductores, ut dicto modo relegati, & a commerciis remoti & jure negotiorum privarentur & fortunarum ſuarum detrimentum facerent. Quare in ſpeciem mitis hæc pœna videri poſſit, quum ſuperioribus ſæculis hoc genus delicti longe atrocioribus ſuppliciis, ferro & igne ſolitum ſit expiari: omnino tamen pro tempore, & loco magnam ad coercendum vim habebat in iis, qui rerum jacturam perinde ac vitæ æſtimabant, quam ex commercio & lucro provenire ducebant. Neque tamen dubitaverim in hujuſmodi allis etiam pœnis fuiſſe animadverſum, juxta conſtitut. 55. Leonis imperat. qui tales luere jubet pœnas apoſtatis conſtitutas. Decernitur autem l. ſi quis 2. C. de apoſtat. ut ſi quis ex chriſtiano Judæus effectus ſacrilegis cœtibus aggregetur, bona ejus Fiſco addicantur. Hinc porro liquet abundaſſe olim Ungariam hoc genere hominum, qui undique ex oriente præſertim confluebant, mercimonio & negotiatione vitam traducentes, viciſſimque commodantes; ut hinc noſcas felicitatem & copiam Ungariæ, pluribus regnis & provinciis exterorum temper ſuffeciſſe. Hi tamen ſicut victu, ita hoſpitiis ac domibus diſtincti, communem cum cæteris negotiatorum cauſam habebant, iſſdemque legibus politicis & foro cenſebantur, ac interdum converſatione ad ritum chriſtianum traducebantur, non aliam in pleriſque horum rationem fuiſſe dixeris, quam aliquando fuit Maurorum in Hiſpaniis.

ANNO CHRISTI 1091.

CAPUT X.

De conjugio Judæorum & Chriſtianarum mulierum:

SI Judæi uxores Chriſtianorum ſibi aſſociaverint, aut aliquam perſonam A Chriſtianam in ſervitio apud ſe detinuerint, ablata ab eis, libertati reddatur, venditoribus ejus pretium tollatur, & in ſumptum epiſcoporum veniat.

NOTÆ.

CONjugium inter Judæos & Chriſtianos canonibus vetitum eſſe, niſi illi convertantur, conſtat ex concilio Romano ſub Z charia can. 10. Ex quo videtur magna ex parte hoc decretum deſumptum. Item ex concilio Toletano IV. cap. 62. Et refertur can. 28. q. 1. c. Judæi 1. ubi dicitur. Judæi qui chriſtianas mulieres habent in conjugio admoneantur ab epiſcopo civitatis illius, ut ſi cum eis permanere cupiunt Chriſtiani efficiantur; quod ſi ammoniti noluerint ſeparentur; quia non poteſt infidelis in ejus permanere cojunctione, quæ jam in chriſtianam tranſlata eſt fidem. Videtur hic canon loqui de conjugibus, quorum alter jam ex infidelitate emerſit, altero adhuc in ea fordeſcente. Multo vero magis vetitum eſt: ne ſi alter eorum ſemper fidelis fuit, ad conjugium infidelis tranſeat.

Ex concilio autem Urbanenſi refertur cit. can. 28. q. 1. c. Si quis 17. Ut ſi quis Judaicæ pravitati conjugali ſocietate jungitur, ſive chriſtiana, Judæo, ſive Judæa Chriſtiano mulier carnali conſortio miſceatur: quæque eorum tantum nefas admiſiſſe dignoſcitur, e chriſtiano cœtu, atque convivio, & a communione eccleſiæ protinus ſegregetur. Idem prohibetur lege civili. Ne quis 6. de judæis, & cœlicolis: ſimiliter quod ſpectat ad alteram partem, & Chriſtiano apud Judæum in ſervitio detento, cavetur lege civili, l. Deo nobis 56. §. 3 c. de epiſcopis & clericis ubi: His ita diſpoſitis ait imperator repetita lege jubemus, ut nullus Judæus vel pagamus vel hæreticus ſervos chriſtianos habeat: quod ſi inventi in tali reatu fuerint, ſancimus, ſervos omnibus modis liberos eſſe, ſecundum anteriorem noſtrarum legum renorem. Idem innuitur l. 1. c. Ne chriſtianum mancipium ibi. Judæus chriſtianum ſervum nec comparare debebit, nec largitatis, vel quocumque alio titulo conſequetur. Quod ſi aliquis Judæorum mancipium vel chriſtianum habuerit, vel tectæ alterius, vel nationis, crediderit ex quacumque cauſa poſſidendum, & id circumciderit; non ſolum mancipii damno mulctetur, verum etiam capitali ſententia puniatur, ipſo ſervo pro præmio libertate donando.

Porro in hoc capite non eſt ſermo tam de conjugio Chriſtianæ & Judæi, quam de detentione, qua Judæus uxorem Chriſtiani vel allexerit ad cohabitandum illegitime, vel quocumque alio modo chriſtianam perſonam in ſervitio detinuerit. Quocirca par in utroque canone pœna decernitur; ablata nimirum eis libertate, quod ſe ſic aſſociaverint, vel ſi pretio emptæ, ſerviverint. Illæ enim tenerentur redire ad maritos, vel ſi maritos non habent, vivere inter chriſtianos cum quadam capitis diminutione: hæc vero ad venditores priſtino ſtatui reſtitutæ, vitam ſerviendo exigere deberent, neque enim volentes venierant, ſed neque alia libertate gaudere debent quam ante apud venditores utebantur; pœna tamen redundat in ipſos venditores æque ac in Judæos, nam ad neutros redit pretium, ſed epiſcopo redit jure fiſci vel parochiani, hac conſtitutione. In eo tamen melior eſt conditio vendentis, quod res vendita, eidem reſtituatur.

CAPUT XI.

De negligentia eccleſiarum in diebus Dominicis & feſtis.

SI quis in dominicis diebus, aut in majoribus feſtivitatibus ad eccleſiam non B venerit parochialem, verberibus corripiatur: ſi vero ille remotæ fuerint, & ad eccleſiam ſuam parochialem villani venire non potuerint, unus tamen ex eis nomine omnium baculo ad eccleſiam veniat, & tres panes, & candelam ad altare afferat (*a*).

NOTA.

(*a*) Reducitur canon ad ar. 34. l. 2. Dec. S. Step. addit Otro-Kocsy. *Quod cum baculo jubetur venire, partim faſtus, partim hoſtilitas, vel rapina videtur prohiberi, Ne quis gladium humeranum tunc ſecum portet, ſed ut pacificus Chriſtianus; & ut pius Viator veniat ad eccleſiam.* Eſt præterea lignum, quo ſe eccleſiæ ſubjectos profitentur. Viget hodiernum mos iſte in locis non paucis, ubi Hungarorum pietas nondum emarcuit. Cæterum oblatio panum a populo ad altare fieri ſolita, ut per verba ſacra Sacerdotis, Euchariſtia ex eo conficeretur, vetuſtiſſimus Chriſtianorum mos fuit. S. Cipria. Tract. de Op. & Elee. ed. Colon. p. 181. Nu. 35. Concil. Matiſ. II. C. 4. apud. Binn. To. 2. par. 2. pag. 266.

NOTÆ.

MAjores feſtivitates non intelligit comparatione Dominicæ abſolute, quod jure maximum feſtorum dici poteſt can. *Quod die 3. diſt. 75.* ſed comparatione aliorum, quæ non tam ex præcepto, quam devotione populi celebrantur, & diſpoſitione eccleſiæ, gradibus quibuſdam diſcernuntur in choro, non in foro ſervandis. Majores porro feſtivitates hoc loco intelliguntur, quæ in jure exprimuntur can. *Pronunciandum* 2. *de Con-*

ſe-

secret. diſt. 3. & l. Ut in die 2. as l. Omnes die 7 C. de feriis. Inter quas etiam Martini feſtum Hungaris celeberrimum cenſetur. Quanquam aliquæ deinde deſueverunt, ut tres dies Rogationum, & quatuor hebdomadis paſchalis, quibus ſuccenſere Feſtum corporis Chriſti, Conceptionis Deiparæ, & quædam alia. Quod autem verſ. ANNO CHRISTI 1092. bcribus fabderentur, qui his diebus eccleſiam parochialem non frequentarent: myſterio non vacat, ut ſervilem in modum cederentur, qui Deo ſervire, & feriari a ſervilibus neglexiſſent, ac potius ex prava conſuetudine ingurgitare ſe ſoliti eſſent juxta ea quæ dicuntur in *can. denique 6. diſt. 4.* Sunt autem vulgare genus pœnarum in Hungaria, etſi eæ non ſint capitales, & æquivalens tuſtigationi: aut etiam virgarum ex vite percuſſioni, militibus olim adhiberi ſolitæ, ita ut cum nen eſſent ad ſupplicium deſtinati, non cæderentur denudati, ac ſpoliati, ſed proni duntaxat humi devoluti certos plagarum numeros indumentis ſuis tecti; natibus exciperent. ANNO CHRISTI 1092.

Quod præterea, ſi villæ remotæ ſint, indulcetur, ut villani unum tantum mittant ad parochialem eccleſiam non eſt intelligendum, hoc ipſo eos excuſatos fuiſſe a ſacro audiendo: neque hoc ipſi negligebant, ſed paratas in ſingulis pene villis habebant & aras, & Sacerdotes, ſed Præter hoc tenebantur adire concionem, & proponentem verbum Dei audire, quod non fiebat, niſi in eccleſia parochiali, qualem denæ villæ habebant ſingulam. Id verò inprimis illis temporibus, magis utile videbatur ad roborandum in pectoribus fidelium Catholicam veritatem, quam ſi unius auditione miſſæ, ut huic ſatisfacerent eccleſiæ præcepto, de cætero verbum Dei negligerent, & diem otio tererent, cum revera, ut docet Auguſtinus, & refertur *can. 1. q. 1. c. Interrogo 49. non ſit minus verbum Dei, quam corpus Chriſti.* Et ſi non minus reus eſt, qui verbum Dei negligenter audit, quam ille, qui corpus Chriſti in terram negligentia ſua cadere permiſerit; quanto magis, qui raro aut nunquam audit. Qua de cauſa laudabilis illa eſt ultra-montanorum, ac præſertim Hungarorum pietas quæ æque religioſum ducit, & miſſam & concionem in eccleſiis audire. Quæ niſi deſerbuiſſet, ut plerique tædio divinorum capti, hoc tantum utcumque curarent, nec ſi miſſam omiſiſſent, rei eſſent præcepti eccleſiæ; eaque de cauſa fallendi temporis gratia breviores magis quam devotas miſſas venati fuiſſent, revera tot hæreſes, aut tam cito nunquam invaluiſſent: neque enim tanta ignorantia obrepſiſſet, quæ invaleſcentibus hæreſibus plures & fortiores occurriere vetuiſſet. Quod denique unus nomine omnium baculo venire jubetur ad eccleſiam, & tres panes, candelamque ad altare offerre, ſignificat pœnam verberum, ea Penſione, ex indulgentia præſcripta, redimi. Quod tamen niſi juſta cauſa ſubeſſet, in conſequentiam trahi non debebat, & procul dubio plus plectebat pudor, quam culpa.

CAPUT XII.

De veneratione ſupradictorum dierum.

SI quis in his diebus venatus fuerit canibus, equo careat, ſed equum bove aredimat. Si vero presbyter, aut clericus fuerit venatus, ab ordine deſcendat, uſque ad ſatisfactionem.

NOTÆ.

MErito venationis nominatim fit prohibitio, quæ, cum otioſis & maleferiatis ex ſe magna ſit illecebra ad negligendum ſacrorum dierum cultum, quibus ſoli Deo vacandum, nec quidquam aliud agendum eſſet, juxta *Can. Jejunia 16. de conſecr. diſt. 3.* tum maxime per patentes Pannoniæ campos denſarumque ſylvarum receſſus, & ingentem ferarum omnium, divitemque copiam, paratiſſimam in horas præbet occaſionem, & ultro vel deſides invitat, ac ſtimulat.

Quare non prohibendæ venationis, ſed ſervandæ religionis gratia editum hoc decretum & conſtituta pœna, eaque ſat mitis. Quid enim aut equo uno carere, aut hunc bove red mere apud Hungaros? cum utroque abundent. Cætera cuique liberum eſt, quocumque alio die, noſteque venari, dum ſacris diebus ſuus ſervetur honos.

Quod autem, ſi presbyter, vel clericus fuerit venatus, jubetur ab ordine deſcendere, uſque ad ſatisfactionem; hoc eſt: interdicuntur illi exercitia ordinis ſacri cujuſcumque, donec ſe emendet. Quod non eſt alienum a ſacris canonibus. *Eſau.* inquit Hieronymus plal. 90. *venator erat, quia peccator erat: & penitus non invenimus in Scripturis ſacris, ſanctum aliquem venatorem, piſcatores invenimus ſanctos.* Hæc Hieronymus. Et ref rtur *can. Eſau 11. diſt. 86.* Neque hic obiici debent Euſtachius, ſeu Placidus, Humbertus & alii, qui venatores fuerunt, ac poſtea ſanctitate claruerunt. *Nec te* (inquit author libri de augis curis) *Placidus, vel Euſtachius martyr quidem inſignis nimis demulceat, niſi forte perſecutorum eccleſiæ rabiem laudas; eo quod inde ad Apoſtolatum vocatus eſt Paulus, & inter alios factus præclarus evangelii prædicator.* V. rum recte Gregorius l. 28 moral. c. 16 ad 28. Iob. *Non in eo debet deſpici quod fuit, quia jam incipit eſſe quod fuit. can. Ferrum 18. diſt. 50* Sed etiam Ambrolius Hom 33. de quadragelima. *Quid prodeſt jejunare viſceribus, & luxuriare venatibus; abſtinere cibis, errare peccatis* Refertur *can. Quid prodeſt 12. diſt. 86.* & paulo inferius: *An putatis illum jejunare, fratres qui primo diluculo non ad eccleſiam vigilat, non beatorum martyrum loca perquirit; ſed ſurgens congregat ſervulos, diſponit retia; canes producit, ſaltus, ſylvaſque perluſtrat; ſervulos inquam ſecum pertrahit, fortaſſe magis ad eccleſiam feſtinantes, & voluptatibus ſuis peccata accumulat altena, nejcius rerum ſe futurum tam de ſuo delicto, quam de peccato ſervorum can. An putatis 13. cit. diſt. 86.*

Ex his doctores deduxunt, venationes ſaltuoſas clericis nunquam permitti. Nam quædam aliæ ſunt, quas videre etiam prohibentur; proinde multo magis damnandi ſunt clerici, non ſolum vetita facientes, verum iiſdem & diem ſacrum & religioſum temerantes: *licet*, ſi verum eſt illud Auguſtini, in pſal. 147. *Vident homines venatorem, & delectantur; væ miſeris, ſi ſe non correxerint; qui enim vident venatorem, videbunt Salvatorem & contriſtabuntur, can. vident. 10. cit. diſt. 88.* Quanto magis ſi ipſe clericus ſit venator, hac ſententia percelletur. Non abſimile porro fuiſſe decretum de ſervanda diei dominicæ religione, Divi Stephani regis, in loco oſtendimus.

CAPUT XIII.

De interfectione Adultera.

SI quis uxorem cum altero viro adulterantem invenerit, ſponte puniat; de ſe rationem reddat, & ſi voluerit, aliam ducat. Si vero ex propinquis ſœmineæ aliquis inſurrexerit, quod interfeciſſet injuſte, judici diſcutiatur, & illud a viciniis eorum omnino dein veſtigetur: ſi in deſpectione & contemptu apud virum ſuum eſſet prius, aut aliqua ſuſpicio fornicationis illius prius orta fuiſſet: & hoc, ſecundum quod rationabile videtur, dijudicetur.

NOTÆ.

HOc decreto non jubetur, ut maritus uxorem in adulterio deprehenſam interficiat, ſed cavetur quantaxat quid agendum, ſi id eveniat; unde rectius legitur: ſi quis uxorem cum altero viro adulterantem inveniens ſponte puniat, de ſe rationem reddat, &c. Porro jure canonico non licet homini Chriſtiano adulteram conjugem occidere, ſed tantum dimittere, *can. 33. q. 2. c. ſi quod vertus. 9.* Et Nicolaus papa quæſitus, an, ſi cujus uxor adulterium perpetraverit, marito liceat ſecundum mundanam legem eam interficere? reſpondet: *Sancta Dei eccleſia mundanis nunquam conſtringitur legibus, gladium non habet, niſi ſpiritualem non occidit, ſed vivificat* Lege tamen civili permittitur ejuſmodi vindicta, ut notat Panormit. *cap. veniens 2. de ſponſal. &*

ma

matrim. num. 8. ibi. *Qui cum uxore liberum, aut ſervum fornicantem invenerit, poteſtatem habet eos ambos occidendi, nec ullam rationem tenetur reddere, ſi ſcilicet in actu invenerit.*

ANNO CHRISTI 1092.

Cæterum, ſi lege civili permittitur, ut pater occidat filium, & ſi non inveniat jam committere, ſed tantum in præparatoriis in eodem lecto, ut notat Panormitanus l. c. quanto magis, ſi maritus uxorem inveniat non duntaxat in præparatoriis, ſed in flagranti, vel ut loquitur Hoſtienſis, *committentes in eodem carne*, quando juſtiſſimus dolor animum ſubit atrociter; *ut majus delictum ſit in mente viri, adulterium uxoris, quam homicidium filii*. Et favere videtur Nicolaus papa *can.* 33. *q.* 2. *c. Interfectores* 5. Por.o, &ſi propter atrocem injuriam, mitius agi videtur cum occiſore uxoris, ex hoc decreto; omnino tamen tenetur rationem facti reddere, qui id fecit: quæ, ſi ſufficiens fuerit, ad ſecundas nuptias tranſire permittitur; ſi ſecus, dubio procul, ei pœnæ ſubiiciatur, quam leges homicidis conſtituunt, nempe capitali, & quales inflgi ſolent homicidio (quemadmodum jura loquuntur) qualificato, ut non ſufficiant illæ, quas eadem synodus conſtituit, lib. 2. cap. 8. *De homine jugulato. Si quis*, videlicet, *extracto gladio jugulaverit hominem, regali judicio tradatur in carcerem, & omnia ſua dividantur in tria, ſcilicet: uxori, terræ, liberis, ſervis. Unde duæ partes dentur cognatis jugulati, tertia vero filiis, & uxori jugulatoris. Si vero minoris facultatis quam centum & decem penſis ſit; amittat libertatem.* Cæterum, alio decreto cavit, de uxoribus in adulterio deprehenſis, quod habetur hujus synod. cap. 20 numerum: *Si quis maritus uxorem in adulterio deprehenderit, & in judicio conſtituerit, mulieri ſecundum inſtituta canonum pœnitentia imponatur: quæ peracta, ſi vir eam voluerit, recipiat: ſi ſecus, quandiu uterque vixerit, innupti permaneant.*

ANNO CHRISTI 1092.

Porro ſi pœnas non ex æquitate, & ut delinquentium errores corrigerentur, magis quam ex odio vitiorum Hungari inſtituiſſent, longe ſane atrociora fuiſſent adulterarum ſupplicia: quod apud eos, ſi unquam alia, adulterii crimina proſus videntur abominabilia, quamvis omne carnis vitium a natura quodam modo infito odio deteſtentur. Nulla apud eos meretricum proſtibula; nec norunt excuſationes quaſdam, permittenda nimirum minora mala, ut evitentur majora, dum etiam minora ſint contra legem Dei. Quin, niſi minora ſevere puniantur, exiſtiment hanc fieri gradus ad majora, cum ſi minora ſpernantur, majora etiam ſit auſura nequitia.

Et ſupinam arguunt negligentiam magiſtratus, qui minora non coercet, ut majora negligentius curet. Impietatem præterea putant quorumdam religionem (ſi tamen religio eſt) qui mori malint, quam diebus ab eccleſia veritis carnes comedere; cum interea iiſdem, & quibuſvis aliis diebus formicari leve ducant: quaſi Chriſti præceptum minus, quam eccleſiæ ſervandum eſſet. Laudatur porro ab iis zelus Andreæ II. regis, quod Reginam conjugem, a quodam procerum occiſam probarit ea ſolum de cauſa, quod illa, hujus conjugi adulterio vitiandæ præbuerit occaſionem.

CAPUT XIV.

De ſubtractione Kalendarum abſque licentia.

A SI quis de Kalendis presbyteri ſui, & fratrum licentia ſubtraxerit, manum eam, cum qua fraternitatem promiſit, decem penſis redimat.

NOTÆ.

COnſueverunt olim gentiles multa ſuperſtitioſa facere in Kalendis Januarii, quæ recentes Chriſtiani, ut pleroſque gentilium ritus, religione quadam formare, & ſublatis ſuperſtitioſis, ea, quæ nullam mali ſpeciem præſeferebant. Chriſtianis ſacris longe melius, & decentius aptarent; in iis tamen quidam nimium conati, quædam ſubinde paganorum more admiſcuerunt, lauro, & viriditate arborum domos cingentes, menſas dapibus onerantes, per vicos, & plateas concionas, & choros ducentes, & pleraque alia ſervantes, quorum fit mentio *can. Non licet* 23. *Can.* 26. *q.* 7. Item, *can.* 14. & 16. *ibid. Et aliquid etiam plus novi*, ut dicit Zacharias papa in Conc. Rom. cap. 9. *propter novum annum facientes*.

Contra hanc & plura alia, referuntur aliquot canones *diſt.* 44. ex variis conciliis, maxime vero ex Nanatenſi deprompti, quibus illud demum effectum, ut abolito ſuperſtitioſo ritu & religioni Chriſtianæ haud convenienti, retineretur, quod bonum: nimirum, ut diebus dominicis, & præſertim Kalendarum, populo panis benedictus daretur; Clerici præterea convenienter menſam communem haberent. Id duabus de cauſis videtur factum; ne ſcilicet, qui more antiquo iiſdem domibus, & menſis utebantur, ſeparati deinde, a mutua caritate deſuefcerent, niſi interdum una ſobrie in Domino reficerentur. Et præterea cum dies Kalendarum ſolemniores haberentur, par erat, ut functionibus eccleſiaſticis una inſtitiſſent, quo facilius ad eaſdem a meridie redirent, non longe ab eccleſia abeſſent, ſed prope ex inſtituto convenirent, ac prandarent. Hunc igitur morem ab antiquis receptum Hungari quoque presbyteri religioſe ſervabant, ſobrie tamen, & honeſte juxta præſcriptum cap. *quando autem*, & *quando presbyteri diſt.* 44. ut ſcilicet poſt peractum divinum miniſterium, ad neceſſariam collationem, non quaſi ad plenam refectionem conſiderent, ne aliqui gravati, minus prompti, & tempeſtive deinde ad eccleſias, redirent, neque tamen prohibebantur domum ſuam ire, qui vellent. Ita enim præſcribitur dicto capite: *Perattis omnibus, qui voluerint, panem cum charitate in domo fratris ſui ſimul cum fratribus frangant & ſinguli ſingulos bibere faciant; & maxime ultra tertiam vicem poculum non contingant, & ſic ad eccleſias redeant.*

Unde etiam colligimus, hanc refectionem non fuiſſe ex ſymbolis, quæ vulgus *comeſſatia* appellat, peractam; hoc enim prohibetur in concilio Sardicenſi *can.* 55. & refertur *diſt.* 44. *non oportet*: ſed per vicos, pro ſingulorum presbyterorum facultate, & caritate exhibitam. Quod ergo hoc decreto ſancitum: *Si quis de Kalendis presbyteri ſui, & fratrum licentia ſubtraxerit, manum, cum qua fraternitatem promiſit, decem penſis redimat*; Hunc enſum habet: ſi quis de numerum fratrum aliquid eſculenti, vel poculenti ſubtraxiſſet, nec in domo fratris ſui cum cæteris, ſed alio ad quemcumque tandem uſum abſtulerit: huic decem penſis redimenda eſt manus, hoc eſt: promiſſio ipſa, qua fraternitatem conteſtatus eſt; quia enim promiſſio more antiquo (qui mos etiam hodie plurimum obtinet) notiſſimum apud Hungaros fieri ſolita eſt conventione in manum: ideo pro manu, hoc loco accipitur, & differt a juramento, quæ digitis, aut manu ſurſum erectis, vel a presbyteris dicto paſtore fieri conſuevit. Quæ autem fuerit iſta fraternitas, facile occurret, ſi ſimilitudine quadam, vocabulum deductum putemus ab iis, qui vulgo Sympoſii fratres olim dicebantur, & per vicos convivia ſibi mutuo exhibebant; alioqui peculiaribus urbium, & locorum muneribus deputati: niſi melius exiſtimare liceat, non omnibus presbyteris, ſed certo quodam ordine lectis convenſſe munus Kalendarum exhibendarum, quibus etiam negotia quædam majoris momenti agenda cum incumberent, idcirco fidelitatem promiſſam exigerent, fratrum nomen apti ferebant. An forte fratres dixerimus, qui peculiari quodam inſtituto in religione profiterent, & pietati vacarent; quales hodie vocamus aut Sodales, aut congregationum variis Divorum nominibus inſcriptarum fratres, qui tamen non ſymbolo penſo, ſeu ex ſua facultate in ordine vicis ſuæ Kalendas exhiberent, non ſecus ac filii Job in orbem convivia.

Subit hoc loco occaſione Kalendarum, illud etiam fuiſſe Hungarorum ſtudium, & fortaſſe præcipuum; ut ad ineuntis cujuſque menſis decurſum hac ſe pietate obarmarent, periculis temporum obviantes; ad cum fere modum, quo hodieque Romæ, Kalendæ Auguſtales lautioribus initiantur epulis.

CAPUT XV.

De negligentia feſtivitatum ob negotium.

B SI quis in dominicis diebus, vel in majoribus feſtivitatibus eccleſiam negligens mercatum frequentaverit, equo careat.

CA-

ANNO CHRISTI 1009.

CAPUT XVI.

De negligentia Dominica dici.

ANNO CHRISTI 1091.

ASI quis die Dominica mercatum conſtituerit, præcipit Sancta ſynodus, ut ſicut conſtruxit, ita deſtruat. Si autem quis renuit, quinquagintaquinque penſas ſolvat.

NOTÆ.

EX utroque capite elucet, quam religioſe Dominicum diem, & feſta majora colere ſoliti ſint Ungari, ſed præcipue Dominici diei cultum omni ex parte ſanctum eſſe voluerunt, ut ne mercatum quidem adire, negligendo eccleſiam, ne dum conſtituere licuerit.

Eſt autem conſtituere mercatum pro regionis uſu tabernas ſeu officinas mercium vendendarum, ut in nundinis ſolet, ſive in foro, ſive circa eccleſiam conſtituere, ut ea ratione mercatores ſua facilius diſtrahant, & a frequentantibus eccleſiam præſtinari videant; nam cum nunquam frequentiores coeant populi, quam ad ſacra, diebus feſtis colenda, in eccleſiis, hinc mundinationum parata ſe offert occaſio, & circum tabernas locatis, res paſſim venales. Qua de cauſa, cum plures olim convenirent ancillarum, cutiolitate ſpectandi omnia, diei veneration negligebant. Proinde recte his decretis cautum, ut mercatum frequentantes, & ideo eccleſiam negligentes æque luant. Mercatum vero, ſeu tabernas conſtruentes, ſuo damno deſtruant, nec quinquagintaquinque penſas ſolvant: ut hinc intelligas, cum major exceſſus majori plectatur pœna, æquam unam 55. penſarum pretium apud Ungaros haud æquaſſe. (*a*)

(*a*) Penſa vani fuit ponderis. Vide Gloſſ. Du Freſne. hic 40. denarios non exceſſit; accrevit ad 100. dein 110. den. Pœna proinde 55. penſarum, ſupputando per 40. denarios ſingulam, erat quoad florenum Rhen. 100. denarios, vel 60. cruciferos valentem, multa 22. florenorum. Otto-Kocsy, vir ſupe, nec ſine laude memorandus, 55. penſas, ad quatuor pondo ſini argenti elevat. Sed quis credat homini rus colenti, vel egeno & ſe eccleſiæ officio ſubducenti, hanc pœnam fuiſſe impoſitam? Malim dici 55. penſas ex vocabulo *Pœna Denarius*. Quidquid deinde Carolus I. & Ludovicus I. ſtatuerint. Eruditorum in gratiam adnecto ex Muſæo noſtro: *Ven. M. Matthias Zekel Canonicus noſter* (Agrienſis) *vineam, Petri Morocz dicti, hoſpitis de poſſeſſione noſtra Almagyari, Michaeli Torek, & nobili domine Anne vocate, conjugi ejuſdem pro centum & triginta tribus florenis Novæ Monetæ, florenum quemlibet per centum denarios novos computando vendidiſſet*, & reliqua. An. 1417 Iſtud ad rem numariam propius: Beia Dei gratia, &c. *Quod hoſpites noſtri de Berény, & ad eam pertinentes .... perterunt etiam, ut pro tribus ponderibus, quæ debent ſolvere per ſingulos menſones, avunetim* quindecim denarios Banales *dare teneantur*. An. 1294. demum & iſtud. *Nos frater Jacobus ſignificamus, &c. Quod Martinus Pap. quadraginta marcas promptorum denariorum, partem in groſſis Bohemicalibus, partem in latis Viennenſibus, cum decem penſis computando. a ſolvere debuiſſet Anno* 1328.

Ex his, & ſimilibus, penſarum valorem, vita comite, ubi Muſæum accreverit, fide diplomatum producemus. PETERFFY.

CAPUT XVII.

De hoſpitibus advenientibus clericis.

SI quis hoſpes clericus in hanc patriam ſine commendatitiis literis epiſcopi ſui venerit, ne forte Monachus, ac homicida fuerit, vixque alicujus ordinis ſe confeſſus fuerit, judicio, vel teſtimonio diſcutiatur.

NOTÆ.

ESt decretum contra clericos & religioſos vagabundos.

CAPUT XVIII.

De coherentia clericorum.

SI quis clericus in patriam iſtam veniens, alicui epiſcoporum, vel Comitum adhæſerit, & eum Dominus ſuus bene habuerit, & ſecundum quod cum eo convenit, vel tractaverit, ſi diſcedere ab eo voluerit, nequaquam diſcedet, donec prius de injuſtitia ſibi illata audientia regis declaraverit.

NOTÆ.

CAnon loquitur ex decreto Urbani, de clericis Acephalis, qui curiis adhærebant: an vero in hoc decreto Ladislai, de id genus clericis agatur, hic inveſtigandum eſt. Verum cum ſuperiori decreto, hoc eſt XVII. ut hoſpes clericus, ſine commendatitiis epiſcopi literis veniens, ne forte monachus, aut homicida ſit, vixque alicujus ordinis ſe eſſe confeſſus fuerit, judicio vel teſtimonio diſcutiatur, nihil actum ſit, nunc examinabitur. In hoc itaque decreto non videtur agi, niſi de clericis probatis, qui dubio procul, ſuorum ſuperiorum facultate, adhærere ſolebant epiſcoporum, atque etiam procerum ſequi aulas, ut illis a ſecretis, vel confeſſionibus eſſent, aliaque munera, ſuo ſtatui congruentia, tractarent. Hi porro, quis adhærebant parti. & de ſtipendiis ſive in perpetuum, ſive in tempus (hoc enim ſignificant verba illa: *ſecundum quod cum convenit, vel tractaverit*, nam tractare extenſa regum dextra, data promittere, vel ſpondere ſignificat) hac inquam de cauſa non poterant ſponte diſcedere, niſi tempore exacto in pactis, & fidei datæ contravenientes ad judicium trahebantur. Si tamen omnino diſcedere volebant, temebantur cauſam diſceſſus explicare, cum cum vere verſabatur in offenſione, & injuriis acceptis, ad regis tribunal deferebatur cognoſcenda. Tum ſi legitimæ erat, facultas dabatur abeundi: ſin minus reconciliatio regis juſſu cum ſatisfactione procurabatur. Dum legis: *donec regis audientia declaraverit*: non intelligas de judicio regis laicali, ſed de Senatu eccleſiaſtico a Rege ad cognoſcendas clericorum cauſas inſtituto, cui rex etiam ſubſcribebat. Ita enim fiebat, ut tum epiſcopi, tum proceres, quibus id genus clerici adhærebant, judicium ſubterfugere non poſſent.

CAPUT XIX.

De ſpretione propriarum eccleſiarum.

SI derelicta eccleſia, villani ad alias tranſierint, pontificali jure, & regali mandato, unde tranſierint, ibi redire, cogantur.

CAPUT XX.

De muliere in adulterio deprehenſa.

SI quis uxorem ſuam in adulterio deprehenderit, & in judicium ſtatuerit, ſecundum inſtituta canonum pœnitentia imponatur, & peracta pœnitentia, ſi ma-

si maritus voluerit, iterum recipiat. Sin autem non, quamdiu ambo vixerint inANNO CHRISTI 1092. nupti permaneant, vide superius cap. XIII.

CAPUT XXI.

De procuratione Abbatum erga proprios episcopos.

ABbates secundum decreta Patrum in procuratione episcoporum suorum, in cujus territorio sunt, humiliter permaneant, & non semel in anno, sed semper monasteria eorum episcopi visitent, regaliter vitam, & conversationem fratrum discutiant. Conversi monachi, cui monasterio voluerint, se cum rebus suis commendent. Similiter & Sanctimoniales in monasterio sanctimonialium. Deinceps autem aliquis episcopus, aut abbas, sine titulo certi loci, monacham, aut monacham (*a*) non audeat ordinare. Vide infra in constitutionibus Colomani R. Cap. XVIII.

ANNO CHRISTI 1092.

CAPUT XXII.

De ritu gentilium in sacrificiis.

QUicumque ritu gentilium juxta puteos sacrificaverint, ~~vel~~ ad arbores, & fontes, & lapides oblationes obtulerint, reatum suum bene luant.

(*a*) Monachum ordinare, idem, quod sacro velo induere, Deo consecrare. PETERFFY.

NOTÆ.

NUlla his certa pœna constituitur, sed arbitraria: neque enim putandum est fuisse Ladislai tempore adhuc plures Hungaros, qui nondum abjurata infidelitate, paganorum instituto viverent; ubique enim & fundatæ Christianorum ecclesiæ, & sacerdotum collegia, nec non frequentia monachorum cœnobia visebantur: sed fuisse duntaxat quosdam simplices, qui nondum plane dedocti omnem vanitatem, qua majores suos imbutos fuisse acceperant, nihil se in religionem peccare existimabant, si juxta puteos, gentilium ritu sacrificarent, hoc est: superstitionem gentilem repræsentarent potius, quam exercerent, dictaque oblationes exhiberent; quod sane si ex ritu & religione impia fecissent, statutis atrocibus pœnis subdendi erant. Neque vero sacrificandi vocabulum, hoc loco victimarum cæsam significat, sed quamcumque munerum oblationem juxta Socratis Eutiphrone intellectum. Quocirca confunditur, vel perinde sumitur cum oblationibus ad arbores, fontes, lapides, &c. Quæ quidem oblationes quomodo fiebant, & cur ad arbores, fontes, & lapides; jucundam & curiosam in vanitate habent considerationem, ab hoc loco tamen alienam. Verosim le quoque videtur hanc legem non tam pro Christianis subditis, quam pro infidelibus, negotiorum causa in Hungaria degentibus, latam esse, & publica superstitionis exercitia iis fuisse prohibita.

CAPUT XXIII.

De donatione propriarum rerum ecclesiæ alicui.

SI quis res suas, aut prædia, uni dederit ecclesiæ, nulla interveniente causa, subtrahere ne audeat, & aliis dare.

CAPUT XXIV.

De inventione rerum ecclesiasticorum.

REs ecclesiarum ubicumque inveniantur, sive apud ecclesias alias, vel Capud dominos, ad priorem ecclesiam suam redeant.

CAPUT XXV.

De negligentia fidelium cadaverum.

SI quis dominicum diem non observaverit, & dies festos non servaverit, aut quatuor tempora & vigilias non jejunaverit, aut mortuos suos ad ecclesiam non sepelierit, duodecim dies pane & aqua pœniteat, in cippo. Si Dominus servi sui corpus, aut villicus pauperis villani & hospitis ad ecclesiam non detulerit, tantundem pœniteat.

NOTÆ.

AUT magna fuit prælatorum religio, aut nimia subditorum negligentia, quod toties cavere oportuit de Domunica, & diebus festis celebrandis. Quoties vidimus & a rege Stephano, & in his Ladislai decretis superius cautum, ut morito transgressores tanta pœna coerceri debuerint quanta in rationibus delictis, verberibus nimirum, maceratione, inedia, & cippo: id fortasse ideo factum, quod his præcipue diebus, vacui a laboribus ingurgitare se vino, & cibis infarcire solebant; proinde merito pœna delicto respondebat. Quod de mortuis ad ecclesiam sepeliendis statuitur, juxta consuetum morem Christianorum, qui jam aliquot ante seculis cœperat, præcipitur. Olim, hoc est a primitiva ecclesia, Christiani in cœmeteriis sepeliebantur, in ecclesiis nemo, idque habetur C. *nemo C. de sacris Eccles. Nemo Apostolorum, vel martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam.* Postea martyrum duntaxat reliquiæ ne injuriis paterent, etiam multis redemptæ, in abditissimis ecclesiarum locis condebantur, subinde ad mœnia urbium extructis super eorum corpora oratoriis, reponebantur. Quod, ut alias diximus, magnum in iis præsidium adversus hostiles insultus fideles collocabant, experientia docti, quam Deus ob Sanctorum merita, priorum vatis favorabilis esset; id enim, de eorum reliquiis, qui licet martyres non fuissent, sancto nihilominus fine quiescentes, miraculis etiam coruscarunt, fassitatum. Antiquorum proin Patrum insistens hæc synodus consuetudini, & ostendens quantum a sacris locis juventur post mortem, quorum peccata sunt remissa, juxta ea quæ docent Augustinus & Gregorius 23 quæst. 2. *quibus cum gravia. Non æstimamus.* Merito hanc gravem pro tempore pœnam constituit, qui mortuos suos ad ecclesiam suam non sepeliret, idque extendit ad dominos, qui servi cadaver neglexerit, & præterea ad villicos, qui pauperis ad villam, aut hospitis corpus ad ecclesiam non detulerit. Quo decreto triplicem correxit abusum; nam nonnulli antiquo ritu loca sepulturæ sibi deligebant in saltibus & nemoribus, aliisque circa sua prædia locis non sacris, superposito dein tumulo signo crucis, & tecto quod pluviam & nives arceret. Eodem vico frequentes subinde, & statis diebus convenichant affines, & consanguinei, cum amicis memoriam defuncti celebrantes, & post epulas ibidem sumentes & reliquum diei cantionibus ad rem compositis, extrahentes. Undè periculum immanebat, ne successu temporis in superstitionem quamdam, quæ tempore Augustini in Africa vige-

vigebat, devenirent. Alter abuſus erat, quod eorum ſuis ſumptibus parentes, ſive non digneti hanc pietatem ſervis præſtare, ſervos præſertim, quos in prædiis, & agris habebant, eodem plane loco, vel non procul ab illis, ſine ullis ſacris cæremoniis curabant ſepeliri. Tertius erat abuſus: quod villici quoque, hoc eſt, qui villarum ſeu prædiorum curam habebant, & vulgo œconomi, & mandatarii vocabantur, eodem plane exemplo pauperum villanorum, qui domino aut ſubditi, aut mercede vivebant, aliunde conducti, interdum peregrini, & hoſpites, horum, inquam, cadavera rudi, & loco non ſacro ſepeliebant, ſi præſertim longius habitarent ab eccleſia. Has fuiſſe rationes dicti decreti ex quibuſdam manuſcriptis accepimus.

ANNO CHRISTI 1050.

ANNO CHRISTI 1091.

CAPUT XXVI.

De laboribus Judæorum in feſtivitatibus.

SI in die dominico, aut aliis majoribus feſtivitatibus Judæorum aliquem laborantem aliquis invenerit, ne ſcandalizetur Chriſtianitas, cum quibus inſtrumentis laboraverit, illa amittat.

NOTÆ.

JUdæos, ut paſſim, ita in Hungaria quoque ab initio habitaſſe, & legibus regni in civilibus vixiſſe, hinc liquet; quemadmodum de aliis infidelibus negotiorum cauſa hic agentibus, alibi diximus, niſi quod his ſacrificia ſuperſtitiosa vetita, illis Judaica religio ſic permiſſa ſit, ne tamen Chriſtianitas ſcandalizetur. Quare etſi Judæis permittebatur publica eorum feſta colere, juxta canonem *Qui facera diſt. 46.* nec ut Chriſtianorum feſta colant, cogendi ſunt; ne tamen religionem ſuam exercere videantur in contemptum eccleſiæ, merito hæc illis mulcta imponitur: levis quidem, ſi in ſe conſideretur, ſed moleſta iis, qui ſervilem in modum, ut Judæi habentur.

CAPUT XXVII.

De decimatione liberorum abbatum.

BAbbates, de liberis ſuis, dent decimationem epiſcopis (*a*).

NOTA PETERFFY.

(*a*) Erant ut in aliis regionibus, ſervi, eccleſiæ, & monaſterii obnoxii, quos epiſcopi, abbates, rectores, pro meritis libertate donarunt. Sic: *Comes Sol ob remedium animæ ſuæ abbatiæ: S. Mariæ de Almad, cui nomen Veresbon, contulit prædium, &c. & ſervos, exceptis, quos manumiſit, &c.* Anno 1223. liberos a ſervitute, miniſterio domeſtico primum, dein eccleſiæ addicebant; decimum quemque e, præ cæteris meliorem, ab epiſcopo excolendum, & eccleſiaſticis officiis aptandum pendebant. Alii per liberos, fundos nobilium deſertos, abbatibus dari volunt.

CAPUT XXVIII.

De teſtibus judicii ferri, vel aquæ.

CIdonei teſtes, jurando jure probati; qui & innocentis innocentiam, & e contra culpabilis, culpabile perhibeant. Presbyter de ferro duas penſas, & de aqua unam penſam accipiat (*b*).

QUoties vel aqua, vel ferro judicium factum fuerit, interſint ſibi tres

NOTA.

(*b*) Edidit Cl. Bellius ritum explorandæ veritatis, ſeu judicium ferri candentis, ex libello Anno 1550. Coloſvari, ſeu Claudiopoli primum excuſo. in De 1. Monu. 5. Adpa. ad Hiſt. Hung. & notis ex Glouſario du Freſne, Codice juris patrii, variiſque ſubſidiis non copioſe minus, quam erudite illuſtravit. Prænonitionem eo in libello lectori ſcriptam optaſſem, recens editio adjeciſſet, demptis pauculis, Calvini, & Lutheri dogma innuentibus, per Typographum intruſis. Neque injucundum nobis accidit legere, quo honore libellum noſtrum ad ſe perlatum affecerit: a Rolando, & Nagy Mihaly conſervatum arbitratus, quem Petrus Pazmanus in Nicolai Olahi erudita ſupellectile inventum, bibliothecæ noſtræ reliquit. Adeſt una MS. mancum licet, de eodem ritu, ſeculi quartidecimi caractere expictum. Plura de hoc judicio ferri apud Gonzalez in l. 5. Tit. 35. Barboſam, item Del Rio, Diſquiſ. Magi. invenies.

NOTÆ.

HOC genus judicii prohibebatur canone: *Conſuluiſti* 2. *quæſt.* 5. quem trecentis fere annis ante condidiſſe perhibetur Stephanus V. ſcribens ad Umbertum epiſcopum Moguntinum. Nihil tamen de hujuſmodi canone condito invenio a Stephano V. qui ſeptimum pontificatus menſem non exceſſit, majoremque partem itinere ad Ludovicum pium imperatorem viſendum, in Gallia conficiendo, conſumpſit. Ut autem hodie talis purgatio in uſu non ſit, multis cautum eſt; olim tamen frequens erat, & ſæpius adhibetam a viris probatis legimus.

Ac, ut nihil dicam de Petro igneo, qui ignis judicio probavit archiepiſcopum Florentinum fuiſſe ſimoniacum, & ſimonia cathedram occupaſſe, ideirco igneus dictus; hujuſmodi item judicio Henricus imperator ſanctus, ſubmovit adulterii ſuſpicionem a ſancta conjuge Chunegunda; hujuſmodi & S. Pandulphus damnavit uxoris adulterium: quamquam iſta non in aquam ferventem, ſed frigidam brachium immergens, miraculo, uſque ad oſſa exuſſit. Plura omittimus. Certe quemadmodum ab illorum temporum conſuetudine non fuit alienum, a presbyteris etiam religioſis, innocentiam euchariſtiæ ſumptione probare, ita neque a laicis candenti ferro, vel aqua ferventi experiri; quando ſcilicet altero affirmante, altero negante, veritas alio judicio cognoſci non poterat. Utriſque exempla habemus, prioris quidem in concilio Vormatienſi provinciali, quod celebratum fuit anno 868. ſub Adriano II. can. I. poſterioris vero in concilio Saleguſtadienſi, 1022. ſub Benedicto papa VII alias VIII. canone 7. Et refertur uterque cauſ. 2. q. 5. can. 26. *Si epiſcopo*. Et *can.* 24. *Interrogatum eſt*. Nec ignoro priorem præſertim canonem tanquam erroneum abrogatum, quod notat doctor Angelicus in tertia ſummæ parte quæſt 80. art. 6. Verum quod in uſu fuit commemoro, ne decretum ſynodi Pannonicæ, regis ſanctiſſimi præſentia honoratæ, præter exemplum, & doctrinam ſancitum fuiſſe quis exiſtimet. Quia vero monomachiæ quoque uſum, ad dirimendas ambiguas lites, & innocentiam cognoſcendam, frequentem fuiſſe nemo ignorat: etſi lege primum civili *l. unic. C. de gladiatoribus*: tum deinde lege canonica *cauſ.* 2. *q.* 5. *can. Monomachiam* 22. prohibita fuerit, nihil tamen adeo profectum eſt, ut e medio tolleretur.

Nam, ut mittamus concilium Bavaricum ſub Adriano papa I. celebratum anno 772. quod fuit ante ſupradictum canonem a Nicolao I. conditum: in quo cavetur, *ut accuſatus quis, cum accuſatore ſuo, ſi voluerit, pacto ineat, antequam ad pugnam adveniat*, ut inquam, hanc omittamus, in Hungaria adeo hanc conſuetudinem obtinuiſſe olim, ut judicio æquivaleret, teſtantur plures juris conſulti, & inter alios Signarellus de Homodeis, qui tribus ab hinc ſæculis floruit, ſcribit in Conſ. 96. generalem hanc conſuetudinem ad ſua tempora ſervatam eſſe. & narrat evenille inter duos Proceres, non tam, ut videtur, cognoſcendi, quam honoris cauſa ſe provocantes, victori, caſtro quodam, cui nomen S. Mariæ, in præmium conſtituto. Dum in congreſſu alter humi affligeretur, mox victori ſe ſubdidit; cum vero alter cædendo abſtineret, ab eodem, qui victum ſe finxit, momento occiſus eſt. Unde quærit; quid juris ſit? & an huic precario, ut ſic dicam, an potius doloſo victori

ANNO CHRISTI 1091.

præmium decernendum ſit? Sed nullo alio teſtimonio probatur efficacius hoc duellorum judicium ſervatum eſſe in Hungaria, quam ipſiuſmet Mathiæ primi regis edicto, qui de eo ex parte tollendo decretum edidit; neque tamen omnem authoritatem ademit. Habetur in Decreto 6. art. 18. in hunc ſenſum.

ANNO CHRISTI 1091.

Quia in duellorum dimicatione plurimæ hinc inde fraudes committi poſſunt, raro enim illi, inter quos illud fit judicium, per ſe decertant, ſed pagites conducunt qui nonnunquam dono, favore, & promiſſis corrumpuntur, ſicque partem ſuam, quantumvis juſtam, quandoquidem non ipſimet decertare conſueverunt, ſuccumbere patiuntur. Quare ſtatutum eſt: quodammodo illud judicii genus, extra hoc regnum in mundo inauditum, perpetuo aboleatur, & in factis potentiariis, juriumque poſſeſſionariorum fieri nunquam debeat. Duellum ſiquidem, tunc ſolummodo fieri deberet, & ad hoc ordinatum extitit, quando omnis probatio deficeret. In factis vero potentiariis, vel poſſeſſionariis, partes probationes ſemper habent: Et etiam aliquin judicium duelli, ad curiam regiam militarem, & non ad ſedem judiciariam pertinet. Accedit, quod in judiciis perſonalis præſentia regiæ majeſtatis ſemper intereſſe, literas etiam ſigillare debet, is vero ut plurimum ſpiritualis eſſe conſuevit. Intererunt etiam archiepiſcopi, epiſcopi; & plures alii ſpirituales; & idcirco non convenit, ut in ſede judiciaria duellum decernatur. Proinde his & pluribus aliis bonis reſpectibus, rationalibuſque ex cauſis hoc judicii genus perpetuo aboleatur, & nunquam decernatur, niſi in caſibus, in quibus omnis probatio deficeret; ut ſi ſolus a ſolo in itinere ſpoliaretur nullo ſpectante, vel quidpiam alter alter ſine teſtimonio commodaret, aut aliquid ad ſecretos aures diceret, & alter neque ſpolium, neque creditum, neque verba prolata, probare poſſet. In quibus caſibus hujuſmodi duellum decerni quidem poteſt, non tamen in ſede judiciaria, ſed in curia militari regiæ majeſtatis: ad illam ſquidem, ut præfertur, & non ad ſedem judiciariam ejuſmodi genus judicii pertinere plane dignoſcitur. Hanc in eo decreto. Quæ tamen in loco expendenda ſunt; hæc enim juxta temporum ſeriem, de Ladiſlai decretis egimus anno 1092. editis, cum illa Mathiæ regis 394. poſt annis condita ſint, hoc eſt, anno 1486. Quod hic ſupereſt, in hoc etiam judicio ferri, & aquæ, jubentur intereſſe teſtes probati, qui de innocentia, vel de culpa jurare debebant, adeoque iis auditis, judex innocentem abſolvit, vel reum condemnavit. Qui demum presbytero, de judicio quidem ferri duas penſas, de judicio autem aquæ unam penſam ſolvebat: non id factum, quaſi presbyter judex eſſet; verum ut id lucri eccleſiæ accederet. Quamquam ſi judicium ſpirituale erat, & eccleſiaſtica jura concernens, ut Mathiæ regis decretum videtur innuere, presbyterum quoque judicis munere functum nihil vetat. Cur autem minus penderetur ex aquæ, quam ferri judicio, ratio eſt: quia hujus facilior erat executio, ob leviorem cauſæ cognitionem.

Simile quid habetur in decretis Colomanni regis, ubi ridicule ſcholiaſtes per judicium ferri, intelligit pœnam compedum; per judicium vero aquæ, ut reus aqua alatur; cujus contrarium, vel ex lib. 3. decretorum Ladiſlai C. 1. De Centurionibus & Decurionibus, ubi de judicio aquæ loquitur, conſtare poteſt.

CAPUT XXIX.

De celebratione miſſæ extra eccleſiam.

NUllus presbyter audeat miſſam celebrare extra eccleſiam, niſi forte itineris cauſa, neceſſitas cogat eum. Si vero a comite ſuo coactus fuerit, quinquagintaquinque penſas ſolvat. In itinere vero divinum officium celebrare liceat in tentorio.

CAPUT XXX.

De decimatione liberorum, & de emancipatione eorundem eccleſiis facta.

EPiſcopi de liberis accipiant decimas: liberi quoque, cujuſcumque epiſcopo, vel comiti adhæſerint, ſicut eis placuerit, ita habeantur, ſalva tamen libertate. Qui autem pro animarum ſalute liberati, mancipati fuerint, eo tenore tamen, ut eccleſiæ ſerviant, ipſi nemini, niſi ſoli ſibi presbytero, adminiſtrent. (a)

NOTA.

(a) Sic: *Joannes Ar. Ep. Strig. emit 15. capita libertinorum de villa Szonok anno 1209. quibus, cum liberum dediſſemus arbitrium poſſe eligendi, in quo ſervitio beati Adalberti eccleſiæ velint eſſe obligati, pincernariæ ſervitutis ſibi elegerunt officium; quibus nos annuentes inſtituimus, ut inſcriptum ſibi Bachariorum* (celiæ vinariæ præteritorum) *quoque judicis omnibus ſuis ſuccedentibus de generatione in generationem exequantur officium, nec ad aliquid aliud compelli poſſint ſervitium* Muſ. Hiſ. Peterffy.

CAPUT XXXI.

De carnis dimiſſione.

LAtini, qui Hungarorum conſuetudini legitime conſentire noluerint, niſi ſcilicet, qui poſtquam Hungari carnes dimiſerunt, ipſi iterum ſecunda & tertia feria comederint, ſi ſe noſtræ conſuetudini meliori non conſentire dixerint, quocumque volunt, eo vadant, pecuniam vero quam hic acquiſierint, hic relinquant, niſi forte reſipuerint, & carnes nobiſcum dimiſerint. (a)

NOTÆ.

(a) PAtet, tempore S. Ladiſlai jejunium quadrageſimale jam fuiſſe in uſu: unde dies Martis ante cineres, Hungaris dicitur dies carnem relinquens: *Hus hagyó - - Kedd.* Conſtat præterea rigorem jejunii apud Iralos (Latini d &i) quorum multi negotiabantur domi noſtræ, feria ſecunda & tertia non viguiſſe. Jubentur hi latini ſequi Hungarorum conſuetudinem ſub pœnis propoſitis.

CAPUT XXXII.

De illata violentia virginis & mulieris.

SI quis virgini, vel mulieri de villa in villam eunti vim intulerit, quantum pro homicidio, tantundem pœniteat.

CAPUT XXXIII.

De decimatione pecorum in alio epiſcopatu naſcentium.

EPiſcopi, qui decimationem pecorum in alio epiſcopatu accipiunt, quartam presbyteris, in ſuo epiſcopatu manentibus, tribuant.

CA-

ANNO CHRISTI 1092.

CAPUT XXXIV.

De ſatisfactione meretricum, & ſtrigarum.

MEretrices, & ſtrigæ, ſecundum quod epiſcopo viſum fuerit, tali modo dijudicentur.

CAPUT XXXV.

De abbatis, vel monachi oſculo erga regem, vel epiſcopum.

SI contigerit, regem vel epiſcopum ad quamlibet abbatiam venire, abbas vel monachi ad regis vel epiſcopi oſculum in eccleſia non accedant, ſed egreſſi in clauſtrum ordinatim ſtantes regis vel epiſcopi oſculum præſtolentur. Regem autem & epiſcopum cum quot, & qualibus ſibi placuerit, Abbas clauſtrum intrare permittat.

ANNO CHRISTI 1092.

NOTÆ.

OSculum, aut unionem, aut caritatem, aut pacem, aut reverentiam ſignificat; hoc poſtremum non eſt, niſi inferioris reſpectu ſuperioris, ſicque imprimendo labia vel pedibus ſuperioris, vel genibus, vel manibus. Reliqua tria perinde exhibentur ſuperioribus reſpectu æqualium, & inferiorum, & imprimuntur, vel ori, vel fronti, vel pectori. Oſculum unionis, præcipue eſt ſponſorum: caritatis, parentum, & filiorum: pacis, amicorum: de quo Apoſtolus ad Rom. 6. *Salutate vos in oſculo ſancto.* S. Cyrillus autem A. E. Hierо. Catech. myſtagogica quinta ſic ait: *Deinde clamat Diaconus: complectimini & oſculemini vos invicem, atque tunc nos mutuo oſculo ſalutamus. Non hoc ita accipias, quaſi oſculum ſit ejuſcemodi, quale in foro inter communes amicos eſſe conſuevit; neque enim tale eſt. Hoc igitur oſculum animas mutuo conciliat, & omnem malorum oblivionem illis ſpondet. Signum igitur eſt hoc oſculum reconciliationis animorum, univerſaque injuriarum memoriæ deletæ.*

Ex quo colligitur, oſculum quod a rege, vel epiſcopis præſtolari jubentur abbates, & monachi, arguere unionem, & caritatem; ſeu conſenſum, & dilectionem; eſtque hoc loco ſuperioris reſpectu inferioris, ſi præſertim attendatur ad epiſcopos: nam reges pro pietate ſua, ſacerdotum & monachorum impretio oſculo, reverentiam dubio procul innuunt, quam & Conſtantinus magnus Patribus exhibuit concilii, eundemque imitati, & Caroli, & Leones, aliique pii utriuſque orbis imperatores & reges ſacerdotes reveriti ſunt; eandemque reverentiam, Divi Stephani parentis ſui inſtitutione, ſervavit D. Emericus monachis, quemadmodum legimus oſcula ſancta præbens.

Porro oſculum pacis ſignificare conſenſum, & dilectionem dubitari non debet. Quomodo tamen non pauci doctores id probent ex c. *dilecto* 25. *de præbend.* & c. *cum olim* 12. *de privileg.* haud video, rectius hoc deduceretur ex Clemen. *Si ſummus* 4. *de ſent. excom.* ubi expreſſe dicitur, quod pontifex, licet oculo participet excommunicato, non ideo tamen cenſeatur eum abſolvere, niſi exprimat, velle eum pro abſoluto haberi, tametſi alioquin pax inter offenſos ſufficienter conſtituatur per oſculum, ut docent Doctores in l. 1. de Pactis.

CAPUT XXXVI.

De ſatisfactione abbatis vel monachi euntis ad regem.

SI autem contigerit, abbatem, vel monachum ad curiam regis venire, in eccleſiam ad ſalutandum regem non eat, ſed poſtquam exierit de eccleſia in domo, vel in tentorio ſalutet eum.

CAPUT XXXVII.

De vigiliarum ſanctarum obſervatione.

BIN hac vero ſancta ſynodo a venerabili rege ſtatutum eſt, univerſis epiſcopis collaudatum, & canonizatum, ut vigiliæ celebrentur B. Stephani regis, & Gerhardi martyris, quo die paſſus eſt, & tres dies ad feſtivitatem S. Martini; & quod patruus ſuus Andreas rex cum omnibus, qui tunc erant, epiſcopis vovit & ſtatuit, ipſe rex Chriſtianiſſimus deſtruere nolit, ſed firmius perduravit, trium dierum vigiliam, ad feſtivitatem S. Petri.

NOTÆ.

HAbes ex hoc decreto regem Ladislaum non ita ſtatuiſſe, quaſi præſideret, ſed propoſuiſſe duntaxat, & ſententiam ſuam religioni maxime conſentaneam in medium attuliſſe; quod cum innumeri epiſcopi collaudaſſent, ac monitraſſent, vel melius confirmaſſent, (hoc enim ſignificat hoc loco verbum *canonizandi*, præſcriptam nempe in decernendo, & roborando authoritatem) tum etiam Ladislaum regem, huic omnium conſenſui, regia manu firmamentum addidiſſe; quo omnes ſubditi ea lege adſtringerentur; alioquin poteſtas laica ſine epiſcopi authoritate ferias indicere non poteſt. c. *Cum laicis* 12. *de rebus eccleſi. alienan. Ibi doctores &c. Quoniam in parte* 2. *de Feriis.*

Merito autem *venerabilis* dicitur, qui inſtar patris habebatur, juxta l. 1. ff. *de obſequiis parent. & patron. præſt.* Qua appellatione ſummus pontifex epiſcopos honorat c. *quam gravi.* 9. *de crimine falſi.*

Meretur vero id vocabuli, ſi majeſtas regia Ladiſlai, & multo magis, ſi ſanctitas tam illuſtris expendatur. Porro quod indicitur vigilia S. Stephani regis, & S. Gerhardi martyris, eſt juxta canones mox allegandos: qui enim poteſt indicere diem feſtum celebrandum, etiam vigiliam ejuſdem. Peculiarem tamen gentis religionem arguit, tres dies vigiliarum celebritati D. Martini celebrare, quod Patronus eſſet Hungariæ; totidem etiam diebus ſolemnitati S. Petri jejunando præire, quod non minus ſingularem erga principem eccleſiæ, Romanamque eccleſiam, cui Hungaria ſe dedidit, oſtendit devotionem. Jam antea id ab Andrea rege voto ſuſceptum erat, quod Ladislaus ultro ratum & confirmatum eſſe voluit. (a) Sed neque ſolius Andreæ votum ipſum fuit, verum omnium epiſcoporum par conſenſus, quod proinde ſervatum oportuit ab eo, qui Chriſtianiſſimi nomen habet; hoc quippe eſt proprium Chriſtianiſſimi regis non deſtruere religionem, ſed augere majorum pietatem, & propagare.

(a) Vide conſtitutiones Andreæ R. in narrat. præv. legat iſta erroribus obſonatus Lampe, & S. Ladislaum Calvino jam devotum, orbi Chriſtiano proponat p. 30. Camarina calumniarum!

Januarius a deſponſatione B. V. *Boldog. Aſſzony Hava.* Auguſtus, Parvæ Dominæ menſis Hungaris dicitur: *Kiſs Aſſzony Hava*, forte ut a feſto præprimis apud Hungaros ſolemni, in Cœlos nempe Aſſumptæ, quod magnæ Dominæ appellatione honorant, diſcerneretur. Monetis porro effigiem B. V. impreſſam jamdudum fuiſſe probant Nummi, utut rudes, Belæ I. & II. Tum ne ipſe quidem Gabriel Bethlenius, hoſtis Romanæ eccleſiæ acerrimus, cum regis electi titulum temere arriperet, hanc vetuſtiſſimæ Hungarorum pietatis notam e monetis ſuis auferre eſt auſus. Peterffy.

CA-

ANNO CHRISTI 1091.

CAPUT XXXVIII.

De Sanctorum veneratione feſtivitatum.

IStæ vero feſtivitates ſervandæ ſunt per annum. Nativitas Domini, Sancti Stephani protho-martyris, S. Joannis evangeliſtæ SS. Innocentum, circumciſio Domini, Epiphania cum Vigilia, Purificatio S. Mariæ, in Paſcha quatuor dies, Sancti Georgii martyris, Philippi & Jacobi cum vigilia, Inventio S. Crucis, A Aſcenſio Domini, in Pentecoſte quatuor dies, S. Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli una die, S. Jacobi, S. Laurentii, Aſſumptio S. Mariæ, S. Regis Stephani, S. Bartholomæi, Nativitas S. Mariæ, Exaltatio S. Crucis, S. Matthæi Apoſtoli, S. Gerhardi epiſcopi, S. Michaelis Archangeli, SS. Simonis & Judæ, Omnium Sanctorum, S. Emerici ducis, S. Martini, S. Andræe, S. Nicolai, S. Thomæ Apoſtoli. Et unaquæque parochia ſuum Patronum, & dedicationem celebret. (*b*)

ANNO CHRISTI 1091.

NOTA

(*b*) In vetuſti breviarii, Anno 1424. & 1484. charactere monaſtico impreſſi, bibliothecæ Budenſis, calendario ſequentia feſta habentur. VIII. Febr. S. Helenæ reginæ. XXIV. Feb. S. Gerardi mar. ep. XXX. Martii, S. Quirini m. II. Maii, Translatio S. Eliſabethæ. X. Maii, Translatio S. Andreæ Apoſtoli. XXX. Maii. Inventio dextræ S. Stephani. III. Julii, Translatio S. Thomæ Apoſtoli. IV. Julii, Translatio S. Martini. XVII. Julii, SS. Andreæ & Benedicti Hieremi. MM. XXIX. Julii Depoſitio S. Ladiſlai regis. II. Sept. Depoſitio S. Emerici ducis. VI. Nov. Translatio S. Adalberti E. M. XII. Nov. S. Joannis Eleemoſinarii, quæ dies ultima calamo adnotata eſt. PETDRFFY.

NOTÆ.

Similia extant in decretalibus *c. Pronunciandum 1. diſt. de conſecrat. Et c. conqueſtus 5. de Feriis*. Niſi quod in primo, Paſcha cum tota hebdomada celebrari jubetur. Tres præterea dies Rogationum, necnon dedicatio cujuſcumque Oratorii. Omittuntur vero feſta S. Georgii martyris, Inventionis, & Exaltationis S. Crucis, S. Nicolai, S. Laurentii, & Sanctorum, qui ſunt proprii Hungarorum, præter Martinum. In poſteriori vero demptis, præter Laurentii diem, omnibus etiam tribus Rogationum diebus, necnon dedicationis dierum eccleſiarum, additur dies S. Silveſtri, ſeptem dies Dominicæ paſſionis, & reſurrectionis, cum ſeptem ſequentibus, in quo tamen non tam habetur ratio ſolemnitatis univerſalis, quam feriarum, quibus, ob reverentiam, judiciorum ſtrepitus inhibetur.

Potuiſſe autem ſynodum nationalem de hujuſmodi feſtis celebrandis, & quibuſcumque aliis per regnum Hungariæ celebrandis decernere, patet ex iiſdem decretis. Nam ut primo jubentur coli omnes illæ feſtivitates, quas ſinguli epiſcopi in ſuis epiſcopatibus cum populo collaudaverint, quæ vicinis tantum circumjacentibus indicendæ ſunt, non generaliter omnibus; ita in poſterioribus ſervandæ ſunt omnes cæteræ ſolemnitates, quas ſinguli epiſcopi in ſuis diœceſibus cum clero & populo dixerint ſolemniter celebrandas. Multo vero magis id potuit tota ſynodus conſtituere.

Dubium tamen eſt, an id perinde intelligatur de feſtis ſanctorum canonizatorum, & non canonizatorum? Gloſſa in prius decretum refert opinionem affirmantem, epiſcopum in ſua diœceſi poſſe ſanctum canonizare. Eandem vero reiicit arg. *c. grave nimis 2. extra. de Reliq. & veneras. Sanct.* Idem probari poteſt, ex *c. audivimus 1. eod.* niſi enim accedat Romanæ eccleſiæ authoritas, facile deceptio contingit: atque ita ſentiunt Doctores in prædictum cap.; inter quos optime recentior Felix Contelorus de Canoniz. Sanct. capite quarto. Unde ulterius colligi poteſt de canonizatione ſanctorum Stephani regis, & Emerici, ejuſdem filii, & Gerhardi epiſcopi, ab eccleſia Romana decreta, quorum feſta, & vigilias epiſcopi in ſuis diœceſibus inſtituere poſſunt. Occurrit tamen hoc loco, *citato cap. pronunciandum 1. diſt. 3. de conſecrat.* nulla fiat mentio celebrandæ Conceptionis, Præſentationis, Annuntiationis, Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis? Quæ proinde etiam in decreto hujus ſynodi omittuntur, ut mirum ſit, Hungariam B. Virgini conſecratam in hoc cultu fuiſſe negligentiorem; quanquam menſes alios, a B. Virgini dicatis diebus feſtis nuncupare voluerit. Et quidem quod ſpectat ad feſtum Conceptionis. Gloſſa in prædict. cap. celebrandam non eſſe, quia B. Virgo in peccato concepta non fuit, ſicut cæteri ſancti, excepto unico Chriſto. Rectius tamen dicitur ab Eccleſia Romana, longe poſt hoc decretum, cœpiſſe celebrari, quando & in Gallia circa annum 1145. ea ſolennitas ortum habuit, ſi Bernardo credendum epiſtola 174 ad canonicos Lugdunenſes, ſubindignanti, quod ubique authoritate Catholicæ Romanæ Eccleſiæ novam inducerent celebritatem, obtentu cujuſdam ſupremæ revelationis; cum tamen de his omnibus ſe judicium Romanæ eccleſiæ expectare profiteatur. Porro hanc epiſtolam Bernardi non eſſe, ſed & Bernardum contrariæ opinionis fuiſſe, in peculiari libro de hac re, multis conatur aſſerere Franciſcus Bivarius literis etiam ad nos datis, ut in pluribus ſolitus erat, dum viveret. Verum quod huc ſpectat, priden, antequam in Gallis feſtum iſtud celebratum fuiſſet, in multis regionibus, maxime vero in Anglia innuit Gloſſa: & Equilinus in Catalogo lib 1. cap. 13. narrat miraculum, cujus occaſione, ea ſolemnitas in Anglia cœpta eſt circa annum 1070. ut plerique videtur. Quia tamen ſerius in Eccleſia Romana obtinuit, paulo ante annum 1200. mirum non eſt in decreto ſynodi Hungaricæ nullam de ea fieri mentionem, quando Hungarica eccleſia ritus non alios, quam Romæ ſuſceptos admittere conſueverit.

Feſtum præſentationis antiquius eſt Græcis, quam Latinis, ſub eo diſcrimine, quod nunc paſſim obſervetur. Ad Gallos tranſivit anno 1375. tardius ad Romanam eccleſiam in univerſum. Molanus in additione ad Uſuardum 21. Novembris, a Pio, & Paulo pontificibus Romanis, cum indulgentiis inſtitutum fuiſſe notat, Pium puta, & Paulum ſecundum: hic illi ſucceſſit anno 1464. allegat pro eadem re bullam pauli editam Lovanii uno & viginti poſt annis, quo etiam tempore in Germania, & alibi religionem habere cœpit. In antiquis martyrologiis Uſuardi, Adonis, Romano veteri, Bedæ, & aliorum, quæ manu ſcripta in membrana perantiqua habemus, nulla ejus eſt memoria, neque in eo martyrologio Romano recenſitum, quod Florentiæ anno 1486. operæ Georgii Antonii Veſputii typis vulgatum eſt. Cæterum conſtat antiquitus præſentationis ſolemnitatem eam eſſe appellatam, qua Dei genitrix, & Simeon infantem Jeſum in templo obtulit, ut antiquo ritu alia vetuſta eccleſiæ monumenta ſignificant; & ipſa inſuper oratio miſſæ ejuſdem diei indicat. Poſtea tamen factum, ut præſentatione, Chriſti myſterio tantum expreſſa, vocabulum præſentationis, in B. Virginis ſolemnia tranſiret, & nihilominus priori feſto vocabulo purificationis inſignito duplex deinde B. Virginis celebritas, purificationis ſcilicet, ac præſentationis coleretur.

De Annuntiationis feſto major eſt difficultas: quippe de ejus diei celebritate perantiqua habetur mentio, cum in ſexta ſynodo canone 2. apud Theodo. Balſamon. cap. 12. pag. 28. tum ante hanc ſynodum, in concilio Toletano X. ſub Vitaliano papa anno Domini 656. & multo ante apud Auguſtinum *lib. 4. de Trinit. cap. 5.* ſed etiam in Gloſſa. in cit. cap. *Pronunc. 1. diſt. 3. de conſecrat.* mentio fiat; mirum videtur nihil in hoc canone dici de Annuntiatione S. Mariæ, quod tamen feſtum in eccleſia celebratur, ſed neque in cap. *conqueſtus de feriis*, ulla fit ſpecialis mentio, niſi generatim comprehendi cenſeamus; eo quod feſtivitatum omnium, Virginis gloriioſæ cefebram velit eſſe ſolemnitatem. Cujus rei illa fortaſſis ratio poſſet aſſignari, ex ratione Cyrilli de hac re, quod hoc feſtum unum ſit ex dominicis feſtis, atque adeo primarium, ac prorſus venerandum; utpote quod pro ordine & diſpoſitione rerum, quæ in evangeliis de Chriſto prædicantur, ſacroſanctum habeatur. Quippe in quo de Filii Dei e cœlis deſcenſu agatur: qua etiam de cauſa in antiquis Martyrologiis paſſim annuntia-

tio

tio Dominica nuncupatur. Obstat nihilominus canon Concilii Tolctani, tametsi provincialis, in quo propria festivitas Matris appellatur. *Quod enim*, inquit, *festum Matris est, nisi Incarnatio verbi? cujus festum ita debet esse solemne, sicut est ejusdem Nativitas Verbi*. Nisi forte hinc eliciamus, festum Annuntiationis confusum fuisse cum festo Nativitatis, quandoquidem in illo natus fuit in utero Virginis, in hoc vero die natus ex utero Filius Dei in carne humana; hinc licet Augustini tempore celebraretur, ut modo fit, octavo Kalendas Aprilis, postea tamen in multis ecclesiis consuevit die decimaquinta Kalendarum Januarii, hoc est, decima octava Decembris, adeoque octavo ante Natalitia die celebrari; idque ut in posterum fieret, sancivit concilium Toletanum prædictum hac de causa

Plura de festis B. Virginis & aliorum Sanctorum publico cultu habendis vide apud Franc. Suarez S. J. Tom. I. de religione l. 2. cap. 8. & sequent.

ANNO CHRISTI 1092.

CAPUT XXXIX.

De abbatibus vel monachis in Kalendis sedentibus.

ABbates vel monachi, inter fratres Kalendarum non sedeant, sed abbas oblationes fratrum in claustrum accipiat, & secundum regulam fratribus auministret. (a)

NOTA.

(a) De Kalendis alibi dictum. Prohibet S. Synodus, ne abbates & monachi extra claustrum conviviis ejusmodi intersint, ad quæ agenda, pecuniario aliquo penso succurrere debuissent aut vices reddere invitantibus: celebret proin Abbas inter domesticos parietes festum Kalendarum ex oblationibus pii populi precario factis. PETERFFY.

CAPUT XL.

De decimationem negantibus.

EPiscopus accipiat decimationem ab omnibus, sed eo tenore; Episcopi Pristaldus interroget possessorem annonarum, seu bestiarum quantum habeat. Si crediderit verbis illius, accipiat secundum hoc, quod dixit: si vero non crediderit faciat illum jurare, & accipiat. In annona vero commixtum non accipiat, sed separatim. Si vero post juramentum domini annonæ quis alienus perjurium dixerit, præter Pristaldum episcopi, ante Præstaldum regis, & comitis numeretur annona, & si culpabilis inventus fuerit Dominus annonæ, cum decima pars detur, & novem partes dentur episcopo. Si vero ipse, qui insurrexerit, mendax extiterit, eodem judicio persolvat culpam: si non habuerit, unde se redimat, solus venundetur, exceptis liberis. Decimatio autem tota colligatur usque ad nativitatem Domini Filius autem, qui in domo patris est, vel servus non separetur, sed simul dent decimationem cum patre; filiis vero vel servis qui per se habent domos, accipiat decimationem de omnibus quæ habent. Si autem aliquis contumax fuerit, interrogatus decimam, & noluerit indicare Pristaldo episcopi, tunc Pristaldus coram idoneis testibus designet quantum sibi videtur esse justum, linum, vel canabum, quantum potest pugillus capere, pressis digitis ad terram, tantum accipiat. Si trituratam annonam invenerit, si decem hydriæ fuerint, nil accipiat; si viginti vel plus, accipiat decimam partem.

EX LIBRO SECUNDO.

CAPUT XIII.

De furto Clericorum.

ORdo clericalis, si anserem vel gallinam, aut poma, vel his similia furatur, scopis tantum a magistro corrigatur, sed quod furatur restituat. Majus his, si furatus fuerit, ab episcopo suo degradetur, & judicio vulgari damnetur.

NOTÆ.

SErmo est de clericis universim, qui, si adhuc subsint disciplinæ literariæ in scholis, si furentur, a magistro virgis coerceri jubentur. Si extra disciplinam literariam, præsertim, si aliquid majus furentur, judicio vulgari, hoc est a lictore juxta delictum plectendi sunt, sed prius ab episcopo, gradu, & honore juxta morem, privandi. Quanquam hoc generatim, non de aliis, quam de clericis adhuc magistro subditis intelligi recte queat; inter quos, & minores, & majores æque censeri possunt, sive virgis a magistro castigandi, sive a lictoribus cædendi. Est autem *judicium vulgare*, quo aliquis vel publica sententia virgis plectitur, vel quod ubique ex usu est, a patibulo suspenditur. Neque apud Germanos, & Hungaros supplicium aliud decretum est furibus, nisi pendere. Porro ubi mortis judicium versatur, magna rei ablatæ copia æstimanda est; etsi minima sint illa, pro quibus a magistro virgis subigendi censentur, in quibus non tam res ipsa quam honestas & morum disciplina spectatur. Quid enim vilius apud Hungaros, quam anser, gallina, poma, & id genus? quando & anserem, & gallinam levi admodum emas: poma vero etiam grandia, & optima, qualia in Italia non videas, vel centum non pondere, sed numero, aut mensura comparare parvo aere liceat, atque in tanta copia, sæpius dono, quam pretio accipiantur: ut propter hoc castigari dignus sit, qui furetur, cum honeste, & gratis habere queat. Lex hæc proinde, magis ob inducendam honestatem, coercendamque clericorum licentiam, quam ob merum damni, simili furto proximo inferendi, statuta est.

EX

ANNO CHRISTI 1091.

EX LIBRO TERTIO.

ANNO CHRISTI 1091.

CAPUT IV.

De quolibet fure ad ecclesiam fugiente.

SI quis liber furatus fuerit, & ad ecclesiam fugerit, cujus ecclesiæ refugium quæsivit, illius servus sit. Ille autem, cujus suasione evasit, parte sua careat. Si presbyter postea eum emancipaverit, & ipse vice ejusdem servus sit ecclesiæ. Ille vero qui furatus fuerat, venundetur in aliam patriam; & si postmodum huc reversus fuerit, tollantur ei oculi.

CAPUT V.

De servo, vel libero in eadem culpa ad ecclesiam fugiente.

A SErvus, qui furatus fuerit, & ad ecclesiam fugerit, domino suo reddatur, & cujus consilio fugit, det ecclesiæ duas pensas. Et si liber furtum fecerit, sed neque captus, neque ligatus ad ecclesiam fugerit, ipse similiter sit servus ecclesiæ, & cujus erat fur, parte sua non careat. Eo modo, si servus ad ecclesiam fugerit, una pensa dominus ejus eum redimat, cujusque res furatus fuerat, illi totum restauret. Item si servus B magnum quid, & tantum furatus fuerit, quantum dominus ejus restaurare non poterit; cujus erat, unam pensam ecclesiæ det, & servus sit ejus.

NOTÆ.

INtellige juxta qualitatem, & quantitatem rei ablatæ, & causa in judicio cognita. Neque enim lege militari agebatur, ut quodvis minimum furtum laqueo expiandum esset; tametsi pro eo etiam tempore interdum & hoc fieri, & expediri consueverit. Quod autem si pro evadendo patibulo ad ecclesiam fugiat, & abducatur inde, excœcari jubetur, dubitari potest, an minori hac pœna suspendium evaserit, an potius hac addita, contumacem nihilominus furca manserit? Videtur id religioni & reverentiæ ecclesiæ datum, ne quid amplius pateretur, quandoquidem subjicitur: servus in furto captus, si ad ecclesiam, non fugeret, sicut liber suspendatur, ut a contrario arguendum sit, fugientem ad ecclesiam, minime laqueo luisse, multoque magis, si liber fuerit.

Sed neque putandum, quemquam eorum ad ecclesiam confugientium adduci, nisi de potestate episcopi potuisse, eamque legem generatim ab episcopis hac synodo factam brachio seculari, vel judici ecclesiastico, ut abductum traderet, satis liquet. An tamen id sancire potuit citra violatam immunitatem ecclesiasticam, & reverentiam sanctitati debitam, non immerito quæri potest. Sane, *caus.* 17. *q.* 4. *can. miror.* 8. multoque magis *can. reum* 9. ibidem expresse cavetur. *Reum ad ecclesiam confugientem nemo, abstrahere audeat, neque inde donare ad mortem, vel ad poenam, ut honor Dei & sanctorum ejus conservetur; sed rectores ecclesiarum pacem, & vitam, & membra ejus cohibere studeant; tamen legitime componat, quod inique fecit.* Præterea rei sanguinis defendi debent ab ecclesia, ne effusionis sanguinis particeps fiat, *caus.* 23. *q.* 5. *can. reos* 1. sed etiam servi ad ecclesiam confugientes, nonnisi cum cautione redduntur suis dominis, ut a morte, debilitate, & omni pœnarum genere sunt securi, *caus.* 17. *q.* 4. *can. Metuentes* 32. & *can. Id constituimus* 36. Cæterum ut hæc vera sint, ubi tamen de publicis latronibus agitur, dicti canones exceptionem admittunt, licebitque hujusmodi extrahere, & ecclesiastica authoritate puniendos tradere 17. *q.* 4. *sicut antiquitus*. Et eadem est ratio nocturnæ depopulationis: *Glos. ibidem & in c. Hi qui in furtis implicati sunt defendendos esse ab Ecclesia, idque maxime faciendum, si injuste damnati sunt juxta illud proverbium* 23. *Eripe eum qui ducitur ad mortem*, 23. *q.* 3. *non inferenda*: si tamen juste damnati sunt, ut in hoc nostro decreto supponimus, ejusdem Gregorii sententia advertenda est. *Hi, qui in furtis publicis implicati sunt, a nobis non videntur injuste defendi, ne opinione male agentium, ejus indiscretæ defensionis aujum in nos allo modo transferamus.* Hæc ille. Porro leges civiles non tantum publicos latrones, & nocturnos populatores verum etiam homicidas, adulteros, raptores virginum excipiunt. Nobis tamen ad eruendum hujus decreti sensum satis est, canones ad interpretationem adhibuisse, juxta quos intelligi etiam decretum, quod sequitur.

CAPUT XVII.

De furibus ad ecclesiam fugientibus, & se innocentibus proclamantibus.

SI qui servi, vel liberi fures ad ecclesiam subintraverint, & se innocentes C proclamaverint, judicio probentur. Quod si rei apparuerint, quasi, qui ecclesiam non intrassent, judicentur: si vero culpam confessi fuerint, lege Beati Stephani discutiantur.

NOTÆ.

SEnsus enim est, si publici latrones ad ecclesiam subintraverint, judicium declinando, vel inter manus evendo, & se innocentes proclamaverint, probandum est illos non esse innocentes, sed reos, ac legitime captos: proinde quasi ecclesiam non intrassent; quippe qui immunitate non gaudent, judicantur; quod si culpam confessi fuerint, lege beati Stephani discutiantur. Est autem lex B. Stephani lib. 2. decret. c. 29. *Si quis servorum semel furtum commiserit, reddat furtum, & redimat nasum quinque juvencis, hoc est* 20. *florenis, hic autem non abscindatur, quod si* (40. cap.) *abscissus naso* (intellige iterum) *furtum commiserit, redimat aures quinque juvencis, si potest, si autem non, abscindantur: si tertio commiserit furtum, careat vita.* Hæc de servis. *Si vero quis liberorum* (cap. 41.) *furtum commiserit; legibus servorum subjaceat, si secundo simili lege subjaceat; hoc est primo quidem nares, deinde aures amittat, si vero tertio, vitæ dispendio discutiatur.*

Prima earum legum de abscissione nasi, quod servos, hodie aliquot in locis servatur. Reliquas ex parte mitigasse putatur S. Ladislaus lib. 3. decret. c. 8. *Si liber, quod decem denarios valet, furatus fuerit, cum omni substantia sua pereat*, idest bona ejus confiscentur; *si minus autem: alter oculus eruatur, & secundum S. Stephani decreta dijudicetur*, hoc est si iterum furetur, altero etiam careat oculo, *si tertio vita luat: si vero servus sex denariorum pretium furatus fuerit, careat oculis; sin minus, semioculo, hoc est altero oculo, & quod furatus fuerit dominus ejus duplicitur solvas, & restituat*: Huic simile est, quod habetur cap. 12. *Servus in furto captus, si ad ecclesiam non fugerit, suspendatur*, (pro rei scilicet ablatæ quantitate, vel qualitate) *Domino servi illius detrimentum sit in servo suspenso, domino vero verum perditarum sit detrimentum in rebus perditis. Liber in furto captus si ad ecclesiam fugerit. & inde abducatur* (intellige juxta superius dicta, obcœcatus fuerit) *filii sui, & filiæ si decem annorum, aut minoris ætatis fuerint, in libertate permaneant: si vero majoris ætatis, quam de-*

decem annorum fuerint, in ſervitutem redigantur, & omnis ſubſtantia eorum auferatur: ſervus autem, vel liber, ſi anſerem, vel gallinam furatus fuerit (juxta ſuperius dicta) *monoculus efficiatur, vel quos furatus eſt, reddat.*

ANNO CHRISTI 1093.

Quanta ſeveritas legum! quam ſi univerſoe ligaret, hodieque duraret, quam multos videre liceret, naſo, auribus, & oculis carentes, nec pauciores ex patibulis pendentes. Nimia fortaſſe videri poteſt ſævitia: verum SS. regum & præſulum religionem quis facile arguat? Quin remiſſiores hodie pœnæ, magnam peperere impunitatem ſaltem ſcelerum patrandorum, non minuere licentiam. Conſtitutionum eccleſiaſticarum, quæ jura alyli contingunt, apud recentiores authores invenies.

ANNO CHRISTI 1093.

Utere itaque perlevi hac explicatione canonum, lector benevole in eruditionem tuam. Si deſiderio tuo ſatis datum non eſt, (id enim nos ipſi fatemur, cum ad eorum annorum uſum, quibus conſtitutiones hæ editæ fuerunt, pleraquè expoſita ſint) monitiunculas noſtras operi præmiſſas revide; & Hiſtoriæ eccleſiæ Hungaricæ ſubſidia nos comportaviſſe intelliges.

BURDEGALENSE CONCILIUM

Ab Amato archiepiſcopo A. S. L. anno 1093. *celebratum.*

Ex Mabillon Annal. Ord. S Ben. t. V. a. xxxv. append.

Concilii hujus opus fuit reſtitutio cœnobii S. Caprafii monachis Floriacenſibus, de quo ſubjicio chartam a Cl. Mabillonio Ann. Ordinis S. Benedicti tom. V. num. XXXV. in append. vulgatam. Nec dubito quin ad hoc pariter concilium ſpectet diſcuſſio veteris & ſæpius agitatæ controverſiæ inter monachos S. Albini & monachos SS. Trinitatis Vindocinenſis de eccleſia S. Clementis Cordonenſis, de qua charta apud Baluzium tom. II. pag. 168. *ex quo hic datur.*

Omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ cultoribus notificare curavimus, cœnobium S. Caprafii, quod eſt ſitum in loco qui dicitur Pontonis, & quod per multa ſpatia temporum fuerat ſubtractum violentia quorumdam pravorum, qualiter ſit redditum & reſtitutum monaſterio ſancti patris Benedicti Floriacenſis. Fuit quidam monachus nomine Otgerius (de Landerron) prior loci Regulæ, qui graviter ferens amiſſionem tantæ rei, audiens & intelligens ex chartis antiquitus conſcriptis ſupradictam fore juris conſcripti ſancti Patris Benedicti, veniens ad Burdegalenſe concilium coram domno Amato, legato apoſtolicæ ſedis, & archiepiſcopo Burdegalenſi, & archiepiſcopo Auxienſi, nomine Willelmo-Bernardo & coram omnibus circumſedentibus, epiſcopis videlicet & abbatibus, de Bernardo Aquenſi epiſcopo, qui tunc temporis locum injuſte poſſidebat, proclamationem facere non diſtulit. Ille vero Legatus, utpote vir apoſtolicus, & veritatis amator, recognoſcens ex his dictis multorum proclamationem non eſſe factam, ſuper hoc requirens prædictum Aquenſem epiſcopum, facere juſtitiam canonice non negavit. Quapropter ille Bernardus condeſcendens præceptis canonum, recognoſcens veritatem non multum reluctans totum cum omnibus appendiciis ſuis Deo, & ſancto patri Benedicto per manum ſupradicti legati, & archiepiſcopi Auxienſis pleniſſimo in concilio reddidit. Hujus redditionis teſtes & viſores hoc in privilegio ſubſcribuntur. Signum domni Amati vicarii & archiepiſcopi, Signum archiepiſcopi Auxienſis Willelmi-Bernardi, ſignum epiſcopi Agennenſis Simonis, ſignum epiſcopi Petragoricenſis Rainaldi, ſignum Ademari epiſcopi Engoliſmenſis, ſignum Hodonis epiſcopi Bigorræ, ſignum Bertrandi Convenenſis epiſcopi, ſignum Petri Adurenſis epiſcopi, ſignum Stephani epiſcopi Vaſatenſis, ſignum Bernardi Aquenſis epiſcopi, cum quo exculſa & definita eſt cauſa. Actum anno MXCIII.

NARRATIO DE EADEM CONTROVERSIA,

Et de judicio Amati archiepiſcopi Burdegalenſis A. S. L.

Ex Baluz. Miſcell. to. II. pag. 168.

URbanus Romanus pontifex, miſſis literis mandavit Amato legato ſuo, Rodulpho Turonenſi archiepiſcopo Goffrido Andegavenſi epiſcopo, ut litem quæ eſt inter ſancti Albini, & ſanctæ Trinitatis Vindicionenſis monachos de eccleſia S. Clementis Credonenſis, vice ſua juſto judicio deciderent. Amatus itaque acceptis literis ſupradicto archiepiſcopo & epiſcopo mandavit quatinus ad hanc cauſam determinandam Sanctonas ire una cum ſancti Albini & ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis monachis non differrent. Quod comes Andegavenſis audiens, ſuadentibus ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis monachis cum interminatione deſtructionis totius monaſterii ſui ſancti Albini abbati Sanctonas ire vetuit, mandans Amato quatinus in terram ſuam, ſicut ipſemet Amatus per ſupradictos monachos ab eodem comite quæſierat, Miribellum vel Losdunum fiducialiter veniret, diffiniturus hanc tantam cauſam ibi una cum archiepiſcopo Turonenſi & epiſcopo Andegavenſi, ſicut apoſtolicus mandaverat, qui ob itineris difficultates Sanctonas ire non poterant, cum & ipſe huic placito intereſſe cuperet. Amatus autem prætentis occaſionibus venire noluit; ſed hoc placitum abſque prædictorum pontificum invitatione & conſenſu Burdegalam tranſtulit. Abbas itaque ſancti Albini, licet graviter infirmus, ad hoc placitum contra vetitum comitis Andegavenſis pergens, a Pictavenſis comitis Præpoſito, Rotberto nomine, apud ſanctum Johannem Angeliacenſem captus, & reverti compulſus eſt; exquiſitis antea manicis omnibus pro pecuniæ ablatione, ſi qua fortaſſe reperiretur. Qua non inventa, cum abbas & monachi ſuæ captionis, & reverſionis cauſam quærerent, Præpoſitus reddere noluit interminando addens, quia ſi ulterius tentarent procedere, & captionem, & detrimentum rerum ſuarum maximum incurrerent. Adjunxit etiam ut ad comitem pergerent, & gravius quam ipſe eos cœperat, circaverat, reverti compulciverat, ſuper ſe proclamarent. Miſſis igitur legalis ſanctum Maxentium ad comitem Girardo priore ſuo, & Helinanno altero monacho, qui de illatis injuriis quererentur, & fiduciam, ac conductum comitis quærerent, ipſe abbas cum cæteris eo die forte ad quandam obedientiam ſanctæ Mariæ Dolenſis reverſus eſt, ibi illos, quoaduſque redirent, operiens. Redeuntes itaque legati dixerunt comitem ſui captionem & univerſa quæ facta fuerant ſupradicto Præpoſito juſſiſſe.

ANNO CHRISTI 1092.

Univerſo autem concilio condolente & acclamante, præcepit Rainaldus beatæ memoriæ archiepiſcopus Arnulfo S. Audomari præpoſito, & Joanni abbati Sancti Bertini & Girardo abbati de Ham, & Bernardo Varancenſium præpoſito, ut cum auctoritate ſancti concilii ipſum comitem Robertum convenirent, qui eo tempore privatam ducebat vitam, commorans in clauſtro S. Bertini cauſa continentiæ & quadrageſimalis ſupplicationis: quatinus uſque ad dominicam palmarum invaſa reſtitueret, aut gladio anathematis percuſſus ſciret totam terram ſuam divino privatam officio. Quod metuens ſatisfecit omnia quæ fecerat, ut nullus ſucceſſorum illius hanc iniquitatem reſuſcitare auſus fuerit. Quod factum eſt anno Domini MCXII. *in quo obiit, & ſepultus eſt in* * *Caſel.*

* In caſtello Mortemeri.

In hoc Concilio agitata fuit controverſia inter Cameracenſem, & Atrebatenſem Eccleſias, quarum poſtrema prioris jugum excutere curabat, & priſtinam propriæ Epiſcopatus dignitatem recipere. Rem narrant Geſta de reſtitutione Epiſcopatus Atrebatenſis a Baluzio in Miſcell. tom. 5. edita, unde ſequentia ad hoc Concilium pertinentia excerpſimus.

Epiſtola Rainoldi Archiepiſcopi Remenſis Atrebatenſi Eccleſiæ delegata.

Raynoldus Remorum Archiepiſcopus Atrebatenſi Eccleſiæ ſalutem & benedictionem in Domino Jeſu.

NOverit veſtra fraternitas quoniam Cameracenſes clericos ut Remis ad Concilium quod in Dominica qua canitur *Oculi mei ſemper* celebraturi ſumus veniant, & ut ſecum privilegia ſua afferant, quorum auctoritate Eccleſiam veſtram Epiſcopi ſui dominio velint ſubjugare monuimus. Mandamus itaque vobis quatenus ad idem Concilium auctoritatibus ſententiiſque patrum ſulti, quas inſuper a beato Remigio inſtitutore veſtro habetis, veniatis, & eas in conſpectu Concilii non timide proferatis. Quod ſi rationes veſtræ victoriæ locum obtinuerint, ex domni Papæ præcepto & totius Concilii conſilio a veſtro deſiderio non vos fraudari patiemur.

Taliter Atrebatenſis Eccleſia ad Concilium invitata in conſpectu totius Concilii hanc diutinæ calamitatis querimoniam effudit.

AUdiat domni Archiepiſcopi providentia, audiat & hujus ſanctæ ſynodi congregatio devota querimonias quas in neceſſitate ſua facit ſoror Atrebatenſis eccleſia. Hæc civitas olim ſuo proprio paſtori dicata & ſubnixa ſub ſola ſancta Remenſi Eccleſia, una ex antiquis & nobilioribus civitatibus totius Remenſis metropolis, valuit in omni eccleſiaſtica diſciplina. Quod vero civitatis & nomen & dignitatem obtinuerit teſtatur Oroſius Presbyter in libro contra paganos, ſæpius in ſuo tractatu de ipſa faciens mentionem. Sed & chronicales libri de conditoribus urbium certiſſime tractantes Romam & Remis a Romulo & Remo, Sueſſiones vero & Atrebatum a Cneo Pompeio, reliquas circa civitates a quibuſdam Gallis fuiſſe referunt inſtitutas. Quod autem hæc civitas ſit & Epiſcopum proprium habuerit, in Eccleſia Arelatenſi, Viennenſi, Lugdunenſi, immo in hac ſancta Remenſi, ex ſanctorum canonum epilogo colligitur, ubi Gallicanæ metropoles & earum ſuffraganeæ enumerantur, inter quas & hæc civitas Atrebatum a Remenſi quarta & ante Cameracum poſita invenitur. Hinc legitur in vita ſancti Remigii: *Per idem tempus ab Anaſtaſio Imperatore codicillos Hludovvicus Rex pro conſulatu accepit. Sed & Hormiſda Romanæ ſedis Pontifex ſancto Remigio antiquæ metropolis Epiſcopo, quæ tunc temporis habebat ſub ſe duodecim civitates & totidem Epiſcopos eiſdem præſidentes, vices ſuas in regno Hludovvici commiſit.* Item in vita beati Vedaſti: *Sanctus igitur Remigius divina diſpenſatione & ſalubri ſacerdotum conſilio beatum Vedaſtum ordinavit Epiſcopum, & ad prædicandum verbum vitæ Atrebatæ urbi eum direxit* &c. Item teſtamentum beati Remigii ab ipſo editum Atrebatæ urbi principaliter Epiſcopum fuiſſe confirmat hoc modo: *Ego Remigius Eccleſiæ Atrebatenſi, cui Domino annuente Vedaſtum fratrem meum cariſſimum Epiſcopum conſecravi, ex dono Hludovvici Regis duas villas in alimoniis clericorum, Orcos videlicet & Sabucetum, acquiſivi, quibus etiam pro memoria nominis mei viginti ſolidos dari jubeo. Ego Remigius teſtamentum meum relegi, ſignavi, ſubſcripſi, & in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti Deo adjuvante complevi.* Proſecuta autem excommunicatione in hujus teſtamenti violatorem primus reſpondit Vedaſtus Epiſcopus: *Cui pater meus Remigius maledixit maledixi, & cui benedixit benedixi. Interfui quoque & ſubſcripſi Genebaldus Epiſcopus.* Lupus Epiſcopus, Medardus Epiſcopus, Benedictus Epiſcopus, Eulogius Epiſcopus idem dixerunt. Quoniam igitur Atrebatenſem Eccleſiam tot & tantis auctoritatibus fretam principalem Epiſcopum patens eſt habuiſſe, civitas eadem ultra priorem modum populoſa, clerus & populus patrii paſtoris abſentiam diutius ſuſtinere non valens, quem olim amiſit, ſibi proprium efflagitat reſtitui. Anno ſiquidem Dei Chriſti milleſimo nonageſimo ſecundo, III. Idus Auguſti, defuncto domno Gerardo juniore Cameracenſi Epiſcopo, qui & Atrebatenſi ſedi ſic utinam ſtuduiſſet prodeſſe quomodo contigit & præeſſe, prædicta Eccleſia interius & exterius miſerabiliter afflicta in aures domni Romani Pontificis Urbani diutinum laborem & dolorem effudit. Ipſe igitur pater prudentiſſimus intelligens advenitle tempus miſerendi ejus, habens vero poteſtatem male ordinata in priſtinam revocare dignitatem, Atrebatenſi Eccleſiæ liberam contulit poteſtatem quatenus ſecundum inſtituta ſanctorum canonum ſibi proprium eligerent Epiſcopum. Tibi etiam, Pater venerabilis Raynolde, ut electum conſecrare non differas delegavit. Quod autem eidem Eccleſiæ paſtorem habere deſideranti, eo quod & civitas ſit & valde populoſa & aliquando habuerit, paſtor reſtitui debeat ex ſanctorum patrum ſententiis ſubſequentibus colligi poteſt. Inde enim in una epiſtolarum beati Clementis Papæ ſic legitur: *Epiſcopos autem per ſingulas civitates quibus Petrus magiſter meus non miſerat prudentes & ſimplices nobis mittere præcepit. Vos autem per veſtras diœceſes Epiſcopos conſecrate & mittite. In ſingulis vero civitatibus ſingulos & non binos, vel ternos, nec in villis vel caſtellis vel modicis civitatibus, ne vile eorum nomen fiat.* Hinc pulcre proſecutum in Sardicenſi Concilio Epiſcopum eſſe ordinandum in his civitatibus quas Epiſcopos habuerunt, aut ſi qua talis aut tam populoſa eſt civitas quæ mereatur habere Epiſcopum. Index etiam Felix Epiſcopus Selemſelitanus in ſecundo Concilio Africano ita dixit: *Etiam, ſi hoc placet ſanctitati veſtræ, inſinuo ut diœceſes quæ nunquam acceperunt Epiſcopos non habeant, & illa diœceſis quæ aliquando habuit habeat proprium, & ſi abſcedente tempore, creſcente fide, Dei populus multiplicatus deſideraverit proprium rectorem habere, ejus videlicet*

ANNO CHRISTI 1092.

voluntate in cujus poteſtate eſt diœceſis conſtituta, habeat proprium Epiſcopum. Ab univerſis dictum eſt: Placet. Quod autem prædictus Papa hanc rem laudabiliter definivit, & in ejus ſit arbitrio conjunctos disjungere & plures epiſcopatus unire, ex B. Gregorii vita vel regiſtro colligitur, qui ties vel quatuor ſæpe univit, & ſæpe unitos disjunxit. Inde etiam Felici Epiſcopo Acropolitano ita ſcribit: *Quoniam Velina, Buventina, & Blandana, quæ tibi in vicino ſunt conſtituta, ſacerdotis vacare noſcuntur regimine, propterea fraternitati tuæ earum ſolemniter operam viſitationis injungimus.* Item Januario Epiſcopo Caralis Sardiniæ. *Pervenit ad nos in loco qui intra provinciam Sardiniam (ſicut eſt) Phauſiana dicitur conſuetudinem fuiſſe Epiſcopum ordinari, ſed hanc pro rerum neceſſitate longis abſolviſſe temporibus. Quia autem nunc ſacerdotum indigentia quoſdam illic paganos remanere cognovimus & ferino degentes modo Dei cultum penitus ignorare, hortamur fraternitatem tuam ut illic ſecundum priſtinum morem ordinare feſtinet antiſtitem, talem videlicet qui ad hoc opus moribus ac verbo aptus exiſtat & aberrantes ad gregem dominicum paſtorali ſtudeat emulatione deducere; quatenus eo illic animarum vacante compendio, nec vos inveniamini ſuperflua popoſciſſe, nec olim deſtructa fruſtra nos reformaſſe pœniteat.* Quocirca, ſancti Patres & Domini, ſub obtentu ſancti ſpiritus, ſub cujus nomine convocati eſtis, reſpicite ſororem veſtram, Atrebatenſem Eccleſiam eripite a jugo ſervitutis diu injuſte captivatam, ne tandem aliquando tædio affecta poſt veſtigia gregum incipiat vagari a paſtore deſtituta.

Hæc in pleno Concilio proclamatione ſed & Eccleſiæ ſuæ, ut prænoniti fuerant, Atrebatenſes deliberatione perlecta, cum e contra Cameracenſes clerici non ſolum privilegia quibus Atrebatenſem Eccleſiam ſibi poſſidendam vendicarent non afferrent, ſed nec auctoritates ibi perlectas ratione aliqua infirmare prævaluiſſent, domnus Archiepiſcopus, ut pius pater de ejuſdem Eccleſiæ reſtitutione ſollicitus, apoſtolicas litteras ad ſe directas in medium afferri & legi præcepit hæc continentes.

Urbanus Epiſcopus S. S. D. dilecto confratri Raynoldo Remorum Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Noverit tua fraternitas quod Eccleſia Atrebatenſis &c. *ut ſupra pag.* 670.

Ipſo denique Archiepiſcopo jubente allatus eſt ſanctorum canonum liber. Quo aſſumpto Notarius hanc ſententiam in conſpectu omnium perlegit:

Oſius Epiſcopus in Sardicenſi Concilio dixit. Licentia ordinandi Epiſcopum danda paſſim non eſt. Si enim ſubito aut vicus aliquis aut modica civitas, cui ſatis eſt unus Presbyter, voluerit ſibi Epiſcopum ordinari, ad hoc ut vilescat nomen Epiſcopi & ſummi honoris auctoritas, non debent illi ex alia provincia invitati facere Epiſcopum niſi aut in civitatibus quæ Epiſcopos habuerunt, aut ſi qua tam populoſa eſt civitas vel locus qui mereatur habere Epiſcopum. Synodus reſpondit: Placet.

Exurgentes etiam domnus Burchardus Abbas de ſancto Baſolo, Dudo quoque capellanus, qui nuper a facie Apoſtolici fuerant regreſſi, eundem Papam de hoc negotio Archiepiſcopo per eos mandaſſe & præcepiſſe teſtati ſunt, ut ſcilicet in Atrebatenſi Eccleſia Epiſcopum ſine dilatione ordinaret. Super his igitur omnibus ab Epiſcopis ibidem reſidentibus, domno ſcilicet Hugone Sueſſionenſi, domno Elinando Laudunenſi, domno Rabbodo Viromandenſi, domno Fulcone Belvacenſi, domno Gerwino Ambianenſi, domno Gerardo Morinenſi, & ab univerſo Concilio conſilium expetivit. Cum vero Epiſcopi cum Archidiaconis & altioribus præſentis cleri perſonis & quibuſdam Abbatibus a conſilio rediiſſent, inducias tanti diffiniendi negotii ab Archiepiſcopo poſtulaverunt. Videns autem Galcherus Cameracenſium Archidiaconus cum aliis ejuſdem Eccleſiæ clericis domnum Archiepiſcopum induciarum petitioni nolle acquieſcere, ſed potius ad obediendum Apoſtolici definitioni inſtare, proſiliens in medium cauſam Atrebatenſis Eccleſiæ conatus eſt perturbare dicens, Atrebatenſem Eccleſiam non debere jure aliquo proprium Pontificem habere ſeque ipſum vel Cameracenſes clericos in præſentia domni Papæ hoc ipſum eſſe paratos probare. Hoc Archiepiſcopus audiens domno Galberto Præpoſito ceteriſque Atrebatenſibus id dedit conſilii quatenus gratia confirmationis cauſæ ſuæ & pro reclamantium ſatisfactione præſentiam Apoſtolici non dubitarent repetere. Annuente igitur univerſo Concilio ſtatuti ſunt octo dies, a Dominica ſcilicet ante aſcenſionem Domini uſque ad ſubſequentem, in quibus utraque pars Apoſtolico ſe præſentaret, & prius veniens alteram expectaret. Facto igitur ſilentio, domnus Archiepiſcopus ſic tandem cauſam iſtam diffinivit. Et ut hoc pro certo ſcirent, toti ſynodo conteſtans denuntiavit quod ſi pars Atrebatenſium ire negligeret, de hoc negotio eos amplius non audiret. Si vero Cameracenſes ire reſpuerent, in Eccleſia Atrebatenſi ſecundum præceptum domni Papæ ſine dilatione ordinaret Epiſcopum.

ANNO CHRISTI 1092.

CONCILIUM STAMPENSE,

PRÆSIDE RICHERIO ARCHIEPISCOPO

Cum ſuffraganeis ſuis adverſus ordinationem Ivonis ep. Carnotenſis, Chriſti anno MXCII.

Quid & a quibus attentatum ſit in hoc concilio docet Ivo Carnotenſis epiſt. 12. ad Urbanum papam magni ab eo tempore in Gallia nominis epiſcopus.

Reverendiſſimo patri patrum Urbano, fideliſſimus ejus filius Ivo Carnotenſis dictus epiſcopus non deficere in tribulationibus.

QUoniam per ſacram manus * veſtræ impoſitionem, me de ſtercore erectum divina providentia ſuæ meſſis ordinavit operiarum: in ipſa Dei agricultura exercenda quantum valeo, me moveo, ſed tamquam formicino greſſu incedens, prægrediente imbecillitate mea, non quantum volo promoveo: in erogando verbi ſemine, curam, prout divina gratia ſubminiſtrat, adhibeo. Sed quia meſſis multa eſt, & ab inimico homine * multum zizaniorum prius ſeminatum vel ſuperſemi-

* Ab Urbano cum Romæ fuit conſecr. epiſcopus.

* *Matth. 13. Luc. 8.* Videtur eorum ſubinnuere Rigord. Gestis Philippi Augusti op. 1. & 2. cujus crimina deſcripsit op. 2.

ANNO CHRISTI 1093.

ſiſſe. Nam cum apud eum de ſui abbatis captione & cæteris injuriis quererentur, reſpondit comes ſe nolle illos per ſuam terram tranſire eun-
tes ad hoc placitum, in quo eccleſiam ſancti Clementis Credonenſis monachis Vindocinenſibus auferre niterentur, cum & abbatia ſanctæ Trinitatis ſua eſſet, & in ſua terra obedientias multas haberet. Cumque fiduciæ tranſeundi per terram ſuam & ducendi ad hoc placitum quoſcumque vellent, quam audientibus Helia Cenomannenſi comite, Herberto Toarcenſi comite, Hugone de Liciniaco, illis Pictavis dederat, recordaretur, reſpondit ſe hoc recognoſcere, & idcirco ſi aliquid amiſerant reddere, tranſire autem illos nullo modo ſinere. Interminando addidit etiam quia ſi Amatus de hoc placito ſe ita intromitteret, ut aliquo modo Vindocinenſes monachi ſancti Clementis eccleſiam amitterent, proculdubio nec ſuus epiſcopus, nec ſuus monachus eſſet. Unde conjici poteſt, quod comes monachorum Vindocinenſium precibus vel pretio abbate cum ſuis & capi fecerit, & reverti compulerit. Hoc abbas audiens ipſe quidem cum cæteris monachis & laicis hujus placiti conſciis, & ſuæ rectitudinis teſtibus ad proprium monaſterium reverſus eſt; quatuor autem monachos, qui de prædictis injuriis quererentur, diverſis viis miſit, qui per diverticula euntes latenter, diffugiendo per vias ſilvoſas cum maximo labore Burdegalam pervenerunt: ubi cum de Vindocinenſibus monachis, quorum hortatu comes eorum abbatem, ſicut conjecturis veris probatum eſt, capi fecerat, quererentur, nullam prorſus obtinuere juſtitiam. Nam cum ſe hujus captionis fuiſſe conſcios omnes impudenter negarent, Mauritius ſancti Florentii monachus, & Cellarius his verbis eorum impudentiam redarguit dicens: Prior ſancti Clementis Credonenſis apud S. Maxentium, uti tunc comes aderat, quæſivit a me, ſi ſancti Albini abbas ad placitum ſuum iret, cumque ego reſpondiſſem illum jam in itinere eſſe dixit ſe tales habere amicos, qui, ſi poſſent illum diſturbarent, de qua diſturbatione, ſi contingeret, ſe magnum gaudium habiturum, Propter quæ verba prædixi Domino Guillelmo abbati noſtro; ſicut & contigit, ſancti Albini abbatem proculdubio in hoc itinere diſturbandum. Cumque omnes machinamenta ejus perciperent, & ipſe adhuc impudentius ſe ita dixiſſe negaret, inquiſitus ab Amato quid inde dixerit, neſcio quid muſſitando protulit, ſe quaſi ſatisfacturum inde promittens, ſi ipſe præciperet. Amatus autem totum impune dimiſit. Deinde ſancti Albini monachi de ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis monachis conqueſti ſunt eo quod ſancti Clementis Credonenſis eccleſiam injuſte invaſiſſent & violenter tenerent, quam ipſi ex dono Suhardi vetuli, & ejus filiorum Guarini & Suhardi conceſſione per annos multos poſſederant, officinis, vineis, lignis, libris, & aliis ornamentis ornaverant, & usque ad ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis fundationem, & Gaufridi Martelli comitis tempus, qui vi ſua & ſine ratione aliqua illam ſancto Albino abſtulit, & ſanctæ Trinitati donavit, pacifice tenuerant. Ad quæ Vindocinenſes monachi nihil contradicentes, reſponderunt multas querelas inter ſe & ſancti Albini monachos de hac eccleſia fuiſſe, ſed Otbrannum ſancti Albini abbatem, ducentis denariorum libris ab Orrico Sanctæ Trinitatis abbate acceptis, concordiam inde feciſſe. Cumque hanc concordiam per Giraldi Oſtienſis epiſcopi manum factam eſſe dicerent, reſtitit Haimarus ſancti Albini famulus, qui fuerat Otbranni abbatis camerarius, probare paratus, quod Giraldus Oſtienſis epiſcopus hanc concordiam neque fecerat, neque, cum facta Carnoti fuit, aderat. Cum vero hujus concordiæ chirographum non haberent, quandam aliam chartam legi fecerunt, in qua continebatur, quod ſecundum Otbranni abbatis promiſſum totum ſancti Albini capitulum hanc concordiam conceſſerat. Quod ſancti Albini monachi audientes veris teſtimoniis falſum eſſe oſtenderunt. Stephanus enim S. Albini monachus, qui tunc magiſter ſcholarum fuerat, dixit ſe unum fuiſſe de calumniatoribus, Berardum, Motbertum, Clementem S. Albini ſecretarium, Andream rubeum, & alios plures nominans, ipſos etiam Vindocinenſes monachi nihil omnino reſiſterent, ſancti Albini monachi judicium flagitaverunt utrum abbas, quadam parte capituli contradicente, poſſeſſionem monaſterii vendere poſſit. Amatus itaque ſecedens cum epiſcopis & abbatibus, & diu hæc omnia revolvens, tandem judicavit concordiam, quam Otbrannus & Orricus adeo religioſi abbates cum quadam parte capituli ſancti Albini, quamvis altera contradicente, fecerant, non poſſe diſſolvi. Cumque ſancti Albini monachi a ſingulis epiſcopis, Agennenſi, & Nannetenſi videlicet, abbatibus vero ſanctæ Mariæ Dolenſis & ſancti Johannis Angeliacenſis, Clericis autem Petro decano, Achelmo archidiacono Burdigalenſibus, quos ipſe Amatus ad judicium hoc faciendum ſecum advocaverat, quærerent utrum hoc judicium facerent vel conſentirent, nemo eorum vel affirmavit vel negavit præter S. Johannis Angeliacenſis abbatem, qui nec facere, nec conſentire hoc judicio coram omnibus profeſſus eſt. Deinde ſancti Albini monachi hoc judicium palam omnibus calumniati ſunt, injuſtum eſſe & falſum & contra ſanctorum canonum decreta prolatum proclamantes; popoſceruntque ut vel ipſe Amatus data ſententia canonica hoc judicium corroboraret, vel ipſi canonicis ſententiis id refutando improbarent. Ad quæ Amatus & cæteri hujus injuſti judicii conſcii nullum omnino dedere reſponſum; pluribus monachis clericis laicis aperte dicentibus hoc injuſtum videri judicium. Huic placito interfuerunt Simon Agennenſis epiſcopus, Benedictus Nannetenſis epiſcopus, Auldebertus Dolenſis abbas, Auſculfus Angeliacenſis abbas, Guillelmus abbas S. Florentii, & de monachis ejus Mauritius, Oliverius, Radulphus, Haimo. De monachis Vindocinenſibus Frotmundus prior, Radulfus, Daniel, Gaufridus, Adelelmus. De monachis ſancti Albini Girardus prior, Helinnanus, Stephanus, Milo. De famulis eorum Haimarus Malpetit, David, Lucas, Ingelgerius. De clericis, Leodegarius archidiaconus Pictavenſis, Radulfus archidiaconus Namnetenſis, Achelmus archidiaconus Burdegalenſis, Willelmus apulus, Guillelmus Salmurenſis archipresbyter, Petrus decanus Burdegalenſis, Petrus de Subiſa.

Juvat hic pariter admonere, hanc ipſam inter monachos de illa controverſiam ſententiam Amati audita plene definitam quieviſſe: ſed eo ipſo anno 1093. *ſopita eſt tandem ex bulla Urbani papæ, quam hic ex eodem Baluzio ſubjicio.*

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis Girardo abbati ſancti Albini Andegavenſis, & Bernoni abbati ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo tertio, pontificatus noſtri quinto, indictione prima, cum eſſem in provincia Calabriæ apud monaſterium ſanctæ Mariæ, quod dicitur de Matina monachi ſancti Albini Girardus prior, Milo

Milo Stephanus, adverſus monachos ſanctæ Trinitatis de Vindocino, Frotmundum priorem, Ingelbaudum Hoitiarium, qui præſentes aderant, conqueſti ſunt, quod Vindocinenſes fratres eccleſiam ſancti Clementis Credonenſis, quæ a monachis Sancti Aibini juſte ſecundum illorum temporum conſuetudinem adquiſita ac per triginta annos quiete & ſine interruptione poſſeſſo, violenter ablatam injuſte detinerent. Qui cum ſuis inſtrumentis & rationibus cauſam defendere niterentur, primo die proclamationis res diu & multum ventilata, nullo potuit fine terminari. Secunda vero die ſimiliter multum diſcuſſa, ad nullum tamen eſt fidem deducta. Die autem tertia, duodecimo ſcilicet Kalendas Decembris, reſidentibus nobis in Anglone civitate Apuliæ, præſidentibus religioſis & venerabilibus tam epiſcopis quam ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus ſive diaconibus, aſtantibus etiam nobilibus Romanis & comitibus Apuliæ glorioſiſſimis Boamonte & Guillelmo, re iterum diu & multum inquiſita, tandem inſpirante Deo lucidius eluxit in quam potius partem juſtitia declinaret. Cum enim utraque pars ſuis nobis allegationibus obviarent, & hinc pactionem abbatum, confirmationem pontificum Romanæ eccleſiæ legatorum, illinc vero legitimum introitum & canonicam triginta annorum poſſeſſionem nobis opponerent, nos qui omnium fidelium cauſa æqua lance penſare debemus, utriuſque utilitati providentes, ipſam litem concordiæ convenientis æquitate decidere maluimus. Omnes igitur qui nobiſcum aderant hanc ſententiam collaudantes conſentientibus prædictis utriuſque cœnobii fratribus in manus noſtras fidem pollicendo firmantibus concordia & pax inter eos hoc modo poſita eſt, ut ſcilicet Vindocinenſes monachi de his tribus eccleſiis aut eccleſiam Manitilium, vel ſancti Saturnini ſive Johannis ſuper Ligerim, unam quam congregatio tota ſanctæ Trinitatis elegerit cum omnibus quæ ad eamdem eccleſiam tam mobilibus quam immobilibus interius exteriuſque ad præſens pertinet, infra dies triginta poſtquam domum redierint, monaſterio ſancti Albini in perpetuum tradant. Fratres itaque ſancti Albini omnem litem, omnemque calumniam ex cauſa hac in manus noſtras & Vindocinenſium fratrum refutaverunt. Vindocinenſes vero unam ſupradictarum eccleſiarum in noſtras manus reddiderunt, & per nos eoſdem monachos inveſtierunt. Præſenti igitur auctoritate fraternitatem veſtram admonemus, & præcipimus, ut hoc pactum a nobis intentione pacis & quietis diſpoſitum & ſtatutum omni tempore deinceps ratum & inconvulſum teneatis & obſervetis. Quæcumque autem pars hanc noſtræ deciſionis ſententiam non ſuſceperit vel tranſgredi præſumpſerit tam canonum ſeveritati ſubjaceat, quam legitimæ compoſitionis pœnam, ideſt auri centum librarum, ſuſtineat, & a cauſa penitus cadat. Data Tarenti VIII. Kalendas Decembris.

ANNO CHRISTI 1093.

ANNO CHRISTI 1093.

CONCILIUM TROJANUM,

QUOD BINIUS ALIIQUE MINUS COMMODE

Appellant II. pro diverſis eccleſiæ neceſſitatibus celebratum, anno Domini MXCIII. tempore Urbani papæ II.

Acta Concilii. *De hac ſynodo, iſta Bertholdus*: Dominus papa Urbanus generalem ſynodum centum pene epiſcoporum in quadrageſima ex diverſis provinciis in Apulia congregavit, & diverſis eccleſiarum neceſſitatibus ſynodali proviſione competenter ſuccurrere curavit. *Hanc ſynodum Trojæ celebratam eſſe teſtatur Romualdus Salernitanus archiepiſcopus in ſuo chronico.*

Additio Philippi Labbe S. J.

Ad annum 1089. *paullo ante docuimus fruſtra a Baronio, Binio, aliiſque collocatum fuiſſe Trojanam ſynodum hac noſtra anteriorem. Quare ad hanc pertinent decreta de conjugiis intra lineam conſanguinitatis diſſolvendis. Et ſane in MSS. codicibus res aperte deciditur hiſce verbis.*

Anno dominicæ incarnationis MXCIII. (1) v. Idus Martii convenit Trojæ in Apulia concilium epiſcoporum fere LXXV. abbatum XII.

Secunda itaque die, cum de quibuſdam infra conſanguinitatis lineam copulatis actum fuiſſet, tandem conſentientibus omnibus, hoc ſuper eis capitulum promulgatum eſt.

I.

Epiſcopi quorum diœceſani ſunt, eos uſque in Pentecoſten trina advocatione conveniant. Tunc ſi duo viri, vel tres, conſanguinitatem jurejurando firmaverint, vel ipſi forte confeſſi fuerint, conjugia diſſolvantur. Si vero neutrum contigerit, epiſcopi eos per baptiſmum Chriſti, per fidem Chriſti, per Chriſti judicium, in vera obedientia obteſtentur, quatenus palam faciant, utrum ſe, ſicut fama eſt, conſanguineos recognoſcant. Si negaverint, ſibi ipſis relinquendi ſunt; ita tamen ut ſi aliud in conſcientia habeant, ſe a liminibus eccleſiæ, a corpore & ſanguine Domini, a fidelium communione noverint ſegregatos, atque infames effectos, donec ab inceſti facinore deſinant. Si ſe judicio epiſcoporum ſegregaverint, ſi juvenes ſunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur.

II.

Si quis treviam Dei fregerit, uſque tertio ad ſatisfactionem ab epiſcopo moneatur. Quod ſi nec tertio ſatisfacere conſenſerit epiſcopus vel cum metropolitani conſilio, aut cum duobus, aut uno vicinorum epiſcoporum, in rebellem anathematis ſententiam dicat, & per ſcripturam epiſcopis circumquaque denunciet. Si excommunicatum epiſcoporum nullus in communionem ſuſcipiat; immo, ſcriptura ſuſcepta, ſententiam quiſque confirmet. Si quis aliter præſumpſerit, ordinis ſui periculo ſubjacebit. Reſponſum eſt ab omnibus: fiat, fiat. *Hæc MSS. codices.*

CON-

(1) Baluzius ad lib. 4. c. 15. de Concordia Sacerd. & Imper. legit: *Anno Dom. Incarn.* 1093. *Indict.* 1. *hebdomada quadrageſima prima*, VI. *Idus Oct.* Sequentia vero ex ejus editione emendavimus.

ANNO CHRISTI 1093.

CONVENTUS OMNIUM EPISCOPORUM ANGLIÆ

Pridie Nonas Decembris, anno Domini 1093. ad conſecrandum Anſelmum archiepiſcopum Cantuarienſem. In quo differentia metropolitani & primatis abſolvitur.

Matth. Paris. in anno 1093. Videſis etiam Eadmerum p. 28.

EOdem anno convenientibus totius Angliæ epiſcopis, inter quos Thomas Eboracenſis archiepiſcopus erat, a quo Anſelmus Cantuarienſis electus conſecratus antiſtes, pridie Nonas Decembris. Verum cum ante ordinandi pontificis examinationem, Wilkelinus Wintonienſis epiſcopus, eccleſiaſtico more, electionem ſcriptam legeret, Thomas archiepiſcopus Eboracenſis queſtus eſt, ſcriptum rite non eſſe factum. Nam cum diceretur, *Fratres epiſcopi mei, vobis eſt cognitum, quantum temporis elapſum eſt, ex quo ſancta Dorobernenſis eccleſia totius Britanniæ metropolitana, paſtore caruerit;* reſpondit Thomas & dixit, *Si totius Britanniæ eccleſia Dorobernenſis metropolitana eſt, eccleſia Eboracenſis, quæ metropolitana eſſe ſcitur, metropolitana non eſt: & quidem eccleſiam Cantuarienſem primatem eſſe ſcimus, non metropolitanam.* Quibus verbis ſanæ rationi conſentire perceptis, immutato ſcripto, pro totius Britanniæ eccleſia metropolitana; totius Britanniæ primas ſcriptum eſt: & controverſia tota ceſſavit. Itaque conſecravit illum ut primatem totius Britanniæ.

ANNO CHRISTI 1094.

CONCILIUM ROCHINGAMIÆ,

QUINTO IDUS MARTII ANNO DOMINI MXCIV.

Regia ſanctione indictum; in quo ferme totius regni nobilitas (præter epiſcopos & clerum) convenitur ad ventilationem hujus quæſtionis; videlicet utrum ſalva reverentia & obedientia ſedis apoſtolicæ, poſſet (archiepiſcopus Anſelmus) fidem terreno regi ſervare, an non?

Eadmerus p. 16.

FIt itaque conventus omnium, dominico die, in eccleſia, quæ eſt in ipſo caſtro ſita, ab hora prima, rege & ſuis ſecretius in Anſelmum conſilia ſua ſtudioſe texentibus. Anſelmus autem epiſcopis, abbatibus & principibus ad ſe a regio ſecreto vocatis, eos & aſſiſtentem monachorum, clericorum, laicorum numeroſam multitudinem hac voce alloquitur. *Fratres mei, filii eccleſiæ Dei, omnes dico, qui hic congregati eſtis, in nomine Domini, precor intendite, & cauſæ propter quam ventilandam adunati eſtis, pro viribus opem veſtri conſilii ferte: Quæ autem ipſa cauſa ſit brevi, qui nondum pleniter audiſtis, ſi placet, audite. Verba quædam orta ſunt inter Dominum noſtrum regem & me, quæ quandam videntur diſſenſionem generare: Nam cum nuper licentiam adeundi Urbanum ſedis apoſtolicæ præſulem juxta morem anteceſſorum meorum, pro pallii mei adeptione, ab eo poſtulaſſem; dixit ſe Urbanum ipſum pro papa necdum ſuſcepiſſe, & ideo nolle me ad eum illius rei gratia properare. Quinetiam ait, ſi eundem Urbanum aut quemlibet alium ſine mea electione, & auctoritate, in regno meo pro papa ſuſcipis, aut ſuſceptum tenes, contra fidem quam mihi debes facis, nec in hoc me minus offendis, quam ſi coronam meam mihi tollere conaveris: Unde ſcias in regno meo nullum te participium habiturum, ſi non apertis aſſertionibus probavero te omnis obedientiæ ſubjectionem Urbano, de quo agitur, pro voto meo negaturum. Quod ego audiens, admiratus ſum: Siquidem abbas eram, ut noſtis, in alio regno, per miſericordiam Dei converſatus ad omnes ſine querela: Nulla vero ſpe vel deſiderio pontificatus; ſed quibuſdam rationabilibus cauſis quas nullatenus omittere poteram, in hanc terram ſum venire coactus. Ipſo autem rege informato omnes qui tunc aderatis, ei ut matri ſuæ & veſtræ, ſcilicet eccleſiæ Cantuarienſi, per inſtitutionem pontificis ante mortem ſuam, conſuleret, pro voto conſuluiſtis. Quid dicam? ſuſcepto conſilio placuit illi & vobis in hoc opus eligere me. Objeci plurima, ſubducere me præſulatui geſtiens; nec adquieviſtis. Profeſſus ſum inter alia me hunc de quo nunc querela iſta conſeritur, Urbanum pro apoſtolico ſuſcepiſſe, neque ab ejus ſubjectione quoad viveret, vel ad horam diſcedere nolle; & qui ad hoc tunc temporis mihi contradiceret, nemo fuit; ſed quid? rapuiſtis me & coegiſtis omnes omnimm ſuſcipere, qui corporis imbecillitate deſeſſus meipſum vix poteram ferre. In quo facto putabatis forſan mihi ad votum ſervire: ſed quantum illud deſideraverim, quam gratum habuerim, quantum in illo delectatus ſim, dicere in præſenti quidem cum nihil profit, ſupervacaneum aſſirmo. Verum ne quis in hac re conſcientiam meam neſcius ſcandalizetur in me, fateor, verum dico, quia ſalva reverentia voluntatis Dei maluiſſem illa die, ſi optio mihi daretur, in ardentem rogum comburendus præcipitari, quam archiepiſcopatus dignitate ſublimari. Attamen videns importunam voluntatem veſtram, credidi me vobis, & ſuſcepi onus quod impoſuiſtis, confiſus ſpe auxilii veſtri, quod polliciti eſtis. Nunc ergo ecce tempus adeſt quo ſeſe cauſa obtulit, ut onus meum conſilii veſtri manu levetis. Pro cujus conſilii adeptione petivi inducias ab eo die, quo mihi præfata verba dicta ſunt, in hunc diem quatenus in unum conveniretis, communi conſilio inveſtigaretis, utrumnam poſſim ſalva fidelitate regis ſervare obedientiam apoſtolicæ ſedis. Petivi inquam inducias & accepi, & ecce gratia Dei adeſtis; Omnes itaque, ſed vos præcipue fratres & coepiſcopi mei, precor & moneo, quatenus iſtis diligenter inſpectis ſtudioſis, ſicut vos decet, quo inniti queam, mihi conſilium detis; Ita ut, & contra obedientiam papæ nihil agam, & fidem quam Domino regi debeo non offendam. Grave ſiquidem mihi eſt vicarium beati Petri contemnendo abnegare; Grave fidem quam regi me ſecundum Deum ſervaturum promiſi, violare; Grave nihilominus, quod dicitur impoſſibile mihi fore, unum horum, non violato altero, cuſtodire. Ad hæc epiſcopi reſponderunt, *Conſilium quod a nobis petis pones te eſt, quem*

ANNO CHRISTI 1094.

quem prudentem in Deo ac bonitatis amatorem esse recognoscimus, & ab hac in tam proficuâ re consilio nostro non eges; Verum si remota omni alia occasione, simpliciter ad voluntatem domini nostri regis consilii tui summam transferrem velles, prompta tibi voluntate, ut nobis ipsis consuleremus. Attamen si jubes, verba tua ipso domino nostro referemus, & cum audierimus quid inde sentiat, dicemus tibi. Annuit ipse, & fecerunt ut dixerant. Præcepit itaque rex ut omnia in crastinum, quia dies dominica erat, differentur; Et Anselmus ad hospitium suum, curiam mane repetiturus, reverteretur. Factum est ita, & mane juxta conditum reversi sumus. Itaque Anselmus in medio procerum & conglobatæ multitudinis sedens ita orsus est: *Si juxta quod a vobis, domini fratres, hesterno die consilium, die præsenti causa petivi, vel nunc dare velletis, acciperem;* At illi, *quod heri respondimus, modo respondemus;* scilicet, *si pure ad voluntatem domini regis consilii tui summam transferre volueris, promptum, & quod in nobis ipsis utile didicimus, a nobis consilium certum habebis: Si autem secundum Deum, quod ullatenus voluntati regis obviare possit, consilium a nobis exspectas, frustra niteris; quia in hujusmodi nunquam tibi nos adminiculari videbis.* Quibus dictis conticuerunt, & capita sua, quasi ad ea quæ ipse illaturus erat, demiserunt. Tunc pater Anselmus erectis in altum luminibus, vivido vultu, reverenda voce ista loquutus est., *Cum nos qui Christiana plebis pastores, & vos qui populorum principes vocamini, consilium mihi principi vestro, non nisi ad unius hominis voluntatem dare vultis; ego ad summum pastorem, & principem omnium, Ego ad magni consilii angelum curram, & in meo, immo in suo & ecclesiæ suæ negotio, consilium, quod sequar, ab eo accipiam. Dicit beatissimo apostolorum Petro.* Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram erit & in cælis ligatum, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis. *Communiter etiam apostolis omnibus,* Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit; Et qui tangit vos, sicut qui tangit pupillam oculi mei. *Hæc sicut principaliter beato Petro, & in ipso cæteris apostolis dicta accipimus, Ita principaliter vicario beati Petri, & per ipsum cæteris episcopis, qui vices agunt apostolorum, eadem dicta tenemus; non cuilibet imperatori, non alicui regi, non duci, non comiti. In quo tamen terrenis principibus subdi ac ministrare debeamus, docet & instruit idem ipse magni consilii angelus dicens:* Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Hæc verba, hæc consilia Dei sunt; Hæc approbo, hæc suscipio, hæc nulla ratione exibo. Quare cuncti noveritis in communi, quod in his quæ Dei sunt vicario beati Petri obedientiam, & in his quæ terrenæ domini mei regis dignitati jure competunt, & fidele consilium, & auxilio pro sensus mei capacitate impendam.* Finierat pater in istis: omnes igitur assidentes oppido turbati, cum festinatione & magno tumultu surrexerunt, turbationem suam confusis vocibus exprimentes; ut eos illum esse reum mortis una clamare putares. Conversique ad illum, cum jurgio, *Scias,* inquiunt, *nos hæc verba tua minime domino nostro tua voce portaturos.* Quibus dictis ad regem reversi sunt. Quia ergo nemo cui verba sua regi deferenda tuto committeret, cum Anselmo remansit, ipsemet ad regem ingrediens, quæ dixerat viva voce innotuit, illicoque reversus est. Ad quæ rex vehementer iratus, cum episcopis atque principibus intentissime quærere cœpit, quid dictis ejus objicere posset, nec invenit. Scandalizati ergo inter se, ab invicem sunt in partes divisi; & hic duo, ibi tres, illic quatuor in unum conciliabantur, studiosissime disquirentes si quo modo possent aliquod responsum contra hæc componere, quod & regiam animositatem deliniret, & prælibatas sententias Dei, adversa fronte non impugnaret. Solus inter hæc Anselmus sedebat tantum in innocentia cordis sui, & in misericordia Domini Dei fiduciam habens. Adversariis vero ejus conciliabula sua in longum protelantibus, ipse ad parietem se reclinans leni somno quiescebat: Facta itaque longa mora redeunt episcopi cum nonnullis principibus a rege, hæc viro dicentes: *Vult dominus noster rex, omissis aliis verbis, a te sub celeritate sententiam audire, de his videlicet quæ inter illum & te dicta fuerunt apud Hingeham; unde petisti inducias in hunc diem respondendi. Res nota est, & expositione non indiget; Verumtamen noveris totum regnum conqueri adversum te, quod nostro communi domino conaris decus imperii sui, coronam auferre; Quicumque enim regiæ dignitatis ei consuetudines tollit, coronam simul & regnum tollit. Unum quippe sine alio decenter haberi non posse probamus. Sed recogita, rogamus te, & Urbani illius, qui offenso domino rege nil tibi prodesse, nec ipso pacato tibi quicquam valet obesse, obedientiam abjice, subjectionis jugum excute, & liber ut archiepiscopum Cantuariensem decet, & cunctis actibus tuis voluntatem domini regis, in justionem expecta: necne, quod serus egisti culpam agnosce, ac ut tibi ignoscat voto illius in omni quod a te inde petierit, sapientis more concurre, quatenus inimici tui qui casibus tuis nunc insultant, visa dignitatis tuæ sublevatione erubescant. Hæc, inquam, hæc rogamus, hæc consulimus, hæc tibi tuisque necessaria esse dicimus, & confirmamus. Respondit: Quæ dicitis audio, sed ut ad talia taceam, abnegare obedientiam domini papæ nullatenus volo. Jam dies declinat in vesperam. Differatur si placet in crastinum causa ista quo tractans mecum, respondeam quod Deus inspirare dignabitur.* Suspicati ergo illum, aut quid diceret ultra nescire, aut metu addictum jam statim cœpto desistere. Reversi ad regem persuaserunt inducias nulla ratione dandas; sed causa recenti examinatione discussa, supremam, si suis adquiescere consiliis nollet in eum mox judicii sententiam invehi juberet.

ANNO CHRISTI 1094.

CON-

ANNO CHRISTI 1094.

CONCILIUM CONSTANTIENSE

PRO REFORMANDA DISCIPLINA ECCLESIÆ

Celebratum anno Domini MXCIV. tempore Urbani papæ II.

Alia Concilii.

Acta ſynodalia hujus ſynodi a Bertholdo horum rerum inſpectore deſcribuntur his verbis: Gebehardus Conſtantienſis eccleſiæ epiſcopus magnam ſynodum Conſtantiæ in hebdomada majore ante paſcha cum abbatibus & clericis innumerabilibus, & cum prædictis ducibus, & reliquis Alemanniæ principibus canonice celebravit: ibique multa quæ corrigenda erant correxit. Ibi etiam incontinentiam presbyterorum ac violentiam ſimoniacorum adeo prohibuit, ut etiam populum ab eorum officio ſub banno prohibuiſſet, ſi ipſi in tali facinore poſiti contra fas & jus miniſtrare præſumpſiſſent.

Statuit etiam juxta ſtatuta ſanctorum patrum, ut jejunium Martii in prima hebdomada quadrageſimæ, & jejunium Junii in hebdomada pentecoſtes ſemper celebraretur.

Item ſtatuit, ut tam in hebdomada pentecoſtes, quam in hebdomada paſchali tres tantum dies feſtivi celebrarentur. Nam uſque ad illud tempus Conſtantienſis epiſcopatus morem comprovincialium non eſt ſecutus, videlicet integram ſeptimanam in paſcha, & unam tantum diem in pentecoſte obſervando, quamvis utræque ſeptimanæ ejuſdem obſervationis eſſe debuerint, & quamvis alii epiſcopatus pene omnes prædictam conſtitutionem jam ab antiquo tenuerint. Hæc, inquam, ipſe in proprio epiſcopatu, & ex epiſcopali auctoritate, & ex apoſtolica legatione canonice potuit inſtituere. Nam legatus fuit ſedis apoſtolicæ per totam Teutonicam terram uſquequaque.

Querimonia Praxedis reginæ, quæ dudum ad Welphonem ducem Italiæ a marito ſuo Henrico rege diſceſſit, ad ſynodum Conſtantienſem pervenit, quæ ſe tantas, tamque inauditas fornicationum ſpurcitias, & a tantis paſſam fuiſſe conqueſta eſt, ut etiam apud inimicos fugam ſuam facillime excuſaret, omneſque catholicos ad compaſſionem tantarum injuriarum ſibi conciliaret. *Ibidem pertractatam controverſiam Sigefridi abbatis enarrat*.

CONCILIUM REMENSE,

CUI INTERFUERUNT ARCHIEPISCOPI RAYNALDUS

Remenſis, & Richerius Senonenſis, anno Chriſti MXCIV. die XV. Kalend. Octobris, ut colligi poteſt ex epiſtola Raynaldi ejuſdem ad Robertum Flandriæ comitem ſupra nominatum.

De eo Concilio Clarius, ſeu qui alius monachus O. B. in chronico S. Petri Vivi p. 748. *Tom.* 2. *ſpicilegii Dacheriani hæc habet poſtquam præmiſit anno* MXCII. *Philippum regem cimiſiſſe uxorem ſuam nobiliſſimam* (*Bertam Hollandicam*) *de qua habuit filium ſuum Ludovicum, & accepiſſe Bertradam* (*de Monte-forti*) *quæ reliquerat Fuconem Andegavenſem comitem maritum ſuum. Hinc enim orta ſeges infinitorum malorum uſque ad annum ſequentis ſæculi quintum*.

Anno MCXIV. *inquit Clarius*, congregavit Philippus rex archiepiſcopos & epiſcopos regni ſui in Remenſi urbe, & obtinuit ab archiepiſcopo Richerio magnis precibus, ut Remis ad concilium non dedignaretur ire, oſtendens Raynaldum Remenſem archiepiſcopum podagrico dolore contractum non poſſe progredi de ſua ſede: & perrexit Richerius archiepiſcopus Remis, & ſuſceptus eſt cum maximo honore a Raynaldo archiepiſcopo & univerſo clero eccleſiæ Remenſis: & ſedit in concilio in nullo inferior Remenſi archiepiſcopo, ſed penitus par & æqualis, utpote qui non per aliquod debitum illuc perrexerat, ſed per dilectionem & orationem regis. Eodem anno, *ſubdit idem monachus*, obiit Berta regina, quæ a rege Philippo prius fuerat derelicta, ipſo rege adhuc tenente Bertradam quam huic ſuperduxerat, reclamante juſtitia.

Huicce concilio non interfuit Ivo Carnotenſis epiſcopus, cujus extat epiſtola 35. ad Richerium Senonenſem cæteroſque coepiſcopos in Remenſi urbe congregatos, a nobis non prætermittenda.

Richerio Dei gratia ſanctæ matris eccleſiæ Senonenſis archiepiſcopo, Ivo eccleſiæ Carnotenſis ſervus obedientiam ſecundum conſtitutiones patrum, & cæteris coepiſcopis in urbe Remenſi congregatis, fraternæ dilectionis obſequium.

Si divinæ legis fuiſſetis memores, cujus debetis eſſe doctores atque tutores, non contra ſanctorum Patrum inſtituta me invitaſſetis ad concilium, præſertim cujus facinus * ignoratis aut flagitium. Primo quia invitaverunt me quidam epiſcopi non comprovinciales mei, qui ſine auctoritate apoſtolica mei judices eſſe non debent: cum peregrina judicia nullius eſſe momenti decretorum pariter & canonum generali ſanctione decernat auctoritas. Secundo, quia admonitione metropolitani mei protrahere nitimini cauſam meam extra provinciam. Quod cum multis ſanctorum Patrum præciſum ſit, unam ex multis B. Stephani papæ & martyris producam ad medium, quæ tanquam gladius biceps utriuſque intentionem reverberet, invitantis ſcilicet & accuſantis. Dicit enim B. papa: Ultra provinciæ terminos accuſandi licentia non progrediatur; ſed omnis accuſatio intra provinciam audiatur & a comprovincialibus terminetur, niſi ad apoſtolicam ſedem

* deeſt haud dubie in editis particula negans.

Conſt. 3. q. c. peregrina & ſeqq.

epiſt.

ANNO CHRISTI 1094.

sedem fuerit tantum appellatum. Et, negandæ est accusantibus licentia criminandi, priusquam se crimine quo premuntur, exuerint. Postremo quia non de veritatis tramite, sed de odii fomite mea procedit accusatio, apostolicam sedem appello. Quod omnibus in crimine pulsatis apostolica concedit auctoritas, ut per se aut per vicarios suos loco & tempore, quod mihi præscripserit, causam meam discutiat, & cum peroratum fuerit, legitimam sententiam proferri præcipiat. Neque hoc bene mihi conscius causa vitandi judicii facio, cum manifesta & brevis sit mea purgatio de crimine perjurii, qui nulli hodie viventium aliquando juramentum feci. Sed nolo esse exemplum cæteris recedendo ab ordine, neque sanum est consilium pro incerto commodo vel nullo certis periculis me opponere. Conductum a domino meo rege quæsivi, nec habere potui. Quantum vero ex intentatis minis intelligo, non liceret mihi in conventu vestro impune dicere veritatem, qui pro jam dicta veritate & apostolicæ sedis obedientia tantam sentio sevitatem, ut perjurium arguar incurrisse & majestatem regiam minuisse. Quod ut pace vestra dicam, rectius in eos retorqueri potest, qui vulnus fomentis incurabile tanquam pii medici cauteriis competentibus dissimulant urere, vel medicinali ferro præcidere. In qua sententia si mecum firmiter fuissetis, jam ægrotum nostrum ad sanitatem perduxissetis. Quod quamdiu differtis, videte si fidelitatem quam debetis pleniter exhibetis, si officii vestri munus expletis. Faciat dominus rex adversum parvitatem meam quantum Deo permittente libuerit & licuerit: includat, excludat, proscribat, inspirante Dei gratia & prosequente decrevi pati pro lege Dei mei, nec ulla ratione cogente volo ei consentaneus in culpa esse, qui nolo consors esse in pœna. Angelus magni consilii & spiritus fortitudinis sit vobiscum, ut recta sapiatis & recta faciatis. Valete

ANNO CHRISTI 1094.

Causa 1. q. 1. c. 3.

Vide ep. ejusdem 10.

Philippum regem

A

B

AD REMENSE CONCILIUM

Anno 1094. die XV. Kal. Octobris celebratum.

ADDITIO.

Ex Suppl. Manſi T. II. pag. 190.

IN hoc ipso concilio, recusata ad id usque Atrebatensis episcopi Lamberti professio, quam metropolitano suo debebant omnes suffraganei, admissa & approbata est. Illum enim in Remensi synodo die XV. Kal. Octobris anni 1094. excepisse se Raimaldus Remensis episcopus in epistola ad Robertum, legenda in appendice epistolarum Urbani apud Labbeum to. XII. pag. 764. testatur. Formulam in quam juravit Lambertus accipe ex libello de vestit. episcop. Atrebat. apud Baluz. Miscell. tom. V. pag. 271.

Ego Lambertus Atrebatensis sedis ordinatus episcopus tibi, pastor Raynolde, & privilegio Remorum ecclesiæ tuisque successoribus secundum sacros canones & decreta sedis apostolicæ ex sacris canonibus ac legibus promulgata pro scire & posse me obediturum promitto. Pro ejusdem quoque metropolitani publicis & privatis negotiis studio, consilio, societate me elaboraturum & absque illius consensu nullum me præbere in magnis negotiis vel ordinationibus assensum, nisi in eo quod pertinet ad propriam parochiam meam profiteor, & huic professioni meæ coram Deo & sanctis ejus, sub testimonio quoque præsentis ecclesiæ subscribo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

C

Facta est autem hæc professio Remis, Mense Septembri XI. Kal. Octobris, die natali beati Matthæi apostoli, & evangelistæ indictione II. anno autem Dei Christi MXCIV.

D

CONCILIUM BRIVATENSE,

PRÆSIDE HUGONE ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI

Et Romanæ sedis vicario, assidentibus ei Auxitano & Narbonensi archiepiscopis cum multis diversarum Provinciarum episcopis, & abbatibus Anno MCXIV.

Illius concilii memoriam servarunt Majoris Monasterii prope Turones tabulæ mss. in quibus hæc leguntur.

EO itaque tempore Brivatis quodam assidente concilio, fratribus nostris illic delegatis, domno Bernardo priore. Hilgodo Suessorum episcopo, & Andrea fratre ejus, & Jacobo medico, causa nostra secundum superiores excursus ventilata est, & diligenter enucleata, sanaque & irreprehensibilis reperta est, & ab omnibus approbata præsente illo, de quo conqueri sumus, Rodulpho Turonensi archiepiscopo & factoribus ejus, qui pudore ipso in facie notabantur, quod unde nos obligasse putaverant, obligatiores ipsi & reprehensibiliores judicabantur. Multæ denique diversorum graduum & dignitatum assistentes personæ, a quibus excommunicati aut suspecti illorum derogatione habebamur, suo se erasse judicio, & peccasse adversus nos fatebantur, & in majorem solito gratiam venerationemque nos suscipientes, etiam scriptis suis ubicumque congruum videbatur directis satisfecerunt de nobis eis qui non aderant, nullatenus nos esse excommunicatos, aut excommunicatione dignos. Huic synodali definitioni præfuit dominus Hugo Romanæ sedis vicarius, idem ipse primas Galliarum, & Lugdunensis metropolitanus, assidentibus ei Auxiensi & Narbonensi archiepiscopis cum multis diversarum provinciarum episcopis & abbatibus. Sed crudelium & insidiantium nobis obstinata & inveterata obturatio tot sapientum incantatorum

E

ANNO CHRISTI 1094.

rum molliri non potuit conſilio, nec diverti ab odio cui ſemel conglutinata & confederata fuerat perverſæ mentis affectio.

Ibidem quoque notum nobis extitit DOLENSE COLLOQUIUM habitum circa eadem tempora coram Hugone eodem, & Amato archiepiſcopo Burdegalenſi.

DEnique Dolenſi colloquio, quod eo tempore habitum eſt coram primatibus & legatis S. R. E. domno videlicet Hugone, & domno Amato, de quibus prædiximus, præſentibus quoque Cenomanenſi & Pictavenſi præſulibus, multiſque aliis epiſcopis & abbatibus: aſſiſtente etiam domno abbate noſtro BERNARDO, & de congregatione noſtra quamplurimis fratribus, cauſis utrimque replicatis repertum eſt & publico conventu divulgatum, RODULFUM archiepiſcopum Turonenſem, qui in facie cum clero ſuo aderat ante illam male ab eo ſuper nos illatam ſententiam, a domno Amato eſſe excommunicatum clāreſcentibus & propoſitis culpis, de quibus ſe excuſare, ſi voluit, non potuit. *Verum hoc colloquium poſterius fuiſſe videtur Eduenſi quod modo ſequitur concilio.*

ANNO CHRISTI 1094.

CONCILIUM EDUENSE ſive AUGUSTODUNENSE,

FALSO HACTENUS A BARONIO,

Binio, aliiſque nominatum Oſtionenſe, contra Philippum regem Francorum adulterum & inceſtuoſum, in Gallia celebratum, anno Domini MXCIV. tempore Urbani papæ II.

Cauſa concilii.

PHilippus rex Francorum juvenili furore percitus Bertam uxorem legitimam repudiavit, & Bertradam uxorem Fulconis comitis Andegavenſis cognatam ſuam ſibi matrimonio junxit. Qua de cauſa Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus legatione apoſtolica functus concilium indixit, quo geſta & definita ſunt ea omnia quæ a Bertholdo his verbis enarrantur. *In Galliarum*, inquit, *civitate, quam * Oſtionem vulgariter dicunt, congregatum eſt generale Concilium a venerando Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo & ſedis apoſtolicæ legato, cum archiepiſcopis & abbatibus diverſarum provinciarum decimo-ſeptimo Kalendas Novembris. In quo concilio renovata eſt excommunicatio in Henricum regem & in Guibertum ſedis apoſtolicæ invaſorem, & in omnes eorum complices: Item rex Galliarum Philippus excommunicatus eſt, eo quod vivente uxore ſua alteram ſuperinduxit. Item ſimoniaca hæreſis & incontinentia ſacerdotum ſub excommunicatione damnata eſt. Item monachis interdictum eſt in eodem concilio, ne parochialium ſacerdotum officia in parochiis uſurpent. Hæc, inquam, omnia ibi ſunt, conſtituta, & apoſtolica legatione firmata.* Hæc ipſe. Quomodo autem iſtud ipſum judicium rurſus ventilatum eſt in concilio Claramontenſi, & ibi rurſus idem rex eſt excommunicatus ab Urbano papa, infra dicturi ſumus.

* Autun Gallice, at ſive Alemanno ſive Helvetio Bertholdo *Oſtium*, latine Auguſtodunum. Eduorum caput, civitas epiſcopalis in provincia prima Lugdunenſi.

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Ex chronico Virdunenſi Hugonis abbatis Flaviniacenſis; pag. 24. Tom. 1. Bibliothecæ novæ MSS.

Anno ab Incarnatione Domini MXCIV. concilium habitum eſt apud Eduam XXXII. epiſcoporum a domno Hugone Lugdunenſi, cui etiam interfuerunt abbates quamplurimi & viri religioſi. *Hæc ſtrictim attigit Hugo noſter; plura ſubminiſtravit tabularium celeberrimi conventus Majoris Monaſterii.*

Aliud igitur non multo poſt concilium Auguſtiduno celebratum eſt a ſupradicto venerabili primate & archiepiſcopo domno Hugone. Ubi præſente illo infatigabili collactaneo noſtro Rodulfo Turonenſi archipræſule, & domno Hoello Cenomanenſi epiſcopo, ſuffraganeo ejus & fautore, multis quoque eccleſiaſticorum officiorum adminiſtratoribus undecumque adunatis, adſtantibus eiſdem fratribus noſtris, quos in priori concilio annotavimus, cum quibuſdam aliis utrarumque partium cauſæ replicatæ ſunt, quantoque noſtra diligentius eſt perſcrutata, tanto certior laudabiliorque eſt reperta. Illorum autem quo magis mota, tanto reprehenſibilior & faſtidioſior eſt effecta. Unde ad hoc uſque perventum eſt religioſorum patrum qui aderant mediante diligentia, ut pacificatis utrimque querelis omnibus in pacem & concordiam cum archiepiſcopo & clericis ſuis rediremus: fœduſque illud ex auctoritate concilii firmatum literis annotaremus, præter quod archiepiſcopo, priuſquam domno Amato, a quo excommunicatus fuerat, reconciliatus eſſet, minime communicaremus. Sed ut poſtea rei probavit eventus, non tam ex vera caritate huic paci conſenſerunt, quam pro ſynodali increpatione & juſtæ invectionis inexcuſabili confuſione, quod in corde non habebant, in facie ſimulaverunt. Nam mox ut hinc diſceſſum eſt, quidquid ſancitum fuerat, diſruperunt, & in conſuetas adverſum nos obtrectationes & inſidias, quaſi accepto ictu laceſſiti, acerbius inſurrexerunt.

☞ AD CONCILIUM EDUENSE

In cauſa Philippi Francorum regis anno 1094. celebratum.

Canon additus.

Et Mauſ. Suppl. T. II. pag. 131.

QUanquam concilium iſtud ab Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo in Philippum Francorum regem coactum eſt, nonnulla tamen diſciplinæ capita ſta-tuiſſe argumento eſt canon, quem ex eodem concilio laudat Stephanus Tornacenſis in epiſtola prima ad Robertum Pontiniacenſem.

Nul-

Nullus abbas vel monachus canonicos regulares a propoſito profeſſionis canonicæ revocare, atque monaſticum habitum ſuſcipere audeat ut monachi fiant, quamdiu ordinis ſui eccleſiam invenire queant, in qua canonice vivendo Deo ſervire, & animam ſuam ſalvare poſſint. Quod ſi temerario auſu id agere tentaverint, anathematis vinculo obligentur. ANNO CHRISTI 1094

Quandoquidem vero Labbeus cum hoc Eduenſi concilio Auguſtodunenſe ab eodem Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo A. S. L. eodem anno 1094. celebratum conjungit; juvat hic literas ejuſdem Hugonis ad hoc concilium invitantes dare ex Baluz. Miſcellan. t. VI. pag. 423.

LITERÆ HUGONIS LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPI.

Ad Lambertum epiſcopum Atrebatenſem quibus eum invitat ad concilium Auguſtodunenſe.

Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus venerabili in Chriſto fratri Lamberto Atrebatenſi epiſcopo ſalutem.

NOvit fraternitatis veſtræ dilectio quam frequentibus domni papæ Urbani literis de convocanda in Gallia ſynodo ſim commonitus & obedientia adſtrictus, & quod diutius onus illud ſuſcipere recuſaverim. Quia vero ulterius repugnare nec volui, nec debui, tandem conſilio domni abbatis Cluniacenſis, & religioſorum virorum epiſcoporum, atque abbatum apud Auguſtidunum idus octobris concilium habendum deſignavimus; ad quod dilectionem veſtram apoſtolica auctoritate invitamus. Et quamvis credamus vos non ignorare quid de cariſſimo fratre noſtro Remenſi archiepiſcopo, vel de privilegio, quod ab apoſtolica ſede accepit domnus papa nobis mandaverit, ipſa tamen ejus ſcripta vobis direximus, quibus nos de eis poſt aliqua in hæc commonuit verba. Et nos Remenſi eccleſiæ debitam reverentiam conſervantes in privilegio quod confratri noſtro Rainaldo archiepiſcopo dedimus & ſtatuimus, ne ejus cauſæ alterius niſi Romani pontificis arbitrio decidantur, quod & de cæterorum epiſcoporum majoribus cauſis canonum ſcita conſtituerunt. Quod videlicet ita ſentiendum eſt, ut nullus Primas quaſi pro peculiari eccleſiæ ſuæ reverentia id præſumat exigere. Cum vero Legato Romani pontificis ſubjicitur, ipſi ſoli ſubjicitur, cujus per legatum vices aguntur. Et ipſum ergo Remenſem, & cæteros qui legationi tuæ ſolent eſſe ſubjecti ad concilium tuæ ſolicitudinis ſtudium convocet, & eccleſiæ ſanctæ utilitatibus omni diſſimulatione ſepoſita ferventer inſudet. Juxta hæc ergo domni papæ verba ad denominatum concilium fraternitatem veſtram cum abbatibus veſtris apoſtolica auctoritate invitamus, quia de amicitia veſtra confidimus, & in re tanta utile amici conſilium & perneceſſarium nobis eſſe ſcimus. Nos quoque conſiliis tuis acquieſcere Deo volente parati ſumus. ANNO CHRISTI 1094

ANNO CHRISTI 1095.

CONCILIUM PLACENTINUM

ANNO CHRISTI 1095.

IN CAUSA PRAXEDIS REPUDIATÆ IMPERATRICIS

Philippi regis Francorum, & Alexii imperatoris Conſtantinopolitani contra Saracenos auxilium petentis celebratum, anno MCXV. tempore Urbani papæ II. circa mediam quadrageſimam cum naſcitur humor in herbis.

De rebus in hac ſynodo geſtis, deque canonibus in eadem conſtitutis, Bertholdus ſcriptor hujus temporis ſcribit ea quæ ſequuntur: Dominus papa, Deo & ſancto Petro proſperante, jam pene ubique prævaluit, & in media Longobardia in civitate Placentina inter ipſos ſchiſmaticos, & contra ipſos, generalem ſynodum condixit, ad quam epiſcopos Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alemanniæ, Bajoariæ, aliorumque provinciarum canonica & apoſtolica auctoritate miſſis literis convocavit. Facta eſt autem hæc ſynodus circa mediam quadrageſimam Placentiæ: ad quam ſynodum multitudo tam innumerabilis confluxit, ut nequaquam in qualibet eccleſia illius loci poſſet comprehendi. Unde dominus papa extra urbem in campo illam celebrare compulſus eſt. Hoc tamen non abſque probabilis exempli auctoritate: nam primus legislator Moyſes populum Dei in campeſtribus, legalibus præceptis, Deo jubente, inſtituit: & ipſe dominus non in domibus, ſed in monte & in campeſtribus, diſcipulos ſuos evangelicis ſtatutis informavit. Miſſas quoque nonnunquam extra eccleſiam ſatis probabiliter, neceſſitate quidem cogente, celebramus, quamvis eccleſias earum celebrationi ſpecialiter deputatas non ignoramus.

Res geſtæ in ſynodo Placentina.

In hac ſynodo Praxedis jamdudum a Henrico ſeparata, ſuper maritum ſuum domino apoſtolico & ſanctæ ſynodo conqueſta eſt de inauditis fornicationum ſpurcitiis, quas apud maritum paſſa eſt. Cujus querimoniam dominus papa cum ſancta ſynodo ſatis miſericorditer ſuſcepit, eo quod ipſam tantas ſpurcitias non tam commiſiſſe, quam invitam pertuliſſe pro certo cognoverit. Unde & de pœnitentia pro hujuſmodi flagitiis injungenda illam clementer abſolvit, quæ & peccatum ſuum ſponte & publice confiteri non erubuit.

Ad hanc ſynodum Philippus rex Galliarum legationem ſuam direxit, ſeque ad illam iter incepiſſe, ſed legitimis * ſociis ſe impeditum fuiſſe, mandavit. Unde inducias ſibi uſque ad pentecoſten apud dominum papam ſynodum intercedente impetravit. Dominus autem Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus ad eamdem ſynodum vocatus, ab officio ſuſpenditur, eo quod ipſe non venerit, nec legatum cum canonica excuſatione illuc pro ſe direxerit.

* conſ.

Item legatio Conſtantinopolitani imperatoris ad hanc ſynodum pervenit, qui dominum papam omneſque Chriſti fideles ſuppliciter implo-

Legatio Alexii imperatoris ad concilium Placentinum

civitatis obtinuerant. Ad hoc ergo auxilium dominus papa multos incitavit, ut etiam jurejurando promitterent se illuc, Deo annuente, ituros, & eidem imperatori contra paganos pro posse suo fidelitlunum adjutorium collaturos. ANNO CHRISTI 1095.

Canones concilii Placentini. Hæc autem inter alia in illa synodo constituta sunt, ut ad pœnitentiam nullo modo reciperentur, qui concubinas & odium ex corde, & quodlibet mortale peccatum dimittere nollent. .

Item ut nullus presbyter aliquos ad pœnitentiam reciperet, nisi cui proprius episcopus hanc curam commisisset.

Item ut quibuslibet rite ad confessionem venientibus eucharistiam non denegemus, quos solo corpore non mente inter excommunicatos manere, nec tamen eorum sacramentis communicare cognoscimus. B

In hac quoque synodu hæresis simoniacorum penitus damnata est, ut quidquid in sacris ordinibus & ecclesiasticis rebus data & promissa pecunia acquisitum simoniace videretur, pro irrito haberetur, nullasque vires habuisse & habere judicaretur. His tamen, qui non simoniace & nescienter a simoniacis ordinati sunt, misericordia in servando ordine concessa est: qui vero scienter ab hujusmodi ordinati sunt, cum suis ordinatoribus irrecuperabiliter damnati sunt.

Item hæresis Nicolaitarum, id est incontinentium subdiaconorum, diaconorum, & præcipue sacerdotum, irretractabiliter damnata est, ut deinceps de officio se non intromittant, qui C in illa hæresi manere non formidant; nec populus eorum officia ullo modo recipiat, si ipsi Nicolaitæ contra hæc interdicta ministrare præsumant.

Item hæresis Berengariana jam ab antiquo sæpissime anathematizata iterum damnata est, & sententia catholicæ fidei contra eamdem, firmata videlicet quod panis & vinum, cum in altari consecrantur, non solum figurate, sed etiam vere & essentialiter, in corpus, & sanguinem domini convertantur.

Item in Guibertum hæresiarcham sedis apostolicæ invasorem, & in omnes ejus complices, sententia anathematis synodali judicio cum ardentibus candelis iterum promulgata est. D

In hac synodo quatuor millia fere clericorum, & plusquam triginta millia laicorum fuisse perhibentur.

In hac synodo constitutum est ut pro chrismate & baptismo & sepultura nihil unquam exigatur.

Item ut jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur, scilicet primum in prima hebdomada quadragesimæ, secundum in hebdomada pentecostes, tertium vero & quartum in Septembri & Decembri solito more fiant. Huic synodo reverendissimi antistites interfuerunt, de Bajoaria quidem Dimo Saltzburgensis archiepiscopus, & Udalricus Pataviensis, episcopus ejus suffraganeus: de Alemannia vero Gebehardus Constantiensis episcopus, qui & Arnulphum Mediolanen- E sem archiepiscopum, diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore ex concessione domini papæ Mediolani consecrare.

Arnulphus episcopus Mediolanensis consecratur

Ipse quoque domnus papa Udalricum Augiensem abbatem eo tempore consecravit, qui itidem prædictæ synodo interfuit, cui in præsentia Constantiensis episcopi omnem episcopalem potestatem in clerum & populum Augiensis insulæ interdixit, quam dudum Constantiensi episcopo concessit. Abbas tamen ille non multo post de illa potestate se intromisit. Unde querimonia facta ab episcopo, dominus papa illum missis literis ab hujusmodi præsumptione iterum compescuit. *Hucusque de synodo Placentina Bertholdus. Porro ejusdem concilii quindecim canones continentur in codice scripto * Anselmi Lucensis libro septimo decretorum ab eadem synodo Placentina statuti, his quæ sunt recitata superius consentientes, ut hic ipsos describere non sit opus.* ANNO CHRISTI 1095.

* Vide paulo post observationem Lucæ Holstenii adversus Baronium ex quo ista deprompsit Binius

Sed non pigeat audire de tanta synodo etiam Dominizonem, qui aderat, hæcque de ipsa metro cecinit licet inculto, veraci tamen:

Tunc pastor sanctus synodum celebravit, & annus
Christi millenus nonagenus quoque quintus,
Primus erat mensis, quo nascitur humor in herbis.
Ore sacerdotum damnantur facta malorum.
Adfuit his dictis Praxedis atque Mathildis.
Catholicos plene benedixit papa fideles.
Hanc synodum sanctam Placentia continet ampla.
Expleta synodo dominus quem sæpe recordor
Papa vale dixit, clericis comitatus abivit,
Per multas urbes curans convertere plures,
Gallia quem patrem suscepit maxima carum.

Additio Philippi Labbe S. J.

Eadem Urbani papæ II. synodus Placentinæ habita circa mediam quadragesimam adversus simoniacas & schismaticas ordinationes.

Ex parte II. collectionis Romanæ Bipertitæ V.C. Lucæ Holstenii.

Cardinalis Baronius anno MXCV. ubi synodi Placentinæ historiam ex Bertholdo Constantiense narravit, subjungit ejusdem concilii quindecim canones contineri in codice scripto Anselmi Lucensis libro VII. decretorum. Qua in re eum memoria vel potius amanuensium oscitantia fefellit. Neque enim canones illos Placentinos in suam collectionem referre potuit Anselmus, qui novennio ante decesserat: nec Vaticani codices citato libro VII. vel alibi eosdem agnoscunt. Tum vero XIV. tantum capitula statutorum libri probatissimi bibliothecæ Vaticanæ referunt; ubi Baronii schedæ septimo in duo male divulso XV. exhibent: quod obiter monendum existimavi, ne forte tanti viri auctoritas nostræ editionis fidem ambiguam reddat.

In mss. codice præfiguntur hi duo versiculi:
Urbani papæ decretum pontificale
Conditor hic scripto formoso denique dicto.

INCIPIUNT ACTA SYNODI.

Anno dominicæ incarnationis MXCV. * Ind. III. celebrata est Placentiæ synodus præsidente domino Urbano papa, cum episcopis & abbatibus, tam Galliarum, quam & Longobardiæ & Tusciæ. Facta autem magna est * consultatio (de his qui ecclesias vel præbendas emerant sed &) de iis qui in schismate Guibertino fuerant ordinati. Et primo quidem ac tertio die in campo concilium sedit. Tantus enim convenerat populus, ut nulla eos ecclesia caperet: exemplo quidem Moysi deuteronomium commendantis, & Domini nostri Jesu Christi docentis in loco campestri. Septimo tandem die post tractationem * diutinam hæc sunt capitula prolata, & assensu totius concilii comprobata.

* *Kal. Martii ex auctario ms. ea Barberino, ut habent mss. variæ lectiones a R. P. Prostino S.I.*
* *concertatio Barb.*
* *diuturnam Barber.*

CA-

ANNO CHRISTI 1095.

CAPITULA STATUTORUM.

At in mſ. quod vidimus: Incipiunt capitula Placentini conventus de prave ordinatis & his qui eccleſias aut præbendas emerunt.

CAPUT I. (a).

EA, quæ a ſanctis patribus de ſimoniacis ſtatuta ſunt, nos quoque * judicio eorum & apoſtolica auctoritate firmamus.

* Sancti ſpiritus judicio, *uterque eodem & vulgo & B.*

CAPUT II.

Quidquid igitur in ſacris ordinibus, vel in eccleſiaſticis rebus vel data vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas umquam vires obtinere cenſemus.

CAPUT III.

Si qui (b) tamen a ſimoniacis non ſimoniace ordinati ſunt, ſi quidem potuerint, ſe, cum ordinarentur, eos neſciſſe ſimoniacos, * & tum pro catholicis habebantur in eccleſia, talium ordinationes miſericorditer ſuſtinemus, ſi tamen laudabilis eos vita commendat.

* Tunc tamen.

CAPUT IV.

Qui vero ſcienter ſe (c) a ſimoniacis conſecrari, imo execrari paſſi ſunt, eorum conſecrationem omnino irritam eſſe decernimus.

CAPUT V.

Quicumque ſane cupiditate parentum, cum adhuc parvuli eſſent, eccleſias, vel eccleſiarum * partes per pecunias adepti ſunt; poſtquam eas omnino dimiſerint, ſi canonice in eis vivere voluerint, pro * miſericordia ibidem eos eſſe * cenſemus. Neque pro hoc facto a ſacris ordinibus removemus, ſi alias digni inveniantur.

* beneficia
* magna
* Concedimus

CAPUT VI.

Illi vero qui per ſe ipſos cum * majoris eſſent ætatis, nefanda cupiditate ducti eas emerunt, ſi in aliis eccleſiis canonice vivere voluerint, ſervatis propriis ordinibus pro magna miſericordia ibi eos miniſtrare permittimus. Quod ſi ad alias (d) transferri fortaſſe non poterunt, & in eis canonice vivere * promiſerint, minoribus ordinibus contenti ad * ſacros ordines non accedant. Salva tamen in omnibus apoſtolicæ ſedis auctoritate.

* jam
* voluerint
* majores

CAPUT VII.

Si qui tamen ante emptionem catholice ordinati ſunt, ſi ea quæ emerunt dimiſerint, & vitam canonicam egerint, in ſuis gradibus (e) permittantur. Niſi forte ejuſdem eccleſia ſit, ut ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim vel ſingularem, (f) vel præpoſituræ * locum in emptis eccleſiis eos habere non (g) patimur.

vel officii

CAPUT VIII.

Ordinationes * quæ a Guiberto hæreſiarcha factæ ſunt, poſtquam ab apoſtolicæ memoriæ papa Gregorio & a Romana eccleſia eſt damnatus, irritas eſſe judicamus.

* In mſ. hic incipit ſecundus canon: omnia enim præcedentia unicum tantum canonem conſtant diviſa ab aliis in ſeptem.

CAPUT IX.

Similiter etiam & eas quæ a cæteris hæreſiarchis nominatim excommunicatis factæ ſunt, & ab eis, qui catholicorum (h) adhuc viventium epiſcoporum ſedes (i), invaſerunt: niſi probare valuerint, ſe, cum ordinarentur, eos neſciſſe damnatos.

CAPUT X.

Qui vero ab epiſcopis quondam quidem catholice ordinatis, ſed in * (k) ſchiſmate a Romana eccleſia ſeparatis, conſecrati ſunt; eos nimirum (l) cum ad eccleſiæ unitatem redierint, ſervatis propriis ordinibus miſericorditer ſuſcipi, jubemus, (m) ſi vita & ſcientia eos (n) commendat.

* hoc

CAPUT XI.

Amodo vero quicumque a prædictis ſchiſmaticis, ſanctæque Romanæ eccleſiæ adverſariis ſe ordinari permiſerit, nullatenus hac venia dignus habeatur.

CAPUT XII.

Quamvis autem miſericordiæ intuitu, magnaque neceſſitate cogente, hanc in ſacris ordinibus diſpenſationem conſtituerimus, nullum tamen præjudicium ſacris canonibus fieri volumus; ſed obtineant proprium robur. Et ceſſante neceſſitate, illud quoque ceſſet quod factum eſt pro neceſſitate. Ubi enim multorum ſtrages jacet, ſubtrahendum eſt aliquid ſeveritati, (o) ut * demus amplius caritati.

* addatur
* apoſtolicæ *ſubjungit ſed Barb.*

CAPUT XIII.

Illud * quoque præcipimus, ut pro chriſmate, & baptiſmo, & ſepultura nihil umquam exigatur.

* In mſ. hic tertius dumtaxat canon incipit

CAPUT XIV.

Statuimus * etiam, ut jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur. Primum jejunium in initio quadrageſimæ; ſecundum in hebdomada pentecoſtes; tertium & quartum in Septembri & Decembri more ſolito fiant.

Explicit ſynodus Placentina Urbani Papæ II. *In mſ. eminentiſſ. cardinalis Franciſci Barberini ſubjicitur* IV. *canon in hunc modum.*

* ibidem hic quartus Placentinus canon II.

CAPUT XV.

Sanctorum canonum ſtatutis conſona ſentientes decernimus, ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in qua quislibet titulatus eſt, in ea perpetuo perſeveret. Omnino autem in duabus * aliq.... titulari non liceat, ſed unuſquiſque in qua titulatus eſt, in ea tantum canoni-

* Forte, *aliquem*. H.

cus

(a) *Dantur variantes ex cod. Vindobonenſi.* (b) Ab occulte ſimoniacis. (c) A publice ſimoniacis. (d) Forte transferri. (e) Permittantur, nec promoveri prohibeantur. (f) Ibi præpoſiture vel officii locum (g) Permittimus. (h) & adhuc. (i) Invaluerunt factæ ſunt, irritas eſſe judicamus. *Reliqua hujus canonis deſunt.* (k) hæc ſchiſmate. (l) Deeſt cum ad eccl ſiæ unitatem redierint. (m) Si tamen vita. (n) Commendat & ſi his noſtris decretis cognitis mox ab errore ad Eccleſiam tranſierint & nobis noſtriſque ſe legatis per omnia obedire promiſerint. (o) ut addatur.

ANNO CHRISTI 1095. * Forte, in quo H

cus habeatus. Licet enim epiſcopi diſpoſitione A unus diverſis præeſſe debeat eccleſiis, canonicus aut præbendarius, niſi unius tantum eccleſiæ, * quæ conſcriptus eſt, eſſe non debeat. Si quæ tamen capellæ iunt, quæ ſuis redditibus clericos ſuſtinere non poſſint, earum cura aut diſpoſitio præpoſito majoris eccleſiæ cui capellæ ſubditæ eſſe videntur, immineat, & tam de poſſeſſionibus, quam & de eccleſiaſticis capellarum officiis ipſe provideat.

Hæc ſunt eadem ut verba, non Labbei.

In eodem etiam concilio antiquis IX. *præfationibus decima addita eſt, quæ ita ſe habet*: æquum & ſalutare nos tibi ſemper & ubique gratias agere domine ſancte pater omnipotens æterne Deus, & te in veneratione beatæ Mariæ ſemper virginis collaudare benedicere & prædicare, B quæ & unigenitum tuum ſancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente æternum mundo lumen effudit Jeſum Chriſtum dominum noſtrum.

Item poſt alia: (Illud ſummopere & apoſtolicæ auctoritatis privilegio prohibentes interdicimus, ut nullus in clericali ordine conſtitutus, nulluſque monachus, epiſcopatus aut abbatiæ, aut cujuslibet dignitatis inveſtituram de manu laici ſuſcipere audeat, quod ſi præſumpſerit .... mulctetur.

Auctor chronici Malleacenſis ſtrictim attingere non prætermiſit his verbis: Eodem anno MCXIV. Urbanus papa Placentiæ tenuit concilium: *Idem quoque anonymus unico verbulo monuit*, anno præce- C denti MXCIII. fuiſſe concilium apud Burdegalam *de quo nihil dum reperi apud cæteros vetuſtatis eccleſiaſticæ ſedulos indagatores*.

Cæterum monendus es, lector, Philippum regem Francorum ab Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo in concilio Auguſtodunenſi anno præcedenti communione eccleſiaſtica privatum legatos ſuos miſiſſe ad Urbanum papam qui tunc Placentiæ concilium celebrabat circa mediam quadrageſimam, & inducias uſque ad pentecoſten intercedente ſynodo impetraviſſe, qua de re plura Ivo Carnotenſis epiſt. 46. ad Urbanum.

Urbano ſummo pontifici, Ivo ſanctitatis ſuæ filius fidelium orationum munus.

VEnturi ſunt ad vos in proximo nuntii ex parte regis Francorum, per quorum os locuturus eſt ſpiritus mendax, qui infatuati adeptione vel promiſſione * honorum eccleſiaſticorum infatuare * molientur * ſedem juſtitiæ. Contra quorum calliditatem a parvitate mea vigilantiam veſtram volo eſſe præmonitam & præmunitam, quatinus rigorem veſtrum promiſſiones eorum non emolliant, comminationes non exterreant. Quicquid enim dicent, jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, niſi aut arcum remittatis, aut gladium ſuſpendatis. Qui ergo venturi ſunt confidentes in calliditate ingenioli ſui, & venuſtate linguæ ſuæ, prædictis de cauſis impunitatem flagitii ſe impetraturos regi a ſede apoſtolica promiſerunt: hac ratione ex parte uſuri, regem cum regno ab obedientia veſtra diſceſſurum, niſi coronam reſtituatis, niſi regem ab anathemate abſolvatis. Si autem impœnitenti venia concedatur, quanta ſpes impune peccandi peccantibus de cætero relinquetur, non eſt meum inſtruere veſtram prudentiam, cujus potiſſimum intereſt delinquentium errata non fovere, ſed ferire. Si autem aliqui ſubdoli evidenter ab unitate matris ſuæ diſcedunt, qui jam pridem mente diſceſſerunt: conſoletur ſanctitatem veſtram divinum reſponſum: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum*, & illud apoſtoli: *Oportet hæreſes eſſe, ut hi qui probati ſunt manifeſti fiant*. De cætero volo ſciat vigilantia veſtra, quia ex præcepto regis, Remenſis, & Senonenſis, & Turonenſis archiepiſcopi invitaverunt ſuffraganeos epiſcopos, ut poſt reſponſa veſtra apud Trecas prima dominica poſt feſtivitatem omnium ſanctorum conveniant. Quo invitatus ire diſſimulo, niſi veſtro conſilio munitus timens ne quid contra juſtitiam, & ſedem apoſtolicam moliatur ille conventus. De his itaque, & de his quæ circa vos ſunt, quæ libuerit reſcribat mihi veſtra paternitas, ut in adverſis compati, & in lætis valeam congratulari. Valete.

ANNO CHRISTI 1095. 2. Reg. 19 2. Cor. 11.

In hoc Concilio confirmata fuit Bulla pro Monaſterio S. Ægidii, ut patet ex ſequenti documento, cui plures Concilii Patres ſubſcripſere.

Ex Baluzio Miſcel tom. 6. p. 332.

URbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis per Gothicam provinciam fidelibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Notum omnibus vobis volumus quia dilectus filius noſter Raimundus Toloſanus Comes tam noſtris quam aliorum religioſorum virorum monitis excitatus & omnipotentis Dei timore compunctus partem imo rapinam quam ex parentum ſuorum invaſione in altari ſancti Ægidii & reliquis ipſius altaris Eccleſiæ altaribus habere ſolitus erat Deo ac ſanctæ Dei genitrici Mariæ ſanctiſque Apoſtolorum principibus Petro ac Paulo & beato confeſſori Ægidio reddidit. Quæ redditio ſive dimiſſio in Toloſana Synodo facta eſt coram Legato noſtro Bernardo Toletano archiepiſcopo & pluribus tam epiſcopis quam abbatibus. Item in feſtivitate ſancti Ægidii coram eodem Legato noſtro aliiſque quamplurimis epiſcopis vel abbatibus eandem redditionem cum uxore ſua Hervira & filio Bertranno ſuper altare beati Ægidii confirmavit, duobus illic nummis Ægidienſis monetæ poſitis. Igitur nos ſecundum ipſius Comitis poſtulationem pro ſua & parentum ſuorum ſalute factum hoc auctoritate apoſtolica confirmamus & omnipotentis Dei miſericordiam deprecamur quatenus quod de rerum eccleſiaſticarum uſurpatione hactenus admiſerunt ſua eis propitiatione indulgeat & a ſuorum delictorum vinculis per ſanctorum apoſtolorum & ſancti Ægidii merita & preces abſolvat. Porro tam ipſum quam ejus poſteros univerſos, ſi altarium oblationem ulterius invadere tentaverint, anathemati ſubjicimus & ab univerſo Eccleſiæ conſortio ſegregamus. Quicunque etiam vel ab ipſo Comite vel ab aliquo quolibet de oblationibus illis feudum tenet, hujus decreti tenore cognito niſi omnino Eccleſiæ reddiderit, eidem anathemati ſubjaceat. Ipſis etiam monachis ſub anathemate interdicimus ne ullo unquam tempore laicorum cuiquam in ipſis altarium oblationibus partem habere permittant. Alioquin & qui dederit & qui receperit anathemati quod propoſuimus ſubjacebit. Data per manum Joannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis Cremonæ XII. Kalendas Martii, indict. III. anno ab incarnatione Domini MXCV. pontificatus vero Domni Urbani Papæ ſeptimo.

Relecta vero & confirmata in Concilio quod idem Papa Placentiæ celebravit.

Ego Joannes Portuenſis epiſcopus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Albertus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Ricardus presbyter Cardinalis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Maſſilienſis abbas ſubſcripſi.

Ego

* quidam, bonum * al molimur. * ſic vocat Romam ep. 91.

Ita ex v. c. Matt. 23.

Adi ep. 28. & 111.

ANNO CHRISTI 1095.

Ego Bonus Senior presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Teuzo presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Dalbertus Pisanus Archiepiscopus subscripsi.

Ego Rodulfus Turonensis archiepiscopus subscripsi.

Hugo Cardinalis Diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ subscripsi.

Herimannus Cardinalis.

Ego Philippus Lunensis episcopus subscripsi.

Ego Aurasicensis episcopus Gilelmus subscripsi.

Ego Rogerius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus subscripsi.

Ego Joannes Portuensis Cardinalis episcopus subscripsi.

Ego Willelmus Ausciensis archiepiscopus cum meis suffraganeis, scilicet Dodo Bigorritano episcopo, Sancio Lascurrensi episcopo, Ottone Olorense episcopo, Willelmo Consorano episcopo, subscripsi.

Ego Imolensis episcopus Otto subscripsi.

Ego Rodulfus Reginus archiepiscopus subscripsi.

Petrus Venetus Patriarcha, Petrus archiepiscopus Mediolanensis, Gotafridus episcopus Magalonensis, Berengarius episcopus Porojuliensis, Amatus archiepiscopus Burdegalensis, Aldebertus archiepiscopus Bituricensis, Petrus archiepiscopus Aquensis, Fulco Belvacensis episcopus interfuerunt.

Tetbaldus Bercellensis abbas laudavit. Poncius abbas Casæ Dei, Frotardus abbas sancti Pontii.

Isti & omnes archiepiscopi, episcopi & abbates in Placentina Synodo residentes hanc dimissionis chartam præcepto Domini Papæ laudaverunt & confirmaverunt, ac hujus dimissionis deinceps invasorem vel subreptorem perpetuo anathemati subdiderunt, & monasterium omne, si aliquando invasio accideret, ab omni divino officio interdicendo cessare jusserunt.

☞ AD PLACENTINUM CONCILIUM

Contra simoniacos & schismaticos anno 1095. celebratum.

ADDITIO.

Suppl. Mansi t. II pag. 132 Anno 1095.

Concilii hujus canones quidam extant, acta integra non extant, ut ex iis quæ apud Labbeum congesta sunt, facile omnes intelligunt. Ego canonis secundi additamentum quoddam, quod in tractatu Gerhoi adversus simoniacos in anecdotis Martene tom. V. pag. 1471. deprehendi proferam, tum & addam fragmentum quoddam actorum ejusdem concilii desumptum ex annalista Saxone Eccardi ad A. 1000 Ita ergo canon II. apud Gerhoum.

Placentinum concilium præsidente Urbano papa celebratum dicit.

Quidquid in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus data vel promissa pecunia *obsequio*, aut *lingua* acquisitum est, nos irritum esse, & nullas vires unquam obtinere censemus.

Annalista Eccardianus: de ordinationibus vero ejusdem Wicberti Urbanus papa in Placentino concilio tale decretum promulgavit, inter cætera dicens:

Ordinationes quæ a Wicberto hæresiarcha, postquam ab apostolicæ memoriæ Gregorio, & a Romana ecclesia est damnatus, & a cæteris hæresiarchis nominatim excommunicatis, & ab his, qui catholicorum & adhuc viventium episcoporum sedes invaserunt factæ sunt, irritas esse omnino judicamus; qui vero ab episcopis quondam quidem catholice ordinatis, sed in hoc schismate a Romana ecclesia separatis consecrati sunt, eos nimirum servatis propriis ordinibus misericorditer suscipi jubeatis; si tamen vita, & scientia eos commendat, & his nostris decretis cognitis mox ab errore ad catholicam ecclesiam transierint, & nobis nostrisque imperatis se per omnia obedire promiserint. Amodo vero quicumque a prædictis schismaticis, sanctæque ecclesiæ adversariis se ordinari permiserint, nullatenus hac venia digni habeantur: quamvis autem misericordiæ intuitu, magnaque necessitate cogente, hanc in sacris ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen præjudicium sacris canonibus fieri volumus, sed obtineant proprium robur; nam cessante necessitate, illud quoque cesset, quod pro necessitate factum est. Ubi enim multorum strages jacet, subtrahendum est aliquid severitati, ut amplius addatur caritati.

Huc etiam facit diploma sequens Urbani papæ II. in quo de celebri lite inter Tricastinos, Arausicanosque sopita in concilio testimonium fertur.

Ex Gall. Chr. nov. edit. to. I. pag. 119. ap pend.

Urbanus &c. Ad præsentium notitiam & futurorum memoriam non latere volumus, quoniam inter Tricastinos & Arausicos diuturna contentio habita est; Tricastinis quidem de unitione, Arausicis vero de parochiarum ecclesiarum divisione contestantibus. Et concertatio cum reverendissimo pontifici Gregorio prædecessori nostro .... Arausici ... literas dirigens, legatum pro hujus rei discussione ad eos se missurum pollicitus est: quod tamen postea ... indagare nequivimus. In hac autem suspensione .....G.... ecclesiam episcopus electus & consecratus est. Tricastinus ergo episcopus Pontius Arausicensem ecclesiam asserens

rens per multos annos a ſuis prædeceſſoribus fuiſſe poſſeſſam: querelam hanc cum ad noſtras aures pro multis eccleſiæ Romanæ perſecutionibus proferre non poſſet in pluribus tranſalpinis conciliis exponi procuravit. Noviſſime cum ad noſtram notitiam perveniſſet, nos quoque eam ad concilii proxime celebrandi audientiam differri præcepimus. Interim venerabili fratri noſtro Guillelmo Arauſicenſi epiſcopo ſignificare curavimus, ut ad ſynodum veniens, ſe ad defendendum hujuſmodi negotium præpararet. Cum autem veniſſet, ipſe quidem diviſionis iſtius canonicas cauſas proferre non potuit; Tricaſtinus vero poſt diuturnam & pluſquam centenariam poſſeſſionem venerabilium pontificum Romanorum, & Gregorii, & Alexandri privilegiis, cauſæ ſuæ partes tuebatur. Quare nos de Gregorii decreto, quo ab ipſa fuit eccleſia potitum, quædam inter fratres noſtros quæſtio orta eſt, placuit alium adhuc definiendi cauſæ terminum adhiberi, in quo, & Arauſicenſis epiſcopus, ſi quam poſſet, defenſionem nanciſceretur, & Tricaſtinæ eccleſiæ clerici de eodem privilegio nos jurejurando facerent certiores. Cumque .... conveniſſent & confrater noſter Arauſicenſis epiſcopus, ſicut promiſerat non veniſſet, nec excuſationes aliquas præmiſiſſet, & tunc nobis placuit negotii finem in tempus aliud protelari. Cæterum clericis, & itineris difficultates, & rerum longa diſpendia prætendentibus, nec longiores poſſe moras pati inſtantiſſime proclamantibus, viſum eſt fratribus noſtris tam epiſcopis, quam & noſtræ apoſtolicæ eccleſiæ cardinalibus, ut Tricaſtinorum clericorum ſatisfactionem ſuſcipere deberemus. Tres itaque Tricaſtinæ eccleſiæ clerici ſuper evangelia ſacroſancta jurarunt ſe vidiſſe & legiſſe Romani pontificis Gregorii bullarum privilegium Bonifacio Tricaſtino epiſcopo attributum, per quod prædictæ eccleſiæ fuerant counitæ. Cujus videlicet privilegii tenorem ſecutus S. memoriæ pontifex Alexander II. præfatas eccleſias cenſuerat ſub uno ſemper epiſcopo permanere. Poſt hoc Arauſicenſis epiſcopus cum eccleſiæ ſuæ clericis veniens, eas quas præſignavimus Gregorii papæ VII. literas, detulit; alia quoque chartarum monimenta monſtravit, quibus & rerum veritas certius claruit, & Tricaſtinorum relatio vires accepit. Et nos ergo inſtrumentis talibus roborati ſecundum fratrum noſtrorum judicium prætenti decreto ſancimus, ut defuncto fratre noſtro venerabili epiſcopo, qui ad præſens Arauſicenſi eccleſiæ præſidet, utraque mox eccleſia in priſtinam redeat unitatem; niſi forte poſt proximam quam præparante Domino expectamus Pentecoſten infra unius anni ſpatium .... conſtiterit eas certo Romani pontificis præcepto, & decreto fuiſſe diviſas. Alioquin omnis ſopiatur ... ut defuncto contratre noſtro ſuperius nominato epiſcopo eadem eccleſia ad aliam tranſeat. Illa vero quæ hactenus prima habita eſt, & deinceps principatum obtineat. Ita tamen ut epiſcopus qui utrique præfuerit nihil de proventionibus clericorum, redditu, ornatu, miniſteriis, quæ vel quomodocumque in alterius patrimoniis habentur, modo quocumque vel occaſione qualicumque patiatur imminui. Si quis vero hanc noſtræ conſtitutionis paginam &c. Actum Cremonæ XVII. Kal. maji ..... anno Dom. Incarnat. MXCV.

Denique in MS. codice bibliotheca cathedralis Lucenſis, in quo Burchardi decreta, & ad illa anonymi cujuſdam additamenta quædam extant ſub hoc ipſo concilii Placentini tempore ſcripta, poſt vulgatas hujus concilii canones, hoc, quod ſubdo, additamentum legitur, quod occaſione poſtremi canonis hujus concilii ſcriptum, vel forte etiam in eodem concilio coram patribus lectum ſuſpicor.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM QUATUOR TEMPORUM,

Et de ordinatione faciendа in initio quadrageſimæ & hebdomadæ Pentecoſtes.

Licet nova conſuetudo eccleſiæ nulla fulta auctoritate ſemper numeret inter jejunia & ordinationes quatuor temporum primam hebdomadam primi menſis martii, & ſecundam quarti, ideſt junii; vetuſta auctoritas ſanctorum patrum eſt, ut in initio quadrageſimali, & in hebdomada pentecoſtes debeant obſervari.

Unde Leo papa ait: *hujus obſervantiæ utilitas dilectiſſimi in eccleſiaſticis præcipue eſt conſtituta jejuniis, quæ ex doctrina S. Spiritus, ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem jejunium vernale in quadrageſimam, æſtivum in Pentecoſten, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc quidem decimo celebremus.*

Item Gelaſius. *Ordinationes ſunt presbyterorum & diaconorum* quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi, ſed etiam quadrageſimalis initii: * ac mediana quadrageſimæ die ſabathi, ac proinde B. papa Gregorius & Felix, octavus ejus Simachus, atque Simplicius leguntur, ordinationes in februario celebraſſe, ſcilicet quadrageſimali tunc initio concurrente. De jejunio autem quarti menſis a Gelaſio dicti, quod juxta Leonem papam ſemper eſt in hebdomada Pentecoſtes, a multis ambigitur. Sic enim Leo papa inquit de jejunio & ordinatione ejus. *Poſt perceptum ſancti ſpiritus donum* ſalubriter & neceſſarie conſuetudo eſt inſtituta jejunii, ut ſi quod forte inter ipſa feſtivitatum gaudia negligens libertas, & licentia immoderata præſumpſit, hoc religioſæ abſtinentiæ cenſura caſtiget, quæ ob hoc quoque ſtudioſius exequenda eſt, ut illa in nobis, quæ in hac die eccleſiæ divinitus ſunt illata perveniant.

Gelaſ. Epiſt. ad Epiſc. Lucan. can. XI.

* In vulgatis Gelaſii eſt *jejunii*.

Item: repletis namque apoſtolis virtute promiſſa, & in corda eorum ſpiritu veritatis impreſſo, non ambigimus inter cætera cœleſtis doni ſacramenta, doctrinam, ac ſpiritualis continentiæ diſciplinam de Paracliti magiſterio divinitus fuiſſe conceptam ut ſanctificatæ jejunio mentes conferendis ſibi charismatibus fierent aptiores, in quibus duobus exemplis latis oſtenditur ad conferendos ſacros ordines ab apoſtolis jejunia conſtituta fuiſſe.

Sicque jejunia quadrageſimalis initii ac Pentecoſtes ad formam ſeptimi & decimi in libris ſcribuntur ſacramentariis: unde quarta feria primi termini duo lectiones leguntur de jejunio quadrageſimæ; ſabatho autem pentecoſtes, qui eſt terminus ſecundus duo loquuntur de veteri obſervatione ejuſdem. Quarti vero menſis jejunium a Gelaſio ideo dicitur, quia ſabathum hebdomadæ pentecoſtes ſæpius in quarto, quam in tertio menſe reperitur.

Sic enim a tempore nomen hoc habet, ſicut quodlibet a loco, in quo ſæpius habitat. Propter quod jejunium quoque initii quadrageſimalis poteſt dici jejunium primi menſis quia ſæpius ſabathum eſſe in menſe primo, quam in februario invenitur. Quorum quatuor menſium prophetia Zachariæ ſignificativa eſt, dicens jejunium primi, & jejunium quarti, jejunium ſeptimi, & jejunium quarti, jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit

do-

☞ domni Juda in gaudium & lætitiam & in ſolemnitates præclaras. Initio autem quadrageſimalis jejunii bene ordinatio ſacri ordinis competit, ſicut Chriſtus poſt baptiſmum Spiritu Sancto declaratur, mox jejunavit, & diſcipulos ad ſacrum ordinem elegit, ſic quoque apoſtoli Spiritus ſancti baptizati mox jejunantes diaconos conſecrantes elegerunt, ſic Moyſes poſt deſcenſam Spiritus ſancti in ignæ loquentis quinquageſimo die egreſſionis poſt jejunium Aaron cum filiis conſecravit. Et ſic ſacer eſt numerus quatuor fluminum, quatuor virtutum, quatuor elementorum, Hæc ANNO CHRISTI 1095.

A ſunt jejunia quæ S. Gregor. genti Anglorum prædicari præcepit, ſunt quatuor jejunia, quatuor temporum anni, ideſt veris, æſtatis, autumni, & hyemis. Jejunium primum in prima hebdomada quadrageſimæ. Jejunium ſecundum in hebdomada poſt Pentecoſten. Jejunium tertium in plena hebdomada ante autumnale æquinoctium. Jejunium quartum in plena hebdomada ante natale Domini. Jejunium in feria VI. per totum annum, niſi a paſcha uſque ad pentecoſtem, aut ſi major feſtivitas fuerit. ANNO CHRISTI 1095.

☞ AD CONCILIUM PLACENTINUM

Ab Urbano II. Anno 1095. habitum.

VARIANTES, ET ADDITIO NOVA

COLLECTORIS ADMONITIO.

Sepol. Mar. to. VI. p. 149.

QUas hic exhibeo Placentinorum canonum variantes ſuppeditavit MS. Vindobonenſis codex, in quo pariter continuato cum vulgatis Placentinis canonibus ordine deſcriptos ſequentes etiam canones legi; quos non dubito in hoc ipſo concilio prodiiſſe, cum poſterior canon cum canone Placentino XV. a Labbeo ex codice Barberino addito, congruat licet in verbis diſcrepet. Poſt hunc ipſum canonem Vindobonenſis codex ſignum quoddam apponit (quod & hic ſervatur); tunc nova hac inſcriptione appoſita de ipſius Civitatis; canones alios ſubjungit, eoſdem plane, quos Gregorius VII. in Romano concilio anno 1078. celebrato dederat. Cur Romani Gregorii canones Urbano II. & Placentino huic concilio tribuantur, niſi ſcriptoris incuriæ imputare voluerimus, ideo forte accidit, quod Gregorii ſanctiones Urbanus innovandas judicaverit. Quanquam vero canones iſti in Romano illo concilio jam excuſi ſunt; hic tamen iterum dandos cenſui, quod ad novum concilium ſpectent, varianteſque nonnullas afferant, & canonem plano novum de jejunio die Sabbati inſertum habeant:

Poſt Canonem XIV. qui tamen canones hic continuato ordine recitantur, hæc additantur.

QUicumque militum, vel cujuſcumque ordinis B vel conditionis perſona prædia eccleſiaſtica a quocumque rege, ſeu ſeculari principe, vel ab epiſcopis invitis, ſeu abbatibus, aut aliquibus eccleſiarum rectoribus ſuſceperit, vel ſuſcepit, vel eorum conſenſu tenuerit, excommunicationi ſubjaceat. Quoniam inveſtituras eccleſiarum contra ſtatuta SS. Patrum in multis partibus cognoverimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in eccleſia oriri; immo ruina ſanctæ religionis, ex quibus cenſuræ chriſtianæ religio conculcatur; decernimus ut nullus clericorum inveſtituras epiſcopatus vel abbatiæ, vel eccleſiæ de manu imperatoris vel regis, vel alicujus laicæ perſonæ, viri, vel fœminæ ſuſcipiat. Quod ſi præſumpſerit, recognoſcat inveſtituram illam apoſtolica auctoritate irritam eſſe, & ſe uſque ad dignam ſatisfactionem excommunicationi ſubjacere. Si quis epiſcopus præbendas, archidiaconatus, præpoſituras, vel aliqua officia eccleſiaſtica vendiderit, vel aliter quam ſtatuta SS. Patrum præcipiunt, ordinaverit ab officio ſuſpendatur. Dignum eſt enim ut ſicut gratis epiſcopatum accepit; ita membra eidem (*ita*) epiſcopatus gratis diſtribuat. Ordinationes, quæ intervenientæ pretio, vel precibus, vel obſequio alicui perſonæ indebitæ, vel quæ non communi conſenſu cleri, & populi, vel ſecundum canonicas ſanctiones fiunt, & ab his, ad quos conſecratio pertinet, non comprobantur, falſas eſſe dijudicamus, quod qui taliter ordinatur non per oſtium ideſt per Chriſtum intrat, ſed ut ipſa veritas teſtatur fures ſunt & latrones: *Hic adponitur hoc ſignum* Conspit canon ille cum Can. XV. Labbei.

De ipſius civitatis.

Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecun- Vid. conc. dum auctoritatem SS. Patrum pro qualitate cri- Rom. ann. minum imponuntur; ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, * culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſte detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire; etſi arma deponat ulteriuſque non ferat, niſi conſilio religioſorum epiſcoporum pro defendenda juſtitia, vel negotium derelinquat, vel officium deferat, & odium ex corde dimittat bona quæ injuſte abſtulit reſtituat, nec * tamen deſperet; interim quidquid boni facere poterit, hortamur ut faciat ut omnipotens Deus cor illius illuſtret ad pœnitentiam. 1078. can. V. * Ed. ſi vol- ſit. * Ed. ut

Decimas, quas in uſum pietatis conceſſas eſſe canonica athoritas demonſtrat, a laicis poſſideri canonica auctoritate prohibemus. Sive enim ab epiſcopis, vel regibus, vel quibuslibet perſonis eas acceperint niſi eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe D ſacrilegii crimen committere.

Ut nullus abbas decimas, vel primitias, & reliqua, quæ ſecundum ſtatuta canonum ad epiſcopos pertinent, ſine auctoritate Romani pontificis ſeu epiſcopi conſenſu, cujus diœceſi habitat, detineat, apoſtolica ſanctione firmamus.

Nullus epiſcopus * gravam, ſeu ſervulæ ſervitium ex uſu contra eccleſiaſticam normam abbatibus, ſeu clericis ſuis imponat; vel interdictum ſa- Can. IX. * gravamen ſeu ſervitii

ANNO CHRISTI 1095. Decreta in editis conciliis Romani.

—— ——ſacerdotale officium pretio inferviente reſtituat quod ſi fecerit, officii ſui periculo ſubjaceat.

Quia dies ſabbati apud SS. Patres noſtros in abſtinentia celebris eſt habitus, nos eorumdem auctoritatem ſequentes, ſalubriter admonemus, ut quicumque ſe chriſtianæ religionis participem eſſe deſiderat, ab eſu carnium eadem die, niſi majore feſtivitate interveniente, vel infirmitate impediente, abſtineat.

Can. X. * Ed. Decr. *Alicujus eccleſia* Decr. *eidem eccleſiæ*

Si quis prædia B. Petri apoſtolorum principis *, vel alicujus eccleſiæ ubicumque poſita in proprietatem ſuam uſurpaverit, vel ſciens occultata non propalaverit vel debitum ſervitium exinde B. Petro, * vel eidem eccleſiæ non exhibuerit, recognoſcat ſe iram Dei, & SS. Apoſtolorum velut ſacrilegus incurrere. Quicumque autem in hoc crimine deprehenſus fuerit, eamdem hæreditatem B. Petri apoſtoli vel aliorum SS. * legitime reſtituat, & pœnam quadrupli de propriis bonis perſolvat. A

ANNO CHRISTI 1095. * Decr. *aliorum Sanctor.* Can. XL

Si quis epiſcopus fornicattonem presbyterorum, diaconorum ſeu ſubdiaconorum vel crimen inceſtus in ſua parochia, pretio, vel precibus interveniente conſenſerit, ubi commiſſum auctoritate ſui officii non impugnaverit, ab officio ſuſpendatur.

Can. XII

Ut omnis Chriſtianus procuret ad miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre, & duci ad memoriam quod Deus per Moyſem dixit: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*. Etenim in collectis SS. Patrum liquido apparet, quod omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex uſu SS. Patrum debent.

CONCILIUM CLAROMONTANUM

OB CAUSAM EAMDEM QUA PRÆCEDENS INDICTUM,

Congregatum anno Domini MXCV. die VI. aut ut alibi legitur IV. Kalendas Decembris, tempore Urbani papæ II. anno ejus VIII. Philippi Francorum regis XXXVI.

Acta concilii

De rebus in hac ſynodo Claromontenſi geſtis iſta ſummatim narrat Bertholdus: In Galliis ad Clarum-montem ſynodus generalis a domino papa in octava ſancti Martini congregata eſt, in qua tredecim archiepiſcopi cum eorum ſuffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque paſtorales virgæ numeratæ ſunt. In hac ſynodo dominus papa eadem ſtatuta quæ & in præterita ſynodo Placentina confirmavit. Inſuper & Philippum regem Galliarum excommunicavit, eo quod propria uxore dimiſſa militis ſui uxorem ſibi in conjugium ſociavit. Ibi etiam aliam ſynodum in tertiam ſubſequentis quadrageſimæ hebdomadam Turonis celebrandam denuntiavit. *Hæc ipſe. Eadem de excommunicato rege Sigebertus. Sed & Bertradam regiam pellicem eadem excommunicatione multatam, Willelmus in rebus Anglicis tradit, canoneſque recenſet. Porro ex concilio Claramontenſi trigintaduo canones exſcripti reperiuntur in codice Lamberti epiſcopi Atrebatenſis, ex quo totidem lineis Antonius Auguſtinus ſic deſcribit.*

* Willelmus Malmesburienſis lib. 4. c. 2.

Varietatem lectionum adjeci, *inquit Severinus Binius*, ex manuſcripto ad me tranſmiſſo per reverendum dominum Georgium Colvenerium theologiæ apud Duacenſes doctorem & profeſſorem, collegiatæ eccleſiæ ſancti Petri ibidem canonicum & ſcholaſticum, de eccleſia optime meritum.

* quinto, * v. Kal. Decemb. aut VI. * apoſtolica * Arvernenſi.

Anno domini Chriſti milleſimo nonageſimo quarto, menſe * Decembri, decreta * domini Urbani papæ ſecundi in * Claromontenſi concilio data.

TITULI CANONUM.

1. *De pace non infringenda.*
2. *De itinere Hieroſolymitano.*
3. *Ut decanus ſit presbyter, archidiaconus ſit diaconus.*
4. *Ut clerici arma non portent.*
5. *Ut epiſcopus non eligatur nondum diaconus.*
6. *De emptis altaribus vel eccleſiis.*
7. *De altaribus quæ dantur monaſteriis per perſonas.*
8. *Ut nullus ſepulturam exigat.*
9. *De clericis uxores ſibi copulantibus.*
10. *Ut clerici fœminas domi non habeant.*
11. *Ut filii concubinarum clerici non fiant.*
12. *Nemo in duabus civitatibus prœbendam habeat.*
13. *Ut clerici ad primum ſemper titulum ordinentur.*
14. *Nullus in eadem eccleſia geminos honores habeat.*
15. *Nullus eccleſiaſticum honorem de manu laici accipiat.*
16. *Ut principes inveſtituras non faciant.*
17. *Ut epiſcopus aut presbyter fidelitatem laicis non faciat:*
18. *Nullus ſine licentia epiſcopi capellanus fiat laici.*
19. *Ut laici decimam non retineant, nec recipiant.*
20. *Ut laici altaria vel eccleſias deinceps non retineant.*
21. *Ut nullus alterius ſibi hæreditatem uſurpet.*
22. *Nemo niſi perfectam confeſſionem fecerit ad pœnitentiam recipiatur.*
23. *Ut carnes tota quadrageſima non edantur.*
24. *Quibus temporibus ordines faciendi.*
25. *Ne filii presbyterorum fiant clerici, niſi ſint monachi aut regulares.*
26. *De ſabbati ſancti jejunio.*
27. *De jejunio veris & æſtatis.*
28. *Ut omnes de altari corpus & ſanguinem ſeparatim communicent.*
29. *Ut liberi ſint qui ad crucem confugiunt.*
30. *De iis qui ad crucem vel eccleſiam confugiunt.*
31. *Ut nullus clericorum bona diripiat.*
32. *De iis qui epiſcopos incarcerant.*

I.

STatutum eſt * ut in omni die & monachi & clerici & feminæ, & quæ cum eis fuerint, in pace permaneant; tribus autem diebus, ſcilicet ſecunda, tertia & quarta, * ab aliquo alicui illata non reputabitur pacis * fractio: quatuor autem reliquis diebus ſi quis alicui injuriam intulerit, fractionis ſanctæ pacis reus habeatur, & prout judicatum fuerit puniatur.

* Conſuliant cum antiquiſſimis membranis quæ apud nos ſunt & aliis MSS. * injuria * infractio

II.

Quicumque pro ſola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad liberandam eccleſiam Dei Jeruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.

Dist. 6 & Nullus.

* forte deſit

Ut

ANNO CHRISTI 1095.

III.

Ut nullus fiat decanus in eccleſia niſi presbyter; nullus archidiacoinus, niſi Levita. * Ut nullus clericus teneat archidiaconatum, niſi ipſius dignitatis habeat gradum. Ut nullus ſit archipresbyter, quod alicubi dicitur decanus, niſi ſit ſacerdos ordinatus: *Habetur apud Gratianum D. LX. c. 1.* Nullus epiſcopus in eccleſia ſua, niſi diaconus ſit, archidiaconum inſtituere, nec archipresbyterum aut decanum, niſi presbyteri ſint, ordinare præſumat. Quod ut diſtrictius teneatur, apoſtolica auctoritate prohibemus & interdicimus.

* Dist. 6. c. 2. reperimus in MSS. in quibus non ſemper idem habetur capitum ſequentium ordo

IV.

Ne aliquis clericus arma deferat.

V.

Ut nullus laicus, clericus, vel * tantum ſubdiaconus in epiſcopum eligatur.

* ſaltem

VI.

Ut nullus ſibi præbendam emat. Quod ſi quis emerit, vel parentes ejus illi emerint, in manum & diſpoſitionem epiſcopi * ſe reddat. Hoc idem de altari & de omni eccleſiaſtico beneficio fiat.

* ſui reddant.

VII.

Ut altaria congregationibus canonicorum vel monachorum per perſonas data, mortuis perſonis libera redeant in manus epiſcoporum, niſi fuerint illis per eorum ſcripta vel privilegia confirmata.

VIII.

Ut nullus deinceps ſepulturam exigat.

IX.

Ut nullus ſacerdos, aut diaconus, aut ſubdiaconus, ſed & nullus qui canonicam habet, fornicationis ſibi copulam adjungat. Quod ſi quis fecerit, a canonica omnino arceatur.

X.

Ut in domibus clericorum nullas liceat habitare mulieres, niſi quas ſancti canones permittunt.

XI.

Ut nulli filii concubinarum ad ordines vel aliquos honores eccleſiaſticos promoveantur, niſi monachaliter vel canonice vixerint in eccleſia.

XII.

Ut nulli clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas præbendas obtinere, cum duos titulos non poſſit habere.

XIII.

Ut omnis clericus ad eum titulum, ad quem primum ordinatus eſt, ſemper ordinetur.

XIV.

Ut nullus deinceps in una eccleſia geminos honores habeat,

XV.

* eccleſiaſti. cus

Ut nullus * eccleſiaſticorum aliquem honorem a manu laicorum accipiat. Ut clericus nullum eccleſiæ honorem a laicali manu recipiat.

XVI.

* aliqui

Interdictum eſt, ne reges vel * alii principes aliquam inveſtituram de eccleſiaſticis honoribus faciant.

XVII.

Ne epiſcopus vel ſacerdos regi vel alicui laico in manibus ligium fidelitatem faciat.

XVIII.

* forte abſque confeſſione * alii c. ſ. op.

Ut nullus presbyter capellanus alicujus laici eſſe poſſit in * confeſſione ſui epiſcopi. Ut nullus princeps capellanum habeat * niſi quem ſibi epiſcopus ſuus, aut archidiaconus procuratorem animæ delectum conſtituat, *ex alio MS. cod. Concil. General.* Tom. XX.

XIX.

Ne laici decimam partem de laboribus ſuis retineant, & ſicut nec debent retinere, ita nec * accipere.

* recipere.

XX.

Unde & interdictum eſt omnibus laicis, ne amplius altaria vel eccleſias ſibi retineant.

XXI.

Ne aliquis laicus alterius ſibi hereditates uſurpet: quod ſi quis fecerit, nec * reus ſatisfecerit, nullus ſacerdos eum interim ad pœnitentiam admittat.

* rationi

XXII.

Similiter * nec alium quemlibet, niſi perfectam confeſſionem fecerit. Verbi gratia, ut * ſi perpetrato homicidio manſerit in adulterio, * vel hujuſmodi ad perfectam pœnitentiam minime recipi debere decretum eſt. Attamen conſilium * damus ut jejunet, & eleemoſynas det, ut ad veritatis viam poſſit reverti.

* & * al. de perpetrato homicidio confeſſus fuerit, manſerit in adulterio. * Forte legendum, vel perjurios hujuſmodi &c. H.

XXIII.

Ut nullus Chriſtianus a capite jejunii uſque ad paſcha carnem comedat.

XXIV.

Ne fiant * ordines, niſi quatuor certis temporibus, & ſabbato * mediante quadrageſima: & tunc protrahatur jejunium uſque ad veſperas, & ſi fieri poteſt, uſque ad * craſtinum, ut magis appareat in die dominico * ordines fieri.

* ordinationes, * mediante quadrageſima * in ordinatione

XXV.

Ne filii presbyterorum, diaconorum, vel ſubdiaconorum canonicorum, ad ordines, vel alios honores eccleſiaſticos promoveantur, niſi monachus vel canonicus * fuerit: * niſi vel fiant monachi vel regulares canonici.

* regularis * *Abſunt, quæ ſequuntur.*

XXVI.

Ut in ſabbato ſancto protrahatur jejunium circa noctem.

XXVII.

Ut ſemper fiat jejunium veris in prima hebdomada quadrageſimæ: jejunium vero æſtatis infra hebdomadam pentecoſtes.

XXVIII.

Ne quis communicet de altari niſi corpus ſeparatim & ſanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem, & per cautelam.

Idque ob recens damnatam hæreſim Berengarianam, quæ per unam tantum ſpeciem ſatis eſſe imaginem figuram arbitrabat. Alia verior affertur cauſa hujuſce canonis.

XXIX.

Si quis ad aliquam crucem in via perſequentibus inimicis confugerit, liber ac ſi in ipſa eccleſia permaneat.

XXX.

Quod ſi quis pro ſecuritate eccleſiæ vel prædictæ crucis aliquod crimen peregerit, & ad eccleſiam vel crucem confugerit, accepta ſecuritate vitæ & membrorum, reddatur juſtitiæ.

XXXI.

Ne aliquis clericus res epiſcoporum vel clericorum vel in vita vel poſt mortem eorum diripiat: vel in uſus proprios conferat. Quod ſi quis fecerit, anathema ſit; & dictum eſt ab omnibus, Fiat, fiat.

Apud Gratianum ſic habet: De laicis quæſtio facta eſt, qui morientibus epiſcopis ſive aliis clericis res defunctorum invaſas eccleſiæ pauperibuſque furripiunt: contra quos commune totius concilii anathema prolatum eſt, ipſo papa hujuſmodi ſententiam promulgante.

xx. q. 2. c. 46.

Si quis poſt interdicti præſentis cognitionem epiſcoporum ſeu presbyterorum aut aliorum clericorum res invaſerit, uſque ad ſatisfactionem excommunicetur. Epiſcoporum vero deficientium res per archipresbyterorum ſeu archidiaconorum manus, aut ſecundum mortuorum judicium pro

——ipſorum ſalute in eleemoſynas diſpenſentur, aut ſucceſſori, qui futurus eſt, reſerventur. Idipſum de presbyterorum ſeu clericorum rebus per epiſcopum vel ſupradictas perſonas, aut cui deficientes commiſerint, fiat. Si quis autem adverſus iſta præſumpſerit anathema ſit. ANNO CHRISTI 1095

XXXII.

Si quis epiſcopum ceperit & incarceraverit, perpetuæ infamiæ ſubjaceat, ulterius arma non exerceat. Et clamatum eſt ab omnibus. Fiat.

Hactenus canones. Qui autem exſcripſit, iſta adjecit: Hæc ſunt inventa in libro Lamberti epiſcopi Atrebatenſis ante quadringentos annos ſcripto: quæ quia in promptu erant, mittenda putavi.

In eodem libro Lamberti, qui concilio interfuit, ut ſupra docuimus, hæc habentur non omittenda: In Claromontenſi concilio cui domnus papa Urbanus II. præſedit, fuerunt cum eo cardinales Romani ..... archiepiſcopi XIII. epiſcopi CCXXV. abbates vero XC. & amplius, exceptis honeſtis & religioſis diverſarum regionum & provinciarum clericis & laicis.

Apud Gratianum inſuper iſta leguntur.

Congregato apud Claromontem urbem multorum epiſcoporum ſynodali conventu, propoſita eſt nobis a quibuſdam eorum quæſtio de eccleſiis vel de eccleſiaſticis poſſeſſionibus a clericis vel monachis uſque ad præſentiarum inconſultis epiſcopis acquiſitis. Nos autem uſi ſaniori conſilio eorumdem epiſcoporum, condeſcendentes pro tempore, providenteſque eccleſiaſticæ paci, vel quia aliter abſque inevitabili periculo hujuſmodi quæſtio non poterat procedere, apoſtolica auctoritate decrevimus, ut ea quæ a clericis vel monachis, vel a quibuſcumque perſonis prout potuerint, uſque hodie fuerint acquiſita, rata perenniter & inconcuſſa permaneant, hoc tamen tenore, ne in poſterum inconſultis epiſcopis talia præſumant.

Ex archivis eccleſiæ Turonenſis.

WILLELMI EPISCOPI PICTAVENSIS TESTIMONIUM.

De ſententia in Concilio Claromontenſi adverſus Dolenſem epiſcopum pro Turonenſi eccleſia ab Urbano papa II. lata.

EGo W. II. Dei gratia Pictavorum epiſcopus, Quoniam Deus veritas eſt, oportet eos qui ex Deo ſunt, in his quæ veraciter cognoverunt, veritatis teſtimonium exhibere. Nos igitur teſtimonium veritati reddentes, in veritate teſtamur Radulfum archiepiſcopum Turonenſem in concilio Claromontenſi coram beatiſſimo Papa Urbano cæteriſque patribus adverſus archiepiſcopum Dolenſem propoſuiſſe, & eum quaſi ſubjectum ſibi ſuper inobedientia impetiviſſe. Hujus igitur impetitionibus, & archiepiſcopi Dolenſis reſponſionibus dominus Papa attente conſideratis, adjudicavit archiepiſcopum Dolenſem deinceps archiepiſcopo Turonenſi ſubjici debere; & de inobedientiæ reatu ſatisfactionis condignam * plenitudinem exhibere. Hujus rei teſtes ſumus.

* *Forte*, pœnitudinem.

In Mſſ. quoque cod. ad hoc concilium refertur quod habetur apud Gregorium de capellis monachorum cap. 1. In eccleſiis ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, ſed capellanus, qui populum regat, ab epiſcopo per conſilium monachorum inſtituatur: ita tamen ut ex ſolius epiſcopi arbitrio tam ordinatio, quam depoſitio & totius vitæ pendeat converſatio.

Excepit iſta Gratianus ex collectione Bernardi Papienſis. Porro apud eumdem Gratianum recitati inveniuntur aliquot canones ejuſdem concilii Claromontenſis ſub titulo concilii Arvernenſis, cum eadem ſit civitas. ANNO CHRISTI 1095.

Inſuper & hæc ſub eodem concilio Claromontenſi leguntur poſita: Dist. 60 c. 1. & 2. q. 3. c. 4. & alibi. Cap. 1. de ea. monach. Gr. 3. & c. 2.

In eccleſiis ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, ſed capellanus qui populum regat ab epiſcopo per conſilium monachorum inſtituatur; ita tamen ut ex ſolius epiſcopi arbitrio, tam ordinatio, quam depoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio. Cod tit. in prima collect.

Hæc ex concilio Claromontenſi. At non ita de Ivo epiſt 59. *regularibus clericis faciendum reſpondit Ivo his verbis adverſus Lemovicenſem epiſcopum, talia in ſynodo diœceſana ſtatuentem.* Quantum intellexi ex literis ex veſtra parte mihi nuper oblatis, graviter fert veſtra fraternitas, quod Lemovicenſis epiſcopus in ſynodo agens, interdixit omnibus regularibus clericis & regimen parochiarum, & confeſſionem pœnitentium. Qui rectius quidem feciſſet, ſi omnes ſacerdotes ad regularem vitam invitaſſet, quam regulariter viventes a dominicarum ovium cuſtodia penitus removiſſet, quibus tanto plus diſplicet aliena malitia, quanto longius diſceſſerunt a ſua, &c. *Suadet tamen epiſcopo obedire.*

Contigit autem ut alii collectores in his laborarint, licet non omnes recenſuerint canones, neque eodem ordine, exſcripſerintque, ſed longe minorem numerum, ut inter alios Franciſcus Belleforeſtius, qui profitetur ex ſcripto codice abbatiæ ſancti Dionyſii ſe deſcripſiſſe, ſed lingua Gallica a Nicolao Serario Jeſuita viro inſignis nominis noſtri temporis ita Latine reddita: Lib. 4. concil. Francorum.

Primo ſtatutum eſt, ut nullus epiſcopus, vel abbas, vel alius e clero quivis, dignitatem ullam eccleſiaſticam a principibus laicis & ſæcularibus acciperet.

Ita quod vigoret ejuſmodi controverſia, refragantibus ſchiſmaticis principibus: in ſingulis quippe conciliis hoc ſæculo celebratis id repetitum ſæpe repovies. Pergit.

Eademque opera omnem ſimoniacam rerum ſacrarum acquiſitionem vetuit. Prohibuit omnibus in ordinibus ſacris conſtitutis, ne cum mulieribus vel matrimonio conjunctis, vel nor. conjunctis, conſuetudiuem haberent, ſed in perpetuo degerent cælibatu.

Quod ſi quis fornicatione polluereture, omni eccleſiaſtica privari dignitate juſſerunt.

Uti abſolverentur a ſimoniæ crimine qui beneficia poſſiderent a ſuis cognatis eorum cauſa pretio empta, iis tamen inſciis.

Vetitum eſt etiam laicis a die cinerum ad feſtum paſchæ carnibus veſci. Clericis autem & in eccleſia promotis, a quinquageſimæ dominica ad diem reſurrectionis domini.

Neve ſabbati ſancti officium divinum ante horam nonam matutinam celebraretur.

Qui manus injiceret in epiſcopum, vel eum in vincula aut carcerem duceret, impius declaratus eſt, & legis cognitionisque Dei penitus expers, & ut anathemate feriretur, atque ab eccleſiæ communione rejiceretur.

Qui parem vim faceret clericis, atque ad ordines ſacros promotis, fuerunt & anathemate percuſſi: & qui bona morientium epiſcoporum vel abbatum invaderent, tamquam ſacrilegi & excommunicati.

Ut nemo admitteretur, vel conſecraretur in epiſcopum, niſi presbyter aut diaconus eſſet, aut ſub-

ANNO CHRISTI 1095.

subdiaconus, & illustri genere ortus: nisi forte a pontifice cum illo dispensatum esset.

Nec filios presbyterprum, aut aliter etiam ex concubinis susceptos liberos, ad presbyteratus gradum provehi liceret; nisi aliquo in monasterio religionem professi essent.

Ne parochi, & qui præsunt ecclesiis, ob sepulturam defunctorum quidquam acciperent, vel exigerent.

Mandatum esse etiam omnibus Christianis, ut diebus singulis sabbati officium beatæ Virginis recitarent.

Hucusque ibi Sed præcipuum fuit illud, cujus causa potissimum illud concilium indictum & collectum fuit, ut in eo indiceretur expeditio in terram sanctam, de qua dicturi, historiam sui nobilitate B *insignem, sed jam omnibus notam, aggredimur, ob idque ea tantum monimenta veterum, vel dicta vel scripta tunc fuisse reperiuntur, hic describturi sumus.*

Urb papa indicit expeditionem in terram sanctam.

Urbanus igitur papa, quod sciret sæpe a prædecessore suo Gregorio septimo id esse tentatum, sed schismaticis intercedentibus variisque bellis fuisse impeditum, urgentibus literis Alexii imperatoris nuper in Placentino concilio lectis, rem noviter agere cœpit, ut ex fidelibus Christianis cogeretur exercitus in auxilium periclitantis orientalis ecclesiæ, potissimum vero Hierosolymorum, a cujus patriarcha Simeone, deferente Petro eremita natione Gallo, patria Ambianensi, literas commiseratione dignas acceperat, quibus Christi incunabula, ejusque sepul- C *chrum, atque reliqua loca sancta ejusdem Redemptoris nostri memoria consecrata, ab infidelibus Turcis profanata, omnique genere contumeliarum affecta*

Wilhelmus de bello sacro l. 1. c. 11. 12.

deplorabat. Iste enim, teste Wilielmo Tyrio archiepiscopo, qui eam de bello sacro historiam texuit, (quem sequimur) cum petiisset Hierosolymam, & literas ad Urbanum papam & ad Christianos principes accepisset, a Christo quoque per visum, dum oraret ad sacrosanctum templum resurrectionis, ad tantum munus obeundum legationem accepit, non autem per epistolam de cælo lapsam, ut plures sunt fabulati. Perdifficile inter veritatis septa continetur stylus historicorum, ne ad fabulosa vulgo jactata deflectat. Quod solum vitat, qui non aliunde quam ab originariis fontibus puram curat haurire aquam. D *Hic igitur ad tantum opus missus a Deo, ad sacrum bellum afflatus divino Spiritu, classicum potenter intonuit: cujus divina tuba clangore ab universo pene orbe occidentali ad arma concurritur. Attamen primarius dux verbi atque promotor tantæ molis operis Urbanus pontifex erat, qui in hoc ipso*

Idem ib. c. 13.

Claromontensi concilio ad fratres ejusmodi, quam recitat Tyrius, habuit concionem:

SYNODALIS CONCIO URBANI PAPÆ II.

NOstis, fratres dilectissimi, & vestram nosse id expedit caritatem, quomodo humani generis reparator pro nostra omnium salute carnem assumens, & homo inter homines conversatus, terram promissionis, quam pridem patribus promiserat, propria illustravit præsentia, & assumptæ dispensationis operibus, & crebra simul miraculorum exhibitione reddidit specialiter insignem, id enim & veteris & novi pene in omnibus syllabis docet series testamenti. Quadam sane dilectionis prærogativa certum est eam dilexisse, ita ut eam orbis partem, imo particulam, hereditatem suam dignatus est appellare, cum ejus sit omnis terra & plenitudo ejus. Unde per

Ioseph 19. Ioel 3.

Isaiam ait: *Hereditas mea Israel*. Et item: *Vinea domini sabaoth domus Israel est*. Et licet to-

ANNO CHRISTI 1095.

tam in partem præcipuam sibi dedicaverit ab initio, peculiarius tamen urbem sanctam sibi adoptavit in propriam, testante prophetæ qui ait: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*. De qua gloriosa dicuntur videlicet quod in ea docens, passus, & resurgens Salvator salutem operatus est in medio terræ. Ad hoc a sæculis est prælecta, ut tantorum esset conscia & cella familiaris mysteriorum: Electa nimirum, quod ipse qui elegit testatur, dicens: *Et de Jerusalem civitate, quam elegi veniet vatis Salvator.* Psal. 86.

Quam etsi, peccatis inhabitantium id exigentibus, justo judicio suo in manus impiorum sæpius tradi permiserit Dominus, & duræ jugum servitutis ad tempus eam sustinere patius sit, non tamen arbitrandum est quod eam quasi a se repudiatam abjecerit, cum scriptum sit: *Flagellat dominus omnem filium quem recipit*: illi vero thesaurizat iram, cui dicitur: *Recessit zelus meus a te; jam amplius non irascar tibi*. Diligit ergo eam, nec intepuit erga eam dilectionis fervor, cui dicit: *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui, & non vocaberis amplius Desolata, sed vocaberis voluntas mea: quia complacuit Domino in te.* Heb. 12. Ezech. 16. Isaia 62.

Deplorat Urbanus pene calamitates terræ sanctæ.

Hæc igitur salutis nostræ cunabula, Domini patriam, religionis matrem, populus absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ possidet violenter, & captivitatis liberæ filiis extremas imponit conditiones, quibus versa vice merito servire tenebatur.

Gen. 21.

Sed quid scriptum est? *Ejice ancillam & filium ejus*. Saracenorum enim gens impia, & mundanarum sectatrix traditionum: loca sancta, in quibus steterunt pedes Domini, jam a multis retro temporibus violenta premit tyrannide: subactis fidelibus & in servitutem damnatis, ingressi sunt canes in sancta, profanatum est sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas genus electum, servit in luto & in latere regale sacerdotium, princeps provinciarum facta est sub tributo civitas Dei. Cujus non liquefiat anima? cujus non tabescant præcordia, iis ad animum recurrentibus? Quis hæc siccis oculis audire potest, fratres carissimi? Templum Domini, de quo zelans dominus vendentes ejecit & ementes, ne domus Patris ejus fieret spelunca latronum, factum est sedes dæmoniorum. Idipsum enim & Matthathiam sacerdotem magnum, sanctorum progenitorem Machabæorum, ad zelum accendit commendabilem, sicut ipse testatur, dicens: *Templum Domini quasi vir ignobilis, vasa gloriæ ejus abducta sunt captiva.* Civitas regis regum omnium, quæ aliis regulas intemeratæ tradidit fidei, gentium superstitionibus cogitur invita deservire. Sanctæ resurrectionis ecclesia, requies dormientis Domini, eorum sustinet imperia, fœdatur spurcitiis eorum qui resurrectionis non habebunt participium, sed stipula ignis æterni perennibus deputabuntur incendiis. Loca venerabilia divinis deputata mysteriis, quæ Dominum in E carne susceperunt hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, quorum omnium in se plena fide prætendunt argumenta facta sunt gregum præsepia, stabula jumentorum. Laudabilis populus, cui benedixit Dominus exercituum, sub angariarum & sordidarum præstationum pondere gemit fatigatus, rapiuntur eorum filii, matris ecclesiæ cara pignora, ut gentium immunditiis deserviant, & nomen Dei vivi abnegent, vel ore blasphement sacrilego, compelluntur: aut impia detestantes imperia cæduntur gladiis more bidentium, sanctis martyribus sociandi. Non est sacrilegis locorum differentia, non est personarum respectus.

Luc. 19.

Matt. 2.

ANNO CHRISTI 1095.

In ſanctuariis occiduntur ſacerdotes & Levitæ, A coguntur virgines fornicari, aut per tormenta perire, nec matronis ætas maturior ſuffragatur.

Væ nobis, qui in hanc tam periculoſi temporis deſcendimus miſeriam, quam in ſpiritu prævidens electus a Domino David rex fidelis deplorat, dicens: *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum ſanctum tuum.* Et item: *Populum tuum humiliaverunt, & hereditatem tuam vexaverunt: Ut quid, Domine, iraſceris in finem, accendetur velut ignis ira tua? Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine?* Verumne eſt quod dicitur: *Non obliviſcetur miſereri Deus: non continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Recordare, Domine, quid acciderit nobis, intuere & vide opprobrium noſtrum. Væ nobis, ut quid nati ſumus B videre corruptionem populi noſtri, & contritionem Civitatis ſanctæ, & ſedere illic, cum dantur in manibus inimicorum ſancta?*

Urbas. papa hortatur fideles ad ſub venicadum oppreſſos.

Vos igitur, dilectiſſimi, armamini zelo Dei, accingimini unuſquiſque gladio ſuo ſuper femur ſuum potentiſſime. Accingimini, & eſtote filii potentis: melius eſt enim nobis mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ & ſanctorum. Si quis zelum legis Dei habet, adjungat ſe nobis. Subveniamus fratribus noſtris, *dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipſorum.* Egredimini, & Dominus erit vobiſcum: arma, quæ cæde mutua illicite cruentaſtis, in hoſtes fidei & nominis Chriſtiani convertite. Furta, C incendia, rapinas, homicidia, & cætera, qualia qui agunt regnum Dei non poſſidebunt, hoc Deo beneplacito redimite obſequio, ut delictorum, quibus Dominum ad iracundiam provocaſtis, celerem indulgentiam pro vobis obtineant hæc pietatis opera, & deprecatio collata ſanctorum. Monemus igitur & exhortamur in Domino, & in remiſſionem peccatorum injungimus, ut fratribus noſtris & cæleſtis regni coheredibus (omnes enim invicem ſumus membra, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti) qui Hieroſolymis, & in finibus ejus habitant, afflictioni & laboribus compatientes, infidelium inſolentiam, qui ſibi regna, principatus, & poteſtates ſubjicere contendunt, debita compeſcatis animadverſione, & D illis totis viribus occurratis, quibus eſt propoſitum nomen delere Chriſtianum. Alioquin futurum eſt ut in proximo eccleſia Dei jugum indebitæ perferens ſervitutis, fidei ſentiat diſpendium, prævalente gentilium ſuperſtitione. In quanta enim poſiti ſint afflictione noverunt ex vobis nonnulli qui hæc quæ loquimur oculata conſpexerunt fide, & præſens illorum per manum Petri viri venerabilis qui præſens eſt ad nos delata docet epiſtola. Nos autem de miſericordia Dei, & B. Petri & Pauli apoſtolorum auctoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos arma ſuſceperint, & onus ſibi hujus peregrinationis aſſumpſerint, immenſas pro ſuis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem ibi in vera pœnitentia E deceſſerint, & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis ſe non dubitent habituros. Interim vero eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem iſtum aſſumpſerint, ſub eccleſiæ defenſione, & beatorum Petri & Pauli protectione, tamquam veræ obedientiæ filios recipimus, & ab univerſis inquietationibus tam in rebus quam in perſonis ſtatuimus manere ſecuros. Si vero quiſpiam moleſtare eos auſu temerario præſumpſerit, per epiſcopum loci excommunicatione feriatur, & tamdiu ſententia ab omnibus obſervetur, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congrue ſatisfiat.

Epiſcopi vero & presbyteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officii ſuſpenſione mulctentur, donec miſericordiam ſedis apoſtolicæ obtineant. ANNO CHRISTI 1095.

Hactenus Urbanus in ſynodo peroravit. Subjicit vero iſta Tyrius: His dictis, finem dicendi fecit, præcipiens iis qui aderant eccleſiarum prælatis, ut ad propria reverſi, cum omni inſtantia & debita ſolicitudine plebes ſuas ad idem hortentur & invitent diligentius. *Et paulo poſt:* Ante omnia, juxta ſtatuta ſynodi fideliter laborantes, ut pax, quæ verbo vulgari treuga dicitur, ab omnibus obſervaretur illibata, ne ire volentibus, & ad neceſſaria diſcurrere, ullum objiceretur impedimentum.

Extat alius adhuc ſermo ab hoc plane diverſus, ejuſdem Urbani pontificis, recitatus a Wilielmo Malmesburienſi in hiſtoria rerum Anglicarum; ut non mirum ſit in eodem concilio de re tanta eumdem pontificem ſæpius peroraſſe, vel in aliis conciliis ab eo eadem ex cauſa habitis ſermones alios habuiſſe. Quin etiam inter ſchedas Vaticanæ bibliothecæ adhuc alium ſermonem Urbani papæ reperimus, a duobus nominatis plane diverſum, quem hic deſcribendo ne pereat, perpetuitati conſecrandum putavimus. Sic ſe habet: Wilielmus de rebus Anglicis l. 4. c. 3.

SERMO URBANI PAPÆ II.

In Concilio Claromontenſi.

AUdivimus, fratres dilectiſſimi, & audiſtis, quod ſine profundis ſingultibus tractare nequaquam poſſumus, quantis calamitatibus, quantis incommoditatibus, quam diris contritionibus in Jeruſalem, & in Antiochia, & in cæteris orientalis plagæ civitatibus, Chriſtiani noſtri, fratres noſtri, membra Chriſti, flagellantur, opprimuntur, injuriantur; germani fratres veſtri, contubernales veſtri, couterini veſtri: nam & ejuſdem Chriſti & ejuſdem etiam Dei filii eſtis: & in ipſis ſuis domibus hereditariis ab alienis dominis mancipantur, vel ex ipſis exploduntur, aut inter vos mendicant, aut, quod gravius eſt, in ipſis ſuis patrimoniis venales exulant & vapulant. Effunditur ſanguis Chriſtianus Chriſti ſanguine redemptus, & caro Chriſtiana carni Chriſti conſanguinea nefandis ineptiis & ſervitutibus neſariis mancipatur. Illis in urbibus ubique luctus, ubique miſeriæ, ubique gemitus. Suſpirio hæc dico: eccleſiæ, in quibus olim divina celebrata ſunt ſacrificia, proh dolor! ecce animalibus eorum ſunt ſtabula. Nequam homines ſanctas occupaverunt civitates: Turcæ ſpurci & immundi noſtris fratribus dominantur. Antiochiæ B. Petrus præſedit epiſcopus: ecce in ipſa eccleſia gentiles ſuas collocaverunt ſuperſtitiones, & religionem Chriſtianam, quam potiſſimum coluiſſe debuerant, ab aula Deo dedicata turpiter eliminarunt. Prædia ſanctorum ſtipendiis dedita, & nobilium patrimonia ſuſtentandis pauperibus contradita, paganæ tyrannidi ſubjiciuntur, eiſque in proprios uſus redactis domini crudeles abutuntur. Sacerdotium Dei humo tenus conculcatum eſt, ſanctuarium Dei per nefas ubique profanatum eſt: ſi qui adhuc ibi latitant Chriſtiani, ubi auditis, exquiruntur tormentis. De ſancta Jeruſalem, fratres, ... loqui diſſimulavimus, quod valde de ea loqui pertimeſcimus, quoniam ipſa civitas, in qua (prout omnes noſtis) Jeſus Chriſtus pro nobis paſſus peccatis noſtris exigentibus, ſub ſpurcitiam paganorum redacta, Deique ſervituti, ad ignominiam noſtram dico, ſubducta eſt.

Quod

Quod enim ſupereſt imperii noſtri, tantillum eſt, A
ANNO CHRISTI 1095. Chriſtianorum qui iſta promeruimus eſt dedecus. Cui ſervit nunc eccleſia beatæ Mariæ, in qua ipſa pro corpore ſepulta fuit in valle Joſaphat? Sed quid templum Salomonis, imo Domini, prætermittimus, in quo ſimulacra ſua barbaræ nationes contra jus & fas modo collocata venerantur? De ſepulcro dominico ideo reminiſci ſupersedemus, quoniam oculis veſtris vidiſtis quantæ abominationi traditum ſit.

Inde violenter abſtrahunt quas ibi pro cultu illius multoties intuliſtis oblationes. Ibi nimirum
Perte, ignoto. H. multas & innumeras religionis noſtræ ingerunt irriſiones. Et tamen in illo loco (non * ignara loquor) requievit Deus: ibi pro nobis mortuus eſt, ibi ſepultus eſt. Neque equidem ibi Deus hoc B annuatim prætermittit facere miraculum, cum in diebus paſſionis ſuæ, extinctis omnibus & in ſepulcro & in eccleſia circumcirca luminibus, jubare divino lampades extinctæ reaccenduntur. Cujus pectus ſillicinum factum tantum miraculum non emolliat? Credite mihi, beſtialis homo & inſulſi capitis eſt, cujus cor virtus divina tam præſens ad fidem non verberat, & cum gentiles cum Chriſtianis ita videant communiter, nec emendantur. Perterrentur equidem hi, nec convertuntur ad fidem: nec mirum, quoniam mentis obcæcatio illis dominatur. Quantis afflictionibus vos, qui adeſtis, qui rediſtis, invaſerunt, voſipſi melius noſtis, qui ſubſtantias veſtras, qui ſanguinem veſtrum ibi Deo immolaſtis.

Hæc idcirco, fratres, diximus, ut voſipſos ſermonis noſtri teſtes habeamus. Plures ſunt & fratrum noſtrorum miſeriæ, & eccleſiarum Dei depopulationes, quæ ſigillatim poſſemus referre, ſed inſtant lacrymæ ac gemitus, & inſtant ſuſpiria & ſingultus. Ploremus, fratres, eja ploremus, & cum Pſalmiſta medullitus plorantes ingemiſcamus, nos miſeri, nos infelices, quorum tempore
Pſalm. 78. Dei prophetia iſta completa eſt: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam; polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam. Poſuerunt morticina ſervorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem ipſorum tamquam aquam in circuitu Jeruſalem, & non erat qui ſepeliret.* Væ nobis, fratres, nos qui jam *facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt.* Condoleamus & compatiamur fratribus noſtris, ſaltem in lacrymis. Nos abjectio plebis facti, & omnibus deteriores, immaniſſimam ſanctiſſimæ terræ plangamus devaſtationem. Quam terram merito ſanctam diximus, in qua non eſt etiam paſſus pedis quem non illuſtraverit & ſanctificaverit vel corpus vel umbra Salvatoris, vel glorioſa præſentia ſanctæ Dei genitricis, vel amplectendus apoſtolorum commeatus, vel martyrum ebibendus ſanguis effuſus. Quam beati, o Stephane protomartyr, qui te laureaverunt lapides! Quam felices, o tunc, Baptiſta Joannes, qui tibi ad ſalvatorem baptizandum E ſervierunt Jordanici latices! Filii Iſrael ab Ægyptiis educti, qui rubri maris tranſitu vos præfiguraverunt, terram illam armis ſuis, Jeſu duce, ſibi vendicaverunt; Jebuſæos, & alios convenas inde expulerunt, & inſtar Jeruſalem cæleſtis Jeruſalem terrenam excoluerunt.

Quid dicimus fratres? audite & intelligite. Vos accincti cingulo militiæ magno ſupercilio fratres veſtros dilaniatis, atque inter vos diſſecamini.
f. deſtruit. Non eſt militia Chriſti, quæ * deſcribit ovile Redemptoris. Sancta eccleſia ad ſuorum opitulationem ſibi reſervavit militiam (ut veritatem fateamur) cujus præcones eſſe debemus. Non tenetis vere viam per quam eatis ad ſalutem & vitam. ANNO CHRISTI 1095. Vos pupillorum oppreſſores, vos viduarum prædatores, vos homicidæ, vos ſacrilegi, vos alieni juris direptores, vos pro effundendo ſanguine Chriſtiano expectatis latrocinantium ſtipendia, & ſicut vultures odorantur cadavera, ſic longinquarum partium auſpicamini & ſectamini bella. Certe via iſta peſſima eſt, quoniam a Deo omnino remota eſt. Porro ſi vultis animabus veſtris conſuli, iſtiuſmodi militiæ cingulum quantocius deponite, & ad defendendam orientalem eccleſiam velocius concurrite. Hæc eſt enim de qua totius veſtræ ſalutis emanaverunt gaudia, quæ diſtillavit in os veſtrum divini lactis ubera, quæ nobis propinavit evangeliorum ſacroſancta dogmata B Hæc ideo, fratres, dicimus, ut & manus homicidas a fraterna nece contineatis, & pro fidei domeſticis vos externis nationibus opponatis, & ſub Jeſu Chriſto duce veſtro acies Chriſtiana, acies invictiſſima, melius quam ipſi veteres Iſraelitæ pro veſtra Jeruſalem decertetis, & Turcos, qui in ea ſunt nefandiores quam Jebuſæi, impugnetis & expugnetis.

Pulcrum ſit vobis in illa civitate mori pro Chriſto, in qua pro vobis Chriſtus mortuus eſt. Cæterum ſi vos antea mori contigerit, idipſum autumate mori in via, ſi tamen Chriſtus in ſua vos invenerit militia. Deus enim denarii retributor eſt prima & hora ſexta. Horrendum eſt, C fratres, horrendum eſt, vos in Chriſtianos rapacem manum extendere. In Saracenos gladium vibrare, ſingulare bonum eſt, quia & caritas eſt pro fratribus animas deponere. Ne vero de craſtinis eventionibus ſoliciti ſitis, ſciatis quia timentibus Deum nihil deeſt, nec iis qui eum diligunt in veritate. Facultates etiam inimicorum noſtrorum veſtræ erunt, quoniam & illorum theſauros expoliabitis, & vel victorioſi ad propria remeabitis, vel ſanguine veſtro purpurati perenne bravium adipiſcemini. Tali imperatori militare debetis, cui panis deeſſe non poteſt, cui quæ rependat nulla deſunt ſtipendia. Via brevis eſt, labor permodicus eſt, qui tamen immarceſcibilem vobis rependat coronam. Jam nunc erD go auctoritate loquamur prophetica. *Accingere homo unuſquiſque gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Accingimini*, inquam, *& eſtote filii potentes, quoniam melius eſt mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ & ſanctorum.* Non vos demulceant illecebroſa blandimenta mulierum rerumque veſtrarum, quin eatis; nec vos deterreant perferendi labores, quatenus remaneatis. *Pſalm. 44. 1. Mach. 3.*

Vos, fratres & coepiſcopi, conſacerdotes & cohæredes Chriſti, per eccleſias vobis commiſſas idipſum annuntiate, & viam in Jeruſalem toto ore univerſaliter prædicate. Confeſſi peccatorum ſuorum ignorantiam, ſecuri de Chriſto celerem impetrent veniam. Vos autem qui ituri eſtis, habebitis nos pro vobis oratores; nos habeamus vos pro populo Dei pugnatores. Noſtrum eſt orare, veſtrum eſt contra Amalecitas pugnare. Nos extendemus cum Moyſe manus indefeſſas orantes in cælum; vos exerite & vibrate intrepidi præliatores in Amalec gladium. Amen.

Fuiſſe autem multum in exhortando ſuis conciouibus Urbanum papam, docet etiam Donnizo presbyter in vita Mathildis verſibus iſtis, quibus & plurimum ipſum Chriſtianum populum profeciſſe teſtatur.

Urbani Galli papæ Petri quaſi ſancti. Urbanus papa multus in exhortando.
Dicta receperunt, & ei bona multa dederunt.
Verba ſalutis eis dabat hic paſtor vice Petri,

Nam

ANNO CHRISTI 1095.

Nam docuit ſummus pater illos ire ſepulcrum A
Ad Domini noſtri, locus ut purgetur, & hoſtis
Inde repellatur populus paganus amarus.
O fidei ſemen! bona germina quod modo præbes,
Cum utiles flores refluunt paſtoris ab ore,
Et pariunt fructus, &c.

Sed ne quid rerum geſtarum ac verborum papæ Urbani pereat, accipe ad eamdem expeditionem ſpectantem præſentem canonem:

Item placuit omnia bona eorum, qui Hieroſolymas pergunt, ſemper & ubique eſſe ſalva in pace & treuga, quouſque redierint.

Pax ubique expeditio Hieroſolymitana.

Recitantur iſta ibidem inter canones tunc ab Urbano papa editos, inter quos primus eſt de pace & B treuga conſtitutus.

Ut autem indictam in ſynodo expeditionem promoveret Urbanus papa, permanſit in Galliis. Epiſcopi autem ad ſua reverſi haud otioſi perſtitere, ſed in ſuis diœceſibus ſinguli ſingula circueuntes oppida, Hieroſolymitanam expeditionem magno animi fervore literis pontificiis indicebant. Porro eorum qui ejuſmodi cœleſti tuba excitati nomina dabant, infinita erat propemodum multitudo, ut opus fuerit deboriari plurimos, quorum vel ætas vel ſexus vel valetudo ponderi militari ſubeundo impar eſſe manifeſtis indiciis videbatur, adeo ut magnus fuerit delectus habendus.

Ubique expedito Hieroſolymitana.

Indulgentia ſtipendium. Petrus Diaconus chronici Caſſinenſis lib. 4 cap. 11. Crux teſſera militaris

Pro ſtipendio erat indulgentia peccatorum propoſita, atque, ut Petrus diaconus ait, erat pro militari ſignum ſanctiſſimæ Crucis. *De qua, inquit:* Ad hujus autem rei evidens indicium, communi conſilio ſignum ſanctæ Crucis ſuper ſcapulam dexteram impreſſere veſtibus. *At iſta anno ſequenti, quo ad bellum ſacrum delectus eſt habitus. Poſt ſynodum enim abſolutam, labente ad finem anno, urgente hieme, promovendi ultrius rem tantam interclusus eſt aditus.*

Ut autem res difficillima inchoanda, hactenus in eccleſia catholica intentata, optatum conſequi poſſet effectum, placuit Urbano pontifici Dei genitricis precibus annitendum, ut conciliaret ſibi cœleſte numen; quod probe ſciret experimento, quæque arduæ progreſſura feliciter, quibus beatæ Mariæ Virginis faveret gratia, & aſpiraret auxilium. Ad D *quod promerendum idem Chriſti vicarius eodem Claromontenſi Concilio, rogata ſententia patrum, egit ut horariæ illæ preces & laudes, quæ vulgo Dei genitricis appellari conſueverunt officium, apud monachos eremitas, inſtitutionis Petri Damiani, ut ſuperius vidimus, frequentari cœpta, ex illis deducerentur ad clericos, a quibus digne ex animo eidem ſanctiſſimæ Virgini perſolvi deberent, ut ipſa apud Filium precibus ageret, quo fidelis populus in tot & tantis diſcriminibus ſubeundis ejus ſuffulciretur auxilio, atque præſidio muniretur. Quod quidem tunc a ſancta ſynodo, Urbano agente, ea occaſione indictum, & a clericis pie ſuſceptum, ad laicos quoque fluxit tam viros quam mulieres propagatum, & quidem cum magno fenore gratiarum, ut experti ſunt* E *omnes, jugiterque experiuntur fideles illud ex animo frequentantes: quas preces & Carthuſiani divino monitu haud pridem ſuſcepere dicendas.*

Officium Dei genitricis Mariæ

Qui & ejuſdem ipſorum ordinis eandem Dei matrem adſciverit ſibi patronam, prout in rebus geſtis ſancti Brunonis ejus ordinis inſtitutoris apparet: in quibus & de præceptis in dicto Claromontenſi concilio iiſdem precibus mentio habetur.

PRIMA APPENDIX

ANNO CHRISTI 1095. Apud Serium tom. 3. die 6 Octob. in vita ſancti Brunonis cap. 11. 12.

AD CONCILIUM CLAROMONTANUM, celebratum anno MXCV. ſub Urbano papa II.

DECRETUM URBANI PAPÆ II. & ſynodi Claromontanæ, de Primatu Lugdunenſi.

Illud primus ex Mſſ. codd. protulit in lucem illuſtriſſ. Petrus de Marca, quem ad inſulas Pariſienſes evectum atque illico raptum doluimus cum primus hujuſce noſtræ ampliſſimæ collectionis tomus excudi typis inciperet.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Hugoni Lugdunenſi archiepiſcopo, & primati, ejuſque ſucceſſoribus canonice promovendis in perpetuum.

EX apoſtolicæ ſedis debito, & ſanctorum canonum auctoritate impellimur, in omnibus ubique terrarum eccleſiis, prave acta corrigere recta ſtatuta firmare. Unde cum nos in Galliarum partes venire ſupernæ diſpoſitionis dignatio conceſſiſſet, curæ nobis fuit apud Clarummontem Arvernæ generale concilium convocare. Ibi inter alia, quæ ad ſynodalem audientiam diſcutienda perlata ſunt, fraternitas tua de primatu ſanctæ C Lugdunenſis eccleſiæ querelam expoſuit, multis jam ante provincialibus conciliis agitatam. Lecta ſunt in eodem conſeſſu eundem primatum aſtruentia Romanæ & apoſtolicæ auctoritatis privilegia. Cum igitur Richerius Senonenſis archiepiſcopus pro cauſa hac die altero reſpondere præceptus eſſet, nullamque excuſationis rationem legitimam reddidiſſet, placuit tamen nobis ex apoſtolicæ manſuetudinis abundantia, ad deliberandum de ſubjectione hac, in diem tertium inducias indulgere. Tertio itaque die, cum ſe illo, partim pro negotii gravamine, partim pro ægritudinis occaſione, ſynodali conventui ſubtraxiſſet, per legatos requiſitus, & obedire renuens, adhuc deliberandi inducias flagitabat. Definitionis etiam jam Dimminente ſententia, rurſum ab Senonenſis eccleſiæ ſuffraganeis in diem alterum, ut eum familiarius conveniret, induciæ impetratæ ſunt; ea nimirum pollicitatione præmiſſa, ut ſi etiam ille tunc pertinaciter reniteretur, ipſi tamen definitioni concilii unanimiter obedirent.

Porro die jam texto concilii evoluto, cum ille adhuc inducias expetendo reſiſteret, ex totius ſynodi favore & judicio ſancitum eſt, Senonenſem archiepiſcopum Lugdunenſi tanquam primati ſubjectionem, obedientiamque debere, quia & catalogorum auctoritas, & ſedis apoſtolicæ idipſum conteſtabatur auctoritas. Cui profecto ſententiæ ſe humiliter obedituros, Senonenſis eccleſiæ ſuffraganei propria quiſque voce profeſſus eſt. Id- E ipſum etiam de Rothomagenſi eccleſia confirmatum eſt. De Turonenſi enim, quia jam a retroactis temporibus ſine refragatione obedierit, nulla jam quæſtio movebatur. Die vero concilii octavo, tua iterum fraternitas queſta eſt Senonenſem archiepiſcopum a legatis tuis, Aganone ſcilicet Eduenſi, & Lamberto Atrebatenſi epiſcopis admonitum, nullam adhuc Lugdunenſi eccleſiæ pro primatu reverentiam profiteri. Eapropter nos, toto conſentiente concilio, pallii uſum, & ſuffraganeorum obedientiam, donec ipſe obediret, Senonenſi archiepiſcopo interdiximus. In Rothomagenſem quoque, qui oberat, eandem ſententiam

tiam promulgamus, niſi infra tres menſes poſt ſententiam cognitam, ſi quidem viva voce non poſſet, ſubjectionem debitam ſcripto polliceretur. Ipſius itaque ſuffraganeis, qui præſentes aderant, ſententiam noſtram debita humilitate ſuſcipientibus, ac obedientiam promittentibus, ſic tandem Lugdunenſis eccleſiæ querela diuturna, annuente Domino, terminata eſt. Per præſentis igitur privilegii paginam, Lugdunenſi eccleſiæ tuæ primatum ſuper quatuor provincias confirmamus, & per eam tibi tuiſque ſucceſſoribus, his tantum qui eo ordine eoque tenore electi vel promoti fuerint, qui ſanctæ memoriæ Gregorii VII. privilegium prædeceſſori tuo Gibuino præfixus, & præſcriptus eſt. Provincias autem illas, quas vobis confirmamus, licimus Lugdunenſem, Rothomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem, ut hæ videlicet provinciæ condignam Lugdunenſi eccleſiæ obedientiam ſolvant, & honorem, quem Romani pontifices reddendum eſſe ſcriptis propriis præfixerunt, devote humiliterque, ſalva in omnibus ſedis apoſtolicæ reverentia & auctoritate. Si qua ſane in craſtinum eccleſiaſtica ſæcularive perſona hujus privilegii paginam ſciens, contra eam venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat: atque extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Interfuerunt autem definitioni huic archiepiſcopi diverſarum provinciarum numero duodecim, cum epiſcopis octoginta, abbatibus nonaginta, & eo amplius.

Datum apud Clarummontem Arverniæ per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, Kalendis Decembris, indictione tertia, anno dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimoquinto, pontificatus autem domini Urbani ſecundi papæ anno octavo.

DE PRIMATU LUGDUNENSI & cæteris Primatibus,

Fuit poſtea Toloſanus Archiepiſcopus, ac demique Pariſienſis.

DISSERTATIO * PETRI DE MARCA ordinarii in Sacro conſiſtorio conſiliarii, in ſuprema Navarræ curia præſidis, & a rege Chriſtianiſſimo ad epiſcopatum Conſoranenſem nominati.

Occaſio hujus diſſertationis.

1. EDitam a nobis Vigilii ſummi pontificis decretalem epiſtolam pro confirmatione quintæ ſynodi, noſtramque de illius epiſtolæ fide & auctoritate diſſertationem, cum editioni regiæ conciliorum curatores illius operis adjeciſſent: illud etiam a me contenderunt ut Urbani ſecundi decretum de primatu eccleſiæ Lugdunenſis ex ſententia ſynodi claromontanæ conditum, quod anno ſuperiori ex manuſcripto codice Lugdunenſi deſcripſeram, non ſolum publici juris facerem, ſed obſervationibus etiam aliquot illuſtrarem. Non potui tam juſtæ virorum eruditorum petitioni deeſſe, præſertim cum ipſi expromitterent pleriſque non ingratam fore hanc operam noſtram, eo quod de primatuum origine, aliiſque rei canonicæ articulis, qui huic materiæ accedunt, nova ratione diſſertatio a nobis inſtitueretur. Illud ergo decretum nunc primum edimus in lucem, quod in ſynodo Claromontana, cognitione habita, latum eſt. Nota eſt omnibus occaſio cogendæ illius ſynodi ab Urbano; quæ nomen ſumpſit ab urbe Claromonte. Ea olim dicta eſt civitas Arvernorum, tum in noſtriis, tum apud Sidonium, & alibi. Apud Ptolemæum vero Nemoſium: unde viri eruditi ſibi perſuaſerunt, ſynodum Claromontanam, quæ Arvernenſis vocatur ab Ivone, & ipſo Urbano, Nemoſienſem quoque dictam ab illius ætatis ſcriptoribus, quamvis vitiate Nemauſenſem ſcripſerint. Attamen certum eſt, Nemauſenſem ſynodum habitam fuiſſe ab Urbano, anno ſequenti poſt Claromontanam in urbe Nemauſo apud Septimanos, ut diſerte docent fragmenta Helgaudi Floriacenſis, Urbanus ipſe in altera epiſtola, quam edimus numero CXVII. hujus diſſertationis, & judicium redditum in ea ſynodo ſuper lite eccleſiæ ſancti Saturnini Toloſani, quod refertur a viro clariſſimo Catello in Anselio Toloſano. Ex hoc autem decreto noſtro conſtat, primatum, quem in quatuor provinciis eccleſia Lugdunenſis conſecuta eſt Gregorii ſeptimi beneficio anno 1079. ab Urbano ſecundo confirmatum in ſynodo Claromontana anno 1096. rejecta Richerii Senonenſis interceſſione. Ad ejus interpretationem duo præcipue capita tractanda ſunt; primum, quid ſignificetur primatus nomine, quod tam frequenter in antiquis mediæque ætatis ſcriptoribus & conciliis occurrit. Secundum, in quo firmamentum cauſæ poſuerint Gregorius ſeptimus & Urbanus, ad aſſerendum Lugdunenſis eccleſiæ primatum. Quoniam vero fieri non poteſt, ut eorum capitum diſcuſſione defungar, quin cæterarum provinciarum primatus attingam, de eorum origine, deque antiqua civili & eccleſiaſtica provinciarum diviſione, in Gallia, Africa, Illyrico, & Hiſpaniis diſputatur, adjecta variorum canonum concilii Chalcedonenſis, ſynodorum Africanarum, aliarumque nova plerumque explicatione.

Diſſicultas hujus opuſculi.

Primates, qui primum locum obtinent.

II. Ut igitur rem ipſam aggrediar, obſervandum eſt primates in univerſum dici eos qui principem locum in aliquo collegio obtinent: vel proceres alicujus gentis, quemadmodum apud Ammianum dicuntur primates regionis Alamannorum; apud Ambroſium primates conſiſtorii. Primates quoque civitatum & ordinum dicuntur ab imperatoribus municipales magiſtratus, qui decurionum ordini præſunt. Inde vox ipſa in eccleſiaſticum uſum irrepſit, ad ſignificandam eorum epiſcoporum prærogativam, qui provinciæ ſuæ concilio præerant: quod probatur eleganti teſtimonio petito ex canone ſecundo concilii Taurinenſis, quod habitum eſt anno 397. *Illud inter epiſcopos urbium Arelatenſis & Viennenſis, qui de primatus apud nos honore certabant, a ſancta ſynodo definitum eſt, ut qui ex iis comprobaverit ſuam civitatem eſſe metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipſe, juxta præceptum canonum, ordinationem habeat poteſtatem.* Ex eodem canone illud quoque colligitur, hanc prærogativam, illi epiſcopi deberi in unaquaque provincia, qui eam civitatem obtinebat, quæ in laterculo imperii metropolis dignitate fruebatur. Hoc apprime congruit cum definitione canonis noni Antiocheni, ubi hujus inſtituti ratio redditur; nempe quod in metropoli conventus juridici agi ſolerent a præſidibus provinciarum. Ad conventus enim illos præcipue reſpiciunt patres Antiocheni, his verbis: Δεῖ τὰς ἐν ἑκάστῃ ἐπαρχίᾳ τοπικὰς συνόδους γίνεσθαι ἐν τοῖς ἐν μητροπόλεσι τόποις, id eſt, ex interpretatione Dionyſii, *Propterea quod ad metropolim omnes, qui negotia videntur habere, concurrunt.*

Primatus pro jure merè politico.

Canon Antiocheni concilii illuſtratur.

Primates in Africa.

III. Ceterum frequentiſſima occurrit primatum mentio in conciliis Africanis, & apud Auguſtinum: qua voce illi epiſcopi ſignificantur qui ſunt primæ ſedis epiſcopi, & conciliis provinciarum ſuarum præſident. Ecce, cap. 19. collectionis Africanorum conciliorum: *Quiſquis epiſcoporum accuſatur, ad primatem provinciæ ipſius cauſam deferat accuſator.* De appellatione clericorum ſtatuitur canone 28. ut provocent *ad primates ſuarum provinciarum.* Sed obſervandum eſt ſedulo diſcrimen quod inter primates Africanos & cæteros intercedit. Prima etenim ſedes in aliis provinciis aſſignata eſt civitati metropoli, id eſt quæ mater urbium habetur in ordine civili: in Africa vero qui ex epiſcopis ordinationis tempore collegas ſuos anteibat, primas nuncupabatur, ſeu primæ ſedis epiſcopus. Itaque, licet e ſex provinciis, ex quibus Africana dicecſis conſtabat, duæ Mauritaniæ, Numidiæ, Byzacena; & Tripolitana, ſua quæque metropoli in ordine imperii non carerent: prima tamen ſedes eccleſiaſtica non erat illi addicta, ſed epiſcopum ſeniorem ſequebatur. Unde in cap. 86. collectionis Africanæ prima ſedes Numidiæ aperte diſtinguitur a Conſtantina, metropoli ejuſdem provinciæ. Orto enim diſſidio inter epiſcopos, quo in loco tabulæ eccleſiaſticæ, ſeu regeſta provinciæ, ſervarentur, conſtitutum eſt ut in urbe metropoli conderentur, (ipſæ ſortaſſis authenticæ literæ) ubi tutior erat cuſtodia; tum etiam in prima ſede, (exempla fortaſſe literarum) ut primæ ſedis epiſcopo parata eſſent ad manum, ne hac in parte a metropolecos epiſcopo penderet. Hanc puto eſſe canonis iſtius ſententiam: *Deinde placuit omnibus epiſcopis, qui in hoc concilio ſubſcripſerunt, ut matricula & archivus Numidiæ, & apud primam ſedem ſit, & in metropoli, id eſt Conſtantina.* Solius Carthaginis ſplendor id obtinuerat, ut illius

Diverſi ab epiſcopis metropoleos.

Duplicatur canon Africanus.

illius civitatis episcopus primas esset proconsularis provinciæ, imo vero & caput reliquarum quinque provinciarum, quas enumeravi. Non moror in probando speciali isto Africanarum ecclesiarum usu, qui primatum provinciæ non civitatibus, sed personis dabat: abunde id præstiterunt eruditi viri, adductis & discussis locis ex Augustino, Africanis conciliis, Gregorio primo, & Leone nono petitis: explosa recentiori quadam opinione, quæ primates vagos & desultorios in in Africa, ratione antiquioris ordinationis fatetur; sed metropoleon episcopis subditos fuisse frustra contendit.

Primates Africani usi jure metropolitanorum.

IV. Quod ad rem nostram pertinet, ex lectione canonum Africanorum conficitur, primates episcopos dici eos qui provincias quinque suas administrabant, quos in reliquo orbe Christiano metropolitanos dici moris erat, quia primatus dignitas pendebat ex dignitate metropoleos. Quare Ferrandus diaconus Carthaginensis in breviatione canonum tit. 4. recte ad primates Africanos transtulit eos conciliorum veterum canones, qui de metropolitanis loquuntur: exemplo Africanæ synodi, in epistola ad Cælestinum, quæ decreta Nicæna de metropolitarum auctoritate, ad provinciarum Africanarum concilia, earumque primates traxit.

Metropolitani in reliquo occidente dicti sunt primates.

V. Nec sane rectius metropolitani Latine efferri poterant, quam si primates dicerentur. Unde Leo I. hanc vocem eo sensu usurpat, in epistola 92. qua Theodorum Forojuliensem episcopum sui officii monet, ut sedem apostolicam de re dubia non ante consulat, quam de eo, quod quærendum videbitur, cum metropolitano suo contulerit. Addit vero statim regulam: *Quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, sine primatibus nihil oportet inquiri*. Quod haustum est ex usu civili, juxta quem *legatos non oportet principem consulere, sed proconsulem suum*, ut loquitur Ulpianus. Alibi idem Leo conqueritur Anatolii Constantinopolitani ambitu in oriente, *metropolitanorum jura primatuum* convelli. Quare recte Dionysius Exiguus lemma canonis 35. apostolici, ubi de metropolitanis agitur, *De primatu episcoporum*, inscripsit. Eo exemplo Martinus Bracarensis in collectione sua can. 4. primatum metropolitanis tribuit anno 572. *Per singulas provincias oportet episcopos cognoscere primatum metropolitani episcopi, & ipsum primatus curam suscipere*. In concilio quoque Bracarensi I. anno 563. can. 6. *Item placuit, ut conservato metropolitani episcopi primatu, cæteri episcoporum secundum suæ ordinationis tempus, alius alio sedendi deferat locum*. Attamen illud omitti non debet, aliquando eos episcopos a pontificibus primates dictos, qui aliis coepiscopis ordinationis tempore potiores essent, etsi nulla ex eo primatu illis competeret auctoritas. Unde ab Hilaro papa Constantius Uceticæ ecclesiæ antistes dicitur esse *primas ævo honoris*. Et ibidem cura provinciæ Narbonensis, ob suspensionem Hermetis metropolitani, transfertur ab Hilaro ad eum *quem reperit episcopalis ordo primatem*. Eo sensu Leo I. primates presbyterorum dixit eos qui cæteros ordinatione antecederent.

Antiquior episcopus aliquando primas dictus.

VI. Sane diffitendum non est, quin primatus ad significandam apostolicæ sedis dignitatem & auctoritatem ab antiquis usurpatus fuerit, ut in Novella constitutione Valentiniani imperatoris. In lemmate quoque antiquæ interpretationis Latinæ manuscriptæ Canonis 6. Nicæni, *quod ecclesia Romana semper habuit primatum*: quæ verba recitata sunt ex codice Paschasini in concilii Chalcedonensis actione 16. Unde magistratus ab imperatore delegati, recte in eadem actione decreverunt ex sententia synodi, conservanda esse Romæ archiepiscopo, juxta canones, πᾶν πρωτεῖον, καὶ ἐξαίρετον τιμήν id est, ut vertit statim antiquus interpres concilii Chalcedonensis, *omnem primatum, & honorem præcipuum*. Quare non quemlibet primatum Romanæ sedi asserunt veteres, cum ipsi quoque metropolitani primatu suo fruerentur; sed præcipuum primatum in ecclesia universa, &, ut loquitur eleganter Pelagius I. in epistola ad Sapaudum, *Apicem primatus, a solis ortu usque ad occasum*.

Primatus Romanæ sedis.

VII. Post editam Isidori collectionem invecta est in occidentem nova primatum usurpatio, quæ quidem ex epistolis veterum pontificum huic compilationi insertis profluxit: quoniam vero Lugdunensis primatus origo inde quoque profecta est, pauca dicam de collectionis illius initiis, quæ valde controversa sunt. Ecclesia Hispanica, Gallicanæ ceterarumque occidentalium exemplo, usa est veteri illo codice canonum, qui canone 1. Concilii Chalcedonensis confirmatus est, & quo ecclesia Romana utebatur, ut patet ex canone 18. Synodi Bracarensis, & can. 3. Synodi Toletanæ; quæ codicis illius specialiter meminere. His canonibus antiquis adjecti sunt canones in singulis conciliis Hispanicis editi: quinetiam & Gallicani canones, quos laudat concilium Tarraconense can. 11. eorumque constitutionem de monachis latam servari præcipit. Occurrunt quoque synodi Agathensis & Regensis canones, in conciliis Ilerdensi, Valentino & Hispalensi primo laudati. Nec omissæ sunt in codice Hispanico epistolæ pontificum ex collectione Dionysii Exigui, ut colligere licet ex conciliis Toletanis III. & IV. quemadmodum ante nos observarunt viri eruditi. Corpus istud tempore Isidori Hispalensis, qui obiit anno 636. complectebatur, præter veteres canones synodorum Græcarum ex antiqua interpretatione Latina, Sardicenses, Africanos, Hispanicos, & Gallicanos, atque pontificum Romanorum decretales epistolas, a Siricio ad Gregorium I. Frustra ergo disputant eruditi viri an Isidorus Hispalensis aliquam canonum collectionem ediderit, cum ipsa collectio extaret ante Isidori tempora, licet aliquot deinde synodis illius ætate celebratis aucta esset.

Nova primatum origo ex collectione Isidori.

Codex canonum ecclesiæ Hispanicæ.

VIII. Id unum præstitit Isidorus; indicem nempe titulis distinctum composuit, qui præfixus est collectioni, ea arte, ut unicuique titulo certam aliquam materiam complectenti, adjunxerit numeros canonum & decretorum eo pertinentium, ad exemplum Ferrandi diaconi Carthaginensis. Eum indicem veteri cuidam collectioni manuscriptæ præfixum testatur Antonius Augustinus, licet dubitet an tribuendus sit Isidoro, ob quorumdam versuum qui illi subjiciuntur ineptiam. Sed expunctis versiculis illis, quos exscriptor de suo addidit, titulorum ordo & verba eruditionem & sæculum Isidori mihi spirare videntur. Inde factum ut a posteris integra collectio diligentiæ Isidori facile tributa sit. Cui deinde adjecta sunt concilia Toletana, a V. ad XII. & cætera Hispanica, post obitum Isidori celebrata; nulla vero Gallicana adjuncta sunt. Ejus collectionis exemplaria quædam manuscripta visuntur in Hispaniæ bibliothecis. Nos vero collectionem antiquissimam manuscriptam vidimus in celeberrima & instructissima bibliotheca viri superillustris Petri Seguierii Franciæ cancellarii, quæ constat ex indice illo Isidori, & ex canonibus atque decretis pontificiis, cuique titulo juxta indicis seriem ἀυτολεξεὶ subjunctis. Hæc eadem collectio auctior deinde facta est accessione canonum apostolicorum, quos Isidorus Hispalensis, in libris originum, apocryphis accenset, juxta Gelasii definitionem; unde olim omissi fuerant ab episcopis Hispanis. Crevit quoque accessione epistolarum pontificiarum, non solum Gregorii II. & III. atque Zachariæ, sed etiam earum quæ editæ sunt sub nomine Clementis, Anacleti, & reliquorum pontificum usque ad Siricium. Uberior ista collectio publicata est sub antiquo Isidori Hispalensis nomine, teste Hincmaro epistola 8. capitulo 22. ad conciliandam scilicet auctoritatem novis illis epistolis, quæ tunc præfixis veterum pontificum titulis interpolatæ sunt. Ab illa vero auctoritate plane intercidissent, si novitii & incogniti omnino collectoris nomine, nempe Isidori Mercatoris, ut vulgo putant, prodiisset. Advectum est ex Hispania in Gallias novum aliud juris canonici corpus studio & opera Riculfi, qui ex archicapellano palatii ordinatus Moguntinus episcopus anno 785. per universas Gallias illud publicavit, & ex epistolis pontificum ea tempestate concinnatis aliquot fragmenta in leges capitulares Caroli Magni & Ludovici a Benedicto Levita collectas referri obtinuit, ut notat Hincmarus opusculi capitulo 24. Eodem tempore capitula Hadriani I. ad Angilramnum Metensem episcopum emerserunt, in quibus eædem verba sæpe reperiuntur, quæ in subdititiis, quamvis non inutilibus, epistolis extant; ita ut ex altero in alterum codicem transcripta videantur. Proclivior in id sum, ut existimem Hadrianum ex epistolis ea sumpsisse. Ait enim se ea capita desumpsisse ex synodis & decretis præsulum ac principum Romanorum, ut videatur omnino ad decretales illas epistolas respexisse, quæ *decreta præsulum Romanorum* nuncupantur in nova collectione Isidori: de cujus auctoritate per Gallias olim recepta pluribus egi libro tertio, *De concordia sacerdotii & imperii*.

Collectio Isidori.

Aucta canonibus apostolorum & veterum pontificum decretalibus.

Publicata in Galliis.

IX. Ex his ergo epistolis manavit, ut primates dici cœperint non singuli metropolitani, quemadmodum in usu fuisse apud veteres docuimus initio, sed illi episcopi qui plures provincias & earum metropolitanos administratione sua complectebantur. In illa enim significatione usurpatur primatis vox apud Anacletum, qui diserte patriarchas cum primatibus confundit. *In majoribus civitatibus*, inquit, *Patriarchas, vel primates, qui unam formam tenent, licet divisa sint nomina, leges divinæ & ecclesiasticæ poni & esse jusserunt*. Hanc primatis significationem hausit auctor ex interpretatione Latina canonis 9. & 17. Chalcedonensis, quæ his verbis utitur, tum apud Isidori veterem collectionem, tum apud Dionysium Exiguum. *Quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum*, inquit canon 9. *episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum judicetur*. & can. 17. *Quod si quis a metropolitano læditur, apud primatem diœceseos, aut apud Constantinopolitanam sedem judicetur, sicut superius dictum est*.

In hac collectione primates dicti qui præsunt metropolitanis.

Ex canone Chalcedonensi male accepto.

Sed

Primas dioceſeos.

ſed obſervare debuerat auctor epiſtolarum, in illis canonibus non agi de unoquoque primate abſolute, ſed cum adjuncto, de primate dioeceſeos. Quare verum erit per primatum dioeceſeos ſignificari patriarcham, ſed non inde ſequitur omnem primatem eſſe patriarcham, cum metropolitani quique primates ante proprie dicerentur.

Hodoporia ad explicationem canonis Chalcedonenſis.

X. Enimvero cum ex horum canonum interpretatione proſluxerit nova iſta primatis ſignificatio, quæ deinde in alteram ſignificationem detorta, ſola deinceps obtinuit apud canonum collectores, Burchardum, Ivonem, Gratianum, in libris quoque decretalium: non alienum erit ab inſtituto de iis pauca dicere: primo, eo præcipue quod licet Zonaras & Balſamon, tum etiam hoc noſtro ſæculo eruditiſſimi viri, horum canonum explicationem tentarint, nondum tamen aliquis eam plene, ut opinor, eſt aſſecutus. Nunc fere omnibus notum eſt, dioeceſim hoc loco ſumi pro tractu diverſarum provinciarum in unum corpus compactarum, cujus generis erant quinque in orientis imperio, nempe dioeceſis Ægyptiaca, orientalis ſpecialiter dicta, Aſiana, Pontica, & Thracica. Occidentis imperium in dioeceſes ſeptem vel octo diviſum erat, Urbicariam, Italicam, Gallicanam, Hiſpanicam, Britannicam, Africanam, & Illyricianam; quæ in duas partes a Theodoſio facta eſt, ita ut Illyricum orientale, quod Macedoniam & Daciam continebat, ceſſerit orientis imperio. Sed in adminiſtratione eccleſiaſtica diverſa erat ratio occidentis & orientis. Etenim in occidente, ſi demas Africam, nullus provinciarum metropolitanis præfectus erat epiſcopus, præter pontificem Romanum. In oriente autem eccleſia, unaquæque dioeceſis regebatur a ſua ſynodo, ita tamen ut exarcho quæque ſuo pareret. Præfecti dioeceſibus epiſcopi dicuntur a Græcis οἱ ὑπὲρ διοικήσεων ἐντεταγμένοι, id eſt, ut vertit Dionyſius Exiguus, *qui ſunt ſuper dioeceſim epiſcopi*, can. 12. concilii Conſtantinopolitani: ubi quinque dioeceſes orientales recenſentur, nempe Ægyptiaca, quæ ſuberat Alexandrino epiſcopo, ut orientalis Antiocheno, Aſiana Epheſino, Pontica Cæſareenſi, Thracica antea quidem Heracleenſi, tunc vero ſubdita epiſcopo Conſtantinopolitano. Præfectus dioeceſi epiſcopus dictus eſt a Græcis ἔξαρχος τῆς διοικήσεως in concilio Chalcedonenſi: unde Antiochenus patriarcha Domnus dicitur ἔξαρχος διοικήσεως ἀνατολῆς in concilio Antiocheno relato actione 14. ſynodi Chalcedonenſis. Eo nomine comprehenduntur ſinguli exarchi quinque dioeceſeon orientalium, quia, ut dixi, earum adminiſtratio per tractus & dioeceſes erat diſtributa, præter morem occidentalis eccleſiæ, in qua nullus erat dioeceſeos exarchus, ut ſupra monui; ita ut ex hoc capite colligatur ad occidentem trahi non poſſe nec verba nec mentem canonum Chalcedonenſium.

De dioeceſibus occidentis & orientis.

Exarchus dioeceſeos.

Explicatio Can. 9. & 17. Chalcedonenſium.

XI. His poſitis, mens canonum Chalcedonenſium ſeſe patefacit: iis nempe cavetur ut actio adverſus metropolitanum intendatur coram exarcho cujuſque dioeceſeos, cui metropolitanus ſubditus eſt: qui quidem, cogita totius dioeceſeos ſynodo, controverſiam dirimet. Itaque Ægyptii coram Alexandrino exarcho adverſus metropolitanum diſceptabunt, orientales coram Antiocheno, Aſiani coram Epheſino, & ſic de Ponticis, & Thracicis. Attamen iiſdem canonibus electio datur actori, ut agat, ſi malit, coram epiſcopo Conſtantinopoleos, omiſſo exarcho ſuæ dioeceſeos, apud quem ne metropolitanus gratia valeat fortaſſe veretur. Eximium ſane privilegium, quo per univerſos orientales tractus epiſcopi Conſtantinopolitani auctoritas diffunditur, ita ut judicium quoddam extraordinarium in metropolitanorum cauſis omnibus, id eſt civilibus & criminalibus, exerceat. Jus autem illud ex eo profectum eſt, quod illi primatus honoris poſt Romanum pontificem in quinque orientalibus dioeceſibus communicatus eſt, canone 12. concilii Conſtantinopolitani: Τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν νέαν Ῥώμην, id eſt, ex verſione Dionyſii, *Verumtamen Conſtantinopolitanus epiſcopus habeat honoris privilegium poſt Romanum epiſcopum, propterea quod urbs ipſa ſit junior Roma*. Unde patet privilegium iſtud Conſtantinopolitano epiſcopo collatum non porrigi ad occidentalis eccleſiæ provincias, quæ ſpeciali quodam jure a R. mano pontifice tanquam patriarcha adminiſtrabantur. Neque enim fas erat ut is, cui ſecundæ partes delatæ erant, juriſdictionem aliquam exerceret in finibus primi epiſcopi, poſt quem ex diſerta Canonis Conſtantinopolitani ſententia conſtitutus erat. Quanta ergo pollere par erat auctoritate Romanum pontificem, cum ab eo ſecunda poteſtas, & ad Romanæ ſedis exemplum efficta, tantopere vigeret? Hoc argumentum uſurpaſſe me superioribus annis memini inter familiares ſermones, quos vir celeberrimi inter Novatores nominis mecum miſcebat: qui eam animadverſionem ſequentibus argumentis inſtructam ſibi non diſpliciſſe ſcripto teſtatus eſt.

Privilegium collatum ſedi Conſtantinopolitanæ in cauſis metropolitanorum.

Exceptio evidens.

XII. Ut autem ſplendidior ſit hujus argumenti probatio, oſtendendum eſt Romanum epiſcopum tunc temporis eo jure uſum, ut primo judicio de metropolitanorum cauſis decerneret. Collatam quidem illi aut renovatam fuiſſe poteſtatem a concilio Sardicenſi, de appellationibus epiſcoporum depoſitorum cognoſcendi, nullus ignorat: ſed an illi prima cognitio metropolitanorum competeret, nondum aliquis annotavit. Id tamen aperte conſtitutum eſt in concilio Romano ex univerſa Italia coacto, cui Ambroſius intererat, anno 378. & reſcripto Gratiani principis confirmatum: *Si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerſerit, omnino ejus cauſæ diſtio ad metropolitæ in eadem provincia epiſcopi deducatur examen. Vel, ſi ipſe metropolitanus eſt, Romam neceſſario, vel ad eos quos Romanus epiſcopus judices dederit, ſine dilatione contendat.* Ediderat hoc reſcriptum, ſed mendoſum, illuſtriſſimus Baronius; caſtigatum vero, & ſynodi Romanæ epiſtolæ auctum, publicavit vir eruditiſſimus Sirmondus, poſt appendicem codicis Theodoſiani. Iſtius moris meminit Leo primus in epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, quæ relata eſt in codicem canonum eccleſiæ Romanæ: *Si quid grave intolerandumque committeret*, metropolitanus, *noſtra*, inquit, *erat expectanda cenſura, ut nil prius ipſe decerneret, quam quid nobis placeret agnoſceret.* Gregorius I. eumdem morem indicat lib. 7. regiſtri, epiſt. 8. ubi monet Vincentium, & cæteros epiſcopos inſulæ, ut, ſi ad tranſmarina ſe conferre voluerint, licentiam petant a metropolitano ſuo ſecundum regulas patrum, *excepto*, inquit, *ſi, quod non optamus, contra eumdem metropolitanum veſtrum vos habere aliquid cauſæ contigerit, ut ob hoc ſedis apoſtolicæ judicium requiratis.* Quare non dubitavit epiſtolarum pontificiarum auctor conſtituere ex antiquo more, ſub nomine Aniceti, Sixti, & Julii, ut querela adverſus metropolitanum ad primatem dioeceſeos, vel ad ſedem apoſtolicam referatur. Quinimo eamdem plane in epiſtola Victoris diviſionem ſequitur, quæ ſancita eſt in concilio Romano habito ſub Damaſo, ſcilicet ut de contumacia metropolitani cognoſcat Romana ſedes; vel cauſam in provinciis judicandam deleget. Hadrianus I. in capitulis ſuis mentem harum epiſtolarum ſecutus, quæ in canone Chalcedonenſi de ſede Conſtantinopolitana ſtatuuntur, ad ſedem apoſtolicam tranſtulit. Hadriani autem verba tranſcripta ſunt libro 7. capitularium, titulo 241. quæ ideo annotavi, ut pateat unicuique ab epiſtolarum auctore in re ipſa fraudis & impoſturæ ſuſpicionem abeſſe, quam illi a pleriſque hoc loco impingitur, ac ſi per injuriam provincialium ſynodorum, majeſtatem Romanæ ſedis amplificare voluiſſet: cum ex iis, quæ retuli, evidenter probatum ſit, metropolitanorum primam cognitionem Romanis epiſcopis confirmatam, decreto veteris ſynodi Romanæ, anno 378. Quod in rebus ipſis obtinuiſſe olim, etiam in cauſis cæterorum epiſcoporum, quamvis non adeo frequenter, ex Zoſimi, Leonis, Hilarii aliorumque pontificum literis, aliis demonſtramus.

Pro tibi Romanus de metropo. Imus primo judicio cognoſcebat

XIII. Quare collata ſemel epiſcopo Conſtantinopolitano primatus prærogativa poſt Romanum pontificem, ut factum eſt anno 381. per canonem ſecundæ ſynodi, facile fuit metropolitanorum cognitionem, anno 378. Romano epiſcopo adjudicatam, transferre in epiſcopum Conſtantinopolitanum per orientales tractus; ea tamen lege, ut patriarcharum & exarchorum antiquam juriſdictionem non convelleret, quemadmodum canone illo ſtatuitur; ſed jure tantum *prærogativæ* uterentur, ut explicatum eſt in concilio Chalcedonenſi. Ejus privilegii quaſi poſſeſſionem cepit Nectarius Conſtantinopolitanus, qui cauſam Agapii & Gabalii de metropoli Boſtrorum, provinciæ Arabiæ, dioeceſeos Antiochenæ contendentium, in ſynodo Conſtantinopolitana diremit, anno 394 ut docent excerpta ejus ſynodi libro ſecundo ſententiarum ſynodalium, in collectione juris Græco-Romani. Hinc petenda eſt ratio, cur Ambroſius Mediolanenſis eumdem Nectarium rogaret, ut Gerontium Nicomedienſem provinciæ Bithyniæ metropolitam, in Pontica dioeceſi, ſacerdotio depoſitum, ἐπίσκοπον Νικομηδείας διαδόξασθαι τῆς ἰδίας πόλεως, apud Sozomenum l. 8. cap. 6. Atticus Conſtantinopolitanus diſceptan es de Synodorum epiſcopatu, id eſt de Phrygiæ Pacatianæ metropoli, in Aſiana dioeceſi, Theodolium & Agapetum judicio ſuo compoſcuit, ſcripſitque Agapeto, ut epiſcopatum retineret, ἔχοιτο τῆς ἐπισκοπῆς, ut tradit Socrates lib. 7. cap. 3. Litem motam inter epiſcopum Nicænum, & Nicomedia metropolitam provinciæ Bithyniæ, Ponticæ dioeceſeos, de ordinatione epiſcopi Baſilinopoleos, Joannes & Proclus epiſcopi Conſtantinopolitani reſcriptis ſuis ſopierunt, donec peremptorie deciſa eſt a concilio Chalcedonenſi, ut patet actione decimatertia.

Hoc jus communicatum Conſtantinopolitanæ ſedi per orientem.

Jure prævenit ideo tantum.

XIV. Sed egregium hujus privilegii exemplum petendum est ex cognitione quæ instituta est adversus Ibam metropolitam Edessenum orientalis diœceseos in concilio Tyrio a judicibus, quos Flavianus Constantinopolitanus delegavit, una cum rescripto Theodosii imperatoris. Accusaverant hæreseos Ibam clerici Edesseni coram Domno patriarcha Antiocheno: dein consilio mutato, Flavianum adierunt, qui criminis cognitionem detulit tribus metropolitis ejusdem diœceseos, nempe Photio Tyri, Eustathio Beryti, & Uranio Himerorum, qui in colonia Tyri judicium susceperunt. Quo in negotio Flavianus se ad morem Romanæ sedis composuit, quæ aut ipsa judicabat, aut dabat judices, juxta decretum concilii Romani, & Gratiani imperatoris rescriptum. Meminit delegationis a Flaviano factæ Eulogius diaconus Constantinopolitanus in actis concilii Tyrii, judices datos alloquens: *Adeuntibus clericis*, inquit, *sanctissimum archiepiscopum Flavianum, & accusantibus Ibam, Joannem & Danielem, approbavit ejus sanctitas vestram religiositatem audire negotium*: Ἐδοκίμασεν ἡ αὐτοῦ ἁγιότης τὴν ὑμετέραν θεοσέβειαν ἀκοῦσαι τῆς ὑποθέσεως. In libello quoque Samuelis, & aliorum presbyterorum Edessæ, oblato judicibus datis, non omissa est delegatio Flaviani, munita rescripto principis: *Sanctissimo*, inquiunt, *nostro archiepiscopo Flaviano pariter decernente, & cum piissimo nostro principe disponente, a vestra sanctitate nostrum exerceri negotium advenimus parati nobis adesse*. Φλαβιανοῦ συμψηφισαμένου τοῦ ὁσίου βασιλέως, καὶ τυπώσαντος. Excerpsi locos istos ex actis concilii Chalcedonensis, ut constaret Flaviani auctoritatem intercessisse ad judices illos dandos, & evocandum negotium a patriarcha Antiocheno. Ceterum ex interlocutione judicum qui erant ex diœcesi orientali, solum principis rescriptum insertum est actis Tyriis; ne Flaviano se nimis abjecte, atque in contumeliam concilii Antiocheni, ubi accusatio incœpta erat, submisisse viderentur.

Præter superiora exempla, id docet delegatio facta a Flaviano, facta in causa Ibæ.

Munita rescripto principis.

Judicium quoque Flaviani.

XV. Aliud illustre testimonium occurrit in Synodi Constantinopolitanæ actis adversus Eutychem, relatis actione prima Concilii Chalcedonensis. Etenim in actione prima ejus Synodi, recitatis mutuis relationibus hinc Florentii Sardium metropoleos episcopi, provinciæ Lydiæ, Asianæ diœceseos, & illinc Joannis & Cossini episcoporum ad Flavianum missis, controversia dirempta est a Flaviano in dicta Synodo Constantinopolitana, Τότε ἐνδημούσης συνόδου ἐπὶ τῆς ἀποφάσεως. De provinciæ Phœniciæ divisione inter Photium Tyri episcopum metropolitam, & Eustathium Beryti, recens a principe metropolitica dignitate ornatæ, constituit Anatolius ex sententia synodi in urbe Regia coactæ, & contumacem Photium a communione suspendit, absente a synodo Maximo Antiocheno quamvis non ab urbe; qui judicio deinde privatim subscripsit, ut docet actio quarta concilii Chalcedonensis. Non utor literis Procli Constantinopolitani ad Domnum Antiochenum datis, in causa Athanasii Perrheni episcopi, quæ referuntur actione decimaquarta concilii Chalcedonensis, quia non pertinent ad præsentem quæstionem: sunt enim literæ commendatitiæ tantum, adjunctæ aliis quoque Cyrilli Alexandrini literis, quibus rogatur Domnus, ut causam Athanasii foveat, a clericis suis, ut jactabat, male habiti.

Et Anatolii.

XVI. Ceterum quoniam ea tempestate, controversiæ omnes a patriarchis in synodis disceptabantur: episcopus Constantinopolitanus judicia metropolitanorum non exercebat in synodo quadam ordinaria, Thracicæ forte diœceseos, quam solam in urbem regiam evocare poterat: quia plane acerbum fuisset alienarum diœceseon metropolitanis, caput suum & fortunas Thracicis episcopis submittere. Sed in dirimendis causis illis assidebat ei synodus quædam *extraordinaria*, quæ conflata erat ex iis episcopis universi imperii orientalis, qui erant frequentes in comitatu principis. Conventus ille, synodi canonicæ vices implebat, quemadmodum docuit Anatolius episcopus Constantinopolitanus in concilio Chalcedonensi, interrogatus a judicibus cognitoribus in causa Photii, de qua superius actum, *An synodum appellare oporteat conventum episcoporum, qui in regia civitate diversantur*. Tryphon episcopus Chii statim respondit: *Synodus appellatur, & conveniunt, & laborantes aliqua oppressione, sua jura nanciscuntur*. Sed diserte Anatolius, cui præcipue incumbebat, ut judicibus & concilio causam suam adversus Photium approbaret, ait: *Tenuit pridem consuetudo, ut qui in magna hac civitate morantur sanctissimi episcopi, cum eos temporis occasio vocat, de emergentibus quibusdam ecclesiasticis causis, conveniant, ac singula definiant, responsoque eos dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergo a me factum est, quod novitati sit affine, nec qui ex consuetudine consederunt sanctissimi qui in civitate erant episcopi, novam formam protulerunt*. Itaque hæc synodus consuetudine introducta, non constabat ex episcopis evocatis per literas e provinciis, sed ex iis qui privatas ob causas in urbem advenerant. Quare vocata fuit ἐνδημοῦσα σύνοδος, non autem, σύνοδος, vel συναχθεῖσα, ut patet ex actis synodi habitæ a Flaviano adversus Eutychem. Unde veterator iste senex occasionem arripuit auctoritatem hujus synodi, quæ illum damnaverat, convellendi, ac si canonica non esset. Ait enim in libello fidei, quem concilio Ephesino II. porrexit, se ab iis episcopis damnatum, qui in urbe morabantur ob privatas causas, ἰδίων ἕνεκα αἰτιῶν. Attamen hujus synodi auctoritatem refugere non poterat Eutyches; utpote quæ jam olim sub Sisinnio Constantinopolitano episcopo adversus hæresim Messalianitarum in Pamphylia exorientium pronuntiasset: quæ *synodica* Sisinnii sententia probata fuit a concilio Ephesino I. actione septima. Porro hæc synodus extraordinaria desivit, postquam sedes Constantinopolitana jure patriarchico rexit tres integras diœceses, Asianam, Ponticam, & Thracicam; quæ illi tributæ sunt canone vigesimo octavo concilii Chalcedonensis, licet a legatis sedis apostolicæ repudiato, dein a Leone I. in irritum misso, atque ex numero canonum expuncto.

Synodus ex episcopis qui erant Constantinopoli in comitatu principis.

Quæ dicta sit ἐνδημοῦσα.

Rejecta ab Eutyche. Usus ejus antiquus. Desinit post synodum Chalcedonensem.

XVII. Itaque privilegium illud jurisdictionis extraordinariæ, quod, legatis Romanis conniventibus, confirmatum erat episcopo Constantinopolitano in metropolitanorum causis, per totius orientis provincias, paulatim extinctum est; atque adeo integram & illibatam in sibi subditos metropolitanos auctoritatem, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus patriarcha conservarunt, quod ne in dubium aliquando vocaretur, Justinianus constitutione sua definivit, omissa electione agendi apud sedem Constantinopolitanam, novella 123. cap. 22. Εἰ δὲ κατὰ μητροπολίτου τοιαύτη πρόσοδος γένηται, εἴτε παρὰ ἐπισκόπου, εἴτε παρὰ κληρικοῦ ἢ ἄλλου οἱουδήποτε προσώπου, ὁ τῆς διοικήσεως ἐκείνης μακαριώτατος πατριάρχης τὸ πρᾶγμα κρινέτω, id est, juxta veterem interpretationem: *Si vero contra metropolitam talem aditio fiat ab episcopo, aut clerico, aut alia quacumque persona, diœceseos illius patriarcha causam judicet*. Photius quoque titulo nono Nomocanonis capite primo ex novella 137. Εἰ δὲ μητροπολίτης κατηγορεῖται, ὁ πατριάρχης αὐτοῦ κρινεῖ: *Si metropolitanus accusatur, ipsius patriarcha cognoscit*. Unde rectissime annotarunt Zonaras & Balsamon, & post eos Matthæus Blastares, patriarchas singulos in suis diœcesibus jus dicere metropolitis, nec episcopo Constantinopolitano liberum esse, ut jurisdictionem exerceat in aliorum patriarcharum diœcesibus: quod verum est ratione habita ejus juris quod Justinianus confirmavit, ususque sequentium seculorum probavit; quamvis alia esset canonum Chalcedonensium 9. & 17. sententia.

Desivit quoque jurisdictio Constantinopolitani episcopi in alterius patriarchatus metropolitanos.

XVIII. Non me latet ab eruditis viris Justiniani legem trigesimam, cap. *de episcopali audientia*, opponi, qua constituitur ex interpretatione Latina, ut Constantinopolitanus episcopus appelletur, a judicio redditо per patriarcham vel metropolitanum, aut episcopum cui causæ cognitio delegata fuerit. Sed si, ut par est, ex textu Græco emendetur interpretatio Latina, de sincera legis sententia constabit. Vetatur dicta lege, ne statim, & primo judicio episcopus conveniatur civiliter vel criminaliter coram patriarcha suæ diœceseos, sed coram metropolita & synodo provinciæ; ita tamen ut a sententia synodi ad patriarcham appellare liceat; istius vero judicium sit ultimum, & nulli appellationi obnoxium. Adjicitur vero regulæ, de non conveniendo statim episcopo coram patriarcha ista exceptio, nisi patriarcha cognitionem deleget in provincia alicui metropolitano vel episcopo: in ea vero specie, si appelletur a sententia judicis delegati a patriarcha (ita enim legendum in Latina interpretatione) tunc ἀρχιεπισκοπικὸς θρόνος, id est patriarchica sedes, appellationem dirimat; nempe sedes, a qua judex datus est, non autem Constantinopolitana, ut Latina interpretatio perperam facta viris eruditis imposuit.

Explicata lex Justiniani 30. cap. de episcopali audientia.

Emendata interpretatio Latina.

XIX. Ex iis quæ dicta sunt patet per *primatem diœceseos* significari in canone Chalcedonensi eum episcopum, cui subjecti sunt metropolitani, quique jure patriarchico fruitur, imo etiam ipso nomine patriarchæ, quemadmodum Justinianus interpretatus est τὸν ἔξαρχον διοικήσεως. Itaque, ut ante monui, auctor epistolarum pontificiarum huc respexit, cum primatum eumdem esse cum patriarchis formam scripsit, licet diversa essent nomina. Quod ille de summis illis patriarchis intelligebat, quos solos ecclesia coluit octavo sæculo, quo nova Isidori collectio prodiit in lucem.

Primas sive exarchus diœceseos pro patriarcha.

XX. Si quis objiciat ea tempestate patriarchæ nomen tributum episcopis Aquilejensi & Gradensi: reponetur his epistolis agi de iis primatibus seu patriarchis, quibus subditi erant metropolitani aliquot: episcopo vero Aquilejensi nullos paruisse metropolitanos. Dictus vero est patriarcha, eo quod reges Gotthorum Italici re-

De patriarcha Aquilejensi Metropolitani dicti patriarcha a Gotthis.

gni

gni episcopos patriarcharum nomine ornarent, quemadmodum testatur epistola Athalarii regis ad Joannem papam, apud Cassiodorum lib. 9. epistolarum.

Episcopatus Gradensis sectus ex Aquilejensi.

Quare Elias episcopus Aquilejensis, qui post aliquot annos ab excidio Gotthorum in schisma delapsus est ob tria capitula, una cum reliquis Istriæ provinciæ episcopis, liberum sibi existimavit ejus nominis usum continuare, quod literæ regiæ metropolitanis Italicis dederant, & quo usus fuerat Paulinus ejus decessor, anno 560. præcipue quod ejuscemodi titulus ad suam συνκεφαλήν, qua schismatis tempore potiebatur multum conferret. Occupata ab imperatoribus Constantinopolitanis Istriæ & Venetiæ provinciæ parte maritima, episcopatus Aquilejensis sectus est, & Gradi, quæ est maris Venetici insula, constitutus est Candidianus episcopus anno 605. Romanæ communioni & imperio adjunctus, qui patriarcha Gradensis, seu novæ Aquilejæ, dictus est. Sopito tandem schismate, Aquilejensis patriarcha (qui aliquando Foro julii quoque resedit, unde dictus quoque Forojuliensis) nomen & locum suum retinuit, ea lege ut Gradensis quoque dignitate sua non excideret, quæ tandem translata est in civitatem Venetiarum, Nicolai V. papæ beneficio, anno 1451. Nihil ergo eximium in ea patriarchæ appellatione præter sonum verbi, quod metropolitanum significabat ex Gotthorum Italicorum usu. Attamen temporis progressu, qui solo nomine a ceteris Italiæ metropolitanis differebant, honoris quoque privilegio tandem a summis pontificibus aucti sunt, ut præ ceteris Italiæ archiepiscopis primatu honoris fruerentur. Quod privilegium Leo VIII. Rodoaldo Aquilejensi concessit anno 980. iis literis, quas refert Joannes Candidus libro 4. Hodie in modico oppido Utini consistit.

Πρωτεῖα concessa episcopo Aquilejensi.

Episcopus Gradensis, dictus quoque patriarcha.

XXI. Hanc prærogativam derivatam fuisse in Gradensem patriarcham, probare possum ex epistola secunda Leonis IX. qui Dominicum Gradensem titulo patriarchæ ornat, & testatur Romanorum pontificum privilegiis decretum fuisse, *ut nova Aquileja totius Venetiæ & Istriæ caput & metropolis haberetur*. Dominicus ille Gradensis (qui missus erat a Gregorio VII. cum literis ad Michaelem imperatorem Constantinopolitanum ad unitatem ecclesiæ resarciendam anno 1050. quique in eadem pontificis epistola, lib. 1. regesti epistola 18. patriarcha Venetiæ dicitur) scripsit ad Petrum Antiochenum episcopum epistolam Græcam, quæ habetur in codice manuscripto bibliothecæ regiæ, cujus est hæc inscriptio: Δομίνικος χάριτι θεοῦ, τῆς Γραδένσης καὶ Ἀκυλίας ἐκκλησίας πατριάρχης. Ibi profitetur ecclesiam suam a Marco evangelista conditam, solamque a beato Petro intra Italiam patriarchicum nomen obtinuisse, ejusque episcopos in synodo Romana dexteræ summi pontificis assidere solitos: Διὸ δὴ μηνύομεν τὴν ἡμετέραν ἐκκλησίαν τῷ τοῦ μακαρίου Μάρκου εὐαγγελιστοῦ κηρύγματι πληρωθεῖσαν τὴν ἀρχιερωσύνην, καὶ τοῦ μακαρίου Πέτρου καθιδρῶντος, τὴν τιμὴν τοῦ πατριαρχικοῦ ὀνόματος ἐντὸς Ἰταλίας καταμόνας ἐχούσης· καὶ ἐν τῇ Ῥωμαϊκῇ συνόδῳ συνεδρείαν τοῦ οἰκουμενικοῦ πάπα δεξιὰν εἰώθαμεν. Cui rescripsit Petrus Antiochenus, se nunquam legisse, vel fando audivisse, episcopum Aquilejæ, seu Venetiæ, appellari patriarcham. Quinque tantum numero esse patriarchas in ecclesiæ corpore, quod ab eis administratur, ad exemplum quinque corporis humani sensuum. Inter eos Antiochenum episcopum proprie dici patriarcham, Romanum vero & Alexandrinum nuncupari papas, Constantinopolitanum, & Hierosolymitanum archiepiscopos. Sin autem Gradensis ex eo patriarcha dici velit, quod dexteræ beatissimi papæ assideat, id aliquo pacto ferri posse, quoniam episcopi patres appellantur, & qui priorem locum post patriarchas in synodis obtinent, exarchi, protothroni & proedri vocantur; qua ratione patriarcha dici possit episcopus Venetiæ, quod in Romana synodo primus sit a papa: (ac si diceret quod antecedat patres & episcopos) Εἰ δὲ ἐκ τοῦ καθίζειν ἐκ δεξιῶν τοῦ μακαριωτάτου πάπα δικαιοῖς σεαυτόν, ὡς ἔγραψας, πατριάρχην καλεῖσθαι, δεχόμεθα καὶ τοῦτο. Ἀλλ' ἄκουσον, ὅτι τοὺς ἐπισκόπους καὶ ἀρχιερεῖς, πατέρας ὁ θεῖος οἶδε λόγος καλεῖν, τοὺς δὲ προκαθημένους ἐν ἑκάστῃ συνόδῳ, ἐξάρχους, καὶ πρωτοθρόνους, καὶ προέδρους, εἴωθεν ὀνομάζειν, καθ' ὃν δὴ λόγον αὐτὸς σαυτὸν πατριάρχην καλεῖσθαι, ἐπεὶ τὴν πρώτην τῆς Ῥωμαϊκῆς φέρεις συνόδου, καθὼς καὶ παρ' ἡμῖν ὁ πρῶτος τῶν διακόνων ἀρχιδιάκονος καλεῖται. ἐπεὶ πῶς, ἂν ἄλλως ἕκτον εἰσάγειν ἀνεχόμεθα πατριάρχην, μὴ ὄντος ἕκτης ὡς εἴρηται, αἰσθήσεως ἐν τῷ σώματι;

Ejus προεδρία in synodo Romana.

De hoc patriarchatu, Petri Antiocheni sententia ex manuscripto codice.

XXII. Quod de episcopo Aquilejensi observavimus, nempe initio patriarchæ titulum illi tributum, ad significandam metropolitani dignitatem, id Lugdunensi quoque episcopo competit, qui nuncupatus est patriarcha in præfatione synodi Matisconensis II. anno 585. *Priscus patriarcha dixit*. In canone vero ultimo ejusdem synodi, appellatur metropolitanus. Gregorius quoque Turonensis lib. 5. cap. 20. eodem patriarchæ titulo ornabat Nicetium episcopum Lugdunensem, Prisci decessorem, quamvis illa ætate sibi provinciæ Lugdunensi præsideret. Sed non manavit in eorum successores extraordinaria hæc in Galliis appellatio: quemadmodum nec Sulpitii Bituricensis episcopi successoribus collatus est patriarchæ titulus, quem Desiderius, Caturcensis episcopus in eadem provincia, metropolitano suo tribuit, epistola 12.

Lugdunensis episcopus dictus olim patriarcha, id est metropolitanus.

Et Bituricensis.

XXIII. Altum quippe silentium hujus appellationis in synodis Gallicanis, & in scriptoribus mediæ ætatis, donec, ut præmonui, epistolæ pontificiæ publicatæ sunt, quas complectitur Isidori collectio. Etenim ex eo quod earum scriptor usus est implicata oratione, quæ de primatibus & patriarchis verba facit, in alium sensum detorta sunt: indeque tandem occasio nata est novorum in occidente primatum instituendorum. Eamque in rem valde contulerunt Hadriani capitula ad Angilramnum, relata in librum 7. capitularium, ubi concilii Africani verba de primatibus cujusque provinciæ, seu primæ sedis episcopis, ita accipiuntur, ac si aliqui e metropolitanis essent primates, eaque ratione a ceteris metropolitanis differrent. Unde sic collegerunt, primates non solum eosdem esse cum patriarchis, ut docuerant Clemens, Anacletus, & Anicetus; sed etiam cum metropolitanis confundi, ut docebant alia loca. Itaque duo genera primatum constituerunt, summos scilicet patriarchas; & primates seu patriarchas quosdam secundi generis, inferiores summis patriarchis, & superiores vulgaribus metropolitanis.

Occasio novorum primatum constituendorum.

XXIV. Hincmarus vir emunctæ naris, quamvis pondere hujus novæ auctoritatis oppressus hac in re paululum caligaverit, attamen aliquo pacto veteres canones retinere voluit. Primates ergo trium generum facit, primos, qui sunt metropolitani suæ provinciæ; secundos, qui metropolitanis aliquot præsint; tertios, summarum sedium episcopos, qui soli patriarchæ dicuntur: *Quidam*, inquit, *archiepiscopi, vel metropolitani, primates provinciarum multotiens in sacris canonibus inveniuntur, illi videlicet qui in loco defunctorum archiepiscoporum, vel metropolitanorum, ab episcopis uniuscujusque provinciæ, sine interrogatione alterius primatis, prævalent ordinari, & ex antiqua consuetudinis lege, a sede apostolica, pallii solent genio insigniri: & in loco decedentium episcoporum, sine consultu vel licentia primatis alterius, in sua provincia quique possunt episcopos ordinare*. Hæc sunt Hincmari verba epistola 6. cap. 5. editionis Moguntinæ, & cap. 17. Opusculi, qui canones Africanos adducit, Nicænos quoque, & Sardicenses, atque decreta Innocentii, Leonis & Hilari pro metropolitanorum auctoritate. Unde sic colligit: *Quibus & aliis sacrorum canonum & decretorum sedis Romanæ claret sententiis, eosdem metropolitanos primates esse singulos singularum provinciarum, qui ex antiqua, ut præmisimus, consuetudine, & apostolica traditione, secundum sacros Nicænos canones, & convocare synodos, & ordinare episcopos, & ordinari a provincialibus coepiscopis, sine cujusquam alterius primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas provincias queunt*. Subdit: *Illi autem archiepiscopi vel metropolitani, qui hæc sine consultu primatis non possunt exequi, archiepiscopi tantum vel metropolitani habentur, sicut & in gestis Chalcedonensis concilii, & in ejusdem synodi canonibus, & decretis Innocentii, & in epistola Leonis ad Anastasium Thessalonicensem episcopum invenimus*. Itaque Hincmaro omnes metropolitani non sunt primates; exempli causa, qui subditi sunt patriarchæ Antiocheno, quia nec episcopos provinciæ suæ ordinant, nec ipsi ordinantur absque mandato episcopi Antiocheni, ut docuit Innocentius. Atqui idem usurpatum est in Ægypto. Quin & Constantinopolitanus episcopus metropolitanos omnes trium diœceseon sibi subditarum ordinabat. Quare ex regula Hincmari nulli dicendi erunt primates in oriente, præter quatuor patriarchas. In occidente autem, si recte numerus ineatur, nulli ipsius sæculo erant primates ex regula quam posuit, præter aliquot metropolitanos Gallicanos & Hispanicos, quibus ille dignitatem primatum tribuit, etsi nullis sibi subditis metropolitanis præessent. Tamen ex sententia veterum, quos initio adduxi, omnes metropolitani, dicuntur primates, quia primam sedem obtinent, & jus primæ sententiæ habent in sua provincia. Quare aliunde hanc interpretationem Hincmarus commentus est, ut primates, quos ex canonibus metropolitanos esse sciebat, a ceteris quibusdam metropolitanis distingueret, quod satisfaceret capitulo Hadriani, in libros capitularium conjecto, & canoni 9. Concilii Chalcedonensis. Ex eo nempe canone collegit secundi generis primates, qui metropolitanis sibi subditis præessent, exemplo episcopi Thessalonicensis allato, qui provincias Illyricianas regebat: *Quos metropolitanos*, inquit, *contra suos primates se elevasse in gestis Chalcedonensis synodi reperimus; quosque eadem synodus juste redarguit, & auctoritate repressit*. Adjungit vero hæc verba de primatibus tertii generis: *Patriarchas quoque vel primates, qui duobus his nominibus in unius*

Tria genera primatum apud Hincmarum. Metropolitani qui ordinantur a suis synodis sine alterius consensu.

Metropolitani, non vero primates dicuntur, quorum ordinatio ab alio pendet.

Expenditur Hincmari opinio de metropolitanis.

Secundum genus primatum, qui præsunt metropolitanis.

Tertium, patriarcha.

prioratus funguntur officio, non solum adversus tertiam & secundam sedem, verum & contra primam & apostolicam sedem legimus extulisse, adeo ut Constantinopolitanus episcopus &c.

Disputatur an vetus ecclesia agnoverit secundi generis primates. Exarchi diœceseon Asianæ Ponticæ olim similes patriarchis.

XXV. Quæret aliquis, an nullos ejusce generis metropolitanos vel archiepiscopos agnoverit antiquæ ecclesiæ disciplina, qui ab aliquo episcopo penderent, & alus metropolitanis in synodis, & judiciis præferrentur. In oriente quidem, præter episcopos Alexandrinum & Antiochenum, erant alii tres exarchi diœceseon; scilicet Ephesinus, Asianæ diœcesis, Cæsareensis, Ponticæ; & Heracleensis, Thracicæ præfecti; qui metropolitanos sibi subditos plerumque ordinabant, & synodos diœcesanas indicebant: sed ipsi a nullo patriarcha pendebant in administratione diœceseon, & pari fere jure fruebantur, in suis diœcesibus, quo Alexandrinus & Antiochenus, qui potiores erant tantum dignitate, donec tres illi exarchi subditi sunt sedi Constantinopolitanæ, ut alibi opportunius ostendam. Id tantum hic monebo, hos episcopos qui principem locum in diœcesibus & regionibus suis obtinebant, olim a Græcis *archiepiscopos* dictos: quo titulo dignitatis soli patriarchæ ornabantur. Inde Memnon Ephesinus archiepiscopus dicitur in concilio Ephesino I. actione 5. eodemque nomine Thalasius Cæsareæ episcopus, & Stephanus Ephesi insigniuntur a Theodosio imperatore, in literis quibus concilium Ephesinum II. indixit. Sed translata eorum potestate in episcopum Constantinopolitanum, cap. 28. Synodi Chalcedonensis, solum illis exarchorum nomen relictum est, & consensus prerogativa in synodis œcumenicis.

Archiepiscopi olim qui dicti.

De archiepiscopis Babylonicis, & Persidis.

XXVI. Propius ad primates, de quibus disputamus, accederent episcopi, qui Babylonicis provinciis, & Persidis præerant in oriente, qui quidem *archiepiscopi* dicti sunt, & *catholici*, si ab iis provocare licuisset ad patriarchas: illi enim & metropolitanos quamplurimos sub se constitutos ordinabant olim, & a patriarcha Antiocheno ordinationem suscipiebant, ut fit etiam hodie. Eorum meminit Petrus Antiochenus in epistola ad Dominicum Gradensem superius laudata: in qua promit exemplum archiepiscoporum orientalium, quibus patriarchæ appellatio communicata non erat, licet aliquot metropolitanos sibi subditos haberent: Ἀναλόγισαι γὰρ, inquit, Dominicum alloquens, ὅσον μακρότερα[*] κατὰ τὸ χώρας ἡ Βουλγαρία· ὅσον δὲ μακρὰς πάλιν ἡ Βαβυλὼν ἡ μεγάλη καὶ Ῥωμάγυρις, ἤτοι Χορασάν, καὶ αἱ λοιπαὶ τῆς ἀνατολῆς ἐπαρχίαι. Εἰς ἃς ἀρχιεπίσκοποι παρ' ἡμῶν πέμπονται, καὶ καθολικοὶ, χειροτονοῦντες μητροπολίτας, ἔχοντες ὑπ' αὐτοὺς ἐπισκόπους πολλούς· ἀλλ' οὐδὲ εἷς αὐτῶν πατριάρχης οὐδέποτε ἐκλήθη. *Considera enim, Bulgaria quanto major sit tua provincia: illa vero quam longius pateat Babylon & Romagyris, sive Chorosan, & cetera reliqui orientis provinciæ. In quas archiepiscopi a nobis mittuntur, & catholici, qui metropolitas in partibus illis ordinant: hi vero plures habent episcopos sibi subditos: sed nullus eorum unquam patriarcha dictus est.* Ceterum catholici nuncupati sunt, ad significandam eorum auctoritatem, quæ non una provincia coercita erat, sed per plures provincias porrigebatur, quarum universitati hi archiepiscopi præerant. Hanc nominis istius nomenclaturam insinuat Procopius lib. II. de bello Persico, ubi ait Christianos in Perside degentes episcopum, quem colunt, *catholicum* vocare, quoniam unus cum sit, universis tamen regionibus illis præsit: Τὸν Χριστιανῶν ἱερέα καθολικὸν καλοῦσι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ, ὅτι δὴ ἐφέστηκεν εἷς ὢν ἅπασι τοῖς ταύτῃ χώροις. Unius ergo episcopi solicitudini commissæ sunt ab initio barbararum in oriente nationum provinciæ, quemadmodum totius Scythiæ unus tantum erat Tomorum episcopus, teste Sozomeno lib. 6. cap. 20. Postquam vero Christianæ religionis professionem gentes illæ in variis & dissitis tractibus amplexæ sunt, necessaria fuit plurium episcoporum & metropolitarum constitutio, reservato archiepiscopi & catholici nomine ei qui ceteros omnes regebat. Seleuciæ primum sedem suam fixit archiepiscopus, seu catholicus orientis, ut discimus ex Sozomeno lib. 2. apud quem Symeon fuisse dicitur archiepiscopus Seleuciæ, & Ctesiphontis, regiarum urbium in Perside: Ἀρχιεπίσκοπος Σελευκείας καὶ Κτησιφῶντος τῶν ἐν Περσίδι βασιλευουσῶν πόλεων. Unde Joannes episcopus Persidis, in synodo Nicæna. Catholici Seleuciæ, meminit quoque Canon 34. & 35. collectionis Arabicæ ab Alphonso Pisano & a Turriano publicatæ: eique metropolitanorum sibi subditorum ordinationem a sede Antiochena de consensu Antiocheni episcopi distractam tribuit, sextumque locum in synodis Græciæ, scilicet post patriarcham Hierosolymitanum, quia vices gerit sui patriarchæ. Sed eversa Seleucia, a Babylone, quo se contulit, Babylonius dictus est: alter quoque in Chorosan sive Romagyri constitutus est, ut discimus ex loco laudato Petri Antiocheni: quæ appellatio, & divisio retinebatur abhinc annis trecentis, teste Joanne Vitriaco, historiæ orientalis cap. 23. Hujus catholici Babyloniæ meminit Petrus Venetus lib. 1. itinerarii cap. 6.

De iis Petrus Antiochenus in epistola manuscripta.

[*] τῆς

Catholici dicti.

Seleuciæ archiepiscopus.

Qui & catholicus.

Tandem Babylonius dictus.

De catholico Armeniæ.

XXVII. Alius erat catholicus Armeniæ, quem ex Gregorii Armeniæ episcopi decreto ab alio ordinari nefas erat, quam ab episcopo Cæsareensi, Ponticæ diœceseos exarcho, juxta Niconis testimonium, qui anno 961. florebat. Gregorius ille a Nicone laudatus Armeniæ datus est episcopus, a Leontino Cæsareæ episcopo, sub tempora synodi Nicænæ, ut gentem illam in fide Christiana erudiret. Utraque Armenia prima & secunda Ponticæ diœcesi in laterculo imperii accensebatur; unde in promptu fuit Leontio diœceseos exarcho Armenis, Armeniam majorem scilicet incolentibus, recens ad fidem conversis episcopum præficere, utpote cujus curæ barbaræ quoque regiones Armeniæ parvæ finitimæ commissæ essent. Propagata per eos tractus religione Christiana, iis præfuit catholicus Armeniæ, cujus ordinatio, quæ veteri jure, Cæsareæ episcopo competebat, traslata est in patriarcham Constantinopolitanum ea parte Canonis 28. qua cavetur ut qui sunt *in Barbarico* episcopi, Ponticæ, Asianæ & Thracicæ diœceseon, ordinentur a Constantinopolitano episcopo. Tandem vero schismate conflato, ab ecclesiæ Constantinopolitanæ communione discessit catholicus Armeniæ. Hæc est Armenia quæ dicitur quarta in veteri notitia Græca episcopatuum, descripta temporibus Photii, cujus hæc sunt verba: Χρὴ εἰδέναι ὅτι αὕτη αὐτοκεφαλός ἐστι, μὴ ὑποκειμένη ὑπὸ ἀποστολικὸν θρόνον, καὶ τιμωμένη διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον Ἀρμενίας, ἔχουσα πόλεις καὶ κάστρα. *Scire oportet hanc provinciam esse sui juris, minimeque subditam apostolicæ sedi*, Constantinopolitanæ scilicet, *sed honorari tamen intuitu S. Gregorii Armeniæ episcopi, & præesse ducentis urbibus & castris*. Accessit Romam ad Eugenium III. circiter annum 1145. Armeniæ archiepiscopus, teste Ottone Frisingensi lib 7. cap. 32. qui ait eum catholicum dici, milleque episcopis & amplius præfectum esse. Norsesim Armeniæ catholicum, Theorianus in legatione a se conventum testatur, circiter annum 1170.

Ordinatus a Cæsareæ episcopo.

Ei commissa est Armenia major.

Quæ quarta dicta.

Æthiopiæ archiepiscopus.

XXVIII. Alexandrino patriarchæ suberat Æthiopiæ archiepiscopus, qui & catholici dignitate atque nomine fruebatur, & ab Alexandrino episcopo ordinabatur, quemadmodum docet Canon 36. collectionis Arabicæ: ubi annotatur non fuisse illi liberum, metropolitas in Æthiopiæ provinciis constituere. Quare ad hoc usque sæculum Abuna pontifex Abyssinorum ab episcopo Alexandriæ ordinatur: nullique sunt in Æthiopia metropolitæ, sed tantum episcopi. Ab aliquot annis, derelicta sede Alexandrina, Romanam colunt Æthiopes, etsi aliqua supersint in vastis illis tractibus schismatis antiqui semina.

Tractatio instituitur de archiepiscopis Thessalonicæ & Justinianæ in occidente.

XXIX. In occidentali ecclesia archiepiscopi Thessalonicenses & Justinianæ primæ, positi in Illyriciana diœcesi, ex beneficio Romanorum Pontificum id assecuti sunt, ut metropolitanos suarum diœceseon regerent, & vice apostolica, judicia, synodos, & ordinationes administrarent: ita tamen ut ipsi quoque subjacerent Romanis pontificibus.

De administratione Illyrici.

XXX. Quod ut liquidius intelligatur, paucis agendum est, de civili & ecclesiastica administratione, quæ viguit olim in Illyrico. Ejus forma varie ab antiquis principibus composita est, laxatis eorum arbitrio vel restrictis provinciarum finibus; donec ex Constantini decreto quatuor præfecturæ institutæ sunt, scilicet Galliarum, Illyrici, Italiæ, & Orientis. Tunc præfectura Illyrici compacta est ex Pannoniis, utroque Norico, Dalmatia, Daciis, Mœsia, Dardania, Macedonia, Achaja, Thessalia, utraque Epiro, & Creta teste Zosimo, qui solus corporis hujus membra distinxit. Sirmium autem Pannoniæ secundæ civitas, erat Illyrici caput, ut ait diserte Anemius civitatis illius episcopus, in synodo Aquilejensi, anno 381. *Caput Illyrici non nisi civitas Sirmiensis*: unde *matrem urbium* eam vocat Ammianus: ibique principum Romanorum regiam seu palatium fuisse docet lib. 21. & 26. & Zosimus lib. 4. Hic quoque erat præfecturæ Illyricianæ sedes, ut colligere licet ex eodem Ammiano lib. 15. quod etiam Justinianus annotavit novella 11. *Antiquis temporibus, Sirmii præfectura constituta, ibique omne fuerat Illyrici fastigium, tam in civilibus, quam in episcopalibus causis.*

Ejus præfectura.

Sirmium, Illyrici caput.

Divisio Illyrici in orientale & occidentale.

XXXI. Deinde sectum est in duas partes Illyricum; ita ut diœcesis Macedoniæ, quæ Macedonias primam & secundam, Thessaliam Achajam, & utramque Epirum complectebatur, & diœcesis Daciæ, adjunctæ sint orientis imperio, sub dispositione præfecti prætorio Illyrici, cujus sedes constituta est Thessalonicæ: Pannoniæ, utrumque Noricum, & ceteræ provinciæ retentæ sint in occidentis imperio, sub præfecto prætorio Italiæ, & vicario Sirmii.

Illyricum pars occidentis.

XXXII. Disputatur ab eruditis viris de tempore hujus divisionis, quod ex historicis hujus sæculi nobis eruendum est. Diviso inter filios Constantini orbe Ro-

Romano, solidum Illyricum absque ulla sectione cessit occidentis imperio, quod Constantinus & Constans obtinuerunt: relicto penes Constantium oriente, ut notavit Zosimus libro 2. Eamdem formam secutus est Valentinianus senior quemadmodum testatur idem auctor libro 4. ubi de Valentiniano & de Valentis nuncupatione facta anno 364. agit his verbis: Ἐδόκει τῷ Οὐαλεντινιανῷ διελομένῳ πρὸς τὸν ἀδελφὸν τὴν ἀρχὴν ἐπιτρέψαι μὲν αὐτῷ τὴν ἑῴαν, ἄχρις Αἰγύπτου καὶ Βιθυνίας, καὶ Θρᾴκης. Λαβεῖν δὲ τὰς ἐν Ἰλλυριοῖς πόλεις αὐτὸν, εἰς τὴν Ἰταλίαν διαβῆναι καὶ τὰς ἐν αὐτῇ πόλεις ἔχειν ὑφ' ἑαυτῷ, μετὰ τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἐθνῶν, Ἴβηράς τε, καὶ τὰς Βρεττανικὰς νήσους, καὶ Λιβύην ἅπασαν. *Valentiniano partienti imperium cum fratre visum est orientem illi committere, ipsamque Ægyptum, Bithyniam, & Thraciam. Ipse vero civitates Illyrici penes se recepit, atque Italiam, in quam se contulit, tum gentes, quæ sunt ultra Alpes, Hispanias, Britannicam insulam, & universam Africam.* Eamdem divisionem referunt Sozomenus lib. 4. cap. 6. Theodoretus lib. 4. cap. 4. Ammianus quoque ostendit egregie libro trigesimo totum Illyricum Valentiniano paruisse. Etenim advenienti in eos tractus huic principi, docet Epirotas, exemplo ceterorum provincialium legatione missa; Probum pro bene gesta præfecturæ Illyrici administratione commendare conatos; Iphiclem vero philosophum unum ex legatis interrogatum a principe, an ex animo bene sentirent de præfecto, constanti responsione officium legationes corrupisse, *Gementes*, infit, *& inviti*. Hinc patet apertissime Epirum ea tempestate imperio occidentali subditam. Hæc sunt verba Ammiani: *Ad provincialium residuorum exemplum etiam Epirotæ adstricto sibi gratias a præfecto mittere compulsi legatos*, &c Eidem Probo Illyrici præfecto, & occidentis imperio subjectam fuisse diœcesim Macedonicam anno 368. testatur lex 7. C Th. de Metall.

Sub Constantini liberis.

Et Valentiniano.

XXXIII. Post obitum Valentiniani, qui accidit anno 375. Gratianus, licet a patre Augustus appellatus, injuriam imminuti a proceribus suis imperii passus est, qui Valentiniano II. ejus fratri vix quinquenni, Italiam, Illyricum & Africam tribuerunt; relictis Gratiano Gallia, Hispania, & Britannia, teste Zosimo lib. 4. Deleto a Gotthis in Thracia Valentis exercitu, ipsoque principe in tugurio ab hostibus igne consumpto, anno 378. vastatum est a barbaris luctuosissima clade Illyricum: donec Theodosius dux a Gratiano in eas provincias missus cum lectissimis copiis injuriam reipublicæ ultus est; & paulo post Sirmii a principe ad imperium orientis adscitus. Nempe credidit illi Gratianus eam imperii partem, quam Valens rexerat, ut diserte scripsit Theodoretus libro quinto cap. 6. Τῆς Βάλεντος μοίρας τὴν ἡγεμονίαν παρέδωκε. Idem confirmat Zosimus, qui Theodosium orientis & Thraciæ rebus, non autem Illyrici a Gratiano præfectum docet lib. 4. Ἐπιστήσας τοῖς κατὰ Θρᾴκην αὐτὸν καὶ τὴν ἑῴαν πράγμασι. Inde est quod Probus Valentiniani II. beneficio præfectura Italiæ, Africæ, & omnis Illyrici potiebatur anno 383. ut colligitur ex l. 7. codicis Theodosiani. *Si per obrep. rescr. fuer. impetr.* Quare Sozomeni hallucinatio excusari non potest, qui commissum Theodosio *Illyricum*, & orientem scripsit l. 7. c. 4. Ἰλλυριοῖς, καὶ τοῖς πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τοῖς ἔθνεσι Θεοδόσιον ἐπιστήσας.

Et sub Gratiano.

Theodosio concessum orientis imperium absque Illyrico.

Hallucinatio Sozomeni.

XXXIV. Post necem Gratiani a Maximo tyranno cæsi anno 383. Valentinianus II. eumdem Maximum in societatem imperii ascivit: & statim, ut caput suum tueretur ab insidiis tyranni, qui contra fœderis leges Italiam cum copiis ingressus erat, ex Aquileja in ultimos regni fines, nempe Thessalonicam, navigio aufugit cum Justina matre, anno 388. teste Zosimo. Quod retulit Socrates ad consilium Probi præfecti lib. 5. cap. 11. quem ab Italia discendentem ad Illyricum se contulisse scribit, & constitisse Thessalonicæ: Ἀναχωρεῖ τῆς Ἰταλίας, καὶ ἐπὶ τὴν Ἰλλυρίδα γενόμενος γῆν, ἐν Θεσσαλονίκῃ τῆς Μακεδονίας διέτριβε. Hic vero dissimulari non debet lapsus Theodoreti l. 5. cap. 15. qui, forma imperii orientalis, quæ sua ætate id est anno 450. vigebat, inspecta; putavit Valentinianum II. in ditionem Theodosii, regno suo derelicto, οἰκείαν καταλιπόντα βασιλείαν se recepisse; cum tamen, ut monui, & testimoniis certissimis, atque adeo ipsius Theodoreti, probavi, solidum Illyricum, & Thessalonica civitas tunc temporis pars esset occidentalis imperii.

Illyricum occidenti paruit, sub Valentiniano II.

Theodoreti lapsus.

XXXV. Eodem anno 388. Theodosius expeditionem in Maximum suscepit, & ab eo devicto meritas pœnas ob Gratiani cædem sumpsit: compositisque rebus Valentinianum II. integro occidentis imperio præfecit; relictis illi provinciarum iis tractibus, quos pater illius Valentinianus senior possederat, id est Gallia, Britannia, Hispania, Africa, & solido Illyrico, usque ad Thraciam. Poterat Illyrici partem sumptuum, quos in bellum impenderat, sarciendorum prætextu, ab occidente decerpere: sed maluit beneficii accepti beneficii memoria quam imperii amplificatione famam suam augere. Hanc observationem debemus Zosimo lib. 4. Τὴν μὲν δὴ βασιλείαν πᾶσαν Οὐαλεντινιανῷ παρέδωκεν, ὅσην ἐτύγχανεν ἔχων ὁ τούτου πατήρ. τὴν τῶν περὶ τὰς εὐεργεσίας καθήκειν ἐδόκει εἶναι.

Valentinianus II. retinet Illyricum post necem Maximi.

XXXVI. Deinde Valentiniano II. per summum Arbogastis scelus Viennæ intra Gallias strangulato anno 392. Theodosius iterum ultor regii sanguinis in occidentem penetravit, sublatoque Eugenio tyranno, ipse quoque Mediolani obiit, collato occidentis in Honorium filium imperio, & in Arcadium orientis, anno 395. Tunc Illyrici sectio in duas partes, designatas numero 31. quam notitia imperii exhibet, inducta est, ex Theodosii arbitrio, aut ex Arcadii usurpatione: variant enim in hoc capite veteres historici. Major apud me fides Zosimi, cujus hæc sunt verba: Ὁ δὲ βασιλεὺς Θεοδόσιος τὰ κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἔθνη, καὶ Ἴβηρας, καὶ Κελτοὺς, καὶ προσέτι γε Λιβύην ἅπασαν, Ὁνωρίῳ τῷ παιδὶ παρέδωκε. *Theodosius imperator gentes Italiæ adjunctas, Hispanos, Gallos, atque omnem Africam Honorio filio tradidit*. Illyrici præfecturam omisit, quia transcripta erat in Arcadium. Attamen retentas ex Illyrico gentes, quæ finitimæ erant Italiæ, ipsamque Italiam, his verbis designavit, Τὰ κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἔθνη. E contrario Olympiodorus, apud Photium in bibliotheca Illyricum solidum ex testamento patris Honorio adscribit: cujus vindicandi causa Alaricum Gotthorum Phylarchum a Stilicone accersitum testatur. Στελίχων μεταπεμψάμενος ἐπὶ τῷ φυλάξαι Ὁνωρίῳ τὸ Ἰλλυρικόν. τῇ γὰρ αὐτοῦ ἦν μερίδι Θεοδοσίῳ τῷ πατρὸς ἐκνεμηθεῖσα βασιλείᾳ. *Stilico evocavit, Alaricum, ut Honorio Illyricum assereret: ipsius enim imperio a Theodosio patre tributum fuerat*. Consentit quidem Zosimus evocatum a Stilicone Alaricum, ut ejus ope omnes Illyrici civitates Arcadio ademptas Honorii imperio adjugeret, Παρασπασθεῖσι μὲν τῆς Ἀρκαδίου, προστεθεῖσι δὲ τῇ Ὁνωρίου βασιλείᾳ quemadmodum Stilico ipse senatui Romano persuasit: qui copias Alarici post vastatam Macedoniam, Thessaliam, & Achajam, in Epiro morantis, Italiæ infestas suspicabatur. Sed in ea oratione supremum Theodosii judicium non allegat: id tantum præ se ferre videtur, antiquos imperii occidentalis fines non esse movendos, & restitutionem Illyrici procurandam. Clades autem Romanæ urbis, cædes Stiliconis, & Germanarum nationum in Gallias & Hispanias irruptio, animum Honorii ab Illyrico repetendo averterunt: quod imperatoribus orientis ex prædicto anno 395. absque ulla interpellatione paruit. Itaque statim ab obitu Theodosii Rufinus, qui aulæ orientali præerat, Antiochum Achajæ proconsulem creavit, Ἀνθύπατον καθίστησι τῆς Ἑλλάδος. Apud Zosimum libro quarto continuata est hæc potestas in reliquos Arcadii annos; & duravit temporibus Theodosii II. ejus filii. Quod demonstrant duæ constitutiones ab eo principe latæ de rebus Illyrici, & de provinciis Macedoniæ & Achajæ scilicet anno 421. & 424. *l. Omni innovatione cap. De sacrosanct. eccles. & l. 33. Cod. Theodos. de annon. & tribut.*

Post obitum Theodosii senioris sectum Illyricum in duas partes.

Arbitrio Theodosii inter filios Arcadium & Honorium. Vel Arcadii usurpatione.

Bellum inter fratres ob Illyricum orientale.

Quod remansit penes imperatores orientis.

XXXVII. Illyricum illud orientale administratum est a præfectis prætorio Illyrici, ut docet notitia imperii, ad quos plerasque constitutiones & rescripta principium data reperiuntur *in cod. Theod. & Just.* Hujus præfecturæ sedes constituta fuit Thessalonicæ, quemadmodum docet Theodoretus lib. 4. cap. 17. dum commendat illam urbem, occasione sumpta famosæ illius & lugendæ Thessalonicensium cædis a Theodosio imperatæ, ob quam ab Ambrosio Mediolanensi episcopo princeps ad pœnitentiam adactus, ecclesiæ ingressu prohibitus est. Fraudi fuit hic locus eruditis viris, qui Theodoreti verba de præfecturæ sede ad Theodosii Magni tempora trahunt: cum tamen is auctor de sui temporis statu aperte loquatur, id est anni 450. quo Thessalonica præfectoriana dignitate potiebatur: Θεσσαλονίκη πόλις ἐστὶ μεγίστη, καὶ πολυάνθρωπος, εἰς μὲν τὸ Μακεδόνων ἔθνος τελοῦσα, ἡγεμονεύει δὲ καὶ Θετταλίας, καὶ Ἀχαΐας, καὶ μέντοι καὶ ἄλλων παμπόλλων ἐθνῶν, ὅσα τῶν Ἰλλυριῶν τὸν ὕπαρχον ἡγούμενον ἔχει.

Præfectura Illyrici orientalis.

Ejus sedes Thessalonica.

Theodoretus explicatus.

XXXVIII. Mutilato Illyrico præfuit etiam in occidente præfectus prætorio Italiæ, & vicarius degens Sirmii, per illos tractus sacra judicabat. Tandem Valentinianus III. ducta uxore Eudoxia Theodosi II. filia, Illyricum occidentale, quod ægre a barbarorum insultibus tuebatur, in socerum suum transcripsit, anno 437. exceptis saltem a donatione Norico, Dalmatia, & Valeria, finitimis Italiæ provinciis. Jornandes solus meminit hujus donationis: *Valentinianus, data pro munere socero suo tota Illyria, celebratis nuptiis ad regna sua cum uxore recessit*. Sed paulo post secutum est Sirmii excidium: quod anno 442. Attila rex Hunnorum longa obsidione cinxit, spretaque ad se missa a Theodosio legatione vastavit, ut docet Priscus in excerptis. Plane Sirmii curam gerebat Theodosius ut sui: alioqui legatio mitti debuit a Valentiniano III. Tunc accidit quod Justinianus observat Novella 11. nempe Apennium præfectum prætorio Illyrici, sive is vicarius fue-

Valentinianus III cessit Illyricum occidentale Theodosio II.

Sirmii excidium

Explicata Novella 11. Justiniani.

fuerit, e Sirmio Thessalonicam profugisse, eoque tunc commigrasse dignitatem præfecturæ: *Postea autem*; inquit *Attilanis temporibus, eisdem locis devastatis, Apennius præfectus prætorio ac Sirmitana civitate in Thessalonicam profugus venerat: tunc & ipsam præfecturam & sacerdotalis honor secutus est: & Thessalonicensis episcopus non sua auctoritate, sed sub umbra præfecturæ meruit aliquam prærogativam*. Quod tamen caute accipiendum, scilicet de vicarii jurisdictione in Pannonias, quæ posthac Thessalonicæ exercenda erat, non autem Sirmii: unde amplificata est urbis & ecclesiæ Thessalonicensis dignitas. Ceterum si generaliter de præfectura Illyrici verba Novellæ accipiamus, ac si tunc primum in ea civitate sedem fixerit, Tribonianus liberari non potest vitio ἀναχρονίας, cum retro ab annis quinquaginta præfectura Illyrici orientalis Thessalonicæ constituta esset, ut antea docui.

Præfectura Illyrici occidentalis translata Thessalonicam.

XXXIX. Quod autem attinet ad ecclesiam Thessalonicensem, certum est, ut docet Tribonianus, dignitatis ejus augendæ consilium & originem ex sede præfecturæ processisse. Illi enim prærogativæ civilis jurisdictionis Romani pontifices ecclesiasticam quoque rescriptis suis adjunxerunt. Thessalonicensem civitatem commendat concilium Sardicense Canone 20. quæ quidem metropolis erat Macedoniæ, ex Strabone: unde Thessalonicensis episcopi dignitas & auctoritas in Macedoniam. Ceterum judiciorum ecclesiasticorum ab episcopo Thessalonicensi ejusque synodo Macedonica redditorum retractationes, quemadmodum & ceteræ majores causæ, Romæ coram summo pontifice peragebantur, etiam post Illyrici orientalis adjunctionem factam imperio orientali. Quod aperte docent duæ Innocentii I. epistolæ circiter annum 415. datæ ad Rufum Thessalonicensem episcopum, & ceteros Macedones episcopos, quæ relatæ sunt in corpus Canonum ex collectione Dionysii Exigui. Earum una Bubalii & Turiani negotium Romæ disceptatum fuisse post primam cognitionem in Macedonia habitam ostendit, legationeque duorum episcoporum Maximiani & Eumenii conventum Innocentium, ut omissa retractatione judicii, perditos homines repelleret. Sane retractationem, seu instaurati judicii cognitionem, asseruit sedi apostolicæ; sed scelestos illos auctoritate quoque sua repressit: altera epistola consultationi Macedonum episcoporum de quatuor disciplinæ capitibus luculentissime respondit. Præterea vero Photinum Macedoniæ episcopum a decessoribus suis Romanis pontificibus damnatum in integrum restituit, venia illi concessa postulationis episcoporum intuitu. Sed ut eos voti compotes fecit in causa Photini, ita petitionem eorum repulit de Eustathio diacono a gradu ministerii repellendo.

De ecclesia Thessalonicensi.

Metropolitana Macedoniæ. Judicia synodi Macedonicæ retractata Romæ post divisionem Illyrici.

XL. Videtur hic agendi modus displicuisse Theodosio II. secum forte reputanti, ad injuriam suam aliquo pacto pertinere quod causæ ortæ in orientis imperio, ad occidentis imperium judicandæ traherentur: contra veterem consuetudinem, quæ orientales episcopos synodis orientalibus committebat: de qua synodus Aquilejensis, & Pseudosynodi Sardicensis epistola. Eoque præsertim quod synodus Sardicensis eum modum in retractationibus judiciorum præscripsisset, ut si pontifex Romanus restaurandam cognitionem duceret, id fieret intra provinciam, delegata sedis apostolicæ vice alicui e latere suo. Itaque constitutione lata anno 421. jussit Theodosius, ut si quid dubii emergeret, per Illyrici provincias, in quæstionum canonicarum examine, id non a singulis episcopis, vel a synodis provincialibus, sed a conventu sacerdotali totius diœceseos Illyricianæ, discuteretur: ita tamen, ut de tota controversia referretur ad episcopum Constantinopolitanum, qui Romæ veteris prærogativa fruitur. De hujus legis sententia egi *l. 3. cap. 2. de Concordia sacerdotii & imperii*. Id unum adjiciendum, quod ad rem istam pertinet, nempe Theodosio visum satis caveri juribus Romanæ sedis quod relatio fieret episcopo Constantinopolitano vice Romani episcopi, cujus prærogativa cum illo communicata erat a synodo II. œcumenica. Sed constitutionem suam probare non potuit Romano pontifici, cujus auctoritate destituta nullas vires habuit; adeo ut in illo synodi Chalcedonensis ambitioso Canone 28. quo amplificata est Constantinopolitanæ sedis dignitas, nullum jus collatum illi fuerit in provincias Illyrici.

Theodosius II. Illyrici orientalis quæstiones canonicas referri jubet ad Constantinopolitanam sedem.

Frustra.

XLI. Alio vero modo Theodosii desiderio satisfecit episcopus Romanus, forte Bonifacius, quo & jura sedis apostolicæ, & prærogativam imperii orientalis tuitus est, juxta formam a canonibus præscriptam. Vices enim suas mandavit episcopo Thessalonicensi, per universum Illyricum orientale; ita ut quod in singulis causis agere poterat, nempe judices dando, & vicarium delegando, id unico generali mandato comprehenderet. Hac ratione etiam num in Gallia, archiepiscopi & episcopi ex constitutionum regiarum præscripto vicarios instituunt intra fines curiarum supremarum, quando contigit sedes episcopales constitutas esse in alterius curiæ territorio. Porro mandati prædicti mentio aperta in epistola Leonis I. ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, cui vices suas exemplo majorum se indulsisse profitetur: *Sicut præcessores mei præcessoribus tuis, etiam ego dilectioni tuæ priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam quam universis ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis adjuvares, & longinquis a nobis provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes*. Majores illi, quorum Leo meminit, sunt posteriores Innocentio sub quo Rufus solam Macedonicam provinciam regebat jure metropolitico. Ex mandato autem pontificio episcopus Thessalonicensis totius Illyrici orientalis solicitudinem suscepit, ut patet ex Leonis epistola, qui Anastasium acerbe objurgat, quod adita Illyrici præfectura, & officiorum publicorum terribili executione missa, Atticum veteræ Epiri metropolitam sæviente hieme coram se exhiberi jussisset, nullo vel falso crimine insimulatum, Epirus est una e provinciis Illyrici, in cujus ecclesiis vicario nomine Anastasium exstitisse Leo diserte observat, seque *eas illi commendavisse*.

Privilegia apostolicæ sedis communicata fines imperii orientalis.

Mandata jurisdictio episcopo Thessalonicensi.

Cui paruit Illyricum orientale.

Inter mandatorum capita primum est, ut in illis provinciis Thessalonicensis episcopatus fastigium præemineat. Secundum, ut de persona consecrandi episcopi metropolitanus cujusque provinciæ, de metropolitani autem electione provinciales sacerdotes ad Thessalonicensem referant, ut ejus auctoritate ordinatio celebranda firmetur. Tertium, ut in conventibus seu conciliis provinciæ, omnes querelæ judicentur. Si qua vero difficilior causa emerserit, metropolitanus curet de totius negotii qualitate Thessalonicensem instruere, ut coram positis partibus ejus judicio sopiatur, vel ad cognitionem Romani pontificis a Thessalonicensi transferatur. Itaque & consessus honor, & summa judiciorum, atque ordinationum κῦρος mandato Romani pontificis inddita erant episcopo Thessalonicensi.

Tria capita illius vicariæ potestatis.

XLII. Ejus prærogativæ possessionem adeptus erat anno 431. ut patet ex epistola Cyrilli ad Joannem Antiochenum, si recte intelligatur: in qua testatur Nestorium a Romana synodo damnatum, ejusque sententiæ exempla missa ad Rufum Thessalonicensem episcopum, tum ad alios quoque nonnullos per Macedoniam episcopos, qui semper ad ejus sententiam accedunt, *Concilii Ephesini parte prima cap.* 21. Γεγράφηκε δὲ καὶ ἴσα πρὸς τὸν θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον Θεσσαλονίκης Ῥοῦφον, καὶ πρὸς ἑτέρους τινὰς τῶν κατὰ τὴν Μακεδονίαν θεοσεβεῖς ἐπισκόπους, οἳ καὶ ἀεὶ συντρέχουσι τοῖς παρ' αὐτοῦ ψήφοις. Macedonia hic sumitur non pro sola ejus nominis provincia, sed pro diœcesi Macedoniæ quæ, ut docet notitia imperii, ex septem provinciis constat, ut supra monui. Ad metropolitanos hujus diœceseos scripsit Cœlestinus ex more pontificum & imperatorum, qui generalia decreta ad solos metropolitanos mittebant. Illi vero suæ provinciæ episcopis ea deinde insinuabant. Thessalonicensis autem episcopi in earum provinciarum sacerdotes potestatem his verbis significat Cyrillus: Ἀεὶ συντρέχουσι τοῖς παρ' αὐτοῦ ψήφοις. id est, *Ad ejus decreta formanda conveniunt*: quia in conventu omnium episcoporum ex suffragiorum collatione decernebat. Itaque Rufus, qui temporibus Innocentii, id est tanno 415. provinciam Macedoniam regebat, incremento dignitatis auctus est, vice pontificia in Macedonicam diœcesim sibi delegata.

Tempus collata illius potestatis.

Explicatur Cyrilli Alexandrini locus.

XLIII. Inde illi consessus honor in concilio Ephesino, ubi Flavianus Philippensium episcopus vices gerere dicitur Rufi Thessalonicensium episcopi: atque eo titulo priorem occupat locum post Hierosolymitanum, & Ephesinum, ante Firmum Cæsareæ Cappadociæ exarchum, qui alioqui potior futurus erat, ob Ponticæ diœceseos administrationem. Quin & ipse Firmus Cæsareensis, dignitatem ecclesiæ Thessalonicensis agnoscit, dum eximios illos episcopos recenset, ad quos Cœlestinus literas dedit contra Nestorium, nempe *ad Cyrillum Alexandrinum, Juvenalem Hierosolymitanum, & Rufum Thessalonicensem, nec non ad sanctas Constantinopolis & Antiochiæ ecclesias, Ephesini Concilii parte secunda, actione secunda*. Permiscetur cæteris exarchis, quia Illyricianæ diœcesi præerat, cujus mentio fit in relatione synodi ad Theodosium, ut distinctæ ab occidentali concilio: quoniam ea tempestate Illyricum orientale, etsi penderet a Romana sede, tamen recisum erat ab occidentali imperio; e contrario Acholius Thessalonicensis episcopus invitatus anno 381. ad synodum secundam, quæ ex solis orientalibus episcopis constabat, dicitur diserte episcopus occidentis in epistola synodi Romanæ, editæ a viro clarissimo patre Sirmondo, quia diœcesis Illyrici nondum avulsa erat ab occidentis imperio.

προεδρία episcopi Thessalonicensis.

Illyricum distinctum ab occidentali Concilio.

Eumdem locum obtinuit in synodo Chalcedonensi Quintillus legatus Anastasii Thessalonicensis, qui cæteris

Iterum de consessu Thessalonicensis episcopi

ris omnibus episcopis, post patriarchas antefertur. Eumdem ordinem retinuit in quinta synodo Benignus ejusdem sedis Thessalonicensis legatus. Sextæ autem eodem gradu subscripsit, addito suæ dignitatis elogio, Joannes Thessalonicensis, apostolicæ sedis Romæ vicarius & legatus: Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Θεσσαλονίκης καὶ ἀποστολικοῦ θρόνου Ῥώμης, καὶ λεγάτος.

Explicantur Nicolaus I. & Joannes VIII de tempore delegationis factæ episcopo Thessalonicensi.

XLIV. Huic nostræ sententiæ, quæ Thessalonicensis episcopi auctoritatem in Illyricum ad Theodosii secundi tempora confert, objici potest testimonium Nicolai primi in epistola secunda ad Michaelem, & Joannis octavi in epistolis 78. & 79. qui ad Damasum hanc institutionem referunt. Sed pontifices illi conceptis verbis hoc non asserunt: id tantum docent, Damasi, Siricii, & sequentium pontificum monitis Illyrios episcopos in fide & disciplina eruditos fuisse: quod referri debet ad epistolam synodicam missam a Damaso ad episcopos Illyrici; ubi nullum vestigium legationis concessæ episcopo Thessalonicensi.

Gelasii Cyziceni locus de Thessalonicensi episcopo explicatus.

XLV. Objici quoque potest Gelasius Cyzicenus, qui lib. 2. Thessalonicensi episcopo mandatam docet a synodo Nicæna mittendorum actorum curam per Macedoniam, Græciam, Europam, Scythiam, Illyricum, Thessaliam, & Achajam: quod pertinet ad nudum ministerium actorum mittendorum ob situs opportunitatem, non autem ad jurisdictionem aliquam designandam. Id autem vel ex eo patet evidentissime, quod Europa & Scythia non erant Illirici provinciæ, sed Thraciarum, in quibus nullum fuit unquam jus episcopi Thessalonicensis. Deinde apud Gelasium eodem loco committitur Hierosolymorum episcopo, una cum Eusebio Cæsareæ, ut acta mittat per Palæstinam, Arabiam & Phœniciam. Atqui certum est ex synodo Nicæna, Hierosolymorum sive Æliæ episcopum dignitate tantum antecelluisse cæteris episcopis, salvo jure metropoleos, episcopo Cæsareæ in Palæstina. Phœnicia autem & Arabia neutri illorum, sed suis quæque metropolitanis & patriarchæ Antiocheno paruerunt. Unde patet non recte colligi ex mandato, quod Nicænum concilium dedit episcopo Thessalonicensi de actis mittendis per certas provincias, jus aliquod illi in eas tribuisse, aut tributum olim indicasse.

Diœcesis Daciæ parebat episcopo Thessalonicensi.

XLVI. Porro non sola Macedoniæ diœcesis subdita fuit episcopo Thessalonicensi, sed etiam diœcesis Daciæ, quæ ex Dacia Ripensi, & Mediterranea, Dardania, & Mæsia superiore constabat. Id docent aperte duæ Justiniani novellæ constitutiones 11. & 131. Quæ auctoritas in Illyricum a Romana sede profecta vim suam obtinuit etiam post Leonis tempora: licet Illyrici provinciæ omnes schismati ab Acacio Constantinopolitano conflato accessissent. Illud discimus ex Dorothei episcopi Thessalonicensis querela mota adversus Joannem Nicopoleos, recens evectum ad metropolim Epiri veteris, quod de ordinatione sua relationem non misisset, ex more antiquo, ad sedem Thessalonicensem. Itaque Dorotheus, principis & magistratuum ope implorata, Joannem vexabat *concussionibus & dispendiis*, ut loquitur Hormisda pontifex: qui literis suis Anastasium imperatorem hortatus est ut rescripto suo vim fieri prohiberet. Sane non disputat, quin de ordinatione metropolitani provinciæ Epiri referri debuerit ad sedem Thessalonicensem (sciebat enim hoc jus illi competere ex antiqua consuetudine & privilegio indulto a Romanis pontificibus) Illud tantum urget, nefas esse, ut qui a schismate ad communionem apostolicæ sedis redierit, a Dorotheo schismatico fatigetur; cui pristina jura restituenda docet, si ad unitatem reversus fuerit. Verba Hormisdæ aperta sunt, in epistola decima octava ad legatos suos: *Traditis autem epistolis* (scilicet Dorotheo Thessalonicensi) *instanter agere debetis, ut se ab ejus ecclesiæ*, id est Nicopolitanæ *concussione suspendat; rationem reddentes, quia non potuit reversus ad communionem, & ad corpus ecclesiæ, cum illis, qui nec dum reversi sunt, quidquam habere conjunctum; nos non solvere a prædecessoribus nostris concessa privilegia, si ipse ecclesiastica instituta non deserat; certe redeat ad unitatem, & nos cum eo insistemus, ut omnia privilegia quæcumque consecuta est a sede apostolica, ecclesiæ ejus inviolata serventur*. Imminuta est Thessalonicensis ecclesiæ auctoritas, recisis aliquot provinciis, ad conflandum Justinianæ archiepiscopatum, de quo mox dicam. Deinde penitus abolita est, postquam ex Leonis Isauri decreto, in odium fidei vindicatæ a summis pontificibus, Gregorio II. & III. Illyrici provinciæ, Siciliæ, & Calabriæ avulsæ sunt a patriarchatu Romano, & tributæ Constantinopolitanæ sedi. Tunc enim intra fines solius Macedoniæ primæ restricta est metropolitani Thessalonicensis potestas, ut docent diatyposis Leonis Philosophi, & antiqua episcopatuum orientalium notitia.

De illius sedis continuata in Illyrico auctoritate, locus in epistola Hormisdæ. *De Justinianæ archiepiscopo.*

XLVII. Ad exemplum hujus delegationis, qua jus episcopi Thessalonicensis auctum erat, Justinianus ornandæ patriæ suæ cupidus, avulsis ab ecclesia Thessalonicensi aliquot provinciis, Achridam, seu Justinianam primam, summo sacerdotii fastigio decorari curavit, ita ut ejus civitatis episcopus archiepiscopi dignitate insigniretur, earum provinciarum metropolitanis daret jura, ipseque a Synodo sua ordinaretur. Hoc privilegium princeps a Vigilio papa obtinuit, qui vices suas archiepiscopo commisit, ut testatur Justinianus novella 131. Καὶ ἐν αὐταῖς ταῖς ὑποκειμέναις αὐτῷ ἐπαρχίαις τὸν τόπον ἐπέχειν αὐτὸν τοῦ ἀποστολικοῦ Ῥώμης θρόνου, κατὰ τὰ ὁρισθέντα ὑπὸ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Βιγιλίου. Id tamen observabatur, ut singulis archiepiscopis, statim post consecrationem, vices suas Romani pontifices, atque pallium conferrent, ut docet Gregorius primus lib. 4. epistola 9. & 15. ad Joannem Justinianæ primæ episcopum: *Vices vos apostolicæ sedis agere iterata innovatione decernimus*. Horum archiepiscoporum judicia, ut personæ quoque, subdita erant Romani pontificis censuræ, ut discimus ex Gregorii primi lib. 2. epist. 6. ubi Joannem prædicti Joannis decessorem abstinet a communione, ejusdem judicium adversus Thebarum episcopum latum rescindit. De his duobus archiepiscopis, Thessalonicensi & Justinianæ primæ, intelligendus Isidorus Hispalensis lib. 7. originum, cap. 12. cujus hæc sunt verba: *Ordo episcoporum quadripartitus est in patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis, & episcopis*. Mox addit: *Archiepiscopus Græce dicitur summus episcoporum, tenet enim vicem apostolicam, & præsidet tam metropolitanis, quam episcopis*. Hic auctor loquitur juxta disciplinam sæculi sui: alioqui enim tres episcoporum gradus tantum numerabat antiquitas; primisque nomen archiepiscoporum dabat, qui postea dicti sunt patriarchæ. Attamen Isidorus habet quo se tueatur, nempe Justiniani constitutionem, postquam archiepiscopum Justinianæ primæ præficiendum, cum vice apostolica & auctoritate in sex metropolitanos, a Vigilio obtinuit, ut prædixi. Id notum Isidoro, non solum quod in occidentis patriarchatu posita esset civitas Justiniana; sed etiam ex corpore novellarum, quod latine extabat etiam temporibus Gregorii primi, qui Latina quadam veteri interpretatione utitur; vel ex epitome Juliani antecessoris, cujus frequens erat in occidente usus, præcipue in caussis ecclesiasticis. Ex ea novella & ex Leonis primi decretali epistola ad Anastasium Thessalonicensem, hausit quæ de secundo illo archiepiscoporum gradu scripsit. Ceterum caute loquitur: jus enim illud ad delegationem sedis apostolicæ refert.

Cui vices suas mandat Vigilius. *Subditus erat Romanæ sedi.* *Isidorus Hispalensis explicatus de gradu archiepiscoporum.*

XLVIII. Hic monendus est lector ne in virorum eruditorum errorem labatur, qui hunc Justinianæ archiepiscopum (ob invasas a Bulgaris eas provincias Bulgariæ nomen postea indeptum) inter patriarchas recensent, decepti ob subscriptionem factam in Synodo Tullensi a Joanne episcopo novæ Justinianopolis post patriarchas. Non enim Joannes ille nuncupatus patriarcha, nec erat Justinianæ primæ archiepiscopus, sed Constantiæ Cypri, quæ Justiniana nova dicebatur, ut monui *lib. 2. De concordia sacerdotii & imperii cap.* 9. Ceterum Petrus Antiochenus liquido docuit in epistola superius laudata archiepiscopum Bulgariæ nuncupari, non autem patriarcham. Idque perpetuum est apud Græcos, ut archiepiscopus tantum dicatur, tum in notitia veteri Græca episcopatuum, tum apud Curopalatem. Apud Latinos vero Nicolaus primus, qui primates secundarios posse dici recte patriarchas ex epistolis decretalibus Anacleti sibi persuaserat, tentavit patriachæ nomen archiepiscopo Bulgariæ tribuere, ut patet ex ejus responsis ad consulta Bulgarorum cap. 73. Quo exemplo Innocentius III. precibus Calojoannis imperatoris Bulgarorum & Blachorum, hac quoque patriarchæ dignitate auxit Basilium archiepiscopum Bulgariæ & Blachiæ in civitate Trinovi constitutum; quamvis, si verum amamus, Trinovitanus episcopus eam tantum Bulgariæ partem obtineret, quæ nunc Valachia dicitur. Innocentii verba hæc sunt: *Te quoque in regno Bulgarorum & Blachorum primatem statuimus, & ecclesiæ Trinovitanæ præsenti privilegio auctoritatem concedimus primatiæ, statuentes ut & tu, & successores tui, qui tibi in apostolicæ sedis devotione successerint, ceteros metropolitanos Bulgariæ & Blachiæ præcellatis ratione primatiæ: & ipsi tibi, & eis, juxta formam canonicam, reverentiam primatui debitam exhibeant & honorem. Fraternitatem tuam scire volentes, quod apud nos hæc duo nomina, primas & patriarcha, pene penitus idem sonant, cum patriarchæ & primates unam formam teneant, licet eorum nomina sint diversa*. Unde apud græcos recentiores patriacha Τερνόβου καὶ Βουλγαρίας dicitur in codice manuscripto bibliothecæ regiæ, conservato a græcis beneficio quod illi indultum erat a Romana sede. Hinc Barlaamus eum patriarcham vocat. Attamen in eodem codice manuscripto statim Achridæ seu Justinianæ episcopus recensetur, sub nomine archiepiscopi Bulga-

Numquam dictus a Græcis patriarcha. *Sed a Nicolao I.* *De primate seu patriarcha Trinovitano in Blachia & Bulgaria ab Innocentio III constituto.* *Discrimen patriarchæ Bulgariæ & archiepiscopi.*

gariæ: divisa enim erat eo tempore Bulgaria, ut monui. A

De vicariis Romanæ sedis.

XLIX. Romani pontifices usu ipso edocti quantum conferret ad auctoritatem firmandam, & disciplinam conservandam in dissitis longe provinciis, vicis apostolicæ delegatio, in gallicana diœcesi episcopo Arelatensi quædam mandata dederunt. Itaque ex Zosimi primum beneficio anno 417. vicariam potestatem in quibusdam capitibus accepit: quæ deinde a sequentibus pontificibus usque ad Gregorium I. amplificata sunt ducentorum annorum intervallo: quibus elapsis extincta est illa potestas, quæ in solicitudine potius quam in jurisdictione versabatur. Sed de Arelatensis episcopi auctoritates, & cæterorum vicariorum, eleganter & erudite vir celeberrimus Joannes Morinus in exercitationibus ecclesiasticis: qua de re nos quoque copiose disputamus alibi. Satis erit hic observasse, vicariorum dignitatem, in Galliis ex mandato Romanorum pontificum pependisse, non autem sedi cuidam in perpetuum affixam, Unde vices suas Remigio episcopo Remensi per regnum B Clodovei commisit Hormisda, quemadmodum Leandro Hispalensi per Hispanias Gregorius I. Sed hoc beneficio caruerunt eorum successores. Deinde Zacharias Bonifacio episcopo Moguntino legationem extraordinariam, non solum cum dignitate & solicitudine, sed etiam cum vera auctoritate, per Gallias imposuit. Ejusce generis vicariatum Drogo Metensis episcopus a Sergio pontifice obtinuerat, qui refragante Gallicana ecclesia effectu caruit, teste Hincmaro epistola 6. editionis Moguntinæ.

Quorum munus olim in cura versabatur.

Erat beneficium personale.

Atque sesonæ jus metropolitici

L. Ex his quæ disseruimus evidentissime constat, metropolitanos episcopos, quibus vicaria potestas Romanæ sedis collata est in occidente, nec *primates* olim nuncupatos, multo minus patriarchas; nec jure perpetuo id beneficium consecutos, si Thessalonicenses & Justinianæ episcopos excipias; sed gratia personis singulis indulta. Eam vero dignitatem sic temperabant olim, ut metropolitanorum jura nullo pacto infringerentur; quemadmodum pluribus ostendit Hincmarus, C nosque alibi ex professo manifestum faciemus in tractatu, De legatis pontificiis. Post publicationem epistolarum pontificiarum emersit primatum nomen, & institutio civitatibus jure perpetuo affixa: quæ in consessus prærogativa, & in judiciis reddendis super appellationibus a metropolitanorum sententiis, versabatur.

Primatum recentiorum Jus reale.

De primatu Bituricensis ecclesiæ.

LI. Prima ecclesiarum omnium, quæ illo dignitatis titulo aucta fuit, est Bituricensis metropolis; cujus incrementa acciderunt ab anno 786. usque ad annum 864. Anno etenim illo, quem prædixi, 786. nondum evecta erat ad fastigium primatus in ceteras Aquitaniæ provincias. Quod probatur ex epistola Hadriani I. eo anno ad Carolum Magnum data. Petebat princeps a summo pontifice ut pallium concederet Ermemberto archiepiscopo Bituricensi; *Quia civitas metropolis in Aquitania videtur esse patria, quæ Bituricas nucupatur.* Ait tantum esse metropolim in Aquitania, quod verum; non autem Aquitaniæ metropolim. Hæsit Ha- D drianus, nec statim pallii beneficium indulsit, ne forte eum pro metropolitano haberet, qui esset alterius juri subjectus. Sed statim atque certior factus est, metropolitanum Bituricensem a nullo alio pendere, pallium illi concessit. *Qui præfatus sanctissimus vir*, inquit Hadrianus, de Ermemberto loquens, *nobis confessus est ut sub nullius archiepiscopi jurisdictione esse videretur*. Id unum præ se ferebat eo tempore Bituricensis episcopus ad provocandam gratiam sedis apostolicæ, se metropolitana dignitate frui, nullique archiepiscopo subditum esse. Si qua illi competiisset auctoritas in Burdigalensem, Auscitanum, & Narbonensem archiepiscopos, tunc explicanda erat, ut facilius pallium impetraretur, pro quo obtinendo Carolus quoque intervenerat. Accessit deinde huic metropoli primatus dignitas in illas provincias, quæ sub Carolo Magno illi data est ad firmandam nov. Aquitanici regni quod anno 781. princeps ille instituerat, auctoritatem. Urbs Biturgium erat *caput* illius regni, teste Adrevaldo Floriacensi, *cap. 33. de translatione sancti Benedicti*. Ut E ergo feroces Aquitaniæ populi jugum Francorum mollius subirent, eorumque mores imbiberent, optimum factu visum est, si ad partes interiores Galliæ, sub prætextu conventuum ecclesiasticorum traherentur: & disciplinæ in clericos & laicos ultima executio, quæ tunc erat magni momenti, Bituricensi archiepiscopo, & ejus Synodo competeret. Consilio itaque politico hæc innovatio facta est. Licet enim color aliquis suppeteret ad subdendas provincias Burdigalensem, & Auscitanam, quia dicuntur Aquitania II. & III. pro Narbonensi sede nihil prætendi poterat, utpote quæ fuerat olim metropolis sui juris, ut patet ex epistolis Cœlestini & Leonis I. quemadmodum etiam stante imperio Gothorum in Hispania: siquidem Conciliis Toletanis intererant episcopi Narbonenses, literis regiis evocati,

Quæ metropolis temporibus Caroli Magni

Aucta deinde primatus dignitate.

A ut cæteri quoque metropolitani episcopi, non autem literis episcopi Toletani, qui nondum primatum Hispaniæ obtinuerat, ut vulgo ferunt, sed demum ab Urbano II. A Saracenorum servitute liberata Narbonensis provincia, Caroli ducis virtute regno Francorum accessit, deinde regni Aquitanici pars non contemnenda effecta est.

LII. Ratio vero constituendi primatus Bituricensis sumpta est ex publicatione Isidorianæ collectionis, ubi primatum, qui metropolitanis præsunt, fit mentio, ut jam monui. Quod evidenter ostendunt verba Nicolai I. epistola scripta anno 864. ad Rodulphum Bituricensem archiepiscopum, quem primatem & patriarcham nuncupat, more loquendi arrepto ex epistolis pontificiis. Ejus epistolæ, quæ integra edita est tomo VIII. columna 504. fragmentum extat apud Gratianum 9. q. 3. *cap. Conquestus*. Ubi duo observanda, sunt: primum est, Sigebodum Narbonensem, etsi conquereretur nihil licere episcopo Bituricensi jure patriarchatus in cleri- B cos, & in bona ecclesiæ Narbonensis, fateri tamen posse ad eum tamquam patriarcham appellari. Alterum est, quod annotavit Nicolaus: *Primates vel patriarchas nihil privilegii habere præ ceteris episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit*. Canonum nomine intelligit Chalcedonenses 9. & 17. & decreta Anacleti.

De illo primatu Nicolaus I.

LIII. Ceterum post dissipatum regnum Aquitanicum, & constitutum marchionatum Gotthiæ, seu ducatum Narbonensem, archiepiscopus Narbonensis videtur primatum Bituricensem excussisse. Etenim Urbanus secundus ann. 1097. primatum contulit episcopo Narbonensi in provinciam Aquensem, quod illius libertatem satis mihi significare videtur ex mente pontificum. Deinde Alexander tertius anno 1164. Urbanus 1187. rescriptis suis episcopo Bituricensi primatum in solam provinciam Burdigalensem confirmant, omissa mentione Narbonensis, ipsiusque Auscitanæ, quæ sub auspicio ducum Vasconiæ de libertate sua cogitaverat.

Narbonensis ecclesia discedit a primatu Bituricensi.

C LIV. Burdigalensis vero archiepiscopus recessit a primatu Bituricensi, postquam ob Aquitaniæ ducatum delatum ad reges Angliæ bella exarserunt inter Gallos & Anglos. Discessionis originem ea tempora referri, diserte habetur in epistola Philippi Augusti regis data ad Innocentium tertium anno 1211. his verbis. *Beatissimo in Christo patri & domino Innocentio Dei gratia summo pontifici Philippus eadem gratia rex Francorum salutem & debitam in Christo reverentiam. Ecclesia Bituricensis, licet tenuis in facultatibus, inter alias tamen regni nostri ecclesias existit nobilior, cum, sicut vestra plenius novit paternitas, primatiæ obtineat dignitatem, cujus honorem, nostrum & regni nostri proprium reputamus. Cum igitur Burdigalensis archiepiscopus, prædecessorum non sequens vestigia, se adeo obedientem & devotum ecclesiæ Bituricensi exhibere non velit, sicut iidem prædecessores sui fecisse noscuntur, paternitatem vestram cum quanta possumus devotione rogamus, quatenus jus Bituricensis ecclesiæ intuitu Dei & precum nostrarum obtentu* D *conservare velitis, nec sustineatis quod tantus honor regni nostri circa hoc in aliquo minuatur, cum sola Bituricensis ecclesia in toto regno nostro primatiæ obtineat dignitatem, in cujus diminutione, quod Deus avertat, nobis & regno nostro non mediocriter reputaretur esse detractum. Actum Parisiis 1211. mense Majo.* Litis ea de re motæ meminere Innocentius tertius lib. 3. reg. 15. & Gregorius X. in decretalibus. Itaque primatus iste Bituricensis jam a quatuor sæculis paulatim ad solam provinciam Bituricensem redactus est: qui præter nominis dignitatem in eo versatur, ut appellationes a sententiis episcoporum solius provinciæ suæ ad se delatas, prima cognitione, dein secundo judicio, per vicarium primatiæ dirimat, si appellatur a vicario metropolitico. Quo jure quemadmodum & primatus titulo, utuntur archiepiscopi Burdigalensis & Narbonensis: cum tamen Auscitanus solo metropolitico jure de appellationibus cognoscat.

Et Burdigalensis.

Origo discessionis.

Quod sit hodie jus primatus Bituricensis.

Tum Burdigalensis, & Narbonensis.

LV. Anno 876. nova dignitas collata est Ansegiso E archiepiscopo Senonensi a Joanne octavo in gratiam Caroli Calvi imperatoris: vices enim apostolicæ sedis per Gallias & Germanias illi delegavit, tum ut synodos evocaret, tum ut mandata pontificis episcopis insinuaret, atque de rebus gravioribus referret ad sedem apostolicam. Extat Joannis rescriptum tomo IX. ex cujus lectione apertissime constat privilegium istud personale fuisse indultum Ansegiso, *pro sua sanctitate & fidei merito, atque divinitus sapientiæ dono concesso*, ut se habent verba rescripti non autem irrogatum ecclesiæ Senonensi. Quare in secundis actis concilii Pontigonensis capite septimo nulla fit mentio successorum Ansegisi, licet Odoranno in chronico visum fuerit locum corrumpere ut sedi Senonensi, cui subditus erat, primatum sua opera conferret. Omnium metropolitanorum animos Ansegisus immodesta illa ambitione adversum se concitavit: adeo ut synodus Pontigone coacta huic inovationi refragata fue-

Vicariatus apostolicæ sedis concessus Ansegisi Senonensis personæ.

De quo conquesti episcopi Gallici.

fuerit, demptis paucis epiſcopis; & imperio potius atque vi, quam epiſcoporum conſenſu, Carolus rex priorem confeſſum Anſegiſo tribuerit, ut docent acta vera illius ſynodi relata ab Aimoino. Teſtatur Hincmarus omnes epiſcopos reſcripti hujus executioni, quo primatus per Gallias & Germanias tribuebatur, intercedisse, qua de re collegas ſuos monuit epiſtola in eam rem elaborata, quæ eſt octava numero in editione Moguntina, de qua Flodoardus lib. 3. cap. 21. *Reſpondit etiam ad capitula quædam regni Francorum ſcripta epiſcopis a Joanne tranſmiſſa, de privilegiis ſedium per capitula ſeptem, quoniam idem papa nihil fecerat Anſegiſum Senonenſem epiſcopum primatem conſtituere, ut apoſtolica vice per Gallias & Germanias fungeretur. Cui conatui venerabilis hic præſul Hincmarus efficaciter obſtitit.* Equidem vicariam illam poteſtatem vocat *primatum* Hincmarus, & acta ſecunda concilii Pontigonenſis. Sed non ejuſdem erat conditionis iſte primatus cum Bituricenſi, de quo ſuperius, & cum Lugdunenſi, de quo ſtatim agemus, qui ſedibus erant affixi. Unde Anſegiſus ipſe in ſubſcriptione Concilii ſe *vicarium ſedis apoſtolicæ nuncupat*, non autem primatem. Neque dignitatem illam conſtanter retinuit, ut fidem faciunt acta Synodi Tricaſſinæ anno 878. a Joanne papa habitæ, ubi Hincmarus Remenſis vice Synodi reſpondit pontifici, & ante Anſegiſum Synodo ſubſcripſit. Ipſe quoque Joannes eodem anno ad quinque archiepiſcopos Galliarum literas ſuas dedit *a pari*, ea ſerie, ut priorem Hincmarum Remenſem ſequatur Anſegiſus. Ex quo conſtat pontificem non inſuper habuiſſe epiſcoporum Gallicanorum interceſſionem. Extinctum primatum Seguinus archiepiſcopus Senonenſis inſtaurare curavit, elicita a Joanne XV. papa vitiorum ſuarum per Gallias ſolas delegatione, cujus privilegio priorem locum obtinuit in Synodo Remenſi, quæ anno 992. Arnulphum Remenſem damnavit. Id docet exceptio, qua epiſcopi ſe tuebantur anno 995. adverſus juſtam aliquoi expoſtulationem Leonis legati pontificii, qui ſede apoſtolica incoaſulta Arnulphum dejici non potuiſſe contendebat. Ajunt inter cetera: *Certe Seguinus, venerabilis vitæ Senonenſium archiepiſcopus, domini papæ Joannis vices per Gallias ſibi creditas innovavit, & ita a latere apoſtolici cum decreto privilegii veniens, ejus vices uſque ad præſens omnium epiſcoporum Galliæ conſenſu profecutus eſt. In hujus ergo præſentia Arnulphus ſeipſum ſacerdotio exuit.* Unde conſtat Seguinum vicariam poteſtatem tunc innovaſſe, id eſt, abolitam reſtitui curaſſe, nullamque privilegii realis & perpetui mentionem factam. Leothericus Seguini ſucceſſor cum pallio delegationem quoque ſedis apoſtolicæ obtinuit, ſi qua fides habenda ſit chronico Antiſſiodorenſi.

LVI. Is erat in eccleſia Gallicana metropolitarum ſtatus, ut nulla inter primates Gallicanos, Belgicos, & Germanicos eſſet prærogativa, niſi ex tempore ordinationis, teſte Hincmaro epiſtola octava cap. 16. qui Aquitanos omiſit ob privilegium Bituricenſis epiſcopi. Quæ diſciplina duravit uſque ad annum 1079. quo anno Gregorio ſeptimo viſum eſt in Gebuini epiſcopi Lugdunenſis gratiam eccleſiæ Lugdunenſi perpetuum primatum conferre, in quatuor provincias Lugdunenſes. *Confirmamus primatum*, inquit Gregorius lib. 6. epiſtola trigeſimaquarta, *ſuper quatuor provincias Lugdunenſis eccleſiæ tuæ, & per eam tibi tuiſque ſucceſſoribus*. Arduum negotium aggrediebatur, quo trium metropolitanorum, atque adeo regni Gallici, dignitatem imminuere videbatur, eo quod Lugdunenſis civitas ea tempeſtate regno Burgundico accenſeretur. Ideo prudentiſſimus pontifex, ne adverſus decretalem illius epiſtolam exceptio novitatis opponeretur, rem totam a capite arceſſit, ut reſtaurare potius eccleſiæ Lugdunenſis primatum in quatuor provincias, quam inſtituere diceretur.

LVII. Itaque conſtitutas fuiſſe ab apoſtolis & a beato Clemente provinciarum diviſiones exemplo gentilium docet: ita ut ſacerdotium in tres gradus divilum fuerit, epiſcoporum, metropolitanorum, & primatum ſeu patriarcharum. Obſervat autem eas civitates his ordinibus ornatas, quæ juxta uniuſcujuſque celebritatem a principibus Romanis olim ſuperioribus & inferioribus tribunalibus erant cohoneſtatæ. Hanc ſententiam ex epiſtolis Clementis & Anacleti Gregorius hauſit, quarum auctor rem certam, & antiquam diſertis alicubi verbis expreſſit: ſed in appendice epiſtolæ Clementis nova verborum ſignificatione obſcuravit. Ait enim, *primos flamines* in maximis civitatibus conſtitutos olim a paganis, in majoribus archiflamines: illoque exemplo ab apoſtolis primates, tum archiepiſcopos, ſeu metropolitas inſtitutos. Priore loco *primos flamines* repoſui, ex Hincmaro, qui locum Clementis adducit cap. 17. opuſculi, cum in editione Iſidori legatur primo & ſecundo loco *archiflamines*. Unde lux quædam fortaſſe affulgebit obſcuro huic Clementis loco: & de conſilio ſcriptoris conſtabit in flaminibus iſtis invehendis, quamvis Antonius Auguſtinus id ſe conſequi poſſe deſperaverit.

LVIII. Videtur autem flamines iſtos collector Hiſpanus hauſiſſe ex veterum inſcriptionum lectione, quas in Hiſpania, & alibi, antiqua ſaxa exhibent. Exempli cauſa, in inſcriptione Tarraconenſi, Marius quidam dicitur *flamen provinciæ Hiſpaniæ citerioris*. Alibi, Mæcius *flaminatu provinciæ Hiſpaniæ citerioris* functus. Ecce flamines provinciales, quos Iſidori collectio archiflamines dixit. A Græcis, nomine ducto a provincia, dicebantur Bithyniarchæ, Syriarchæ, & Aſiarchæ, in Actis apoſtolorum, apud Strabonem, Euſebium, & in digeſtis, & codice: eorumque munus dicitur Archierotyna, *codicis Theodoſiani lib.* 12. & Phœnicarchia, Syriarchia, Cappadociarchia a Modeſtino juriconſulto. In aliis inſcriptionibus, Sempronius Speratus dicitur, *flamen divorum Auguſtorum provinciæ Bæticæ*, ejuſdem provinciæ *conſenſu flaminicum munus conſecutus*. Sed in eadem provincia Bætica primum quoque flaminem inſcriptiones fuiſſe teſtantur. Ex Ambroſio Morali, Caſtuli in Hiſpania ſcimus extare fragmentum lapidis, ubi inter cetera hæc legas: *Flamini Auguſtali in Bætica primo*. Nempe olim fato functi imperatores templis & aris donabantur a provincialibus ubi ſacrificia fiebant novis illis numinibus, pro ſalute principis qui rerum potiebatur, & incolumitate provincialium. Præfecti erant his ſacrificiis flamines & ſodales Auguſtales dicti, quos provinciales in unum coeuntes quotannis, ad conventus juridicos agendos a proconſulibus, aut præſidibus provinciarum evocati, ſuffragiis ſuis in quinquennium vel in perpetuum delig bant. Unde flamines hujus vel illius provinciæ dicti ſunt: non autem ex eo provinciæ nomen ſortiebantur, quod ceteris coloniarum & municipiorum flaminibus præficerentur: ſuos enim & illa flamines habebant. Auguſtales iſti ſodales in unum corpus coibant, unde *Coitii Auguſtales* dicti: quibus ille qui præerat *flamen primus* dicebatur, id eſt primus collegii & corporis Auguſtalium. Inſcriptio Narbonenſis *Tauropolium provinciæ Narbonenſis factum per C. Batonium primum flaminem Augg. pro ſalute dominorum imperatorum L. Septimii, & Severi*, &c. Baronius eſt primus flamen Auguſtorum, & provinciæ Narbonenſis nomine facit ſacrificium taurobolii, ſeu tauropolii, in quo taurorum victimæ mactabantur. Præter ſacra, venationes quoque, gladiatorum munus, & ludicra ſpectacula edenda curabant flamines provinciæ, tempore conventus: ad reficiendos provinciales. Apud Græcos ſuperiore loco in theatris aurea corona caput cinxit conſidebant. Abolitis paganorum ſacrificiis a Conſtantino, extinctum eſt quoque nomen flaminum, & ſodalium Auguſtalium: ſed conſervatis ſpectaculorum voluptatibus, *ſacerdotum provinciæ* nomen & manus duravit, etiam apud Chriſtianos. Eorum ſacerdotum provinciæ frequens mentio in Concilio Carthaginenſi, apud Innocentium I. in codice Theodoſii, & Juſtiniani, & alibi, donec Leonis I. imperatoris conſtitutione ludorum cura ad præſides provinciarum revocata, vetitum eſt curialibus ne ad ſacerdotiorum iſtorum honorem aſpirarent, *l. 1. C. de officio comitis orientis*. Quare de iſtis muneribus, velut jampridem exſoletis Juſtinianus verba facit Novella 89. Itaque auctor epiſtolarum, qui flamines legerat in Concilii Eliberitani Canonibus, ſacrificiis agendis addictos; & in veteribus inſcriptionibus, *Provinciarum flamines, & primos flamines*: facile in mentem ſuam induxit, tres flaminum gradus fuiſſe apud paganos: qui ad exemplum magiſtratuum per civitates maximas majores & minores pro muneris ſui dignitate conſtituti eſſent. Quare occaſionem iſtam ornandæ diſpoſitionis eccleſiaſticæ, ex Gentilium inſtituto, prætermittere noluit; nempe ut conſtaret eam niti non ſola ratione civili, ſed ſacra quoque, pro civitatum diſcrimine.

LIX. Ceterum in eo laborare videbatur Gregorii decretum, quod Lugdunenſis civitatis gradum ceteris trium provinciarum civitatibus ſuperiorem fuiſſe, nec in latercule imperii, nec in politiæ eccleſiaſticæ ordine docebat. Quare Senonenſes archiepiſcopi præ cæteris huic decreto reluctati ſunt, ut docet ſynodica Urbani II. epiſtola, quam edimus. In qua explicatur manifeſtius, quod ea de re Gregorius tantum judicaverat, auctoritatem patrum laudando. Docet enim Urbanus ex *catalogorum auctoritate* primatum illum eſſe petendum: id eſt ex veteri notitia provinciarum, quam in collectione Iſidori *catalogum civitatum* vocatur. Unde Ivo Carnotenſis de primatu iſto Lugdunenſi ait epiſtola 50. *Quem aliquando ex catalogis civitatum conjectum extitiſſe*.

LX. Obſervandum eſt autem hanc notitiam provinciarum inſertam collectioni Iſidori, ac ſi ab Anacleto pontifice miſſa fuiſſet, qui in epiſtola 3. de Romana ſede, Alexandrina, & Antiochena locutus: *Reliqua*, inquit, *in quodam tomo vobis conſcriptas direximus. Inde namque & beati apoſtoli inter ſe flaturunt, ut epiſcopi ſingularum ſcirent gentium quis inter eos eſſet primus, quatenus ad eum potior eorum ſolicitudo pertineret.*

Diſcrimen primatus Anſegiſi & Bituricenſis epiſcopi.

Dignitatem illam non retinuit.

Seguino Senonenſi delegatæ vices apoſtolicæ ſedis.

Æqualis dignitas metropolitanorum in Gallia ex Hincmaro.

Lugdunenſis dein primatus conſtitutus a Gregorio VII.

Cauſa conſtituendi primatus.

Explicatur locus epiſtolæ Clementis de flaminibus & emendatur textus.

De flaminibus provinciarum

Primi flamines qui.

Flaminum & auguſtalium ordo abolitus.

Sacerdotes provinciarum.

Vetiti Leonis conſtitutione.

Error Iſidorianæ collectionis detegitur.

Primatus Lugdunenſis fundatur in ſcitiis provinciarum Galliæ.

Urbanus, & Ivo explicati.

Notitia provinciarum laudata in Anacleti epiſtola, ſub nomine falſi.

neret. Tomus iste nihil aliud significat, quam notitiam provinciarum, ut recte explicat Hincmarus cap. 16. opusculi. Qui ex eo quod Laudunum in ea descriptione omissum esset in provincia Remensi, concludit olim inter civitates aut sedes episcopales non fuisse recensitum, sed solius beati Remigii beneficio eam dignitatem adeptum: *Ab exordio sui*, inquit, *in paganismo inter civitates vel provinciales sedes nomen & locum non habuit*. Mox: *In Remensi parochia, sicut & alia municipia, quæ hodieque ibidem consistunt, municipalem locum tenuit: sicut & tomus, quem Anacletus episcopis de sedium privilegiis se interrogantibus, se misisse dicit, patenter ostendit, veluti ipse legere potes in eorum breviario, in quo descriptis civitatibus metropoli Remorum subjectis, nomen castelli, in quo es ordinatus episcopus, nequaquam invenies*. Porro notitia, quæ est apud Isidorum, Gallias in XVII. provincias partitur, & quatuor Lugdunenses cum discrimine primæ Lugdunensis, secundæ, tertiæ, & Senoniæ describit: unde quæsitus color primatus constituendi in civitate Lugduni, quæ erat primæ metropolis; ut docet aperte Joannes Lugdunensis archiepiscopus, apud Ivonem epistola 237. quamvis ex Anacleti sententia, e Canone apostolico hausta, metropoleon tantum privilegia juxta notitiam illam constituenda essent.

In ea notitia quatuor Lugdunenses provinciæ, & primæ metropolis Lugdunum.

De Galliarum Divisione.

LXI. Hic locus a me postulat, ut de Gallicanæ diœceseos divisione paucis agam; quod ita a me præstabitur, ut capita quædam adnotem, quæ cæterorum diligentiam fugisse videntur, quæque ad intelligendum veterem provinciarum ecclesiasticarum statum non mediocriter conferunt. Unde constabit, an secundum juris antiqui disciplinam, primæ provinciæ jus aliquod obtinerent in secundis.

Augusti partitio in quatuor provincias.

Augustus princeps solidum corpus Galliarum in quatuor partes divisit, Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem, & Belgicam, Strabone teste, Mela, & Plinio, ipsoque Ptolemæo, qui sub Hadriano principe eam in Galliæ descriptione divisionem sequitur. Postea sectæ sunt Galliæ in XIV. provincias, hoc ordine: Narbonensis divisa est in Narbonensem, Viennensem, Alpes maritimas, Alpes Grajas & Penninas. Aquitanica vero tributa est in duas Aquitanicas, & Novempopulanam. Ex Lugdunensi confectæ sunt Lugdunenses duæ, & Maxima Sequanorum. Belgica divisa est in duas Belgicas, & duas Germanias. Hujus divisionis descriptionem debemus Rufo Festo in breviario, quod Valenti dicavit anno 365. In Galliis decem & octo provincias esse ait: *Ex iis quatuor* in Britanniis transmarinis ponit: reliquas quæ ad nos pertinent, exprimit his verbis, & hac serie: *Alpes maritimæ, provincia Viennensis, Narbonensis, Novempopulana, Aquitanæ duæ, Alpes Grajæ; Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ*. Eamdem fere divisionem sequitur Ammianus Marcellinus libro 15. qui posterior Rufo aliquot annis, duas enim Germanias, totidemque Belgicas recenset; duas item Lugdunenses, & Sequanos: Aquitaniæ tamen unius tantum meminit, & Novempopulorum; omissa Aquitania prima. Eadem negligentia Narbonensem solam, & Viennensem numerat, oblitus Alpium maritimarum, & Alpium Grajarum.

Quæ deinde sectæ sunt in quatuordecim.

Tempus secundæ divisionis investigatur.

LXII. Quærunt eruditi viri quo tempore potissimum instituta fuerit hæc divisio. Quidam eam referunt ad Hadrianum, alii ad Constantinum, vel ad Theodosium. Ut certum tempus præstare difficile est in silentio veterum scriptorum, ita longe vetustius esse Constantino asseri potest. Inducta est primo hæc divisio in quibusdam provinciis ex mero principum arbitrio; deinde sub Hadriano, vel Antonino, qui disponendi imperii curam singularem gessere, videtur ad numerum 14. provinciarum perducta fuisse. Sane Tiberii & Neronis principatu distractæ erant a reliqua Belgica *duæ Germaniæ*, ut discimus ex Tacito libro 13. annalium. Observat Veterem, qui una cum Paulino exercitui in Germania præerat, Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fossa, connectere parasse. Mox addit: *Invidit operi Ælius Gracilis Belgicæ legatus, deterrendo Veterem, ne legiones alienæ provinciæ inferret*. En diserte Belgicam distinctam provinciam a Germania. Hæc autem duplex erat, *superior, & inferior*. Priori nomen a superiori Rheni ripa, ubi validus exercitus hiberna agebat, ad tuendos limites imperii, sub cura legati; quemadmodum suus quoque exercitus ripæ Rheni non deerat, sub præfecto, vel proprætore, ut docet Tacitus annalium libro 1. *Duo apud ripam Rheni exercitus erant, cui nomen superiori, sub C. Silio legato: inferiorem Cecinna curabat. Regimen summæ rei penes Germanicum*. Totus illius regionis tractus, a Sequanis per ripam Rheni usque ad oceanum porrectus, a Germanis qui ante Julii Cæsaris tempora Gallos iis locis expulerant, Germaniæ nomen consecutus est. Utramque vero Germaniam provinciæ dignitatem sortitam docet annalium lib. 4. *Quod ubi L. Apronio inferioris Germaniæ proprætori cognitum, vexilla legionum e superiore provincia, peditumque & equitum auxiliarium delectos accivit*. Libro 6. Getulicus, qui superioris Germaniæ legiones curabat, ad Tiberium ausus scribere post necem Sejani, *successorem non aliter quam mortis indicium accepturum; firmarent velut fœdus, quo princeps ceterarum rerum potiretur, ipse provinciam retineret*. Germaniam quoque in duas provincias divisam, atque sub duobus præsidibus constitutam, scribit Macer jurisconsultus, qui sub Antonino vixit, in *l. 3. ff. De officio assessoris*. Ex inscriptione apud Gruterum pag. 375. num. 1. quæ M. Aurelii principatu posita est cuidam Bassæo qui dicitur *Procurator a rationibus provinciarum Belgicæ & duarum Germaniarum*, videtur colligi posse, non solum divisio duarum Germaniarum, sed etiam provinciarum Belgicæ, id est primæ & secundæ.

Belgicæ & duarum Germaniarum vetusta divisio.

Divisio Lugdunensis provinciæ.

LXIII. Solida Lugdunensis provincia temporibus Galbæ Junio Blæso rectori parebat, & Narbonensis Tito Vinio proconsuli, teste Tacito lib. 1. & 2. histor. Agricolæ quoque commissa est a Vespasiano Aquitaniæ administratio, splendidæ dignitatis, ut notat idem auctor. Sed divisionem tandem tres istæ provinciæ passæ sunt, ad exemplum Belgicæ. Plane *Maxima Sequanorum* avulsa erat a Lugdunensi, Diocletiani principatu, ut ostendit inscriptio tunc posita apud Gruterum pag. 166. num. 7. *Aurelio Proculo V. C. prov. Max. Seq.* ubi aperte Maxima Sequanorum provinciæ nomine insignitur. Unde patet eruditorum virorum error, qui Maximam dictam volunt a nomine Maximi, qui Gallias invasit temporibus Gratiani circiter annum 380. Lugdunensem Sequanicis populis minutam, in primam & secundam statim divisam fuisse, ad exemplum Belgicæ, & Germaniarum, asserere necesse est. Sane anno 319. in *lege 1. C. Th. tit. 3. lib. 11.* Antonius Marcellinus dicitur præses *primæ* Lugdunensis. Viennensem vero provinciam, quæ avulsa a Narbonensi Augustis, exhibent subscriptiones Concilii Arelatensis I. habiti anno 314. quæ si integræ extarent, magnam lucem attulissent huic controversiæ. Dubitandum non est quin ceteræ provinciæ in decem & quatuor excreverint vetustioribus illis temporibus, etsi testimoniis ex ea ætate petitis careamus.

Maxima Sequanorum tempore Diocletiani.

Prima Lugdunensis, Viennensis.

Tertia divisio, quæ XIV. provinciis tres addidit.

LXIV. Auctæ sunt quatuordecim provinciæ nova sectione instituta Lugdunensis & Viennensis, avulsa scilicet Senonia a prima Lugdunensi, & tertia Lugdunensi, seu Turonia, a secunda. Tum recisa a Viennensi provincia ea quæ dicta est Narbonensis secunda; etsi nomen hanc sectionem a Narbonensi prima factam fuisse demonstrare videatur. Etenim Narbonensis prima Rhodano terminabatur; Viennensis vero Arelatum, & Massiliam comprehendebat. Unde sequitur Narbonensem secundam, quæ civitatem Aquensem & reliquas civitates usque ad Alpium maritimarum fines continebat, a Viennensi distractam, non autem a Narbonensi prima, a qua tanto intervallo dissita erat. Incrementum itaque Narbonensis secundæ, & Lugdunensis tertiæ, atque Senoniæ, additum ad quatuordecim priores provincias, efficit numerum 17. Hæc immutatio referri debet ad tempora Gratiani. Tunc enim incepit recenseri Narbonensis secunda, & fieri mentio quinque provinciarum, separatarum a Galliis. Concilii Aquilejensis epistola anno 381. secundam Narbonensem diserte præfert in inscriptione: *Concilium, quod convenit Aquilejæ, dilectissimis fratribus episcopis provinciæ Viennensis, & Narbonensium primæ & secundæ*. Concilium quoque Taurinense cap. 1. de primatu Narbonensis secundæ pronunciavit, anno 397.

Quod factum sub Gratiano.

Explicantur quinque provinciæ separatæ a Galliis.

LXV. Concilium vero Valentinum anno 374. meminit *quinque provinciarum* in synodica epistola: *Dilectissimis fratribus per Gallias & quinque provincias constitutis episcopis*. Porro quinque provinciæ sunt partes solidæ Narbonensis antiquæ, quæ olim distincta fuit a reliquis tribus provinciis Galliarum, ut mox dicam. Fient autem quinque illæ provinciæ, si quatuor a Rufo numeratis, nempe Narbonensi, Viennensi, Alpibus maritimis, & Alpibus Graiis, addas Narbonensem secundam. Conservatus est numerus *quinque provinciarum*, in epistola Maximi imperatoris ad Siricium; & apud Symmachum libro quarto epistola trigesima.

Septem provinciæ, quæ

LXVI. Tandem harum quinque provinciarum corpus Petronius præfectus prætorio Galliarum immutavit. Expuncta enim provincia Alpium Grajarum, ex reliquis quatuor, & ex duabus Aquitaniis, & Novempopulana, conventus septem provinciarum Arelate agi constituit, cujus formam confirmavit Honorius constitutione lata anno 417. Unde manavit distinctio *septem provinciarum* a Galliis: quæ disertissime explicata est in notitia Galliæ, edita a viro clarissimo Sirmondo. Quæ distinctio solum est ab Honorii ævo: non autem divisio in *decem & septem provincias*, quæ sub Gratiano facta est. Hinc est quod in Zosimi, & Bonifacii I. epistolis annis 417. & 419. hæc inscriptio legitur: *Episcopis*

ſcopis per Gallias, & ſeptem provincias conſtitutis. Eas provincias recte Hincmarus interpretatus eſſet epiſtola 9. cap. 27. niſi in locum Aquitaniæ primæ, quam omiſit, Lugdunenſem primam ſubſtituiſſet, quæ recenſenda non eſt in ſeptem provinciis.

Refellitur opinio, qua Gallias in ſeptem provincias olim divifas aſſerit.

LXVII. Hic omittere non debeo eruditorum virorum opinionem, qui exiſtimant univerſum corpus Galliarum olim in ſeptem partes tributum, unde Galliæ vocatæ ſunt *ſeptem provinciæ*. Quod duplici argumento probant. Primum petitur e Notitia imperii, ubi vicarius præfecti prætorio Galliarum dicitur vicarius per ſeptem provincias. Sed cum certum ſit, ex iis quæ prædixi, nullam extitiſſe Galliarum omnium in ſeptem provincias diviſionem: cum quatuor, aut poſtea quatuordecim ex inſtituto Hadriani, vel Aurelii Antonini extiterint; vel ſaltem major numerus quam ſeptem: truſtra laboratur in firmanda ſententia, quæ nullo vetuſtatis diferto teſtimonio nititur. Conſequentia vero quæ trahitur ex notitia imperii, nulla eſt. Locus enim eſt

Reſpondetur Notitiæ imperii.

aperte mendoſus, & reſcribendum ſeptemdecim; quippe in Notitia, ut reddatur ratio ſeptem provinciarum, ſtatim numerantur ſeptemdecim. Secunda probatio deſumpta eſt ex veteri quadam inſcriptione, ubi Acilius Glabrio Sibidius, dicitur *Legatus in provincia Achaia, conſularis Campaniæ, & vicarius per Gallias ſeptem provinciarum, ſacri auditorii cognitor*. Si hæc inſcriptio poſita ſit ante Conſtantini imperium, non agitur de vicario præfecti prætorio Galliarum, qui nondum inſtitutus erat vicarius. Itaque hic ſumetur pro eo qui extra ordinem vices præſidis gerebat in provinciis juſſu principis: de quo munere eſt titulus in codice, *De officio ejus qui vicem alicujus judicis, vel præſidis obtinet*. Mens ergo inſcriptionis erit, Acilium variis temporibus vices præſidum egiſſe in ſeptem provinciis per Gallias. Si quis de vicario præfecti ari contendat, poſitamque inſcriptionem poſt tempora Conſtantini, dicendum Acilii juriſdictionem intra ſeptem provincias coercitam, quarum conventus Arelate fiebat; qui quidem conventus non a conſulari Viennenſis provinciæ, ſed a præfecto prætorio cogebatur: cui deinde vel ipſe præfectus, vel ejus vicarius præbebat. Reliquarum provinciarum conventus alibi fiebat, ejuſque cura alteri vicario committi poterat ex arbitrio principis: unde non ineleganter Acilius vicarius per Gallias ſeptem provinciarum dicitur. Si cui interpretatio noſtra non arridet, poterit cum eruditiſſimo viro de vitio exſcriptoris hujus inſcriptionis conqueri, & emendare, *Per Gallias & ſeptem provincias*.

Et veteri inſcripturæ.

Vetera urbium & populorum nomina poſt Notitiam fere abolita.

LXVIII. Ceterum hic obſervandum eſt, ex hac provinciarum diviſione effectum, ut antiqua gentium, populorum, & urbium nomina, quæ leguntur apud Cæſarem, Strabonem, Plinium, & Ptolemæum, omnia fere paulatim obliterata ſint, præter ea quæ in Notitia imperii, & exinde, in uſu civili, & eccleſiaſtico retenta ſunt. Itaque apud hiſtoricos, vel alios ſcriptores, poſt tertium ſæculum, fruſtra quæras, vel *Genabum* pro civitate Aurelianorum, vel *Agendicum* pro civitate Senonum, vel *Durocortorum* pro civitate Remorum, & alia id genus exoleta nomina. Gentium quoque nomina, quæ Plinius & Ptolemæus anxie deſcribunt, fere abolita, in provinciarum nomenclaturam apud Notitiam recenſitarum conceſſerunt: ita ut de priſcis illis vocabulis, irrito plerumque labore, non ſit cantopere contendendum.

Eccleſia ſecuta eſt in ſuis provinciis diviſionem Galliarum in XIV. provincias.

LXIX. Galliarum diviſionem in quatuordecim provincias ſecuti ſunt olim Romani pontifices, & eccleſia Gallicana, in conſtituendis per Gallias metropolitanis: cum ea diviſio in ea tempora incidat, quibus fides Chriſtiana in his partibus florere incepit. Teſtis erit hujus rei ſingularis Innocentius I. qui licet averſus eſſet a novis metropolitanis inſtituendis in provinciis, quæ ſua ætate, imperiali judicio dividebantur, quemadmodum reſpondit Alexandro epiſcopo Antiocheno; attamen metropolitanos induſtos ait, juxta veterem provinciarum civilium diviſionem: *Ergo ſecundum priſtinum provinciarum morem*, inquit, *metropolitanos epiſcopos convenit numerari*. Morem autem priſtinum in Galliis non ad diviſionem Auguſti in quatuor provincias referri oportere, ſed ad eam diviſionem, qua Lugdunenſis ſecta eſt in primam & ſecundam, (quod accidit tempore diviſionis factæ in quatuordecim provincias) docet nos ipſemet Innocentius. Etenim, cum ſecundæ Lugdunenſis metropolis ſit in Notitia civitas Rothomagenſium, Victricium ejus civitatis metropolitanum epiſcopum Innocentius agnovit ſuis literis anno 404. quibus eum de metropolitarum auctoritate in ordinationibus epiſcoporum, & de ſynodo provinciæ cogendis, ex Canonibus Nicænis informat. Præterea cum *honore ſacerdotii plurimum pollere* docet; illique mandat ut regionis ſuæ populis & epiſcopis regulas & monita literis illis comprehenſa inſinuet. Iſto exemplo fultis audactur aſſerere licet, nulli metropoli provinciæ civilis defuiſſe metropolitanum epiſcopum in Galliis.

Innocentius explicatur.

Rothomagenſis metropolis.

In quaque metropoli civili erat epiſcopus metropolitanus.

Quod juxta mores jam receptos ſancitum fuit Canonibus 4 & 6. Synodi Nicænæ: eoſque Canones in Galliis obſervari debere conſtituerunt Innocentius, Bonifacius, Cæleſtinus, & Leo, ut mox dicam; ita ut unaquæque provincia ſuo metropolitano pareret. Ac ſane nullus adhuc controverſiam movit, epiſcopis civitatum metropoleon, quæ ſequuntur, Lugduni nempe, quæ in latericulo imperii eſt; metropolis Lugdunenſis primæ; Rothomagenſium in Lugdunenſi ſecunda, de qua jam dixi; Treverorum in Belgica prima, Remenſium in Belgica ſecunda, Biturigum in Aquitania prima, Burdigalenſium in Aquitania ſecunda, Eluſatium in Novempopulana.

De Viennenſi & Arelatenſi metropoli diſputatur.

LXX. Tota difficultas verſatur in provinciis inſtitutis in Narbonenſi antiqua, in duabus Germaniis, & in Maxima Sequanorum. Sed poſitio noſtra ex contentionibus ea de re ortis inter epiſcopos confirmatur potius quam evertitur. Ex canonica enim illa & vetere regula, Viennenſis epiſcopus ſolidam ordinationem provinciæ Viennenſis ſibi vindicabat adverſus Arelatenſem epiſcopum, coram ſynodo Taurinenſi, anno 397. Jactabat enim & vetuſtatem eccleſiæ ſuæ, & jus civitatis, quæ ut metropolis provinciæ nomen dederat. E contrario Arelatenſis epiſcopus opponebat ſacerdotii antiquitatem, urbis ſuæ decus, quæ *Conſtantina* dicta fuerat a Conſtantino, *Gallula Roma* ab Auſonio, & a Valentiniano II. atque ab Honorio principibus, non ſolius provinciæ Viennenſis, ſed *mater omnium Galliarum*, ob ſedem præfectorianam, quæ illuc tranſlata fuerat ex civitate Treverorum. Quare ſynodus, totius provinciæ honorem primatus deferendum cenſuit ei epiſcopo qui ſuam civitatem probaret eſſe metropolim, eique juxta Canones ordinationum poteſtatem addicendam. Interim, pacis fovendæ cauſa unumquemque ex illis vicinioribus ſibi intra provinciam civitates vindicare debere cenſuit. Sed Arelatenſis, imperio principis, & apparitione præfecturæ fultus, poſſeſſionem ſuam fir mare conatus eſt. Tandem Zoſimus anno 417. non ſolum vices ſuas Patroclo Arelatenſi mandavit, ſed etiam decreto ſuo juſſit ut præcipuam in ordinandis ſacerdotibus teneret auctoritatem, & provincies Viennenſem, quin etiam Narbonenſem I. & II. ad ſuum pontificium revocaret. Amplificando huic juri color quæſitus ex Trophimi adventu, qui miſſus ab apoſtolica ſede primus fidem in Galliis intuliſſe, & eccleſiam Arelatenſem fundaſſe aſſerebatur. & ex antiquo more tres illas provincias adminiſtrationi hujus eccleſiæ ſubjectas. Ac quidem vi decreti pontificii Viennenſem provinciam ſolida tunc obtinuit Arelatenſis epiſcopus: quæ deinde judicio Leonis papæ diviſa eſt, anno 450 ita ut Viennenſi epiſcopo cederent civitates Valentiæ, Tarantaſiæ, Genevæ, & Gratianopolis, ut *eum his ipſe Vienna eſſet quinta*: reliquæ vero civitates ejuſdem provinciæ (numero novem) ſub Arelatenſis antiſtitis auctoritate & ordinatione conſiſteret. Sed præcipuum eſt in hac controverſia, quod Leo hujus divihonis auctor annotavit, ſcilicet ſe ad hoc conſilium impullum, cum quia alterna vicibus, nunc iſta civitas, nunc illa in eccleſiaſticis privilegiis præcelleret. tum quia commune fuerat quondam utrique civitati jus metropoleos civilis in ea provincia, ut a gentibus provinciæ illius prodebatur. Hæc ſunt verba Leonis: *Conſideratis allegationibus utriuſque partis præfentium clericorum, ita ſemper inter a provinciam veſtram & Viennenſem & Arelatenſem civitates claras fuiſſe reperimus: ut quarumdam cauſarum alterna ratione, nunc illa in eccleſiaſticis privilegiis, nunc iſta præcelleret: cum tamen eidem commune jus quondam fuiſſe a gentibus proderetur*. Unde gentes regionis prodere poterant, jus quondam utrique civitati in ea provincia fuiſſe commune, niſi ex eo quod vetuſtas Coloniæ Viennenſis, & ſplendor adjectus Arelatenſi civitati, ex conſtitutione Valentiniani II. qui obiit anno 392. in unius juris civilis communionem ambas civitates jungebat? Itaque certa manet regula noſtra, Viennenſi provinciæ ſuum non defuiſſe metropolitanum: attamen, quia jus metropoleos civilis inter duas illas civitates fuit controverſum, ambiguum quoque inter eas fuiſſe jus metropoleos eccleſiaſticæ, donec velut arbitrio de communi dividundo a Leone I. terminatum eſt.

Judicium Concilii Taurinenſis pro diviſione civitatium Viennenſis provinciæ.

Decretum Zoſimi pro Arelatenſi epiſcopo, in tres provincias.

Iterum facta diviſio, decreto Leonis.

Quis jus metropoleos civilis communis olim civitatibus Viennæ & Arelati.

LXXI. Quod attinet ad Narbonenſem primam, cujus adminiſtrationem Zoſimus Patroclo epiſcopo Arelatenſi addixerat, Hilarius Narbonenſis epiſcopus eccleſiæ ſuæ libertatem tuitus eſt. Cum enim Patroclus rescripto Zoſimi nixus, eccleſiæ Lutubenſi ſine decreto cleri & civium, & prætermiſſo Narbonenſi metropolitano, præfeciſſet epiſcopum, Bonifacius I. querela Hilarii interpellatus, anno 442. provinciæ adminiſtrationem illi ex præſcripto Canonum confirmavit, compreſſa Patrocli audacia: *Quod nequaquam poſſumus ferre patienter*, inquit, *quia convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita ſynodi Nicænæ conſtitutio, quæ ita præcipit, ut eadem*

Narbonenſis metropoleos jus.

Confirmatum a Bonifacio I.

dem verba ponamus, per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duos esse jubjectos. Mox: *Unde, frater carissime, si ita res sunt, & ecclesiam supradictam provinciæ tuæ limes insunt, & ecclesiam supradictam provinciæ tuæ limes includit, nostra auctoritate commonitus, quod quidem facere sponte deberes desideriis supplicantium, & voluntate respecta, ad eumdem locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, metropolitani jure munitus, & præceptionibus nostris fretus accede; intelligens arbitrio tuo jecundum regulas patrum quæcunque facienda sunt a nobis esse concessa: ita ut peractis omnibus, apostolicæ sedi quidquid statueris te referente clarescat, cui totius provinciæ suæ ordinationem liquet esse mandatam.* Quam definitionem Bonifacii Cælestinus epistolæ suæ ad episcopos Viennensis & Narbonensis provinciæ cap. 4. confirmat anno 428. *Primum*, inquit, *juxta Canonum decreta unaquæque provincia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonenses episcopum constituta; nec usurpationis locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessi sibi consensus unusquisque limitibus: alter in alterius provincia nihil præsumat.* Leo I. eleganter eamdem sententiam explicat anno 445. in epistola ad episcopos provinciæ Viennensis cap. 2. & 3. & recte observat, Bonifacii constitutione sublatum privilegium ordinationum in prima Narbonensi, quod Patrocio Arelatensi fuerat a Zosimo collatum. Eo enim respiciunt hæc verba Leonis cap. 2. *Cum & ipsum, quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum ita sententia meliore sublatum.* Unde patet subreptum fuisse Zosimo ab Arelatensi episcopo, veterem consuetudinem per dolum obtrudente, & Zosimi epistolas, quæ ex comice Arelatensi publicatæ sunt, genuinas esse.

Qui fuerit privilegium a Zosimo collatum Patroclo Arelatensi.

LXXII. Difficilem vulgo putant esse quæstionem de provincia Alpium maritimarum, cujus metropolis est civitas Ebredunensium in Notitia, eo quod Hilarius Arelatensis sibi, tamquam metropolitano, Ebredunensis ecclesiæ ordinationem arrogaverit in synodo Regensi, anno 439. dejecto Armentario, ea occasione quod a duobus episcopis, sine comprovincialium literis, & metropolitani (id est Arelatensis) voluntate negiecta, ordinatus fuisset. Sed Hilarii factum trahi non potest in consequentiam: quia, ut monuit Leo I. eum increpans, *ordinationes sibi omnium per Gallias sacerdotum vindicabat, & debitam metropolitanis sacerdotibus in jus suum transferebat dignitatem.* Ideoque Leo metropolitanos, quibus ab Hilario facta fuerat injuria, restituit in integrum: *Ordinationem sibi*, inquit cap. 3. *singuli metropolitani suarum provinciarum, cum his qui ceteris sacerdotii antiquitate præveniunt, refutato sibi per nos jure defendant.* Ceterum Ebredunensis civitatis episcopus in provincia Alpium maritimarum semper jure metropolitico potitus est. Testem laudo Hilarium papam, qui anno 464 scripsit Ingenuum Ebredunensem, *Alpium maritimarum provinciæ semper metropolitani honore junxum fuisse.* Ex quo jure suboriam inter Auxanium Narbonensis secundæ, ut puto, metropolitanum, & Ingenuum de Cemelenensi civitate, & castello Nicæensi controversiam dirimit. Ordinarat episcopum in altera illarum ecclesiarum Auxanius, & eo facto, loca prædicta in duos diviserat episcopos; quod Hilarii rescripto muniri per obreptionem impetrarat. Eadem omnino causa, inter eaidem partes superioribus annis Leonis I. judicio decisa fuerat, objurgato etiam Ingenuo, quod juri provinciæ suæ in gratiam Auxanii contra Canones cessisset. *Nolumus*, inquit Hilarus, *ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt servanda, confundi; nec in alterius provinciæ sacerdotem alterum jus habere permittimus.* Mox: *Habeat itaque pontificium frater & coepiscopus noster Ingenuus provinciæ suæ, de cujus dudum ab apostolica sede est illicita cessione culpatus.* Et statim ad unius antistitis curam castrum Nicæense, & civitatem Cemelenensem reduci jubet.

De Ebredunensi metropoli. Explicata synodus Regensis, quæ correcta a Leone.

Ebredunensis semper fuit metropolitanus Alpium maritimarum.

Expiicatus Hilarius.

LXXIII. Majoris momenti est controversia de provincia Alpium Grajarum & Penninarum, quæ in laterculo imperii duabus tantum civitatibus constabat, Tarantasia & Ostodoro; quarum una & prima, nempe Tarantasia, commissa est Viennensium metropoli a Leone I. Sed observandum est hoc Leonis decreto nihil constitutum fuisse adversus regulam a nobis positam, neque contra jus civitatis, utpote quæ in ordine civili jure metropoleos non potiretur, sed tantum nudo jure civitatis, ut patet ex Notitia a viro clarissimo Sirmondo edita: *Provincia Alpium Grajarum & Penninarum. Civitas Centronum Tarantasia. Civitas Valensium Ostodoro.* Quoniam tamen Alpium Grajarum & Penninarum provincia recensetur in laterculo imperii, provinciæ quoque locum retinuit in ordine ecclesiastico, ut patet ex inscriptione epistolæ 8. Hilari papæ. Unde factum existimo ad conservandam provinciæ distinctionem, ut Ostodori ecclesia, quæ episcopali fastigio insignita erat, anno 381. ut patet ex subscriptione concilii Aquilejensis, non sit credita Viennensi ecclesiæ a Leone, una cum Tarantasia; quæ quidem ecclesia Ostodori, cum alicui subesse deberet, non alibi subjici potuit, quam Tarantasiæ episcopo ejusdem provinciæ; qui Ostodorensem episcopum ordinaret; ad exemplum ejus dispositionis, quam in Narbonensi secunda vigebat: ubi episcopus metropoleos Aquensis suberat Arelatensi, licet provinciam Narbonensem administraret. Quare posterioribus sæculis post Canonem 8. Concilii Francofordiensis, & consultationem ad sedem apostolicam ab eo missam, de Tarantasiæ episcopi jure, anno 794. id facile obtinuit Tarantasiæ episcopus, Romanorum pontificum beneficio, ut inter metropolitanos libera a Viennensis obsequio referretur. Unde Tarantasia inter metropoles numeratur in testamento Caroli Magni, & Tutrannus illius civitatis archiepiscopus dicitur a Joanne VIII. & ab eo ad synodum cum suffraganeis suis evocatur, epistola 100.

De provincia Alpium Grajarum & de Tarantasiæ episcopo

LXXIV. Nunc agendum superest de duabus Germaniis, quæ sic distinguuntur in Notitia: *Provincia Germania prima, metropolis civitas Moguntiacensium, civitas Argentoratensium, civitas Nemetum, civitas Vangionum. Provincia Germania secunda, metropolis civitas Agrippinensium, civitas Tungrorum.* Ac primo quidem secundam Germaniam aggrediemur, ut observemus discrimen quod civilis ordo servabat inter Tarantasiam, & Coloniam Agrippinam. Huic enim nobilissimæ civitati metropoleos dignitas diserte tribuitur, quæ in alterius descriptione omissa est. Athanasius quoque, qui eas oras lustraverat, cum in comitatu ex aula principis apud Treveros versaretur, inter ceteros episcopos suæ communionis, recenset Euphratam episcopum Agrippinæ, μητροπόλεως τῆς δευτέρας Γαλλίας in epistola ad Solitarios, ubi legendum fortasse, τῆς νῦν Γαλατίας, qua locutione Græci Gallias nostras significabant, ut discimus ex Philostorgio lib. 10. themate 5. cujus fragmenta cum eruditis dissertationibus suis publici juris fecit celeberrimus jurisconsultus Jacobus Gothofredus. Itaque post Athanasium de jure metropolitico Coloniæ amplius disputare netas esse duco. Id solum demendum est dubium, quod aliquos retardavit ab assensu veræ sententiæ: nempe duorum episcoporum numerus non videtur sufficere ad constituendum provinciam ecclesiasticam: eo quod ordinationes episcoporum a tribus episcopis fieri debent; & synodi provinciales minori numero constare non posse videantur, quia tres faciunt corpus seu collegium ex vulgata regula juris. Sed ordinationi satisfaciebat metropolitanus, advocatis e vicina provincia per literas episcopis, juxta canonem 5. synodi Sardicensis. Ipsius vero auctoritas adhibebatur, ut electionis decretum, & totum negotium ordinationis confirmaret, secundum Nicænam synodum. Concilium autem cogebat ex episcopo Tungrorum sibi subdito, qui demum Leodii sedem fixit, & ex presbyteris qui per castra Germaniæ secundæ frequentes erant, quorum castrorum meminit concilium vetus Agrippinense, anno 346. Si qua vero major causa incideret, in conventu trium, vel amplius provinciarum, in ea provincia quæ auxilio indigebat, celebrato de metropolitanorum consensu. Processu temporis per varias bellorum clades deleta sæpe Colonia, dignitatis quoque metropoliticæ memoria obscurata est, donec eam Zacharias pontifex rescripto suo renovavit, anno 745. quæ civitatibus aliquot in Germania sibi subditis aucta est.

De Germaniis prima & secunda.

Germaniæ secundæ Athanasius explicatur

Dubium de duabus civitatibus solvitur.

LXXV. Germaniæ primæ metropolis in Notitia civili, est civitas Moguntiacensium, cui subduntur civitates Argentoratensium, Nemetum, & Vangionum. Ex regula synodi Nicænæ, & decretis summorum pontificum, qui per Gallias ex more pristino provinciarum, metropolitanos numerandos docent, dignitas ecclesiasticæ metropoleos denegari non potest splendidissimæ Coloniæ Moguntiensium a Druso fundatæ. Fateor equidem nos testimoniis veterum hac in parte destitui, & a Germanicis historicis, ipsoque Nicolao Serario viro eruditissimo & accurato rerum Moguntiacarum scriptore deseri. Sed si momenta, quæ argumentis a nobis allatis insunt, diligenter expendissent, non adeo facile dignitatem metropoliticam unius provinciæ in alteram transferri potuisse, contra canones Nicænos in Galliis receptos, & decretis summorum pontificum confirmatos, sibi persuasissent; nempe in Colonienscm, vel Trevericam; vel etiam, quod absurdius est, turbato disciplinæ ordine, in ecclesiam Vangionum, seu VVormatiensem, quæ in laterculo imperii subdita erat Moguntiacensi. Itaque si quis hac in re sapere velit, amplecti debet sententiam celeberrimi viri, & eruditione æque ac dignitate Illustris P. Berterii præsidis Tolosani, cujus hæc sunt verba, diatriba 2. cap. 5. *Moguntinum quidem episcopum florente imperio, Germaniæ primæ metropolitanum fuisse non dubito. Nam quis hanc unam non solum in Galliarum diœcesi, sed in toto fere orbe Romano metro-*

Germaniæ primæ olim metropolis Moguntiacum.

Quod asseritur adversus Germanicos scriptores.

metropolim jus ſuum non retinuiſſe crediderit? Ab eum ubi majeſtatis Romanæ nomen poſt in Germania extinctum eſt formas civiles & eccleſiaſticas perturbari illic facile potuiſſe non inficior. Hæc ille, quæ nos decurſa rerum Moguntiacarum ſerie confirmabamus.

Excidio Moguntiæ.

LXXVI. Moguntia a Vandalis capta atque ſubverſa, anno 410. deinde ab Attila Hunnorum rege funditus exciſa atque deleta eſt, anno 454. ita ut ne cadaver quidem urbis aut nomen ipſum ſupereſſet. Theodeberti Francorum principis in Auſtraſia beneficio reſtitui cœpit, annuente Sidonio, qui tenuit urbis epiſcopatum, & Attilani excidii reliquias reparavit, circiter annum 600 Fortunatus poſſet ex Venantio Fortunato, qui lib. 9. epig. 9. hujus Sidonii laudes deſcripſit, metropoliticam quoque adminiſtrationem eccleſiæ Moguntinæ reſtitutam. Is enim verbis, de Sidonio loquens, utitur, ac ſi ceteros epiſcopos auctoritate ſua regeret, *Jura ſacerdotum* (id eſt epiſcoporum) *ſacro moderamine ſervans*. Accedit teſtimonium petitum, ex tabulis donationis a Bilechilde ſanct monſtali collatæ in eccleſiam beatæ Mariæ, quam Moguntiæ excitavit, ubi teſtatur ſe agros quoſdam emiſſe ab avunculo ſuo Sigeberto archiepiſcopo Moguntino; cujus quoque juſſu donatio illa a notario excepta eſt, principatu regis Clodovei, anno Chriſti 635. cujus verba retulit Serarius lib. 2. Moguntiacarum rerum cap. 32. Peccatum eſt in temporis annotatione, cum regnum Clodovei incidat in annum 644. uſque ad annum 660. quod emendari poſſet ex autographo, ſi extaret. Ceterum non aſſentior Serario, cui ſuſpecta fuit inſtrumenti fides, ex titulo archiepiſcopi, qui Sigeberto tribuitur, quem ille a Zacharia tantum ſæculo ſequenti impoſitum putat. Certum quidem eſt, per bella civilia ita perturbatas fuiſſe in Galliis eccleſiaſticæ diſciplinæ rationes poſt tempora Childerici regis, ut ab anno 670. uſque ad annum 743. Galliæ *archiepiſcopis* caruerint, teſte Bonifacio in epiſtola quam dedit ad Zachariam pontificem anno 743. *Franci enim, ut ſeniores dicunt, plus quam per tempus octoginta annorum ſynodum non fecerunt, nec archiepiſcopum habuerunt, nec eccleſiæ canonica jura alicubi fundabant vel renovabant*. Quare Bonifacio laborandum fuit, & tractandum cum ducibus Francorum Pippino & Carlomanno, pro reſtaurandis archiepiſcopis per provincias, id eſt pro reſtituenda auctoritate metropolitana; etenim quin epiſcopali fruerentur earum ſedium antiſtites, non eſt dubium. Itaque tres conſtituti ſunt archiepiſcopi in concilio Sueſſionenſi, Grimo Rothomagi, Abel Remis, & Artbertus in civitate Senonica: quorum inſtitutionem palliis miſſis Zacharias probavit, anno 744. Anno ſequenti Coloniæ metropolim confirmavit. Et paulo poſt in quo verſaretur auctoritas metropolitanorum, ex canonibus & decretis pontificum edocuit. Tandem anno 751. Bonifacio ejuſque ſucceſſoribus epiſcopis Moguntinam ſedem titulo metropoleos poſſidendam contulit; eique civitates quinque in Gallia ſubdidit, atque illas Germaniæ gentes, quas Bonifacius ad fidem erudierat. *Et idcirco*, inquit, *beati Petri apoſtoli auctoritate ſancimus, ut ſupradicta eccleſia Moguntina perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis in perpetuum ſit confirmata; habens ſub ſe has quinque civitates, id eſt Tungris, Coloniam, Vvormatiam, Spiraciam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen agnoſcere fecit*. Obliteratum per annos ſexaginta & amplius jus Moguntiæ in integrum reſtituit, ejuſque auctoritatem amplificat, prorogata in Germanos auctoritate, atque in ipſam Coloniam Agrippinenſem. Sed pro hac parte reſcriptum effectu caruit. Sane in Zachariæ verbis nihil perſpicio, ex quo colligere poſſit aliquis, nullam antehac dignitatem metropoliticam civitati Moguntiæ competiviſſe. Ottonus auctor vitæ Bonifacii cap. 44. omnes in fraudem induxit, dum ait eccleſiam Moguntiacenſem alteri ſuiſſe ſubjectam. *Decreverunt iidem principes* (ſcilicet Carlomannus & Pippinus) *eccleſiam Moguntiacenſem, quæ prius alteri ſubjecta erat, metropolim omnium in Germania poſitarum eccleſiarum efficere; moxque legatione facta illud a præſule apoſtolico impetravere*. Fallitur Ottonus, qui anno MCX. cum hanc vitam ſcripſerit, conjecturam ſuam potius, quam res ſibi aliter compertas explicat. Sic autem colligebat ex ordine diſciplinæ canonicæ Moguntiam olim alteri ſubditam fuiſſe, ſi demum a Zacharia in metropolim evecta eſſet. Sed meminiſſe oportet luctuoſiſſimæ calamitatis, quæ Gallias invaſerat ab annis 60. archiepiſcoporum nomine & auctoritate penitus extinctis, ante Zachariæ reſcriptum. Itaque ut nulli præerat epiſcopus Moguntinus, ita nulli tunc ſubdebatur. Primus honoris gradus, & jura metropolitica in Germaniæ eccleſias a Moguntina ſede avulſa, ſedi Magdeburgenſi collata ſunt anno 1133. ab Innocentio II. precibus Lotharii II. in gratiam Norberti archiepiſcopi, Præmonſtratenſis monaſterii conditoris.

Reſtitura cum dignitate metropoleos.

Jus metropoliticum ceſſavit in Galliis per annos ſexaginta & amplius ante Pippini tempora.

Reſtituta item metropolis Moguntia a Zacharia.

Et amplificata.

Error Ottoni, qui ſcripſit vitam Bonifacii Moguntini.

LXXVII. Reſtat ex quatuordecim provinciis Maximæ Sequanorum, cujus metropolis civitas Veſontionenſium, a qua pendent civitas equeſtrium Nojodunus, civitas Elvitiorum Aventicus, civitas Banioennum, caſtrum Raucenſe, caſtrum Vindonidenſe, caſtrum Ebrodunenſe, portus Abucini. Ex regula canonica, Veſontionenſium epiſcopus hanc provinciam metropolitani jure regere debuit. Et tanc ille adminiſtravit, aut quidam alius. Non me latet, Hilarium Arelatenſem, jus ſibi in eam arrogaſſe, depoſito Chelidonio Veſontienſi, qua de re vetus codex monaſterii Jurentis a Chr. Fletio laudatus iſta habet: *Hilarius venerabilem Chelidonium ſupradictæ metropolis*, id eſt Veſontionis, *patriarcham, patricio præfectorioque fultus favore, indebitam ſibi per Gallias vindicans monarchiam, a ſcae epiſcopali nulla exiſtente ratione dejecerat*. Subjungit deinde reciſſam a Leone damnationem, Hilariumque *regulariter increpatum*. Extat Leonis epiſtola data anno 445. quæ negotium iſtud explicat. Refert enim Chelidonium ab Hilario fuiſſe facerdotio dejectum, quo fuiſſet viduæ maritus, ſed redditum eccleſiæ ſuæ, & huic, quam amittere non debuit, dignitati, quod cognitione apud ſedem apoſtolicam habita liberum ſe ab accuſatione docuiſſet. *Manifeſtet namque in illum prolata ſententia*, inquit Leo, *ſi objectorum veritas extitiſſet*. Quibus verbis metropolitica Chelidonii dignitas peſſundari videretur, niſi ſola vicaria poteſtate a Zoſimo, epiſcopis Arelatenſibus delegata, jus aliquod cogendarum in Galliis ſynodorum Hilario competiviſſe teiremus. In qua ſynodo de Chelidonii cauſa judicium tulit, ex more recepto & a canonibus inducto, qui epiſcopos ſynodorum examini committunt, ſalva ſedis apoſtolicæ reverentia. Sed judicii ratio a ſolo Hilario repetitur, quia illo auctore ſententia lata erat. Solenne enim erat, a concilii præſidibus injuſtæ cognitionis rationem exigere, quemadmodum docet actio 1. Concilii Chalcedonenſis, ubi acta ſynodi Epheſinæ II. diſcutiuntur, & a Dioſcoro illius præſide injuſti judicii pœna repetitur; quemadmodum ipſe eum a Flaviano Conſtantinopolitano exegerat, ob damnatum Eutychetem in ſynodo Conſtantinopolitana. Nulla alia poteſtate, præter vicariam, Hilarius uti poterat adverſus Chelidonium. Attamen hæc tota ratio Leoni diſplicuit, ex cujus verbis apertiſſime demonſtratur, nulli epiſcopo aliquid licere in Sequanica provincia, quemadmodum nec in ceteris provinciis, præter ipſius provinciæ ſacerdotes. *Suis*, inquit, *unaquæque provincia ſit contenta conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere ſynodales*, (conventum adverſus Chelidonium habitum perſtringit) *& ſacerdotum Domini judicia ſe interſerendo turbare, qui non tantum noverit ſe ab alicno jure depulſum, ſed etiam Vienenſis provinciæ, iquam male uſurpaverat, poteſtate privatum*. Quare eleganter in Novella conſtitutione Valentiniani Hilarius damnatus fuiſſe dicitur a Leone, tum quod invitis civibus aliquos ordinaiiet epiſcopos; tum quod alios *incompetenter* removiſſet: quod ultimum de Chelidonio & de Proiecto intelligendum eſt. Idem pontifex in eadem epiſtola adeo exactum ſe provinciarum cuſtodem præſtitit, ut a limitibus unius provinciæ alterius metropolitanum arcuerit; hoc adjecto, ut ſi quis honoris ſui deſertor privilegium ſuum in alium ſe poſſe trasferre crediderit, non is cui ceſſerit, ſed qui intra provinciam ceteros epiſcopali antiquitate prævenit, ſacerdotes ſibi ordinandi vindicet poteſtatem. Ex tali ſerie, & cognitione a Leone habita, provinciæ Veſontionenſis a ceteris diſcretæ, nullique extraneo ſubditæ, ſtatus evidentiſſime demonſtratur, atque adeo dignitas epiſcopi Veſontionis, quæ civitas in ordine civili eſt Maxima Sequanorum metropolis.

Quod reſcinditur a Leone.

Quis Hilario nihil liceat extra provinciam ſuam.

Unde patet provinciam Sequanicam diſtinctam a ceteris.

De civitatibus & caſtris quæ in Notitia tribuuntur provinciæ Sequanicæ.

LXXVIII. Duplex tamen movetur difficultas ab eruditis viris. Una ſumitur ex hodierno provinciæ Veſontionenſis ſtatu, qui Belicenſem, Lauſanenſem, & Baſilenſem epiſcopatum metropolitano Veſontienſi tribuit, cum tamen in Notitia aliæ deſcribantur civitates, & loca, quæ nunquam epiſcopatibus decorata ſunt. Ut autem hanc difficultas expediatur, obſervandum eſt a ſynodo Sardicenſi decretum canone 6. ut civitatibus ſui non deſerne epiſcopi, ſed vetitum ne in vicis aut pagis conſtituerentur, ne dignitas illa vileſceret. Quare cum quatuor civitates provinciæ Sequanorum Notitia deſcribat, illis neceſſario imponendi ſunt epiſcopi, ut ordo civilis cum ſacro pariter faciat. Caſtris, quæ ſunt minora oppida, ex arbitrio ſynodorum provincialium pro cujuſque celebritate tribui poſſunt, vel pro infrequentia etiam omitti. Nunc conſiderandum eſt provinciæ Sequanicæ ſtatum, qua ſæpe vaſtata & direpta, quarumdam civitatum, quæ in Notitia deſcribuntur, dignitas in alias urbes translata eſt. Itaque deleto Nojoduno, quod vulgo *Nion*, epiſcopatus translatus eſt in civitatem Belicenſem: unde Vincentius eccleſiæ Belicenſis epiſcopus ſubſcripſit concilio Pariſienſi II. anno 555. Coloniæ Auguſtæ Rauracorum præerat Juſtinianus epiſcopus anno 346. in concilio Agrippinenſi: ex cujus civitatis ab Alamannis everſæ ruderibus ſtatim exci-

Nojodunum Civitas Belicenſis Raurica.

De provincia Sequanorum. Ejus

Civitas Basileensis a

excitata est civitas Basileensium, cujus meminit Ammianus libro 30. Valentiniani senioris temporibus, id est an. 374. unde nomen indeptus est Basileensis episcopus. Rauraci vero castrum excitatum est ad tuendos limites. Diutius stetit Aventica civitas, vulgo *Avenches*, cujus episcopus Marius subscripsit concilio Matisconensi II. an. 585. Sed paulo post, exciso Aventico, dignitas ejus collata est Lausanæ ad lacum Lemanum; unde Arricus episcopus ecclesiæ Lausanensis subscripsit synodo Cabilonensi, anno 650. Castrum Vindonissæ synodorum beneficio, non autem jure, suis quoque episcopis non caruit, qui concilio Epaonensis 517. & aliis synodis interfuerunt, donec eversa Vindonissa, quæ vulgo *Voiddisch* in finibus Helvetiorum, Constantia Germania eam dignitatem recepit, & a provincia Vesontiensi distracta est. Castrum Ebrodunense, quod vulgo *Yverdun*, nunquam episcopatu decoratum fuit, nec portus Abucini, seu Lucini, quemadmodum legi vult Chiffletius, docetque vulgo dici *Port de Lenè*, ad Lucinum fluvium.

Aventicum. Lausana. Vindonissa. Castrum Ebrodunense.

De Vesontionis episcopi subscriptione in conciliis de consessu episcoporum in synodis, & de subscriptionibus. Ordine temporis.

LXXIX. Alter controversiæ articulus caput ipsum petit, nempe Vesontionem, cujus episcopus nec sibi metropolitani titulum arrogavit in conciliis, nec superiore loco cum ceteris metropolitanis subscripsit. Si pateretur institutum, hic disputari copiose posset de ordine consessus & subscriptionum in conciliis. Id tantum annotabo quod ad rem nostram pertinet, nempe hanc fuisse regulam a patribus inductam, ut antiquior ordinatione episcopus collegas suos antecederet. Id docent Africana concilia, Leo I. epistola 89. Justinianus in leg. 29. c. De episcop. qui κατὰ τάξιν χειροτονίας docet episcopos πρωτεύειν. Cujus moris adeo retinentes plerumque erant episcopi, ut metropolitanis non invitis priores ordinatione in subscribendo præferrentur. Quod demonstrari potest ex synodorum Gallicanarum subscriptionibus, ubi metropolitani sæpissime cum aliis episcopis permisti inveniuntur, nullo dignitatis ordine servato. Itaque mos iste trahi non debet in solius episcopi Vesontiensis injuriam. Aliquando vero, antiquioribus episcopis jus suum ex modestia remittentibus, accidebat ut omni ordine neglecto perturbate subscriptiones fierent, præcipue apud Gallos, quorum negligentiam in hoc capite carpit Gregorius I. epistola ad Syagrinum Augustodunensem episcopum lib. 7. epistola 114. *Episcopos secundum suæ ordinationis tempus, sive ad consedendum in concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua attendere loca decernimus, & suorum sibi prærogativam ordinum vindicare*. Sane metropolitani excepti erant ab hac regula, saltem in provinciis quoque suis, ubi honoris prærogativa illis competebat, tum ex ipsa rei natura, tum ex canone apostolico, & ex canone Antiocheno. Canon. 35. apostolicus, τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν. id est, ex versione Dionysii, *Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment*. Et canone 9. Antiocheno: *Placuit eum honore præcellere*. Ἐν τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτόν. Unde concilium Bracarense I. cap 24. *Conservato metropolitani episcopi primatu, ceteri episcoporum, secundum suæ ordinationis tempus, alius alio sedendi deferat locum*. In conventu autem plurium provinciarum ex regula canonica vetere metropolitani ceteris episcopis præferendi erant, ut diserte constitutum est in Africana collectione, c. 86. *Hic ordo*, inquiunt (id est ex tempore ordinationis) *& a patribus & a majoribus servatus est, & a nobis Deo propitio servabitur; salvo etiam jure primatus Numidiæ, & Mauritaniæ*. Excipiunt a regula primates Numidiæ & Mauritaniæ, quibus in concilio universali Africæ primus locus post Carthaginensem dabatur, ob dignitatem & vetustatem provinciarum. Omissæ autem sunt Tripolitana, Bizacena, & Mauritania Sitifensis, quia recentiores erant tribus aliis, & proinde minoris erant dignitatis, ut statim dicemus. Interim annotasse sufficiet ex nova canonis Africani interpretatione, quam damus, priorem locum metropolitanis deberi in conventibus generalibus: sed apud Gallos nostros ordinationis tempore inspecto, nullo discrimine metropoleon, episcopi plerumque assidebant. Postquam vero archiepiscopi nomen, (quo sola Matisconensis synodus anno 581. semel usa fuerat) metropolitanis omnibus passim apud nos tributum est, in synodo Suessonica sub Pippino duce anno 744. in capitulis Hadriani, & in capitularibus Caroli Magni, atque Ludovici Pii, tum in epistolis pontificiis Isidorianæ collectionis; episcopi metropoleon, & nomen illud archiepiscopi sibi palam adsciscere, quod in metropolitico neglexerant, & consessus prærogativam præ ceteris episcopis diligentius conservare studuerunt. Quare Hincmarus ex usu temporis sui, quamvis aliquando interpellato, recte observavit, antiquitatis privilegio episcopos inter se præferri, sed dignitatis gradu primates, seu metropolitanos illis præcellere, & inter se tempore differre. *Inter quos*, inquit epistola 6. cap. 16. de primatibus Gallicanis, Belgicis, & Germanicis loquens, *sicut & inter reliquos episcopos hæc conditio regularis servatur, ut qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur*. Itaque nihil damni recidet in Vesontionensem sedem, quod ejus episcopus ceteris episcopis permistus inveniatur, sine metropolitani titulo. Neque tamen adeo neglecta est ejus civitatis dignitas, quin juxta antiquum morem inter metropoleos Galliæ recenseatur, in testamento Caroli Magni apud Eginhartum: & Bernoinus dicatur, esse ejus archiepiscopus in capitulari Ludovici, lib. 2. capitularium cap. 25. *In Vesontio, quæ est diœcesis Bernoini archiepiscopi*. In epistola synodali ad Vvenilonem una cum ceteris metropolitanis inscribitur Arduicus Vesontionum metropolitanus episcopus, anno 859. In concilio Pontigonensi anno 876. etsi post plures episcopos, subscripsit Theodoricus Vesontionum ecclesiæ archiepiscopus. Ad quem Joannes VIII. epistolam dedit cum hac inscriptione, *Reverendissimo & sanctissimo Theodorico archiepiscopo Chrysopolitanæ ecclesiæ*. Chrysopolis enim dicta est Vesontionum civitas.

Vel permistim. Quod castigat Gregorius apud Gallos. Metropolitani primi in sua provincia. In conventu plurium provinciarum metropolitani ceteris episcopis præferendi. Explicatur canon Africanus. In Galliis id semper non obtinebat. Vix serius post usurpatum nomen archiepiscopi. Quod obtinebat Hincmari ævo. Vesontio metropolis dicta a Carolo Magno. Et ejus archiepiscopus in capitularibus & conciliis.

LXXX. Non solum autem episcopi civitatum metropoleon ex antiquissima divisione in quatuordecim provincias dignitatem suam retinuerunt; sed etiam ii, qui ex divisione facta sub Gratiano novarum metropoleon sacerdotia possidebant. Tres sunt metropoles ejus generis, Senonum, Turonorum, & Aquensium. Senonia provincia recisa a Lugdunensi prima, civitas Senonensium facta est metropolis, ut docet Notitia. Ejus quoque provinciæ metropolitanus dicitur Agræcius Senonensis episcopus a Sidonio Appollinari anno 472. qui eum ad ordinationem Bituricensis episcopi literis suis invitat, auxilio comprovincialium episcoporum destitutus, ob invasam a Gotthis Aquitaniam, lib. 7. epistola 5. *Nec te, quamquam Senoniæ caput es, inter hæc dubia subtraxeris intentionibus Aquitanorum: quia minimum refert, quod nobis est in habitatione divisa provincia, quando in religione causa conjungitur*. Mox: *Quapropter in constituendo præfatæ civitatis antistite, provincialium collegarum deficimur numero, nisi metropolitanorum reficiamur assensu*. Posteri gradum illum studiose tuiti sunt, donec superioribus annis Senonia quoque provincia secta est, & Parisiensi novæ provinciæ ecclesiasticæ impositus est archiepiscopus urbis regiæ, summi pontificis decreto, & regio assensu.

Novæ tres metropoles post primas xiv. Metropolitanus Senonensis.

LXXXI. Turonica provincia, seu Lugdunensis tertia, statim atque distracta fuit a Lugdunensi secunda, civitatem Turonorum metropolim agnovit: ejusque episcopus ceteris provincialibus episcopis præfuit. Quod docet concilium Veneticum, in Paterni episcopi civitatis Venetum (*Vannes*) ordinatione celebratum, a Perpetuo Turonico episcopo, anno 465. qui primus synodo una cum episcopis provinciæ subscripsit.

Et Turonicæ provinciæ.

LXXXII. Narbonensis secunda recisa a Viennensi provinciæ specialis & distinctæ nomen induit. De ejus administratione disceptatum est in synodo Tauriensi; quæ concessa est Proculi episcopi Massiliensis personæ, non autem ejus civitati, quia in altera provincia sita erat urbs Massiliensis, scilicet in Viennensi, ut diserte loquuntur patres; quamquam refragantibus episcopis regionis illius, *qui sibi alterius provinciæ sacerdotem præesse non debere contendebant*. Sed postea decreto Zosimi provinciæ ejus administratio una cum Viennensi & Narbonensi prima addicta est Patroclo Arelatensi: & Proculo episcopatus abrogatus, quod in apostolicæ sedis injuriam locum sibi indebitum a synodo Tauriensi exambiisset. Verumtamen Gallicanis metropolitanis per singulas provincias auctoritatem suam restituere Bonifacius, Cælestinus & Leo, reciso rescripto priori, quod prætextu consuetudinis antiquæ per subreptionem contra Canones a Zosimo Patroclus elicuerat, ut supra monui. Quare episcopus civitatis Aquensium, quæ in Notitia est metropolis Narbonensis secundæ, usus est jure suo in administratione illius provinciæ. Id unum retinuit Arelatensis episcopus, ut Aquensem episcopum ad concilium evocare posset: quod trahendum non est ad ceteros episcopos Narbonensis secundæ, neque ad provinciæ illius administrationem, quæ ab Aquensi metropolitano pendebat. Libellus Symmacho papæ oblatus a legatis Cæsarii Arelatensis anno 514. rem totam liquido exponit: *Aquensis etiam civitatis episcopum sanctitatis vestræ moneri præcipite constitutis, ut dum a metropolitano antistite ecclesiæ Arelatensis ad synodale concilium fuerit evocatus, vel aliqua ordinationis causa eum sibi postulet religio divina necessarium, minime venire frustretur, quatenus ea quæ longævis sæculis priscorum sanxit auctoritas, vobis præsulibus præsenti futuræque ætati inviolata serventur*. Symmachus rescripto suo privilegium personale Cæsario indulget, ut si causa ecclesiastica præsentiam sacerdotum poscat, in Gallia, vel Hispania, episcopi ejus auctoritate commoniti ad synodum conveniant. Deinde ecclesiæ

De Narbonensis II. metropolitano synodus Tauriensis decernit. Zosimus tribuit eam provinciam Arelatensi episcopo. Quod rescissum. Solus Aquensis episcopus remansit sub cura Arelatensis.

clesiæ jure perpetuo concedit ut Aquensem episcopum A metropolitanus Arelatensis ad se vocare possit, pœna canonica in contumacem illata. *Et si tam ecclesiæ Aquensis antistes, vel alius quilibet metropolitano pontifici juxta Canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit subdendum se; quod optamus, ecclesiasticæ disciplinæ*. Aquensis ergo episcopus metropolitica potestate fruebatur in Narbonensi secunda, sed ipsius ecclesia obnoxia erat Arelatensi ecclesiæ: in quo cernimus imaginem quamdam eorum primatum qui postea instituti sunt. De illius libertate actum est in concilio Francofordiensi, decretum ut ad sedem apostolicam referretur Can. 8. Constituto enim jure Viennensis, & Arelatensis episcopi, juxta divisionem a Leone inductam, & a Symmacho, atque Gregorio I. confirmatam, addunt patres: *De Tarantesia vero, & Ebreduno, sive Aquis, legatio facta est ad sedem apostolicam, & quidquid per pontificem Romanæ ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneatur*. Quid decretum postea fuerit, ex rebus ipsis potius quam ex rescripto discimus. Legi- B mus enim Rotbertum Aquensem archiepiscopum subscripsisse concilio Mantalensi, anno 879. atque ad eumdem datas literas a Joanne VIII. anno 880. epistola 191. cum archiepiscopi Aquensis titulo. Quamquam illud quoque verum sit, Aquensem civitatem inter metropoles regni in testamento Caroli Magni non fuisse recensitam: quia fortasse de illius statu nondum rescripserat summus pontifex.

Aquensis episcopus metropolitanus Narbonensis II.

Id confirmatum definitione Romani pontificis.

LXXXIII. Quærendum superest an e XVII. provinciis aliquæ potiores essent aliis, tum in ordine civili, tum in ordine ecclesiastico. Plane si de dignitate illarum agatur, dubium non est quin aliquæ ceteris præcellerint, vel ob civitatum splendorem & frequentiam, vel ob imperii, in cujus finibus positæ erant, incolumitatem, Unde in Notitia imperii sex provinciæ Galliarum *Consulares* dictæ, quia regebantur a consularibus: undecim vero præsidiales, quæ præsidibus commissæ. Sex illæ sunt Viennensis, Lugdunensis I. duæ Germaniæ, & duæ Belgicæ. Reliquæ C vero sunt præsidiales. Ceterum in rebus omnibus æquale erat jus omnium provinciarum, ita ut nulli ex consularibus in alteram aliquod esset imperium. De illis tantum moveri posset quæstio, quæ primæ dicuntur erga secundas. Sed adeo aperta est Macri jurisconsulti definitio, ut dubitandi nullus supersit locus. Germania divisa in duas provincias primam & secundam, quærebatur an is qui in altera esset ortus, posset assessoris munere fungi in altera, ob legis prohibitionem, quæ neminem patitur in provincia sua præsidi assidere. Respondit Macer, in altera assidere posse, post divisionem: quod dici non potuisset, si jus aliquod & imperium consulari Germaniæ primæ superfuisset in Germaniam secundam. Hæc sunt verba Macri *in l. 3. ff. De officio assessoris. Si eadem provincia postea divisa sub duobus præsidibus constituta est, velut Germania, Mœsia, ex altera ortus, in altera assidebit, nec videtur in sua provincia assedisse*. Sed conceptis verbis hæc controversia definita est a Theodosio, qui præter antiquam Tyri me- D tropolim in provincia Phœniciæ, Berytum in novam metropolim evexit, pari jure cum prima: *Sit illa*, inquit, *mater provinciæ, majorum nostrorum beneficio, hæc nostro, & utraque dignitate simili perfruatur. l. un. lib. 11. cod. de metropoli Beryto*. Quod de nova metropoli dicitur, intelligendum est ad provinciam novam quoque pertinere: quando ab antiqua dividitur.

De jure provinciarum inter se.

Æquale ejus omnium.

Nullum jus primæ provinciæ in secundam.

In ordine civili.

LXXXIV. Idem jus constitutum reperio in provinciis ecclesiasticis. Etenim, si demas Narbonensem secundam & Alpes Grajas, de quibus actum, ceteræ omnes provinciæ a nullo præterquam a suo metropolitano pendebant. Quod egregie docet Innocentius I. de Rothomagensi episcopo, qui erat Lugdunensis secundæ metropolitanus. Illi enim, non solum provinciæ suæ episcoporum ordinationem competere ait, sed etiam Synodorum provincialium indictionem, & judicia ecclesiastica, eo solum excepto, ut de majoribus causis, si quæ emerserint, ad sedem apostolicam referat. Lugdunensis primæ metropolitani nulla mentio, quia tunc E æquo jure metropolitani erga se agebant Leonis I. testimonia superius a me prolata singulos Galliæ metropolitanos provinciæ suæ limitibus circumscribunt, non solum in ordinationibus peragendis, sed in Conciliis habendis, reddendisque judiciis.

Idem servatum in ordine ecclesiastico. Ex Innocentio I.

Et Leone.

LXXXV. Si aliarum diœceseon exempla petantur, præsto nobis est Africanorum Conciliorum auctoritas, ubi Mauritania Sitifensis avulsa est a provincia Numidiæ, & proprio primati commissa. In Canone 17. collectionis Africanæ: *Placuit ut Mauritania Sitifensis (ut postulavit primatem provinciæ Numidiæ, ex cujus cœtu separatur) suum habeat primatem, quem consentientibus omnibus primatibus provinciarum Africanarum, vel omnibus episcopis, propter longinquitatem habere permissa est*. Per divisionem a cœtu Numidiæ separatur, ut loquitur Canon, id est ab ejus Synodo, ut interpretatur

Et ex Canone Africano, qui explicatur.

Græca versio, ἐκ τῆς συνόδου ἀρχιερέων [illegible], & per primatem, atque proprium concilium administratur.

LXXXVI. Ad uberiorem hujus Canonis explicationem, necesse est pauca quædam attingere de provinciis Africanæ diœceseos civilibus & ecclesiasticis, de quibus perplex actum est ab aliis. Tractus ille, qui a Romanis Africæ nomine censebatur, quique a freto Gaditano ad Cyrenaicam regionem Egypto contributam porrigebatur, in quatuor partes divisus fuit olim in Mauritaniam Tingitanam, Mauritaniam Cæsariensem, Numidiam, & Africam specialiter dictam, ubi sita erat Carthago, quas descripsit Ptolemæus libro 4. geographiæ. Mauritanum vetus regnum divisit in duas provincias Cajus Caligula, si fides Plinio libro 5. cap. 2. quod Claudio tribuit Dio libro 60. *Claudius*, inquit, *Mauros divisit in eos qui ad Tingim, & qui ad Cæsaream, unde & nomina habent: & duobus equitibus præpositis eos permisit*. Sed paulo post uni præsidi ambæ Mauritaniæ commissæ sunt a Galba, ut discimus ex hoc Taciti loco, libro 2. histor. *Lucejus Albinus a Nerone Mauritaniæ Cæsariensi præpositus, addita per Galbam Tigitanæ provinciæ administratione, haud spernendis viribus agebat*. Quam dispositionis formam posteriores principes secuti sunt: unde factum ut Africanus ille tractus ex tribus provinciis conflatus fuerit, Africa, Numidia, & Mauritania, provincia Carthaginensis, seu Africa, eas regiones complectebatur, quæ ab ipsa Carthagine ad Cyrenem diffundebantur. Numidia compacta erat ex vetere seu Cirtensi, ab urbe Cirta, quæ deinde Constantina, nomen indepta. & ex Numidia nova, cujus meminit Ptolemæus, ubi ponit Culcuam Coloniam. Unde aliquando singulari, quandoque vero plurali numero *Numidiarum* provincia dicitur. Eodem modo effertur Mauritania utraque: quæ a Tingitano opido ad freti Gaditani fauces posito, usque ad Numidiam, per oram maritimam & interiora loca porrigebatur. Ex dispositione ista veteri profluxit, ut Constantinus omnes Africanas provincias, trium illarum, Africæ scilicet, Numidiæ, & Mauritaniæ nomine comprehenderet in epistola ad Cæcilianum Carthaginensem, cui tria millia follium numerari jubet, dispertienda quibusdam religionis catholicæ ministris, κατὰ πάσας ἐπαρχίας, τῆς τε Ἀφρικῆς, καὶ τῆς Νουμιδίας, καὶ τῆς Μαυριτανίας, apud Eusebium libro 10. cap. 6. Hinc quoque factum, ut eidem Cæciliano cura mittendorum actorum synodi Nicænæ per Africam, Numidias, & Mauritanias commissa sit apud Gelazium Cyzicenum libro 2.

Divisio provinciarum civilium in Africa.

Quatuor provinciæ Mauritaniæ duæ.

Coactæ in unam.

Sic tres provinciæ in Africa.

Numidia

Mauritania

In epistola Constantini

LXXXVII. Hunc ordinem initio amplexa est Africana ecclesia in suis provinciis constituendis, ut patet ex præfatione universalis concilii totius Africanæ diœceseos, collecti a Cypriano anno 258. ubi tractatum est de hæreticis baptizandis *Cum in unum Carthagini convenissent Kalendis Septembris episcopi plurimi ex provincia Africana, Numidia, Mauritania, cum presbyteris & diaconibus*. Tres illas provincias designat quoque Cyprianus epistola 45. *Latius*, inquit, *fusa est nostra provincia* (Africana scilicet sive Carthaginensis) *habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas sibi cohærentes*, id est Tingitanam, & Cæsariensem. Eadem forma perseverabat in ecclesia Africana anno 314. quo Arelatense concilium celebratum est. Ex tribus enim illis tantum provinciis nomina legatorum reperiuntur in subscriptionibus, scilicet Fortunati episcopi de civitate Cæsariensi *e provincia Mauritania*. Cæciliani episcopi de civitate Carthaginis, *e provincia Africa*; & Victoris episcopi de civitate Legisvolumini, *provincia Numidia*.

Tres provinciæ ecclesiasticæ in concilio Cypriani.

Et in synodo Arelatensi I

LXXXVIII. Ordinatis demum provinciis totius orbis Romani, Africanus tractus conflatus est e sex provinciis civilibus, quas Rufus in breviario descripsit: *Per omnem Africam sex provinciæ factæ, ipsa ubi Carthago est proconsularis, Numidia, Byzacium, Tripolis, & duæ Mauritaniæ, hoc est Sitifensis & Cæsariensis*. Hæc dispositio provinciarum vigebat Constantini principatu, ut patet ex ejusdem imperatoris epistola ad Ablavium, qua jubet ut ex parte Cæciliani & Donati ad synodum Arelatensem se conferant aliquot episcopi, non solum ex provincia Carthaginensi, sed etiam *de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum provinciis*, id est Sitifensis, & Cæsariensis. Eadem divisio probatur ex inscriptione tunc polita L. Aradio Valerio Proculo, *Proconsuli provinciæ Africæ vice sacra judicandi, eidemque judicio sacro per provincias proconsularem, & Numidiam, Byzacium, ac Tripolim, itemque Mauretaniam Sitifensem, & Cæsariensem, perfuncto officio præfecturæ prætorio*. Hinc dicimus, quod etiam observat Notitia imperii, Carthaginensem provinciam proconsuli paruisse, qui vice sacra judicabat, unde dicta est provincia proconsularis; in reliquis vero provinciis præf. ctum prætorio, aut illius vicarium jus dixisse. Constitutæ sunt autem sex illæ provinciæ civiles, distractis Byzacena & Tripolitana,

Demum facta sex provinciæ civiles

Hæc divisio vigebat tempore Constantini

Proconsuli paruit Carthaginensis provincia. Byzacena & Tripolitana distractæ a provincia Carthaginensi.

tana, a provincia Africa ſpecialiter dicta. Ptolemæus enim libro 4. cap. 3. Neapolim, ſeu Tripolim, aut Leptin magnam, Africæ Carthaginenſi accenſet: quemadmodum & civitates Adrumetum ac Byzacium. Adrumetum autem pertinuiſſe ad provinciam Byzacenam oſtendit, præter Oroſium & ceteros, inſcriptio poſita Q. Aradio Valerio Proculo Byzacenæ provinciæ præſidi, Criſpo & Conſtantino conſulibus, qua eum, liberoſque ejus, ſibi poſteriſque ſuis patronum cooptaverunt. *Coloni Coloniæ Concordiæ Ulpiæ Trajanæ Auguſtæ Frugiferæ Hadrumetinæ*. Mauritaniam autem Sitifenſem a Numidia avulſam docet Canon Africanus ſupra laudatus, de quo ſtatim plura. Tingitana autem omiſſa eſt in hac deſcriptione civili, quia adjecta erat quinque aliis Hiſpaniarum provinciis; quemadmodum Rufus annotavit.

Mauritania Sitifenſis a Numidia.

Quinque provincia eccleſiaſticæ poſt ſynodum Nicænam.

LXXXIX. Novam iſtam diſpoſitionem civilem amplexa eſt Africana eccleſia poſt ſynodum Nicænam, quæ ſingulas provincias ſuis metropolitanis addixit. Primo enim quinque provincias in eccleſiaſtico ordine conſtituit, Carthaginenſem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam, & Tripolitanam: quibus deinde Mauritania Sitifenſis acceſſit. Ex illis quinque conſtabat concilium Carthaginenſe habitum ſub Grato epiſcopo Carthaginis, anno 349. conciliis prius *per diverſas provincias Africanas* celebratis: quæ deinde in *univerſæ provinciæ Africæ conciliam* convenerunt. Ea verba deſumpta ſunt ex concilii exordio, ubi *provinciæ* nomen ſignificatione vulgari in priore loco ſumitur, in ſecundo autem loco pro toto Africanarum provinciarum tractu atque diœceſi. Si quis autem obſtinata mente diverſas illas provincias, quarum mentio in illius concilii exordio, ad tres antiquas reſtringere velit, Numidiam, Mauritaniam, & Africam, plane revincetur ex iſtius concilii Canone decimotertio, cujus hæc ſunt verba: *Abundantius epiſcopus Adrumetinus dixit: In noſtro concilio ſtatutum eſt, ut non liceat clericis fenerari. Quod ſi & ſanctitati tuæ, & huic concilio videatur, præſenti placito deſignetur*. Ad Byzacenam provinciam pertinebat civitas Adrumeti, ut dixi ſupra: & epiſcopus Adrumetinus, ut docet notitia epiſcopatuum Africæ edita a viro clariſſimo Sirmondo. Itaque concilium, de quo loquitur Abundantius, erat concilium Byzacenæ provinciæ, cujus ſententiam de fenore vetando clericis firmari petebat, non ſolum ab univerſali concilio, ſed etiam a Grato epiſcopo Carthaginis. Quod egregie docet diſcrimen concilii Byzaceni a concilio Grati epiſcopi Carthaginenſis, id eſt proconſularis provinciæ. Quare Byzacena provincia eccleſiaſtica tunc diſtracta erat ab Africana ſeu Carthaginenſi, cujus olim pars fuerat. Idem cenſendum eſt de Tripolitana.

Explicatur locus concilii Carthaginenſis ſub Grato.

Concilium Byzaceum tunc diſtinctum a concilio provinciæ Carthaginenſis.

Sexta provincia Mauritania Sitifenſis, quæ ſeparata a Numidia.

XC. Sexta tandem provincia emerſit, nempe Mauritania Sitifenſis, quæ aliis quinque adjuncta numerum ſex provinciarum eccleſiaſticarum implevit, ſcilicet *provinciæ proconſularis Numidiarum duarum, Byzacenæ, Mauritaniæ Sitifenſis, & Mauritaniæ Cæſarienſis, ſed & Tripolis*, prout recenſetur in concilio Carthaginenſi, habito anno 419. Porro Mauritania Sitifenſis a Numidiæ concilio ſeparata eſt, ut docuit nos Canon Carthaginenſis concilii. Tempus hujus diviſionis obſcurum eſt. Quamvis enim certum ſit, eam anno 397. priorem eſſe, vera tamen epocha conſtitui non poteſt. Sane apud Donatiſtas provinciis nec accenſebatur Mauritania Sitifenſis anno 394. Tunc enim Donatiſtæ fautores Maximiani apud Cabarſuſſim concilium celebrarunt adverſus Primianum, & ſynodicam epiſtolam dederunt ad univerſas provincias Africæ, quas enumemerant, omiſſa Sitifenſi. Hæc ſunt verba relata ab Auguſtino enarratione in pſalmum 36. *Sanctiſſimis fratribus atque collegis per univerſam Africam, hoc eſt provinciam proconſularem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam, & Tripolim conſtitutis*. Ceterum, ut dixi, hæc diviſio ab eccleſia recepta fuit ante annum 397. Eo etenim anno Sitifenſis Mauritania legatos ſuos Honoratum & Urbanum miſerat ad tertium concilium Carthaginenſe: ad quorum ſuggeſtionem canones aliquot in ea ſynodo conſtituti ſunt. Atqui ſolis provinciis quæ primas ſedes habebant permiſſum erat legatos mittere ad concilium univerſale totius Africæ, ut docet canon 2. dicti concilii Hl. qui relatus eſt cap. 18. collectionis Africanæ: *Singulis quibuſque annis concilium convocetur; ad quod provinciæ, quæ primas ſedes habent, de conciliis ſuis ternos legatos mittant*. Itaque cum in illa ſynodo Carthaginenſi legati Mauritaniæ Sitifenſis reſiderent, procul dubio jam ſuo primati provincia illa erat commiſſa, & ſeparata a Numidia. Diviſio itaque in ſuperiore aliquo Carthaginenſi concilio facta erat. Ferrandus enim in brevlatione canonum tit. 82. docet in Carthaginenſi aliquo decretum, *ut primatum proprium Mauritania Sitifenſis habeat*. Concilii Carthaginenſis titulo 6. Si exſtaret corpus Carthaginenſium conciliorum, quale præ manibus habuit Ferrandus Diaconus, in quo tituli numerales canonum valde differunt a noſtris, ſeu collectionem Dionyſii, ſeu Iſidori, inſpicias, nullo negotio aſſignari poſſet tempus hujus diviſionis; quemadmodum & pleraque alia diſciplinæ Africanæ capita liquidius explicari. Canon de diviſione latus erat ſextus concilii Carthaginenſis, nempe habiti ante annum 397. Nunc tantum extat in collectione Africana decimus ſeptimus numero, & recitatus eſt in concilio Carthaginenſi anno 419. una cum aliis 32. canonibus priorum conciliorum, qui ex I. II. & III. Carthaginenſi petiti magnam partem actis inſerti ſunt. Dixi canones aliquot ex primo concilio petitos. Quintus enim collectionis Africanæ de fenore vetando, & de finium invaſione, conflatus eſt ex duobus canonibus concilii ſub Grato. Unde non ſine ratione dici poteſt hunc canonem 17. ab antiquo aliquo concilio conſtitutum fuiſſe.

Prior eſt concilio tertio Carthaginenſi.

Indicta ab alta ſynodo Carthaginenſi priori.

XCI. Præterea oſtendi poteſt jus Mauritaniæ Sitifenſis antiquius eſſe anno 402. Concilio enim Milevitano, quod tunc habebatur, intererat Nicetius epiſcopus primæ ſedis Mauritaniæ Sitifenſis, ut docent acta: ubi Xantippus Tagaſtenſis primæ ſedis Numidiæ epiſcopus locum ſuum tenuit: deciſa nempe lite, quam illi de primatu Numidiæ moverat Victorinus epiſcopus Numidicus. Tempore autem hujus controverſiæ inter Victorinum & Xantippum duæ Mauritaniæ ſuis primatibus eran ornatæ ut docet Auguſtinus epiſtola 217. Evocaverat Victorinus ad concilium Numidiæ epiſcopos illius provinciæ, & Mauritaniarum, miſſa ex more ſynodorum tractoria epiſtola ad ſingulos, atque adeo ad Auguſtinum Hipponenſem in Numidia epiſcopum. Excuſat ſe ob valetudinem literis ad Victorinum datis, eumque monet de vitiis aliquot illius tractoriæ. Primum eſt, Mauritaniarum epiſcopos evocatos fuiſſe, qui tamen ſuos habent primates: *Legi in eadem tractoria, etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptum, quas provincias ſcimus ſuos habere primates*. In editione ultima operum Auguſtini additur, *Nove*: quod de Sitifenſi intelligendum eſt, quæ ſuperioribus annis diviſa fuerat a Numidia. Quare ex ſententia Auguſtini, poſt diviſionem, nullum jus competebat primati Numidiæ in Mauritaniam Sitifenſem. Ne tamen ipſe, Numidicus cum eſſet, dignitatem provinciæ ſuffragio ſuo minuiſſe videretur, rem in medio reliquit: addit enim: *Quod ſi & eis ad Numidiam convocandum eſſet concilium, oportuit utique ut, aliquorum Maurorum epiſcoporum, qui illis priores ſunt, nomina in tractoria ponerentur*. Monet deinde Victorinum, ut ante omnia quæſtionem de *ordine primatus* cum Xantippo Tagaſtenſi, nempe quis prior eſſet ordinatione, collegarum arbitrio dirimat. Ceterum quia poſt diviſionem Numidiæ primates aliquid ſibi juris in Mauritaniam Sitifenſem ſupereſſe putabant, inde factum exiſtimio, ut in ſynodo univerſali totius Africæ, habita anno 419. recitatus ſit antiquus ille canon de diviſione latus, ut conſenſu omnium primatum, atque adeo ipſius Numidiæ confirmaretur. Ejus conſenſus mentio, quæ in dicto canone 17. collectionis Africanæ habetur, tunc forte prioribus canonis verbis addita eſt: quod ſolenne erat patribus illis, qui aliqua addebant vel detrahebant a verbis canonum antea decretorum, ut patet ex iis quæ decerpta ſunt ex concilio ſub Grato, & relata in dictam collectionem.

Mauritaniæ Sitifenſis diviſio antiquior anno 402.

Locus Auguſtini de hac diviſione explicatus.

Poſt diviſionem nullum jus competebat primati Numidiæ in Sitifenſem.

XCII. Antequam ab Africa diſcedam, explicanda eſt ſententia canonis tertii concilii Carthaginenſis III. ſuperius memorati, de legatis mittendis a provinciis quæ primas ſedes habent. Videtur enim ex eo colligi poſſe, aliquas tunc fuiſſe provincias, apud quas nulli eſſent primates: quod verum eſt; etenim Mauritania Tingitana, licet provinciæ civilis dignitate frueretur, in politia tamen eccleſiaſtica Mauritaniæ Cæſarienſis ſynodo accenſebatur. Itaque nulli legati provinciæ illius Tingitanæ nomine ad concilium plenarium Africæ mittebantur, ſed nomine Mauritaniæ Cæſarienſis. Quod non impediebat quin epiſcopi Tingitanæ provinciæ delegari poſſent velut membra concilii Mauritaniæ. Sed prima ſedes forte addicta erat ſolis Mauritaniæ Cæſarienſis epiſcopis. Sane, devicta a Wandalis Africa, Tingitana eorum imperio ceſſit, ab Hiſpaniis provinciis avulſa. Attamen florente licet VVandalorum imperio, Tingitana locum ſpecialem non habuit inter provincias eccleſiaſticas Africæ, ſed Mauritaniæ Cæſarienſi ſubdita fuit, ut antea. Quod docet notitia epiſcopatuum edita ſub Hunerico rege, ubi Tingitanæ epiſcopatus ſub Cæſarienſi Mauritania recenſetur. Suſpicari poſſet aliquis intermedio tempore, ſcilicet ab imperio Conſtantini ad VVandalorum in Africam irruptionem, id eſt centum & amplius annis, Tingitanos epiſcopos ad Hiſpaniarum ſynodos pertinuiſſe, quemadmodum provincia civilis Tingitana vicario Hiſpaniæ parebat. Eam conjecturam, aliquot probabilem, refutat Siricii epiſtola ad Himerium Tarraconenſem epiſcopum data, anno 385. qui Hiſpaniarum epiſcopos intra quinque *provincias* reſtringit, Tarraconenſem,

Explicatur Canon 17. collectionis Africanæ, de quo numero LXXXV.

Explicatur Canon 2. Concilii Carthaginenſis III.

Tingitana fuberat ſynodo Mauritaniæ Cæſarienſis.

sem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitaniam, & Gallicæ. Quod congruit cum veteri descriptione episcopatuum Hispaniæ, relata a Garsia Loaisa in notis ad concilium Lucense; ubi quinque illis provinciis additur quidem provincia Narbonensis, quia Gotthorum regibus parebat, & ad Hispaniæ concilia evocabatur; sed Tingitanæ nulla descriptio, immo vero subindicatur eam provinciam non pertinuisse ad ecclesiam Hispanicam.

Nullum ergo jus competebat primæ provinciæ in secundam.

XCIII. Quare, ut disputationem istam contraham in pauca, manifestum est ex Innocentii & Leonis, atque Africani concilii testimoniis, nullum fuisse privilegium, quo vetus & prima provincia antecelleret secundæ: si illud unum excipias, quod tribus antiquis Africanæ diœceseos provinciis reservatum est in ordine consessus, de quo dixi numero 79. Regula autem illa, quæ primæ provinciæ metropolitanos secundæ provinciæ exæquat, vigebat in Galliis tempore Hincmari Remensis archiepiscopi, qui sola ordinationis serie Treverensem primæ Belgicæ metropolitam, & Remensem secundæ Belgicæ inter se differre docet, duobus locis apud Flodoardum. Alter est lib. 3. hist. Rom. cap. 13. in epistola ad Nicolaum: *Inter Remensem & Treverensem ecclesiam, has enim duas tantum provincias Belgicæ regio habet, hæc semper distinctio fuit sicut in ecclesiasticis monumentis invenimus, & vetustissimam consuetudinem semper obtinuisse comperimus, ut isdem episcopus non locis sed dignitate ordinis prior secundum sacras regulas haberetur, qui foret in qualibet istarum ecclesiarum metropoli antea ordinatus.* Idem Hincmarus in epistola ad Ludovicum regem, apud Flodoardum libro 3. cap. 20. *Ecclesiæ Remensis & Treverensis comprovinciales atque sorores, & ex auctoritate, & ex antiqua consuetudine habentur: ea conditione, ut qui prior eorum fuerit episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in synodo, sibi mutuo consilio & auxilio foveantur atque fulciantur.* Necesse est itaque ut corruat quod annotatum est in epistola Gregorii VII. ad Manassem Remensem libro 6. epist. 2. Treverensem ecclesiam olim a Remensi cultam: *Remensis, cui præsides, ecclesia quodam tempore primati subjacuit, & ei ut magistro post Romanum pontificem obedivit.* Hæc autem assertum est ab autore epistolæ Gregorii, ex recepta tunc temporis opinione, de jure primæ provinciæ in secundam. Unde quoque color petitus est, ad instituendum tum ecclesiæ Narbonensis primatum in provincias primam & secundam, ex rescripto Urbani II. dato anno 1097. tum Lugdunensis ecclesiæ in quatuor provincias Lugdunenses.

Quod obtinebat tempore Hincmari.

An ea quæ prædicta sunt noceant primatui Lugdunensi.

XCIV. Ne quis autem ex hac disceptatione colligat me in id incumbere videri, ut primatum Lugdunensem succussis ejus fulcimentis evertam, id solum a benigno lectore postulo, ut fucum a sano colore, & tectorium a solido pariete distinguat, nec eraso uno alterum aboleri existimet. Primatus iste solidissimis fundamentis nititur, summa nempe & plena sedis apostolicæ autoritate, quæ sibi subjectas ecclesias, prout utilitas publica exigit, & temporis opportunitas suadet, magnis incrementis solet augere. Licet itaque color huic institutioni parandæ quæsitus, post diligentem vetustatis perscrutationem deleri possit, manet tamen pontificî decreti κῦρος inconvulsum; quo solo primatus illius moles, etiam posita sententia de antiquo primæ provinciæ in secundam privilegio, sustentari potest. Usu enim tot sæculorum adeo obliteratum est, ut de suæ ecclesiæ libertate quisque metropolitanus præscribere posset. Itaque vi sola imperii alicujus summi in ecclesia opus erat ad restituenda in integrum primatuum jura in provinciis Lugdunensibus, si olim ita exstitissent, ut certum est nulla fuisse. Neque est quod majoribus nostris aliquid imputari possit, si vitio sæculi illos latuerit in historiæ ecclesiasticæ cognitione, quod nostra ætate, post frequentes eruditorum virorum contentiones, in apertam lucem emersit. Sane adeo illustris fuerat olim civitatis Lugdunensis status, ut Gregorio septimo satis instructæ rationes suppetere potuerint ad constituendum illius ecclesiæ in quatuor provincias primatum: ducto etiam argumento a notitia & descriptione civili, ad quam præcipue respexit, dummodo intra veritatis historicæ lineas contineatur. Cui vetustas ecclesiæ illius, & splendor, quem illi celeberrimæ famæ Irenæus episcopus conciliavit, non mediocriter suffragata sunt. Denique recepta opinio ante Gregorii tempora, de primatu debito ecclesiæ Lugdunensi, ad confirmandam dignitatem illam multum contulit. Quæ res ut planior fiat non alienum erit ab instituto de Coloniæ Lugdunensis origine, & de illius ecclesiæ antiquitate paucis agere.

Semper oportuit summa autoritate Romani pontificis ad constituendum primatum.

Antiquus splendor civitatis & ecclesiæ Lugdunensis sufficiebat pro primatu constituendo.

De conditu Lugduni a Planco.

XCV. Coloniæ Lugdunensis conditum ad Lucium Munacium Plancum constanter omnes referunt, teste etiam veteri inscriptione, in qua Plancus coloniam istam & Rauricam deduxisse dicitur. Occasionem vero ejus fundandæ describit Dio lib. 46. cujus verba expendenda sunt, quia plurimum conferunt ad ornatum illius urbis: Ἐκέλευσαν αὐτοῖς τοῖς ἐκ Οὐιέννης τῆς Ναρβωνησίας

A ὑπὸ τῶν Ἀλλοβρίγων ποτὲ ἐκπεσοῦσι, καὶ ἐς τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Ἄραρος, ᾗ συμμίγνυνται ἀλλήλοις, ἱδρυθεῖσι, συνοικισθῆναι. καὶ οὕτως ἐκεῖνοι ὑπομείναντες, τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθὲν, νῦν δὲ Λούγδουνον καλούμενον ἔκτισαν. *Senatus jussit illis*, id est Lepido & L. Planco, *ut iis, qui quondam Vienna provinciæ Narbonensis oppido ab Allobrogibus erant expulsi, & intra fluvios Rhodanum & Ararim ad eorum confluentes consederant, urbem conderent. Atque ita illi subsistentes, Lugdunum, quod olim Lugudunum vocatum fuit, ædificaverunt.* Hæc Viennensium expulsio accidere non potuit postquam Allobroges redacti sunt in provinciæ formulam a Romanis, qui vim omnem a Viennensibus sibi quoque subjectis arcuissent. Quare accurate locutus est Dio, qui de temporibus Munacii Planci loquens, ait Viennenses expulsos fuisse ab Allobrogibus *quondam*, ποτέ. Eventus ergo illi referendus est ad tempus anterius Q. Fabii victoria, qui Allobroges subegit, anno urbis conditæ 623. id est ante Christum anno 121. Post domitos Allobroges Vienna,
B quæ ditioni eorum accesserat, facta est caput gentis a Romanis. Unde recte notat Strabo libro 4. Viennam, quæ vicus quondam erat, scilicet post vastationem, factam fuisse Allobrogum metropolim.

In gratiam Viennensium, qui eo profugerant.

Olim, id est ante victos Allobroges a Romanis.

XCVI. Quare non videtur a vero aliena Clitophontis antiqui scriptoris narratio, apud autorem *Libelli de Fluviis*, quam Plutarcho vindicavit vir clarissimus & doctissimus præses Philippus Mausacus. Clitophon enim ille tradit Momorum & Atepomarum regno pulsos, in colle Arari imminente urbem designasse, ejusque ædificationi avide incubuisse, auspiciis excitatos corvorum circum volitantium, unde a Momoro auguriorum callentissimo nomen Lugduni urbi & colli datum Λοῦγον γὰρ τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν κόρακα καλοῦσι. Δοῦνον δὲ τὸν ἐξέχοντα, καθὼς ἱστορεῖ Κλειτοφῶν ἐν τῷ ιγ', τῶν κτίσεων. *Etenim vulgari lingua lugum corvum vocant, dunum vero locum editum, quemadmodum refert Clitophon lib. 8. urbium conditarum.* Viennenses patria pulsi, in confluentibus Araris & Rhodani consederunt, ex Dione;
C ibidem Momorus & Atepomarus regno expulsi urbem condiderunt, ex Clitophonte. Si cui discrimen inesse videatur inter has narrationes, ob mentionem regni a Clitophonte injectam, reponendum est Viennensium agros olim regibus seu dynastis paruisse, qui Allobrogibus infensi erant Hannibalis ætate; qui per eas oras iter faciens cum exercitu, dissidium de regno inter fratres exortum diremit arbitrio suo. Dices de regno Allobroges certavisse, non Viennenses, si Livio fides, sed ex Polybii testimonio, unde sua Livius hausit, discemus hanc seditionem exortam non inter Allobroges, sed inter vicinas & infestas illis gentes, nempe Viennenses. Hannibal transmissurus in Italiam exercitum trajecit Rhodanum in agro Volcarum, scilicet ad Tarasconem opidum; deinde profectus adversa ripa Rhodani, mediterranea Galliæ petiit, ut a mari & a Romanis recederet, cum quibus antequam in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conserere. Quartis castris ad insulam pervenit, ubi Rhodanus & Isara confluunt in unum. Sic enim legendum est apud
D Polybium libro 3. *Isaræ* nempe, non autem *Scoras*, ut præferunt editiones. Putabant Sigonius & Casaubonus emendandum Polybii locum ex Livio, qui legit *Arar*: sed lectio, quam secuti sumus, debetur celeberrimo geographo Philippo Cluverio lib. 1. antiquæ Italiæ, qui expensa insulæ descriptione, ejusque comparatione cum Delta Ægyptio ab ipso Polybio instituta, *Isaram* reponendum docuit. Allobrogum autem regio, ex Strabone, inter Rhodanum & Isaram fluvium sita est: hic autem in Rhodanum influit. Quæ duo flumina ex Alpibus decurrentia ingens spatium lætissimorum agrorum in vicem insulæ complectuntur, quod altissimorum montium jugo ex latere orientali clauditur, quemadmodum Ægyptium Delta mari, cujus magnitudinem hæc insula ita æquat, ut tamen non superet. Quod aliter se habet in illo tractu, qui Rhodanum inter ex Alpibus defluentem, & Ararim ex Vosego monte, continetur, ubi sunt patentes & aperti Helvetiorum, & Sequanorum agri, qui ter majus Delta Ægyptio
E spatium occupant. Cæterum ex Polybii narratione certum est, integram insulam non paruisse uni regulo, sed inter plures divisam. Etenim Brancus in regnum ab Hannibale restitutus, vicinos confluenti fluviorum agros, id est Viennensium, possidebat. Sed loca superiora & monti proxima Allobrogum duces regebant studiis contrariis. Ille enim recenti beneficio affectus Hannibalis militem vestimentis juvit, & copiis suis iter securum per Allobrogum regionem ut a suo regno alienam præstitit, usque ad Alpium tumulos. Copiis vero Branci dimissis, tunc Allobroges, qui bello abstinuerant, partim equitum Pœnorum metu, *partim barbarorum, qui præsidii causa se comites illis adjunxerant*, in abruptis montium vexare cœperunt Hannibalis exercitum, ut notat Polybius, Τὰ μὲν τοὺς ἱππεῖς, δεδιότες, οἱ δὲ τοὺς παραπέμποντας βαρβάρους. Etsi vero ex Polybio

Dio explicatus ex Clitophonte.

Momorus & Atepomarus primi Lugdunum condiderunt.

Regulis parebat ager Viennensis Hannibalis ætate.

Distinctus ab Allobrogibus.

In confluentibus Isaræ & Rhodani.

Insula inter Rhodanum & Isaram.

Subdita variis regulis

Viennenses inferiora loca, Allobroges superiora obtinebant, ex Polybio

Livius non falsitatis discrevit, qui omnem regionem tribuit Allobrogibus.

manifeſte appareat diverſum fuiſſe Branci regnum, ab Allobrogum regione: attamen Livius, qui rationem habuit ejus ſpatii, quod ſua ætate Allobroges obtinebant, ſcilicet, a radicibus Alpium inter utramque ripam Rhodani & Iſaræ, utque ad eorum confluentes, fratrum de regno certamen ab Hannibale ſedatum, non obſcure in Allobrogum regione ponit: *Sedatis*, inquit, loquens de hac ſeditione, *Allobrogum certaminibus*. Enimvero Montanos, qui in Alpibus cum Hannibale dimicarunt, Allobroges fuiſſe diſſimulat egregie, etſi hoc diſerte ſcripſerit Polybius. Pugnare enim illi videbantur ſtudia regis Allobrogum, ut ipſe poſuerat, erga Hannibalem, & ſeditio in illis partibus ſopita, cum eorumdem Allobrogum certamine in Alpibus adverſus ipſum Hannibalem. Maluit itaque Montanorum impetum deſcribere, non adjecto Allobrogum nomine. Quæ dixi eo pertinent, ut ſciatur Hannibalis ætate, id eſt, anno ante Chriſtum 218. Allobroges nondum tenuiſſe eam partem regionis, quæ prætenditur inferiori ripæ Rhodani, ubi ſita eſt Vienna, uſque ad Iſaram. Bello tandem in eos quoque agros imperium ſibi peperierunt, expulſis inde Viennenſibus populis: qui trajecto Rhodano, in alteriore ripa ſedes ſuas ad confluentem Araris & Rhodani poſuerunt, ante Fabii victoriam de Allobrogibus relatam, ut antea dixi. Quod factum eſt ductu & auſpiciis Momori, & Atepomari, qui Lugdunum condiderunt, quemadmodum obſervat Clitophon. Itaque alius eſt hic Atepomerus Lueduni conditor a Lejulo Atepomaro, qui a Plutarcho dicitur alibi, una cum cæteris Gallis ad expugnationem Romanæ urbis profectus eſſe, anno ante Chriſtum 390.

Tempus e verſa Vienna ab Allobrogibus.

De ſitu antiquo Coloniæ Lugdunenſis.

XCVII. Diſputarunt Paradinus & Rubiſius de antiquo urbis Coloniæ Lugdunenſis ſitu, quam illi in colle ſancti Juſti, vel *Forviere*, collocatam putant, non autem ad ſancti Sebaſtiani collem, intra confluentes Rhodani & Araris. Quod alienum a vero ſibi facile perſuadebit qui Forvierii collem editum adeo, inclementem, aſperum, & confragoſum eſſe ſciet, ut ad arcendam Araris communionem a natura effictus, atque ager, qui eſt in ſummo tugo vix ſatis expanſus ad modici oppidi pomœria eſſe videatur. Cum ex adverſo ſancti Sebaſtiani jugum duobus fluviis ſic imminear, ut hinc tundantur Rhodano, illinc Arari alluatur, & a ſupercilio collis, molli ſatis clivo & quaquaverſum expanſo, uſque ad fluminum ripas, in aream æquam & planam iſthmo illo inclutam ſit deſcenſus. Hoc ſpatium occupaſſe Viennenſes notat Dio, atque ibidem fundatam fuiſſe coloniam a Planco, ſatis ſignificat: ne alioqui vir prudens iniquiori & anguſtiori loco urbem condidiſſe videretur, derelicta munitiſſimi loci & fluviorum opportunitate. Impoſitam colli fuiſſe docet Seneca epiſt. 91. ubi hujus urbis incendium ſub Neronе deplorat. *Civitas*, inquit, *arſit opulenta, ornamentumque provincialium quibus & inlerta erat & accepta, uni tamen impoſita, & huic non altiſſimo monti*. Strabo autem ſub colle conditam, ὑπὸ τῷ λόφῳ obſervat: id eſt, ita impoſitam monti, ut non in ſummo vertice, ſed per declivia & clementia jugi latera eſſet ædificata. Inde nomen Lugduni. *Dunum* enim apud veteres Gallos collem ſignificat; unde oppida, quorum nomina apud Gallos in *dunum* terminantur, in collibus ſita ſunt, *Lugum* autem vel corvos ſignificat ex Clitophonte, ut Lugdunum idem ſonet ac *Collis corvorum*; vel ſi mavis, cum antiquis gloſſis ſubjectis itinerario Hieroſolymitano temporibus Conſtantini magni confecto, *Lugdunum*, *deſideratum* montem antiqua Gallica lingua exprimat. Cuinam vero colli potiſſimum inſederit, plane diſcimus ex Seneca *in Ludo* ſuper morte Claudii, qui ſitum hujus urbis, ubi natus princeps ille, ita deſcribit, ut eam locet ad clivum illius jugi, quod duobus fluviis imminet, Rhodano ſcilicet atque Arari, antequam invicem miſceantur, & in unius Rhodani nomen coeant.

In declivio collis ſancti Sebaſtiani.

Concil atur Strabo cum Seneca.

Lugdunum quod ſignificet?

Lugdunum inter duos fluvios.

Vidi duobus imminens fluviis jugum,
Quod Phœbus ortu ſemper obverſo videt;
Ubi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Araresque, dubitans quo ſuos curſus agat,
Tacitus quietis illuit ripas vadis.
Eſſme illa tellus ſpiritus altrix tui?

Claudium alloquitur Hercules a Jove miſſus, ut explocaret, quorum hominum eſſet. Eodem modo Claudianus Lugdunenſes deſcripſit.

Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit.

His Senecæ & Claudiani verbis ſancti Sebaſtiani jugum accurate exprimitur. Eo in colle tabulas illas æneas, illuſtre antiquitatis monumentum, quibus oratio Claudii imperatoris in ſenatu habita continetur, effoſſas fuiſſe anno 1529. reſtatur Paradinus, atque adeo, ea in parte, præcipuam fuiſſe coloniæ ſedem neceſſe eſt, quæ inter cætera ſuæ urbis decora hanc orationem in æs inciſam, more ſolito, in curia ſua tunc repoſuerit. In eodem præterea clivo vinearum foſſores, & ii qui denuum fundamenta moliuntur, inci-

A dunt in antiquos nummos, veterum principum vultu ſignatos. Negari tamen non debet quin ædificia alterum quoque collem complexa fuerint, quod abunde teſtantur antiqua rudera.

Idem probatur ex Strabone.

XCVIII. Sed præcipuum coloniæ robur & ornamentum conſtitutum erat in area duobus fluviis intercepta: quod docet Strabo duobus locis. Unus eſt lib. 4. extremo, ubi conſilium aperit, cur Romani Lugdunum duobus fluviis incluſerint, nempe ut eſſet inſtar arcis; ſcilicet adverſus Gallorum fluxam & labilem nondumque ſatis firmatam fidem, ὥστε ἀσφαλὲς εἶναι τὸ πιστεύειν τοῖς πολλοῖς. Altero loco Lugdunum commendat, quod eo emporio Romani uterentur: Καὶ γὰρ ἐμπορίῳ χρῶνται. Solenne enim eſt huic ſcriptori *emporia* eas urbes vocare, quæ ſunt ripis fluminum vel litori maris impoſitæ, ideoque commerciis opportunæ. Lugdunum vero ad utriuſque maris commercia, ipſo etiam Auguſti ævo, & ſequentibus ſæculis patebat, nondum aperta oceani Septemtrionalis per Gades circum navigatione.

Emporium utriuſque maris Lugduni.

B Merces enim ad urbem Arelatenſem, ex Italia, Hiſpania, Africa atque ipſo etiam oriente devehebantur, ut docet Honorii conſtitutio, præter Strabonem: quæ deinde per Rhodanum navigiis Lugdunum uſque perlatæ, exin per Ararim & Dubim ad Helveticos & Germaniam utramque, vel terreſtri itinere ad Sequanam tranſvectæ, ſecundo amne ad Caletes, & Lexovios, ipſum Oceanum, deferebantur, teſte Strabone, *libri quarti duobus locis*. Unde antiquus geographus, qui vixit Conſtantii ætate: *Partier & aliam a Treveri civitatem habet Gallia, in omnibus ei admiculantem, quæ ad mare ſita eſt, quam vocant Arelatum, quæ cum ab omni orbe commercia ſuſcipiat, & prædictæ maximæ civitati Treveri ea ſubmittit*.

Monetæ cuſi Lugduni a Romanis.

C XCIX. Non omittendum eſt, ad Lugduni commendationem, quod obſervat eodem loco Strabo, Romanorum præfectos monetam auream & argenteam Lugduni cudere ſolitos. Quod profectum ex inſtituto Planci, ut patet ex eo argenteo nummo, quem ſtatim poſt coloniam conditam ibi percuſſum exhibent eruditi, hac inſcriptione: ANTON. IMP. III. VIR R. P. C. A. XL. ex adverſa parte, LUGDUNI, cum Leonis effigie. Antonius iſte eſt triumvir reipublicæ conſtituendæ, cui Gallia contigit in partitione provinciarum, quam invitus cum collegis anno V. C. 712. teſte Dione: unde biennio poſt depulſus eſt armis Auguſti. Quare eo triennio, quo Gallias tenuit, neceſſe eſt excuſum fuiſſe numnium iſtum. His vero literis A. XL. valor nummi ſignificatur, id eſt, aſſium XL. Non enim annum coloniæ deductæ deſignant, quæ a quadriennio tantum condita erat, neque etiam a populis XL. Galliæ excuſum, ut viſum Lipſio: nummi enim a præſidibus Romanis hic excudebantur, ut docet Strabo, non autem a populis. Deinde conventus Lugdunenſis erat ſexaginta populorum, non autem quadraginta, de quo mox dicam, Perduravit mos iſte cudendæ Lugduni monetæ ad Honorii tempora, ut docet Notitia imperii, ubi moneta Lugdunenſis inter cæteras recenſetur. Vidimus etiam nummos ſub Carolo Magno, & Ludovico Pio regibus noſtris

D percuſſos, cum hac inſcriptione: CAROLUS IMP. & LUDOVICUS IMP. & ex adverſa parte, LUGDUNUM. Jus iſtud cudendæ monetæ ad archiepiſcopos Lugdunenſes principum beneficio derivatum eſt, qui hac inſcriptione utebantur in iis quos vidimus nummis: LUGD. PRIMA SEDES GALLIARUM. Nunc vero res tota ſummo reipublicæ commodo ad regum autoritatem revocata.

Templum Auguſto dicatum Lugduni.

C. Cæterum fieri non poteſt ſine piaculo conventus ille populorum Galliæ, qui quotannis fiebat in colonia Lugdunenſi ad aram Auguſto principi dicatam. Illi enim, etiamnum vivo, templum ad confluentem Araris & Rhodani, ante ipſam urbem, ſexaginta populi Galliarum excitaverant, in quo duæ aræ conſtructæ; quarum uni ſimulacra uniuſcujuſque ex illis gentibus erant inſcripta, ut ſcribit Strabo. De loco conſentit vetus inſcriptio, & Lucius Florus: *Ara Cæſaris ad confluentem Araris & Rhodani dedicata, jacerdote creato C. Julio Verecundato Eubio Heduo*. Conditores vero templi fuiſſe univerſos Galliarum populos, ſolus docuit

Ab univerſa Gallia.

E Strabo. Sane pleræque provinciæ in gloriam Auguſti effuſæ templa illius numini ſiſtebant publicis impenſis: ut commune Aſiæ in urbe Pergamo, & Epheſi: & commune Bithyniæ, in urbe Nicæa, ex Tacito & Dione. Quod beneficium his urbibus conceſſum teſtatur Dio lib. 51. quia in ſuis provinciis præcellebant; αὐτοῖς γὰρ καὶ αἱ πόλεις ὧν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, καὶ ὧν ἐν τῇ Βιθυνίᾳ ἐνεκεκύρωτο. Unde colligi poteſt claritudo coloniæ Lugdunenſis, utpote quæ univerſas Gallias exciverit ad ſui deleſtum pro ſiſtendo templo.

Quod intelligendum de tribus Galliis, deviſis a C Cæſare.

CI. A Gallis iſtis excipi debet provincia Narbonenſis, quæ omnium provinciarum prima Narbone aram Auguſto dicaverat, & ſodales Auguſtales, ut patet ex veteribus inſcriptionibus. Præterea vero illa ætate Galliarum nomine tres partes a Julio Cæſare ſubactæ continebantur, nempe Aquitanica, Belgica, & Lugdunenſis: demota

Nar-

Narbonensi, quæ provinciis Romanis jam olim accensita erat. Unde in inscriptionibus Lugdunensibus apud Gruterum pag. 386. Catulio cuidam *sacerdoti ad templum Romæ & Augusti, tres provinciæ Galliarum* tantum, tumulum posuerunt. Item pag. 355. Tiberio Antistio equiti Romano *tres provinciæ Galliæ ad aram Cæsarum statuam equestrem ponendam censuerunt*. Quæ verba satis significabant, conventum Lugduni habitum ad templum Augusti, a tribus illis provinciis, dempta Narbonensi, quæ Julii Cæsaris exemplo, qui eam in descriptione Galliæ omisit, a scriptoribus, sæpissime Galliis opponitur. Insignis locus in epitome Livii, libro 134. de Augusto: *Cum ille conventum Narbone egit, census a tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus*. Hinc factum, ut apud Ammianum lib. 15. locus, qui est ad confluentes Araris & Rhodani, dicatur *exordium Galliarum*; & in tabula itineraria Peutingeri, *Lugdunum caput Galliarum*; quia post emensam Viennentem provinciam, quæ pars erat Narbonensis antiquæ, prima Romanis civitas occurrebat, quæ apud Gallias specialiter dictas sita erat.

Tres Galliæ distributæ in sexaginta populos.

CII. Tres autem illæ provinciæ, in sexaginta populos distributæ erant, ut discimus ex superius adducto Strabonis loco. Eum summopore illustrat Ptolemæi descriptio, qui ponit in Aquitania ἔθνη seu populos XVII. in Lugdunensi gentes XXIV. in Belgica XIV. quibus numeris simul junctis conficiuntur sexaginata populi. Nec officit Tacitus annal. lib. 3 qui de Flori & Sacroviri defectione apud Treveros & Eduos loquens, ait Romæ omnia in majus credita, jactatumque *quatuor & sexaginta Galliarum civitates, defecisse, dubias Hispanias*. Civitatum nomine populos quidem intelligit, (unde eodem loco Turonios & Andegavos inter civitates recenset:) sed loquitur de universo corpore Galliarum, quod LXXIV. populis constabat; additis scilicet ad LX. populos XIV. illis, quos Ptolemæus Narbonensi provinciæ tribuit. Quare leve mendum irrepsit in numerum civitatum apud Tacitum, ubi legendum, *quatuor & septuaginta civitates defecisse*.

Explicatur, & emendatur Tacitus.

De duobus aris templi, quarum una Romæ, altera Augusto dicata. Deinde reliquis Augustis. Augustales.

CIII. Ex duabus aris in templo Augusti collocatis una dicata erat Augusto, altera Deæ Romæ. Nam, ut ait Svetonius de Augusto, *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romæque nomine, recepit*. Unde in veteribus inscriptionibus Lugdunensibus dicuntur sacerdotes *Romæ & Augusti*. Postea invaluit ut reliquorum quoque Cæsarum numinibus sacra fierent in templo Lugdunensi, ut patet ex inscriptione apud Gruterum, pag. 320. *Servilio Martiano Arverno, sacerdoti ad templum Romæ & Augustorum, tres provinciæ Galliæ*. Inde *Ara Cæsarum* dicta in superius laudata inscriptione. Sacerdotes illi nuncupati sunt tandem *sodales Augustales*, ex instituto Tiberii, apud Tacitum libro 1. annal. qui Lugduni, quemadmodum, in Bætica, & aliis provinciis erant sex numero. Unde in inscriptionibus mentio I IIII I. Aug. id est. *Servirorum Augustalium*; qui dicti quoque *flamines Augustales*. Servabant inter se ordinem, unde in inscriptionibus, Aurelius quidam dicitur, *primus corporis Augustalium*, & Primigenius; *servir secundus Augustalis*. Primi cujusque ordinis, qui magisterium sacerdotii exercebant, *magistri* dicti. Honor Augustalitatis, flaminii, & pontificatus, in quinquennium, vel in perpetuum, ab ordine decurionum decernebatur; quandoque gratuito, aliquando sportulis & epulis datis. In Lugdunensi inscriptione apud Gruterum, pag 421. *Sextus Ligurius summus curator civium Romanorum provinciæ Lugdunensis, quinto duumviralibus ornamentis suffragiis sanctissimi ordinis honoratus, duumvir designatus ex postulatione populi, ob honorem perpetui pontificatus datum, cujus doni dedicatione decurionibus denarios quinque, ordini equestri, servirts Augustal. negotiatoribus vinariis denarios tres, & omnibus corporibus Lugduni licite coeuntibus denarios duos; item ludos Circenses dedit*.

Conventus annuus Gallorum ad hoc templum.

CIV. Quotannis in honorem Augustorum primores Galliarum conveniebant ad hoc templum, & solennes festos dies agitabant. Eorum meminit Dio lib. 54. referens Drusum avertisse Gallos a societate belli cum Sicambris, evocatis Lugdunum proceribus, ejus festi specie, quod ad Augusti aram agebatur: observatque sua ætate, id est sub principatu Alexandri filii Severi, eamdem ἑορτὴν, seu celebritatem, perdurasse, ἣν καὶ νῦν περὶ τὸν τοῦ Αὐγούστου βωμὸν ἐν Λουγδούνῳ ἄγουσι. Itaque de hoc conventu accipi debet insignis ille locus epistolæ Lugdunensium Christianorum, sub Antonio, apud Eusebium libro 5. hist. cap. 1. Ajunt rectorem provinciæ tribunali insidentem, veluti pompam quamdam traduxisse martyres ante ora populorum, qui ex omnibus gentibus Lugdunum convenerant: ὡς ἐνθάδε πανηγύρεως· ἔστι δὲ αὕτη πολυάνθρωπος, ἐκ πάντων τῶν ἐθνῶν συνερχομένων εἰς αὐτὴν ἀρχομένης συνίστασθαι. Quem locum sic vertit Ruffinus: *Die quodam celeberrimo, in quo ex omnibus provinciis coeuntes nundinas celebrare solent*. Recte conventum solennem, seu πανήγυριν, *nundinas* vertit: eo significatu in Veteribus glossis, *nundinæ*, ἑορτὴ, quæ mercimonia quoque significant, quod agitari solerent diebus festis. Quod est autem apud Eusebium, ex omnibus gentibus conflatum conventum, intelligi debet de omnibus saltem trium Galliarum populis.

De hoc conventu intelligendus Lugdunensium locus, apud Eusebium.

Tunc spectacula edita.

CV. Dies illi festi, partim spectaculis & muneribus cruentis in amphitheatro Lugdunensi præbitis impendebantur, ut docent exacta a martyribus usque ad ludibrium supplicia, apud Eusebium: partim ludis miscellis, quos edidisse Cajum Caligulam Lugduni in Gallia docuit Suetonius. Qui ludi non solum lucta, pugilatu, musica, equorum cursu, & id genus oblectamentis constabant, sed etiam certamine Græcæ Latinæque facundiæ. Ubi, teste Suetonio, *victi præmia victoribus conferebant, eorumdem & laudes componere coacti. Ii autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia lingua ve delere jussi, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent*. Unde Juvenalis versus ille notissimus:

Et certamen facundiæ.

Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Dubitandum non est, quin ad recitationes istas publicas & solennes auditorium esset in ædibus Augusti, suis gradibus, subsellius, anabathris, & orchestra instructum. Ejusmodi auditoria, quæ ex Hadriani instituto dicta sunt *Athenæa*, ut patet ex Dione, Lampridio, Capitolino, & Victore; quæ dein voce paulisper deflexa *Athenica* dici cœperunt. Quod verbum usurpatum a Trebellio ad significandam bibliothecam publicam. Inde dictum est *Athanacum* locus, ubi erat Athenæum, acsi diceres Athenaicum, eadem inflexione qua ex Achæo fit Achaicus. Unde in antiquis instrumentis vetus monasterium in area ædium Augusti dirutarum exstructum, dicitur *Athanacum*, vulgo *Aisany*. Quod nomen eidem loco inditum erat ante Gregorii Turonensis tempora, qui meminit martyrum Athanacensium, ita dictorum, ut ipse notat, a loco ubi passi sunt Lugduni. Quod indiget interpretatione: martyres enim confecti sunt in amphitheatro, cujus rudera visuntur in colle Forvieræ: sed eorum corpora ludibriis plebis exposita sunt per sex dies, dein combusta, cineresque dejecti in Rhodanum, Eusebio teste, scilicet, ad confluentes fluminum, ante Augustorum ædes, ut illis hæc quasi victima Christianorum devoveretur. Unde Gregorius diserte observavit in *Athanaco* combusta fuisse martyrum corpora, quæ tamen supplicio affecta in amphitheatro Eusebius docuerat.

Athenæa. Athenaica, & Athanacum.

Gregorii locus de martyribus Athanacensibus explicatus.

Colonia Lugduni augetur a Claudio.

CVI. Præter eam coloniæ dignitatem, qua civitas Lugdunensis ornabatur, nova luce aucta est ob natales Claudii principis; qui eodem die ea in urbe natus, quo Augusti ara dedicata est, teste Suetonio, id est annis triginta tribus post conditam coloniam a Planco. Quod animum Claudii impulit ut urbem redderet celebriorem, eo deductis Romanis civibus ita ut non solum jure colonico frueretur, quod Viennensibus Perfugis ibidem constitutis collatum erat a Planco; sed etiam omnino Romana colonia fieret. Duorum enim generum erant coloniæ, ut notavit Asconius. Quibusdam urbibus vel antiquis, vel de novo conditis, jus coloniæ dabatur, nullis eo deductis civibus: aliæ vero coloniæ fiebant deductione civium Romanorum, qui civitatem constituebant soli, aut veteribus incolis adjuncti. Eo respiciebant Lugdunenses, veteris discordiæ, quæ illis adversus Viennenses intercesserat, memores, dum publicis precibus provocant milites, qui a partibus Vitellii stabant, ad Viennensium exitium; se coloniam Romanam esse prætendentes, apud Tacitum libro primo histor. Non enim negabant, quin Vienna inter colonias esset, cum a Claudio in oratione pro Gallis *ornatissima valentissimaque colonia* dicatur: & hoc etiam loco testatur Tacitus, vetustatem & dignitatem coloniæ Viennensis valuisse, ne exscinderetur. Sed Vienna donata fuerat colonico jure, etsi civibus Romanis eo non deductis: Lugdunum contra, magnam partem Romanis familiis steterat, externis licet immixtis, nempe profugis Viennensibus, ut recte monuit Lipsius. Quam tamen civium mixturam ad Claudii tempora referendam puto. Novum itaque nomen adepta est civitas Lugdunensis beneficio Claudii, dictaque *Colonia Copia Claudia Aug. Lug.* ut patet ex veteri inscriptione apud Gruterum. Quod his literis designatur passim in inscriptionibus Lugdun. *C. C. C. Aug. Lug.* Eas de trecentis auguribus male interpretati sunt Paradinus & Rubisius, & de trecentis augustalibus quidam eruditi viri. Eodem exemplo civitas Agrippinensium dicta est in antiqua inscriptione, *Colonia Claudia Augusta Agrippinensium*. Quod enim Copiæ vox in nomenclatura coloniæ Lugdunensis additur, (de quo quærere se ait Scaliger, in animadversionibus ad chronicon Eusebii) id factum ad significandam emporii Lugdunensis opulentiam, & rerum omnium abundantiam ex loci opportunitate. Sic urbs Hadrumetina donata jure coloniæ a Trajano, ob seda-

Tacitus explicatus.

Novum nomen Coloniæ Lugdunensis.

sedatas eo beneficio opidanorum seditiones, dicitur *Concordia*, in antiqua inscriptione: *Colonia concordia Ulpia Trajana Augusta Frugifera Hadrumetina*. Ad Claudii itaque singulare studium referri posse videntur ornamenta pleraque illius coloniæ, ut amphitheatrum, thermæ publicæ, quarum mentio apud Eusebium, & aquæductuum structuræ, quorum fornices aliquot lateritii a sexto lapide ducti adhuc supersunt. Aqua illa publica, postquam usibus amphitheatri & castrorum, in superiori colle inservierat, per latera pendentis jugi derivabatur ad thermas, & ad fontes publicos, usumque privatum civium, ut fidem faciunt divergia, castella, tubi, & canales ex latere firmo constructi, quæ frequenter in clivo illo fodientibus occurrunt. Balneas in ima valle ad ripam Araris constructas fuisse par est.

Ornamenta publica Coloniæ a Claudio

CVII. De castris, quorum mentionem feci, aliqua dicenda sunt, quia valde conferunt ad explicandum insignem locum epistolæ Christianorum Lugdunensium apud Eusebium. Cum ex instituto Augusti, ad tutelam imperii perpetuo milite principes uterentur, legionibus & auxiliis provinciatim distributis; in limitibus quidem majores copiæ dispositæ erant, sed in oppidis quoque interioribus non deerant cohortes & alæ, quæ provinciales in officio continerent. Inter cetera Lugduni tendebat cohors decima octava, ut docet Tacitus annal. III *Andegaves Acilius Aviola excita coborte quæ Lugduni præsidium agitabat, coercuit*. Vetus autem & solitum ejus urbis auxilium fuisse, discimus ex eodem auctore libro I. histor. ubi meminit quidem Junii Blæsi Lugdunensis Galliæ rectoris, qui partibus Vitellii accessit cum Italica legione, & ala Taurina Lugduni tendentibus. sed subjungit, *Cohortem XVIII. Lugduni solitis sibi hibernis relictam*. Ut autem milites arctius & in disciplina haberentur, secreti erant a civibus & urbe, suisque castris continebantur, ad exemplum urbanarum cohortium, quæ Romæ degebant in castris prætoriis ad portam Viminalem. Castra autem ista Lugdunensia laxiora fuisse oportuit, neque unius tantum cohortis capacia, sed legionis quoque & alarum equestrium, quæ aliquando tendebant in hac colonia. Itaque, nisi fallor, castrorum Lugdunensium, & prætorii locus erat in colle Fori veteris, (ita enim scribitur in veteribus chartis apud Paradinum, unde vulgare nomen *Forvierre*:) sic enim insesso per milites colle, & per opera publica munito, spes adempta erat nationibus Gallicis eum locum invadendi; unde si hæc auxilia deessent, civitas inferior oppugnari aliquo pacto potuisset.

De castris & præsidio Lugdunensibus.

Tribuni qui huic cohorti Lugdunensi præerat, (non autem tribuni plebis, ut vertit Christophorsonus) mentio in epistola Lugdunensium apud Eusebium: qui χιλίαρχος a numero mille militum qui cohortem complebant. Ajunt productos martyres in forum a tribuno, & ab urbis magistratibus, atque ibi publice interrogatos de fide, in carcerem deinde trusos, usque ad adventum rectoris provinciæ, cujus cognitioni reservati sunt: magistratus illi erant duumviri, & ordo decurionum, de quibus inscriptiones Lugdunenses. Impie quidem illi adversus Christianos, sed rite & ex ordine legum se gesserunt. Etenim prehensio, modica coercitio, & custodiarum interrogatio duumviris competebat: non autem animadversio in facinorosos, quæ præsidibus provinciarum lege concedebatur. In hoc autem Christianorum Lugdunensium negotio, ob multitudinem sociorum, metuque tumultus, manu militari opus fuit ad prehensionem reorum. Itaque non solum duumviri, sed etiam tribunus cohortis Lugdunensis, reos prehensos in foro interrogarunt. Viris namque militaribus aliquando ἀνάκρισις, sive interrogatio, permittebatur. Hæc sunt verba epistolæ: Αναχθέντες εἰς τὴν ἀγορὰν ὑπό τε τοῦ χιλιάρχου, καὶ τῶν προεστηκότων τῆς πόλεως ἐξουσιῶν, ἐπὶ παντὸς τοῦ πλήθους ἀνακριθέντες, καὶ ὁμολογήσαντες συνεκλείσθησαν εἰς τὴν εἱρκτὴν, ἕως τῆς τοῦ ἡγεμόνος παρουσίας. Id est: *Adducti in forum a tribuno, & urbis magistratibus, coram universa plebe interogati & confessi, in carcerem conjecti sunt, usque ad præsidis adventum*. In hujus loci interpretatione hallucinatus est Ruffinus, quia ἀνακρίνεσθαι verbum legitimum, etsi usurpatum a beato Luca in Actis, quo reorum interrogatio significatur, non intellexit. Sic enim reddit: *Adstante tribuno, & primoribus civitatis, pro solis acclamationibus populi correpti, & in carcerem trusi sunt fratres, usque ad adventum præsidis*. Præses autem ille erat rector utriusque provinciæ, Viennensis, & Lugdunensis; ex utraque enim ecclesia martyres conquisivit, & in eos animadvertit, ut docet Epistola.

Tribunus cohortis Lugdunensis.

Explicatur insignis locus epistolæ Christianorum apud Eusebium.

Lapsus Ruffini.

CVIII. Quare liquido constat, ut existimo, coloniam Lugdunensem ornatissimam fuisse in Galliis: unde ex instituto Augusti effectum, ut Lugdunensi provinciæ solidæ nomen dederit; & tres provinciæ Galliarum, ejus celebritatem commendare annuis conventibus æquum esse duxerint. Urbs vero ipsa, *Segusianorum* genti præerat, Strabone teste, qui situm quoque illius gentis inter Rhodanum & Dubim fluvios fuisse docet: Προκάθηται δὲ τοῦ ἔθνους τῶν Σηγοσιανῶν ἡ πόλις αὕτη, κειμένου μεταξὺ τοῦ Ροδανοῦ καὶ τοῦ Δούβιος. Idem docet Plinius libro 4. cap. 18. si emendate legatur. *Segusiani liberi, in quorum agro colonia Lugdunum*. Ceterum Segusiani, de quibus anxie quæritur a plerisque, erant e numero sexaginta populorum Galliæ: neque solum eam regionem occupabant inter duos amnes, quam Strabo annotavit, sed eos quoque agros, quos Ptolemæus Segusianis attribuit, dum illis urbes Rhodanam, & Forum Segusianorum assignat, id est *Roane, & Feur au pays de Forest*. Mirabitur aliquis, quod Lugdunum Segusianorum caput omiserit, culpa tamen imputanda non est Ptolemæo, sed vitio amanuensis, qui inter exscribendum alieno loco Lugdunum posuit, scilicet in Eduorum gente. Ibi enim recensetur *Lugdunum illustris metropolis*, ἐπίσημος Λούγδουνον μητρόπολις, & statim Segusiani describuntur minuti capite suo, per incuriam librarii. Quare Segusiani, vel, si mavis cum Cæsare, *Sebusiani*, complectebantur eos agros, qui hodie nominibus Bressiæ, Balgiaci, partis Burgundici comitatus intra Rhodanum & Dubim, & cis Rhodanum agris Bellijoci, Rhodanesii, comitatibus Lugdunensi, & Foresii comprehenduntur. Ceterum nomen illud Segusianorum paulatim obsolevit, post divisionem provinciarum imperii: solumque *civitatis Lugdunensium* nomen obtinuit, quod hodiernam Lugdunensem diœcesin æquabat, donec scisso in partes regno Francorum locus datus est variis illis comitatuum & dynastiarum appellationibus in agro antiquæ civitatis.

Claritudo Lugduni

Metropolis Segusianorum.

Explicantur Segusiani

Correctus Ptolemæi textus

CIX. Galbæ principatu imminuta est aliquo pacto Lugduni dignitas. Ipsa vero civitas tandem expugnata est atque direpta a Severo principe, post bellum confectum contra Albinum Cæsarem, cujus partes secuta erat, teste Herodiano: qui apud Lugdunum *magnam urbem & opulentam*, post varios præliorum eventus ultimam quoque pugnam fuisse testatur: Ἡ δὲ τελευταία περὶ Λούγδουνον μεγάλην πόλιν καὶ εὐδαίμονα. Idem observavit Dio de pugna ad Lugdunum facta prope Rhodanum. Dubios quoque præliorum eventus fuisse inter partes, ante hoc ultimum & decretorium, annotavit Capitolinus, sicet de loco tacuerit. Spartianus vero apud Tinurtium pugnatum fuisse docet, non longe a Rhodano. Atqui Tinurtium, quod vulgo dicitur *Tournus*, est oppidum situm ad fluvium Ararim, in eo intervallo, quod est inter urbem Matisconensem & Cabillonensem, ut patet ex Itinerario Antonini: *A Matiscon: Tinurtium m. p. 21. Tinurtio Cabillonem m. p. 21.* Itaque conciliandus est Spartianus cum ceteris historicis, quod fiet levi emendatione: Hæc sunt verba Spartiani: *Multis interim varie gestis in Gallia, primo apud Tinurtium contra Albinum felicissime pugnavit Severus. Cum quidem ingens periculum equi casu adiit, ita ut mortuus ictu plumbeæ crederetur*. Diserte ait primo pugnatum feliciter apud Tinurtium; unde sequitur ut alio loco ultimum certamen gestum fuerit, idque prope Rhodanum: quod Dio & Herodianus docent fuisse apud Lugdunum. Itaque supplendus est Spartianus hoc pacto: *Primo apud Tinurtium pugnavit Severus, deinde apud Lugdunum*. Direptio tamen civitatis quæ tunc contigit, non adeo infesta fuit, quin aliquot post annis, Alexandri principatu, conventus trium Galliarum ageretur ad aram Augusti, ut jam observavimus ex Dione. Quod enim ex Spartiano annotavit quidam, e præda Lugdunensi immensas opes congestas a Severo, id debet referri ad urbem, id est Romam, & alias provincias, ubi partium Albinianarum conscii proscripti sunt.

Imminutio Lugduni; de indireptio sub Severo

De loco pugnæ contra Albinum.

Spartianus emendatus.

CX. Nunc restat ut aliqua de vetustate & splendore Lugdunensis ecclesiæ dicamus. Ejus exordia debentur Pothino episcopo, qui eas in partes a Polycarpo Smyrnæ in Asia episcopo, beati Joannis apostoli discipulo, missus est, ut lib. 1. historiæ Francorum cap. 24. docet Gregorius Turonensis, qui antiquitates illius ecclesiæ perspectas habuerat, per aliquod tempus ea in urbe moratus cum Nicetio episcopo Lugdunensi avunculo suo. Sæpe quæsitum est, qua ratione fieri potuerit, ut Pothinus a Polycarpo mitteretur, quæ cognatio intercesserit inter nationes adeo remotas, quod jus competierit Asiatico episcopo in occidentem. Attamen si quis perpendat Lugdunensis emporii opportunitatem, quo merces ex oriente advehi solitas docuimus num. 98. facile sibi persuadebit commerciorum usum dissitas Asiæ & Galliæ regiones propius admovisse, & hominum æque ac mercium miscuisse societates. Verisimile est, felicibus auspiciis tunc temporis incidisse in Polycarpum negociatores Lugdunenses, qui fidem Christianam illo doctore imbiberint, & ab eo Pothinum impetraverint, ad fovendam in Galliis novam illam propaginem; illi expeditus erat sine dubio usus utriusque linguæ, Latinæ & Græcæ, æque ac Lugdunensibus, tum ad exemplum reliquarum coloniarum, tum præcipuo jure, quod in hac urbe, ex Caii Caligulæ instituto, Græcæ Latinæque facundiæ exercitatio fieret. Ceterum in ecclesiæ exordiis non adeo exacta habebatur parœciarum ratio

De vetustate ecclesiæ Lugdunensis.

De Pothino misso a Policarpo Smyrnensi.

Ejus missionis occasio

ratio; quin ultra limites ſuos unicuique epiſcopo ad propagandam fidem evagari liceret, acſi totius orbis ſolicitudo illi commiſſa fuiſſet, ut mirandum non ſit quod Pothinus de Lugduno cogitarit. Verumtamen negotium illud peractum non eſt ſine Romani pontificis arbitrio, qui ſuffectum a Polycarpo Photinum decreto ſuo Lugdunenſi eccleſiæ præfecit. Quod tribus non levibus argumentis confirmari poſſe puto. Primum eſt Innocentii primi teſtimonium, qui Galliarum, ut & ceterarum occidentis eccleſiarum, non ab alio, quam a Petro, aut ejus ſucceſſoribus inſtitutas fuiſſe docet. Quod ſane aſſeri non poterit, ſi ducentis & quinquaginta ante Innocentium annis, antiquiſſima & florentiſſima totius Galliæ ſedes a Polycarpo condita fuerit. Secundum argumentum petendum eſt ex Polycarpi ipſius erga Romanam eccleſiam cultu, qui peregrinationem ſuſcepit, ut Anicetum Romæ inviſeret, teſte Euſebio. Fieri ergo non poteſt ut eam ſedem vel levi contumeliæ ſuſpicione lædere vellet, ea inconſulta occidentis eccleſias ordinando. Tunc enim, quemadmodum & ſequenti ſæculo, provinciæ Galliarum Romanæ ſedis adminiſtrationi ſubjacebant. Quod patet ex facto ipſius eccleſiæ Lugdunenſis, quæ per beatum Irenæum presbyterum Romam miſſum, ad Eleutherum pontificem de Montani hæreſi in Phrygia exorta retulit, ut eccleſiæ pacem in Aſia & Phrygia procuraret, teſte Euſebio libro 5. cap. 3. Tertium idque validiſſimum argumentum deſumitur ex ſynodo habita ab Irenæo tunc epiſcopo Lugdunenſi, ex mandato Victoris papæ, in quæſtione de die paſchatis: Vim autem argumenti non conſtituo in eo mandato: cum in orientis etiam eccleſiis Concilia tunc acta ſint ex reſcripto Victoris, ut patet ex Euſebio libro 5. cap. 23. ubi de ſynodo a Polycrate Epheſi habita, & ex ſynodi Paleſtinæ fragmento, quod recitat Beda. Sed decretum ſynodi habitæ ab Irenæo perpendo, quo uſus Aſiaticarum eccleſiarum in XIV. die uſurpanda in celebratione paſchatis damnatus eſt, & diei dominicæ aſſertus, juxta conſuetudinem eccleſiæ Romanæ. Aliter ſentire debuerat Irenæus cum ſuis Aſiaticis, ſi mera Smyrnenſis ſoboles fuiſſet hæc noſtra Lugdunenſis: unde enim haurire potuiſſet ritus ſuos, quam a matrice eccleſia, & cujus inſtituta potius amplecti, quam ejus eccleſiæ, unde deducta erat, ut fieri decuit juxta ſcitum Innocentii primi?

Probatur Romano pontifici miſſionem illam ſuppeditaſſe argumentis oſtenditur. Ex teſtimonio Innocentii. Ex cultu Polycarpi erga Romanum pontificem.

Ex ſententia ſynodi habitæ anno habita adverſus opiniones Aſiaticorum.

CXI. Pothinus annum ætatis agens nonageſimum martyrio confectus eſt ſub Marco Aurelio Antonino, anno Chriſti 179. una cum reliquis Chriſtianis: quorum ſupplicia deſcripta ſunt in luculenta illa epiſtola, quam refert Euſebius libro 5. cap. 1. Ejus epigraphe hæc eſt: *οἱ ἐν Βίεννῃ καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν, &c.* Ubi tria obſervanda ſunt. Primum, hanc epiſtolam ad Aſianos deſtinari, quia inde magiſtros pietatis Lugdunenſes aſſumpſerant. Secundum, Viennam Lugduno præferri ordine ſcripturæ. Quod ita intelligendum non eſt, acſi metropoleos dignitas tunc temporis eſſet penes Viennam ſolam: utraque enim urbium illarum ſuæ provinciæ caput erat, ut diſerte teſtatur Euſebius ibidem, dum ait eas fuiſſe Galliarum *πρώτους μητροπόλεις*. Sed honoris prærogativa in ordine civili tunc Viennæ competebat præ Lugduno, ex inſtituto Galbæ. Cum enim vetus harum urbium diſcordia in mutuas clades erupiſſet, & iſta memor beneficii accepti pertinaci fide pro Neronis partibus ſtaret, illa vero ſtuderet Galbæ: *Galba reditus Lugdunenſium, occaſione iræ, in fiſcum vertit. Multus contra in Viennenſes honor*, ut ait Tacitus libro 1. hiſtor. Tertium, Lugdunum ſpecialiter Galliæ tribuitur in hac epiſtola, quia, ut dixi numero 101. Galliæ quandoque diſtinguebantur ab antiqua Narbonenſi provincia, cujus partem ſibi vindicabat Viennenſis. Quod diſcrimen induſtum eſt etiam in eccleſiaſticam diſpoſitionem. Unde in ſubſcriptionibus Concilii Arelatenſis I. habiti anno 314. poſt epiſcopos provinciæ Viennenſis ſequuntur epiſcopi Gallicani e provinciis Lugdunenſi, Belgica, & Aquitanica. Iidem dicuntur *provinciarum Gallicanarum epiſcopi* a ſynodo Vaſenſi, anno 442. Hinc quoque emerſit uſurpata in ſynodis diſtinctio Galliarum, & quinque ſive ſeptem provinciarum, ut monui num. 65. & 66.

Pothini martyrium.

Explicatio inſcriptionis epiſtolæ Lugdunenſis.

Galliæ diſtinctæ a Narbonenſi provincia in ordine eccleſiaſtico.

CXII. Irenæus a Polycarpo Smyrnenſi, cujus dictata adoleſcens exceperat, ad Pothinum miſſus, Lugduni presbyterum egit, deinde primi ordinis ſacerdotem. Claritudo tanti viri per univerſam eccleſiam ſcriptis voluminibus pro tuenda fidei regula ſic enituit, ut maximum inde ornamentum acceſſerit eccleſiæ Lugdunenſi. Hinc enim accidit, ut ſynodo Gallicanæ quæ habita eſt in cauſa paſchatis adverſus Aſiaticos, Irenæus præfuerit, Euſebio teſte lib. 5. c. 23. ubi ceterarum provinciarum concilia recenſens, Romanum ſcilicet, Paleſtinum, Ponticum, Oſrhoenum, Corinthium, ſive Achaicum, iis quoque Gallicanum conjungit, conflatum ex eccleſiis Galliæ quas Irenæus regebat: *Καὶ ἐπὶ*

De Irenæo.

Præfuit ſynodo Gallicanæ in cauſa paſchatis.

τοῦτοις Γαλλίων δὲ τοῦ παροικοῦντος, ἐφ' οἷς ἐτετιμήκει. Equidem non diffiteor, quin relativum pronomen in textu Euſebii ex vi & uſu particulæ illius reſtringi poſſit ad eccleſias Galliæ Lugdunenſis primæ, tunc diviſæ a ſecunda: quas Irenæus metropolitico jure adminiſtrabat. Sed cum in generali univerſæ eccleſiæ cauſa omnium ſacerdotum vota exquirerentur, nullaque ſynodus alia in Galliis tunc habita fuerit præter hanc unam: plane neceſſe eſt eam ſententiam ſequi, quæ omnium Galliæ provinciarum, in quibus epiſcopi conſtituti erant, concilium iſtud fuiſſe docet. Coactum Lugdum verſimile eſt, ob quod in ea urbe trium provinciarum Galliæ conventus fieri ſoleret: eaque eſſet antiquæ diſciplinæ ratio, ut in locis frequentioribus concilia fierent, ubi tutius & teſtius epiſcopi conveniebant. De univerſis quoque Galliarum epiſcopis intelligendus eſt alter Euſebii locus cap. 24. ubi ait adpontionem ſcriptam ad Victorem ab Irenæo, ex ſententia omnium per Galliam fratrum, quibus præerat, *ἐν ᾧτινι, ὡς ἐγὼ κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφοί.* Tandem martyrio confectus eſt, poſt edictum a Severo latum adverſus Chriſtianos, anno decimo imperii, id eſt anno Chriſti 204. vel eo tempore, quo Severus, expeditione Britannica ſuſcepta, Lugduno iter egit, id eſt anno 216. qua de re luculenter ſcripſit vir eruditus Th. Raynaudus, *in indiculo martyrum Lugdunenſium*. Tanta vero fuit Chriſtianorum in ea urbe ſtrages, ut *per plateas flumina decurrerent ſanguinis Chriſtiani, nec numerum aut nomina martyrum inire licuerit*, ut ait Gregorius libro 1. hiſtoriæ Francorum cap. 29.

Expenſus Euſebius.

Martyrium Irenæi.

CXIII. Tot martyrum cruore fuſo, & Irenæi ſacerdotio, magnopere nobilitata eſt eccleſia Lugdunenſis prima. Unde factum, ut anno 854. a Lothario I. imperatore *prima Gallorum eccleſia* dicatur in reſcripto, quo *Savigniacum* monaſterium illi contulit, cum onere alendorum monachorum: quod reſcriptum ex codice manuſcripto Lugdunenſi damus.

Lugdunenſis eccleſia prima Gallorum dicitur a Lothario Imperatore.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni.

Lotharius divina ordinante providentia imperator Auguſtus.

DUm toto corde, tota anima, tota mente, & tota virtute, in his quæ Deo cara ſunt vitam noſtram extendere, & actus noſtros ad placendum illi informare cupimus, & amore ipſius, eccleſiam, quæ eſt ſponſa, & corpus ejus, honorare, & in ſublime ferre omni conamine quærimus: ad aures ſerenitatis noſtræ perductum eſt, agente hoc maxime venerabili & noſtræ celſitudini devotiſſimo pontifice Remigio, quomodo ſancta Lugdunenſis eccleſia aliquando ditiſſima, & rebus late florentiſſima, & religione præclariſſima fuerit, pontificibus ejus in hoc maxime ſtudium impendentibus, ut non modo Deo fecunda, generoſa filiis exſiſteret, verum & facultatibus & potentia ſæculi ad faſtum mundi comprimendum opulentiſſima redderetur: at cauſis diverſo ordine procurrentibus actum ſit, ut res quæ olim ad gloriam ipſius cumulatæ undique in eam profluxerunt, diviſæ & diſtractæ multis generibus minuerentur. Quæ res pietatis noſtræ animum eo promovit, ut, inquantum gratia omnis largitoris boni valeremus, ad primum ſtatum eam reparare niteremur. Manentibus ſiquidem in ipſa ſanctis ſtudiis, & adhuc pia religione, quæ adprimis illi decorem ferrent, cui martyrum pretioſiſſimæ memoriæ, & numeroſiſſimi trophæi, ſanctorumque illius glorioſiſſimi provectus ad tutelam, ad incitationem omnis virtutis, ad doctrinam ſinceræ fidei abundare noſcuntur, rebus exterioribus, etſi paulatim voluntate hominum defluentibus, minorata etiam uſque ad ultimum, niſi temperaſſet pietas divina, haberetur. Ut ergo tanti boni participes, fautores, auctores, ſublevatores, ſicut ubique deſideramus, propter omnipotentis Dei gloriam, eſſemus, & ut ſancta ſtudia in ea amplius valerent, ad imperium noſtrum, & auguſtam ſerenitatis noſtræ memoriam ſubvehendam, viſum eſt dignationi noſtræ dono

& lar-

& largitione rerum noſtrarum eam nunc ad præſens aliquantulum promovere ; quod donec ad primam formam , ſi poſſibile ſit , perducatur, ſemper propter venerationem loci & pontificis , ubi opportunitas ſe dederit , idipſum animo reſidebit . Conferimus itaque ipſi ſacræ & primæ Gallorum eccleſiæ , pio animo, promptiſſima voluntate, ſimplici corde, quod deinceps omni tempore firmum & ſtabile permanere cupimus, cœnobium , cum ſuis omnibus ad illud pertinentibus , in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſub invocatione beati Martini epiſcopi & confeſſoris conſtructum , quod Saviniacus publice vocatur . Quam donationem, liberaliſſime a pietate noſtra profectam , ita reverentiſſimæ matri eccleſiæ Lugdunenſi in diſrupto tempore ad ſolatium & honorem ſui, manere volumus , ut habitatores loci ipſius , vita, doctrina , & ſubminiſtratione rerum neceſſariarum , ordinante & diſponente viſcera maternæ pietatis, & ſancto pontifice ipſius, ſalvo privilegio diœceſeos, eis imperante , meliores & utiliores abinde efficiantur, ne detrimentum ex ſubditione , ſeu donatione tali , in aliquo ſibi proveniſſe lugeant , ſed ad deſiderium noſtrum & cumulum remunerationis, fructum ſui profectus & gratiam vitæ melioris inde ſibi accreviſſe perpetuo lætentur. Ut autem manere noſtra donatio, & pietatis noſtræ collatio , & edictum noſtræ præceptionis cunctis annorum curriculis firmum & inconvulſum poſſit, nec a quoquam violari ullo modo præſumatur, magnitudinis noſtræ annulo cum roboratione etiam manuum ſubter imprimere, & munire ad durabilem ſtabilitatem juſſimus .

Donatio monaſterii Saviniaci.

Signum Lotharii ſerenißimi Auguſti .

Ilrodmundus notarius ad vicem Hilduini recognovi .)

Data II. Idus Septembris, anno, Chriſto propitio, domini Hlotarii imperatoris in Italia XXXIII. & in Francia XII. indictione XV. Actum in villa Gherniaco in Dei nomine feliciter . Amen .

CXIV. Prima ergo Gallorum eccleſia dicta eſt, non ex eo quod aliquam præ ceteris ſedibus metropoliticis jur id ſtionis prærogativam obtineret : cum ex ſubſcriptionibus Gallicanarum ſynodorum pateat epiſcopos Lugdunenſes , ut in quibuſdam potiores , ita in quamplurimis poſteriores partes tenuiſſe. Attamen poſt excitatam de primatu Galliarum ab Antegiſo Senonenſi controverſiam , Cabilonenſis Synodus ſecunda , Lugdunenſis ſane provinciæ , Aurelianum Lugdunenſem *primatem omnium Galliarum* vocavit , in decreto de purgatione Gettredi monachi anno 894. Etenim incenſa ſe[illegible] ſedium contentio ingenia provincia[illegible] ſedis incitavit ad amplificandum eccleſiæ ſuæ ſplendorem. Senonenſis eccleſia delegationem apoſtolicæ ſedis per intervalla impetrabat , ut decus olim ea ratione partum quoquomodo ſervaret . At Lugdunenſis veterum monumentorum & hiſtoriæ fidem ſolicitabat , ut dignitatem ſuam tueretur . Tunc opportune prodiit in lucem collectio Iſidori , qua Clementis & Anacleti epiſtolæ , & notitia provinciarum illi adjuncta continebantur . Hinc collegit Synodus Cabilonenſis primatum Galliarum deberi Lugdunenſi eccleſiæ, eam opinionem tranſmiſit in poſteros , quam ſcripto ſuo publicavit beatus Odilo abbas Cluniacenſis in vita ſancti Majoli , circa annum 1046. Ait enim Majolum ab Antonio quodam eruciendum *ſeceſſiſſe ad urbem Lugdunenſem , philoſophiæ nutricem & matrem, & quæ totius Galliæ ex antiquo more, & eccleſiaſtico jure , non immerito retineret arcem* . De jure loquitur , non autem de facto : nondum enim collata fuerat primatus dignitas a Gregorio VII. Quare non erat cur ſe in tantas anguſtias conjiceret vir eruditus , qui exiſtimat contra omnium codicum fidem Odilonem iſtum alium eſſe ab abbate Cluniacenſi , qui obiit anno 1048. & poſteriorem Gregorii VII. reſcripto . Quoniam , inquit , auctor vitæ Majoli meminit in eo opere Guilielmi abbatis , *qui nuper rebus humanis exceſſit* . Atqui , ſubſumit ille , Wilielmus abbas Cluniacenſis obiit anno 1079. III. Idus Januarii , tribus menſibus poſt reſcriptum Gregorii . Erat dupliciter . Wilielmus abbas , de quo loquitur Odilo , eſt Divionenſis , qui obiit anno 1045. tribus annis ante Odilonem Cluniacenſem . Wilielmus autem Cluniacenſis vitam exuit anno 1179. ita ut ſuperiori calculo viri eruditi deſit numerus centenarius . Tanta erat ſancti Odilonis abbatis Cluniacenſis auctoritas , ut facile Gregorius VII. ſibi juſtum eſſe perſuaſerit , & in gratiam Lugdunenſis eccleſiæ decreverit , quod Odilo præjudicio ſuo ex opinione recepta conſtituendum præſcripſerat : eo temperamento tamen adhibito , ſcilicet ut in quatuor Lugdunenſes provincias , non autem per univerſam Galliam , primatum illi confirmaret .

In ſynodis nunc prior nunc poſterior ſubſcribit Lugdunenſis epiſcopus Primas omnium Galliarum dicitur in Cabilonenſi ſyno

Idem docuit Odilo abbas Cluniacenſis.

Qui explicatur, a aſſerturi eſſe auctor vitæ beati Majoli.

Ex recepta ſententia Gregorius VII. primatum Lugdunenſem conſtituit.

CXV. Decretum Gregorii ſtatim Rodulphus Turonenſis archiepiſcopus amplexus eſt , de quo illi gratulatus eſt Gebuinus Lugdunenſis , data ad eum ea de re epiſtola , quæ edita eſt in auctario bibliothecæ patrum , ante Flodoardi hiſtoriam Remenſem . Sed Richerius Senonenſis omni contentione reluctatus eſt , alienum exiſtimans a dignitate eccleſiæ ſuæ , cui primatus Galliarum olim delatus fuerat ab apoſtolica ſede , quemadmodum diximus num. 55. ſi ad colendam Lugdunenſem eccleſiam demitteretur . Itaque ad revincendam illius pertinaciam opus fuit judicio Claromontanæ ſynodi , quod poſt varias Richerii præſentis ludificationes , ab Urbano II. promulgatum eſt , cujus exemplar nunc primum ex manuſcripto codice Lugdunenſi damus . Huic ſententiæ ſe paritaros Senonenſis eccleſiæ ſuffraganei epiſcopi ore proprio profeſſi ſunt : renuens vero Richerius , uſu palli , & obedientia ſuffraganeorum muſtatus eſt , quandiu in contumacia perſtaret . Idem judicium latum in Rothomagenſem epiſcopum abſentem , niſi intra tres menſes ſubjectionem debitam polliceretur , quam ſuffraganei illius eccleſiæ epiſcopi , qui præſentes aderant , ſtatim ſponderunt . De hac palli abſtentione Richerio irrogata intelligendus eſt Ivo Carnotenſis in epiſtola 30. ad Richerium . Ubi ait mandatam ſibi in urbe Montiſpeſſulani ab Urbano tunc Romam repetente de Pariſienſis epiſcopi electione cognitionem , & permiſſam Richerio Senonenſi electi ordinationem , cum pallii uſu in eo miniſterio . *Mando vobis ex parte domini papæ , ut ſi Pariſienſis eccleſia eum* (id eſt Guilielmum) *ſibi ordinari & conſecrari poſtulaverit , ante feſtum S. Remigii , ſecundum auctoritatem & conſuetudinem eccleſiæ veſtræ , ei manum imponatis , & honore palli ad tempus vobis interdicto in ejus ordinatione & conſecratione uti nullatenus formidetis . Sic enim dominus papa mihi conceſſit apud Montempeſſulanum , cum ad petitionem regis , de ejuſdem Guilielmi electione tractaretur , & poſt multam ventilationem , ejuſdem electionis diſcuſſio mihi a domno papa commiſſa fuiſſet* . Conqueſtus eſt de hoc judicio Synodi Clarmontanæ Richerius apud Ivonem Carnotenſem ſuffraganeum eccleſiæ Senonenſis , & juris canonici peritiſſimum . A quo conſilium retulit prudentia plenum , ſcilicet ut rei judicatæ interim pareret , donec inſtrumentis authenticis libertatem eccleſiæ ſuæ docere poſſet : *Non eſt conſilium meum , ut contra torrentem brachia dirigatis ; imo apoſtolicis ſanctionibus interim acquiſcatis , abſque præjudicio privilegiorum , vel authenticarum ſcripturarum , ſi quando reperiri poterunt , quæ hanc ſubjectionem ab eccleſia veſtra removeant , & ejuſdem eccleſiæ libertatem defendant* . Refpuit admonitionem Richerius , Ivonemque in eam neceſſitatem adegit ; ut ſecundum Urbani in ſynodo Claromontana decretum , a Senonenſis eccleſiæ reverentia ſibi interdicta , tantiſper diſcederet . Unde cum Aurelianenſis eccleſia Sancionem ſibi præficiendum epiſcopum elegiſſet , & a Richerio evocatus fuiſſe Ivo pro electi ordinatione ad Caſtrum Nantonenſe , (hodie *Chaſteauiandon*) noluit parere mandato . Hæc ſunt ejus verba epiſt. 54. *Quem cum a nobis ex admonitione Senonenſis archiepiſcopi conſecrari poſtulaſſet apud Caſtrum Nantonenſe , quod eſt extra parochiam Senonenſem , omnino recuſavimus , propter primatum Lugdunenſis eccleſiæ , quem irrationabiliter refutat iſta ſedes , & interdictum ſedis apoſtolicæ* . Itaque Ivo ipſe cum aliis provinciæ epiſcopis manum impoſuit electo , precibus Aurelianenſis eccleſiæ & regis motus . Hugo Lugdunenſis tunc legati vices agebat in Gallia , qui non ratione quidem primatus , ſed jure legationis , ad ſe de perſona electi ante omnia referri debere contendebat , teſtimonio petito ex Leonis epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem : ſed excepit Ivo, id juris conceſſum Anaſtaſio, privilegio perſonali , non autem omnibus legatis indultum generali decreto .

Conqueritur Richerius.

Conſilium Ivonis.

Qui renuenti adverſatur

Diſputatio Ivonis cum Hugone legato.

CXVI. Majoris momenti negotium emerſit poſt Richerii obitum , qui accidit anno 1096. quod Ivonis diligentiam excitavit , ad tuendam Senonenſis eccleſiæ dignitatem . Electo enim Daimberto , Hugo primas Lugdunenſis & legatus in Gallia , eum ſibi ante ordinationem exhiberi , & ut primati Lugdunenſi ſubjectionem debitam profiteri debere contendebat , miſſiſque literis ad provinciæ epiſcopos , ut a conſecratione manus abſtinerent , dicere jubebat . Paritum eſt interim legati man-

Alia cum eodem, ut primate, de Daimberto Senonenſi electo.

mandato: ſed reſcripſit Ivo epiſt. 60. perſonalem illam exhibitionem ante ſuſceptum conſecrationis munus nulli primati deberi ex more. Sed neque legatis jus illud competere, niſi electus alicujus criminis reus delatus ſit. Quare petiit ut permitteret liberam illius ordinationem provincialibus epiſcopis. Hugone deſtinatis pertinaciter adhærente, Ivo ea de re certiorem fecit Urbanum papam epiſtola 65. *De Senonenſi electo, cujus conſecratio a legato veſtro Lugdunenſi archiepiſcopo ob hoc impeditur, quia ei jure primatus ſui ante conſecrationem ſuam obedientiam non profitetur, quid nobis agendum ſit reſcribat veſtra paternitas. Cum enim nullia aliquo accuſante alia cauſa prætenderetur, propter quam ejus conſecratio differretur, eo tamen jubente propter reverentiam veſtram, manus ab ejus conſecratione continuimus, cum de profeſſione a metropolitanis primatibus facienda nihil ieganus conſuetudine firmatum, vel legibus inſtitutum: ultra quas metas nihil conceſſum eſſe primatibus teſtatur papa Nicolaus.*

An metropolitanus ante confecrationem teneatur ſiſtere ſe coram primate.

Deciſa ejus controverſia.

CXVII. Quis autem fuiſſet hujus controverſiæ exitus, pene incompertum erat. Id tantum habebamus, quod Goffridus abbas Vindocinenſis epiſtola ſua docuerat Ivonem ſe fama accepiſſe, exhibitam a Senonenſe obedientiam Hugoni primati Lugdunenſi, prætermiſſo Ivone, qui tantopere pro Senonenſi eccleſia laboraverat. Totius vero negotii ſeriem debemus epiſtolæ Urbani II. quam hic ſubjicimus ex manu ſcripto codice Lugdunenſi. Unde diſcimus, Daimbertum ab Urbano ipſo Romæ conſecratum, ſine ulla conditione: deinde poſt aliquot menſes Romam evocatum ad ſynodum, ubi diſcuſſo negotio, contradicto judicio primatus Lugdunenſis firmatur, anno 1099. & Daimbertus pollicetur ſe intra breve tempus ad primatem acceſſurum, profeſſurumque debitam obedientiam. Quod præſtitit bona fide, ut probatum eſt ex Goffrido: cui addi poteſt teſtimonium Joannis Lugdunenſis, apud Ivonem epiſtola 237. Urbani autem epiſtola ita ſe habet:

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri & coepiſcopo Hugoni Lugdunenſi primati ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Urbani II. decretum, quo controverſia de primatu dirimitur.

PRo querela, quam adverſus Senonenſem eccleſiam & prædeceſſorum tuorum & tua hactenus fraternitas vehementer exercuit, quantis contentionibus, quantis clamoribus, & noſtro, & anteceſſorum noſtrorum tempore ſedes apoſtolica interpellata ſit, non eſt neceſſarium memorare: quoniam & anteceſſorum noſtrorum ſcripta indicant, & conciliorum, quæ nos auctore Deo in Galliis celebravimus, communis memoria proteſtatur. Ea ſiquidem cauſa in plenario Arvernenſi Concilio tractata ac definita eſt. Et cum Richerius Senonenſis archiepiſcopus ſynodali definitioni minime acquieviſſet, in Turonenſi pariter ac Nemauſenſi concilio per tuam eſt induſtriam repetita; & ſupradictus quidem Richerius pro ſua pertinacia interdictus obiit, ſuffraganeis ejus tibi tamquam primati & ſynodali judicio obedientiam jam profeſſis. Frater autem noſter Daimbertus, qui eidem nunc eccleſiæ diſponente Domino præſidet, ſicut tibi noſtris ſignificatum eſt literis, ſub eadem querela per miniſterium meum gratiam conſecrationis accepit. Nuper autem, cum ad apoſtolorum limina, tam pro ejuſdem cauſæ actione, quam pro communi ſynodica vocatione, rediiſſet, præſentibus legatis tuis, Iſmeone Dienſi epiſcopo, Girino decano, & item Girino capellano, ſedis apoſtolicæ cogente judicio, omni demum tergiverſatione ceſſata, in manu noſtra profeſſus eſt ſe & Lugdunenſis eccleſiæ ſuper Senonenſem primatum agnoſcere & de cætero tibi tuiſque legitimis ſucceſſoribus tanquam primatibus obedire. Similiter etiam pollicitus eſt, ſtatuto a nobis tempore, id eſt uſque ad proximam beati Dionyſii ſolennitatem, ſe ad vos venturum, & in conſpectu Lugdunenſis eccleſiæ idipſum ore proprio profeſſurum, niſi canonicum impedimentum evenerit: quo tranſacto infra triginta dies idipſum implere curabit. Sic enim vicariis veſtris, per eos tibi ac Lugdunenſi eccleſiæ in manum aſſignavimus, præſentibus fratribus noſtris, quorum infra ſcripta ſunt nomina; Anſelmo videlicet Cantuarienſi, Leodegario Bituricenſi, Amato Burdigalenſi, archiepiſcopis; Gualterio Albanenſi, Odone Oſtienſi, Guntardo Fundano, Leutaldo Silvanectenſi, epiſcopis; Nunerio de titulo ſancti Clementis, Teuzone de titulo ſanctorum Joannis & Pauli, Joanne de titulo ſanctæ Anaſtaſiæ, noſtræ ſedis apoſtolicæ presbyteris cardinalibus; Petro Leonis, Joanne Frejapane, Romanis proceribus. Tua ergo fraternitas, quid apoſtolicæ ſedi debeat, propenſiori deinceps, & amoris & obſequii exhibitione perpendat.

Datum Romæ apud beatum Petrum, per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, indictione ſeptima, VIII. Kalendas Majii, anno dominicæ incarnationis MXCIX. pontificatus domini Urbani papæ XII.

Primatus dignitatem auferre conantur Lugdunenſes, ſed excludunt.

CXVIII. Conſtituto primatu, archiepiſcopi Lugdunenſes aliquoties abuti tentarunt, fines ejus ultra quam par eſſet porrigendo. Primus gradus factus eſt ab Hugone, ut jam diximus, qui electum Senonenſem metropolitanum, antequam a provincialibus epiſcopis ordinaretur, ſibi exhiberi cupiverat: ſed excidit ab ea petitione, Urbani II. judicio. Secundam controverſiam movit Joannes Lugdunenſis, qui de inveſtituris laicorum concilium indixit apud Anſam; & tractoria ſua Senonenſem, & ceteros illius provinciæ epiſcopos, evocavit ad ſynodum: qui conatum illum, ſcripta ab Ivone uno ex collegis omnium nomine epiſtola repulerunt; aſſerentes epiſcopos ad alienæ provinciæ concilium trahi non poſſe, niſi aut ex mandato ſedis poſtolicæ, aut in cauſa appellationis, ſi una ex provincialibus eccleſiis primam ſedem appellaret. Contendebat quidem Joannes, primam provinciam non eſſe a ceteris alienam, imo potius ex quatuor Lugdunenſibus unam ſolidam confici provinciam. Attamen obtinere non potuit quod tantopere ambiebat, ob certam illam regulam, quæ illius voto erat contraria, nempe nihil licere primatibus, quam quod iis ex veteri inſtituto indultum eſt, ſcilicet ſolum appellationis judicium. Hæc ſunt illius epiſtolæ verba, quæ eſt 236. inter epiſtolas Ivonis: *Nuſquam reverenda patrum ſanxit auctoritas, nuſquam hoc ſervare conſuevit antiquitas, ut primæ ſedis epiſcopus epiſcopos extra provinciam propriam poſitos invitaret ad concilium, niſi hoc aut apoſtolica ſedes imperaret, aut una de provincialibus eccleſiis pro cauſis, quas intra provinciam terminare non poterat, primæ ſedis auctoritatem appellaret.* Citat Nicolaum: mox addit; *Huic ſententiæ concordant Clemens & Anacletus, qui poſt apoſtolos ordinaverunt, in quibus civitatibus eſſent primæ ſedes, in quibus metropolitanæ: ſtatuentes ita demum judicium epiſcoporum ad primates eſſe referendum, ſi ad eorum audientiam fuerit appellatum.*

Nihil licet primatibus præter appellationis judicium.

Senonenſis diſceſſio a primate.

CXIX. Non ſolum autem injuſtis conatibus Lugdunenſium Senonenſis provincia obtinebatur: ſed etiam a colenda ſede Lugdunenſi tandem receſſit. Quod probamus ex epiſtola Humberti Lugdunenſis, qui ſedit anno 1149. Evocatus enim a Sugerio abbate ſancti Dionyſii, qui Ludovici regis in tranſmarinis partibus verſantis vices gerebat, ad conventum regni in urbe Carnotenſi provinciæ Senonenſis, ubi de orientalis eccleſiæ ſubſidiis deliberatio ineunda erat, reſpondit ſalva dignitate eo ſe conferre non poſſe, ob contumaciam Senonenſis epiſcopi, qui primatum Lugdunenſem reſpuebat. *Verum quia nos*, inquit, *pro officio & pro jure primatus ex parte domini regis, & optimatum regni, ad colloquium, quod apud Carnotum celebrari debet, invitaſtis, ſciat caritas veſtra, quod, donec Senonenſis archiepiſcopus in eadem cauſa primatus nobis derogare non veretur, & apoſtolicis mandatis contumax & rebellis exiſtit, pudor nobis eſt ad illas progredi partes, ubi domino papæ contradicitur, & Lugdunenſis eccleſia debito honore fraudatur.* Querela de ſolius eccleſiæ Senonenſis contumacia ſatis probat Rothomagenſem & Turonenſem officio ſuo non defuiſſe. Quare in univerſum ex hac epiſtola colligi non poteſt, primatum Lugdunenſem in Gallia tunc abolitum fuiſſe. Quin potius ea tempeſtate celeberrimorum virorum ſcriptis inclarescebat, tum Petri venerabilis, qui *primatem & patriarchem* vocabat epiſcopum Lugdunenſem, tum beati Bernardi, Ottonis Friſingenſis & aliorum.

Non abolitus erat in Gallias primatus.

Philippi regis epiſtola explicatur de ſolo Bituricenſi primatu in Gallia.

CXX. Attamen aliqui hoc ſibi perſuadent ex epiſtola Philippi Auguſti regis, qui ad Innocentium III. ſcribens his verbis utitur: *Sola Bituricenſis eccleſia in toto regno*

regno noſtro primatiæ obtinet dignitatem. Alia eſt mens regis: quæ ut aperiatur, obſervandum eſt illis temporibus, ſcilicet anno 1212. Lugdunenſem civitatem imperii jura coluiſſe, licet ager Lugdunenſis cis Ararim regno Galliarum accenſeretur; quod, ex antiqua diviſione inita inter filios Ludovici Pii, Rhodano, Arari, Moſæ parte, & Scaldi terminabatur. Excitato deinde Burgundiæ regno, Lugduni ſolida ejus civitas illi contributa eſt, & inter proceres ejus regni, quod poſtea Arelatenſe dictum eſt, archiepiſcopus locum obtinuit, ut patet ex Boſonis & Ludovici ejus filii inaugurationibus, aliiſque publicis actis. Unde Henricus III. imperator Adelricum Lugdunenſi eccleſiæ archiepiſcopum præfecit anno 1040. ex Glabro libro 5. cap. 4. Fredericus I. collatam a deceſſoribus ſuis, poſt adjunctum imperio Arelatenſe regnum, donationem jurium regalium, tam in urbe quam ejus agro trans Ararim, confirmavit, anno 1157. juſſitque ut Heraclius archiepiſcopus Lugdunenſis, *Exarchon & ſummus princeps palatii Burgundiæ* nuncuparetur. Conceſſit ergo Heraclio, ut edicti verbis utar, *totum corpus civitatis Lugdunenſis; & omnia jura regalia per omnem archiepiſcopatum citra Ararim* (loquitur ratione habita loci, ubi tunc conſiſtebat) *in omnibus rebus quæ ad Lugdunenſi epiſcopatu ad imperium pertinent.* Guigo comes Lugdunenſis & Forenſis ægre tulit hanc donationem, belloque illato archiepiſcopum Lugduno expulit, & ad Carthuſiam portarum aufugere coegit, ut notat quidam ſcriptor illius ætatis apud Surium. Tandem conventione invicem habita anno 1167. omnia jura in civitate communia habuerit. Anno vero 1173. idem Guigo ceſſit eccleſiæ quidquid juris ſibi competebat Lugduni, & in maxima parte ejus pagi cis Ararim. Ipſe autem ab eccleſia plures pagos recepit, permutationis nomine; quæ confirmata eſt ab Alexandro III. pontifice, & a Philippo Auguſto rege Galliarum. Dubitandum non eſt quin dignitas comitatus Lugdunenſis, quæ tunc erat penes Guigonem comitem, in eccleſiam Lugdunenſem translata fuerit, ſolufque comitatus Forenſis titulus Guigoni ſervatus. In eam rem deſcripta ſunt in permutationis inſtrumento hæc verba: *Caſamentum eccleſiæ a comitatu ſeparari non poteſt.* Vox iſta *Caſamenti* apud Ivonem & alios auctores occurrit, quæ prædia feudi nomine poſſeſſa ſignificat: atque adeo hic demonſtrat comitatus prærogativam prædiis & juribus feudalibus Lugdunenſi eccleſiæ ceſſis, tam in civitate, quam in ejus pago, conjunctim fuiſſe. Prædia illa cis Ararim ſita regiæ juriſdictioni ſubjiciebantur, civitas vero Lugdunenſis paulatim ad jus regni rediit, tuitione beati Ludovici regis a civibus adverſus archiepiſcopum interpellata, qui motus exortos arbitrio ſuo compeſcuit anno 1269. Eadem cura exercuit Philippum III. ejus filium: quæ derivata eſt in Philippum IV. qui tuitionem in dominium aperte vertit, non invita civitate, quæ opem adverſus archiepiſcopum provocatione facta imploravit anno 1290. Ex prædictis patet anno 1212. recte a rego Philippo Auguſto obſervatum, ſolam Bituricenſem eccleſiam in regno primatu potitam, quia illa ætate Lugdunenſis eccleſiæ ſedes ſita erat in finibus imperii. Tandem regia juriſdictio pleno jure Lugdunum amplexa eſt, ſuffragante archiepiſcopo & capitulo, iis conditionibus quæ tranſactionis inſtrumento continentur, quod ſcriptum eſt anno 1312. Earum una, comitatus Lugdunenſis dignitas eccleſiæ ejus civitatis confirmatur; licet juriſdictio inferior ſoli archiepiſcopo aliis literis concedatur: ab ea depulſis canonicis, quos licet invitos & ſæpius deinde conquerentes, juriſdictione civitatis, exceptis clauſtrorum ſeptis, privarat olim; ſervato comitatus titulo. Gregorius X. anno 1274. arbiter electus a civibus & eccleſia. Nihilo ſecius tamen comitatus titulum & cetera jura comitum canonici hucuſque ſervarunt. Unde hoc anno 1643. die 25. Septembris cognitione habita adverſus ſyndicum civitatis antiqua comites ſe Lugdunenſes nuncupandi poſſeſſio illis confirmata eſt decreto regii conſiſtorii.

Lugduni civitas regno Burgundiæ & imperio adſcripta.

Ejus dominium eccleſiæ ceſſum.

Cum dignitate comitatus.

Auctoritas in civitatem regibus Galliæ reſtituta.

Canonici comites Lugdunenſes.

CXXI. Altera ex conditionibus, primatus auctoritas in regno ſtabilita eſt: eo enim inſtrumento Lugdunenſis eccleſia *regni primam ſedem inter ceteras Galliarum eccleſias obtinere* a rege aſſeritur. Regii præſidii is fuit effectus ut Senonenſis eccleſia primatum a Romanis pontificibus conſtitutum, quemadmodum duæ reliquæ provinciæ, non tamen ſine controverſia aliqua deinceps agnoverit, in dirimendis appellationibus. Solus Rothomagenſis archiepiſcopus ſuperioribus annis a Lugdunenſi eccleſiæ obſequio recedere cœpit, ſeque primatem Normanniæ nuncupare; ita ut provocatio ab ejus judicio ad ſolam ſedem apoſtolicam interponatur. Itaque in univerſum duo quædam aſſerere licet. Unum eſt, primatus Lugdunenſis jus in ſola dirimendarum appellationum a judiciis metropolitanorum juriſdictione verſari. Alterum eſt, jus idem Bituricenſi, Burdigalenſi, Narbonenſi, & Viennenſi, licet ſe primates indigitent, extra provincias ſuas non competere; imo vero nec ulli alteri primati in Europa.

Reſtitutio primatus in regno.

De Rothomagenſi primate.

Jus primatis Lugdunenſis.

CXXII. Expoſita primatus Lugdunenſis hiſtoria, quædam dicenda ſunt de Viennenſi primatu hactenus a nobis omiſſo, præſertim, cum ejus eccleſiæ ſocietatem cum Lugdunenſi nobis exhibeat antiqua illa epiſtola ab Euſebio laudata. De Viennenſi civitate, & provincia ſub Romanis principibus abunde dictum eſt: id unum reſtat, ut dignitatem ejus recentiorem non reticeamus. Ex Odilone in vita Adelaidis, Vienna dicitur *ſedes regni Burgundiæ*, ejuſque archiepiſcopus, comes & cancellarius regni. Comitatum Viennenſem archiepiſcopis donavit Rodulphus III. rex Burgundiæ, anno 1023. eiſdemque Fredericus I. contulit anno 1157. ut eſſent in regno Burgundiæ, *ſacri palatii archicancellarii*. Sed inſigniori privilegio ejus civitatis archiepiſcopos ornavit anno 1020. Calliſtus II. pontifex Romanus, qui genus ducens ex domo regia Burgundiæ, ejus regionis illuſtrandæ, quemadmodum eccleſiæ Viennenſis ſponſæ quondam ſuæ, curam gerebat. Illis ergo tribuit primatus auctoritatem in ſeptem provincias, Viennenſem, Bituricenſem, Burdigalenſem, Auſcitanam, Narbonenſem, Aquenſem, & Ebredunenſem. Et ne in ſimiles controverſias incideret iis quæ moræ fuerant Lugdunenſi archiepiſcopo, præter dignitatem illam primatus, vices apoſtolicæ ſedis illis contulit, mandata ſpecialiter ſynodos indicendi poteſtate, & negotia eccleſiaſtica canonice dirimendi. Hæc ſunt verba: *Nos quoque auctore Deo concedimus, & præſentis privilegii pagina confirmamus, ut videlicet ſuper ſeptem provincias primatum obtineat; ſuper ipſam Viennenſem, ſuper Bituricam, Burdigalam, Auxitanam, quæ Novempopulana dicitur, ſuper Narbonam Aquenſem, & Ebredunenſem: & in eis Viennenſis archiepiſcopus Romani pontificis vices agat, ſynodales conventus indicat, & negotia eccleſiaſtica juſte canoniceque definat.*

Ejus primatus in ſeptem provincias a Calliſto.

CXXIII. Quærer aliquis, quam regulam ſecutus Calliſtus, hos fines primati Viennenſi circumſcripſit. Plane ad veterem diviſionem Gallicanæ diœceſeos in Galliis, & ſeptem provincias reſpexit, quarum conventus quotannis Arelate ſi bat ex conſtitutione Honorii. Etenim ſeptem provinciæ a Calliſto deſcriptæ reſpondent ſeptem provinciis, de quibus diximus num. 65. Occaſionem autem arripuit ſubjiciendi ſeptem illas provincias eccleſiæ Viennenſi, quia in Notitia, in capite illarum ſeptem, deſcripta eſt Viennenſis provincia, una cum ejus metropoli, quæ eſt *civitas Viennenſium*. Quare Calliſtus conjecit tam ſibi liberum eſſe ut Viennam ſeptem provinciis præficeret, quam deceſſoribus ſuis licuerat Lugdunum præficere iis provinciis quæ Lugdunenſes dicebantur in Notitia. Porro, ne nova videretur hæc inſtitutio (a Silveſtro I. & aliis pontificibus Romanis ejus originem arceſſit; quorum ſuppoſititia reſcripta edita ſunt a Joanne Boſco, ubi ex Romano catalogo ſeptem provinciæ ſubjici dicuntur Viennæ; ut notatur in calce ſuppoſititii reſcripti Silveſtrini. Tarantaſiæ autem archiepiſcopum, qui præpoſitus erat provinciæ Alpium Penninarum extra ſeptem illas poſitæ, ſubjecit Viennenſi, ut primati, exemplo Leonis I. & Symmachi. Ex hoc Calliſti decreto inſtitium ſumpſit, ut exiſtimo, diviſio illa, quam aliquot exemplaria Notitiæ præferunt, in octo Viennenſes provincias: ita ut viris eruditis laborandum non ſit in alia ratione ejus diviſionis quærenda, cum Scaligero; qui vicarium prætecti prætorio Galliarum Viennæ quondam conſtituiſſe, & in octo illas provincias, jus dixiſſe, ſibi, dein ceteris, ſine ullo argumento, imo etiam contra veteris hiſtoriæ fidem perſuaſit. Cum itaque beneficio Calliſti, Bituricenſis eccleſia, quæ primatu in Aquitania potiebatur, & Narbonenſis, quæ ex Urbani II. decreto primas erat provinciæ Aquenſis, ſeu Narbonenſis ſecundæ, ſubjectæ eſſent primati Viennenſi, ipſe ſibi *primatis primatum* nomen indidit; & monetæ, quam cudi curabat Viennæ, hanc inſcriptionem adjecit: *Maxima ſedes Galliarum*. Sed nulla plane auctoritate, in vim ejus reſcripti, quod per ſubreptionem elicitum, veterum primatum inauditorum jura convellebat, archiepiſcopus Viennenſis potitus eſt. Attamen Dienſem, & Albenſem, ſeu Vivatienſem epiſcopatum, vi reſcripti illius, ab Arelatenſi provincia diſtractos, Viennenſis archiepiſcopus in ſuam provinciam adſcivit.

Ratio ſuſtituendi hujus primatus quæritur.

Origo octo Viennenſium provinciarum in Notitiis.

CXXIV. Ut autem plenius ſententiæ noſtræ veritas aſtruatur, quæ poſterioribus ſæculis primatum hodiernorum originem aſſignat, diſcutie da eſt quæſtio de Toletani & Bracarenſis primatus antiquitate, quæ opinioni noſtræ ab Hiſpanis objici poſſet. Piſaoum enim primatum non moror qui recentioris eſt inſtituti. Etenim ab Urbano II. ſedi epiſcopi Piſarum collata eſt dignitas archiepiſcopalis, & archiepiſcopo tunc conceſſa legatio in Sardinia, anno 1092. Primatum vero in provinciis ejus inſulæ Turritana, Caralitana, & Arborenſi con-

Primates ſunt recentioris inſtituti.

De Piſano.

contulit. Alexander III. Anno 1167. Quare recte quidem Pisanus ab interpretibus juris nostri dicitur *primas Sardiniæ*: sed nullo operæpretio, cum nulla jurisdictione in ea insula hodie potiatur. In Hispaniis quoque Toletanus & Bracarensis nullum jus in provincias sibi arrogant, præter nudam procedendi pompam, cum antelationis crucis: de quo privilegio simul quoque aliquot annotabimus. De Toletani primatus institutione cupiose scripsit Garsias Loaisa: sed nimiam vetustatem huic primatui affingit; quam ab initiis ecclesiæ repetit. Tantum autem civitas Toletana aberat olim a primatu, ut sub principum Romanorum imperio nondum assecuta esset metropoleos dignitatem. Quod mirum videri posset, nisi provinciarum Hispanicarum descriptione id adstrueremus. Non loquor de divisione ab Augusto præscripta in tres provincias, Tarraconensem, Bæticam, & Lusitanicam, cujus meminere Strabo, Plinius, & Ptolemæus; sed de illa partitione, quæ ex Hadriani vel Antonini instituto Hispanias in septem provincias tribuit: de qua sic Rufus in breviario: *Per omnes Hispanias seu nunc sunt provinciæ: Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, Gallicia, Bætica, insulæ Baleares. Trans fretum Africæ provincia Hispaniarum est, quæ Tingitana Mauritania cognominata.* Huic distributioni, ecclesiæ dispositio sese accommodavit; ita tamen ut Tingitana Mauritania relicta fuerit synodis Mauritaniæ Cæsarienſis, quemadmodum monuimus numero 92. Insulæ quoque Baleares, in quibus una tantum erat civitas, Tarraconensi provinciæ accesserunt. Quare in quinque provincias ecclesiastica dispositio redacta est, Tarraconensem, Carthaginensem, Gallicam, Bæticam, & Lusitanicam, ut patet ex epistola Siricii ad Himerium Tarraconensem in calce epistolæ, ex epistola Leonis primi ad Turibium, ex regula fidei, quæ subjuncta est concilio Toletano primo, & ex concilio Bracarensi I. Tarraconensis provinciæ metropolis fuit Tarraco, Gallicæ Bracara, Lusitaniæ Emerita, Bæticæ Hispalis, Carthaginensis vero provinciæ Carthago (hodie Carthagine) olim ab Afris condita. Nomen ipsum, quod provincia a civitatis nomine fortita est, satis docet caput & matrem urbium ejus regionis fuisse Carthaginem. Sed præter demonstrationem illam exstat testimonium perspicuum in subscriptione concilii Tarraconensis I. habiti anno 517. ubi subscribit Hector episcopus Carthaginensis metropolis. Eversa deinde penitusque deleta fuit Carthago a Gothis, ut notat Isidorus Hispalensis libro 15. Originum: quæ clades illata est a Suevis anno 461. qui, teste Idacio, Bæticam & Carthaginensem provincias *magna depræ dationc subverterunt*. Excidium illud provinciæ Carthaginensis synodo occasionem dedit transferendæ dignitatis metropolitanæ in civitatem Toletanam, ubi Gothorum reges solium regni constituerant. Quare in calce synodi Toletanæ II. anno 531. Montanus episcopus Toletanus dicitur esse in metropoli, ideoque ejus curæ mandatum ut, quando opus erit, literis suis evocet ad synodum comprovinciales episcopos. Idem Montanus in epistola ad Palentinos, ex veteri consuetudine jus metropoliticum sibi arrogat. *Præsertim*, inquit, *cum Toletanæ urbi metropolitani privilegium vetus consuetudo tradiderit*. Sine dubio immutatio hæc inducta fuerat invito Carthaginensi episcopo, qui nomen, licet inane, metropolitani Carthaginensis retinebat anno 517. & interesse nolebat synodo Carthaginensis provinciæ, sed proximiori, nempe Tarraconensi, ut diximus de Hectore. Unde in notitiis, quæ temporibus Gothorum prodierunt; Toletum quidem dicitur esse metropolis provinciæ Carthaginensis: sed in aliquibus exemplaribus civitas Carthaginis non annotatur inter suffraganeas. Quare Euphemius Toletanus episcopus veluti religione ductus, in concilio Toletano III. anno 589. non Carthaginensis provinciæ, sed metropolitanum Carpetaniæ se indigitat, quia regio Carpetana, in qua situm Toletum, pars erat Carthaginensis provinciæ. Ex ea subscriptione, cum episcopi quidam collegissent, aliam esse debere metropolitanum reliquæ Carthaginensis provinciæ, scilicet ipsum Carthaginis episcopum, rex Gundemarus, eorum conatum coacta synodo Toletana, adjunctoque suo decreto, repulit anno 610. Asserit enim Toletano episcopo collatum *honorem primatus, juxta antiquam synodalis concilii auctoritatem, per omnes Carthaginensis provinciæ ecclesias*. Deinde castigat Euphemii errorem, quod se Carpetaniæ metropolitanum inscripsisset; non autem Carthaginensis provinciæ. Mox addit: *Ob hoc, quia una eademque provincia est*, (scilicet Carthaginensis) *decernimus ut, sicut Bætica, Lusitania, vel Tarraconensis provincia, vel reliquæ, ad regni nostri regimina pertinentes*, (Gallicam & Narbonensem intelligit) *secundum antiqua patrum decreta singulos nosciuntur habere metropolitanos, ita & Carthaginensis provincia unum eumdemque, quem prisca synodalis declarat auctoritas, & veneretur primatem, & inter omnes comprovinciales summum veneretur antistitem*. Un-

De Toletano.

Divisio provinciarum Hispaniæ. Septem in ordine civili.

Quinque in ordine ecclesiastico.

Carthago metropolis provinciæ Carthaginensis.

Ex urbe exalsa.

Ad Toleti urbem est translata metropolis.

Toletanus dictus Carpetaniæ metropolitanus.

Decretum Gundemari pro metropolitano Toletano.

de patet, primatum metropoliticum in provinciam Carthaginensem collatum Toletano episcopo a veteri synodo, confirmatum illi fuisse ab altera synodo, & a rege Gundemaro. Sed de primatu in ceteras provincias nihil constitutum, imo vero earum exemplo jus Toletani episcopi in sua provincia assertum est. Quod anno quoque 646. in concilio Toletano VII. firmatum fuit, præscribendo ut evocati episcopi, scilicet illius provinciæ, ab episcopo Toletano singulis mensibus Toletum accederent, exceptis mestis & vindemiarum feriis.

CXXV. Aucta est deinde Toletani episcopi dignitas definitione synodi Toletanæ XII. habitæ anno 683. quæ jus illi tribuit probandi & ordinandi omnes Hispaniarum episcopos, quos reges Gotthorum elegissent. Sed jus appellationum a metropolitanorum judiciis illi collatum non est, ita ut vere dici possit primatum illi non fuisse indultum ea significatione qua posterioribus sæculis usurpata est. Sola illi προεδρία ex eo jure ordinationum quæsita est: qua, præter antiquum morem, usus est in quatuor reliquis conciliis Toletanis. Æquo enim jure agebat antea, cum ceteris metropolitanis, qui juxta ordinationis tempora locum suum tenebant. Unde in concilio Toletano III. primus omnium subscripsit Massona Emeritæ episcopus, provinciæ Lusitaniæ metropolitanus; secundo gradu Euphemius Toletanus, metropolitanus Carpetaniæ provinciæ, tertio loco Leander Hispalensis, metropolitanus provinciæ Bæticæ: cujus subscriptio non est movenda tertio loco, & primo reponenda, ut putant eruditi, quasi hoc deberetur Hispalensi sedi, ob vices apostolicas ledis, quas illius episcopis delegari mos erat. Ut enim certum est, vicariam potestatem datam Hispalensi episcopo a Simplicio anno 467. & deinde Salluſtio ab Hormisda, demum Leandro a beato Gregorio: ita dubitari non debet quin privilegia illa, personarum essent, non sedium; temporalia, non perpetua. Certum quoque est, legationibus illis olim non adjunctam fuisse confessus prærogativam, ut patet ex subscriptionibus Faustini in concilio Africano, & Juliani Coensis episcopi in synodo Chalcedonensi. Jus προεδρίας dabatur tantum certo generi legatorum, de quibus copiose dicemus in tractatu de legatis pontificiis. Hispaniis posthæc a Saracenorum exercitu occupatis, Toletum sub eorum jugo per 368. annos ingemuit, donec a barbaris illis urbem victor Ildefonsus VI. rex Castellæ, post diutinam obsidionem eripuit, & ecclesiam ubertimis latifundiis eo bello partis locupletavit. Tunc, id est anno 1088. Urbanus II. precibus, ut ipse loquitur, Ildefonsi regis invitatus, pallium Bernardo archiepiscopo Toletano contulit. Mox addit: *Teque, secundum quod ejusdem urbis constat exstitisse pontifices, in totis Hispaniarum regnis primatem privilegii nostri sanctione statuimus, & primatem te universis præsules Hispaniarum respicient, & ad te, si quid inter eos quæstionc dignum exortum fuerit, referent.* Tarraconensis episcopus, qui alterius regni, nempe Aragonii, majestatem colebat, novæ auctoritati submitti noluit; præsertim cum Toletanus olim nullam jurisdictionem in ceteris provinciis exercuisset: quæ tamen illi per subreptionem hoc rescripto, ut debita ex antiquo more, concedebatur. Quare, ne Tarraconensi aut reliquis metropolitis fieret injuria, Urbanus vices suas beato Toletano episcopo per universam Hispaniam & Narbonensem provinciam mandavit, altero rescripto, quod exhibet Loaisa. Sed privilegium illud personale, & ad certum tempus, jurisdictionem perpetuam in provincias Hispaniæ tribuere non potuit ecclesiæ Toletanæ: a qua exercenda semper abstinuit, ut testatur Mariana libro 9. histor. cap. 19. Attamen splendidiorem ejus dignitatem reddidit Martini V. summi pontificis rescriptum, datum anno 1422. quo Toletano episcopo iisdem privilegiis & insignibus uti concessit, quæ majoribus patriarchis competunt, quorum unum est in synodo Lateranensi sub Innocentio III. relatum, scilicet, ut *Dominicæ crucis vexillum ante se faciant ubicumque deferri, nisi in urbe, & ubique summus pontifex præsens exstiterit; aut ejus legatus, utens insignibus apostolicæ dignitatis*. cap. Antiqua. de privilegiis. Hac crucis prælatione per universas Hispanias usi sunt aliquando episcopi Toletani, quamvis renitentibus plerisque metropolitanis.

Augetur dignitas Toletani episcopi.

De legatione Hispalensis episcopi.

Cui non erat tributa consessus prærogativa.

Primatus Toletano collatus ab Urbano II.

Qua nulla jurisdictione fruitur extra provinciam.

Jus antelerendæ crucis per Hispanias illi concessum.

CXXVI. Idem jus sibi comperere contendit Bracarensis archiepiscopus, qui primatum quoque Hispaniarum sibi vindicat ex vetustissima consuetudine. Atqui, si antiquas origines repetamus, ut splendore suo non carere Bracaram reperimus, ita facile erit eam a primatu totius Hispaniæ excludere. Bracara quippe caput erat & metropolis provinciæ Gallæciæ. Callaici populi apud Strabonem, Melam, & Plinium, a fluvio Durio usque ad Astures porrecti, partem Gallæciæ tantum conficiunt, etsi nomen ex eis provinciæ integræ postea sit inditum. Adjuncti sunt Callaicis Astures, &

De primatu Bracarensi.

Bracara metropolis Galleciæ.

Ex quibus gentibus constabat Gallæcia.

Cantabri, & ex harum trium nationum conjunctione conflata eſt ab Antonino provincia Gallæciæ, ſive Callaicorum, ut eos effert Siricius in epiſtola ad Himerium. Id docent, præter notitiam provinciarum Hiſpaniæ, Oroſius & Idacius. Illius hæc ſunt verba lib. 6. cap. 21. *Cantabri & Aſtures Gallæciæ provinciæ portio ſunt, quæ extentum Pyrænei jugum haud procul, ſecundo Oceano, ſub Septemtrione deducitur.* Idacius vero Bracarum, Lucum, & Aſturicam, Gallæciæ paſſim aſſignat, ad Olymp. 306. 309. & 310. Suevorum reges pulſis Romanis eam Gallæciæ provinciam ſui juris fecerunt, conventuſque ſuos frequenter habuerunt in urbe Luco, quæ in itinerario Antonini Lucus Auguſti dicitur, & ab ea conventus Lucenſis apud Plinium. Theodemiro Suevorum regi placuit Gallæciam in duas partes dividi: quarum unius caput eſſet Bracara: alterius vero Lucus. Ea diviſio decreta fuit a ſynodo Bracarenſi anno 563. ita ut metropoli Bracaræ ſubjicerentur, Portucale, Lamecum, Conimbria, Viſeum, Egiditania, (cujus ſedes translata eſt Guardiam) & novus epiſcopatus Dumienſis, ex Dumio monaſterio excitatus, in gratiam Martini Bracarenſis, qui veterem collectionem canonum edidit, Lucenſi vero metropoli tributæ Auria, Aſturica, Iria, (cujus dignitas Compoſtellæ acceſſit) Fudis, Britonia ſive Ovetum. Sub Receſvintho rege Gotthorum in Emeritenſi concilio, anno 666. redactæ ſunt metropoles Hiſpaniarum ad numerum antiquum quinarium: dejecta civitate Lucenſi a dignitate metropoleos: ita tamen ut Conimbria, Viſeum, Lamecum, & Egitania reſtitutæ fuerint Emeritæ metropoli provinciæ Luſitaniæ, unde reciſæ fuerant olim a regibus Suevorum. Diſtractas plane fuiſſe oportuit quatuor illas civitates a Luſitania veteri, præter quam quod enim ſynodus Emeritenſis id teſtatur, idem ex Idacio colligere licet, qui Bracaram, in finibus Gallæciæ provinciæ ſitam fuiſſe docet: quod alienum eſſet a vero, ſi quatuor illæ civitates ultra Bracaram, & Durium fluvium poſitæ, ad Gallæciam pertinerent. Quare ut ſplendore metropolitico antiquitus clara fuit Bracara, & cereris quatuor Hiſpaniarum metropolibus æqualis; ita nulla ratione illis fuit potior, nec ſuperioribus ſæculis, nec poſterioribus: præſertim cum nullo apoſtolicæ ſedis privilegio fulta reperiatur, quo primatum ſibi quemdam vindicare poſſit. Id unum dici poteſt, eam eccleſiam olim Toletano primatui cedere noluiſſe, eaque de re litem motam coram Innocentio III. cujus meminit *c. Coram. De in integr. reſtit.* ſed primatum Hiſpaniarum non ideo exambivit, quem tamen hodie magno uſu cum jure crucis elatæ geſtandæ ſibi aſſerit; eo colore quæſito, quod beatus Jacobus in Hiſpaniam adventans, Bracaræ primum epiſcopum præfecerit; qua de re copioſe ſcripſit vir eruditione clarus Auguſtinus Barboſa.

Paroit Suevis A quibus diviſa in Bracarenſem & Lucenſem.

Lucenſis provincia ſuppreſſa.

Quatuor civitates reſtitutæ Luſitaniæ provinciæ.

Nullus fuit primatus Bracarenſis.

CXXVII. Similis controverſia Cantuarienſem, & Eboracenſem archiepiſcopos diutiſſime exercuit, iſto crucis antelationem per univerſam Angliam ſibi deberi, æque ac Cantuarienſi contendente. ex variis apoſtolicæ ſedis privilegiis, cui Alexander III. beneficium illud interim indulſit, donec cauſæ finis imponeretur, ut pateret ex ejus reſcripto in appendice 2. ad concilium Lateran. & cap. 2. *Ut lite pendente*. Sed gratioſo illo judicio per plures annos uti non potuit, donec certis conditionibus de toto negotio tranſactum eſt; permiſumque extra provinciam Eboracenſem elata & ſublimi cruce procedere. Origo privilegii indulti Eboracenſibus epiſcopis petenda eſt ex diſceptatione de primatu totius Angliæ, quæ illos commiſerat cum Cantuarienſibus: quam eo temperamento adhibito ſopiendam cenſuerant Romani pontifices. Ex quo argumento ſequi videbatur, epiſcopum Lugdunenſem intra fines primatiæ ſuæ cruce ſublimi antelata procedere poſſe. Quod tamen extra provinciam propriam liberum illi non eſſe contendebat archiepiſcopus Pariſienſis: cum nec conſuetudo, nec ullum privilegium apoſtolicum illi ſuffragaretur. Ea de re diligentiſſime ſcripſit anno 1628. pro archiepiſcopo Pariſienſi vir eruditiſſimus Andreas Suaſſayus nunc officialis diœceſis Pariſienſis 3. cujus litis dirimendæ arbitrium mihi non ſumo. Id unum addam, reſcripto Calliſti II. quo Viennenſis primatus in ſeptem provincias conſtituitur, conceſſum fuiſſe archiepiſcopo Viennenſi, ut intra provinciam cruce elata uteretur: *Ad hæc pro ampliori Viennenſis eccleſiæ dilectione, ante Viennenſem archiepiſcopum per provinciam ſuam crucem deferri concedimus*. Unde colligitur, jure veteri jus illud non competiviſſe omnibus archiepiſcopis. etiam intra provinciam ſuam; neque primati, extra provinciam.

Explicatio c. Coram. De in integr. reſtit.

De controverſia Cantuarienſis & Eboracenſis archiepiſcop. ſuper antelationem crucis.

Similis diſputatio Lugdunenſis & Pariſienſis

Olim non omnes archiepiſcopi eo jure uſi.

CXXVIII. Uſus anteferendæ crucis, ex ceremonia ſupplicationum publicarum ortum habuit, in quibus cruces adhibitæ a Chryſoſtomo, ut docent Socrates lib. 6. cap. 8. & Sozomenus lib. 8. c. 8. Eo exemplo paſſim in omnibus occidentis & orientis eccleſiis cruce prælata ab una ſtatione ad alteram clerus & populus procedebat. Unde veritum a Juſtiniano ne litaniæ & ſupplicationes publicæ fiant aliter, quam prælata Cruce, ab iis qui eam geſtare conſueverunt, Nov. 123. Hinc conſuetudo quoque illa emerſit, ut eximiæ dignitatis viri ad urbem accedentes crucibus antelatis exciperentur: quod geſtum in Græcia erga legatos Hormiſdæ, ipſi docent in commonitorio. Romæ eadem pompa excipiebantur exarchi, quæ adhibita eſt in adventu Caroli Magni, miſſis, ut obſervat Anaſtaſius in vita Hadriani, *venerandis crucibus, ſicut mos eſt ad exarchum ſeu patricium ſuſcipiendum*. Hinc quoque explicandus apud Gratianum canon qui *proceſſionis aditum* patronis eccleſiarum tribuit. Quare non alienum a rei dignitate vitium eſt, ſi a proceribus eccleſiæ venerandum illud ſignum uſurparetur, quando ipſi quoque, licet extra ſupplicationes publicas, procederent. Procedendi verbum uſurpo, ad rem iſtam ſignificandam aptiſſimum. Proceſſio enim, vel proceſſus imperatorum, & conſulum, in codice Juſtiniani lib. 12. c. titul. de conſulibus, & alibi; *προοδος* vero in Nov. 105. dicitur eorum progreſſus in publicum cum pompa & inſignibus dignitatis, quando ſella circumvecti miſſilia ſpargebant in populum, ut notat Marcianus imperator. Tunc ignis prælatus principibus Romanis, ex Herodiano: qui mos in aula orientali perſeveravit apud Corippum: & tandem patriarchis Conſtantinopolitanis communicatus eſt, ut docent Balſamon & Codinus. Proceſſio pontificis Romani anguſtior fuit, & reverentiæ, quæ pietatem Chriſtianam decet, retinentior. Pompa enim quæ ad illius dignitatem conſervandam neceſſaria erat, ſic temperata eſt, ut omnes intelligerent illius cogitationes ad Chriſtum referri, Chriſtique auſpiciis eum agere cuncta, prælato venerandæ crucis ſigno; & benedictionibus, veluti quibuſdam ſacrorum miſſilium ſparſionibus, populo collatis. Ei muneri dicata fuit crux illa aurea, quam Carolus Magnus dono dedit Leoni III. quamque illi procedenti, ejuſque ſucceſſoribus præferebant ſubdiaconi eccleſiæ Romanæ, teſte Anaſtaſio in vita Leonis IV.

In litaniis

In excipiendis proceribus.

Vel quando proceres eccleſiæ procedunt.

Proceſſio quid ſignificet.

Ignis prælatus principibus imperatoribus & patriarchis Conſtantinopolitanis, Crux vero Romano pontifici.

Legatis a latere ſuo miſſis pontifices crucis antelationem conceſſerunt: quam uſurpatam legimus ab Humberto Silvæ Candidæ epiſcopo, ſexcentis ab hinc annis, quando legatione fungens Conſtantinopolim adiit, ad ſanandum tunc recrudeſcens ſchiſma, ut obſervavit Michael Cerularius patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Petrum Antiochenum. Archiepiſcopi deinde, quibus vices apoſtolicæ ſedis delegatæ erant, iisdem inſignibus ut in provincia facile obtinuerunt, quod in ſucceſſores tranſmiſſum eſt. Sane Calliſti reſcriptum adductum num. 127. apertiſſime docet, tunc primum archiepiſcopo Viennenſi gratiam factam crucis elatæ deferendæ, quando primatus illi collatus eſt, cum vicaria dignitate ſedis apoſtolicæ. Hodie tamen omnibus archiepiſcopis indultum eſt, ut elata cruce procedant in omnibus locis provinciæ ſuæ, etiamſi exempta ſint, juxta definitionem concilii Viennenſis, cap. Archiepiſcopo. De privilegiis; in Clementinis.

Et legatis a latere.

Dein archiepiſcopis, quibus vicas ſedis mandatur.

Tandem omnibus archiepiſcopis.

NOTÆ
AD CANONES I. II. VII. ET XXVIII.
CONCILII CLAROMONTANI.

DEcreta ſynodi Claromontanæ non exſtant integra, ſed eorum excerpta tantum, quæ deſumta ſunt ex codice antiquo Atrebatenſis eccleſiæ. Decretum enim, quo vetitæ ſunt altarium redemptiones, nondum prodiit in lucem. Quinetiam nec decretum illud, quo altaria confirmantur monaſteriis, ſi ea per annos triginta poſſederint. Nec aliud decretum, quod ſpoliatus ante omnia in poſſeſſionem reſtituendus eſt. De quo Goffridus Vindocinenſis libro 3. epiſt. 29. & 30. *Novimus qui præſentes eramus, dominum papam Urbanum in Arvernenſi concilio ſuper hoc definitam, & ab omnibus, qui aderant, epiſcopis & abbatibus laudatam dediſſe ſententiam: ut quicumque ſine judicio & vocatione expoliarentur, etiam ſine judicio & vocatione inveſtirentur.* Deeſt quoque canon latus de tuitione eorum qui protectionem ullramarinam ſuſcipiebant, qui eſt apud Domnizonem: & alii aliquot, quos Gratianus recitat ex ſynodo Arvernenſi. In illis vero excerptis ipſa canonum ſententia mutilata eſt, ut patebit ſtatim ex canone 1. collato cum Ordorici Vitalis teſtimonio. Sane gravis eſt jactura horum canonum, qui tanti momenti erant, ut rerum ea tempeſtate, etiam poſt decreta Gregorii VII. controverſarum definitionem continerent, unde magna deinceps in eccleſiam facta eſt auctoritatis & divitiarum acceſſio. Principibus ademptæ epiſcopatuum & abbatiarum inveſtituræ, & prohibitum ligiæ fidelitatis ſacramentum, quod antea a ſacerdotibus præſtabatur, eccleſiam in antiquam libertatem

tem asserverunt. Sed ablatus laicis decimarum, altarium, & ecclesiasticorum beneficiorum usus, quo illi veterum principum indulgentia, & synodorum consensu ab aliquot sæculis potiebantur, collapsas ecclesiæ facultates in integrum restituit. Honestati quoque clericorum cautum est, præscripta unicuique ministerio sua ordinatione, vetitis præbendarum mercimoniis, neve in plures conferantur, cælibatu indicto clericis, eorumque filiis ab honore ecclesiastico depulsis. Non omissa quoque est populi emendatio, correptis facinorosis, damnatis fictis pœnitentiis, statisque jejuniis recte constitutis. Inter cetera vero in id quoque synodus incubuit, ut tranquillitati hominum, quantum ratio temporum patiebatur, sollicite prospiceret, confirmata quotidiana pace, quæ clericis indulta erat, sanctisque certorum dierum induciis, quæ laicis erant concessæ. Indulgentiam quoque pœnitentiarum fecit iis qui Hierosolymitanæ expeditioni se accingebant, impensa quoque illis bonorum tuitione. Quæ duo ultima Can. I. & II. ejus concilij comprehenduntur. Canone autem VII. de altaribus & personis, & XXVIII. de sumptione eucharistiæ agitur, iis verbis, quæ interpretationem desiderant. De quatuor istis Canonibus pauca quædam annotabo, ceterorum explicatione in eas dissertationes rejecta, quas de bonis ecclesiasticis & beneficiorum origine me prope diem editurum spopondi. Sed præstat ante omnia canonum hujus Concilii compendium ex Orderico Vitali proponere, qui scriptor sæculo undecimo ineunte floruit. Ejus hæc sunt verba libro 9. historiæ ecclesiasticæ, ad annum 1095. *Eodem anno, indictione IV. mense Novembri, præfatus papa omnes episcopos Galliæ & Hispaniæ congregavit, & apud Clarummontem Alvorniæ urbem, quæ antiquitus Arvernis dicta est, Concilium ingens tenuit. Multa vero, quæ cis Alpes agebantur, correxit, & multa ad emendationem morum utilia constituit. In synodo Arvernensi tredecim fuerunt archiepiscopi, ducenti & viginti quinque episcopi, cum multitudine abbatum, aliarum personarum, quibus a Deo sanctarum curæ delegatæ sunt ecclesiarum. Decreta vero concilii apud Clarummontem habiti sunt hujusmodi:*

Ecclesia sit catholica, casta & libera, catholica in fide & communione sanctorum, casta ab omni contagione maritæ, & libera ab omni sæculari potestate.

Episcopi, vel abbates, aut aliquis de clero, aliquam ecclesiasticam dignitatem de manu principum, vel quorumlibet laicorum, non accipiant. Clerici in duabus civitatibus, vel ecclesiis prælationes seu præbendas non habeant.

Nemo episcopus & abbas simul sit.

Presbyter, diaconus, subdiaconus, post lapsum non ministret.

Ecclesiasticæ dignitates, vel canonicæ, a nullo vendantur, vel emantur. Illis tantum, qui, quia ignorantes Canonum auctoritatem, vel fuisse prohibitum, canonicas emerunt, indultum sit. Illis vero, qui scienter a se vel a parentibus emptas possident, auferantur.

Nemo laicorum post acceptos cineres in capite jejunii usque ad paschæ carnem comedat.

Omni tempore primum jejunium quatuor temporum prima hebdomada quadragesimæ celebretur.

Ordines omni tempore aut in vere pera sabbati, aut, perseverante jejunio, dominica celebrentur.

In sabbato paschæ, officium nonnisi post solis occasum finiatur.

Jejunium secundum semper in hebdomade pentecostes celebretur, & ab adventu Domini usque ad octavas epiphaniæ, & a septuagesima usque ad octavas paschæ, & a prima die Rogationum usque ad octavas pentecostes; & omni tempore, a quarta feria, occidente sole, usque ad secundam feriam oriente sole, treuga Dei custodiatur.

Qui episcopum ceperit, omnino exlex habeatur.

Qui monachos, vel clericos, vel sanctimoniales, & eorum comites ceperit, vel expoliaverit, anathema sit.

Qui episcoporum morientium bona, vel clericorum, diripuerit, anathema sit.

Qui usque ad septimam generationem consanguinitati se copulaverit, anathema sit.

Nemo in episcopum eligatur, nisi aut presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus, & cui dignitas natalium suffragetur; nisi maxima necessitate, & licentia summi pontificis.

Filii presbyterorum, vel concubinarum, ad presbyteratum non provehantur, nisi prius ad religiosam vitam transierint.

Qui ad ecclesiam vel ad Crucem confugeris, si reus est, data impunitate vitæ vel membrorum, justitiæ reddatur: si innocens, liberetur.

Corpus dominicum, & sanguis dominicus, singulatim accipiatur.

Unaquæque ecclesia decimas suas habeat, & non in alterius ecclesiæ jus quolibet dante transeat.

Laicus decimas nec vendat, nec retineat.

Pro sepultura mortuorum nullum pretium non exigatur, aut detur.

Nullus principum laicorum capellanum habeat, nisi ab episcopo datum. Quod si in aliquo offenderit, ab episcopo corrigatur, & aliter subrogetur.

AD CANONEM I.

Pacis & induciarum, de quibus hic agitur, copiosa satis, necdum ab aliquo tentata, explicatio peti potest ex libro 4. dissertationum nostrarum de concordia sacerdotii & imperii cap. 14. unde excripta sunt quæ sequuntur: Bella privata, quæ pondere & pudore legum comprimebantur, Romanis rempublicam tenentibus; per Gallias & ceteras Europæ regiones grassata sunt, cum duris exterarum nationum moribus: ferrum lentis fori ambagibus successit, & juri publico aperta privatorum injuria. Tunc enim quilque suam suorumve injuriam non in jure coram judice, sed ferro manuque persequebatur: adeo ut etsi his inimicitiis, quas *Faidas* vocabant, & leges Longobardorum, & capitularia regum modum præscriberent, tamen ingravescente in dies morbo, cædibus, depræda tionibus, & incendiis, respublica fœdissime vastaretur. His incommodis prospicere Gallicani episcopi curarunt, non extincto quidem nefando illo bellorum privatorum usu, sed repressio per inducias, quæ aliquot dies otiosos a cædibus redderent, sacratosque religionis prætextu. Anno 1044. episcopi & proceres provinciarum in Aquitania primum, deinde per reliquas Galliias decreto suo privatis bellis inducias indixerunt sub nomine *treugæ Domini*, a Mercurii suprema die, usque ad diluculum diei Lunæ subsequentis; ea lege ut nemo ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur, nec etiam a fidejussore pignus tolleret: pœna capitis, aut exilio, & excommunicatione in rebelles irrogatis. Rodulphus Glaber meminit hujus institutionis, quam cetera quidem apertissimis verbis descripsit, sed pignus ablatum e domo fidejussoris *vadimonium* vocat Latina dictione, quamvis significatione barbara. Quod fraudi fuit illustrissimo annalium ecclesiasticorum conditori, qui de stretitu fori hic agi putavit & de privatis dissensionibus, quas, si justæ sint, unaquaque die persequi liberum esse ait, vel deferre necessarium, si fuerint injustæ: hocque nomine Gallicanos episcopos traducit. A qua reprehensione haud dubio temperasset, si confirmatas a quatuor conciliis generalibus has inducias animadvertisset, & relatas in librum decretalium sub titulo *de treuga & pace*; cujus usum & glossa & juris canonici interpretes abrogatum esse ajunt, hacque sola observatione se curiosis antiquitatum indagatoribus satisfeciisse putant. Bella isthæc privata nec legibus probata erant, nec omnino damnata, imo vero, si provocatio, vel potius, ut illius sæculi verbo utar, si *diffidatio* præcessisset, pro jure constituto habebantur, ita ut in adversarium cæde, prædis & incendiis grassari liceret, ut docent Ivo; Friderici I. & Conradi leges. A quibus bellorum injuriis abstinendum erat, diebus Jovis, Veneris, Sabbati, & Dominica, quos sub finem vitæ præcipuis salutis nostræ mysteriis Dominus consecravit.

Decretæ autem fuerunt induciæ istiusmodi, non solum ab episcopis, sed etiam a proceribus cujusque diœceseos, ut diserte docent Glaber & Ivo, ut patet ex treugæ istius constitutione, quæ lata est in Anglia & Normania ex consensu episcoporum & baronum a Guilielmo primo rege anno 1080. apud Ordericum Vitalem, & a Raimundo Berengario comite in Barcinonensi comitatu anno 1060. Recepta sunt & amplificata isthæc decreta a Concilio Claromontano sub Urbano II. anno 1095. a Romano sub Paschali II. 1102. a Lateranensi sub Innocentio II. anno 1135. & ab altero Lateranensi sub Alexandro III. anno 1180 Hoc solum discrimen interest inter primam inductarum institutionem, & confirmationem; quod a Concilio festi dies quamplurimi, quatuor illis singularium hebdomadum diebus adjecti fuerint, & a Concilio Lateranensi sub Innocentio II. incendiorum devastatio prohibita. Observandum vero, *pacem & treugam* dici hanc a bellis privatis feriationem, quod ratione clericorum omnium, peregrinorum, mercatorum, agricolarum cum bobus aratoriis, dominarum cum sociis suis inermibus, mulierum omnium, rerum ad clericos monachosque pertinentium, & molendinorum, *pax* ista omni tempore indulta effet; ratione ceterorum, *treuga* tantum, id est induciæ aliquot dierum. Sane fatendum est excommunicatione mulctatos fuisse pacis & treugæ violatores, & ad resarciendum damnum læso coactos: sed episcopi & comitis hæc erat cognitio, ceterorumque baronum, qui tamen si cessarent a persequendo armis raptore, excommunicationibus & interdictis ad officium quo se obstrinxerant adigebantur: ut vice versa eis qui contra pacis perturbatores decertarent duorum annorum pœnitentia indulgebatur, aut plurium, ad arbi-

De Faidis vide gloss. Lindenbr. o. chii, & Speimanne, R. P. Jac. Sirm. ad capit. Caroli Calvi.

Glaber lib. 5. c. 1.

Cardinalis Baron. ad annum 1014 num. 2. & 3.

Ivo ep. 172. Fridericus apud abbatem Urspeng. Conradus c. 10 bullæ Aurea.

Apud Gratianum c. 8. decimarum. caterum 23. quæst. 3.

trium epiſcopi pro modo laboris. Si raptores illos pa-
ciſque violatores, ab utraque poteſtate proſcriptos, occidi contingeret a quoquam privato; *zelo juſtitiæ*: non homicidii pœna canonica & ordinaria, ſed leviori & remiſſiori ſatisfactione culpam illam diluendam docet Urbanus II qui de hoc ſolo genere excommunicatorum intelligendus eſt, non autem de omnibus excommunicatis, ut quidam ſibi male ferriati perſuaſerunt. Cujus interpretationis eo lubentius hic memini, quod ea levari poſſe mihi videatur invidia quæ ob textum hunc male intellectum creari ſolet adverſus ſummos pontifices.

Sed hæc omnia trahi non poſſunt ad bella publica, quæ a regibus, ut res ſuas repetant, aut reipublicæ injuriam illatam ulciſcantur, indici ſolent. Etenim belli gerendi poteſtas, quæ a Deo regibus collata eſt in veteri inſtrumento, & in principes Romanos diſertis verbis lege Regia translata, reges liberos præſtat ab excommunicatione, quæ in deprædatores & alienorum bonorum invaſores a Canonibus irrogatur. Quia excommunicationi locus non eſt etiam in privatis perſonis, niſi cum de crimine manifeſto & aperto agitur, non autem cum dubitatur de crimine, ut docuit olim Hincmarus ex Auguſtino. Porro ſola belli a principe indicti ratio id ſaltem obtinere debet, ut juſtitia niti præſumatur: præcipue cum regia dignitas in munere regio exercendo nullius judicio ſit obnoxia, ſed ſoli divino numini ſe ſubmittat. Quare in ipſa pacis & treugæ promulgatione jura principum conceptis verbis excipiuntur, ut patet ex indictione pacis & treugæ a Guilielmo archiepiſcopo Auſcitano legato ſedis apoſtolicæ, poſt Concilium Romanum anno 1102. publicata. *Principibus autem & dominis terrarum jura ſua & conſuetudines non contradicimus in terris ſuis.* Deinde pacis illius infractæ cognitio epiſcopis commiſſa erat, de comitum & diœcetanorum conſenſu, quæ ex pactis conventis legem accipere debet, ut ſcripſit Ivo Cononi legato: imo & comitibus baronibuſque diœceſeos pars illius cognitionis competebat. Quæ omnia cum bellis publicis comparata, diſcrimen apertum inter utraque conſtituunt. Hactenus ex libro diſſertationum noſtrarum.

Guilielmi legati litteras, quibus pacem & treugam poſt Concilium Romanum indixit anno 1102. ex manuſcripto codice Laſcurrenſis capituli a nobis in hiſtoria Benearnenſi editas, hic adjici curavimus, ad uberiorem hujus rei interpretationem.

Guilielmus Dei gratia Auſcitanus archiepiſcopus, ſedis apoſtolicæ legatus, cariſſimis in Chriſto fratribus venerabilibus epiſcopis, altiſque eccleſiarum prælatis, & dilectis filiis comitibus, vicecomitibus, altiſque baronibus, univerſo quoque clero & populo per Auſcitanam provinciam conſtituto, ſalutem & benedictionem.

CUm ex officii noſtri debito teneamur univerſis fidelibus curæ noſtræ commiſſis ſalubri diſpoſitione providere, nunc præſertim urgente apoſtolici mandati auctoritate, ad quem ſpectat totius populi profectibus invigilare, oportet nos ſuper bono pacis & treugæ Dei ſubditis noſtris propenſiorem curam impendere. Inde eſt quod, juxta ſtatuta generalis Concilii Romæ nuper celebrati, pacem & treugam Dei in provincia noſtra, ex parte Dei, & domini papæ, & noſtra, ab omnibus inconcuſſe & inviolabiliter præcipimus obſervari. Forma pacis & treuguæ Dei talis eſt: Treugas a quarta feria poſt occaſum ſolis, uſque ad ſecundam feriam poſt ortum ſolis, & ab adventu Domini uſque ad octavas epiphaniæ, & a ſeptuageſima uſque ad octavas paſchæ, ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus. Si quis autem treuguam violare tentaverit, poſt commonitionem factam, ſi non ſatisfecerit, princeps ſuus & epiſcopus cum clero & populo cogant eum injuriam pacis ſatisfacere, ad arbitrium epiſcopi, principis ſui, & aliorum vicinorum baronum. Quod ſi princeps, ſeu barones, vel populus diſſimulaverint: tam princeps quam barones excommunicentur, & tota terra eorum interdicto ſubjiciatur, omni privilegio perſonæ & eccleſiæ ceſſante. His vero temporibus, & omnibus feſtis beatæ Mariæ, cum præcedenti die & ſubſequenti, ſancti quoque Joannis Baptiſtæ, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & a vigilia pentecoſtes uſque ad octavas, & omnium ſanctorum feſto, omnia pacem & ſecuritatem habebunt. Omni vero tempore perpetua pace & ſecuritate gaudebunt canonici, monachi, presbyteri, clerici, & omnes religioſæ perſonæ, converſi, peregrini, mercatores, ruſtici euntes & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia quibus arant, & quæ ſemen portant ad agrum: dominæ cum ſociis inermibus, & omnes feminæ, & omnes res clericorum, & religioſorum ubique, & molendina: principibus autem & dominis terrarum jura ſua & conſuetudines non contradicimus in terris ſuis. Eccleſiæ ſalvitatem habeant XXX. paſſuum circumcirca, monaſteria vero LX. Hæc vero ut firmius obſerventur, comites, vicecomites, barones univerſum quoque clerum, in præſentia clericorum, a ſeptem annis & ſupra, jusjurandum præſtare præcipimus. Forma juramenti talis eſt: Jurabunt ſe pacem & treugam Dei juxta præſcriptum tenorem obſervaturos, & violatores pacis & treuguæ Dei perſecuturos, & quod de rapina nihil ſcienter emant. Quod ſi quis huic decreto contraire tentaverit in non jurando, vel in non perſequendo, ſeu in conductitias gentes vel raptores tenendo, aut favendo, vel rapinam emendo, princeps illius terræ, & tota ejus terra, niſi debitam vindictam exequatur, omni interdicto & excommunicationi ſubjiciatur, omni privilegio perſonæ, & eccleſiæ ceſſante. Excommunicati non ſalutentur, non tondeantur capita eis, non abluantur, in mappa non comedant, neque ad aliam communionem Chriſtianam recipiantur, præter baptiſma parvulorum, & pœnitentias in fine. Princeps autem & cuncti fideles noſtri obedientes mandatis, qui bonum pacis ope & conſilio ſuo foverint, & præſertim contra conductitias & peſtilentes gentes, ſi in vera pœnitentia in hoc Dei ſervitio deceſſerint, auctoritate Dei, & domini papæ, & eccleſiæ univerſalis, omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & fructum mercedis æternæ ſe non dubitent habituros. Cæteris vero, qui contra eos arma ſuſceperint, & ad epiſcoporum, ſive aliorum prælatorum, conſilium ad eos decertaverint expugnandos, biennium de injuncta pœnitentia relaxamus, aut, ſi longiorem ibi moram habuerint, epiſcoporum diſcretioni, quibus hujus rei cura fuerit injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium major eis indulgentia tribuatur. Illos autem, qui admonitioni epiſcoporum in hujuſmodi parere contempſerint, a perceptione corporis & ſanguinis Domini jubemus fieri alienos. Epiſcopi vero, ſive presbyteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officii ſui ſuſpenſione mulctentur, donec apoſtolicæ ſedis miſericordiam obtinuerint.

Alienum quoque non erit Alexandri III. decretalem epiſtolam nondum editam ſuperioribus adjungere: quæ pacem in omni tempore, nulla dierum neque perſonarum adhibita diſtinctione conſtitutam in Ruthenenſi diœceſi, ab epiſcopo & comite, ex ſententia totius cleri & procerum illius provinciæ confirmat: laudato etiam illorum conſilio, de pecuniis in eam rem conferendis, tam a clericis & monachis, quam a laicis, pro modo facultatum. Quæ penſitatio, *commune* dicta, etiamnum hodie fiſco regio contribuitur.

Ale-

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Hugoni Ruthenenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoties ea quæ ad pacem pertinent poſtulantur a ſede apoſtolica confirmari, tanto ſuper his benigniorem aſſenſum nos convenit adhibere, quanto ex bono pacis plura commoda & gratiora ſingulis proveniunt incrementa. Ex quodam ſiquidem reſcripto a tua nobis fraternitate tranſmiſſo, ad audientiam noſtram pervenit, quod tu habito Concilio abbatum, præpoſitorum, & archidiaconorum tuorum, & baronum terræ, cum nobili viro Hugone fratre tuo comite Ruthenæ, hujuſmodi pacem & concordiam ſtatuiſti: Quod omnes res mobiles & immobiles, omnes homines tam clerici quam laici in omni tempore ſint ſub ea pace ſecuri. Nec ulli liceat præter armatos milites, & clientes, quælibet arma ferre, niſi milites enſes ſolummodo, & clientes ſingulos baculos ferant, qui pacis, ſicut cæteri, debent ſecuritate gaudere. Et præter eos, qui hanc pacem, ſicut ſtatuta eſt, noluerint firmare, & inviolabiliter obſervare, ſicut de his qui publice perjurant, vel fidem mentiuntur pro manifeſto debito, ſeu pro cognita fidejuſſione, de rebus eorum pignorandis licentia non denegetur; vobis tamen exceptis. Ad ejuſmodi vero pacis & ſecuritatis ſuſtentationem & defenſionem, ſtatutum eſt ut abbates, archidiaconi, archipresbyteri, monachi, canonici, priores, omnes clerici, qui proprias eccleſias regunt, milites quoque, & mercatores, atque burgenſes, qui facultatibus abundaverint; & omnes etiam homines tam clerici quam laici, qui habuerint par boum, ſeu aliorum animalium, cum quibus arare poſſint, ſive amplius habuerint, vel qui habuerint ſoummarium, equum ſcilicet vel equam, mulum vel mulam, quæ ad portanda onera locent, duodecim denarios Ruthenenſes, ſive alios tantumdem valentes donent. Cum vero habuerint ovile ovium, dent pro eo ſex denarios ejuſdem monetæ, vel alios æquivalentes. Totidem autem dabunt qui habent unum bovem tantum, vel aliud animal cum quo valeant arare, ſive aſinum quem poſſint locare. Clientes vero, & artifices, ſcilicet fabri, ſartores, pellicarii, & omnes operarii, aut ſex, vel octo, ſeu duodecim denarios ſecundum ſuorum capellanorum arbitrium dabunt. Verum ſi pater cum filiis, ſeu fratres, ſive conſanguinei fuerint, qui nondum ſunt invicem ſeparati, nec ſunt res eorum diviſæ, unus pro omnibus dabit, alioqui ſolvat unuſquiſque pro ſe. Commune autem iſtud per ſingulas parochias debet reddi, cum ſcripto unius parochianorum, quem capellanus, cum conſilio ſui archipresbyteri & voluntate ſuorum parochianorum, elegerit. Et in die ſtatuta ab ipſo parochiano, & cum eodem ſcripto, ad Ruthenſem eccleſiam deferatur. Quiſquis autem res ſuas amiſerit, poſtquam commune ſicut prædictum eſt ſolverit, in integrum reſtituatur: ſi tamen certam perſonam quæ res ſibi ablatas habeat, vel locum ubi ſunt, poterit demonſtrare; ſin autem, minime. Si vero inimicos, villas, vel oppida deprædari vel diruere forte contigerit, res quidem mobiles emendabuntur de communi: ſed damna rerum immobilium non reſtituentur, niſi quantum a malefactoribus poterit recuperari. Clerici vero qui proprias eccleſias non habent, niſi par boum habuerint, non coguntur dare, ſi nolint: ſed non dato communi, ſi forte res ſuas perdiderint, eis A nequaquam emendabuntur. Additum eſt in prædicta pace ut capellani eccleſiarum, & omnes laici, a quatuordecim annis & ſupra, pacem & commune firmare debeant, & obſervare. Qui vero in hoc obedire contempſerint, debent ab eccleſiæ liminibus coerceri, & ab omni pace fieri alieni. Eccleſiæ quoque parochiarum, in quibus violatores pacis habitaverint, a divinis vacent officiis, donec ipſi ad emendationem venire cogantur. Quam ſiquidem pacis inſtitutionem, quemadmodum a vobis facta eſt, reſcripto authentico roborata, firmam & ratam habemus, & eam auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentium ſcripto communimus: ſtatuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc B paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contrariare. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli, ſe noverit incurſurum.

Datum Verulis, ſecundo Idus Maii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

AD CANONEM II.

Canonis II. ſententiam his verbis Ordericus Vitalis expreſſit, poſt relatam Urbani orationem, qua fideles ad ultramarinam expeditionem excitabat: *Provisus vero papa omnes, qui congrue arma ferre poterant, ad bellum contra inimicos Dei excivit, & pœnitentes cunctos ex illa hora, qua crucem Domini ſumerent, ex auctoritate Dei, ab omnibus peccatis juris abſolvit, & ab omni gravedine, quæ fit in jejuniis, aliiſque maceratio-* C *nibus carnis, pie relaxavit. Conſideravit enim perſpicaciter vir prudens, & benignus arbiter, quod hi, qui peregre proficiſcerentur, in via multis diutiniſque diſcriminibus ſæpiſſime vexarentur, & multimodis cæſibus læſi, ſeu tribulationibus quotidie angerentur, pro quibus benivoli vernulæ Chriſti a cunctis culparum ſordibus expiarentur.*

Præter eam indulgentiam, quæ in pœnitentiæ canonicæ commutatione verſabatur, quæque in exemplum deinde tracta eſt ad profectiones Compoſtellanas, ad bella cum Saracenis in Hiſpaniis agenda, dein cum Albigenſibus, poſtea cum Pruſſis & Lithuanis: conceſſa eſt quoque a Concilio Cruceſignatis tuitio bonorum, quæ omittitur in excerptis canonum. Illius vero meminit Donnizo in vita Mathildis, qua de re nos quoque diximus libro quarto diſſertationum cap. 25. his verbis: Urbanus II. in Concilio Claromontano, cum pacem & treugam ſtatuiſſe Canone I. eam Canone ſequenti ad eos qui Hieroſolymitanum iter aggrederentur extendit: *Item placuit omnia bona eorum, qui Hieroſolymas pergunt, ſemper & ubique eſſe ſalva, in pace & treuga, quouſque redierint.* Quare prætextu hujus tuitionis eccleſiaſticæ, ſi qua de rebus ad Cruceſignatos pertinentibus moveretur quæſtio, epiſcoporum erat cognitio, qui cenſuris invaſores obſtringebant, ut teſtatur Ivo; quamvis obſervet, *novem eſſe inſtitutionem, de tuitione eccleſiaſtica impendenda, rebus militum Hieroſolymam proficiſcentium.* Hanc tuitionem confirmavit, adjecta quoque peccatorum remiſſione, Lateranenſe Concilium ſub Calliſto II. anno 1122. cap. 11. *Eis qui Hieroſolymam proficiſcuntur, & ad Chriſtianam gentem defendendam & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, ſuorum peccatorum remiſſionem concedimus, & domos, & familias, atque omnia bona eorum, in beati Petri & Romanæ eccleſiæ protectione, ſicut a domino noſtro Papa Urbano ſtatutum fuit, ſuſcipimus. Quicumque ergo ea diſtrahere vel auferre, quamdiu in via illa morantur, præſumpſerint, excommunicationis ultione plectantur.* Idem poſtea conſtitutum fuit a Gregorio pontifice apud Neubrigenſem, *Scilicet ut bona eorum qui crucem acceperant, cum juris famulis, ſub juſtitia Romanæ eccleſiæ, nec non archiepiſcoporum, & epiſcoporum, atque aliorum prælatorum eccleſiæ proteſtione confiſtant.* Quas conſtitutiones is effectus ſecutus eſt, ut plurimi ſe hujus profectionis graviſſimo labori accingerent, quo ſe a creditorum vexatione liberarent, teſte Vuilielmo Tyrio. Hujus tuitionis & præſidii eccleſiaſtici auxilium imploravit Henricus III. Anglorum rex, cum a Gaſtonis VIII. domini Benearnenſis copiis in Vaſconia premeretur. Cum enim validiſſimam claſſem pararet, ex Anglia Burdigalam appulſurus, cruce aſſumpta tranſmarinum bellum in ſubſidium

Concilio Claromontano cap. 2.

Ivo epiſtola 253

Concilium Lateranenſe ſub Calliſto.

Guil. Neubrig. lib. 3 hiſt. Angl. cap. 20

Tyr. lib. 1. cap. 16.

dium terræ ſanctæ ſimulans, litteras ab Innocentio A
IV. impetravit anno 1253. quo in tuitionem eccleſiæ Romanæ ſuſciperetur, & ejus hoſtes excommunicatione & interdicto perrellerentur a delegatis judicibus.

AD CANONEM VII.

Poſt Caroli Martelli ducis Francorum tempora, qui primus bona eccleſiaſtica militibus ſuis utenda permiſit, Pippinus, Carolus, Ludovicus, & reliqui Gallorum reges, licet pietate inſignes, edictis ſuis, & epiſcoporum conniventia, precariam poſſeſſionem laicis hominibus confirmarunt. Tunc non ſolum fundi & villæ, ſed etiam eccleſiæ ipſæ in beneficium illis conceſſæ ſunt. Eccleſiarum nomine oblationes, decimæ, aliique redditus, data & conceſſa intelligebantur, ut patet ex veteribus actis. Tunc eccleſiæ eo jure poſſeſſæ ſunt quo cætera beneficia ſive feuda, adeo ut tandem B
in heredes quoque tranſierint, & expoſitæ ſint hominum commercio. Ne tamen ſacramentorum celebratio a laicis eccleſiarum poſſeſſoribus pendere videretur, inducta eſt nova quædam verborum diſtinctio, ita ut in una eademque domo pars una *eccleſia* diceretur, quoad laicorum jura, & *altare*, quoad juris ſpiritualis adminiſtrationem. Hanc obſervationem debemus Abboni Floriacenſi, qui cæſus eſt anno 1003. in apologetico quod ſcripſit ad reges Hugonem & Robertum. Ejus hæc ſunt verba relata ab Aimoino cap. 8. de vita ſancti Abbonis Flor. martyris: *Certe cariſſimi principes, nec catholice loquimur, quando illam eccleſiam dico eſſe meam, ille alteram dicit eſſe ſuam. Ac veluti quædam jumenta, comparati jumentis inſipientibus, ſæpiſque aliquando venale: propenſumus, propoſiaſque ab aliis emere non formidamus. Eſt etiam alius error graviſſimus, quo ſertur altare eſſe epiſcopi, & eccleſiam alterius cujuslibet domini. cum ex domo conſecrata & altari unum quoddam fiat, quod dicitur eccleſia; ſicut unus homo conſtat ex corpore* C
& anima. Videte, æquiſſimi principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigeſcit caritas.

Quamplurimarum ejuſcemodi poſſeſſionem eccleſiarum a laicis abſtulerunt repetitæ excommunicationum minæ, in ſynodis habitis undecimo ſæculo, & præcipue ſub Victore II. Gregorio VII. & Urbano II. Frequentes occurrunt eo tempore factæ a principibus & nobilibus viris piæ donationes, vel etiam venditiones vili precio, quibus eccleſiæ hujus vel illius loci, epiſcopis, capitulis, & monaſteriis de novo conditis conferuntur, ut fidem faciunt univerſa eccleſiaſtica tabularia. Plerique vero laicorum, his excommunicationibus contumaces, ab antiquiſſima eccleſiarum poſſeſſione diſcedere nolebant. Unde inductum eſt ab Innocentio II. & aliis Romanis pontificibus, benigna quadam diſpenſatione, ut ſolam reſtitutionem oblationum urſerint. Hinc laicis perſuaſum fuit, ſibi liberum eſſe, ut decimarum proventus penes ſe retinerent. Quod confirmatum eſt aliquo pacto ab Alexandro III. in Lateranenſi Concilio, vetita in poſterum alienatione decimarum: unde in præteritum permiſiſſe cenſetur. Cæterum collatæ in monaſteria donationes eccleſiarum minus gratæ erant epiſcopis, qui bona ſua in alios tranſferri iniquum eſſe ducebant. Itaque variis ſynodis & Romanorum pontificum decretis prohibitum eſt, *ne ullus laicus decimas ſuas, aut eccleſiam, aut quidquid eccleſiaſtici juris eſt, ſine conſenſu epiſcopi, vel Romani conceſſione pontificis, monaſteriis aut canonicis offerre præſumat*, ut verbis utar ſynodi Melfitanæ ſub Urbano II. anno 1090. quæ antiqua interdicta renovavit.

Ex neceſſitate conſenſus, lucri occaſionem ſumpſerunt epiſcopi quidam, certa pecuniæ ſumma ſibi depenſa, velut refarciendi damni colore; monaſteriis permittentes, ut vicarii quidam, altarium miniſteria peragerent. monachi vero reditus eccleſiarum perciperent, alimentis vicario præbitis: ea tamen lege adjecta, ut quandocumque vicarius decederet, altera monachis ſufficeretur, eadem ſolutione pecuniæ erga epiſcopum defuncti. Vicarii illi, *perſonæ* dicebantur trito tunc vocabulo: & ſolutiones illæ pecuniariæ, *altarium redemptiones*. Quæ vox petita ex beneficiorum, ſeu feudorum uſu, in quibus invaluerat, ut domino certa pecunia penderetur, pro nova inveſtitura, quæ heredi ultimi poſſeſſoris concedenda erat. Quod emolumentum *redemptionis* nomine Galli ſignificabant, & hodie ſignificant. Conceſſio autem altarium dupliciter fiebat ab epiſcopis, aut reſervata penes ſe altaris diſpoſitione; ita ut mortuo vicario liberum omnino eſſet epiſcopo, indulgere monaſteriis ſubſtitutionem vicarii, vel eam improbare; aut ita ut perpetua eſſet penes monaſteria vicarios ſubſtituendi facultas, ſoluto redemptionis precio, cedente quandocumque, vel decedente vicario.

Conceſſionum utriuſque generis meminit hic Canon VII. Claromontanus: *Ut altaria congregationibus canonicorum, vel monachorum, per perſonas data, mortuis perſonis libera redeant in manus epiſcoporum, niſi forte illis per eorum ſcripta vel privilegia confirmata.* Itaque primo caſu, obeunte vicario, altaria poteſtati liberæ epiſcopi reddi debent: ſecundo autem caſu a monaſteriis perpetuo retinentur per vicarios, ſeu mavis *per perſonatum*. Hujus ultimæ ſpeciei exemplum peti poteſt ex litteris Radbodi Noviomenſis epiſcopi, datis anno 1088. a quo Walterius Tornacenſis impetrat, ut *altare* de Wermi, quod ipſe *ſub perſonatu* tenebat: eccleſiæ fratribus perpetuo ſub perſonatu tenendum Radbodus concederet, ea conditione adjecta, *ut in feſto ſanctorum Simonis & Judæ tunc proximo ejuſdem altaris perſona epiſcopo ſeu ejus vicario decem ſolidos ſolvat. Perſona vero mortua, ſeu quacumque occaſione a perſonatu illo decedente, alia ſubrogetur perſona, quæ in ſua reſtitutione decem ſimiliter ſolidos ſolvat.* Ex his literis initium diſcimus pravæ illius conſuetudinis, quæ monachorum & canonicorum exemplo inducta eſt: ſcilicet, ut clerici quoque abſtinentes a facerdotio, per ſubſtitutas perſonas ſeu vicarios eccleſiis deſervirent, & ad ſe traherent emolumenta, ut docet exemplum Tornacenſis epiſcopi. Suggillat hanc ſæculi ſui corruptelam, quæ multitudini beneficiorum favebat. Joannes Sarisberienſis Policratici libro 7. cap. 17. *Utique & inſignis prudentiæ, ſi quis tot quocumque modo conquiſitis altaria, ut quaſi ritu Memphitico, quotidianas hoſtias novis poſſit altaribus immolare. Nolunt tamen ſacerdotio onerari, aut ſervire altario, qui de altario vivunt; ne, ut populus arguit, dicam, luxuriantur: ſed perſonatus quoſdam introduxerunt, quorum jure ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta.*

Quod autem attinet ad mentem concilii Claromontenſis, non ſatis liquido expreſſa eſt compendio illo canonis VII. duo enim præſtitit, quæ ibi omittuntur. Vetuit altarium, ſive eccleſiarum redemptiones, ipſaque altaria monaſteriis confirmavit, ſi ea per 30. vel 40. annos poſſediſſent. Primi capitis teſtem laudo Goffridum Vindocinenſem libro 3. epiſt. 22. *Redemptiones eccleſiarum, quæ vulgari hoc vocabulo altaria nuncupantur, beatus vir* (Urbanus in Arvern. concilio, ut ſuperius ioquitur) *ſimoniacam pravitatem vocavit, & apoſtolica auctoritate damnavit.* Diſplicuerat hoc vitium Gregorio VII. qui Dienſi epiſcopo legato ſuo interdicendum præceperat *illud commune malum pene totius terræ, videlicet quod altaria venduntur*, libro 4. epiſtola 7. Sed definitioni concilii fraus deinde facta eſt ab epiſcopis, qui annuo cenſu, licet levi, eccleſias onerabant, ſicque eveniebat, ut per ſingulos annos particulari ſolutione exigerent, quod per intervalla ex vicariorum ſeu perſonarum ſubſtitutione percipiebant. Acerbe exagitat hanc fraudem Goffridus in ſuperius laudata epiſtola ad epiſcopum Andegavenſem data: *Nam ſi in pluribus annis non vix ſemel per vicarios pecunia pro altaribus dabatur epiſcopis. & pecuniam ipſam apoſtolica auctoritate probatum ſit ſimoniam* D
eſſe: ſingulis annis epiſcopis pro vicariis altarium pecuniam dare quid eſt aliud, quam pro plurimorum annorum ſimonia, per annos ſingulos, ſub nomine annui cenſus, annuam ſimoniam exercere? Non eſt hoc doctrina Chriſtianæ fidei, ſed exactio peſſima, quæ ſimoniacam multiplicat, & ſanctæ eccleſiæ vitat caſtitatem. Peccunia itaque pro eccleſiis ſub palliata cupiditate exturta, quæ redemptio altarium dicitur, ab apoſtolica ſede damnata, ſive per vicarios rarius, ſive pro vicariis frequentius, ſub qualicumque nomine vel occaſione exturquatur, ſimoniaca pravitas eſſe nulla ratione dubitatur: ille tamen gravior, quæ ſæpius agitur. Mox: *Et ne ulterius de ſecreto vicariorum dubietis, illud vobis tranſcriptum mittimus.* Hunc Goffridi locum illuſtrat in notis ſuis vir eruditione clariſſimus Sirmondus, prolato Paſchalis II. reſcripto, ubi & decreti ſynodici ſit mentio, & alterius quoque fraudis ab epiſcopis excogitatæ, qui mutato nomine, non pro altarium, ſed pro perſonarum redemptione a ſe pecuniam exigi dicebant: E
id eſt non ratione altarium *per vicarios*, ſed *pro vicariis*, ut loquitur Goffridus. Hæ ſunt pontificis literæ:

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus epiſcopis Ivoni Carnotenſi, & Ranulfo Santonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

JUxta ſanctorum canonum ſanctiones non ignotum vobis eſſe credimus, quid ultionis maneat eccleſiaſtici ordinis viros, apoſtolicæ ſedis decreta ſpernentes. Ipſi enim Arvernenſi Concilio adfuiſtis, in quo præſidente prædeceſſore noſtro

ſtro bonæ memoriæ Papa Urbano, conſentientibus Galliarum epiſcopis, decretum eſt, ut altaria, quæ ab annis triginta & ſub vicariorum redemptione monaſteria poſſeliſſe noſcuntur, quiete deinceps, & ſine moleſtia qualibet, monaſteriis ipſis firma permaneant. Vos autem huic ſimplicitati incongruas duplicitates innectitis, & perſonarum redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Verum oportet nos hujuſmodi verſutiis ſinceritate veritatis apoſtolicæ obviare. Præcipimus ergo, ut decretum illud omnino teneatur integre, nec ſuper illud quidquam ulterius pro eiſdem altaribus exigatis. Sane quod vobis dicimus, cæteris quoque Galliarum epiſcopis, erga ſuarum diœceſium monaſteria, præcipimus obſervandum.

Datum Romæ ſecundo Idus Martii.

Ex hoc Paſchalis reſcripto, non ſolum illud de altarium redemptione, ſed aliud quoque decreti Claromontani caput addiſcimus, nempe ut altaria a monaſteriis per 30. annos poſſeſſa penes illos maneant. Idem docet Urbanus II. in epiſtola ad Lauduneuſem epiſcopum relata a Jureto in notis ad epiſtolam 22. Ivonis: *Altaria quæ per 40. ſeu 30. annos monaſteria poſſederunt, ſicut in Synodo conſtitutum eſt, immota eis permanere volumus*. Hinc factum ut Baldericus Noviomenſis epiſcopus privilegio ſuo, dato anno 1103. *in perpetuum* confirmaverit eccleſiæ Jotrenſi: *Altaria quæ ſub perſonatu plusquam tricennali poſſeſſione tenuerat*. Annal. Noviom. cap. 91. Diverſum eſt a ſuperiori decretum hujus ſynodi, quod extat apud Gratianum, 16. quæſt. 7. cap. 2. quo rerum eccleſiaſticarum poſſeſſio a clericis vel monachis acquiſitarum, licet epiſcopis inconſultis, non adjecta tricennalis temporis conditione confirmatur; vetita tamen in poſterum ſine conſenſu epiſcoporum harum rerum acquiſitione. Huic prohibitioni adjecta eſt deinde pœna a concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. cap. 9. his verbis: *Eccleſias ſane & decimas de manu laicorum, ſine conſenſu epiſcoporum, tam illos*, (id eſt fratres Templi) *quam quoſcumque alios religioſos recipere prohibemus, dimiſſis etiam quas contra tenorem iſtum moderno tempore receperunt*. Sed per privilegia a Romanis Pontificibus indulta capitulis & monaſteriis, libertas illis reddita eſt acquirendi decimas a laicis, prius conſulto epiſcopo, licet renuente: cujus generis privilegiorum plurima extant reſcripta in tabulariis eccleſiaſticis. Quarum conceſſionum jus apoſtolicæ ſedi reſervaverat Urbanus II cap. 5. Concilii Melfitani.

Ceterum ex decreto ſynodi Claromontanæ illud conſecuti ſunt canonici & monachi, ut altarium, ſive eccleſiarum, quaſi proprietas, adempta perſonarum ſubſtitutione, illis addicta ſit, abſque ullius penſitationis onere. Attamen non inde ſequitur, iis permiſſam fuiſſe presbyterorum in eccleſiis inſtitutionem abſque conſenſu epiſcopi: non enim ab eo officio liberati ſunt, quod antiquis decretis conciliorum illis impoſitum erat. Id egregie docet Balderici Noviomenſis epiſcopi prædictum privilegium, quo altaria a perſonatu libera Jotrenſi eccleſiæ confirmat ea lege, *ut ſynodalia jura, ſicut antea, epiſcopo, vel cjus miniſtris ſolvant: & presbyteri, qui junioratum ab eccleſiæ Jotrenſis abbatiſſa ſuſceperint, quoties alter alteri ſucceſſerit, vel aliqua cauſa eos mutari oportuerit; ab epiſcopo, ſive archidiacono, curam ſuſcipiant*. Junioratus idem eſt ac miniſterium, unde juniores eccleſiæ apud Gregorium Turonenſem, voce deducta a malitia. Itaque ad miniſterium deſignatur presbyter a capitulo, ſed regimen & autoritatem ab epiſcopo accipit. Quod jure decretalium his verbis rite explicatur: præſentationem ad corpora illa pertinere, & ad epiſcopos inſtitutionem. His ſynodi Claromontanæ decretis tribui debet diſtinctio illa, quæ frequenter occurrit in tritura fori, in curatos & parochos *primitivos*, quos vocant, & ordinarios, ſeu vicarios perpetuos. Unita namque altarium quaſi proprietate capitulis canonicorum, vel monachorum, ipſi ſibi parochorum nomen & dignitatem vindicant. Vicariis autem, quos offerunt, epiſcopi curam animarum mandant. Eos vicarios *perpetuos* eſſe, qui *congruentem habeant de eccleſiæ proventibus portionem*, decrevit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 32. relatum cap. 30. *de præbendis*. Proprios enim ſacerdotes & non conductitios, atque temporales, eccleſiis præfici debere ſtatuerunt Gregorius VII. Innocentius II. in Synodo Romana, & Alexander III. in concilio Turonenſi.

AD CANONEM XXVIII.

Verba canonis, prima fronte obſcura videntur: *Ne quis de altari communicet, niſi corpus ſeparatum, & ſanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem, & per cautelam*. Nota quæ adjecta eſt a Bano in margine, petita eſt ex annalibus illuſtriſſimi cardinalis Baronii, qui putavit hoc decreto damnari hæreſin Berengarianam in eo capite, quo docebat ſatis eſſe per unam ſpeciem euchariſtiæ impleri figuram. Cui explicationi aſſentiri non poſſum, tum quia Berengario affingit quæ nunquam ille profeſſus eſt, neque ſane ex hæreſeos ſuæ principiis profiteri poterat: tum quia, hac explicatione admiſſa, uſus eccleſiæ catholicæ in una ſpecie porrigenda laicis, non obſcure hoc telo peti poſſet. Vera itaque & germana hujus loci interpretatio haurienda eſt ex ſcriptoribus hujus ſæculi undecimi, qui ea non diſſimularunt quæ in euchariſtiæ adminiſtratione vitioſe fiebant a quibuſdam diſciplinæ eccleſiaſticæ parum callentibus. Fidelibus enim euchariſtiam ſanguine Domini intinctam porrigere non dubitabant, ut teſtis eſt auctor Micrologi, qui ante Gregorii VII. tempora ſcripſit, cap. 26. *Non eſt authenticum*, inquit, *quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam ordo Romanus contradicit*. Quæ forma non tantum adverſa erat ordini Romano, ſed etiam inſtitutioni Chriſti, qui corpus ſeorſim a ſanguine commendaverat, ut recte annotavit concilium Bracarenſe III. anno 675. quod ſimilem corruptelam damnavit cap. 1. unde ſumptum eſt quod Julii epiſtolæ ad Ægyptios in collectione Iſidori adſcribitur: *Illud vero quod pro complemento communionis intinctam tradunt euchariſtiam populis, nec hoc prolatum ex evangelio teſtimonium recipit, ubi apoſtolis corpus ſuum & ſanguinem commendavit, ſeorſum enim panis, & ſeorſum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis non præbuiſſe legimus, excepto illo tantum diſcipulo: quem intincta buccella magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ ſacramenti hujus inſtitutionem ſignaret*. Ulus autem ille utramque ſpeciem commiſcendi, hoc tempore ſervabatur apud Græcos: quem hodie quoque in ſuis eccleſiis frequentant, porrecta populis in cochleari euchariſtia, liquore ſacro poculi intincta. In quo ab illis graviter peccari contra Domini inſtitutionem, Nilcetæ Pectorato abbati, diſputatione cum eo Conſtantinopoli habita, objecit Humbertus Silvæ candidæ cardinalis epiſcopus, legatus Romanæ ſedis ad Conſtantinum Monomachum imperatorem miſſus anno 1054. Poſt tempora Damaſceni obtinuerat in Oriente hujus commixtionis abuſus. Etenim ille porrecti populo calicis aperte meminit lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. ubi morem communicantium deſcribit, qui reſiduum in labris humorem manibus ſuis attingentes, illo frontem, oculos, & reliqua ſenſuum organa ſanctificabant. Gliſcebat in Occidente, commixtionis uſus: adeo ut Ivo in tractatu de divinis officiis eum tolerandum putaret in populi communione. *Non autem*, inquit de ſacerdote loquens, *juxta Concilii Toletani definitionem, intincto pane, ſed ſeorſum corpore, & ſeorſum ſanguine communicet: excepto populo, quem intincto pane, non autoritate, ſed ſumma neceſſitate timoris ſanguinis Chriſti effuſionis, permittitur communicare*. Illam tamen communicandi formam, præjudicio ordinis Romani, Micrologi, Humberti, aliorumque tractatorum damnatam, ſynodus Claromontana ſua quoque autoritate proſcribendam duxit his verbis: *Ne quis communicet de altari, niſi corpus ſeparatim, & ſanguinem ſimiliter ſumat*. Separatim, id eſt ſeorſim, ut loquitur concilium Bracarenſe, ſive ſingulatim, quemadmodum Ordericus ſenſum hujus canonis expreſſit.

Nunc agendum de exceptione huic regulæ adhibita, ſequentibus decreti verbis: *Niſi per neceſſitatem & cautelam*. Intincti ſacrati panis conſuetudinem jam ſubiatam retinet, in excepto *neceſſitatis* caſu; nempe ſi communio præbenda eſſet ægris, vel pueris. Tunc enim, ad adjuvandum eſum, panis intinctio permittebatur, ut anno 1118. ſcripſit Paſchalis II. Urbani ſucceſſor ad Pontium abbatem Cluniacenſem epiſtola 32. *Novimus enim per ſe panem, per ſe vinum ab ipſo Domino traditum. Quem morem ſic ſemper in ſancta eccleſia conſervandum docemus atque præcipimus: præter in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt*. Cautelæ quoque ratio habita eſt: qua voce receptum a quibuſdam morem, in diſtribuenda populis euchariſtia ſynodus confirmat. Veriti enim illi, ne ſanguinis effuſio accideret; in frequenti communicantium cœtu ſolo panis conſecrati ſymbolo laicos impertiebant, non præhito poculo. qua ratione corpus ſeorſim a calice ſumebatur. Id egregie docet Recluſus abbas ſancti Trudonis, qui ea ætate vixit, iis ver-

iis verſibus quos laudat Gropperus cap. 44. de communione alterius ſpeciei:

Hic & ibi cautela fiat, ne presbyter egris,
Aut ſanis tribuat laicis, de ſanguine Chriſti:
Nam fundi poſſet leviter; ſimplexque putaret,
Quod non ſub ſpecie ſit totus Jeſus utraque.

Cæterum euchariſtiæ adminiſtratio ſub ſolo panis ſymbolo, laicis hoc ſæculo porrecto, magnum incrementum habuit poſt conſtitutum a Chriſtianis regnum Hieroſolymitanum; ad exemplum antiquiſſimæ eccleſiæ illius civitatis: in qua, nulla ſpecierum mixtione facta, ſolo pane ſibi exhibito, adventantis ex orbe univerſo populi pietas rem ſacramenti percipiebat. Quod profitetur antiquus ille patriarcha Hieroſolymitanus, cujus verba ſexcentis abhinc annis retulit Humbertus ad ſugillandos Græcorum ritus: *Cochlear autem cum quo communicent*, inquit de Hieroſolymitanis loquens, *ſicut in eccleſia Græcorum, minime habent; quia non ita* B *commiſcent ſanctam communionem in calice, ſed ſola communione communicant populum. Itaque in magnis & in parvis eccleſiis hunc morem ſibi traditum a ſanctis apoſtolis habent omnes Chriſtiani ipſius provinciæ. Græci autem cohabitantes alii ſic, alii qualiter a ſuis acceperunt. Ad hæc, ſi quid ex ſancta & venerabili euchariſtia in Hieroſolymitanis eccleſiis ſuperfuerit: nec incendunt, nec in foveam mittunt, ſed in pixide munda recondunt, & ſequenti die communicant ex eis populum: quia quotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illuc ex diverſis provinciis Chriſtiani, qui propter fidem & maximum amorem Filii Dei communicari ibidem deſiderant; quia & locus ipſe venerabilior & ſanctior eſt omnibus locis in omni terra, & ibi eſt ſepulcrum ſanctum & honorabile Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctus Calvariæ locus.* Conſuetudo illa unius ſymboli non ſtatim invaſit omnes eccleſias Occidentis, quamvis in quamplurimis ſervaretur, ob reverentiam ſanguini Domini debitam, cujus effuſioni anxie cavebant. C Sed poſtquam egregius ille theologiæ magiſter Thomas Aquinas ea de re conſultus, earum eccleſiarum pietatem & prudentiam in eo uſu laudavit: certatim reliquæ omnes illum ſine ulla difficultate amplexæ ſunt. Hæc ſunt ejus verba 3. p. q. 80. art. 12. *Provide in quibuſdam eccleſiis obſervatur, ut populo ſumendus ſanguis non detur.* Quare in concilii Conſtantienſis ſeſſione 13. quæ habita eſt 15. Junii 1415. aſſertum eſt, conſuetudinem unius ſpeciei *diutiſſime* obſervatam fuiſſe: cujus obſervatio, ut legitime præſcripta, omnibus indicta eſt, donec univerſali eccleſiæ aliud ſtatuendum videatur. Sacri calicis reſtaurationem concilium Tridentinum ſummi pontificis prudentiæ commiſit, ſi provinciæ alicujus a communione eccleſiæ per hæreſim abſciſſæ unitas hac ratione procurari poſſet.

Hic locus me admonet, ut poſt aſſertum euchariſtiæ laicis præbendæ ritum, ex genuina canonis iſtius interpretatione: confirmationis quoque ab epiſcopis D adminiſtrandæ morem antiquum ex canonis Arauſicani explicatione vindicem. Famoſi eruditorum virorum diſceptationibus canonis ſententia id exigit, ut alieno etiam loco illuſtrari debeat. Eas contentiones excitavit ex fide veterum codicum canoni adjecta negatio a viro clariſſimo & eruditiſſimo Jacobo Sirmondo in editione conciliorum Galliæ, qui ejus lectionem ita conſtituit: *Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate uſquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet, chriſmatis ipſius nonniſi una benedictio eſt: non ut præjudicium quidquam, ſed ut non neceſſaria habeatur reptita chriſmatio.* Mentem vero canonis hanc eſſe ait, ut unicam, eamque in fronte chriſmatis unctionem fieri præcipiat: ideoque miniſtrum baptiſmi chriſma in promptu habere, ut baptizatum mox liniat. Si quo vero caſu chriſmatus E in baptiſmate quiſquam non fuerit, commonendum epiſcopum in confirmatione; nempe ut baptizatus, cui chriſma adminiſtratum non eſt in baptiſmo, tunc ab epiſcopo chriſmetur. Chriſmatis unam eſſe benedictionem, vel in baptiſmo, vel in confirmatione. Neceſſariam autem non eſſe repetitam chriſmationem, ſemel ſcilicet a presbytero in baptiſmo, & iterum ab epiſcopo in confirmatione: quæ ſola manuum impoſitione conferetur. Hanc interpretationem, adjectamque canoni negationem maledicentiſſimis verbis traducit Petrus Aurelius, qui vulgatam lectionem tuetur, in qua repetita chriſmatio neceſſaria eſſe ſtatuitur. Sine flagitio dici non poſſe, contendit, Gallicanos epiſcopos hoc canone chriſmationem ab impoſitione manuum in confirmationis ſacramento ſejunxiſſe, contra morem receptum ab apoſtolorum ætate, A in Occidentis & Orientis eccleſia: vimque & benedictionem chriſmationi, quam adhibetur a presbyteris in baptiſmo, eamdem tribuiſſe, cum ea quæ in confirmatione adminiſtratur ab epiſcopo. Alienum ait ab omni uſu antiquitatis, ut presbyteris liceat chriſma fronti baptizatorum illinere, quod epiſcopis reſervatum eſt, ut presbyteris conceſſa eſt unctio in vertice. Has ergo ut novitates amoliatur, lectionem Binii retinet, quæ repetendam chriſmationem demonſtrat, ſuamque ipſe interpretationem adhibet in hunc ſenſum. Nullus presbyterorum, aut diaconorum, qui ad ægros vel laborantes accedunt baptiſmi gratia, abſque chriſmate progrediatur: quia id conſtitutum eſt ut baptiſma ab iis non adminiſtretur ſine chriſmatis unctione: quam *ſemel* tantum conferant; nulla alia ſcilicet extra baptiſmum chriſmatione illis permiſſa, quæ tunc ab epiſcopis adminiſtrari debet. Si quis autem in baptiſmo chriſmatus non fuerit, epiſcopus ea de re tempore confirmationis admonendus eſt: nempe ut baptizatum arceat a confirmatione, & presbyterum remittat prius chriſmandum in vertice. Ipſe enim epiſcopus ejuſmodi chriſmationem præbere non poteſt, quia chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt, ut loquitur canon, id eſt chriſmatis epiſcopi, ſeu chriſmatis epiſcopalis, quod ab epiſcopo in confirmatione adminiſtratur. Eſſet autem duplex benedictio illius chriſmatis, ſi prius vicem ejus quæ a miniſtris petenda erat, deinde ſuam expleret. Cæterum a miniſtris expetenda eſt prima chriſmatio omiſſa, quia neceſſaria eſt repetita chriſmatio, nempe prima illa baptiſmalis, & ſecunda quæ ab epiſcopo adhibetur in confirmatione. Quod eo non pertinet, ut chriſmatis baptiſmalis omiſſionem ſola neceſſitate contractam cuiquam obeſſe, aut chriſmationis epiſcopalis vim minuere velit ſynodus: ſed ut ſine ullo ejuſmodi præjudicio repetita chriſmatio, ſeu chriſmatio duplex, neſſaria habeatur. Abſurdam ſane, inextricabilem, & ſententiæ ſynodi contrariam explicationem nobis obtrudit Aurelius: quia vitium lectionis a Sirmondo emendatum abjicere noluit. Cæterum ut de caſtigatione canonis a viro doctiſſimo aſſerta dubitandum non eſſe: ita de mente ſynodi ab eo propoſita amplius deliberandum cenſeo. Etenim vix ſuſpicari poſſum, Gallicanos epiſcopos ab eo ritu conſignationis adminiſtrandæ diſceſſiſſe, quem ab ultimis temporibus, Occidentis & Orientis epiſcopi cuſtodiebant, manus imponendo baptizatis, deinde unguento delibuta fronte, cum ſolenni formula.

Itaque ſic arbitrabar ſententiam hujus canonis conſtitui poſſe, ut vetuſtati ſua ratio conſtaret. Primo canonis membro præcipitur diferre miniſtris baptiſmi, ut chriſma in eo ſacramento adhibeant, & aqua tinctos ungant: altero, de omiſſa in baptiſmo chriſmatione agitur: ad quem ſolum caſum trahenda ſunt poſteriora verba canonis. Iis autem conſtituitur, neceſſum non eſſe, ut in ea ſpecie duplici chriſmatione utatur epiſcopus in confirmatione: priore, eaque ſolitaria, qua negligentiam presbyteri ſuppleat, & prætermiſſam in baptiſmo cæremoniam unctionis reſtauret: poſteriore vero, quæ in confirmationis ſacramento cum manuum impoſitione conjungi ſolet: hancque ſolam ſufficere. Prioris conſtitutionis hæc eſt ratio. Presbyteris baptiſma conferentibus infantes ungere licebat olim, ſed non fronte, ut docet egregie Innocentius I. in epiſtola ad Decentium: *Nam presbyteris, ſeu extra epiſcopum, ſive præſente epiſcopo, cum baptizant, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur epiſcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Unctio itaque licita erat presbyteris ex decreto Innocentii, ſed non erat præcepta. Quare opus fuit in Galliis hoc canone Arauſicano, ut miniſtri una cum baptiſmo chriſma adhibere in vertice ex officio tenerentur: *Placuit inter nos ſemel chriſmari*, inquiunt patres, id eſt, neceſſarium eſſe duximus ut chriſmatis delibutio non pendeat in poſterum ex arbitrio presbyterorum; ſed ſimul & ſemel cum baptiſmo adminiſtretur. Tantumdem eſt ſi legas *ſemel*, vel *ſimul*; par enim eſt hoc loco utriuſque verbi ſignificatio, ut recte monuit Sirmondus, quidquid argutetur Aurelius. Attamen, quoniam in illis novi decreti exordiis accidere poterat, ut caſu aliquo omitteretur in baptiſmo chriſmatis unctio: ea de re commonendum epiſcopum docent, quando ad confignandos infantes accedit. Quid ita? an ut baptizatum remittat ad miniſtros baptiſmi, qui unctionem verticis omiſſam præſtent, & ſic epiſcopo conſignandum tradant? Ludicrum ſane ſpectaculum, ut graviter animadvertit Sirmondus: cujus ne minima quidem ſuſpicio in verbis canonis. Cur autem monendus ſit epiſcopus de hoc caſu, ſubjicitur in canone: eo tamen ordine, ut dectionem antecedat ratio ipſa decidend. Quippe monitus epiſcopus apud ſe arbitrabitur an duplici chriſmatione fungatur, una, qua vicem omiſſæ in baptiſmo

cere-

ceremoniæ impleat, ungendo baptizatum ante confirmationem; altera, quam in confirmatione ex traditione apoſtolica poſt impoſitionem manuum adhibeat. Ac ſane, ſi vitam ſit epiſcopo duplici illa chriſmatis unctione linere baptizatum, nihil obeſſet myſterio vel *non præjudicaret quidquam* illa chriſmatio, ut loquitur canon, quia ſuperflua non nocent: attamen chriſmationem illam repetitam, neceſſariam non eſſe docet ſynodus. *Quoniam*, inquit, *chriſmatis ipſius inter quoslibet nonniſi una eſt benedictio*. Id eſt una eademque benedictione conſecratum eſt chriſma, quo utuntur epiſcopi & presbyteri: adeoque licet unctio in baptiſmate fuerit omiſſa, ex eo nullum ſequitur damnum, cum reſarciatur copioſe in chriſmate conſignationis. Poteſt alius quoque ſenſus ex illis verbis erui: nempe omnes, qui chriſma adhibent, una ſolaque chriſmatione myſterium in baptiſmo vel in confirmatione peragere ſolitos; idcoque non cogi epiſcopum uti chriſmatione repetita in confirmatione, ex eo quod vitio aut caſu aliquo presbyter unctionem verticis omiſerit in baptiſmo. Ergo non neceſſaria habetur repetita chriſmatio, id eſt iterata, & bis acta ab epiſcopo.

Equidem certum eſt, apud antiquos in conſignandis baptizatis eum ritum uſurpatum, ut epiſcopi & manus illis imponerent, & eorum frontes chriſmate ſignarent, teſte Innocentio I. & eo vetuſtiore Tertulliano, qui egreſſis e lavacro, & benedicta unctione peractis, manum imponi ait invitantem Spiritum ſanctum: libro de baptiſmo cap. 7. Idem de reſurrect. carnis cap. 8. *Caro ſignatur, ut anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur*. Hujus myſterii in baptiſmo executionem epiſcopis ſingulari jure vindicat Cyprianus epiſt. 73. ad Jubajanum: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in eccleſia baptizantur, præpoſiti eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem & manus impoſitionem, Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur*. Mitto Ambroſium, Optatum, Auguſtinum, Pacianum, qui manus impoſitionem cum chriſmate ab epiſcopis adhibitam fuiſſe docet: & promiſcue ſacramentum iſtud, *chriſmatis*, vel *impoſitionis manuum* nomine ſignificant: quod abunde alii docuerint. Quare inſigniter locutus eſt Hieronymus in dialogo adverſus Luciferianos: *Non abnuo*, inquit, *hanc eſſe eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati ſunt, epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat*. Quibus verbis non excludit chriſmatis conſignationem, quæ ſemper adjuncta erat huic manus impoſitioni: quæque ab eo ritu, qui deſcriptus eſt in Actis apoſtolorum cap. 8. nomen ſumpſit olim, non ſolum apud Latinos, ſed etiam apud Græcos: auctoritate ducta ex apoſtolo, qui in epiſtola ad Hebræos cap. 6. myſterium iſtud conſignationis vocat, ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν. Hanc loquendi formam uſurpavit ſynodus Nicæna cap. 8. cum Novatianos, ſive Catharos καθαρισταὶς ſuſcipi jubet, id eſt *impoſitionem manus accipientes*, ut vertit Dionyſius Exiguus. Non me latet, quin ſtatim lectori ludibrium debeam, qui ex communi noſtrorum hominum ſententia, canone Nicæno de reconciliatoria manus impoſitione agi putabit: vel, ſi emunctiores auctores ſequatur, de ceremonia mera, quæ in ſuſcipiendis iſtis hæreticis præſcripta ſit a ſynodo. Sed fortaſſe ſententiam meam illi probabo, ſi ea quæ ſequuntur argumenta & veterum teſtimonia expendat. In Novatianis ſuſcipiendis duo quædam præſcripſit ſynodus Nicæna, primo, ut ſcripto libello hæreſim ejurent, ſecundo, ut manus eis imponatur. Primum erat illis commune cum omnibus hæreticis: ſecundum vero ſpeciale illis erat, & Arianis, & aliquot aliis, non autem commune cum omnibus, ut mox dicam. Ratio diſcriminis hæc eſt, quod Novatiani epiſcopi a ſe baptizatis manus non imponerent, nec chriſma conferrent: unde illis ad catholicam redeuntibus tribuendum cenſuit ſynodus quod omiſſum fuerat ab hæreſi. Teſtes laudo idoneos negligentiæ Novatianorum, hinc Pacianum epiſcopum Barcinonenſem in Occidente, illinc Theodoretum in Oriente. Quippe Pacianus Novatianos his verbis objurgat, epiſtola tertia ad Symp. *Veſtræ plebi unde Spiritus, quem non conſignat manus ſacerdos?* Theodoretus vero lib. 3. *hæreticarum fabularum* cap. 5. obſervata prius Navati procacia, qui ſum parris abſeclas Καθαρὸς προσηγόρευε: mox ſubjicit: *Τοῖς δὲ τοῦτο βαπτιζομένοις οὐ παρεῖχε τὴν ἐπιφοίτησιν τοῦ πνεύματος· διὸ καὶ τῶν, ἢ ὡς ἐν τοῖς τὰ πολλὰ τῆς ἐκείνου γνώμης ἐφεστῶτες, τὴν ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν οἱ ἀνιέρωτοι καλοῦσι προσευχήν*. His quos baptizant ſanctiſſimum chriſma non præbent, quapropter eos, qui ex hac hæreſi corpori eccleſiæ conjunguntur, laudatiſſimi patres iterum præcipiunt.

Canonem iſtum VIII. Synodi Nicænæ in mente habuit, quo Novatianis manum imponendam eſſe docetur: & canonem VII. ſecundæ ſynodi œcumenicæ, ex quo trahitur vera explicatio ſynodi Nicænæ. Quos enim iſta ſuſcipi jubet cum manuum impoſitione, illa ungendos & ſignandos chriſmate docet, σφραγίζεσθαι τῷ ἁγίῳ χρίσματι adjecta quoque ſacri illius ritus formula, *ſignaculum doni Spiritus ſancti*. Quare illud aſſerere licet quod jam propoſui, conſignationem chriſmatis dictam fuiſſe ab antiquis *manus impoſitionem*. Ut decet etiam eximius Dionyſii Alexandrini locus, relatus ab Euſebio lib. 7. c. 2. qui ait ex vetuſta conſuetudine hæreticos ſuſceptos, abſque iterato baptiſmo, ſola manuum impoſitione, μόνην τὴν ἐπὶ τῷ χρίσματι τῶν χειρῶν ἐπίθεσιν ἄγειν. Quo nomine eam quoque ſignificat Siricius epiſtola ad Himerium c. 1. qua vetat Arianos iterum baptizari: *Quos*, inquit, *nos cum Novatianis, aliiſque hæreticis, ſicut in ſynodo conſtitutum eſt, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, epiſcopalis manus impoſitione, catholicorum conventui ſociamus: quod etiam totus Orientis Occidenſque cuſtodit*. Id conſtitutum fuerat ante Nicænam ſynodum in concilio Arelatenſi I. c. 1. quo cavetur ut hæreticis, qui in Trinitate baptizati ſunt, ab hæreſi redeuntibus, *manus tantum imponatur, ut accipiant Spiritum ſanctum*. Idem omnino decrevit Innocentius I. de Novatianis & Montenſibus, in epiſtola ad Victricium, & Leo I. in epiſtola ad Ruſticum. Porro dubitandum non eſt, quin unctio chriſmatis, una cum impoſitione manus in Occidente adhiberetur in hæreticis ſuſcipiendis: cum hanc formam ſequerentur Orientis eccleſiæ, quibus in hoc more cum Occidente conveniebat, teſte Siricio. Sed ne conjecturas adhibeamus in re aperta, laudandum eſt concilium Arelatenſe II. habitum anno 452. quo ſtatuitur in c. 16. *Photinianos, ſive Paulianiſtas, ſecundum patrum ſtatuta baptizari oportere*. Et c. 17. *Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate & manus impoſitione in eccleſia recipi ſufficit*. Conſtituerat quoque ſynodus Arauſicana I. anno 441. hæreticos reſipiſcentes *cum chriſmate & benedictione conſignari*. c. 1. *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderant, ſi deſit epiſcopus, a presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placuit*. Ubi obſerva indultum fuiſſe presbyteris conſignationis uſum: ſed in mortis diſcrimine, atque abſente epiſcopo. Alioqui jus iſtud epiſcopis reſervatum eſt, a quibus ſolis hæretici, citra morbi cauſam, chriſmate ungendi ſunt. Quod diſerte notat Concilium Epaonenſe cap. 16. *Presbyteris propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus, deſperatis & decumbentibus hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, chriſmate permittimus ſubvenire. Quod omnes converſuri, ſi ſani ſunt, ab epiſcopo noverint exſpectandum*. Synodi indulgentia neceſſaria fuit ad permittendam presbyteris hoc ſpeciali caſu conſignationis adhibitionem: cum ordinario jure hoc miniſterium ad epiſcopos pertineat, teſte Innocentio I. Commiſit tamen aliquando poſſe presbyteris, ex gravi cauſa, ejus executionem a ſummo pontifice docent theologi, exemplo Gregorii I. erga presbyteros Sardiniæ, libro 2. epiſt. 9. quamvis ex eo loco vix conſici poſſit quod illi pertendunt: cum potius presbyteris Sardiniæ conceſſum ſit in fronte baptizatos ungere ſpeciali privilegio, non autem in vertice, ut ſolenne eſt alibi, quam baptizatos conſignare. Cæterum autoritas illa apoſtolicæ ſedi vindicabitur rectius, exemplo ſynodorum prædictarum: cum tanto potior ſit illius poteſtas ſynodis provincialibus. Ad quam rem pertinere quoque poterit eccleſiæ Græcæ conſuetudo, quæ conſignationis adminiſtrationem presbyteris ſuis jam ante Photii tempora permiſit: quod nec a Romanis pontificibus, nec a concilio Florentino apud Græcos damnatum eſt: quia graviſſimis de cauſis miniſterium illud presbyteris committere potuerunt, connivente ſaltem apoſtol. ſede.

Sed ut redeam ad canonem VIII. ſynodi Nicænæ, & ad canonem VII. ſynodi ſecundæ: ex quibus invicem conjunctis aperte oſtenditur, manus impoſitionem collatam fuiſſe Novatianis reſipiſcentibus, cum chriſmatis deliburione; neceſſe eſt ad extorquendum lectoris aſſenſum, ut horum quoque rituum ſacrorum conjunctionem factam a Græcis probem, ut a Latinis uſurpatam fuiſſe docui. Movere enim in contrariam ſententiam poſſet, quod perpetuo apud Græcos, tum veteres, Cyrillum nempe, Chryſoſtomum, Theodoretum, Dionyſium, & ceteros, tum apud recentiores, conſignationis ſacramentum dicitur χρῖσμα μόνον μυστικόν, vix autem manus impoſitio, præterquam in ſynodi Nicænæ canone a nobis animadverſo, & in epiſtola Dionyſii Alexandrini apud Euſebium. Exrat in bibliotheca regia, antiqua collectio veteris cujuſdam theologi, ante annos octingentos conſarcinata, ubi ſuſcipiendorum hæreticorum formula deſcribitur, juxta diſcrimen annotatum in ſecunda ſynodo, cujus verba referuntur: iiſque ſubjicitur hæreſis ejurandæ modus, ſacerdote conceptis verbis præeunte. Quo peracto, ſacerdos manum imponit hæretico converſo, atque preces recitat.

quibus invocat Spiritus sancti adventum: deinde vero eum sacro chrismate ungit, ut fieri solet erga recens baptizatos: Ἐπικλίνοντος τοῦ μετερχομένου, ὁ ἱερεὺς ἔχων τὴν χεῖρα ἐν αὐτῷ, ταύτην τὴν εὐχὴν λέγει: *Inclinante semet eo qui accedit ad fidem, sacerdos illius capiti manum imponens hanc precem fundit.* Mox recitat orationem, in qua sunt hæc verba: Καταξίωσον αὐτὸν τῆς σφραγῖδος τοῦ θείου μύρου, καὶ τῆς ἁγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσεως. *Dignare illum divino unguento, & adventu Spiritus sancti.* Post recitationem orationis, χρίει αὐτὸν τῷ μύρῳ, καθάπερ καὶ τοὺς νεοφωτίστους, τὴν αὐτὴν καὶ ἐπ' αὐτῷ ἐπιλέγων ποιούμενος. *Ungit eum sacerdos unguento, ut fieri solet erga baptizatos, eamdemque formulam super eo recitat.* Quid apertius & illustrius proferri potest ad duo illa demonstranda? consignationem scilicet Græcorum constitisse, & manus impositione, & chrismatis unctione: tum vero impositionem manuum, quæ resipiscentibus hæreticis quibusdam adhibebatur, ipsum fuisse confirmationis sacramentum, non autem meram ceremoniam. Eadem forma servabatur illa ætate in Occidentis ecclesiis, ita ut manus priore loco baptizatis imponeretur ab episcopo, qui deinde frontem singulorum chrismate signabat, ut docet ordo Romanus: *Pontifex veniens ad infantes, tenente archidiacono chrisma, & imposita manu super capita eorum, dicit orationem super eos, cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti. Oratione expleta; interrogantibus diaconibus nomina singulorum, pontifex tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Unde lucem fenerari licet Cypriani testimonio superius adducto, ubi signaculum dominicum, sive chrismatis unctio, sequitur impositionem manuum: licet apud Tertullianum antecedere videatur. Sane antequam mysterium istud communicatum fuisset presbyteris apud Græcos, episcopi præcipuo jure illud usurpabant, exemplo ducto ab apostolis in Actis: unde quoque privilegium suum episcopi Latini trahere soliti erant, id didicimus non solum ex Dionysio, sed etiam ex Chrysostomo in homilia 18. in Acta, qui docet apostolis datam fuisse potestatem Spiritum sanctum tradendi, eaque solos antistites, non alios, uti: ὅθεν καὶ τοὺς κορυφαίους, οὐκ ἄλλους τινὰς, ἑώρων τοῦτο ποιοῦντας.

Attamen adversus ea quæ disputavi breviter obiici potest beati Gregorii testimonium libro 9. regesti epistola 61. qui consulenti Quirino, & cæteris episcopis catholicis in Iberia, an Nestoriani veram fidem amplectentes baptizandi essent, vel sola fidei confessione suscipiendi, ita respondet, ut Orientis morem erga hæreticos diversum ab Occidentis consuetudine significet. Tres quippe gradus hæreticorum ponit: quorum alii, qui in nomine Trinitatis non baptizantur, ut Cataphrygæ & Bonosiani, iterum tingendi sunt. De duobus aliis generibus hæc sunt ejus verba: *Ab antiqua patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum sanctæ ecclesiæ catholicæ Oriens reformat. Monophysitas vero & alios ex sola vera confessione recipit: quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint; vel isti propter professionem veræ fidei, sanctæ & universalis ecclesiæ visceribus fuerint uniti.* Hic opposita videtur manus impositio unctioni chrismatis, qua utebantur Orientales erga Arianos: ac si Occidentalis ecclesia manum illis imponendo, chrisma quoque non adhiberet. Attamen, ut superius prædixi, ex synodo Arelatensi II. Ariani in Occidente a catholicis ungebantur imposita manu: eumdemque usum, Gregorii magni ætate fuisse docent Gregorius Turonensis in Gallia, & Isidorus Hispalensis in Hispania, lib. 2. de offic. divin. c. 24. Præterea vero Orientis & Occidentis similem ritum in Arianis admittendis didicimus ex Siricio: etsi nomine distaret, his chrismatis unctione, aliis vero manus impositione, frequentius hoc mysterium significantibus. Eadem plane est Gregorii sententia: quippe de Orientis chrismatione, & de manus impositione Occidentis initio locutus, & de fidei professione ab hæreticis exigenda: in fine loci laudati verba sua colligens, ait per *impositionem manus, & professionem fidei*, baptismi vires in hæreticis conversis suscitari, omissa mentione chrismatis, utpote quæ comprehensa esset in impositione manus. Interim hic omittendum non est, in editionibus Gregorii, epistolæ inscriptionem ad Hiberniæ episcopos dirigi, quam emendandam duxi, *Iberiam* substituendo. Tum quod inquisitio de Nestorianis facta, satis docet de Orientis partibus agi, in quibus solis hæresis illa vigebat: tum quod initio epistolæ annotat Gregorius, legatum episcoporum Romam se conferentem, *in Hierosolymorum urbe* epistolas cum aliis rebus perdidisse. Quod de *Hibernis* in ultimo Occidente positis non nisi absurdissime dici potest: quemadmodum *Iberis*, in finibus Ponti sitis, & fidem Christianam ab ipsa Constantini ætate amplexis, apprime congruit. Nestorianos ergo per solam professionem recipiendos consultationi respondens docet Gregorius: neque baptismo iterato, neque manu imposita, vel chrismate collato. Et ille quidem traditionem patrum laudat, quæ ritum alium erga Nestorianos non adhibendum docebat. Sane ex synodo Nicæna quidam iterum tingendi erant, ut Paulianistæ canone XIX. Eunomiani, Montanistæ, atque Sabelliani ex secunda synodo. Novatianis vero, post fidei professionem scripto datam, imponenda erat manus, chrisma adhibendum. Quibus adjunxit secunda synodus, Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Quartodecimanos, & Apollinaristas: ea scilicet ratione, quam ex Theodoreto protulimus, quia apud suos post baptismum non erant consignati. Nestorianorum meminisse non potuit secunda synodus, quos chrismate signatos fuisse par est, cum sola fidei professione facta admittantur a Gregorio, juxta morem antiquum: æque ac *Monophysitæ*, id est Eutychiani, unam profitentes naturam in Christo. Unde quoque conficitur, chrismationem & manus impositionem non esse nudam ceremoniam usurpatam in admissionem hæreticorum: alioqui erga Nestorianos & Monophysitas adhibita esset, contra quam statuat Gregorius. Similia huic decreto tradit vetus illa quam laudavi collectio: Νεστοριανοὺς δὲ καὶ Ἐυτυχιανιστὰς χρὴ ποιεῖν λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζειν τὴν αἵρεσιν, καὶ Νεστόριον, καὶ Εὐτυχέα, καὶ Διόσκορον, καὶ Σεβῆρον, καὶ τοὺς φρονοῦντας τὰ αὐτὰ, καὶ πάσας τὰς προειρημένας αἱρέσεις, καὶ μεταλαμβάνειν τῆς ἁγίας κοινωνίας. *Nestorianos vero & Eutychianistas oportet conscribere libellos, & hæresim suam anathematizare, una cum Nestorio, Eutyche, Dioscoro, & Severo, & iis qui similia sentiunt, & cæteras omnes hæreses, & participes fieri sanctæ communionis.*

Explicatione horum canonum defunctus, illud quoque annotatione dignum duxi, quod Ordericus & Ivo de Turonensi concilio ab Urbano post Arvernense habito scripserunt. Hæc sunt Orderici verba: *Urbanus papa in sequenti quadragesima Turonis aliud concilium tenuit, & ea unde apud Clarummontem tractaverat confirmavit. In medio quadragesimæ, basilicam S. Nicolai Andegavis dedicavit, & privilegiis apostolicis honoravit. Goifredum Martellum Andegavorum comitem hortatu & potestate de vinculis liberat, quem Fulco Richinus junior frater ejus proditione ceperat: dominum quoque suum honore privatum apud Chinonem castrum fere 30. annis carceri mancipaverat.* Ivo Carnotensis episcopus, de monachis Fossatensibus loquens epistola 159. ait: *Conqueruntur se in concilio Turonensi fuisse prægravatos, quoniam ad suggestionem comitis Andegavensis dicunt fuisse subreptum domno papæ Urbano, monasterium S. Mauri situm in patria Andegavensi, quod sub jure Fossatensis monasterii antea per trecentos, aut eo amplius annos extiterat de ejusdem monasterii jure auferret, & ordinato ibi abbate liberum esse constitueret.*

Absoluta Claromontana synodo, Urbanus iter instituens ad civitatem Turonensem, Lemovicas se contulit, ubi natale Domini celebravit: dedicata quoque sancti Martialis basilica, ut docent veteres illius monasterii chartæ. Unde corrigendus est Bertholdus, qui docuit in chronico diem nativitatis dominicæ ab Urbano peractam Arelati. Veteris chartæ hæc subde verba: *Dominus Urbanus sanctæ Romanæ ecclesiæ apostolicus, mense Decembrio X. Kalendas Januarii, venit in hanc civitatem Lemovicensem, adfueruntque cum eo præcellentissimi ac religiosissimi viri archiepiscopi, & episcopi quam plurimi, quorum ista sunt nomina: Domnus Hugo archiepiscopus Lugdunensis, domnus Audebertus archiepiscopus Bituricensis, domnus Amatus archiepiscopus Burdigalensis, domnus Dagbertus archiepiscopus Pisensis, domnus Rangerius archiepiscopus * Pisensis, Bruno quoque episcopus S gniensis, præsul quoque Pictavensis Petrus, præsul quoque Santonensis Ramnulfus, præsul quoque Petragoricensis Raynaldus, Humbaudus episcopus Lemovicensis. Hi omnes, qui cum eo Christi Domini nativitatem celebraverunt. Et ipso die nativitatis, diluculo cum omnibus illis ascendit ad ecclesiam domni Martialis: & super altare sancti Salvatoris Missam de luce cantavit: & post sermonem habitum ad populum, coronatus ad sedem sancti Stephani rediit. Die vero sexta nativitatis, quæ fuit dominica, iterum ad monasterium sancti Martialis venit, ibique diebus octo permanens cum præfatis archiepiscopis & episcopis, basilicam regalem, quam divæ memoriæ Ludovicus imperator filius Caroli Magni imperatoris a fundamentis construxerat, sed postea tam conflagratione ignis, quam variis casibus conquassata, & a domno Ademaro, abbate tunc istius loci, interius exteriusque ad plenum reformata & ornata, apostolica auctoritate solemniter dedicavit II. Kalendas Januarii. Et ipse quidem aquam benedixit, archiepiscopi vero interius exteriusque basilicam cum ipsa aqua aspergentes perlustraverunt. Deinde ipse domnus papa propriis mani-*

* Corr. Rhegiensis.

manibus altare Domini Salvatoris aqua benedicta lavit, chrismate & oleo ſancto perunxit, pignora ſanctorum ibi repoſuit, & mox in ipſo altari Miſſam cantavit, innumero populi multitudine adſante: & in perpetuo dictum illum ſolemnem & celebrem dedicationis agi conſtituit.

Concilii Nemauſenſis, cujus memini initio hujus diſſertationis, mentio diſerta habetur in fragmento Floriacenſi hiſtoriæ Franciæ: *Anno ab incarnatione Domini* MXCVI. *papa Urbanus in Gallias venit, conciliumque maximum epiſcoporum & abbatum apud Clarummontem in menſe Novembrio celebravit. In ſequenti quoque anno, apud Nemauſum, aliud congregavit in menſe Julio concilium.* Unde patet actam fuiſſe Nemauſenſem iſtam ſynodum aliquanto tempore poſt Turonicam, quæ habita fuerat diebus quadrageſimæ. In actis quoque relatis a Catello, *in Amelio Toloſano epiſcopo*, C Iiſtus II. litem quamdam eccleſiæ ſancti Saturnini in hoc concilio ab Urbano II. deciſam fuiſſe teſtatur: *Ego, fratres*, inquit, *in concilio Nemauſenſi, in quo dominus papa Urbanus præfuit, cum multis aliis interfui.*

APPENDIX ALTERA

GABRIELIS COSSARTII S. J.

AD CONCILII CLAROMONTANI Binianam editionem.

EDita hactenus multa, quæ ad Claromontanum Urbani II. concilium attinent: non omnia tamen canones quidem ad nos, ſed eorum breviaria quædam pervenerunt. Eorum aliquot integro modo repræſentabimus ex vetuſta concilii hujus notitia, quam ſimul cum aliis quibuſdam ad eandem ſynodum ſpectantibus, alterius appendicis loco ſubjicimus.

NOTITIA CONCILII CLAROMONTANI ann. MXCV. ex Cencii Camerarii volumine MS.

* MS. Balu-zianus habet, *Ind.* III. H.

ANno Dominicæ incarnationis MCXV. Indict. IV. XIV. Kal. Decembris, celebrata eſt apud Clarummontem Arverniæ ſynodus, præſidente domino Urbano Papa, conſidentibus diverſarum provinciarum archiepiſcopis numero XII. cum epiſcopis LXXX. abbatibus innumeris.

I.

11. q. 1. c. de laicis. Die igitur quarta de laicis facta eſt quæſtio, qui morientibus epiſcopis, ſive aliis clericis, res defunctorum invaſas eccleſiæ pauperibuſque ſurripiunt. Contra quos commune totius concilii anathema prolatum eſt, papa ipſo promulgante D ſententiam.

Si quis poſt interdicti præſentis cognitionem, epiſcoporum, ſeu presbyterorum, aut aliorum clericorum res invaſerit, uſque ad ſatisfactionem excommunicetur. Epiſcoporum vero deficientium res per archipresbyterorum ſeu archidiaconorum manus, aut ſecundum judicium mortuorum, per ipſorum ſalute in eleemoſynas diſpenſentur, aut ſucceſſori, qui futurus eſt, reſerventur. Idipſum de presbyterorum ſeu clericorum aliorum rebus per epiſcopum, vel ſupradictas perſonas, E aut cui deficientes commiſerint, fiat. Si quis autem adverſus iſta præſumpſerit, anathema ſit.

II.

Factæ ſunt etiam in ſequentibus diebus quæſtiones de clericis qui per Gallias, archipresbyterorum ſeu archidiaconorum & decanorum dignitatibus utebantur, cum eorum aliqui in primo tantum gradu conſiſterent. Præceptum itaque eſt.

Diſt. 8. de. c. 1. Nullus epiſcopus in eccleſia ſua, niſi diaconus ſit, archidiaconum conſtituere; nec archipresbyterum, aut decanum, niſi presbyter ſit, ordinare præſumat. Quo vero diſtrictius teneatur, auctoritate apoſtolica prohibentes interdicimus.

III.

Queſtum eſt & de epiſcopis qui altaria monaſteriis data frequenter redimi pecunia compellebant. Decretum itaque eſt. 1. q. 3. c. 4. * quæſtum.

Quia quidam ſimoniacæ pravitatis ramus in Galliarum partibus jam diutius inolevit, ut eccleſiæ vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos nuncupantur altaria, monaſteriis datæ, ſæpius ab epiſcopis ſub palliata avaritia vendantur: mortuis nimirum, ſeu mutatis clericis, quos perſonas vocant. Nos auctore Deo venalitatem omnem tam ex rebus, quam ex * miniſteriis eccleſiaſticis propellentes, hoc ulterius divina * auctoritate prohibemus. Sic & præbendas omnes venundandas interdicimus. Porro quæcumque altaria vel decimas, ab annis XXX. & ſupra hujuſmodi redemptione monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quiete deinceps & ſine moleſtia qualibet eis poſſidenda firmamus: ſalvo utique epiſcoporum cenſu C annuo, quem ex eiſdem altaribus habere ſoliti ſunt. * miſteriis Gratian. auctori tate apoſtolica.

IV.

Sane quia monachorum quidam epiſcopis ſua * auferre contendunt: ſtatuimus ne in parochialibus eccleſiis quas tenent, abſque epiſcoporum conſilio presbyteros collocent: ſed epiſcopi, parochiæ curam cum abbatum conſenſu ſacerdoti committant: ut ejuſmodi ſacerdotes de plebis * quidem cura epiſcopo rationem reddant; abbati vero pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant: & ſic cuique ſua jura ſerventur. 16. q. 7. c. 6. * Gratian. jus ſuum. * Gratian. populi.

V.

Confirmata ſunt in eodem concilio capitula ſuperiorum omnium conciliorum, quæ per eundem papam, aut Melphiæ, aut Beneventi, aut Trojæ, aut Placentiæ celebrata ſunt.

VI.

Depoſiti ſunt propter ordinationem intra annos factam epiſcopi duo. Sed iidem ipſi, totius concilii precibus, in fine ſynodi reſtituti: promittentibus omnibus epiſcopis, ab hujuſmodi ordinatione ſe ulterius ceſſaturos.

VII.

Lugdunenſi eccleſiæ primatus reſtitutus eſt ſuper Lugdunenſem, Senonenſem, Turonenſem, Rotomagenſem provincias: Turonenſi metropoli, citerioris Britanniæ reſtitutio * facta eſt. * nulle ejus-ſtu uſque ad Innocentii III tempora.

VIII.

Tunc & expeditio facta eſt, & conſtituta eſt, equitum & peditum ad Hieruſalem & alias Aſiæ eccleſias a Saracenorum poteſtate eruendas: & in eorum bonis, uſque ad reditum, pax continua promulgata.

IX.

Et quia pleræque Galliarum regiones, alimentorum inopia laborabant: interdictum eſt treviam

uſque ad annos tres villanis & mercatoribus eſſe continuam; militibus vero a quinta feria uſque ad dominicam per ſingulas hebdomadas obſervandam; clericis autem & monachis, omnibus æque temporibus: ac primum peregrinis ad ſacra loca tendentibus.

NOTÆ GABR. COSS. S. J.

Notitiæ hujus exemplum ex Centii Camerarii volumine deſcriptum, contulimus cum altero, quod jam ediderat ex cod. Anianenſi vir eruditiſſimus St. Baluzius.

Indictionem IV. habet exemplum noſtrum, ea parte Baluziano emendatius, quod tertiam notat. Nam a Kalendis Septemb. jam inchoata erat quarta Romano more, quem hic pontificius notarius proculdubio ſervavit. Habitum eſſe IV. Kal. Decembr. ferunt multa MSS. exemplaria: & ſic editum ſupra, pag. 808. At repugnat Bertholdus aſſerens ſynodum hanc *in octava S. Martini congregatam eſſe*. Cæteri vulgo conſentiunt: conſentit & hic Cencii codex, adſcribens XIV. Kal. Dec. quæ dies poſt S. Martini feſtum octava eſt: conſentit & Chronicon Alberici, item & Belgicum, quæ diem eundem aſſignant: in eo tamen emendanda, quod diem lunæ fuiſſe aſſerant. Nam eo anno dies XIV. Kal. Decemb. in diem dominicum incidit.

Vide narrationem ſupra editam pag. 694. ex qua diſcimus, natale apoſtolorum Simonis & Judæ die dominica celebratum hoc anno fuiſſe: ac proinde S. Martini feſtum, ejuſque octavam. Tres enim illi dies in Romano Kalendario una eademque littera G. contignantur, quæ anno MXCV. dominicalis erat. Et narratio altera pag. 696. aſſignat *octavas S. Martini quas tunc*, inquit, *dies dominica celebriores reddidit*. Quod autem diem notat. XV. Kal. Decemb. mendum certiſſimum: octava enim S. Martini ſemper incidit in XIV. Kal. Docet narratio eadem, finem concilio impoſitum fuiſſe IV. Kal. Dec. docet quoque diſceptatam ibidem eſſe controverſiam epiſcoporum duorum, Lamberti Atrebatenſis, & Gualcheri Cameracenſis: atque hunc depoſitum ab omni epiſcopali ſacerdotalique officio. Vide & Urbani epiſtolam trigeſimam ſeptimam appendicis, & quod adjectum eſt ad tertiam.

De præſulum, qui interfuerunt, numero non conſentiunt autores. Generalem vocat ſynodum Bertoldus: ad eam convenisſe epiſcopos pene totius orbis, exceptis Lotharingis, Alemannis, & Hungaris, ait Chronicon S. Victoris Virdunenſis. Cur iſti potius quam alii deſiderarentur, ſchiſma Guiberti Antipapæ, & Henrici IV. Imp. effecit.

Canones III. & IV. hujus codicis totidem verbis repetiti ſunt ſequenti anno in concilio Nemauſenſi, cujus primus canon ex duobus illis confectus eſt. Quo factum, ut qui Nemauſiense concilium viderant, nihil autem ex Claromontano, niſi ſummas illas capitulorum ſupra editas, errarle Gratianum crediderint, cum tertium Canonem citat *ex concilio Urbani papæ habito Alvernie*. Sirmondus certe in Decreti libro qui mihi nunc præ manibus eſt, emendaverat, ſcripſeratque, *Nemauſi*. Ad quartum vero, cui nihil inſcripſerat Gratianus, niſi Urbani eſſe, annotavit Sirmondus, *in concilio apud Nemauſum*. Vere id quidem. Sed ex Claromontano repetitum eſſe ignorabatur. Id vero ne in poſterum neſciamus, hæc quam nunc edimus notitia præſtabit: item & epiſtolæ Paſchalis II. ad Ivonem & Ranulfum; & Eugenii II. ad monachos epiſcopatus Narbonenſis. Alterius eam partem, quæ hoc concilium reſpicit; alteram totam Baluzio debemus.

Cenſus annuus, cujus in tertio canone mentio, is eſt, ut recte idem indicat, qui vocatur etiam cenſus ſynodalis. Et favet Paſchalis ſecundi epiſtola, quam prius a Sirmundo luce donatam, ipſe aliquot verſibus ampliorem edidit. In ea cum referat Paſchalis hanc canonis noſtri partem, *ſalvo annuo cenſu*, &c. admonet Baluzius his vocibus *annuo cenſu*, in Andegavenſi codice ſuperſcriptum eſſe, *ſynodali*. Quis autem ſynodalis ille cenſus? is omnino, qui in juris pontificii libris ſynodaticum ſeu cathedraticum vocatur, cujus nomine ſolidi duo epiſcopis penſitati. Antiquum omnino jus, cum jam inde ab anno DLXXII. vetuerit Bracarenſe concilium, ne ab eccleſiis quidquam epiſcopus exigeret *præter honorem cathedræ ſuæ, ideſt duos ſolidos*: nec antiquum minus cathedratici nomen, quippe quo utitur Pelagius Papa II. ſi ejus eſt quod a Gratiano refertur 10. q. 3. c. 4. Gelaſio tributum ab Ivone. p. 3. c. 136. Hoc ipſum eſt ſynodum ſolvere, can. X. concilii Toloſani ann. M. LVI. Sed aliis eſt annuus cenſus olim ab epiſcopis nonnullis contra fas exactus: de quo vide pag. 906. epiſtolam Goffridi Vindocinenſis, ad ezmque Sirmondi notas; & noſtram, ſi tanti eſſe duxeris, obſervanticulam.

II.

EJUSDEM CONCILII CANONUM Breviaria ex Willelmo Malmesburienſi, & Matthæo Pariſio.

Concilii Claromontani breviaria canonum, habes p. 810. ex codice Lamberti Atrebatenſis epiſcopi, qui concilio interfuit. Habes & pag. 817. aliam eorum collectionem ex Bellofloreſtio, minoris quidem pendendam, ſed tamen utilem: item & aliam pag. 884. ex Orderico Vitali, in qua typographi capitulum unum ex ſecundo ac tertio conflarunt, & omiſerunt quintum, poſt lineam 17. reponendum his verbis.

Presbyter, diaconus, ſubdiaconus, vel canonicus, cujuslibet ordinis, carnali commercio non utatur.

Huic Ordericianæ prope germana eſt altera apud Willelmum Malmesburienſem, de geſtis regum Anglorum, lib. 4. c. 2. quam deſcripſit Matthæus Pariſius ad ann. M. XCV. Ut autem emendatior hic prodiret; editionem alteram ex altera emendavi.

I.

Quod eccleſia Catholica ſit in fide caſta, & ab omni ſervitute ſæculari libera.

II.

Ut epiſcopi, vel abbates, vel aliquis de clero aliquam eccleſiaſticam dignitatem de manu principum, vel quorumlibet laicorum non accipiat.

III.

Quod clericis in duabus eccleſiis, vel civitatibus præbendas non habeant.

IV.

Quod aliquis ſimul epiſcopus & abbas eſſe non poſſit.

V.

Quod eccleſiaſticæ dignitates a nullo vel emantur, vel vendantur.

VI.

Quod nullus cujuslibet ſacri ordinis carnali commercio utatur.

VII.

Quod eis qui ignorantes canonum prohibitionem, canonicas * emerunt, ignoſcatur. * beneficia

VIII.

Quod eis qui ſcienter emptas a ſe vel a parentibus poſſederunt, auferantur.

IX.

Quod nemo laicorum a capite jejunii, nemo clericorum a quinquageſima uſque in paſcha carnes comedat.

X.

Quod omni tempore primum jejunium quatuor temporum prima hebdomada quadrageſimæ fiat.

XI.

Quod ordines omni tempore vel in veſpere ſabbati, vel perſeverante jejunio in Dominica celebrentur.

XII.

Ut in ſabbato ſancto nonniſi poſt horam nonam officium celebretur.

XIII.

Ut jejunium ſecundum in hebdomada Pentecoſtes celebretur.

XIV.

Quod ab adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & a ſeptuageſima uſque ad octavas Pentecoſtes, & a quarta feria occidente ſole omni tempore, uſque ad ſecundam feriam oriente ſole, trevia Dei cuſtodiatur.

XV.

Quod qui epiſcopum ceperit, omnino exlex habeatur.

XVI.

XVI.

Quod qui ſacri ordinis viros, vel eorum famulos ceperit, anathema ſit.

XVII.

Quod qui epiſcoporum vel clericorum morientium bona ceperit, anathema ſit.

XVIII.

Quod qui uſque ad ſextam generationem conſanguinitati ſe copulaverit, anathema ſit.

XIX.

Quod nemo in epiſcopum eligatur niſi presbyter, aut diaconus, aut ſubdiaconus, & cui natalium dignitas ſuffragatur, niſi maxima neceſſitate, & licentia papæ.

XX.

Quod filii presbyterorum vel concubinarum, ad presbyteratum non promoveantur, niſi prius ad religioſam vitam tranſierint.

XXI.

Quod qui ad eccleſiam, vel ad crucem confugerit, data membrorum impunitate juſtitiæ tradatur, vel innocens liberetur.

XXII.

Quod unaquæque eccleſia decimas ſuas habeat, nec ad aliam * transferatur.

* transferat

XXIII.

Quod laicus decimas nec emat, nec vendat.

XXIV.

Quod pro ſepultura mortuorum pretium non * exigatur.

* recipiatur

OBSERVATIO GABR. COSSARTII S. J.

Admonet Willelmus ipſe, compendium hoc eſſe canonum a ſe confectum. Idem admonere & Ordericus, & Lambertus, & collectores alii potuerunt. Nam canones integros non habemus, niſi quos ex Cencii Camerarii codice deſcripſi, pag. 902. & duo ex Gratiano & Gregorio IX. editi pag. 817. Cæterorum canonum ſummas tantum habemus, quas quiſque pro arbitrio ſuo confecit: hinc orta diverſitas.

Omnium autem collectionum optima eſt Lambertina, quæ tantæ auctoritatis fuit, ut ſub ipſum concilii tempus, anno ſcilicet M. XIV. ejus verbis citata fuerint Claromontana decreta in concilio Bellovacenſi, ut invideri cuivis licet. Eam tamen aliæ non parum adjuvant. Nam deſunt ipſi primum, quartum, decimum-octavum, & vigeſimum ſecundum cap. Malmesburiensis hujus collectionis, quæ ſunt item apud Ordericum. Sextum Orderici ſtatuit, ut *Presbyter, diaconus, ſubdiaconus, poſt lapſum non miniſtret*: nonum quod huic reſpondet apud Lambertum, præcipit tantum, ut ſi canonicam habet, *a canonica omnino arceatur*. Septimum, tum apud Ordericum, tum apud Malmesburienſem, indulget iis, qui emptis beneficiis fruuntur ex ignorantia: ſextum quod huic apud Lambertum reſponaet, de ignorantia nihil. Decimum quartum apud Malmesbur. & decimum tertium apud Ordericum, treviam Dei firmant ab adventu Domini, uſque ad octavas Epiphaniæ; & a ſeptuageſima uſque ad octavas Paſchæ; & a prima die rogationum uſque ad octavas Pentecoſtes: primum apud Lambertum, quod treviam ſtatuit, nihil de illis temporibus præcipit. Decimum octavum Orderici, quod eſt apud Malmesbur. 19. multo eſt explicatius, & amplius, quam Lamberti quicquam eadem de re: immo pugnant inter ſe, & controverſiæ merito dant locum.

Deinde 21. Lamberti canon vetat *ne quis Chriſtianus, a capite jejunii uſque ad Paſcha carnem comedat*. Diſtinctior eſt, atque amplior Malmesburienſis nonus. *Nemo*, inquit, *laicorum a capite jejunii, nemo clericorum a quinquageſima, uſque in Paſcha carnes comedat*. Quod enim apud Malmesburienſem legitur, *a quadrageſima*, emendavi ex Pariſio, & Belloforeſtio. Servandi vero a clericis jam inde a quinquajejunii vide decreta apud Gratianum diſt. 4.

Ad extremum, ſuſpecta eſt lectio Lambertini capituli 32. Vetat quippe, *ne aliquis clericus res epiſcoporum, vel clericorum diripiat*. Certe laicis præſertim id prohibendum. Apud Ordericum & Malmesburienſem, nullum laici, clericive diſcrimen eſt: ſed anathema cuivis intentatur, qui hoc fecit. At non dubito, quin legendum ſit: *Ne aliquis laicus*. Et ſic re ipſa legitur in veteri membrana, de qua mox nonnihil dicam.

IV.

CANONES DECEM CLAROMONTANI concilii qui in ſuperioribus collectionibus non extant.

Vetus membrana, quam penes me habeo, concilii hujus canones iiſdem conceptos habet verbis, quibus Lambertina collectio, ſed non eodem ordine diſpoſitos. Ae decem alios præterea, cæteris permixtos continet: quorum aliqui omnino diverſi ſunt, alii ſaltem ex parte. Hos ſubjicio.

I.

Ut nullus miniſter eccleſiæ, presbyter, vel diaconus, vel ſubdiaconus, uxorem habeat. Quod ſi quis faciens, ſacrificare præſumat: uſque ad adventum Domini anathema permaneat.

II.

Ut nullus clericus ad ſacerdotium ordinetur, niſi uni eccleſiæ tantum dum vivat, famuletur, cui nominatim attituletur, quæ ab eo pro meliori vel deteriori relicta non perturbetur.

III.

Ut poſt obitum ſacerdotis nullus laicus uſurpet ſibi bona illius, ſed eccleſiæ, cujus dum fuit ſponſus, obiit, remaneant: ut in illius locum ſuccedenti neceſſaria præbeant. Niſi quod vivens pro anima ſua diſtribuerit.

IV.

Ut nullus clericus niſi unum altare, vel unam præbendam, & ad ultimum, niſi unum tantummodo honorem in eccleſia poſſideat: ſic tamen ut remoto omni vicario, ipſemet eccleſiæ, cujus beneficia tenet, deſerviat.

V.

Ut nullus clericus cauſa potandi ad tabernas accedat.

VI.

Ut nullus laicus decimam poſſideat: ſed eccleſiæ cujus ſunt, deſerviant.

VII.

Ut nullus corpus Domini, oleum, chriſma, ſepulturam alicui vendat.

VIII.

Ut nullus epiſcopus quicquam ad eccleſiam pertinens vendat: ſed ei, quem dignum judicaverit, gratis tribuat.

IX.

Ut nullus clericus laicali ſe patrocinio commendet: quia abominabile eſt, ut manus quæ corpus Domini tractant, & quod majus eſt, conſecrant, inter manus homicidas ſanguine plenas ſic polluantur.

X.

Ut nullus princeps capellanum habeat, niſi quem ſibi epiſcopus ſuus, aut archidiaconus, procuratorem animæ delectum conſtituat.

V.

GOFFRIDI ABBATIS VINDOCINENSIS epiſtola ad Ulgerium Andegavenſem epiſcopum.

De altarium redemptionibus vetitis in concilio Claromontano.

Domno Ulgerio venerabili Andegavenſi epiſcopo, frater Goffridus dictus abbas, ſalutem & dilectionem in Chriſto.

Mihi dictum eſt, quod in ſynodo veſtra de me querimoniam feciſtis. Sed miror ſi ita eſt:

eſt: non enim bonitatem veſtram offendi in aſi A quo. Si monaſterium noſtrum alodium beati Petri & patrimonium, de his quæ multo tempore pacifice poſſederat, & apoſtolica auctoritate ſibi firmata ſunt, ſine judicio & audientia expoliaſtis; in hoc me peccare vel peccaſſe non credo. Si ſanctorum Romanorum pontificum privilegia vobis oblata ad videndum, videre noluiſtis: merito culpari nec poſſum, nec debeo. Si legatus Romanæ eccleſiæ vobis præcepit, ut ſedis apoſtolicæ privilegiis debitam reverentiam exhiberetis, & redderetis, quod nobis abſtulerat veſtra ſublimitas; ſi neutrum obſervaſtis: inde noxam minime contraxit noſtra humilitas. Annunciaſtis, ut dicitur, presbyteris veſtris, & perſonis eccleſiæ veſtræ, quod dominus papa Urbanus in Ar- B vernenſi concilio præceperat, ut epiſcopi annuum cenſum habeant a Monachis pro redemptione altarium. Bene novit prudentia veſtra, non eſſe bonum, quod apoſtolica ſinceritate diſponitur, per contrarium prædicare. Bone Domine, vos illi non adfuiſtis concilio, & ego interfui, qui hujus rei cognoſco veritatem. Redemptionem eccleſiarum, quæ vulgari vocabulo altaria nuncupantur, beatus vir ille ſimoniacam pravitatem vocavit, & apoſtolica auctoritate damnavit. Illa tamen magica & ſimoniaca pecunia, aliquando in triginta, aliquando vero in quadraginta, aliquando vero in ſexaginta annis ſolvebatur epiſcopis. Qui autem redemptionem altarium, quæ in plu- C tibus annis non niſi ſemel per vicarios fieri ſolebat, hæreſim vocavit, & condemnavit: ſub nomine annui cenſus pro redemptione vicariorum, ſive altarium, annuam pecuniam extorquere docuit, non præcepit, immo omnia quæcumque abbates & monachi in eccleſiis ſub redemptione vicariorum tenuerant: ut quiete & deinceps, & ſine cujuslibet exactione pecuniæ poſſiderent, beatorum apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate firmavit. Nam ſi in pluribus annis non niſi ſemel, ut dictum eſt, per vicarios pecunia pro altaribus dabatur epiſcopis, & pecuniam ipſam apoſtolica probatum ſit auctoritate ſimoniam eſſe: ſingulis anniſ epiſcopis pro vicariis altarium pecuniam dare, quid eſt aliud, quam pro plurimorum annorum ſimonia, per annos ſingulos, ſub nomine D annui cenſus, annuam ſimoniam exercere? Non eſt hoc doctrina Chriſtianæ fidei, ſed exactio peſſima, quæ ſimoniam multiplicat, & ſanctæ eccleſiæ violat caſtitatem. Pecunia itaque ab eccleſiis ſub palliata cupiditate extorta, quæ redemptio altarium dicitur, ab apoſtolica ſede damnata, ſive per vicarios rarius, ſive pro vicariis frequentius, ſub qualicumque nomine vel occaſione extorqueatur, ſimoniaca pravitas eſſe nulla ratione dubitatur. Illa tamen gravior, quæ ſæpius agitur. Quapropter illam ſpecialiter Chriſtianus catholicus vitare, & epiſcopus maxime deteſtari debet: ne fiat noviſſimus error pejor priore. Semel, bis, & ter, immo multipliciter vos rogavi & monui, & adhuc, humilitate qua debeo & poſſum, diligenter rogo & moneo, ut quæ nobis abſtuliſtis, non differat reddere veſtra magnitudo. Alioquin quia veſtra gravamina fratres noſtri diutius portare non poſſunt, ipſi & nos cum ipſis Romanam eccleſiam appellamus: licet eam, & legatos ſuos vos ſæpe contempſiſſe minime dubitemus. Et ne ulterius de decreto vicariorum dubitetis, illud vobis tranſcriptum mittimus. Vale.

JACOBI SIRMONDI S. J. NOTA
ad Goffridi epiſtolam.

Jure communi eccleſiæ omnes in epiſcoporum ſunt ordinatione & poteſtate. Synodi Aurel. I. c. XIX. Cabilonenſis c. X. & paſſim. Plerique autem eccleſias vel a ſe conditas, vel juris ſui, monaſteriis olim offerebant, ut in eorum eſſent poteſtati. Quod quia ſine epiſcoporum conſenſu fieri non poterat, epiſcopi nonnunquam eccleſias monachis hac lege permittebant: ut ſtatis annis, quotiescumque ſcilicet illarum vicarii, ſeu perſonæ, ut vocabant, mutarentur, certam pecuniam epiſcopo penderent, quæ redemptio altarium dicebatur. Hanc ut netariam & ſimoniacam interdixit Urbanus in ſynodo Arvernenſi. Poſt ſynodum vero fuerunt epiſcopi qui pro redemptione illa, quæ multorum annorum intervallis fiebat, annui cenſus penſitationem exigerent. Quo e numero Uticenſis Andegavenſis hoc loco, & Ivo Carnotenſis, ac Rannulfus Santonenſis: quos eo nomine arguit Paſchalis II. cujus hæc literæ extant in chartophylacio Vindocinenſi.

Paſchalis epiſcopus, ſervorum Dei, venerabilibus epiſcopis Ivoni Carnotenſi, & Rannulfo Santonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

*Juxta ſanctorum canonum ſanctiones non ignotum vobis eſſe credimus quid ſit nitionis maneat eccleſiaſtici ordinis veros apoſtolicæ ſedis decreta ſpernentes. Ipſi enim Arvernenſi concilio adfuiſtis: in quo præſidente prædeceſſore noſtro bonæ memoriæ papa Urbano, conſidentibus Gallicanum epiſcopis, decretum eſt, altaria, quæ ab annis triginta & ſupra ſub vicariorum redemptione monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quiete deinceps, & ſine moleſtia qualibet monachorum ipſis firma permanerent. Salvo utique epiſcoporum cenſu annuo *, quem ex eiſdem altaribus habere ſolitis ſunt. Vos autem hanc ſimplicitati incongruas duplicitates innectitis. & perſonarum redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Verum oportet nos hujuſmodi perfidiis ſinceritate veritatis apoſtolicæ obviare. Præcipimus ergo, ut decretum illud omnino teneatur integre: nec ſuper illud, quicquam ulterius pro eiſdem altaribus exigatis. Sane quod vobis dicimus, cæteris quoque Galliarum epiſcopis erga ſuorum diœceſium monaſteria præcipimus obſervandum. Datum Romæ* II. *Idus Martii.* Ex his literis Paſchalis, & ex Goffridi verbis intelligi licet, cujuſmodi fuerit ſynodicum Urbani decretum de vicariis: quod hactenus in lucem non prodiit.

* ſynodali. *Vide notas ad auctarium in Concil. Camerarii libro.*

G. C. Prodiit autem nunc ſupra legiſti in notitia ex Cencio deſcripta: & mox leges in Nemauſenſi concilio repetitum.

VI.

VARIA AD CONCILIUM CLAROMONTANUM ATTINENTIA.

I. Præter canones ſupra editos, certum eſt promulgatos fuiſſe multos in hac ſynodo. Nam Placentinos in ea confirmatos, Bertholdus auctor eſt. At non Placentina tantum decreta, ſed & Meliſitana, & Beneventana, & Trojana, ibidem iterum edita fuiſſe diſcimus ex capitulo V. notit. ex Cencii Camerarii libro producto.

II. Editi ſunt ad lib. VI. de Concordia ſacerdot. & imperii can. aliquot Claromontani, ex veteri cod. MS. Petri de Marca. Ex Claromontani ſunt certe, cum in eo concilio promulgati ſint. Sed, quod annotavit eorum editor Steph. Baluzius V. Cl. Placentini prius quam Claromontani fuerunt. Sunt enim illi ipſi, qui editi ſunt in concilio Placentino hujus an. & ſuptotidem deſcripti verbis, p. 801. quamquam non omnes, ſed priores ſeptem, tum duodecimus, & decimus tertius: quibus adjectus eſt ad calcem, octavus concilii Meliſitani. Qui cum ſuum omnes locum in hoc opere, nec procul remotum habeant: ſuperfluum eſſet eoſdem huc iterum referre.

III. Synodales Urbani papæ orationes duas hoc in concilio habitas, alteram ex Wilhelmi Tyrii hiſt. alteram ex Vaticano cod. MS. poſt Baronium Binius edidit. Extant hic pag. 819. & 822. Aliam habet Willelmus Malmesbur. l. IV. de geſtis regum Anglorum, cap. II. aliam Robertus monachus lib. I. hiſt. Hieroſolymitanæ: quas non veras Urbani orationes puto, ſed declamationes ad arbitrium factas. Legat cui vacuum eſt.

VII.

PARS ACTORUM CONCILII Claromontani, quæ ſpectat controverſiam Turonenſis archiepiſcopi, & monachorum Majoris monaſterii.

Hic quoque diuturna inter Rodulfum Turonenſem archiepiſcopum, & Majoris monaſterii monachos dijudicata controverſia, ut ex ipſorum narratione diſcipuli, quam ex MS. totam deſcribere non eſt hujus loci: excerpam ea tantum, quæ ad rem præſentem attinent.

Eos cum excommunicaſſet Rodulfus archiepiſcopus, adierunt primum Amatum Burdegalenſem archiepiſcopum, ſedis apoſtolicæ legatum, tum Brivatenſe concilium ampliſſimum, deinde Auguſtodunenſe: ubique adjudicata ipſis cauſa, etiam præſente in conciliis Rodulfo. Par exitus Dolenſis colloquii, frequentiſſimi quoque ac celeberrimi. Reconciliantur ubique, ſed in majus odium ægreſcit ſimulata expreſſaque ab invito Rodulfo reconciliatio gratiæ. Moritur: ſuccedit Rodulfus alter Rodulfi prioris non tantum infulis, ſed etiam odio. Ad Victorem papam confugiunt primum, deinde ad Urbanum: ab utroque privilegium, plenamque libertatem impetrant. Aſſentiri Rodulfus neceſſe habet; aliter pallium non impetraturus; ſed continuo recrudeſcit cicatrix male obducta. Demum de re tota pontifex in Claromontano concilio cognoſcit. Hinc jam ex monachorum narratione, quia rem noſtram ſpectant, plura minuſque parce deſcribam.

„ Utrinque igitur, inquiunt, ad concilium „ Claromontanum convocamur: ubi Rodulfus „ Turonenſis archiepiſcopus de nota excommu„ nicationis, quam prædeceſſor ejus ſuper nos „ injuſte injecerat, & ipſo communicante & pa„ trocinante nobis Apoſtolico, publice confirma„ verat, proclamantibus nobis, a domno papa „ appellatus, coram omni concilio ſe excommu„ nicatos nos appellaſſe, inquantum reminiſci „ poſſet, denegavit. Quod tamen ſi ex ore ejus „ evaſerat, plus ex commotione aut indignatio„ ne animi, quam ex deliberatione proceſſerat. „ Cum autem hoc adverſus eum proteſtari, le„ gitimarum perſonarum aſſertione poſſemus, „ quod in conciliis ſuis prædicaverat, & per to„ tam pene intonuerat Galliam: tamen ſatisfa„ ctum nobis eſſe, aſſenſu omnium qui aderant „ reputavimus. Et poſt nonnulla. Domnus papa „ privilegium, quod nobis dederat, coram om„ nibus legi præcepit, concedens archiepiſcopo „ Turonenſi Rodulfo & clero ejus, cæteriſque „ qui fautores ejus eſſe volebant, immo & aliis, „ ut ſi quid canonice poſſent, privilegio & au„ ctoritati Romanæ contradicerent. Cumque il„ li, quos cauſa gravabat, conſtanter oblatra„ rent, qui vero ſanum ſapiebant, juſtitiæ aſſen„ tirentur: domnus papa auctorizavit privilegium „ noſtrum: ſcilicet ut nullus epiſcoporum, juxta „ quod beatus Gregorius prohibet, in domo Ma„ joris monaſterii publicam ſtationem celebrare „ audeat propter ſervorum Dei inquietudinem: „ nullus epiſcoporum ſuper domum Majoris mo„ naſterii, aut ſuper aliquem monachorum ejus, „ ubicumque ſit, intentare audeat excommuni„ cationem, præter Romanum pontificem, qui „ eos in gremium paternitatis ſuæ propter ſupra„ dictas neceſſitates tuendos & refovendos ſuſce„ pit. Cætera vero eccleſiaſticæ diſciplinæ ſacra„ menta accipiant fratres a Turonenſi archiepiſ„ copo: ita duntaxat ſi catholicus fuerit, & in „ gratia apoſtolica fundatus. Sin aliter, ſenten„ tiam habeant accipiendi abſque ulla calumnia „ ordinationes ſuas, & ſacrationes a Romano „ pontifice, aut undecumque eis libuerit. Et poſt „ pauca. Hæc diſtinctio ſive conſtitutio libertatis „ Majoris Monaſterii, facta eſt in concilio Cla„ romontenſi a domno papa Urbano, in octavis „ beati Martini, &c. Hæc acta in cauſa ſua te„ ſtes ipſi & notarii ſcripſerunt.

Neque prætereunda Acta controverſiæ inter Gothofredum Magalonenſem epiſcopum, & Petrum Anianenſem Abbatem in hoc Concilio definitæ; & concordiæ inter Hugonem Abbatem Cluniacenſem & Pontium Abbatem Caſæ Dei initæ, a Baluzio in Miſcellaneis ſuis edita.

Definitio quæ facta fuit inter Gothofredum Magalonenſem Epiſcopum & Petrum Anianenſem Abbatem in Concilio Claromontano anno MXCV. Ex Baluzii Miſcellaneis. p. 70.

CUm apud Claromontem Arvernorum civitatem Dominus Papa Urbanus II. in Concilio reſideret, conſedentibus in eodem Concilio diverſarum provinciarum Primatibus, Archiepiſcopis, Abbatibuſque quamplurimis, veniens antè venerabilem Papam Gothofridus Magalonenſis Epiſcopus clamorem fecit ſuper Abbate Petro & monachis Anianenſis monaſterii, quod monachorum & Abbatis ordinationes & conſecrationes Eccleſiarum aliunde quam ab Eccleſia Magalonenſi quærerent aut acciperent, & quod contra fas præſumptione illicita ſub obtentu privilegii pœnitentia dandi excommunicandique ac abſolvendi ſeu reconciliandi vel alienos parochianos undecunque paſſim recipiendi ad ſepulturam inaudito more licentiam vindicarent. Quod narratum in Concilio valde diſplicuit omnibus. Placuit autem Domino Papæ Urbano & univerſo ſancto collegio ut tale privilegium caſſaretur & abraderetur, & ut Abbas Anianenſis Petrus in medio Concilii ante Magalonenſem Epiſcopum veniens in manu ejus obedientiam debitam promitteret Eccleſiæ Magalonenſi de ordinationibus & conſecrationibus & judiciis, ſalvis tamen privilegiis Anianenſis monaſterii, in quantum ſecundum canones pro ſalute & ſtabilitate ipſius monaſterii conſtituta fuerant. Quam definitionem inter utramque Eccleſiam Alexander II. Papa antea fecerat, ſic ſcribens ALEXANDER *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Abbati & univerſæ congregationi Anianenſis monaſterii ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Pervenit ad nos querela Magalonenſis Epiſcopi ſuper intolerabili præſumptione & inobedientia veſtra, quod quamvis Romanam Eccleſiam Epiſcopum eum cenſere & tolerare cognoveritis, nullius tamen epiſcopalis reverentiæ honorem ſibi attribuitis, immo & contemptu ejus, illicita vobis uſurpantes, in corpus totius Eccleſiæ graviter ac nefande delinquitis. Nam quod excommunicatos illius nulla auctoritate ſulti ſuſcipitis, & quod ejus manus impoſitione contempta ordinationes veſtras ad libitum veſtrum aliunde petitis, in hoc & canonica traditionis inſtituta corrumpitis, & exemplo reprobo grave ſcandalum in Eccleſia generatis. Unde vos auctoritate apoſtolica commonemus ut hæc & alia hujuſmodi penitus relinquentes præfato Epiſcopo veſtro deinceps totius ſubjectionis & reverentiæ debitum exhibeatis, ſcientes quoniam ſi hæc querela ulterius ad nos delata fuerit, diſtrictam in ſe temeritatis veſtræ pertinacia vindictam provocabit.* Ne autem inter utramque Eccleſiam Magalonenſem & Anianenſem diſſenſio-

ſionis aut diſcordiæ occaſio ulla remaneret, Dominus Papa Urbanus hanc definitionem ſcribi juſſit, ſcriptamque ſigillo apoſtolicæ ſedis firmavit. Datum apud Arverniam XIII. Kal. Decembris per manus Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis anno dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo quinto, indictione tertia, anno pontificatus Domini Urbani Papæ II. octavo.

Ex Baluzii Miſcel. to. 6. p. 476.

Acta concordiæ initæ in Concilio Claromontano inter Hugonem Abbatem Cluniacenſem & Pontium Abbatem Caſæ Dei.

An. 1095.

NOverint omnes Eccleſiæ Dei fideles tam præſentes quam poſteri qualiter Domnus Hugo Abbas Cluniacenſis & Domnus Pontius Abbas Caſæ-Dei, fratreſque eorum in Claromontenſi Concilio per manum Domini Papæ Urbani ſecundi & venerabilium Archiepiſcoporum Domni Hugonis Lugdunenſis & Domni Aldeberti Bituricenſis aliorumque multorum religioſorum virorum, ſopita omni ſimultate quæ inter eos ex quibuſdam occaſionibus emerſerat, in pacem & concordiam redierint. Sciendum eſt itaque quia Domnus Abbas Pontius & fratres Caſæ Dei conceſſerunt Domno Hugoni Abbati & fratribus Cluniacenſibus Boortenſe monaſterium & Eccleſiam de Amberto, Eccleſiam quoque ſancti Stephani de Caſtello, & Eccleſiam Digneio, atque Eccleſiam de Coſantia, Eccleſiamque de Vongejo, & Eccleſiam de Priſcejo, atque Eccleſiam de Snirejaco, cum omnibus earum appendiciis, tam in terris & poſſeſſionibus, quam in decimis cæteriſque redditibus, & partem decimæ de Eccleſia Coſiaci, partem quoque decimæ quam habebant in Eccleſia de Judæis, ut habeant deinceps hæc omnia in perpetuum. E converſo Domnus Abbas Cluniacenſis & fratres ejus conceſſerunt Domno Abbati Caſæ Dei & fratribus ejus obedientiam de Caſtellione juxta caſtrum Corziacum & Eccleſiam de Caſa Mediana cum omnibus ad eas pertinentibus ut poſſideant ea omnia in perpetuum, ita tamen ut in Caſa Mediana habitantes monachi præter duos aut tres non habeantur, habitantes autem in caſtello quod vocatur Caſtellutium habeant facultatem ſepeliendi vel in cimiterio capellæ ipſius caſtelli vel in Eccleſia de Auzac, quæ eſt parochialis. Cætera vero omnia quæ eo die in quo hæc concordia facta eſt aliqua inveſtitura tam fratres Cluniacenſes quam fratres Caſæ Dei tenebant finierunt ſibi in perpetua pace, nec ſibi deinceps ea invicem calumniabuntur. Convenerunt etiam inter ſe ut quæcumque de cætero terræ vel poſſeſſiones ſibi darentur ab illiſ qui eas aliqua inveſtitura tenerent, fratres illi qui inde qualecunque donum ſuſcepe-rint, eas ſibi ſine calumnia & quæſtione aliorum habeant. In Eccleſiis vero adquirendis, quicunque eorum primum partem adipiſci dono ejus qui inveſtitus eſt poterit, tenebit eam in pace, nec quilibet alterius congregationis vim aut calumniam inferre poterit, nec adquirendi vel ædificandi Eccleſiam in ipſa parrochia licentiam vel facultatem habebit. Clericorum autem vel Militum quiſquis in extremis poſitus, cuicunque loco eorum ſeſe ad ſepeliendum deſtinaverit, ibi ſine calumnia ſepelietur, & quæcunque dederit locus ipſe in pace retinebit, etiamſi ſe vel ſua prius alteri parti devoverit; excepto quod ſi aliqua aliis cum inveſtitura primum dedit, non licebit ea niſi ipſis qui inde inveſtiti fuerant habere. Cupientium venire ad monaſticum ordinem & habitum, nulli ſuſcipiendi aditus, quocunque ire velit, ab altero prohibebitur, etiamſi ſe ei primum devoverit. Et ſi qua tunc largitus fuerit, locus ipſe quem ingreditur in pace poſſidebit, exceptis his quæ cum inveſtitura aliis primum contulit. Suſcepti ad habitum tranſire ab uno ad alterum monaſterium non poterunt, niſi forte cum licentia Abbatis ſui. Actum publice apud Clarum montem & laudatum atque confirmatum auctoritate Domni Papæ Urbani II. ut ſic ab utriſque inconvulſe teneatur, anno ab incarnatione Domini MXCV. Kal. Decembris, indictione IV.

His adde Decretum pro Pace, ex MS. Eccleſiæ Turonenſis a Martene in Tom. IV. Anecdotorum in lucem editum in hunc modum.

Ex Martene Theſ. Anecd. to. 4. p. 111.

Hæc eſt Pax, quæ fuit confirmata per Domnum Apoſtolicum, & eos omnes epiſcopos, qui interfuerunt Arvernenſi Concilio, per Comitem Fulconem & per omnes Majores Terræ.

I.

In primis fuit conſtitutum, ut pax Domini teneretur ab occaſu ſolis die Mercurii uſque ad ortum ſolis die Lunæ; & quicumque iter prædari aut hominem capere aut aliquod aliud facere ante ſolis ortum die Lunæ quia movebit ſe in pace Domini, omnia reddere oportebit. Si in die Mercurii ibit ſimiliter prædari aut aliud malum facere, & non poterit pervenire ad receptaculum ſuum ante ſolis occaſum, omnia reddet.

* Similes pacis inducti longe antea, nempe anno 1041. paſſas fuiſſe, atque ipſum infractores divinam ſæpius expertos effe vindictam tradit Glaber Rodulfus hiſt. l. 5.

II.

Qui in iſtis quatuor diebus hominem aut fœminam percuſſerit, ſeu vulneraverit, vel ceperit, niſi ſuper ſe defendentem, pacem Domini violabit. Si vero vocatus ab epiſcopo, aut a miniſtris ejus, infra ſeptem dies venerit, damnum tantum reſtituet; & ſi non venerit infra ſeptem dies, excommunicabitur, & poſt excommunicationem reſtituet damnum ad judicium curiæ epiſcopi, & epiſcopo emendabit centum ſolidos.

III.

Qui autem in pace Domini hominem occiderit, ſeptem annis erit exul a patria, niſi talem pacem fecerit cum parentibus mortui, ut ipſi deprecentur epiſcopum pro eo, & poſtea emendabit triginta libras inter epiſcopum & comitem, ſi occiſio facta fuerit in receptaculis comitis.

IV.

Si mercatores venerint die in aliquo receptaculo, & ibi manentes expectabunt pacem Domini; ſi quis illos, vel ſua ibi ceperit, pacem Domini violabit.

V.

Eccleſiæ cimiteria omnino ſunt in pace Domini. Si quis novam munitionem in illis extruxerit; poſtquam fuerit ſubmonitus ab epiſcopo, ſi non deſtruxerit, pacem Domini violabit: & quicumque eam delebit, nihil ſorisfaciet.

VI.

Boves, aſini, vaccæ, equi laborantes intra, & oves cum ſuo genere omnibus diebus ſint in pace. Præpoſiti majores villarum cum familia ſua, & homines colligentes decimas, & beſtiæ & villani cum domibus & omnibus quæ in domo ſunt, omnino ſint in pace. Quicumque illos ceperit, ſeu occiderit, aut domos eorum fregerit, aut aliquid inde abſtraxerit vel combuſſerit, pacem Domini violabit.

VII.

Canonici, clerici, monachi, atque presbyteri, &

& fœminæ cum familiis ſuis & peregrinis, omnibus diebus ſint in pace.

VIII.

* Dominica prima Adventus. A die Dominica, in qua cantatur * *Aſpiciens a longe* uſque in octavas Epiphaniæ; & a die, quæ dicitur caput jejunii uſque in octavas Pentecoſtes, erit continuatim pax Domini. Si quis baronum comitis forisfecerit ei; clamorem faciet ad archiepiſcopum antequam vadat ſuper illum cum exercitu; & ſi voluerit venire, ſalvo conductu, per ammonitionem archiepiſcopi ad curiam ſuam; rectitudinem accipiet comes ab eo judicio archiepiſcopi: & ſi noluerit venire, & poſtea comes eat cum exercitu ſuper eum; non violabit pacem: & poſtquam redierit, tenebit pacem alter adverſus alterum.

IX.

Hoc eſt etiam in pace Domini, quod ſi quis baronum violaverit Domini pacem, Comes & omnes alii eant ſuper eum, ſi archiepiſcopus eos ſubmonuerit, & hoc fiduciavit archiepiſcopus & comes, & omnes alii.

X.

Confirmatum etiam in hac pace, ut omnes barones & præpoſiti Comitis bis in anno, id eſt ad caput jejunii, & ad octavas Pentecoſtes ſe mittant in captione in Caſtro-novo, & in civitate, & erunt ibi per tres dies: & ſi interim factus fuerit clamor de eis de pace Domini, non exibunt inde donec emendaverint. Et ſi ſine emendatione exierint, pacem Domini violabunt.

XI.

Si mercatores tranſierint per iſtam terram, & non reddiderint pedagium & teloneatum, ſi potuerint jurare, quod non ſcirent conſuetudinem iſtius redditus, reddent cum ſexaginta ſolidis, neque ab eis amplius exigetur.

XII.

Conſtitutum eſt etiam de omnibus Turonenſibus receptaculis, vel munitionibus, quod illud receptaculum vel munitio, unde violator pacis moverit, pacem Domini violatam emendaverit. Et ideo ſi quis tyrannus vel aliquis alter maleficus, non audens de ſuo receptaculo treugam Domini violare, ad aliud receptaculum ſe tranſtulerit, atque inde pacem Domini violaverit; nunquam in ſuo receptaculo recipiatur, donec ſatisfacturus aſſiſtat, & de pacis violatione quod decretum eſt, faciet; & ſi ante emendationem receptus fuerit, illud receptaculum pacem Domini emendabit. Hæc pax durabit uſque ad Pentecoſten, & de Pentecoſte uſque ad tres annos.

ANNO CHRISTI 1095.

AD CONCILIUM CLAROMONTANUM

ANNO CHRISTI 1095.

Ab Urbano papa II. anno 1095. celebratum.

ADDITIO.

Suppl. Manſi to. II. p. 138. Anno 1095.

DE Claramontano concilio ſatis multa allata ſunt in medium a Labbeo, & Veneto illius editore, ut nulla ſupereſſe cenſeri potuerint, quæ operam hanc noſtram expoſtulent. Adhuc tamen nonnulla legenti occurrerunt, quæ hic prætermiſſe pigeret. Primo igitur offert ſeſe canon, quem ex decretis Claramontenſis concilii *laudat Lambertus Atrebatenſis in regiſtro epiſtolarum epiſt. 70. ad Manaſſem Remenſem apud Baluzium Miſcellan. lib. 5. pag. 328. Succedit charta quædam a Mabillonio Annal. O. S. B. tom. IV. num. 25. vulgata, in qua de excommunicatione in pervaſorem quemdam eccleſiæ S. Flori a Claniacenſibus poſſeſſa, cui & alteram adjunximus chartam apud eumdem Mabillonium tom. V. num. 39. appendicis de controverſia cum Archimbaldo V. Domino Borbonenſi, & monachis Silviniacenſibus in eodem concilio diſcuſſa. Ac tandem literas damus Urbani II. ex eadem ſynodo ſcriptas ad Berengerium abbatem S. Laurentii Leodienſis, in quibus delato a ſe in concilio anathemate adverſus Otbertum Leodienſis epiſcopatus invaſorem certiorem illum facit. Hanc epiſtolam eruimus ex Collect. Monum. Martenii tom. I. pag. 553. eamque datam ex concilio Claramontano cenſet idem Martene tom. V. in adnot. ad hiſtoriam monaſterii S. Laurentii pag. 1075.*

EX DECRETIS CLAROMONTENSIS CONCILII.

Si quis epiſcoporum cœperit vel incarceraverit perpetuæ infamiæ ſubjaceat, alterius arma non exerceat; & clamatum eſt ab omnibus: fiat.

Quod canonem XXXI. hujus concilii aliter ille legatur in actis Labbei, aliter vero apud Gratian. Concil. Generai. Tom. XX.

num, ut idem Labbeus notat; cui lectioni Gratiani auctoritatem conciliat epiſtola Paſchalis II. papa ad Ivonem Carnotenſem (Gall. Chriſt. tom. VIII. nov. edit. pag. 307. append.) qui tamen aliquanto aliter ac Gratianus eumdem canonem effert. En verba ejus qui pariter epiſcoporum concilio præſentium numerum aliter definit, ac extat in cod. Lamberti Atrebatenſis, de quo Labbeus.

Omnium ſiquidem epiſcoporum, clericorumque rebus proviſum eſt, cum in Arvernenſi concilio conſidentibus archiepiſcopis duodecim, epiſcopis 82. a Domino prædeceſſore noſtro beatæ memoriæ Urbano ſalubriter eſt ſtatutum:

Si quis epiſcoporum ſeu presbyterorum aut aliorum clericorum deficientium * res invaſerit uſque ad ſatisfactionem excommunicetur.

* Apud Gratian. deeſt illud *uſque ad ſatisfactionem*

EX CHARTA DE ECCLESIA S. FLORI.

Quam ob cauſam domnus Stephanus tunc S. Flori prior compulſus eſt ante Dominum Urbanum papam in Claromontenſi concilio de prædicto Bernardo Geraldi & filiis ejus querimoniam facere. Quos Dominus Urbanus papa de hac cauſa in ipſo concilio publice excommunicavit, donec prædictam eccleſiam monachis S. Flori libcram & quietam dimitterent &c.

EX PLACITO INTER ARCHIMBALDUM V.

Dominum Bordonenſem & monachos Silviniacenſes tempore S. Hugonis.

CUm nequaquam ſui promiſſi memor (Archimbaldus) ea quæ promiſerat irrumpere cœpiſ-

ANNO CHRISTI 1095.

ſet, prævideris domnus abbas jam jamque, ut ita dicam B. Petri rempublicam labefactari, totis viribus tam immani ſe objiciens periculo in illa magna ſynodo quæ apud Arvernenſem celebrata eſt civitatem, Domini papæ auribus hæc intimavit. At vero idem papa ut ſemper paratus erat omnibus jam dicti patris obtemperare votis, evocato ad concilium Archimbaldo ad hoc coegit, ut promitteret ſe juxta conſilium archiepiſcopi Bituricenſis & epiſcopi Anicienſis, Guillelmi quoque de Baſia & aliorum quorundam nobilium virorum cuncta prave a ſe contra Dominum abbatem geſta emendaturum.

EPISTOLA URBANI II. AD BERENGERUM

Abbatem S. Laurentii Leodienſis.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Beringero (a) abbati ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

GRatias agimus Deo pro vobis in gratia Dei quæ data eſt vobis, qui in hoc malo tempore, cum omnis pene Gallia erroris caligine jacet immerſa oculos mentis veſtræ ad cognitionem veritatis illuminavit, ut ad amorem juſtitiæ, & catholicæ fidei defenſionem, igne ſui ſpiritus cor veſtrum accendat. Gratias illi qui vos præclaro calice gratiæ ſuæ inebriavit, & ſpiritum Domini in ratione veſtra ferventem ad tolerantiam multiplicis injuriæ paratum reddidit, & ad perferendos labores & pericula pro defenſione veritatis excitavit. Quod Dei munus ſpeciale eſſe non dubitamus, qui provida diſpenſationis ſuæ gratia electos ſuos perſecutionis tempore utiliter probat & diſcutit; ſed ne penitus aberrent, aut labefactati funditus deficiantur, potentia virtutis ſuæ ſuſtentat, ut ad omnia propter ſe ſuſtinenda paratiores fiant, fortiores excitat, antehac ut pro certo compertum habemus, aliis pro defenſione veritatis & juſtitiæ laborantibus, cum omni officio caritatis ſubvenire ſolebatis & cum magna cordis lætitia, & vultus hilaritate, ſanctorum neceſſitati ſupra vires veſtras miniſtrare, ſimoniacos, & Wibertiſtas, novos eccleſiæ hoſtes, validis verborum jaculis impetere, & nutantem rationis eorum murum ariete fidei pulſare, & athletas Dei, qui in acie chriſtianæ religionis defecerant, confortare. Nunc ergo devotionem veſtram pietas divina inſpexit, & tandem majeſtas excelſa dignatur ut pro eo patiamini, qui pro veſtra gloria crucis ignominiam ferre non erubuit. Huic tanto cœleſtis gratiæ beneficio prudentia veſtra debet reſpondere aliquid, & calice ſalutari gratanter accepto gloriam & honorem æterni regis quærere, & in omni vitæ veſtræ ſtatu nomen ejus, qui vobis tribuit intellectum, invocare, laudare, benedicere & magnificare. Nec damna rerum temporalium vos debent movere, neque quod H. (b) homo chriſtianæ pacis everſor & eccleſiarum ſacrilegus vendi-

A tor, Romani imperii deſtructor, hæreticorum auctor & defenſor, vos de eccleſia veſtra per ſatellitem ſuum Obertum (c) epiſcopum expulit, curare. Nam ſi patrem familias Beelzebuch invocavit, quanto magis domeſticos ejus? Si Romanæ ſanctæ & apoſtolicæ eccleſiæ funeſtas manus intulit, mirum vobis videtur, ſi uſque ad vos gladius inſaniæ ejus pervenit. Si ſacerdotem ſummum, cui omnipotens Dominus per Petrum ſingulari privilegio poteſtatem aperiendi & claudendi quibus voluerit januas cœleſtis regni dono dedit, de cathedra pontificali tirannice exturbavit, & pro eo ſtatuam auream in loco ſancto erexit, & ad adorandum eos, quos poteſt cogit: turbemini quod vos violenter expulit, & in loco veſtro fictile & conflatile idolum abhominationis collocari fecit. Immo potius gaudete, quia Deus laborum ſanctorum ſuorum conſortem vos vult eſſe. Si rapinam bonorum temporalium pro Chriſto ferre non vultis, quomodo mortis aſperitatem pro chriſtiana veritate ſuſtinere gauderetis? Credo quod voluntas Dei eſt, immo divina propitiationis opus, ut aliqua vis humana foſſam illam maledictionis & nequitiæ vos compellat exire, ne juſtus Loth pereat cum injuſtis, ne ſanctitatis veſtræ ſpeculum admittat quicquam contagionis ex cohabitatione malitiæ circumſtantis. Quis enim murus ſtaret inconcuſſus, quas mens immobilis in ſua firmitate permaneret, ubi craſſi ſues grunnirent aſſidue, ubi innocentiæ veſtræ ſimplicitatem turba malignantium obſideret? Obertus Antichriſti ſignifer, ſathanæ jumentum, perfidiæ Simonis manifeſtus ſectator, apoſtolicorum judiciorum contemtor, eccleſiæ quantum in ipſo eſt conculcator, eccleſiarum quas in ſuam perditionem temerarius emtor invaſit, prædo & deſtructor & prophanus venditor num minus intonaret, nunc diabolicis blandimentis aſtutiæ caput veſtri rigoris incurvare contenderet. Quem nos ex decreto concilii a nobis nuper acti damnatum auctoritate Dei & B. Petri, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui auſpice Deo deſervio, jam excommunicavimus, & cum ſuo Wiberto beſtia terribili & varia, quæ aſcendit de mari, & facit bellum cum ſanctis, quam adorant, quorum non ſunt nomina ſcripta in libro vitæ & agni, portionem maledictionis ei dedimus pro eo quod ſimoniacus eſt, & epiſcopatum data pecunia uſurpavit, & quia vos injuſte de loco veſtro ex præcepto ſui regis expulit, & eum qui propter contumaciam & inobedientiam publico judicio abjudicatus & condemnatus erat, accepta ab eo pecunia ſuppoſuit & quia cuidam Lupo (d) & ſimoniaca hæreſi, & aliis capitalibus culpis publice & juſte damnato manus impoſuit. Similiter & illum eccleſiæ prophanum pervaſorem damnavimus, & excommunicavimus Wolbodonem, quia ſimoniace ac tyrannice poteſtate per male acquiſitam pecuniam abbatiam veſtram, & locum unde per inſolentiam ſuam, ſicut diabolus de cælo deciderat invaſit (e) & cum eo omnes

ANNO CHRISTI 1095.

(a) Beringerus ex priore Andagienſis monaſterii S. Auberti factus primus prior S. Larentii Leodienſis, deinde abbas creatus, in locum Voolbodonis abbatis ab Henrico epiſcopo depoſiti omnium fratrum ſuffragiis ſubfectus eſt anno 1075. MARTENE

(b) Henricus IV. rex Romanorum hujus nominis III. imperator, qui ſchiſma in eccleſia ſuſcitavit, in ſedem ſancti Petri ſublimato Vuiberto, & exturbato Gregorio VII. ſanctiſſimo. MARTENE

(c) Otbertus Leodienſis S. Crucis præpoſitus defunctus anno 1090. Henrico epiſcopo, ad Henricum regem confugit, & magna pecunia epiſcopatum ab eo comparavit, qui ſtatim Beringerum abbatem expulit, & Vvolbodonem reſtituit, uti ſcribit author coævus hiſtoriæ S. Huberti. MARTENE

(d) Sive Lupeni abbati Trudonenſi qui ab Henrico Leodienſi pulſus ſua dignitate fuerat. Vide chron. Trud. Spicileg. to. 7. MARTENE

(e) Hinc de eo antiquus auctor hiſtoriæ S. L. Laurentii a nobis edendus (edidit to. IV. Vet. Monum.) *Pecuniam*, inquit, *multam a mercatoribus hujus patriæ mutuo accepit, quam de eccleſia ipſa perſolveret: Unde ipſe ter trecentas marcas habuit. Obertus autem non parvam inde partem accepit.* MARTENE

nes malitiæ ejus adjutores & fautores. Omnes quoque quibus ipſe oblationes fidelium res eccleſiæ, & prædicta divinis uſibus tradita vel vendidit vel dedit, pariter cum illo a gremio ſanctæ eccleſiæ apoſtolica auctoritate pellimus, anathematizamus, damnamus, & ſacrilegos judicamus, uſque dum ſua eccleſiæ reſtituant. Vos autem, frater cariſſime, gaudete, quia rex Iſrael filium ſuum vult ſuper flumina Babylonis ſedere & flere, & ad reditum in terram promiſſionis libero cordis affectu ſuſpirare, non in ipſis fluminibus & ſtudiis ſæcularibus implicitum interire. Summa noſtræ voluntatis eſt, ut teneat prudentia veſtra quod ratio perſuadet, ſcriptura divina teſtatur, ſanctæ religionis ordo requirit, martyrum ſanguis inſinuat, mater noſtra, ſancta ſcilicet eccleſia præcipit, & commendat. Veritas ipſa, ut ad veritatem nos converteret, mori voluit, nihilque animas noſtras, niſi ſola veritas a poteſtate Diaboli liberabit. Salutant vos in Chriſto, & qui vobiſcum ſunt fratres veſtros in præſenti nobiſcum congregati epiſcopi, clerici, abbates, & monachi, ut memoriam noſtri in veſtris ſanctis orationibus habeatis, ut pro pace noſtra, & ſanctæ eccleſiæ eum qui natus pacem terris attulit, quique ſuo ſanguine eam ſibi deſponſavit, rogetis ſuppliciter exoramus. Cariſſimus filius noſter Gerbertus, harum literarum gerulus, quando, ubi, quomodo, cum quibus ad nos ſine impedimento Sathanæ venire poſſitis, ſecreto indicabit vobis. Bene valete.

ANNO CHRISTI 1095.

Ad hoc ipſum concilium pertinet ſequens ſynodica apud Baluzium Miſcellan. tom. VI. pag. 375.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis in clero & populo Cameracenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

IN concilio apud Clarum montem Arverniæ celebrato cum pro electione dilecti filii noſtri Manaſſes & item Gualcherii a vobis facta quæſtio habita, & diligenti fuiſſet inveſtigatione tractata, patuit Manaſſem quidem a vobis canonice electum, Gualcherium vero contra ſanctorum canonum auctoritatem in veſtram ſe eccleſiam intruſiſſe. Totius igitur concilii judicio placuit Gualcherium quidem, tanquam invaſorem a veſtra eccleſia propellendum, Manaſſem vero electioni ſuæ & eccleſiæ veſtræ reſtituendum. Gualcherius itaque ſuæ conſcientiæ male fidens, & juſtitiæ ſententiam audire permetuens, concilio ſe ſubtraxit. Tertio igitur evocatum cum omnino ſubterfugiſſet, nos ejus fugam pro confeſſione habentes, ſecundum univerſalem concilii ſententiam ex ſanctorum canonum auctoritate prolatam ab omni epiſcopali ordine depoſuimus, & Manaſſem electioni ſuæ & veſtræ ecaleſiæ reſtituimus, collaudantibus, & corroborantibus tam metropolitano veſtro Remenſi antiſtite, quam & univerſis ejuſdem metropolis ſuffraganeis. Nunc vos literis præſentibus commonemus, & apoſtolica auctoritate præcipimus, ne Gualcherium ulterius recipere præſumatis, Manaſſe autem tanquam veſtro vere catholico epiſcopo obedientiam plenius impendatis. Neque vos lateat Gualcherium anathemati eſſe ſubjectum, ſi ſe ulterius de eccleſiæ veſtræ prælatione profana præſumptione intromittere tentaverit. Si quis igitur deinceps his decretorum noſtrorum præceptis contraire præſumpſerit, omnipotentis Dei, & apoſtolorum ejus indignationem inveniet & ultionis apoſtolicæ gladio feriatur, Omnes autem qui Gualcherio fidelitatem juraverunt, ab ejuſdem ſacramenti vinculo apoſtolica auctoritate abſolvimus. Data apud Arverniam II. Kal. Decembris.

ANNO CHRISTI 1095.

Poſtremo additamentum haud contemnendum ad acta concilii hujus præbet adnotatio quædam ſuperaddita a veteri quodam ſcriptore in cod. MS. decreti a Gratiano congeſti, qui codex, ſæculi, ut conjicio XII. exeuntis, in bibliotheca PP. congregationis Matris Dei Lucenſis ſervatur. Ita vero ibi lego.

Item Albino. Congregato apud Claromontenſem urbem multorum coepiſcoporum ſynodali conventu propoſita eſt nobis a quibuſdam quæſtio de eccleſiis vel eccleſiaſticis progreſſionibus a clericis vel monachis uſque in præſentiarum inconſultis epiſcopis acquiſitis. Nos autem uſi ſaniorum conſilio eorum ..... condeſcendentes providenteſque eccleſiarum pace vel .... ſcandali periculo hujuſmodi, quod non poterat procedere apoſtolica auctoritate decrevimus, ut ea quæ a clericis, vel monachis a quibuſcumque perſonis prout potuerint uſque hodie fuerint acquiſita, rata probentur, & inconcuſſa permaneant, hoc tamen tenore, ne in poſterum epiſcopis inconſultis talia præſumant. *Notæ ad canſ. 16. qu. 6.*

Poſtremas omnium ſubjicio chartas geminas vulgatas a noviſſimis Galliæ Chriſtianæ editoribus eruditis in appendice Inſtrumentorum tom. II. pag. 449. *quarum prior eſt epiſtola Ademari Engoliſmenſis epiſcopi, abſentiam a concilio ſuam apud pontificem excuſantis; alteram vero e concilio dedit Pontifex Urbanus II. ad canonicos Engoliſmenſes, qua largationem ipſis ab epiſcopo ſuo factam ratam habet.*

ADEMARI ENGOLISMENSIS

Ad Urbanum Papam II. Epiſtola.

Domino papæ Urbano Engoliſmenſis eccleſiæ ſacerdos indignus Ademarus ſalutem & debitam obedientiam.

QUoniam Arvernis, ubi me vocaſtis, pater reverende, adeſſe non poſſum, graviter tolero, adſum tamen præſens ſpiritu, per omnia mandatis veſtris obediturus, quem gravis incommoditas a veſtris modo defraudat jucundis obtutibus. Ut enim verum fatear, præter illa quæ circa nos ſunt quotidiana bellorum incommoda, tanta me corporis infirma affecit imbecillitas, ætatis ingraveſcens ponderavit antiquitas, ut equitandi laborem amiſerim, ipſa vita pene mihi ſit oneri. Excuſatam igitur habeat gravedinem imo impoſſibilitatem meam veſtra paternitas, & compatiatur pedibus veſtris proſtrato ſeni diſcretionis apoſtolicæ manſueta caritas. Præterea unum quid, domine mi veſtræ ſuggero paternitati, quem ut dignum eſt, favoralis exhilarate viſitatione reſcriptionis. In eccleſia mihi commiſſa præpoſitura quædam fuit, quæ ab antiquo & per pretium, & per ambitionem adquirebatur, & quaſi jure hæreditario poſſidebatur. Hanc quoniam præceptis veſtris, utpote canonicis obedire volebam, in communes uſus canonicorum noſtrorum, Deo gratias, in commune viventium, in perpetuum profutura transfundens attribui. Et ne de cætero eis auferatur, ſcripto & excommunicationis noſtræ officio confirmavi. Supplico igitur paternitati veſtræ ut particeps ſitis ejuſdem eleemoſinæ ut ſuper inquietatores, ſi qui emerſerint, gladium Sancti Petri extendatis & tuitione veſtra eccleſiam Engoliſmenſem lætificetis, & reſpectu apoſtolico, quod canonice petimus corroboretis.

Orantem pro nobis paternitatem veſtram Dominus ad perpetuam dirigat tranquillitatem.

ANNO CHRISTI 1095.

URBANI II. PAPÆ EPISTOLA

Ad canonicos Engoliſmenſes, qua præpoſituræ de Juliaco attributionem ipſis ab Ademaro factam confirmat.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Engoliſm. eccleſiæ canonicis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Officii noſtri nos hortatur auctoritas pro eccleſiarum ſtatu ſollicitos eſſe, & quæ recte ſtatuta ſunt ſtabilire. Illam igitur conſtitutionem quam venerab. frater noſter Ademarus epiſcopus de præpoſitura illa conſtituit, quæ eſt in villa Juliaco in pago Sanctonenſi nos litterarum præſentium auctoritate firmamus. Conſtituimus enim ut præpoſitura eadem nulla unquam venalitate diſtrahatur, nulla unquam vel conſanguinitatis vel ſucceſſionis occaſione fratrum communiter in Engoliſmenſis eccleſia viventium gubernationi & victui ſubtrahatur; ita ut, nec epiſcoporum Engoliſmenſium alicui liceat illius villæ, ſeu præpoſituræ redditus in uſus alios vendicare, ſed tam ipſa, quam cætera quæ juſte hodie poſſidetis, & quæcumque vel de amiſſis recuperare, vel aliunde legitime poteritis acquirere, vobis veſtriſque ſucceſſoribus in communi vita permanentibus integra ſemper & illibata permaneant. Si quis vero conſtitutioni huic & decreto noſtræ auctoritatis pertinaciter contraire temptaverit, per convenientes inducias monitus, niſi ſatisfactione congrua emendaverit, S. Spiritus gladio & apoſtolicæ diſtrictionis ultione plectatur. Data apud Clarum montem Arverniæ XI. Kalen. Decemb. per manum Johannis S. R. E. diaconi cardin. indict. III. ann. Dom. MXCVI pontif. domini Urbani II. P. P. VIII.

ANNO CHRISTI 1095.

CONCILIUM ANGLICANUM

In cauſa Urbani papæ celebratum anno Domini MXCV.

Eadmerus.

*QUid actum in hac ſynodo, Edinerus * qui aderat, in vita ſancti Anſelmi libro ſecundo apud Surium tom. 2. die 21. Aprilis, ita deſcribit:* Factum eſt & tertia ſeptimana quadrageſimæ juxta edictum convenerunt omnes epiſcopi totius Angliæ & abbates. Cauſa prædicta in medium adducitur, & Anſelmus diverſis querelis hinc inde concutitur. Siquidem multi, & maxime epiſcopi, regiæ voluntati favere volentes, ſpreto æquitatis judicio, id probare nitebantur, quod Anſelmus, ſalva fide quam regi debebat, nullatenus poſſet in regno Urbanum ſedis apoſtolicæ præſulem pro papa tenere. Quibus cum plura quæ ratio tulerat objecta fuiſſent, & Anſelmus ex verbis Domini, *Reddite quæ Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, aliiſque nonnullis quæ ratio nulla refellere poterat, penitus infrenaſſet: illi e contra quid dicerent non habentes, eum in regem blaſphemare uno ſtrepitu conclamavere, quandoquidem auſus eſſet in regno ejus, niſi eo concedente, quidquam vel Deo adſcribere. Igitur ad unam regiæ indignationis vocem quidam ex epiſcopis archiepiſcopo ſuo atque primati omnem ſubjectionem, profeſſam obedientiam uno impetu abnegant, eique unitatem fraternæ ſocietatis pari voto miſerandi abjurant.

Matth. 22.

Quidam vero in eis tantum quæ ex parte Urbani papæ præciperet illi ſe obedituros negant. Epiſcopi itaque omnes qui adfuerunt, Roſſenſi ſolo excepto, aut uno aut alio modo debitam illi ſubjectionem & obedientiam abnegant. Rex etiam ipſe cunctam et confidentiam & ſecuritatem ſui in omnibus adimit: nec ſe illum pro archiepiſcopo vel patre amplius habiturum jurat, niſi ipſe vicario B. Petri ſe ulterius obediturum ſtatim deneget. Tres dies in iſto negotio clamoribus in Anſelmum & contumeliis gravidi expenſi ſunt, & tandem in hoc quem dixi fine converſi ſunt: Tunc Anſelmus in ſuo propoſito conſtans, per internuntium, conductum a rege poſtulat, quo tutus regno decedat. Quod principes multi damnoſum fore dignoſcentes, pro reſtituenda pace inducias utrinque uſque ad pentecoſten dari precantur, & obtinent: ac ſic eum, ne de regno decedat, impediunt. Spondet igitur rex, ſe rebus ejus uſque ad præfixum tempus induciarum plenam pacem & tranquillitatem indulturum, & tunc voluntati illius pro ſua religione multum in negotio quod emerſerat condeſcenſurum. Verum omnino in contraria lapſus eſt: & Anſelmus, domino Balduino ejus domus præfecto extra regnum depulſo, hominibuſque ſuis captis & expoliatis, terriſque vaſtatis, in immenſum afflictus eſt. *Hactenus Edinerus.*

CONCILIUM LEMOVICENSE

Cui præfuit Urbanus papa II. anno Domini MXCV. exeunte.

Ex tabulario Lemovicenſi edidit Joannes Beslyus in hiſtoria comitum Pictavorum, & ducum Aquitanorum.

* Quæ in Romano MSto, quem Lemovicenſi ſimilem habeo, ſequuntur.

ANno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MXCV. Indict. * III. temporibus Philippi regis Francorum, Willelmi ducis Aquitanorum, Humbaudi quoque Lemovicenſis epiſcopi, & domni Ademari abbatis monaſterii S. Martialis: factus eſt conventus permaximus in civitate Lemovicenſi, diverſi ordinis utriuſque ſexus & ætatis. Huic nobili & præcipuo conventui præfuit domnus Urbanus ſanctæ Romanæ eccleſiæ apoſtolicus, cum archiepiſcopis, & epiſcopis, abbatibuſque ſecum comitantibus: qui eo tempore de partibus Italiæ in Galliam advenerat pro diverſis eccleſiæ Dei utilitatibus, rectæque fidei ſtatu, maximiſque negotiis Chriſtianæ religionis. Præcipua tamen adventus illius cauſa extitit, quia eccleſia Chriſti, genſque Chriſtiana in partibus

ANNO CHRISTI 1095.

tibus Orientis a perfida Saracenorum natione pervaſa, nimiumque afflicta, ſub gravi perſecutione manebat. Unde venerabilis papa per ſemetipſum Gallias adiit, ut Gallorum gentem armis belliſque exercitam, precibus & monitis provocaret, quatenus ſanctæ Dei eccleſiæ libertatem defenderet, populumque Chriſtianum jugo nefandæ gentis liberaret, & pro amore caritatis, peccatorumque ſuorum remiſſione, expeditionem maxima manu confertam, ad Orientis partes moveret, quo nefandam gentem ab hereditate Chriſti repelleret. Cum ergo hujus rei gratia Gallias perluſtraret, menſe Decembrio, x. Kal. Januarii, venit in hanc civitatem Lemovicenſem, adtueruntque cum eo præcellentiſſimi ac religioſiſſimi viri archiepiſcopi & epiſcopi quamplurimi, quorum iſta ſunt nomina: domnus Ugo, archiepiſcopus Lugdunenſis, domnus Audebertus archiepiſc. Bituricenſis, domnus Amatus archiepiſcopus Burdegalenſis, domnus Dagbertus archiepiſcopus Piſenſis, Bruno quoque epiſcopus Signienſis, præſul quoque Pictavenſis Petrus, præſul quoque Santonenſi Ramnulfus, præſul quoque Petragoricenſis Rainaldus, præſul quoque Rotenenſis Raimundus, Humbaudus epiſcopus Lemovicenſis. Hi omnes cum eo Chriſti nativitatem celebraverunt: & ipſo die nativitatis, diluculo cum omnibus illis aſcendit ad eccleſiam D. Martialis, & ſuper altare ſancti Salvatoris, miſſam de luce cantavit. Et poſt ſermonem habitum ad populum, coronatus ad ſedem S. Stephani rediit.

Die vero VI. nativitatis, quæ fuit dominica, iterum ad monaſterium ſancti Martialis venit: ibique diebus octo permanens cum præfatis archiepiſcopis, & epiſcopis, baſilicam regalem, quam divæ memoriæ Ludovicus imperator, filius Caroli Magni a fundamentis conſtruxerat, ſed poſtea, tam conflagratione ignis, quam variis caſibus conquaſſata, & a domno Ademaro, abbate tunc iſtius loci, interius exteriuſque ad plenum reformata & ornata, apoſtolica auctoritate ſolemniter dedicavit ſecundo Kal. Jan. & ipſe quidem aquam benedixit, archiepiſcopi vero interius exteriuſque baſilicam cum ipſa aqua perluſtraverunt. Deinde ipſe domnus papa propriis manibus altare Domini Salvatoris aqua benedicta lavit, chiſmate & oleo ſancto perunxit, pignora ſanctorum ibi repoſuit, & mox in ipſo altari miſſam cantavit, innumera populi multitudine adſtante: & in perpetuo diem illum ſolemnem & celebrem dedicationis agi conſtituit.

ANNO CHRISTI 1095.

In hoc concilio depoſitum fuiſſe Humbaldum epiſcopum Lemovicenſem narrat Cauſredus prior Voſienſis, ad annum MXCV. *his verbis:* Decimo, *inquit*, Kal. Januarii, Lemovicas devenit Urbanus papa. *Et poſt alia quam multa*; Tunc Lemovicenſis pontifex Humbaldus ab adverſariis accuſatur, accuſatus convincitur, & apud ſanctum Martialem, in conſpectu Ademari abbatis, quo contradicente electus fuerat, a domino papa publice deponitur. Qui Humbaldus apud S. Severam ceſſit: ibique inter laicos, laicaliter multo tempore vixit. Erat quippe frater dominorum ejuſdem caſtri, quod eſt in Biturico.

Item chronicon Malleacenſe, ad eumdem annum: Lemovicas veniens (Urbanus papa) depoſuit Humbaldum epiſcopum ejuſdem urbis. *De profectione Hieroſolymitana hic quoque actum eſſe, certum eſt: cum & in omnibus per Galliam conciliis id Urbanus ageret, & ſatis acta quæ deſcripſimus, ſignificent*:

COMPENDIENSE CONCILIUM

Quo Hugo de Inciaco Cameracenſi epiſcopo infenſus, anathemate repreſſus eſt, Anno 1095. a Rainoldo Remenſi archiepiſcopo celebratum.

Suppl. Mauſ. Tom. II. p. 149. Anno 1095 citatur apud Baluz. Miſc. to. V. p. 285.

DE concilio hoc nihil uſpiam occurrit, præterquam verba hæc in epiſtola Rainoldi Remenſis ad Lambertum Atrebatenſem. *Liquere vobis credimus quoniam in concilio, quod Compendii celebravimus, ad clamores Gerardi Cameracenſis epiſcopi omnium præſidentium judicio in eum* (Hugonem De Inciaco) *anathematis gladium exeruiſſe, & in omnes ejus cooperatores, & conſentaneos. Sed neque ideo ipſe, nec filius ejus Cameracenſem eccleſiam perſequi deſtiterunt*, &c. Concilii hujus annus inde colligitur, quod Lambertus anno 1094. epiſcopus a Remenſi agnitus exceptuſque ſit, Rainoldus vero ſequenti anno 1096. die XII. Kal. Februarii obiit.

ANNO CHRISTI 1096.

CONCILIUM ROTOMAGENSE,

ANNO CHRISTI 1095.

In quo decreta concilii Arvernenſis relecta ſunt: a Guillelmo archiepiſcopo cum ſuffraganeis ſuis celebratum menſe Februario, anno MXCVI. Urbani II. papæ anno VIII. Philippi regis XXXVI.

TITULI CANONUM.

I. *De trevia Dei, quomodo ſit cuſtodienda.*
II. *De rebus & perſonis quæ perpetua in pace eſſe debent.*
III. *Juramentum de cuſtodienda trevia Dei.*
IV. *Anathema iis qui treviam Dei jurare vel cuſtodire neglexerint. Item de falſariis & raptoribus.*
V. *Ut eccleſia res ſuas & conſuetudines retineant, & laici partem in decimis aliiſve nullam capiant, nec ſervitium indebitum exigant.*
VI. *Ut presbyterum eccleſiæ laicus non det, nec adimat, ſine conſenſu epiſcopi: & ut nullus homo comam nutriat.*
VII. *Ne laicus conſuetudinem aut juſtitiam habeat epiſcopalem.*
VIII. *Ne presbyter, homo fiat laici.*

PRÆFATIO.

ODo epiſcopus Baiocenſis, Gislebertus Ebroicenſis, & Serlo Sagienſis, legati quoque aliorum de Normannia præſulum, cum excuſatoriis

Verba ſunt Orderici Vitalis hiſt. Eccleſ. l. 9

toriis apicibus Arvernenſi concilio interfuerunt : & inde cum benedictione apoſtolica regreſſi, ſynodales epiſtolas coepiſcopis ſuis detulerunt. Guilelmus igitur archiepiſcopus concilium Rotomagi aggregavit, & cum ſuffraganeis epiſcopis de utilitatibus eccleſiaſticis tractavit. Tunc omnes Februario Rotomum convenerunt. Capitula ſynodi, quæ apud Clarum montem facta eſt, unanimiter contemplati ſunt. Scita quoque apoſtolica confirmaverunt, & hujuſmodi ſcriptum poſteris dimiſerunt.

ANNO CHRISTI 1096.

CANONES.

I. *De trevia Dei, quomodo, ſit cuſtodienda.*

Statuit ſynodus ſancta, ut trevia Dei firmiter cuſtodiatur a dominica die ante caput jejunii, uſque ad ſecundam feriam oriente Sole poſt octavas pentecoſtes: & a quarta feria ante adventum Domini occidente Sole, uſque ad octavas epiphaniæ: & per omnes hebdomadas anni, a quarta feria occidente Sole, uſque ad ſecundam feriam oriente Sole: & in omnibus feſtis S. Mariæ, in vigiliis eorum: & in omnibus feſtis apoſtolorum, & vigiliis eorum. Et ut nullus homo alium adſaliat, aut vulneret, aut occidat, nullus * namnum aut prædam capiat.

* Vide Gloſſarium Du Cangii, verbo *Namium*.

II. *De rebus & perſonis quæ perpetua in pace debent eſſe.*

Statuit etiam ut omnes eccleſiæ & atria earum, & monachi, & clerici, & ſanctimoniales, & feminæ, & peregrini, & mercatores, & famuli eorum, & boves & equi arantes, & homines carrucas ducentes, & herceatores, & equi de quibus herceant, & homines ad carrucas fugientes, & omnes terræ ſanctorum, & pecuniæ clericorum, perpetua ſint in pace: ut in nulla die aliquis audeat eos adſalire, vel capere, vel prædari, vel aliquo modo impedire.

III. *Juramentum de cuſtodienda trevia Dei.*

Statuit etiam ut omnes homines a duodecim annis & ſupra jurent hanc conſtitutionem treviæ Dei, ſicut hic determinata eſt, ex integro ſe ſervaturos, tali juramento. Hoc audiatis vos N. quod ego amodo in antea hanc conſtitutionem treviæ Dei, ſicut hic determinata eſt, fideliter cuſtodiam, & contra omnes, qui hanc jurare contempſerint, vel hanc conſtitutionem ſervare noluerint, epiſcopo vel archidiacono in eo auxilium feram: ita ut, ſi me monuerit ad eumdum ſuper eos, nec diffugiam, nec diſſimulabo: ſed cum armis meis cum ipſo proficiſcar, & omnibus quibus potero juvabo adverſus illo per fidem, ſine malo ingenio, ſecundum meam conſcientiam Sic. Deus me adjuvet; & iſti ſancti.

ANNO CHRISTI 1096.

IV. *Anathema iis qui treugam Dei jurare vel cuſtodire neglexerint. Item falſariis & raptoribus.*

Statuit præterea ſancta ſynodus, ut omnes feriantur anathemate qui hoc juramentum facere noluerint, vel hanc conſtitutionem violaverint: & omnes qui eis communicaverint, vel ſua vendiderint, ſive fabri, ſive alii officiales, ſive presbyteri, qui eos ad communionem ſuſceperint, vel divinum eis officium fecerint. Hoc etiam anathemate feriuntur falſarii, & raptores, & emptores prædarum, & qui in caſtris congregantur propter exercendas rapinas, & domini qui amodo eos retinuerint in caſtris ſuis. Et auctoritate apoſtolica & noſtra prohibemus, ut nulla chriſtianitas fiat in terris dominorum illorum.

V. *Ut eccleſia res ſuas & conſuetudines retineant, & laici partem in decimis, aliiſve nullam capiant: nec ſervitium indebitum exigant.*

Statuit etiam ſancta ſynodus, ut omnes eccleſiæ ita ſint ſaiſiatæ de rebus ſuis, ſicut fuerunt tempore Guillelmi regis, & cum eiſdem conſuetudinibus: & quod nullus laicus participationem habeat in tertia parte decimæ, vel in ſepultura, vel in oblatione altaris: nec ſervitium, nec aliquam exactionem inde exigat, præter eam quæ tempore Guillelmi regis conſtituta fuit.

VI. *Ut presbyterum eccleſia laicus non det nec adimat ſine conſenſu epiſcopi: & ut nullus homo comam nutriat.*

Statuit etiam, ut nulius laicus det vel adimat presbyterum eccleſiæ, ſine conſenſu præſulis: nec vendat, nec pecuniam inde accipiat. At ut nullus homo comam nutriat, ſed ſit tonſus, ſicut decet Chriſtianum: alioquin a liminibus ſanctæ matris eccleſiæ ſequeſtrabitur, nec ſacerdos aliquis divinum ei officium faciet, vel ejus ſepulturæ intererit.

VII. *Ne laicus conſuetudines, vel juſtitiam epiſcopalem habeat.*

Nullus laicus habeat conſuetudines epiſcopales, vel juſtitiam quæ pert[illegible] ad curam animarum.

VIII.

ANNO CHRISTI 1096.

VIII. *Nullus presbyter efficiatur homo laici.*

Nullus presbyter efficiatur homo laici. Quia indignum eſt, ut manus Deo conſecratæ, & per ſacram unctionem ſanctificatæ mittantur inter manus non conſecratas: quia eſt aut homicida, vel adulter, aut cujuslibet criminalis peccati obnoxius. Sed ſi feudum a laico ſacerdos tenuerit, quod ad eccleſiam non pertineat, talem faciat ei fidelitatem quod ſecurus ſit.

ANNO CHRISTI 1096.

Hæc itaque Gislebertus Ebroicenſis epiſcopus, qui pro ſua proceritate cognominabatur Grus, & Fulbertus Rotomagenſis archidiaconus, ſcita patrum palam promulgaverunt: & Guillelmus archiepiſcopus, aliique præſules auctoritate ſua corroboraverunt: Odo quippe Bajocenſis, & Gislebertus Luxovienſis, Turgiſius Abrincatenſis, & Serlo Sagienſis, atque Radulfus Conſtantienſis, præfatam ſynodum ſanxerunt. Abbates quoque totius provinciæ, cum clero, & parte procerum pacem optantium, adfuerunt.

CONCILIUM TURONENSE,

Pro expeditione Hieroſolymit. aliiſque tractandis indictum anno Domini MXCVI. tempore Urbani papæ II.

Acta concilii apud Bertholdum his verbis deſcribuntur: Dominus papa Arelati * diem dominicæ nativitatis cum diverſarum provinciarum epiſcopis glorioſiſſime celebravit. In his locis ex parte ſchiſmaticorum, Wirceburgenſis epiſcopus ad apoſtolicum pervenit, ejuſque miſericordiam conſecutus eſt: ita tamen, ut eadem miſericordia a legatis papæ in Teutonicis partibus perficeretur eidem. In tertia hebdomada quadrageſimæ dominus papa ſynodum celebravit, cum diverſarum epiſcopis provinciarum, in civitate Turonenſi, ubi iterum ſuorum præteritorum ſtatuta conciliorum generalis ſynodi aſſenſione roboravit. Et non multo poſt, epiſcopum Strazburgenſem de excommunicatione reſipiſcentem recepit in communionem: ita tamen, ut de illatis criminibus ſe expurgaret,

* Hic errare Bertholdum patet ex concilio Lemovicenſi 1095.

Pergit agere de Hieroſolymitana expeditione ibi decreta, deque his qui in Hungaria periclitati ſunt militibus, ac deinpe de regis Francorum abſolutione, * *Erranſattambis verbis*: Philippus rex Galliarum, jamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem domino papæ, dum adhuc in Gallis moraretur, ſatis humiliter ad ſatisfactionem venit: & abjurata adultera, in gratiam receptus eſt, ſeque in ſervitium domino papæ promptum exhibuit. *Hæc ipſe.*

* Errant ſattambis in concilio Nemauſenſi habiti anni, non in Turon.

De eodem concilio, ſic chronicon Turonenſe MS. Anno domini MXCVI. Henrici Imp. XL. & Philippi Regis XXXVI. Urbanus papa apud Turonas menſe Martio concilium congregavit: & eccleſiam Majoris monaſterii dedicavit. Et in media quadrageſima, in eccleſia B. Martini, more Romano corona palmarum ſe coronavit.

Chronic. autem Malleac. ad eundem an. Turonis, *inquit*, tenuit concilium (Urbanus) in monaſterio S. Martini: in quo inter alia inſtauravit abbatiam S. Mauri, & præcepit habere abbates; & primus fuit Girandus.

In hoc quoque concilio controverſiam inter canonicos S. Martini & monachos Cormeriacenſes compoſuit Urbanus, ſententia ſecundum canonicos lata: qua ſtatuit ut abbates Cormeriacenſes baculum paſtoralem de ſepulcro S. Martini, communi decani & capituli juſſu ſumerent. En teſtes concilii & judicii iſtius litteras pontificis, Pictavis datas.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

QUerelam de Cormaricenſi cœnobio inter B. Martini canonicos, & illius loci monachos diutius agitatam, qualiter in conſpectu noſtro, archiepiſcoporum abbatumque judicio definita ſit ad utrorumque quietem perpetuam, noſtræ auctoritatis litteris præcipimus annotandum. Lectis enim in conſpectu publico B. Martini privilegiis, ipſius etiam cœnobii monimentis, patuit locum illum ex ſupradictæ eccleſiæ ſtipendiis, canonicorum ipſorum ſtudio fuiſſe ædificatum. Qui poſtea per Andegavenſem comitem, advocatiæ ſeu defenſionis occaſione, ex canonicorum poteſtate ſublatus eſt. Ex conſidentium igitur fratrum, qui nobiſcum Turonis ad eccleſiaſtica negotia finienda convenerant, deliberatione atque judicio, Cormaricenſis abbas Guido, baculum non ordinate acceptum B. Marini canonicis reddidit. Qui mox ſuper B. Martini tumulum poſitus eſt: poſtea tamen ex eodem tumulo eidem abbati, quia religioſæ converſationis habebatur, reſtitutus eſt. Perpetuo itaque decreto ratum eſſe præcepimus, ne deinceps in Cormaricenſi cœnobio aliter eligatur, quam in ſupradictæ eccleſiæ privilegio continetur. Electus autem ſupradicto tenore, do B. Martini ſepulcro baculum ſumat: item defuncto abbate, ſemper ad eumdem locum baculus referatur, ut ſuper illa ſanctiſſima confeſſoris apoſtolici membra, communi decani & capituli juſſu, ſignum illud paſtoralis regiminis ſemper accipiatur: ſalvo Turonenſis archiepiſcopi jure, quod in abbatis ordinatione ſecundum communem eccleſiæ conſuetudinem exercendum eſt. Si quis ſanctæ conſtitutioni huic obviam ire, & Cormaricenſe cœnobium eccleſiæ B. Martini ſubtrahere tentaverit, apoſtolicæ indignationis gladio, & ſancti Spiritus judicio feriatur.

Signum Urbani papæ.
Signum Hugonis Lugdunenſis archiepiſcopi.
Signum Radulphi Turonenſis archiepiſcopi.
Signum Guidonis Viennenſis archiepiſcopi
Signum Hildeberti Bituricenſis archiepiſcopi.
Signum Amati Burdegalenſis archiepiſcopi.
Signum Heuzonis cardinalis.
Signum Alberti cardinalis.
Signum Gregorii cardinalis.
Signum Ivonis Carnutenſis epiſcopi.
Signum Goffredi Andegavenſis epiſcopi.
Signum Hoelli Cenomanenſis epiſcopi.

Si-

ANNO CHRISTI 1096.

Signum Morvani Venetenſis epiſcopi.
Signum Benedicti Nannet. epiſcopi.
Signum Guillelmi Arvernenſis epiſcopi.
Signum Brunonis Signienſis epiſcopi.
Signum Marbodi Rhedonenſis electi.
Signum monachorum Cormaricenſium Simonis prioris, Bernerii.
Signum Burchardi præcentoris S. Martini.
Signum Fulcherii præpoſiti.
Signum Matthæi præpoſiti.
Signum Sichardi præpoſiti.
Signum Alexandri ſubdiaconi.

Datum Pictavis per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis III. Kalendas Aprilis, Indictione IV. anno Domini MXCVI. pontificatus Urbani papæ IX.

Monaſteriorum quoque Foſſatenſis & Glannafolii controverſiam ibidem dijudicatam intelligimus ex chronico Caſinenſi, lib. IV. cap. 18. *Idem præterea pontifex*, inquit, *pro negotiis eccleſiaſticis Gallias ingreſſus, in Turonenſi concilio, ubi ipſe præſidebat, monaſterium S. Mauri in Glannafolio a Foſſatenſium monachorum abſtractum tyrannide, priſtinæ dignitati libertatique reſtituit, ſub magiſterio tantum Caſinenſi cœnobii perpetuo manſurum.* Hæc Caſinenſis monachus. Cæterum lætos ſe hac ſententia, poſtea conqueſti ſunt Foſſatenſes, & *fuiſſe ſubreptum papæ Urbano*: poſtularuntque per Ivonem Carnotenſem a Paſchali papa II. ut judicium retractaret. En Ivonis epiſtola.

Ep. 238.

PASCHALI SUMMO PONTIFICI.

Ivo humilis eccleſiæ Carnotenſis miniſter, per mare hujus mundi proſpere navigare, & poſt ſuperata naufragia navem in tuto collocare.

QUoniam judicio Romanæ eccleſiæ a nemine foris retractari poſſe, eadem Romana eccleſia docente didicimus: ſi qui aliquando ſe prægravatos ipſius eccleſiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis conſilium damus, ut non deſcendant in Egyptum propter auxilium, ſed ab ipſa ad eam confugiant: & inde expetant levamen, unde ſe conqueruntur accepiſſe gravamen: quia quæ aliquando corripit paterna ſeveritate, eadem frequenter colligit materna pietate. Quod ideo prælibavimus beatitudini veſtræ, ut cauſam Foſſatenſium monachorum patienter audiatis: & quantum ſalva apoſtolica reverentia fieri poteſt, anxietatem eorum miſericorditer relevetis. Conqueruntur enim, ſe in concilio Turonenſi fuiſſe prægravatos, quoniam ad ſuggeſtionem comitis Andegavenſis dicunt fuiſſe ſubreptum domno papæ Urbano, monaſterium Sancti Mauri ſitum in patria Andegavenſi, quod ſub jure Foſſatenſis monaſterii antea per trecentos aut eo amplius annos extiterat, de ejuſdem monaſterii jure auferret, & ordinato ibi abbate liberum eſſe conſtituetet. Quod & factum eſt, Foſſatenſibus monachis jus ſuum reclamantibus, & multis qui concilio intererant, aliter ſentientibus: cum viderent privilegium, quo nitebantur Foſſatenſes monachi, de manibus eorum ab Andegavenſibus fuiſſe ereptum, & in plures partes fuiſſe conſciſſum. Adhibitis ergo multorum interceſſionibus ſupplicant prædicti monachi, ut eorum negotium a majeſtate veſtra legitima diſcuſſione retractetur; & vel miſericordia flectente, vel juſtitia ſtante, terminetur. Vale.

G. C. Annotat ad hanc epiſtolam Fr. Juretus, Rorigonis comitis rogatu, Ludovicum imperatorem edicto ſanxiſſe, *ut rectores Foſſatenſis monaſterii ſemper providentiam de eodem loco haberent, inſtantiam ſolicitudinis ſuæ tam loco quam congregationi vigilanti cura in omnibus adhiberent; tales videlicet eis magiſtros & præpoſitos ordinando, quorum nutu & regimine cuncta illis perficienda, & interius, & exterius, ſudioſe diſponerentur.* Idque repetit ex ſcriptore translationis & miraculorum S. Mauri, cap. III.

AD TURONENSE CONCILIUM

Urbano II. pontifice preſente anno 1096, celebratum.

ADDITIO.

Suppl. Marc. tom. II. p. 144. Ann. 1096.

Alienus Miſcellan. tom. II. chartam fundationis eccleſiæ Mariæ de Rota in diœceſi Andegavenſi recitat, cui rerum quarumdam acceſſionem fecit Raginaldus quidam Cerdonenſis, & Mauritius filius ejus, ejuſdemque acceſſionis illa confirmatio ibidem legitur.

Ex Baluz. Miſcell. II. p. 173.

Facta igitur hac conceſſione a Raginaldo Credonenſi, firmata eſt hæc charta in ſuperiori camera Gaufridi Andegavenſis epiſcopi junioris per impoſitionem manus Urbani II. Papæ, & per B. Petri auctoritatem pridie Idus februarii in primo anno ordinationis Gaufridis junioris epiſcopi, in nono ordinationis Urbani prædicti papæ, ipſo Gaufrido juniori epiſcopo vidente & laudante, epiſcopo Signenſi, Teuthione, Alberto Rangerio cardinalibus videntibus & laudantibus. Affuerunt etiam de clericis papæ, Emorrandus de Seiſſuns, Milo ſancti Albini monachus. De clericis Andegavenſis epiſcopi Willelmus de ſancto Laudo, Gotfridus Widonis filius. De clericis in præfata eccleſia ſub regula degentibus, Robertus, & Quintinus & duo Hervei, & alii duo.

Signum Adelberti primatis Bituricenſis.

Ego Wido gratia Dei Viennenſium archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego Geraldus Morinorum epiſcopus ſubſcripſi.

Signum Renerii canonici Malleonenſis.

Ego Rangerius cardinalis ſubſcripſi.

Signum Fulconis Andegavenſis comitis.

His audientibus Clarembaldo de Rupeforti & Hieronymo fratre ejus, & Goffrido Fulcredo & Hugone de Pocejo.

Hæc ſecunda ſanctio facta eſt (in) Turonenſi concilio, apoſtolico viro miſſam devotiſſime celebrante XII. Kalend. Aprilis, luna exiſtente XXII. anno MXCVI. incarnati verbi, Philippo rege Francorum imperium tenente.

Signum magiſtri Mainegaudi.

Signum Guillelmi electi de Claromonte.

Signum Raginaldi Andegavenſis junioris epiſcopi.

Signum Radulphi archiepiſcopi Turonenſis.

En aliud vetus documentum ad hanc ſynodum pertinens.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & Kariſſimo fratri Oderiſio noſtris per Dei gratiam manibus, & in cardinalem ſanctæ Ro-

Ex Gattola Hiſt. Caſſin. tom I. p. 238.

☞ Romanæ eccleſiæ ſacerdoti, & in abbatem Caſſinenſis monaſterii conſecrato, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

ANNO CHRISTI 1090.

Pater & princeps monachicæ inſtitutionis, gratia & nomine Benedictus, diſcipulum ſuum beatiſſimum Maurum ob religionis ſtudium docendum, & augendum in Gallias deſtinavit, ſicut in eorum geſtis luce clarius reperimus, qui ad loca deſtinata perveniens monaſterium quod Glannafolium dicitur in Andecavenſium diœceſi, divina gratia proſequente conſtruxit, quod Caſſinenſi cœnobio, unde prodierat, commiſſit, ubi cum plurimis virtutum inſignibus, cooperante Domino effulſiſſet, Bertulfum diſcipulum ſuum abbatem ſubſtituens monachis Caſſinenſibus qui una ſecum venerant ſuper eum ſollicitius invigilare præcepit, ne in aliquo a rectitudine regularis tramitis deviaret, ſicque temporalis vitæ finem ſortitus eſt, ac ſepultus. Poſt nonnulla igitur annorum curricula, peccatis exigentibus idem monaſterium a Gaidulfo quondam deſtructum, ſed poſtmodum religioſorum & virorum ſtudio reparatum. Eo itaque tempore venerandæ memoriæ Adrianus papa ſimul cum Carolo rege Francorum & patritio Romanorum præfatum monaſterium Glannafolienſis venerabili Theodemario Caſſinenſi abbati ſuper hac re querimoniam facienti, cognita ratione reſtituit, atque auctoritate apoſtolica confirmavit. Verum quia Dei judicia abyſſus multa, jam dictum cœnobium barbarorum incurſu vaſtatum iterum, & deſtructum aſſeritur. Depopulationis ergo illius barbaricæ ſolitudine permanente illuſtrium principum ſtudio proviſum fuit, quatenus Glannafolienſis locus monachichæ tunc quieti incongruus per Foſſatenſes monachos diſponeretur: quæ quidem diſpoſitio uſque ad tempora noſtra immobiliter perduravit. Cæterum cum Foſſatenſis etiam locus ab obſervatione religionis deſiiſſet, Glannafolienſis eccleſia per loci ipſius præpoſitos non tam diſpoſita quam diſſipata diutius videbatur. Contingit autem divinæ diſpoſitione clementiæ, cum pro eccleſiaſticis cauſis in Gallias tranſiſſemus nos locum illum cum confratribus noſtris epiſcopis & Romanæ eccleſiæ cardinalibus viſitaſſe. Fratrum igitur Deo ſervientium illic & circum habitantium nobilium virorum nos turba circumſtetit ſuper diſſipatione multimoda conquerentium, quæ ab his inferebatur, quorum eos oportuerat induſtria gubernari; adiectæ his ſunt communis filii noſtri Johannis S. Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, & veſtri Caſſinenſis cœnobii monachi pro parte tua, & venerabilis fratris noſtri Goffridi Andecavenſis epiſcopi, & filii noſtri Fulchonis Andecavenſis comitis preces, proprium loci illi abbatem ſub ditionem Caſſinenſis eccleſiæ auctoritate ſedis apoſtolicæ reſtitui poſtulantium, nec parum in brevi profectum loco eventurum ſperabant, & de trigeſimo, qui nunc inerat, monachorum numero, repente ampliorem futurum, ſiquidem a Foſſatenſium erepti tyrannide abbatis proprii regimine fruerentur. Proinde Foſſatenſibus monachis diem certum ſtatuimus, quo ſe noſtræ audientiæ. ſi habentes privilegiis præſentarent. Conſidentibus ergo nobiſcum in Turonenſi eccleſia archiepiſcopis, epiſcopis, & abbatibus, numero quadraginta quatuor, facta de hoc negotio quæſtione, chartam nobis prædicti fratres in communi audientia præſentarunt, quaſi Romani pontificis Adriani, quæ omnino falſa manifeſtis eſt indiciis comprobata. Placuit itaque cunctis in commune fratribus qui confederant, quandoquidem in Foſſatenſi monaſterio religionis obſervantia jam per tempora loca * defecerat, & Glannafolientis locus per eos nop meliorationi, ſed deteriorationi videbatur expoſitus, ceſſante cauſa etiam ceſſaret effectus, & Glannafolienſibus monachis abbatis cardinalis ſolatium redderetur. Et tunc ergo communi decreto ſancimus, & nunc per præſenti privilegii paginam legitimum ſempiternum apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut in loco illo venerabili ſæpe ſuperius nominato cardinalis abbas perpetuis temporibus habeatur, ſalva per omnia reverentia, & obedientia matris ſuæ eccleſiæ Caſſinenſis. Prædeceſſorum noſtrorum ergo Romanorum pontificum Adriani & Nicolai veſtigia comitantes prænominatum Glannofolienſe cœnobium cum omnibus pertinentiis ſuis Blalva libertate, & dignitate ejuſdem loci tibi, tuoque Caſſinenſi monaſterio præſentis noſtri privilegii pagina cum omnibus poſſeſſionibus ſuis confirmamus. In quibus hæc propriis duximus nominibus adnotanda. In primis villa Blazon, &c. ſtatuimus etiam ut obeunte nunc Girardo ejus loci abbate, nullus ibi ſubreptionis aſtutia vel violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum B. Benedicti regulam elegerint, apud Caſinum ſecundum tenorem privilegiorum ſuorum benedicendum. Quod ſi forte, quod evenire vix credimus, in ipſa congregatione aliquis ad hoc officium idoneus non reperitur, de Caſſinenſi cœnobio abbatem ſibi eligant ibidem ſimiliter benedicendum, ſicque præpoſituram Caſſinenſem & vicariatum ejuſdem Caſſinenſis abbatis per totam Galliam accipiens ad ſuum cœnobium redeat. Omnibus autem quinque annis limina B. Benedicti Caſſinenſis viſitet, in Mauri loco reſideat in Caſino, & in omnibus cellis ejus ſuper eum nullus abbas ſedeat, & nulli alio loco, niſi tantum Caſſinenſis ſubdatur. Si quid vero de ordine monaſtico tractandum fuerit arbitrio præpoſiti Caſſinenſis, quam & abbatis B. Mauri diſponatur Inſuper autem præſenti privilegio ſupradictum locum una cum omnibus ſuis pertinentibus, eccleſiis, & poſſeſſionibus per totum orbem roboramus, atque ut nullius alterius eccleſiæ, vel epiſcopi, niſi Caſſinenſis eccleſiæ ditionibus ſubmittatur, auctoritate apoſtolica interdicimus. Quæcumque præterea in futurum, ſive conceſſione pontificum, ſive liberalitate principum vel oblatione fidelium juſte atque canonice poteritis adipiſci firma eidem loco & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione ac gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnibus modis profutura; ſepulturam quoque ejuſdem loci liberam eſſe facimus, ut eorum qui illic ſepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati nullus obſiſtat. Si qua ſane in craſtinum eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe exiſtere divino judicio de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſanctiſſimo & ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem veſtroque cœnobio juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtri-

ANNO CHRISTI 1090.

* *l. longe*

ANNO CHRISTI 1096.

ctum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen, amen. Scriptum per manum Petri ſcriniarii ſacri palatii.

Data apud Tarracinam per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis XII. Kal. Aprilis indictione V. anno Dominicæ Incarnat. MXCVII. anno autem pontificatus domni papæ Urbani ſecundi X.

ANNO CHRISTI 1096.

CONCILIUM SANTONENSE

In quo imperatum jejunium omnibus apoſtolorum vigiliis, VI. Nonas Mart. Indict. IV. an. MXCVI.

Forte pro Ind. V. H.

ANno Domini MXCVI. *Indict.* * IV. VI. *Non. Mart. in quem diem incidebat Dominica prima quadrageſimæ, Amatus Burdegalenſis archiepiſcopus, ſedit apoſtolica legatus, concilium Santonibus habuit, cum archiepiſcopis, epiſcopis, & abbatibus numero* XLIII. ubi, *ait chronicon Malleacenſe*, imperatum eſt omnibus apoſtolorum vigillis jejunare. *Hujus concilii tempus conſignatum habemus in charta, qua confirmantur Vindocinenſis monaſterii privilegia: cui ſubſcriptum in hæc verba:*

Hæc ſubſcripta confirmatio facta fuiſſe dinoſcitur in concilio apud Santonas, ſicut inferius dictum eſt. Anno ab incarnatione Domini MXCVI. Indict. IV. VI. Nonas Martii.

*Romanæ ſedis legatus.

Ego Amatus Burdegalenſis archiepiſcopus * R. S. L. ſubſcripſi, & præſentis crucis ſigno † hoc privilegium monaſterio Vindocinenſi confirmavi in concilio apud Santonas: & ibi hujus ſancti privilegii violatores excommunicavi, & mecum pariter archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, qui adfuerunt num. XLIII. quorum quædam nomina ſubſcribi voluimus:

Raimundus Auſcienſis archiepiſcopus.
Rotlandus Dolenſis archiepiſcopus.
Ramnulfus Santonenſis epiſcopus.
Hildebertus Cenomanenſis epiſcopus.
Goſfridus Andegavenſis epiſcopus.
Marbodus Redonenſis epiſcopus.
Simon Agemenſis epiſcopus.
Petrus Pictavienſis epiſcopus.

Meminit ejuſdem concilii charta altera tabularii Angeriacenſis confecta pro concordia Carrofenſis & Angeriacenſis eccleſiæ: cujus hæc verba: Amato Romanæ urbis legato, Burdigalenſi archiepiſcopo, celebrante concilium apud Santonas, Petro abbate Carrofenſi, Anſculfo abbate Angariacenſi, Petro epiſcopo Pictavenſi, Ramnulfo epiſcopo Santonenſi, Willelmo Aquitanorum duce, an. MXCVI. in die qua canitur, lætare Jeruſalem.

Quæ charta dua non conſentiunt. Nam diei VI. *Non. Mart. ſive ſecundus Martii, qui adſcribitur Vindocinenſi privilegio, incidit eodem anno in dominicam primam quadrageſimæ. At charta Angeriacenſis dominicam quartam deſignat; quæ incidit in diem* X. *Kal. April. qui eſt Martii vigeſimus tertius. Ergo vel in alterutra error, vel concilium hoc prima quadrageſimæ dominica inchoatum, quarta nondum erat abſolutum: quod nemo credat.*

Utrumque monumentum accepimus ex Joanne Beſlyo, in hiſtoria comitum Pictavorum.

CONCILII SANCTONENSIS

ANNO CHRISTI 1097.

Anno MXCVII. celebrati fragmentum.

Ex Chartario Sylvæ-majoris.

TErram de Doeria & de Toſca, quam eccleſiæ S. Mariæ, quæ eſt in Sylva majori, Helias princeps de Didonia cum uxore ſua Avitia, & filiis Galtero, Gifardo, & Helia pro ſalute animarum ſuarum donavit, poſtea pignoravit Abbas Malliacenſis *, nobis neſcientibus: ſed poſtquam reſcivimus facta proclamatione ab abbate noſtro Achelmo in concilio Sanctonenſi recuperavimus. Recitatis enim his ſupraſcriptis, aſtante Helia cum filiis ſuis, & hoc confirmante judicio epiſcoporum & abbatum, & omnium proborum Clericorum judicio collaudato, & confirmato, in manu domni Amati S. R. E. legati Burdegalenſis quoque Dei gratia Archiepiſcopi dimiſit, & collaudantibus omnibus, in eodem loco ſupradictus Legatus nos reveſtivit. Actum eſt hoc anno Dominicæ Incarnationis MXCVII.

Ex Marteno Theſaur. Anecd. to. 4. p. 113.

* *ſcil.* Sylvæ majoris monachis.

☞ SYNODUS ATREBATENSIS.

Anno 1096.

SYnodus Atrebatenſis an. MXCVI. Indictione VI. die III. idus Octobris, in qua ſtatuitur mutua confraternitas inter Cathedralem Atrebatenſem & Wedaſtinam Eccleſias.

Ex Suppl. ad diplomata Miræi to. 3. p. 21. edit. 1734.

CONCILIUM NEMAUSENSE

URBANI PAPÆ II.

Menſe Julio celebratum, anno Chriſti MXCVI. Urbani ejuſdem anno VIII.

Jam editum Tomo IV. Spicilegii. Nos utimur eo exemplari quod Sirmondus noſter ad editionem paraverat deſcriptum ex cod. S. Albini Andegavenſis.

TITULI CANONUM.

I. *Ut epiſcopis de monachorum eccleſiis præter cenſum nihil exigant: ſacerdotes tamen in illis conſtituant.*

II. *Quod male quidam monachis negent ſacerdotali officio fungi licere.*

III. *Quod monachi ſacerdotali miniſterio rectius fungi poſſint, quam presbyteri ſæculares.*

IV. *De iis qui epiſcopos vel alios clericos capiunt.*

V.

V. *Ut defuncto epiſcopo res ejus nemo invadat.*
ANNO CHRISTI 1096. VI. *Ut laici oblationes & decimas eccleſiæ non retineant.*
VII. *Ut nullus eccleſia bona hereditario jure poſſideat.*
VIII. *Ut qui de manu laici beneficium ſuſceperit, illo careat.*
IX. *Ut qui relicta minore eccleſia majorem appetiit, utraque careat.*
X. *De iis qui conſanguineas vel adulteras ducunt.*
XI. *De raptoribus.*
XII. *De presbyteris fornicariis.*
XIII. *Ne puellæ nubant ante annos XII.*
XIV. *Ut nemo rem, quam ipſe aut ſui eccleſiæ dederint, ab ea repetat, nec clericum ad ſeculare judicium cogat.*
XV. *Ut epiſcopus, alterius excommunicatum non recipiat.*
XVI. *Ne monachi ad ſepulturam, vel ad divinum officium recipiant excommunicatos*, &c.

CANONES.

I. *Ut epiſcopi de monachorum eccleſiis præter cenſum nihil exigant: ſacerdotes tamen in illis conſtituant.*

1. 9. 3 c quæſtion.

In Arvernenſi concilio * quæſitum eſt de epiſcopis, qui altaria monaſteriis data frequenter redimi pecunia compellebant. Quia quidam ſimoniacæ pravitatis ramus in Galliarum partibus jam diutius inolevit, ut eccleſiæ vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos altaria nuncupantur, monaſteriis datæ, ſæpius ab epiſcopis ſub palliata avaritia venundentur, mortuis nimirum ſeu mutatis clericis, quas perſonas vocant. Nos auctore Deo venalitatem omnem tam ex rebus quam ex miniſteriis eccleſiaſticis propellentes, hoc ulterius fieri apoſtolica auctoritate prohibemus, ſicut & præbendas omnes venundandas interdicimus. Porro quæcumque altaria vel decimas ab annis xxx. & ſupra, ſub hujuſmodi redemptione monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quiete deinceps & ſine moleſtia qualibet eis poſſidenda firmamus, ſalvo utique epiſcoporum cenſu * annuo, quem ex eiſdem altaribus habere ſoliti ſunt. Sane quia monachorum quidam epiſcopis jus ſuum auferre contendunt, ſtatuimus ne in parochialibus eccleſiis, quas tenent, abſque epiſcoporum conſilio presbyteros collocent. Sed epiſcopi, parochiæ curam cum abbatum conſenſu ſacerdoti committant, ut ejuſmodi ſacerdotes de plebis quidem cura epiſcopo rationem reddant, abbati vero pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant, & ſic cuique ſua jura ſervent.

* al quæſtum.

* ſynodali, 16. q. 1 ſane quia

II. *Quod male quidam monachis negent ſacerdotali officio fungi licere.*

ANNO CHRISTI 1096.

Ex decreto Bonifacii 16. q. 1 c ſunt nonnulli. Leo par. 3. c 21.

Sunt nonnulli ſtulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, aſſerentes monachos qui mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, aut Chriſtianitatem, ſeu abſolutionem largiri poſſe per ſacerdotalis officii injunctam gratiam: ſed omnino falluntur. Nam ſi ex hac cauſa veteres æmuli vera prædicarent, apoſtolicæ ſedis compar B. Gregorius monachico habitu pollens, ad ſummum apicem nullatenus conſcenderet, cui ligandi, ſolvendique poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque, ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſcipulus, Anglorum prædicator egregius & Pannonienſis Martinus, aliique quam plurimi viri ſanctiſſimi, pretioſo monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo pontificali ſubarrharentur. Neque enim Benedictus monachorum præceptor ſanctiſſimus, hujus rei aliquo modo interdictor fuit: ſed eos ſæcularium negotiorum dixit expertes eſſe debere. Quod quidem apoſtolicis documentis, & ſanctorum inſtitutis, non ſolum monachis, verum canonicis ſummopere imperatur, utriſque enim perſpicacibus ſanctorum patrum exemplis, ut mortui mundo ſint, præcipitur. Credimus igitur, a ſacerdotibus monachis ligandi ſolvendique poteſtatem digne adminiſtrari: ſi tamen digne contigerit eos hoc miniſterio ſublimari. Quod evidenter affirmat, quiſquis ſtatum monachorum & habitum conſiderat. Angelus enim Græce, Latine nuntius dicitur. Sacerdotes igitur monachi atque canonici, qui Dei præcepta annuntiant, Angeli vocantur. Sed unuſquiſque angelicus ordo, quanto vicinius Deum contemplatur, tanto ſublimius dignitate firmatur. Numquid non ut Cherubim monachi ſex alis velantur? Duæ in capitio, quo caput tegitur, veris demonſtrantur aſſertionibus. Illud vero quod brachiis extenditur, alas duas eſſe dicimus: & illud quo corpus tegitur, alas duas. Sic ſex alarum numerus certiſſime conficitur. Decertantes igitur contra monachos in hac re, ſacerdotalis potentiæ arceri officio præcipimus, ut ab hujuſcemodi nefandis auſibus in poſterum reprimantur: quia quanto quiſque excelſior, tanto potentior.

III. *Quod monachi ſacerdotali miniſterio rectius fungi poſſint, quam presbyteri ſæculares.*

Oportet eos, qui ſæculum reliquerunt,

majorem ſollicitudinem habere pro peccatis hominum orare, & plus valere eorum peccata ſolvere, quam presbyteri ſeculares. Quia hi ſecundum regulam apoſtolicam vivunt, & eorum ſequentes veſtigia, communem vitam ducunt, juxta quod in actibus eorum ſcriptum eſt: *Erat illis cor unum & anima una, & erant illis omnia communia.* Ideoque videtur nobis, ut his qui ſua relinquunt pro Deo, dignius liceat baptizare, communionem dare, pœnitentiam imponere, necnon peccata ſolvere. Unde conſiderare nos oportet quantæ virtutis apud Deum ſint, qui ſæculum relinquentes, Domini obediunt præcepto dicentis: *Relinque omnia quæ habes, & veni, ſequere me.* Unde cenſemus eos qui apoſtolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, communionem dare, ſuſcipere pœnitentes, peccata ſolvere.

ANNO CHRISTI 1096.

Matt. 16.

16. q. 1. c. ex auctoritate.

IV. *De iis qui epiſcopos, vel alias clericos capiunt.*

Quicumque epiſcopum, abbatem, vel archidiaconum, vel presbyterum capere præſumpſerit: publica primum dedecoratus infamia, honoris ſui periculum incurrat: & tamdiu excommunicetur, & terra ſua interdicatur, quamdiu eccleſiæ ſatisfacere diſtulerit. De cæteris vero clericis canonum teneatur ſententia.

V. *Ut defuncto epiſcopo res ejus nemo invadat.*

Quotiens aliquis eccleſiæ antiſtes ex hac vita migraverit, duæ de melioribus ejuſdem eccleſiæ perſonæ eligantur, quæ res epiſcopi defuncti, ſicut ipſe diſpoſuerat, fideliter tractent, & quæ ad epiſcopatum pertinent, ſucceſſuro paſtori conſervent. Quod ſi aliquis tyrannus res epiſcopii interim invaſerit, aut violaverit: excommunicationi ſubjaceat, & eccleſia illa a divino ceſſet officio, & minores eccleſiæ tanquam matri compatiantur, quouſque digna ſatisfactio ſubſequatur.

VI. *Ut laici oblationes & decimas eccleſiæ non retineant.*

Laicus, qui oblationem eccleſiæ, ſepulturam, decimam, aut terram ſanctuarii tenuerit, ab omnium fidelium communione ſeparetur.

VII. *Ut nullus eccleſiæ bona hereditario jure poſſideat.*

Quicumque eccleſias, vel earum bona, hereditaria ſucceſſione poſſident, tamdiu eccleſiaſtico careant beneficio, donec quas A teneat eccleſias dimittant.

ANNO CHRISTI 1096.

VIII. *Ut qui de manu laici beneficium ſuſceperit, eo careat.*

Clericus, vel monachus, qui eccleſiaſticum de manu laici ſuſceperit beneficium, quia non intravit per oſtium, ſed aſcendit aliunde ſicut fur & latro, ab eodem ſeparetur officio.

IX. *Ut qui relicta minore eccleſia majorem appetiit, utraque careat.*

B Sacerdotes, quando regendis præficiuntur eccleſiis, de manu epiſcopi curam animarum ſuſcipiant, ubi & in tota vita ſua Deo deſerviant, niſi canonico degradentur judicio. Quod ſi ambitionis vel cupiditatis cauſa ad aliam ditiorem migraverint eccleſiam, utramque amittant.

X. *De iis qui conſanguineas vel adulteras ducunt.*

C Qui publice conſanguineas vel adulteras ducunt, quamdiu eas tenuerint, excommunicentur.

XI. *De raptoribus.*

Raptores, qui in rapiendo mortui fuerint abſque canonica pœnitentia, non ſepeliantur, nec pro eis miſſa celebretur.

XII. *De presbyteris fornicariis.*

D Presbyteri publice fornicarii degradentur.

XIII. *Ne puellæ nubant ante annos 12.*

Puellulæ uſque ad duodecim annos non nubant.

XIV. *Ut nemo rem quam ipſe, aut ſui, ecclefiæ dederint, ab ea repetat: nec clericum ad ſæculare judicium cogat.*

Nullus habeat licentiam retrahere beneficium, a ſe vel ab anteceſſoribus ſuis eccleſiis collatum: & nec clericos, nec E monachos, in curiam ſuam ad ſæculare cogat venire judicium: quoniam hoc rapina eſſet & ſacrilegium.

XV. *Ut epiſcopus, alterius excommunicatum non recipiat.*

Nullus epiſcopus, alterius recipiat excommunicatum.

XVI.

ANNO CHRISTI 1096.

XVI. *Ne monachi ad ſepulturam vel ad divinum officium recipiant excommunicatos*, &c.

Monachi nullo modo recipiant ad ſepulturam, aut ad quodlibet divinum officium, excommunicatos, aut raptores, aut interdictos.

AUDITIO GABR. COSSARTII S. J.

Hactenus Nemauſenſis concilii canones. Alia vero cum ad nos temporum injuria non pervenerint, eorum partem nonnullam ex aliquot quæ ſuperſunt veſtigiis ſupplere conabimur.

Ac primum adiit concilium Philippus Francorum rex, in eoque abſolutus eſt. Malleacenſe chronicon. Reverſus eſt, *inquit*, Urbanus Santonas, & celebravit ibi ſanctum paſcha: & inde remeavit Romam, & in eundo remeavit Nemauſum civitatem, ubi item concilium tenuit, & reconciliavit Philippum regem Francorum.

De hoc igitur intelligendus concilio Bertholdus ad hunc annum, cum ait: Philippus Galliarum rex jamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem papæ, dum adhuc in Galliis moraretur, ſatis humiliter ad ſatisfactionem venit, & abjurata adultera in gratiam receptus eſt. *In quibus Bertholdi verbis cum nulla ſint Nemauſenſis concilii monitio: ea Binius refert ad Turonenſe cui ſubjiciuntur. At de errore jam admonui ad illud concilium, hæc vero ad marginem adjecto ſcholio.*

Agitata hic quoque Anſelmi cauſa eſt electi Bellovacenſis epiſcopi, cujus electionem nec prius confirmarat pontifex, & tunc ut confirmaret exorari non potuit. Quod ex una Ivonis Carnotenſis epiſtola LV. *ad Hugonem Lugdunenſem archiepiſcopum, & ſedis apoſtolicæ legatum, diſcimus.* Cauſam, *inquit*, Beluacenſis electi nuper apud Nemauſum coram domno papa familiariter ventilari veſtra paternitas audivit: & aliquando ut Beluacenſi eccleſiæ ſecundum vota ſua facta electio confirmaretur, apud domnum papam cum aliis interceſſoribus interceſſit. Sed quia domnus papa quibus de cauſis voluit, prædictam electionem confirmare diſtulit, &c. *Et infra*: tantum provideat veſtra vigilantia, ne ulterius ſuſpendendo ordinationem electi, laboret & periclitetur eccleſia. Quod ſi in hoc bene conſultum famæ veſtræ creditis: utile eſt & conducibile, ut Metropolitani ſui & comprovincialium diſcretioni & providentiæ cum veſtra benevolentia committatis.

In hoc quoque concilio diſceptata eſt controverſia inter Iſarnum epiſcopum Toloſanum, & clericos ſancti Saturnini. Quæ cujuſmodi eſſet, quidve ſuper ea ſit actum, diſcimus ex narratione Calliſti ipſius papæ II. inſerta in inſtrumento quo continetur Toloſani concilii ſub Caliſto mentio, & alia quædam. Refertur hoc monumentum a Catello in commentariis Septimaniæ, lib. 5. pag. 878. ex quo Calliſti verba, quæ ad Nemauſenſe concilium attinent, decerpo: Ego, *inquit*, fratres, in concilio Nemauſenſi, in quo domnus papa Urbanus præfuit, cum multis aliis interfui: ibique clericos beati Saturnini domnum papam interpellantes audivi, quatenus quartam partem oblationis altari beati Saturnini epiſcopo Iſarno, qui tunc temporis in dominio ſuo eam tenebat, auferret, & ſibi daret. Et domnus papa petitionibus eorum condeſcendi videbatur. Quibus epiſcopus Iſarnus magnanimiter reſiſtebat, & nequaquam hoc ſe facere poſſe dicebat: quia ſi id faceret, unde viveret non habebat. Et quia nobis, mihi & fratri meo qui tunc temporis erat archiepiſcopus Briaſſenſis, videbatur præjudicium epiſcopo Iſarno fieri: partes ejus, quantum potuimus, ſuſtinuimus: in tantum ut nobis præſentibus iſtud fieri non potuerit. Tranſacto vero concilio domnus papa epiſcopum Iſarnum in cameram ſuam deduxit: ibique vi comitis Raimundi, reclamantibus tamen clericis qui tunc ibi aderant, hanc quartam oblationis altaris partem tulit. Mandavit tamen iiſdem papa, ut Iſarnus epiſcopus de eccleſia beati Saturnini ſemper cum ſuis victum haberet: quod &, dum vixit, habuit.

Confirmata ibidem Raimundi comitis Toloſani donatio terræ ſancti Ægidii, Odilonі abbati Cluniacenſi: cujus exemplum ſubjicio.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus ſancti. Ad honorem & reverentiam unitatis in Trinitate, & beatæ & intemeratæ Dei genitricis virginis Mariæ, & omnium ſuperiorum ſpirituum, ac beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium ſanctorum, & præcipue ſanctiſſimi confeſſoris Chriſti Ægidii. Ego Raimundus Dei permiſſione dictus comes Toloſanorum, & Rutenenſium, dux Narbonæ, marchio Provinciæ, timens periculum animæ meæ ac prædeceſſorum meorum, in concilio apud Nemauſum celebrato a domno & venerabili papa Urbano II. in præſentia ipſius & totius ſancti concilii, relinquo, & plenariam guirpitionem facio domno ac religioſo abbati Odilonі, nec non fratribus, cum eo ibidem adſtantibus, omnes honores ſancti Ægidii, tam in eadem villa quæ dicitur, *Flaviana*, quam in extrinſecis, quidquid juſte, ſive injuſte videbar obtinere, ſive omnes rectas ſive pravas conſuetudines quas ego vel anteceſſores mei ibidem habuimus, pro emendatione omnium meorum præteritorum criminum, & pro adeptione futurorum bonorum. Fiat, fiat, Amen. Si quis vero poſterorum meorum huic meæ guirpitioni obſiſtere vel contradicere attentáverit, cum Juda traditore, & Simone mago, & Datan & Abiron, & cum aliis omnibus ſceleratis ſe ſempiterna ultione damnatum ſciat. Facta & confirmata charta in Nemauſenſi concilio a domno papa Urbano II. celebrato anno ab incarnat. Domini MXCVI. Indictione IV. ſeptima feria, IV. Idus Julii, pontificatus domni Urbani papæ anno IX. regnante Philippo rege.

Teſtes, Gauterius Albanenſis epiſcopus.
Gregorius Papienſis cardinalis.
Joannes diaconus cardinalis.
Albertus cardinalis presbyter.
Daimbertus Piſanus archiepiſcopus cardinalis.
Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus, & legatus.
Amatus Burdegalenſis archiepiſcopus & legatus.
Bernardus Toletanus archiepiſcopus, & legatus.
Bruno Signinus epiſcopus.
Hugo Biſuntinus archiepiſcopus.
Bertrannus Nemauſenſis epiſcopus.

Monachi qui cum abbate Odilone hoc ſuſceperunt: Roſtagnus prior, Petrus decanus, Berrozet, Petrus & Guillelmus de Caſtlar, Raimundus & Joannes, Petrus de Lauraco.

Laici teſtes: ipſe Raimundus comes, Petrus Bermundi, Guillelmus de Montepeſſulano, Raimundus Petri de Gorza, Pentius Guillelmi de Bariæ, Petrus Guillelmi de Roccamaura, Roſtagnus de Poſquerias, & decanus, & Rainerius de Poſquerias.

Hanc donationem Urbanus iterum Avenione poſt aliquot dies confirmavit: & monaſterium ſancti Ægidii, privilegio atque immunitate donavit. Inſtrumentum accipe.

Urbanus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.

SIcut injuſta poſcentibus nullus eſt tribuendus effectus, ſic legitima deſiderantium non eſt differenda petitio. Comes nimirum Toloſanorum ac Ruthenenſium, & Marchio provinciæ, Raimundus, potentatus ſui partem a Romana eccleſia detinens, honores omnes ad beatum Ægidium pertinentes tam in valle *Flaviana*, quam extrinſecus, quicquid juſte ſive injuſte videbatur tenere, omnes rectas ſive pravas conſuetudines, quas ipſius anteceſſores, aut ipſe, habuerant, ob ho-

honorem Dei & beati Ægidii reverentiam dereliquit. Quam videlicet miſſionem, apud Nemauſenſe concilium jurans in manu noſtra, Odiloni abbati, & ejus fratribus fecit, in Hieroſolymitanam expeditionem iturus, ſeque & univerſos ſucceſſores ſuos, ſi forte hoc donum irritum facere pertentarent, quod ad ſe erat, damnatione & maledictione mulctavit. Quod igitur ſuggerente ipſo, & monachis exorantibus, in totius concilii conſpectu firmavimus, necnon & per auctoritatis noſtræ literas ſtabilimus. Si quis ergo eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc ſupradicti comitis miſſionem, & noſtram atque totius concilii confirmationem evacuare, aut pervertere præſumpſerit, uſque quo ſatisfaciat, excommunicationi anathematique ſubdatur, & honoris atque officii ſui evacuatione plectatur.

Poſt hæc divinæ voluntatis diſpoſitione actum eſt, ut apud B. Ægidii monaſterium, baſilicæ novæ aram omnipotenti Deo noſtris manibus dicaremus. Sanximus igitur & ſancimus, & ad poſterum memoriam literis deſignamus, ne quis ulterius archiepiſcopus, aut epiſcopus, adverſus eandem eccleſiam audeat excommunicationis, aut interdictionis proferre ſententiam: quatenus idem monaſterium ex ipſius B. Ægidii traditione ſanctæ Romanæ eccleſiæ juri proprio ſubditum: Romanæ ſemper libertatis gratia perfruatur. Si quis autem decreti hujus tenore cognito, obviam venire tentaverit, honoris & officii ſui detrimentum patiatur, atque a ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei ac Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus pax & miſericordia a Deo & patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto præſentibus ac futuris ſæculis conſervetur, Amen, amen, amen.

Datum per manum Joannis S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii, apud Avenionem in monaſterio S. Andreæ, XI. Kalendas Auguſti, Indictione quarta incarnationis Dominicæ MXCVI. pontificatus autem domini Urbani II. papæ IX.

Adde in hoc concilio initam fuiſſe concordiam inter Berengarium Tarraconenſem Archiep. & Monachos Rivipullenſes, ut liquet ex ſequenti documento a Baluzio Tom. 7. Miſcel. edito pag. 72.

ANNO CHRISTI 1096.

ANno Dominicæ incarnationis MXCVI. æra milleſima CXXXIV. venit Dominus Papa Urbanus ad celebrandum Concilium apud civitatem Nemauſum cum multitudine Epiſcoporum atque Abbatum & cæterorum fidelium diverſi ordinis ex multis provinciis atque regionibus illuc confluentium; ubi de ſtatu eccleſiæ Dei multa fuerunt a jam dicto Papa & reliquo conventu Deo opitulante diſpoſita. Inter quos adfuit Domnus Bertrandus ſanctæ Dei genitricis Mariæ ſcilicet Rivipollentis Abbas conquerens ſuper Domno Berengario Tarraconenſi Archiepiſcopo & ſedis Auſonæ clero, qui Eccleſias prædicti cœnobii, ſcilicet Rivipullenſis, contra privilegia apoſtolica eidem loco a Pontificibus Romanæ Eccleſiæ conceſſa a divino officio interdixerant. Unde cauſa concordiæ egreſſi ſunt in partem Gualterius Albanenſis Epiſcopus, & Domnus Ricardus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Abbas Maſſilienſis, & Gothafredus Magalonenſis, & Bernardus Gerundenſis, & Artallus Elenenſis Pontifices, & Petrus Cuxanenſis, & Benedictus Balneolenſis Abbates, & Willermus Raymundi palatii Barchinonenſis Dapifer, & alii quamplurimi bonorum hominum tam clericorum quam laicorum, qui interfuerunt illo colloquio. Ante hos vero omnes præfatus Tarraconenſis Archiepiſcopus teſtatus eſt quod eo neſciente & abſque ſua omnino juſſione facta fuiſſet interdictio Eccleſiarum prælibatæ ſanctæ Mariæ Rivipollentis cœnobii. In quorum etiam præſentia dixit quod competentem faceret juſtitiam prænominato Abbati & monachis præfixi cœnobii de clericis qui præfatam interdictionem fecerant & auctores hujus malæ operationis exiterant. Et ne aliqua altercatio vel inimicitia ſeu diſcordia inter ſe & Abbatem prænominatum & monachos ejus de violandis Pontificum Romanorum privilegiis amodo oriretur, coram omnibus ſuperius memoratis his verbis injunxit. *Ego Berengarius gratia Dei Tarraconenſis Archiepiſcopus laudo atque confirmo ſeu corroboro privilegia quæ a Romana Eccleſia jam dicto loco ſanctæ Mariæ Rivipollentis cœnobii olim fuerunt conceſſa, & ea in perpetuum fideliter obſervabo ſicut mei anteceſſores ea melius noſcuntur obſervaſſe. Berengarius gratia Dei Tarraconenſis Archiepiſcopus* .. Actum eſt hoc apud præfatum Concilium v. Idus Julii anno XXXVIII. regni Philippi Regis Francorum.

AD NEMAUSENSE CONCILIUM

Ab Urbano II. papa anno 1096. celebratum.

ADDITIO.

Suppl. Mans. To. II. p. 147.

NEmauſenſis concilii acta ſupplent ea, quæ ſe præſente de cauſa Toloſana in eo concilio tractata & definita teſtatur Calliſtus II. papa, & traduntur in charta definitionis ejuſdem controverſiæ, in Concilio Toloſano anni 1119. latæ. Agebatur de jure quodam in eccleſiam Amantianam, quam S. Stephani præpoſitus ſibi olim ereptam repetebat, reclamante viciſſim pro ſuo jure Antiſtite Amantianenſi in Occitania. Ita ergo rem in concilio Nemauſenſi agitatam & definitam aſſerit idem Calliſtus II. qui tunc Guido erat archiepiſcopus Viennenſis: Ego, fratres, in concilio Nemauſenſi, in quo Dominus papa Urbanus præfuit, cum multis aliis interfui: ibique clericos B. Saturnini dominum papam interpellantes audivi, quatenus quartam partem oblationis altaris B. Saturnini epiſcopo Iſarno, qui tunc temporis in domino ſuo eam tenebat auferret, & ſibi daret. Et dominus papa petitionibus eorum condeſcendi videbatur; quibus epiſcopus Iſarnus magnanimiter reſiſtebat, & nequaquam hoc ſe facere poſſe dicebat: quia ſi id faceret, unde viveret non habebat. Et quia nobis, mihi & fratri meo, qui tunc temporis erat archiepiſcopus Briaſſenſis, videbatur præjudicium epiſcopo Iſarno fieri: partes ejus quantum potuimus, ſuſtinuimus, in tantum, ut nobis præſentibus iſtud fieri non potuerit, Tranſacto vero concilio dominus papa epiſcopum Iſarnum in cameram ſuam deduxit, ibique vi comitis Raimundi, reclamantibus tamen clericis, qui tunc ibi aderant,

rant, hanc quartam oblationis altaris partem tulit. Mandavit tamen iisdem papa, ut Isarnus epiſcopus de eccleſia beati Saturnini ſemper cum ſuis victum haberet: quod & dum vixit habuit. *Ita legas in ea charta apud Labbe tom. XII. pag. 1290. Ven. edit.*

ANNO CHRISTI 1096.

ANNO CHRISTI 1096.

REMENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1097.

In cauſa Roberti Abbatis S. Remigii cum abbate Majoris monaſterii a Manaſſe Remenſi archiepiſcopo celebratum Anno 1097.

ANNO CHRISTI 1097.

Ibid. p. 198. Anno 1097.

ROBertus quidam ex monacho Majoris monaſterii abbas S. Remigii apud Remos aſſumptus fuerat. Hujus rei cauſa Bernardus Majoris monaſterii abbas jus ſibi in illum, qui olim ſuus fuerat, vindicabat, ſubjectumque ſibi, nec parentem anathemate feriit. Res delata ad Manaſſem Remenſem archiepiſcopum, ex quo ad concilium tracta. Subjectionem negabat Robertus, ex quo in abbatem aſſumptus fuiſſet; manere hanc Bernardus contendebat. Concilium pro Bernardo judicavit; Robertus appellavit ad pontificem, ad quem præoccupandum contra appellantem Lambertus Atrebatenſis epiſcopus literas dedit, quas ex Baluzio Miſcell. tom. V. pag. 304. hic profero. Judicatum eſt ab Urbano in hanc ſententiam, ut ex literis ejuſdem Roberti ad Lambertum ibidem legendis pag. 316. conſtat: *In tota ſerie SS. canonum archiabbatem nunquam invenimus adnotatum; quod utique fuiſſet, ſi abbas abbati præponi debuiſſet; ſed ſicut nemo poteſt duobus dominis ſervire, ſic nemo poteſt duabus profeſſionibus obedire. Monachus enim ex quo eſt ab eccleſia ſua emiſſus & in abbatem promotus, cujus eſt abbas ejus eſt monachus.*

B rii contradiderit, quod ita conſtare domnus Remenſis archiepiſcopus proteſtatus eſt. Adjecit etiam abbas quod cum plura de prædicto Roberto abbate inordinata & irregularia audiſſet fieri, primo eum per epiſtolam, poſtmodum vero per idoneas perſonas ſub nomine obedientiæ commonefecerit, quatenus in determinato ſibi die & tempore reſponſurus de vita & converſatione ſua abbati ſe præſentaret in capitulo Majoris monaſterii; ſin autem daret abbas ſententiam in eum tanquam in reum profeſſionis, & ſanctæ regulæ contemptorem. Frater autem R. abbas hæc indicans domno archiepiſcopo accepit ab eo conſilium & præceptum ne aliquo modo vel occaſione ſe erigeret contra patrem ſuum, abbatem videlicet Majoris monaſterii; quod ſi facere præſumpſiſſet, qualem in eum prædictus abbas daret ſententiam domnus archiepiſcopus collaudaret, & confirmaret. Cum vero in præfixo termino, ſicut ei conſtitutum fuerat, Majori monaſterio ſe non præſentaſſet, dedit in eum abbas Majoris monaſterii excommunicationis ſententiam. Super omnibus his ab archiepiſcopo noſtro commoniti; cum Robertus verbis abbatis ſui canonica ratione contraire nequiviſſet, judicatum eſt ab epiſcopis & abbatibus alterius monachum ab archiepiſcopo non eſſe retinendum, ſed prorſus in poteſtatem abbatis ſui redigendum. Ille autem hoc audiens avertit ſe a judicio juſtitiæ, & nos & coepiſcopos cum abbatibus, ut ſubterfugeret diſciplinam, ad apoſtolicam invitavit audientiam. Cujus rei ſeriem propterea juſtitiæ veſtræ deſcripſimus, ut ſi forte inobediens & excommunicatus iſte ad vos venerit, non audiatis contra judicium epiſcoporum, contra religionem abbatum; ſed ut ſententia eorum veſtra auctoritate robur obtineat, proſtrati ſanctitatis veſtræ pedibus humiliter exoramus. Bene valete, reverentiſſime domine, & pater, & pro nobis in maximo periculo & dolore per obedientiam veſtram conſtitutis orare non dedignemini.

EPISTOLA LAMBERTI ATREBATENSIS AD URBANUM II. PAPAM.

REverendiſſimo Domino & patri patrum papæ Urbano, Lambertus ſanctæ Atrebatenſis eccleſiæ ſervus inutilis debitam ſubjectionem cum orationibus.

Scire volumus ſanctitatem veſtram nos & provinciæ noſtræ abbates, & coepiſcopos Remis pro quibuſdam eccleſiaſticis negotiis convocatos a metropolitano noſtro, ubi inter cætera negotia reclamavit dominus B. abbas Majoris monaſterii animam fratris & filii ſui Roberti abbatis monaſterii S. Remigii, conteſtans in verbo veritatis quod eum nec per ſe, ne per perſonam ab eo miſſam Remenſi eccleſiæ omnino liberum niſi ſalva profeſſione & ſubjectione Majoris monaſte-

DUPLEX SYNODUS ATREBATENSIS.

Ex Baluzii Miſcel. tom. V. p. 399. & ſeq.

Anni MXCVII. in quibus Lambertus Epiſcopus Monachis S. Dionyſii Remenſis, cœnobii Elnenſis, Montis S. Eligii, & Presbyteris de Rochennies privilegia concedit.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus. Dulciſſimis petitionibus tuis & Eccleſiæ cui præeſſe dignoſceris ſatisfaciens, dilectiſſime frater & fili Hugo Abbas venerabilis congregationis invictiſſimi martyris beati Dionyſii Remenſis, pro peccatorum noſtrorum redemptione tibi tuiſque ſucceſſoribus in eo quo es loco & ordine ſub regula ſancti Auguſtini militantibus ſine aliqua turpis lucri exactione altare de Aix non ſolum concedimus, verum etiam qua præſidemus auctoritate liberaliter in perpetuum confirmamus. Salvo in omnibus Atrebatenſis Epiſcopi jure & redditibus ejus, & Archidiaconi miniſtrorumque ejus. Si quis autem poſt hanc noſtram definitionem manu ſacrilega ab Eccleſia cui Deo diſponente annuimus auferre attentaverit, vel ingenioſis machinamentis contra ea ire præſumpſerit, cum Simone mago anathema ſit. Prædictus vero dom-

nus

ANNO CHRISTI 1097.

nus Hugo Abbas & omnis ejuſdem loci ſucceſſor ejus Abbas, ſi ad ſynodum Atrebatenſis Epiſcopi fuerit invitatus, adveniet. Et ſi talibus negotiis detentus & intentus fuerit pro quibus advenire non potuerit, per quemdam Canonicorum ſuorum, niſi annuente Epiſcopo remanſerit, cauſas ſynodalis excuſationis tranſmittet. Hanc etiam affinitatem inter Atrebatenſem & Remenſem glorioſiſſimi videlicet martyris beati Dionyſii Eccleſiam inconvulſa ſtabilitate concedimus quatenus Remenſes, audito Epiſcopi obitu, exequias illius fraterne celebrare non differant, necnon anniverſarium ejus perenniter cuſtodiant, & Atrebatenſes de Abbate ſancti Dionyſii ſimiliter faciant. Nos ſiquidem huius paginæ auctoritatem ratam & inconvulſam permanere volentes, in præſentia ſubſcriptorum teſtium eam conſignavimus. S. domni Joannis Archidiaconi Atrebatenſis. S. domni Clareboldi Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Aloldi Abbatis de ſancto Vedaſto. S. domni Joannis de Monte ſancti Eligii Abbatis. S. domni Odonis Præpoſiti ſanctæ Mariæ. S. domni Guiberti Decani. S. Anaſtaſii Cantoris. S. Roberti Magiſtri. S. Gualteri Cuſtodis. SS. Canonicorum beatæ Mariæ Herberti, Balduini, Algiſi, Hugonis, alterius Hugonis, Roberti, alterius Roberti, alterius Balduini, Gerardi, Arnoldi, Radulfi, Bertulfi, Algiſi, Andreæ, Petri, S. domni Cononis de ſancta Trinitate. S. Maſcelini Archipresbyteri. S. Drogonis Albiniacenſis Præpoſiti. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi & ſubſcripſi, & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti † propria manu confirmavi. Actum Atrebati in ſynodo anno Dei Chriſti MXCVII. Indictione v. Nonis Februarii, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi quarto.

In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus deſideranti animo cupiens eradicare omnem ſimoniacam hæreſim a noſtra diœceſi, ſatisfaciens precibus domni Hugonis venerabilis Abbatis Elnonenſis cœnobii de titulo beati Stephani protomartyris & glorioſi ſancti Amandi cæterorumque fratrum ejuſdem Eccleſiæ, hæc altaria, ſcilicet de Scaldino, de Lurcio, & de Ruoth, & de Bulciniolo, & de Dieraco, quæ hactenus perſonaliter tenuerant, pro peccatorum noſtrorum remiſſione ſucceſſorumque noſtrorum Epiſcoporum prænominatæ congregationi liberaliter poſſidenda, remota omni ſimoniaca exactione, in perpetuum confirmamus; ea tamen conditione ut defunctis Presbyteris locorum illorum, alii idonei ab Abbate ad Epiſcopum deducantur, eiſque cura animarum ab Epiſcopo gratis impendatur. Salvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & redditibus ejus, & conſuetudinibus Archidiaconi ſui & miniſtrorum ejus. Si quis vero poſt hanc noſtram definitionem prædictam hæreſim eradicatam replantare præſumpſerit, vel pro tali negotio pecuniam exegerit, dator & acceptor cum Simone hæretico anathema ſit. Prædictus autem domnus Hugo Abbas, ſed & omnis Elnonenſis cœnobii ſucceſſor ejus Abbas, ſi ad ſynodum ab Atrebatenſi Epiſcopo fuerit invitatus, adveniet. Et ſi talibus negotiis detentus & intentus fuerit pro quibus advenire non potuerit, per quemdam monachorum ſuorum, niſi annuente Epiſcopo remanſerit, cauſas & canonicæ & ſynodalis excuſationis tranſmittet. Obedientiarius vero altarium ſupradictorum monachus ſynodis ſemper intererit. Hanc etiam affinitatem inter Atrebatenſem & Elnonenſem Eccleſiam inconvulſa ſtabilitate concedimus quatenus Elnonenſes, audito Epiſcopi obitu, exequias illius fraterne celebrare non differant, & Atrebatenſes ſimiliter de Abbate ſancti Amandi faciant. Nos vero iſtius paginæ auctoritatem ratam & inconvulſam permanere volentes, eam in præſentia ſubſcriptorum teſtium conſignavimus. S. domni Clarembaldi Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Joannis Archidiaconi Atrebatenſis. S. domni Odonis S. Mariæ Præpoſiti. S. domni Gasberti Decani. S. domni Anaſtaſii Cantoris. S. domni Gualteri Cuſtodis. S. domni Roberti Magiſtri. S. Maſcelini Atrebatenſis Archipresbyteri. S. Amalrici Decani de Maſten. S. Joannis de Duaco Decani. S. domni Aloldi venerabilis ſancti Vedaſti Abbatis. S. domni Joannis de Monte ſancti Eligii Abbatis. S. domni Alberti Haſnonienſis Abbatis. S. domni Richardi Marcianenſis Abbatis. S. domni Hamerici Aquicinenſis Abbatis. S. domni Raineri Cameracenſis Abbatis de ſancto ſepulchro. S. domni Goiffridi Abbatis ſancti Andreæ de novo Caſtello Cameracenſi. S. domni Geroldi Hamenſis Abbatis de territorio Tarvanenſi. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi, & ſubſcripſi † & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti confirmavi. Actum Atrebati in ſynodo in baſilica beatæ Mariæ ſemper virginis Dominæ noſtræ anno videlicet Dei Chriſti MXCVII. indictione v. XII. Kal. Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi quarto.

In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri & ſummi Dei. Amen. Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus ſuis ſucceſſoribus præſentis vitæ lætitiam & futuræ gloriam. Legimus in geſtis Pontificum Atrebatenſis Cameracenſiſque Eccleſiæ domnum Fulbertum earundem urbium Epiſcopum corpus beati Vindiciani de terra elevaſſe, eoque in loco, qui Mons videlicet ſancti Eligii dicitur, Eccleſiam, priore deſtructa, reædificaſſe de titulo Apoſtolorum Petri & Pauli, ubi clericos octo & ſtipendia unde viverent conſtituit, & eos hac libertate donavit, ut nullius poteſtati ſubjacerent niſi ſolius Epiſcopi. Poſt mortem vero ejus cœperunt dietim a ſervitute Dei tepere, Eccleſiaque uſque ad tempus domni Lietberti Epiſcopi declinare. Quam deſtructionem ipſe vir miſericordiæ ægre ferens, ut ita dicam, alter Samaritanus, ejus miſeriæ condoluit, ac ſecum tractare quomodo id in melius repararetur cœpit. Cui conſilium tali negotio congruum ille miniſtravit qui hoc velle cordi ejus infudit. Nam ibi clericos regulares de communi viventes ſuorum conſilio fidelium ordinavit, eiſque Abbatem ſuæ profeſſionis præfecit. Unde facto privilegio ſuos precatus eſt ſucceſſores ut eos proveherent & fierent adjutores. Libertatem quoque Eccleſiæ ac poſſeſſionum ſuarum denuo confirmavit, & altare de Hucin ea conditione ibi dedit ut ſingulis annis in feſtivitate ſancti Remigii XII. denarios ſolvat, & deinceps ab omni redemptione liberum fiat. Altare quoque de Hodricourt ita dedit ut ſine perſona permaneat. Domnus quoque Gerardus prædeceſſor meus ſucceſſorque ſuus in Novilla & Mediana villa ſine perſonis dedit altaria, ſalvo jure Epiſcopi & redditibus ejus & conſuetudinibus Archidiaconi ejus. Hæc omnia ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus tibi, reverentiſſime frater & fili Joannes Abbas, omnibuſque in eo quo es loco & ordine propter religionem tuam ſucceſſoribus tuis religioſe & communiter victuris, ſicut ſu-

ANNO CHRISTI 1097.

ſuperius determinatum eſt, firma & inconvulſa A permanere concedo. Concedimus etiam ſuo in tempore, cum opus fuerit inibi Canonicis religioſe & abſque proprietate viventibus, cum conſilio & auctoritate Atrebatenſis Epiſcopi, licentiam eligendi juxta timorem Dei & ſacros canones magiſtrum & Abbatem. Quod ſi hujuſmodi officii idonea perſona ibi inventa non fuerit, aſſenſu Epiſcopi ſui & conſenſu eligent de alio monaſterio virum religioſum ordinis & profeſſionis ſuæ in magiſtrum & Abbatem ſibi præficiendum. Poſt hæc vero deducatur ad Epiſcopum, & ſuſcipiat de manu ejus temporale beneficium loci & curam animarum & Abbatis benedictionem. Hiſque beneficiis altare de Rebroniis precatu domni Clareboldi Militis adjungo, ita ut duos tan- B tum ſolidos in cœna domini ad ſervitium Epiſcopi perſolvat, de cætero totum redigatur ſub Abbatis dominio. Hujus rei teſtes domnus Joannes Archidiaconus, domnus Clareboldus Archidiaconus, Odo præpoſitus, Wibertus Decanus, fratreſque cæteri totius congregationis ſanctæ Mariæ ſemper virginis. Domnus igitur Clareboldus hujus rei hortator nullum alium penitus heredem facere volens quam Eccleſiam Rebronienſem, totam quam in vicinio habebat hereditatem ibi dedit, ita ut ipſe ſupradictus Abbas ad honorem Dei & ſanctæ Mariæ ſemper virginis ipſum locum per clericos ſuos detineret, & prout res exterior augeretur, ſervitium Dei intus creſceret. Dedit videlicet in Baraſto integrum molendinum & u- C nius carrucæ terram & quinque hoſpites, & in Dahellicurt quartam partem & ſilvam ibi attinentem. Hujus rei teſtes duo iterum Archidiaconi, Joannes videlicet & Clareboldus, & totus Eccleſiæ Atrebatenſis conventus, domnus quoque Aloldus Abbas ſancti Vedaſti, Philippus frater Comitis Roberti, Clementia Comitiſſa Flandrenſis, Robertus Advocatus, Baldricus de Colhem, Frumoldus de Inſula. Hoc igitur datum & ſi quis aliud legitime dederit, qui uſurpare præſumpſerit & in pravos uſus redigere attentaverit, canonicæ excommunicationi ſubjaceat. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi & ſubſcripſi, & in no- D mine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Actum Atrebati in ſynodo in baſilica beatæ Mariæ ſemper virginis Dominæ noſtræ, anno videlicet Dei Chriſti MXCVII. Indictione V. XII. Kal. Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi quarto.

In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri & ſummi Dei. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus gaudens de religioſa converſatione tua, reverentiſſime frater & compresbyter Cono, deſiderio deſideramus paci & quieti tuæ tam præſentibus temporibus quam & futuris providere. In adventu enim tuo & bonæ memoriæ domni Heldemari magiſtri & conſacerdotis tui in Arida Gamantia in parrochia E noſtra quæ dicitur Rochennias locum vobis ad ſerviendum Deo elegiſtis, qui, ſicut aliquando fugiendus velut ſpelunca latronum fuit, nunc per Dei viſitationem & tuam & fratrum tecum habitantium factus eſt refugium & ſolatium ibi tranſeuntium. Unde & te in eo quo es loco & ordine & ſucceſſores tuos religioſe & canonice inibi victuros hac donamus libertate ut tantum Epiſcopo reſpondeatis & in manu ejus in libertate ſpiritus permaneatis. Contradimus etiam tibi & per te legitimis ſucceſſoribus tuis cum fratribus inibi religioſe & abſque proprietate viventibus atque victuris in augmentum pacis & quietis loci tui prædictam parochiam de Rochennies ſub reſpectu XII. denariorum in cœna Domini ad ſervitium Epiſcopi. Si autem aliquando, quod abſit, antiquo hoſte inſtigante, in prædicto loco vel parrochia tale quid acciderit pro quo reconciliatio neceſſaria fuerit, tibi legitimiſque ſucceſſoribus tuis vice noſtra, accepta aqua ſanctificationis & reconciliationis, ut ea reconcilies religioni veſtræ annuimus. Si autem prædictus locus largiente Domino ad tantam copiam rerum & ſervorum Dei ibi commorantium excreverit ut Prælatum eligere debeant, liberam habeant poteſtatem, cum conſilio & auctoritate Atrebatenſis Epiſcopi, eligendi ſibi magiſtrum & dominum juxta timorem Dei & inſtituta ſanctorum canonum. Poſtmodum vero deducatur ante Epiſcopum, & accipiat temporale beneficium loci & curam animarum & prælationis benedictionem. Ro- C gamus ergo in Domino tam præſentes fratres noſtros quam & ſucceſſores Epiſcopos noſtros & ſanctorum canonum auctoritate interdicimus & noſtra ne quis hoc donativum libertatis violare aut corrumpere præſumat. Si quis ſcienter hujus noſtræ inſtitutionis privilegium infregerit, excommunicationi ſubiaceat quoadusque reſipuerit & Eccleſiæ Dei ſatisfecerit. Fiat, fiat. Ut autem perenni tempore hoc decretum firmum & ſtabile maneat, teſtes fideles annotare curavimus. S. domni Joannis Atrebatenſis Archidiaconi. S. domni Clarebaldi Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Aloldi ſancti Vedaſti Abbatis. S. domni Hamerici Aquicinenſis Abbatis. S. domni Alberti Haſnonienſis Abbatis. S. domni Richardi Marciniénſis Abbatis. S. domni Joannis ſancti Vindiciani Abbatis. S. Odonis Præpoſiti ſanctæ Mariæ ſemper virginis. S. domni Wiberti Decani. S. Roberti Magiſtri. S. Anaſtaſii Cantoris. S. domni Gualteri Cuſtodis. S. Maſcelini Archipresbyteri. S. Joannis de Duaco Decani. S. Balduini Decani. S. Adſonis Decani de Bethunia. S. Joannis Decani de Caſtello. S. Joannis Decani de Dangevilla. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi † & ſubſcripſi, & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Actum Atrebati in ſynodo in baſilica beatæ Mariæ ſemper virginis dominæ noſtræ anno videlicet Dei Chriſti MXCVII. indictione V. XII. Kal. Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis epiſcopi quarto.

☞ AD SYNODOS ATREBATENSES

Sub Lamberto epiſcopo anno 1097. celebratas,

ADDITIO.

Suppl. Manſi To. II. p. 149. *AD unam ne aliquam ex geminis Atrebatenſibus ſynodis a Veneto Labbei editore ad ann. 1097. Concil. General.* Tom. XX. *commemoratis pertineat ſynodicum illud decretum quod exhibet Lambertus Atrebatenſis in epiſtol.* 40.

regiſtri apud Baluzium miſcellan. tom. V. pag. 209. ignorare me ſane profiteor. E ſerie epiſtolarum ejus conjicimus, ſuperſtite adhuc Urbano II. illud prodiiſſe. Quidquid tamen ſit, juvat hic integrum dare, cum rem contineat, cujus antiquius exemplum forte nullum occurrit, juris nempe aſyli non ipſis tantum modo templis, ſed & eorum atriis & adjacentibus terris conceſſi. Ita ergo ſcribit ex ſynodo ſua diœceſana Lambertus.

ANNO CHRISTI 1097

Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis epiſcopus honorabili domino, & amico ſuo Gonfrido Lenſenſi Caſtellano, licet aliter merito, ſalutem & dilectionem cum orationibus.

Pervenit ad ſynodum noſtram gravis clamor de vobis, quod atrium de Lothes, & terram ad ejuſdem atrii eccleſiam pertinentem infregeritis, & homines, licet rei juſtitiæ veſtræ fuerint, ut dicitur, inde, nobis inconſultis, quod nullo modo vobis nec alicui terrenæ poteſtati facere licet, contra libertatem ſanctæ Dei eccleſiæ matris veſtræ, contra excommunicationem atriorum & terrarum ſanctuarii, contra pacem juratam pro ſola voluntate veſtra res illorum vobis retinueritis. Unde multum miramur vos tam grande malum in partibus noſtris feciſſe, quod facere non ſoletis, cum in terra nativitatis veſtræ ſemper legalem, & bene modeſtum vos fuiſſe conſtiterit. Scire volumus vos quia Ozias rex Iſrael percuſſus eſt a Domino lepra perpetua, pro eo quod officium pontificatus ſibi uſurpare præſumpſit. Similiter & Nabuchodonoſor rex Babyloniæ, quia non dedit gloriam Deo creator omnium, Deus duram & extra ſocietatem humanam per ſeptem annos ſibi ab eo accepit vindictam. Quia igitur hæc & quæcumque ſcripta ſunt juxta apoſtolum Paulum ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, per præſentes literas noſtras ad correctionem ſalutis veſtræ in præſentia noſtra vos invitamus, & eos qui vobis in tam perverſo facto cooperatores fuerunt. Propterea vero ſynodalem ſuſpendimus a vobis excommunicationis ſententiam, quia vos & hujus operationis nequam magis deſideramus humiliter ſalvari, quam contumaciter & ſuperbe damnari. Si igitur infra quindecim dies ab hodierna die viſis litteris noſtris juxta conſtitutionem libertatis & pacis atriorum & terrarum ſanctuarii ſatisfacere Deo & nobis, quod abſit, nolueritis, nos, Salvatore omnium adjuvante, & ſanctorum canonum ſeveritate inſinuante, & in eos quos jam vocavimus & bannivimus, & in defenſores eorum excommunicationem facere non tardabimus. Vale.

ANNO CHRISTI 1097.

CONCILIUM BARENSE,

Pro Græcis cum Romana eccleſia conciliandis celebratum anno domini MXCVII. tempore Urbani papæ II.

Acta concilii

IN hac ſynodo inter Græcos & Latinos ventilatæ ſunt controverſiæ illæ quæ inter eos diutius agitatæ leguntur; potiſſimum vero de proceſſione Spiritus ſancti. Acta nobiliſſimi concilii petierunt. Ad Græcorum autem confuſionem ea nobis auctore Deo ſunt patefacta, quæ a ſancto Anſelmo Cantuarienſi epiſcopo, qui interfuit, ſunt ſcripta, quæque familiaris ejus qui aderat Edinerus poſteris tradidit his verbis: *Cui concilio dum Anſelmus ſe præſentaſſet, & perſuaſus a papa Græcos in proceſſione Spiritus ſancti, utpote quem a patre & non a filio procedere Græci adſtruant errantes, rationabili & catholica diſputatione confutaſſet, magni apud omnes eſt habitus, & veneratione dignißimus comprobatus. Finito concilio cum apoſtolico profecti ſumus.* Hæc tantum de his Edinerus. Apud Wilielmum autem Malmesburienſem ſua paulo glorioſius oſtentantem, hæc ſcriptis mandata legimus: *Ut ergo ventum ad concilium, apoſtolicus ante corpus ſancti Nicolai conſtratus tapetißibus & pallijs, ipſe caſula cum pallio amictus tribunal aſcendit, cæteri cum cappis ſedebant. Omnibus ergo ſuum locum ex antiquo vendicantibus. Anſelmus humilitate ſummus quo poterat aſſedit. Exciderat animo ſummi pontificis, ingruente tumultu, ut ei locum deſegaret. Sed erroris admonitus eſt, quæſtionis neceſſitate a Græcis propoſita, probare volentibus Spiritum ſanctum non niſi a patre procedere.*

Hanc ergo quæſtionem dum expedire tentans magis involueret, Græcis contra non improbabiliter occurrentibus, Anſelmi recordatus exclamat: vivida vocis tonitruum, ædis capacitas & turbæ multipliscitas ingeminant: Pater & magiſter Anſelmo Anglorum archiepiſcopo, ubi es? Ille ubi ſe vocari audivit, in pedes conſtitit. Quem apoſtolicus compellans: Nunc, inquit; magiſter, opus eſt ſcientia, opus eloquentiæ tuæ opera. Veni, aſcende huc, & defende matrem tuam eccleſiam, quam Græci labefactare conantur. Succurre ergo quaſi a Deo huc miſſus. Continuo cuncti adſtantes & aſſidentes, oculos & ora in eum converſi, percunctari quis eſſet: annitentibuſque proximis ad conſeſſum apoſtolici levatus, ſedere juſſus juxta Romanum archidiaconum, cui ante papam ſedere moris eſt: Includamus, inquit, hunc in orbe noſtro, quaſi alterius orbis papam. Nec morantibus omnibus expoſuit palam qui genus, unde domo, cujus ſcientiæ, cujus facundiæ, quam religioſus, quanta pro fidelitate Romanæ ſedis paſſus eſſet. Dilatuſque in poſterum diem quæſtionis tractatus, quamvis Anſelmus ſtatim reſpondere non dubitaret.

Sed ſequenti die ſolito maturius cœtu coacto, promotus in editum ita tractavit quæſtionis latera, ita penetravit & enubilavit intima, ut Latini clamore teſtarentur gaudium, Græci de ſe præbere dolerent ridiculum: nullus porro inopi & inanis ſcientiæ diſcederet. Senſus illius ſermonis procedente tempore luculenter digeſſit in libro de proceſſione Spiritus ſancti facto. Tunc ubi verbum abſolvit, omnes in eum oculos & ora converſi, hic laudare fidem, ille ſcientiam, omnes eloquentiam. Sedato fragore quem laus ejus ſuſcitaverat: intendens in eum ſummus pontifex, ait: Benedictum ſit cor tuum, & ſpiritus tuus, os, & ſermo oris tui benedictus. Nec mora, cum conſenſu omnium roboratus in aliter ſentientes fulmen excommunicationis intorſiſſet, ventilari de rege Anglorum ſermo cœpit. Proferuntur in medium ſcelera dictu horrenda: adjicitur contemptui humano cœleſtis injuria, quod ſcilicet bis terque admonitus nihil correctionis exhibuerit.

*Quocirca cum ſuffragio & clamore omnium papa ad excommunicandum tam paratus eſſet, Anſelmus genibus affuſus ejus, orat dilationem, & vix impetrat. Quæ res et non mediocrem apud cunctos vitrat. Quæ res et non mediocrem apud cunctos vitrat. Quæ res et non mediocrem apud cunctos vit

ANNO CHRISTI 1097.

Elitatis vicisset famæ suæ gloriam. Quam pulcrum A *erat ut illi oraret veniam, a quo tantam acceperat contumeliam?* Hucusque de Barensi concilio apud Willielmum.

Certum est autem in hoc concilio sanctum Anselmum in confutandis Græcis primas tulisse, cui & ea ex parte plurimum ecclesia catholica debet, quod cum ipsius synodi acta petierint, ipse tamen pulsatus precibus amicorum, quod in controversia illa tractavit scriptorum monimentis perpetuæ memoriæ commendavit.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI ad An. Chr. 1097. n. 1. 11. & 12.

Edimerus in vita S. Anselmi Cantuariensis episcopi B lib. 2. cap. 5. loquens de iis, quæ anno 1098. gessit Anselmus, narrata obsidione Capuanæ civitatis anno 1097. susceptæ, & insequenti soluta, ait: *dein soluta obsidione, Anselmus multa prece Papam ad hoc flectere conatus est, quatenus ab onere Pontificali eum absolveret, & quieti literarum vacare concederet. Verum cum, quantum quidem ad effectum pertinebat, in nihilum laborasset, fretus benedictione ejus, Siciliam revertit est, operiens ibi tempus Concilii, quod idem Papa apud Barum Kalendis Octobris erat celebraturus.* Edimerum de Kalendis Octobris Christi anni 1098. interpretandum, recte viderunt Hovedenus part. 1. Annal. pag. 467. & Simeon Dunelmensis de Gestis Reg. qui ad an. 1098 habent: *Urbanus Papa cum tanto Dorobernensi archiepiscopo Anselmo, ut illi mandarat, ad Concilium, quod apud Barum Kal. Octobris celebrari constituit, profectus est. In quo Concilio plurima de fide Catholica &c.*

Præterea Lupus Protospata in Chron. ubi quandoque annum Incarn. a Kalendis Septembris, sicut Græci cum quibus vivebat, suspicatur, ait: *Anno 1099. mense Octobri Papa Urbanus congregavit universam synodum in civitate Bari, in qua fuerunt 185. Episcopi. & mense Junii in festivitate S. Petri Apostoli cum rebus est Hierusalem civitas a Christianis ... & mense Julii prædictus Papa Urbanus obiit, & datus est Paschalis Papa.* Chronographus vero Barensis: 1099. *ind. 6. tertia die intrante mense Octobr. venit Papa Urbanus cum plures Archiepiscopi & Episcopi* (solœcismi Auctores sunt) *Abbatibus & Comitibus aut averunt in Bari, & suscepti sunt cum magna reverentia, & præparavit domino Helia nostro Archiepiscopus mirificam sedem* (addendum *pro Papa*, cujus gratia sedes illa Heliæ jussu parata) *intus in Ecclesia beatissimi Nicolai Confessoris Christi. & fecit ibi synodum per unam hebdomadam. Post completis diebus obiit terrenis in pace* (nempe Papa); *& in mense Julii obiit ipse Papa Urbanus, & surrexit Paschalis Papa.* Ex his liquet Protospatam, & Chronographum Barensem annum illum Christi 1099. a Kal. Septemb. anni Christi 1098. inchoare, exemplo Græcorum Apuliam, Calabriam, & Siciliam incolentium, qui tam ind. quam annum mundi juxta eram Constantinopolitanam incipiebant. Uterque enim post mensem Octobrem, mensem Julium collocat, mortem Urbani Papæ cum mense Julio anni Christi 1099. connectit, alterque Urbanum II. mense Octobr. eiusdem Christi anni Concilium Barense celebrasse, quod nemini ex mente Octobri anni 1098. intelligi potest, indicatque utrumque Scriptorem a Kalendis Septembris annum quandoque exordiri, licet ipse alibi illum a Januario, vel a Natali Christi repetant. Hujus itaque Concilii Epocha nunc certa, & indubitata, rectæque annotata a Gerberonio in Centura operum S. Anselmi nova editione a se donatorum.

ANNO CHRISTI 1097.

AD BARENSE CONCILIUM

Anno 1097. coram Urbano II. celebratum.

ADDITIO.

Suppl. Mans. t. II. p. 454.

PRæter ea, quæ in concilio agitata narrat Labbeus, addenda succurrunt ea quæ Paschalis II. litteris ad S. Anselmum Cantuariensem datis legendis in appendice epistolarum Paschalis Labbeana nu. XCIX. tom. XI. edit. Venetæ pag. 1048. *suppeditat his verbis.*

Adversus illam venenosam simoniacæ pravitatis radicem, ecclesiarum videlicet investituram Rever. in Christo memoriæ prædecessoris nostri domni Urbani tempore apud Barium collecto venerabilium episcoporum & abbatum ex diversis partibus concilio, in quo tua religio & nos ipsi interfuimus, in eamdem pestem excommunicationis est perlata sententia.

Ad hoc pariter concilium sequens Urbani epistola referenda est.

EPISTOLA URBANI II. PAPÆ.

Ad Ansonem Beneventanum.

Urbanus episcopus servus servorum Dei Carissimo filio Beneventanorum domino salutem & apostolicam benedictionem.

Ex Cartul. hist. Cassin. to. I. p. 55.

CUm nuper a te discessimus, nosti subquanta te affectione dimisimus. In eadem vero affectione in eandem benignitatem & nos tibi manere, & te nobis volumus permanere, quoniam quidem nos honorem tuum servare, & in melius augere curabimus, si & tu in B. Petri apostoli, & nostra curaveris fidelitate & amore persistere. De monasterio S. Sophiæ quotiens & ex quanto jam tempore Cassinenses monachi reclamaverint te ipsum ignorare non credimus. Nuper in Barensi concilio cum scriptis & monimentis ecclesiæ suæ justitiam suam astruere parati fuissent, abbas S. Sophiæ occasione tui, cautæ actionem fugit; cum Beneventum etiam venissemus in ipsa B. Sophiæ domo fratres ipsi quantum questi fuerint, audisti. Quid nos tibi de eadem causa dixerimus meministi. Tunc nobis pro voluntatis tuæ placito respondisti. Nos autem diutius pati nolumus, ut Cassinense monasterium de his, quæ ad ipsum pertinere videntur, injuriam diutius patiatur. Locus enim ipse per Dei gratiam B. Benedicti meritis non tantum nobis qui prope sumus, sed universæ etiam Italiæ opportunus & necessarius est, multumque nos deceret, ut si possibile esset, locum ipsum de nostris etiam ditaremus, nedum sua favente justitia non recipiat. Tibi igitur tanquam carissimo & fideli nostro mandamus ut venerabili fratri nostro Cassinensi abbati, & ejus fratribus de S. Sophiæ monasterio vice nostra justitiam facias. Quod si ante te quasi sæcularem potestatem causam agere excusaverint, tu eos ad præsentiam nostram venire compelle. Quo autem termino ante nos pro causa hac convenire debeant, nobis ante significa, ut & nos Cassinensi abbati significemus. Porro quicquid nos exinde statuerimus, tuum erit, his etiam renitentibus adimplere, alioquin auctoritatis nostræ injuriam diutius pati nequibimus; quin adversus contumaces, quod officii nostri est impleamus, & Cassinensi abbati quæ sua sunt restituamus, quem in quantum videtur plenam habere justitiam credimus. Data Ceperani tertio nonas Novembris.

Aliud etiam occurrit, quod in Barenſi concilio præſtitiſſe Urbanum rei ipſius majeſtas, & illius quo peracta eſt temporis congruentia demonſtrat, epiſcopatuum nempe quorumdam in Sicilia conſtitutio. Cum enim Sicilia ad illos uſque annos Saracenis dominis ſerviſſet epiſcoporum interim ſeries pluribus in locis interrupta fuerat. Verum chriſtianorum armis, ducibus Roberto & Rogerio pulſis, tandem paganis priſtinis ſedibus ſuos reddere epiſcopos viſum eſt. Id vero actum & conſtitutum in Barenſi concilio ad Kalendas Octobris indicto, ut perſpicue demonſtratur ex bulla Urbani anno 1099. *indictione VIII. die VI. idus Octobris ſignata; qui ſane annus & indictio more Græcorum, qui tunc vigebat in Sicilia, ſupputati indicant annum* 1098. *Ita vero bulla apud Rochum Pyrrum Sicil. ſacr. lib.* 3. pag. 273.

ANNO CHRISTI 1097.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri Gerlando Agrigentino epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice promovendis in perpetuum.

Omnipotentis Dei diſpoſitione mutantur tempora, transferuntur regna; hinc eſt, quod magni nominis nationes dirutas & depreſſas, viles vero atque exiguas nonnunquam legimus exaltatas, hinc eſt quod in quibuſdam regionibus chriſtiani nominis poteſtatem paganorum feritas occupavit, in quibuſdam iterum paganorum tyrannidem chriſtianæ potentiæ dignitas conculcavit. Sicut noſtris temporibus gloriosiſſimorum principum Roberti ducis, & Rogerii comitis fortitudine ſupremæ dignationis miſeratio omnem Saracenorum moleſtiam in Sicilia inſula expugnavit, & antiquum eccleſiæ ſanctæ ſtatum pro voluntatis ſuæ beneplacito recuperavit. Unde & ipſius ineffabili miſericordiæ gratias agimus, & ipſius gratiam ſuper illos egregios fratres, alterum jam deſunctum alterum ipſo patrante ſuperſtitem imploramus, & ad eccleſiarum quæ in eadem inſula ſunt, reſtitutionem, ſeu ordinationem pro noſtri officii debito anhelamus. Sicut igitur annuente Deo, cæterarum jam parochias diſpoſuimus, ita & Agrigentinæ diœceſis, præſentis decreti auctoritate diſponimus, ſtatuimus enim charitſime frater Gerlande, quem Omnipotens Dominus in ipſa eccleſia noſtra, tanquam B. Petri manibus conſecrare dignatus eſt, ut tibi deincèps, tuiſque legitimis ſucceſſoribus, epiſcopali jure regendum ac diſponendum perpetuo maneat quidquid infra fines ſubſcriptos continetur, videlicet a loco ubi oritur flumen ſubtus Corilionem uſque deſuper petram de Zineth, & inde tenditur per diviſiones Jatinæ & Cephalæ, & deinde ad diviſiones Biccari; inde vero uſque ad flumen falſum, quod eſt diviſio Panormi, & Thermarum, & ab ore hujus fluminis, ubi cadit in mare protenditur hæc parochia juxta mare uſque ad flumen Torrum; & ab hoc abinde unde oritur, tenditur ad Pyra ſubtus Petram Eliæ, atque inde ad altum montem, qui eſt ſupra Pyra; inde autem ad flumen ſalſum, ubi jungitur cum flumine Petræ Eliæ, & ex hoc flumine ſicut ipſum deſcendit ad Lympiadum, qui locus dividit Agrigentum & Buteriam, atque inde per maritimam uſque ad flumen de Bilichi, quod eſt diviſio Maxariæ, & adhuc tenditur, ſicut hoc flumen currit uſque ſubtus Corilionem, ubi incipit diviſio, exceptis Biccaro, Corilione, & Thermis. In proprietate autem tam tui quam ſucceſſorum tuorum jure Caſale Cathal cum centum villanis, ſicut a ſupradicto filio noſtro comite Rogerio traditum eſt, conſerventur. Præterea quæcumque in poſterum liberalitate principum, vel oblatione fidelium eadem eccleſia Agrigentina juſte, atque canonice poterit adipiſci firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eamdem eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integre conſerventur tam tuis quam canonicorum, & clericorum omnium, ac pauperum uſibus profutura. Si quæ autem eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſcienter contra eam venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat; & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem eccleſiæ juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & in loco judicii præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Datum Barii per manus Joannis S. R. E. diaconi card. VI. id. Octobr. indict. VIII. Incarnat. Domini 1099. pontif. Urbani II. PP. XI.

ANNO CHRISTI 1097.

CONCILIUM HABITUM

In Hibernia, quo Murchertacus rex, epiſcopi, nobiles, clerus & populus illius inſulæ, Anſelmum Cantuariæ archiepiſcopum primatem ſuum rogant, ut Waterfordenſe oppidum in epiſcopatum erigat.

REx Hiberniæ, Murchertacus nomine, & Doſnaldus epiſcopus, cum cæteris epiſcopis, & quinque nobiles, cum clero & populo ipſius inſulæ, miſerunt nuncios ac litteras ad Anſelmum, innoteſcentes ei, civitatem quandam Wataſerdiam nomine, in una ſuarum provinciarum eſſe, cui ob numeroſam civium multitudinem expediet epiſcopum inſtitui: ſimulque petentes, ipſe quatenus primatus, quem ſuper eos gerebat poteſtate, & qua fungebatur vicis *poſtolicæ * auctoritatis, ſanctæ Chriſtianitati, ac neceſſariæ plebium utilitati, inſtituendo eis pontificem, ſubveniret. Jam enim ſæcula multa tranſierant, in quibus eadem civitas abſque providentia & cura pontificali conſiſtens, per diverſa tentationum pericola jactabatur, Elegerant autem iidem ipſi in hoc officium quemdam ſuæ gentis virum vocabulo Malchum, eumque ſacrandum, cum communi decreto, ad Anſelmum * tranſierunt. Decretum autem hoc eſt.

* Verſut, ea- Mortiate. H.

* Forte, tranſmiſerant.

„ Anſelmo Dei gratia, Anglorum archiepiſ-
„ copo, clerus & populus oppidi Wataſordiæ,
„ cum rege Murchertacho & epiſcopo Doſnal-
„ do, ſalutem in domino. Pater ſancte, cæcitas
„ ignorantiæ nos diu detrimenta ſalutis noſtræ
„ ſuſtinere coegit, quod magis eligimus ſerviliter
„ Dominico jugo colla ſubtrahere, quam libera-
„ liter paſtorali obedientiæ ſubeſſe. Nunc autem
„ quan-

ANNO CHRISTI 1097.

„ quantum proficiat paſtorum cauſa agnovimus, A „ cum aliarum rerum ſimilitudines ad mentem „ revocamus: quia ſine regimine, nec exercitus „ bellum, nec navis marinum audet attentare „ periculum. Navicula ergo noſtra mundanis de- „ dita fluctibus ſine paſtore contra callidum ho- „ ſtem qua ratione pugnabit? Propterea nos & „ rex noſter Murchertachus & epiſcopus Doſnal- „ dus & Dermeth dux noſter, frater regis, eli- „ gimus hunc presbyterum Malchum, Walkelini „ Wintonienſis epiſcopi monachum, nobis ſuffi- „ cientiſſime cognitum, natalibus & moribus no- „ bilem, apoſtolica & eccleſiaſtica diſciplina im- „ butum, fide catholica prudentem, moribus „ temperatum vita caſtum, ſobrium, humilem, „ affabilem, miſericordem, litteratum, hoſpita- B „ lem, ſuæ domui bene præpoſitum, non neo- „ phytum, habentem teſtimonium bonum in gra- „ dibus ſingulis. Hunc nobis petimus a veſtra „ paternitate ordinari pontificem, quatenus re- „ gulariter nobis præeſſe valeat & prodeſſe: & „ nos ſub ejus regimine ſalubriter Domino mili- „ tare poſſimus. Ut autem omnium noſtrorum „ vota in hanc electionem convenire noſcatis, „ huic decreto canonico, promptiſſima voluntа- „ te, ſinguli manibus propriis roborantes ſubſcri- „ pſimus. Ego Murchertachus rex Hyberniæ „ ſubſcripſi. Ego Dermeth dux frater regis ſub- „ ſcripſi. Ego Doſnaldus epiſcopus ſubſcripſi. „ Ego Idunan epiſcopus Midiæ ſubſcripſi. Ego „ Samuel Dunenſis epiſcopus ſubſcripſi. Ego Fer- „ domnachus Laginienſium epiſcopus ſubſcripſi. ANNO CHRISTI 1097.

Suſcripſerunt his multo plures, quos nos, brevitati ſtudentes, notare non neceſſarium duximus.

Igitur Anſelmus conſiderans & intelligens eos juſta & utilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo pontificem diligenter in his quæ ſacra jubet auctoritas examinatum, ac multorum cum vitæ ſuæ teſtimonio, dignum epiſcopatu comprobatum, ſumpta ab eo ex more de ſubjectionis ſuæ obedientia profeſſione, ſacravit eum Cantuariæ (1) quinto Kal. Januarii, aſſiſtentibus & cooperantibus ſibi in hoc miniſterio, duobus epiſcopis ſuis Radulpho ſcilicet Ciceſtrenſi, & Gundulpho Roffenſi.

CONCILIUM GERUNDENSE,

Pro eccleſiaſtica libertate anno MXCVII.

ANno Domini MXCVII. Id. Decembris ſub C Bernardo archiepiſcopo Toletano apoſtolicæ ſedis legato celebratum eſt Gerundenſe concilium *ad corroborandam eccleſiæ libertatis dignitatem*. Et interfuerunt archiepiſcopus Taraconenſis, epiſcopus Rotenſis, epiſcopus Barcinonenſis, epiſcopus Gerundenſis. *Ex ſchedis illuſtriſſimi Petri de Marca, qui acta ex Barcinonenſis eccleſiæ tabulario deſcripſit.*

ANNO CHRISTI 1098.

CONCILIUM ROMANUM II.

Quo regi Anglorum induciæ conceſſæ ſunt uſque ad feſtum ſancti Michaelis, anno Domini MXCVIII. tempore Urbani papæ II.

Acta concilii.

DE hac ſynodo Edinerus in vita ſancti Anſel- D mi apud Surium iſta ſcribit: *Finito concilio Barenſi, Romam cum apoſtolico profecti ſumus. Tranſactis autem aliquantis diebus, venit Romam Wilielmus ille, cujus in exitu Angliæ memoriam fecimus. Inter alia hoc effecit apud apoſtolicum, ut inducias regi Angliæ daret uſque ad feſtum ſancti Michaelis archangeli. Quod Anſelmus agnoſcens, illico Lugdunum redire volebat: ſed prohibitus a papa eſt propter concilium, quod ſe tertia hebdomada paſchæ Romæ habiturum ſtatuerat.* Quæ autem E conſtituta fuerint in concilio, præteriit Edinerus, Wilielmus Malmesburienſis in hiſtoria rerum geſtarum pontificum Anglorum de his agens, fugillat Urbanum papam ac ſuos, quod pecuniæ mercimonio inducias regi conceſſiſſet uſque ad feſtum ſancti Michaelis archangeli.

Excuſatur Urban. Pp.

Verum idem auctor meminiſſe debuit, a ſe paulo ſuperius dictum anno ſuperiori in concilio Barenſi, quod idem Urbanus pontifex, jam ſententiam excommunicationis in regem ibi laturus ſtatim, interceſſione ſancti Anſelmi, ne faceret, cohibitus eſſet. Accuſarine potuit tarditatis Urbanus, qui ab Anſelmo actore, ne in eum dicat ſententiam, continetur? Quod ſi petenti regi per nuntium inducias uſque ad feſtum ſancti Michaelis archangeli conceſſit Urbanus: potuitne vel iſtas ipſe negaſſe, non dico regi, ſed cuilibet homuncioni petenti, ut acturus cauſam Romæ ex Anglia teſtes & teſtimonia perduceret, atque produceret, ex tanto terrarum ſpatio? An & vitio dari potuit ſummi pontifici aliquid indulſiſſe regi, quem vidimus haud pridem a ſchiſmaticis defeciſſe, atque ad communicationem Urbani catholici antiſtitis convolaſſe? Ubi illud de Domino dictum & repetitum, ut omittamus externa:

Arun-

(1) Id eſt, die 28. menſis Decembris, qui anno 1096. in Dominica incidebat, quo ideo Malcus Vatafordienſis Epiſcopus conſecratus eſt, ut recte vidit Aſſordus, non vero anno 1097. quo perperam Tom. x. Conciliorum Concilium Hibernicum conſignatur. Edimerus enim lib. 2. Novorum cap. 2. S. Anſelmum Romam proficiſcendi facultatem a Rege extorſiſſe narrat *anno ab Incarn. filii Dei* 1097. *feria quinta, quæ fuit idus Octobris*. Ex certiſſimo itaque temporis charactere, feria nempe quinta cum Idibus Octobris conjuncta, certo liquet, non ſolum Anſelmum anno 1097. ex Anglia diſceſſiſſe, ſed etiam Concilium Hibernicum, & ordinationem Epiſcopi VVatafordienſis contigiſſe anno 1096. cum hic Præſul ab Anſelmo Cantuariæ conſecratus fuerit die 28. menſis Decembris; & an. 1097. eo die in Gallliis Anſelmus egerit; Edimerus enim ait: *Venimus Cluniacum tertio die ante Nativitatem Domini* &c. *Pagius ad An. Chr.* 1097.

ANNO CHRISTI 1098.

Arundinem conquassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.

Matth. 12. ex Isa. 42.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI ad An. Chr. 1098. n. 1. & seq.

A num. 1. ad IX. Edimerus seu Eadmerus, corrupte Edmerus appellatus, in lib. 2. Novorum cap. 4. postquam capite superiori narravit profectionem Cruciatam Urbani II. & D. Anselmi hoc anno suscepta, ut præcedenti monstravimus, differit de Concilio Barensi *Kalend. Octob.* hujus anni congregato, ut etiam ibidem visum, atque de Anselmo: *Flexis genibus coram Papa, præfatum Regem* (Angliæ nempe) *jam tunc excommunicare parato, vix obtinuit, ne in regem faceret, quod communi omnium sententia promeruerat.* Multis interpositis: *Finito Concilio a Bario discessimus, semitatum Papæ Romam usque non deserentes.* Subdit, Willelmum quendam nuncium a Willelmo Angliæ Rege missum cautam spoliati Anselmi reddidisse, sed eum Urbanum II. non probasse, eique dixisse: *Redi, quantocius, redi: & præcipe illi ex parte B. Petri, quatenus remota omni contradictione illum suis omnibus integre restituat, si excommunicari recusat. Itaque fac, ut quid hinc velit, scire me faciat ante Concilium, quod tertia hebdomada Paschæ* (anni nempe millesimi nonagesimi noni, non vero currentis, ut apud Baronium, & Tom. X. Concil. etiam legitur) *in hac urbe jam celebraturus: aliquin certissime noverit, se in eodem Concilio damnationis sententia punire, quam promeruit. At ille: Priusquam abeam, tecum secretius agam. Mansit ergo ibi per dies plurimos idem Willelmus, prudenter operam dando hoc & illos suæ cautæ auctores efficere: ac, ut Domini voluntati satisfaceret, munera quibus ea cordi esse animadvertebat dispertiendo, & pollicendo, parvi habebatur se. Deductus ergo a sententia Romanus Pontifex est: ac pro isto Willelmi, inducias usque ad Festum S. Michaelis dedit Regi. Acta sunt hæc in ipsis solemnitis Nativitatis Christi*, current. nempe anni, non vero superioris, ut ex dictis necessario sequitur.

Reprehendit Baronius Malmesburiensem, quod lib. 3. de Gest. Pont. scribat, Urbanum II. muneribus visum Regi Angliæ terminum ad festum Sancti Michaelis protraxisse. Eadmerus tamen, cujus libri Novorum Baronii tempore nondum lucem viderant, id tantum de ministris Curiæ Romanæ effert, atque, cum Pontifex Reingero Lucens. Episcopo præcepisset, ut statuta in Synodo Romana, *sonora qua pollebat voce*, iteraret, Reingerum paruisse: *verum nonnullis ab eo capitulis in audientia omnium diserte expositis, subito admirantibus cunctis, vultu, voce, ac gestu corporis in alium habitum demutatus est: unde jurum luminum acie in circumsedentes directa, vulnerate mentis dolorem ultra dissimulare non potuit. Rupta igitur decretorum serie, quæ exponenda susceperat, intulit dicens, Sed videlicet quid faciamus? Præceptis jubditos oneramus, & iniquis tyrannorum servitiis non obviamus. Oppressiones namque, quas ipsi ina tyrannide Ecclesiis inferunt, & expoliationes personarum, quæ tuendis illis institutæ sunt, quotidie ad hanc Sedem referuntur, consilia & auxilia sicut a Capite omnium, requiruntur: sed quo terminentur effectu, heu! totus mundus novit, & inde conqueritur. De Anglia mundi remotissimis partibus unus ecce inter nos, hucusque tacitumitate quiescens, mitis residet &c. Jam modesta taciturnitate quiescens, mitis residet &c. Jam unus secundus est qui huc venit* (ideoque Anselmus, de quo ibi sermo, currenti tantum anno Romam pervenit, ut supra ostendimus:) *Sed numquid huc usque subventionis invenit? Si de quo dico non omnes agnoscitis, ipse est Anselmus Archiepiscopus Angliæ regionis.* Subjungit Edmerus, in eodem Concilio Papam excommunicationis sententiam intorsisse in dantes vel accipientes Ecclesiarum Investituras, & in eos qui pro Ecclesiasticis honoribus laicorum hominum servi & quasi ancillæ fiunt.

ANNO CHRISTI 1098.

Tom. X. Concil. & apud Baronium hoc Concilium Romanum in duo dispertitur, quorum alterum præsenti anno coactum fuerit, in eoque de Anselmi causa actum; alterum vero anno MXCIX. in quo Canones XVIII. ibidem recitati, conditi fuerint. Verum secundum illud Concilium Romanum mere fictitium, ut ex die & mense ejus celebrationis evidenter apparet. Chronographus enim Malleacensis scribit, Concilium Romanum 7. *Kal. Maii* anni MXCIX. in uno MS. 6. *Kalend. Maii*, in alio, *Pridie Kalendas Maii* celebratum, qui dies omnes in tertiam hebdomadam post Pascha anno sequenti die decima mensis Aprilis habitum, inciduht. Quare Hovedenus in priori parte Annal. & Simeon Dunelmensis in lib. de Gest. Concilium Romanum cum anno MXCIX. & tertia post Pascha hebdomada accurate alligarunt, neque hoc imposterum in controversiam venire debet. Hæc Chronographi Malleacensis verba ad annum MXCIX. *Eo anno fuit factum Romæ Concilium, quod notissime tenuit Urbanus Papa* (inter Romana ordine II. non vero III.) *septimo Kalendas Maii, in quo confirmavit viam Sancti Sepulchri Domini nostri J. C. & decrevit in ipsa Synodo, omni sexta feria jejunare pro peccatis suis, omnibus Christianis; & maxime pro illis, quibus non confessis sunt immemores.* Bertoldus in Chron. ad annum MXCIX. Concilium Romanum tertia post Pascha hebdomada indictum refert, qui licet Anselmi mentionem non faciat, non dubium tamen, quin de Concilio, cui ipse interfuit, interpretandus sit, nempe de Concilio Rom. tertia post Paschæ hebdomada coacto, de quo etiam anno præcedenti sermonem habuimus.

Pertinet ad hoc Concilium Romanum, quod refert Joannes de Colle medio in Vita Beati Joannis Morinorum Episcopi, qui ei annos quatuordecim cohabitavit. Ecclesia Morinensis viginti circiter annis multis tribulationibus vexata fuerat, & ad magnam confusionem redacta. Cumque Canonici *Aubertum Ambianensem*, Ecclesiæ Morinensis Canonicum contra Canonum sanctiones eligissent, Abbates religiosi, & viri quidam laicalis ordinis *Joannem Airebatensem Archidiaconum* etiam renitentem Episcopum elegere. *Eodem tempore*, inquit Joannes de Collemedio cap. 3. *Romæ Concilium generale de diversis mundi partibus Papa indixerat. In quo Concilio Morinensi causa tractata, & Auberti electione haud difficile reprobata, dominus Joannes, cujus sanctitate celebris fama vulgaverat multorum vocibus dignus pronunciatur, & electio ejus ex sententia Concilii a Domino Papa solemniter confirmatur.* Quæ cum ipso ignorante acta fuissent, Urbanus II. ne subterfugere tentaret, litteris ad eum datis injunxit, ut oneri collum submitteret: *Annus erat*, subdit Joannes de Colle medio, *ab Incarnat. Domini N. J. C.* MXCIX. *Hoc igitur anno II. Nonas Junii Presbyteratus ordinatione susceptæ, sequenti mense, XVI. videlicet Kal. Augusti* a Manasse Archiep. Remensi consecratus est, & IX. Kal. ejusdem mensis apud Tarvennam solemniter inthronizatus. Concilium itaque Romanum sub Urbano ordine II. non vero III. ut perperam habet Bollandus in Notis ad c. 3. laudatum, anno tantum sequenti celebratum.

CONCILIUM BURDEGALENSE,

ANNO MXCVIII.

ANno Domini MXCVIII. Burdegalæ concilium habuit Amatus illius urbis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus, cum aliis diversarum provinciarum episcopis. Quo in concilio quid actum sit ignoramus: celebratum autem fuisse dicimus ex diplomate tabularii Angeriacensis, cui Amatus archiepiscopus Burdegalensis, Rolandus Dolensis archiepiscopus, Petrus episcopus Aginnensis, aliique hoc in concilio subscribunt, anno Domini MXCVIII. Indict. VI. III. Nonas Octobr.

AD

ANNO CHRISTI 1098.

AD BURDEGALENSE CONCILIUM

Anno 1098. habitum.

ADDITIO.

Suppl. Mansi to II p. 114. Ex Gall. Chr. nov. edit. to II. pag. 176.

A Matus gratia Dei Burdegalensium archiepiscopus & S. R. E. legatus definivit in concilio Burdegalensi altercationem, quæ erat inter Ansculsum abbatem S. Johannis de Angeriaco, & Garnerium abbatem S. Maxentii, & monachos utriusque monasterii propter ecclesiam S. Petri de Mareistais vetulo, sitam prope castrum, quod nominatur, Mastacius. In favorem Angeriacensium res fuit diffinita.

A Actum & concessum in Burdegalensi concilio anno ab Incarnatione Domini MXCVIII. indict. VI. epacta XXVI. assistentibus & præsidentibus R. Auciensium archiepiscopo & R. Dolensium archipræsule cum suffraganeis eorum episcopis & abbatibus, necnon & S. Agennensium & R. Petragoricensium episcopis cum suffraganeis eorum abbatibus. Anno vero XI. pontific. domini papæ Urbani II. Data III. nonas octobris.

MEDIOLANENSE CONCILIUM

Sub Anselmo de Rode Mediolanensi archiepiscopo pro instauranda cleri disciplina Anno 1098. habitum.

Anno 1098. Appen to II Ibid. p. 55.

„ QUod modo dandum suscipio Mediolanense concilium seu potius concil. hoc fragmentum, breve quidem est & truncum; in tamen brevitate nonnulla edocet, vel ignota vel non satis comperta. Landulphus Junior rerum Mediolanensium ejus ætatis historia capite primo tradit Anselmum de Rode in archiepiscopum Mediolanensem renunciatum *ordinationem episcopatus ab extraneis episcopis* suscepisse, & Armanum in episcopum Brixiensem ordinasse, rejecto æmulo Baldrico, qui ab Henrico rege *investituram* obtinuerat. Hæc omnia cum concilio isto quadrant. Plures hic sese offerunt episcopi non provinciales tantummodo, sed & exteri, unde non immerito suspicari quis posset concilium istud eo forte tempore quo Anselmus Mediolanensis sedem obtinuit convenisse. Quanquam enim Pape-

B brochius in tractatu chronologico de archiepiscopis Mediolanensibus tomo II. mensis actuum SS. præfixo exordium ejus an. præcedenti 1097. assignavit, id tamen nonnisi per conjecturam ab eo assertum est, quas conjecturas uno vel altero mense falli posse non ægre admitteremus. Utcumque res habeat sese, profecto constat, sin minus Anselmum, certe tamen Armanum Brixiens. nonnisi hoc anno 1098. Brixiensis sacerdotii dignitate potitum fuisse, neque enim nisi Armanum hunc designari credo nomine *Brixiensis electi*; & cum inter causas concilii hujus habendi unam hanc

C extitisse doceant acta, ut *male nominati episcopi* removerentur; fieri utique potuit ut in hoc ipso concilio Armanus assumeretur, Baldrico æmulo penitus reprobato.

ACTA CONCILII.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo octavo, indictione se... Non. April. celebrata est Mediolani synodus, præsidente domno Anselmo archiepiscopo cum episcopis Catholicis suffraganeis suis & reliquis tam Galliæ, quam Lombardiæ, & religiosis, & sanctissimis Viris Magalo ... scilicet, & Arelatensi archiepiscopo, Mantuano autem, & Regino, Cumano quoque, & Placentino, & Brixiensi electo. Facta autem disputatione magna de statu ecclesiarum, & communi vita clericorum, sed & de his male nominatis episcopis, qui Mediolanensis ecclesiæ suffraganeas sedes invaserant, prima quidem, & secunda die in majori ecclesia, tertia autem die præ nimia tam cleri, quam utriusque sexus populi .... in Campo concilium sedit, ubi post

D multimodam tractationem, hæc sunt capitula prolata &c. *sub finem*.

Conquesti sunt præterea canonici S. Ambrosii apud præfatam synodum, Monachos contra Domini apostolici præcepta, & contra omnem auctoritatem, oblationes Altaris B. ejusdem Ambrosii invasisse, & non solum inauditis deprædationibus, verum etiam effusione sacerdotalis sanguinis abstulisse. Unde pari voto statuimus eo, quod monachi vivæ vocis Apostolico præcepto, & ejus decretis inobedientes extiterint ..... tra ecclesiasticam regulam præsumpserint ..... clericos quiete oblationes Altaris possidere, sicut per quadraginta, & eo amplius annos, sine canonica, vel legali molestia possederunt &c.

CONCILIABULUM ROMANUM

A schismaticis Guiberti antipapæ fautoribus agitatum anno Domini MXCVIII.

Ex Labbei App. to. X.

HUjus conciliabuli a Guibertinis habiti memoria superest ad calcem lib. II. Bennonis cardinalis schismatici de vita Hildebrandi. Ac primum refert

E *illius latrocinii synodalem epistolam. Deinde pauca quædam narrat, quæ ad illud conciliabulum, & alterius indictionem attinent.*

Epi-

ANNO CHRISTI 1098.

Epiſtola ſynodalis ſchiſmaticorum.

„ Adalbertus epiſcopus S. Rufinæ Silvæ candidæ, Joannes epiſcopus Hoſtienſis, Hugo epiſcopus Prænestinus, Albertus epiſcopus Nepeſinus, Benno cardinalis presbyter urbis Romæ, „ Romanus cardinalis presbyter urbis Romæ, „ Octavianus presbyter cardinalis deſignatus, Paulus primicerius Romanæ eccleſiæ, Nicolaus electus abbas S. Silveſtri urbis Romæ, N. abbas „ S. Pancratii urbis Romæ, & clerus, & clariſſimi principes laici, Theobaldus Chinebii, & „ Udalricus de S. Euſtachio, & populus Romanus, omnibus Deum timentibus, & ſalutem „ Romanæ reipublicæ diligentibus. Nullumus ignorare prudentiam veſtram, quod ad deſtruendas hæreſes noviter ab Hildebrando inventas, & antiquas ſub nomine pietatis impie ab ipſo renovatas, & ad defenſionem fidei catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum, qui noviter ipſam fidem catholicam, quantum in ipſis erat, ſtindere non timuerunt, Deo auctore, Nonis apud S. Blaſium convenimus, VIII. Id. apud S. Celſum, VII. Id. apud S. Mariam, in eccleſia quæ vocatur Rotunda, conſedimus: ipſas hæreſes damnatas, ſicut majores noſtri, & nos damnamus: omnes ſectatores, communicatores: complices, ſemel damnatæ pravitatis, pari ſorte cenſemus: ne, ſi paululum taceamus, conſentire videamur. Eos vero qui auctoribus errorum communicant, data ſecuritate libere veniendi & abeundi, vocamus: & ut per majores ſuos dominum Raynerium & Joannem Burgundum cautam ſuam agant, admonemus: ſecuritatem integram, in quantum poſſumus, uſque ad teſtum omnium ſanctorum proponimus, etiam cum in cauſa ſua defecerint, neminem circumvenientes, nullius ſanguinem, ſed omnium vitam & honorem ſitientes, nec ſeditiones in populo commoventes. De cauſa enim ſua diffidere videtur, quiſquis auctor eſt ſeditionis.

„ Pacem vero & dilectionem ſinceram proponimus omnibus, pacem, veritatem, & unitatem catholicæ eccleſiæ amplectentibus, ut ſimus filii patris noſtri qui in cœlis eſt. Qui enim ex patre diabolo ſunt, opera patris ſui faciunt conſpirationibus, ſeditionibus, &, cujus filii ſint, manifeſte oſtendunt. Nos vero illius diſcipuli eſſe deſideramus, cujus doctrina, etiam inimicis, ſane eſt intelligenda. Orent pro nobis eccleſiæ filii, ut creſcat ſermo Domini &c. Datâ Romæ contra ſchiſmaticos ſacro conventu. Anno ab Incarnatione Domini MXCVIII. Ind ſexta, VII. Id. Auguſti.

Pergunt acta ſchiſmaticorum. His litteris vocati ſunt. Declinarunt autem audientiam ſchiſmatici per ſedecim * annos, per obſides potentes & clariſſimos, & per ſacramenta ſibi oblata invita-ti, ne caperentur ſuis mendaciis, ne ſuis libellis convincerentur, quibus auctores eorum corruperunt terram hæreſibus variis, longe latèque diſſeminatis per apoſtolos multiplicis erroris. Sacer etiam conventus, toties deprehenſa eorum verſutia, in conſpectu eccleſiæ, coram multitudine Romanorum, ait.

* Sic codices omnes. * Annos agebatur XVI. ex confenſu Ouvrerii.

„ Eos, qui ſanctam eccleſiam ſcindere non timuerunt, iterum vocamus ad Synodum, quam „ Deo auctore celebrare diſpoſuimus circa Kal. „ Novembr. in præſenti tamen, quia venire renuunt, teſtes invocamus contra eos cœlum & „ terram, quod nullum conſenſum adhibebimus „ eorum perverſitati. Et in teſtimonium illius, „ in medio eccleſiæ, in conſpectu angelorum & „ hominum, incendio tradimus decreta eorum „ hæretica, quibus orbem terræ perverterunt, „ verbum Dei adulterantes, ſub ementito colore „ pietatis quærentes plus ſe quam fidem catholicam amari. Qui per ſedecim annos nullum „ dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris errorum aſſueti, falſis expoſitionibus violenter intorquentes ſcripturas in „ argumentum nefandiſſimi ſchiſmatis.

ANNO CHRISTI 1098.

SYNODUS ATREBATENSIS,

In qua Lambertus Epiſcopus Monachis S. Vedaſti altaria jam antea ab ipſis poſſeſſa confirmat Anno Chriſti MXCVIII.

IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri ac ſummi Dei. Amen. Cum inter cætera præceptorum Chriſtianæ religionis ſummopere commendetur ramus uterque caritatis, Dei videlicet amor & proximi, niſi proximum erigamus, jumento ſalutis circumferamus ad exemplum illius Samaritani, non promerebimur gratiam hujus ſanctæ dilectionis. Merito ſiquidem caritas debet amplecti quam divina providentia tantopere commendare ſtuduit. Hæc namque per legem, per prophetas mundo prius innotuit, quam ut altius Dei filius commendaret, in tempore gratiæ viſibilis apparens in ſole tabernaculum ſuum poſuit. Et quoniam caritas loquitur, *Omni petenti tè da*, & viſcera caritatis ſemper carent inopia, nos oportet elaborare petentibus hilariter adminiſtrare prout ratio dictabit & æquitas. Quare ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus ſæpe & multum imploratus, ſatisfacere volui dulciſſimis precibus domni Aloldi venerabilis Abbatis Atrebatenſis cœnobii de titulo glorioſi confeſſoris Chriſti Vedaſti cæterorumque fratrum ejuſdem Eccleſiæ, ut altaria quæ perſonaliter tenuerant firmaremus liberaliter poſſidenda prædictæ congregationi. Unde cum fidelibus noſtris communicato conſilio, tibi, reverentiſſime frater & fili Abba Aloide, tuiſque legitimis ſucceſſoribus pro peccatorum noſtrorum redemptione, ſine aliqua turpis lucri exactione, ipſa altaria non ſolum concedimus, verum etiam qua præſidemus auctoritate liberaliter in perpetuum ea confirmamus; ea tamen conditione ut defunctis Presbyteris illorum locorum, alii idonei ab Abbate ad Epiſcopum deducantur, eiſque cura animarum ab Epiſcopo gratis impendatur. Salvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & redditibus ejus & Archidiaconi miniſtrorumque ejus. Præterea promittente nobis & profitente Abbate ſicut primogenito filio noſtro in privatis & publicis negotiis Eccleſiæ noſtræ & in Capitulo & extra fideliter & obedienter ſe deſerviturum. ſi vocetur ab Eccleſia. Hæc autem ſunt nominatim altaria, Salgi, Florbacs, Laventies, Felcy, Vi, Contehan, Remchendencourt, Aſceel, Hadas, Mons, Novilelle, Pabule, Baſiliere, Bomvillers, Guarluſe, Fiſcau, Bairy, Fontenellis, Ateias, Gauret-

ANNO CHRISTI 1098.

rerle, Fuſcariis, Bertricurt, Bigartus, Hambleng, Fraſne, Noveville, Iſer, Tenluz, Moſſancs, Ymercurt. Si quis autem poſt hanc noſtram definitionem manu ſacrilega cui Deo diſponente annuimus auferre vel pecuniam exigere præſumpſerit, dator & acceptor cum Symone hæretico anathema ſit. Cujus rei gratia pignus hoc caritatis nobis recompenſandum reduci volumus ad memoriam, quatenus audito obitu noſtro, exequia & triceſimum noſtrum & anniverſarium tam præſentes fratres & Abbates eorum perpetualiter celebrare procurent. Et quoniam ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur, rogamus te, dilectiſſime fili & venerabilis Abba, & omnes ſucceſſores tuos in eo quo es loco & ordine futuros Abbates quatenus in caritate ſpiritus ſancti, in quo eſt remiſſio omnium peccatorum, quod nobis ſtatuimus fieri, hoc idem fiat ſucceſſoribus noſtris in Atrebatenſi ſede futuris Epiſcopis. Sane quoniam in deterius defluunt tempora, nec actiones humanæ poſſunt memorari niſi per litteras, hoc libertatis donativum conſignari libuit præſente pagina. Quod ut inconvulſum & ſine refragatione permaneat, in augmentum firmitatis teſtium ſubſcripſimus nomina. S. domni Clarembold Atrebatenſis Archidiaconi. S. domni Joannis Abbatis de Monte ſancti Eligii. S. domni Alberti Abbatis Hainonienſis. S. domni Hamerici Abbatis Aquicinenſis. S. domni Rayneri Abbatis de Cameraco. S. domni Gaufridi Abbatis de Novo Caſtello. S. domni Adam Abbatis de ſancto Auberto. S. domni Odonis ſanctæ Mariæ Præpoſiti. S. domni Guiberti Decani. S. Anaſtaſii Cantoris. S. Roberti Magiſtri. S. Gualteri Cuſtodis. S. Maſcelini Archipresbyteri. S. Joannis Decani d'Aginville. S. Radulfi Decani. S. Aſconis Decani de Bethunia. S. Guarneri Decani. S. Balduini Decani de Bapalmis. S. Guagonis Decani. S. Joannis de Duaco. S. Gualteri Decani PP. S. Arnulfi de Lens PP. S. Bernardi S. domni Cononis de Arida Gamantia de titulo ſanctæ Trinitatis. S. domni Achardi. S. domni Drogonis. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi, ſubſcripſi † & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Actum Atrebati in ſynodo in baſilica B. Mariæ ſemper Virginis Dominæ noſtræ anno Dei Chriſti MXCVIII Indict. VI. III. Id. Octob. anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi quinto.

ANNO CHRISTI 1098.

ANNO CHRISTI 1099.

CONCILIUM ROMANUM III.

ANNO CHRISTI 1099.

IN QUO URBANUS PAPA

Statuta prædeceſſorum ſuorum confirmat, Guibertum antipapam ejuſque complices iterum excommunicat, & Hieroſolymitanam expeditionem promoveri rogat, anno Domini MXCIX.

DECRETA DOMINI PAPÆ URBANI II.

Data in concilio, Romæ in eccleſia B. Petri apoſtoli, anno Dei Chriſti MXCIX. * *pridie Kalendas Maii.*

* In MS VI. Kal. ebron. Malter. VII. Kal.

CANONES.

I.

Sunt hæc decreta Concil Placentini de quo ſupra an. 1095.

EA quæ a ſanctis patribus de ſimoniacis ſtatuta ſunt, nos quoque Spiritus ſancti judicio & apoſtolica auctoritate firmamus.

II.

Quidquid igitur vel in ſanctis ordinibus, vel in eccleſiaſticis rebus, vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas unquam vires obtinere cenſemus.

III.

Si qui tamen a ſimoniacis non ſimoniace ordinati ſunt, ſi quidem probare potuerint, ſe cum ordinarentur, eos neſciſſe ſimoniacos, & ſi tum pro catholicis habebantur in eccleſia, talium * ordines pro miſericordia ſuſtinemus: ſi tamen eos laudabilis vita commendat.

* ordinationes miſericorditer.

IV.

Qui vero ſcienter ſe a ſimoniacis conſecrari, immo execrari paſſi ſunt: eorum conſecrationem omnino irritam eſſe decernimus.

V.

Quicumque ſane cupiditate parentum, cum adhuc eſſent parvuli, eccleſias vel eccleſiarum beneficia per pecunias adepti ſunt: poſtquam eas omnino dimiſerunt, ſi canonice in iis vivere voluerint, pro magna miſericordia ibidem eos eſſe concedimus; neque pro hoc facto a ſanctis ordinibus removemus, ſi alias digni inveniantur.

VI.

Illi vero qui per ſeipſos, cum jam majoris eſſent ætatis, nefanda cupiditate ducti eas emerunt, ſi in aliis eccleſiis canonice vivere voluerint, ſervatis propriis ordinibus pro magna miſericordia ibi eos miniſtrare permittimus. Quod ſi ad alias fortaſſe transferri non potuerint, & in eiſdem canonice vivere promiſerint: minoribus ordinibus contenti ad ſacros ordines non accedant, ſalva tamen in omnibus apoſtolicæ ſedis auctoritate.

VII.

Si qui tamen ante emptionem catholice ordinati ſunt: cum ea quæ emerunt dimiſerint, & vitam canonicam elegerint *, in ſuis gradibus permittantur: niſi forte ejuſmodi eccleſia ſit, ut ibi primum [illegible] debeant obtinere. Primum enim, vel ſingularem, vel præpoſituræ, vel of-

* al. egerint

ficii locum, in emptis eccleſiis eos habere non patimur. ANNO CHRISTI 1099

VIII.

Ordinationes quæ a Guiberto hæreſiarcha factæ ſunt, poſtquam ab apoſtolicæ memoriæ papa Gregorio & a Romana eccleſia eſt damnatus, quæque etiam a pſeudoepiſcopis per eum poſtea ordinatis perpetratæ ſunt, irritas eſſe judicamus.

IX.

Similiter autem & eas quæ a cæteris hæreſiarchis nominatim excommunicatis factæ ſunt, & ab eis qui catholicorum & adhuc viventium epiſcoporum ſedes invaſerunt: niſi probare voluerint, ſe, cum ordinarentur, eos neſciſſe damnatos.

X.

Qui vero ab epiſcopis quondam quidem catholice ordinatis, ſed in hoc ſchiſmate a Romana eccleſia ſeparatis, conſecrati ſunt, eos nimirum, cum ad eccleſiæ unitatem redierint, ſervatis propriis ordinibus miſericorditer ſuſcipi jubemus: ſi tamen eos vita & ſcientia commendat.

XI.

Amodo vero quicumque a prædictis ſchiſmaticis ſanctæ Romanæ eccleſiæ adverſariis ſe ordinari permiſerit, nullatenus hac venia dignus habeatur. Quamvis autem miſericordiæ intuitu, magnaque neceſſitate cogente, hanc in ſacris ordinibus diſpenſationem conſtituerimus: nullum tamen præjudicium ſacris canonibus fieri volumus: ſed obtineant proprium robur, & ceſſante neceſſitate illud quoque ceſſet quod factum eſt pro neceſſitate. Ubi enim multorum ſtrages jacet, ſubtrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut addatur amplius caritati.

XII.

Illud quoque præcipimus, ut pro chriſmate & baptiſmo & ſepultura nihil unquam exigatur.

XIII.

Ut unica domini noſtri ſponſa ſine macula & ruga permaneat, ſacrorum canonum inſtituta renovantes præcipimus, ut a ſubdiaconatus tempore nulli liceat carnale commercium exercere: quod qui deprehenſus fuerit, ordinis ſui periculum ſuſtinebit.

XIV.

Nemo præterea ad ſacrum ordinem permittatur accedere, niſi aut virgo, aut probatæ ſit caſtitatis, & qui uſque ad ſubdiaconatum unicam & virginem uxorem habuerit.

XV.

Nullus laicus decimas ſuas, aut eccleſiam, aut quidquid eccleſiaſtici juris eſt, ſine conſenſu epiſcopi, vel Romani conceſſione pontificis, monaſteriis aut canonicis offerre præſumat. Quod ſi quis epiſcopus improbitatis & avaritiæ cauſa conſentire noluerit, Romano pontifici nuntietur: & ejus licentia, quod offerendum eſt, offeratur. ANNO CHRISTI 1099

XVI.

Nullus abbas, nullus eccleſiarum præpoſitus, quæ juris ſunt eccleſiaſtici a laicis accipere ſine epiſcopi conceſſione præſumat.

XVII.

Nullus abbas pretium exigere ab eis qui ad converſionem veniunt aliqua occaſione præſumat.

In eodem quoque concilio dominus papa Urbanus excommunicatione alligavit abbates, quicumque deinceps inveſtituras abbatiarum a qualibet laicali manu quocumque modo præſumerent accipere: & ut nullus epiſcoporum hujuſmodi abbates ordinaret, aut conſecraret, apoſtolica auctoritate interdixit.

XVIII.

Adjecit etiam & conſtanter præcepit, ut nullus primatum, archiepiſcoporum, & epiſcoporum, in ordinatione & conſecratione epiſcoporum, vel abbatum, cappas, tapecia, bacinos, & manutergia, qualibet exactione requirat, vel ſuſcipiat.

Operæ pretium erit addere quæ de hoc concilio chronicon Malleacenſe narrat. Eo, *inquit*, anno fuit factum Romæ concilium, quod noviſſime tenuit Urbanus papa ſeptimo Kalendas Maii, in quo confirmavit viam ſancti ſepulcri domini noſtri Jeſu Chriſti: & decrevit in ipſa ſynodo, omni ſexta feria jejunare pro peccatis ſuis, omnibus Chriſtianis; & maxime pro illis, quibus non confeſſi ſunt immemores.

Juvabit & deſcribere verba Rogerii Hoveden, parte annalium priore. Habent enim de hac ſynodo peculiare nonnihil. Anno, *inquit*, MXCIX. Urbanus papa tertia hebdomada paſchæ magnum concilium tenuit Romæ, in quo excommunicavit omnes laicos, inveſtituras eccleſiarum dantes; & omnes, eaſdem inveſtituras de manibus laicorum accipientes: necnon omnes, in officium ſic dati honoris conſecrantes. Excommunicavit etiam eos, qui pro eccleſiaſticis honoribus, laicorum homines fiunt: dicens nimis execrabile videri, ut manus, quæ in tantam eminentiam exceverunt, ut quod nulli angelorum conceſſum eſt, ut Deum cuncta creantem ſuo ſignaculo creent, & eumdem ipium, pro ſalute totius mundi, Dei patris obtutibus offerant, in hanc ignaviam vel ſtultitiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ diebus & noctibus obſcœnis contactibus inquinantur, ſive rapinis ac injuſtæ ſanguinis effuſioni addictæ maculantur. Et ab omnibus acclamatum eſt, fiat, fiat: & in his conſummatum eſt concilium. *Hæc Rogerius.*

Nec omittendum, quod legitur in Geſtis de reſtitutione Atrebatenſis epiſcopatus apud Baluz. Miſcel. tom. 5. p. 274.

Anno igitur Dei Chriſti MXCIX. Dominus Urbanus Papa II. qui jam prius ad Clarmontem Generale celebraverat Concilium, rurſum Romæ in

ANNO CHRISTI 1099.

in Eccleſia Beati Petri apoſtoli pro errore & hæreſibus Græcorum diverſarum regionum & provinciarum Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ad celebrandum Concilium ſtuduit convocare in ſecunda Dominica poſt Albas qua *Miſericordia Domini* cantatur. Huic quoque Concilio cum cæteris Remenſis provinciæ Epiſcopis interfuit Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus. Qualia autem decreta prædictus Papa de Latina & Græca Eccleſia & de miniſtris altaris & de ordinatis a ſimoniacis & de beneficiis & officiis eccleſiaſticis per pecuniam adeptis ante corpus beati Petri dederit, ſtudioſus lector legendo invenire poterit.

NOTÆ SEVERINI BINII.

De hac ſynodo indicta, deque rebus in eadem geſtis Bertholdus ipſa narrat: Hoc anno milleſimo nonageſimo nono dominus papa natalem Domini Romæ cum magna pace celebravit. Nam & caſtellum ſancti Angeli cum aliis munitionibus in ſua poteſtate detinuit, omneſque æmulos ſuos in civitate cum Dei adjutorio ſatis viriliter aut placavit, aut vi perdomuit. Synodum quoque ſuam in tertia hebdomade poſt paſcha Romæ celebrandam miſſis literis uſquequaque denuntiavit. *Hæc de ſynodi indictione: de celebratione autem ipſius, ita inferius*: Romæ dominus papa generalem ſynodum centum quinquaginta epiſcoporum, abbatum, & clericorum innumerabilium, tertia hebdomada poſt paſcha collegit: in qua ſynodo confirmatis ſuorum anteceſſorum ſtatutis, etiam ſententiam anathematis ſuper Guibertum hæreſiarcham, & omnes ejus complices iteravit. Statuit quoque ibi, ne communicare præſumerent iis qui concubinas haberent, niſi prius eas dimitterent. De Hierotolymitano itinere multum rogavit ut irent, & fratribus ſuis laborantibus ſuccurrerent. *Hucuſque de concilio Romano Bertholdus.*

Canones hoc concilio editos ex manuſcripto monaſterii Hennicenſis, ordinis regularium ſancti Auguſtini prope Duacum codice, quem Lamberti Atrebatenſis epiſcopi eſſe conjicio, fideliter deſcriptos, non ſine ſumptu, labore, ac moleſtia, ad honorem Dei & eccleſiæ augmentum miſit ad me reverendus dominus Gregorius Colvenerius apud Duacenſes theologus canonicus, & ſcholaſticus qui cenſendis & inquirendis veterum ſimul & novorum ſcriptorum libris diu multumque in hac vita occupatus, in librum vitæ referri ac recenſeri meretur

G. C. Concilii hujus canones primi duodecim, iidem ſunt in concilio Placentino anni 1095. Eos in Claromontana ſynodo cum promulgaſſet Urbanus, ut ſupra diximus, in hac quoque confirmat: nec dubito quin idem in intermediis conciliis præſtiterit. An & in Romano anni ſuperioris? Cur enim tunc omiſſi fuiſſent, & in annum dilati? Quod ſi tunc promulgati ſunt, cur nunc repetiti? Erit qui hanc ob cauſam ſuſpicetur, canones hos eſſe concilii Romani ann. 1098. & anno 1099. per errorem attributos. Judicent qui me vel ſagaciores ſunt, vel confidentiores.

Diem Binius adſcribit, pridie Kal. Maii In altero exemplo, deſcripto Sirmondi manu, notatur VI. Kalend. Maii In chronico autem Malleacenſi, VII. Kal. Maii Apud Rogerium Hoveden, tertia hebdomada poſt paſcha. Qui poſtremus cum quovis aliorum conſentit. Nam tres illi diverſi dies, in illam hebdomadem incidunt.

AD CONCILIUM ROMANUM

Anni 1099. ſub Urbano II.

ADDITIO.

Supp. Manſi to II p 454. Anno 1099.

Pagius in critica Baronii & ex eo collector Venetus Romani hujus concilii acta ex Eadmero Hiſtor. Novor. lib. 1. retulit; ſed cum Eadmeri verba ex integro referenda Pagius minime cenſuerit, ſatis habens brevi compendio, ſummam eorum quæ Eadmerus de concilio ſcripſit tradere, eadem ipſe pariter Venetus collector neglexit. Hæc ut ſupplerem res ipſa ſuaſit; neque enim mutilum relinquere concilium viſum eſt opportunum. Igitur poſt relatam Regineri Lucenſis epiſcopi ad patres concilii de S. Anſelmo orationem, apud eumdem collectorem legendam, hæc addit Eadmerus.

Ex Eadmero hiſt. nov. lib II. pag. 55.

Inter ultima vero Synodi, jam reciſis quæ recidenda, & ſtatutis quæ viſa fuerant conſtituenda, in adverſarios ſanctæ eccleſiæ excommunicationis ſententiam cum toto concilio papa interſit; quæ ſententia omnes quoque laicos, inveſtituras eccleſiarum dantes, & omnes eaſdem inveſtituras de manibus illorum accipientes, necnon omnes in officium ſic dati honoris hujuſmodi conſecrantes pari modo involvit. Eos nihilominus ſub ipſius anathematis vinculo colligavit, qui pro eccleſiaſticis honoribus laicorum hominum homines fiunt, dicens nimis execrabile videri, manus quæ in tantam eminentiam excreverint, ut quod nulli Angelorum conceſſum eſt, Deum cuncta creantem ſuo miniſterio creent, & eumdem ipſum pro redemptione & ſalute totius mundi ſummi Dei patris obtutibus offerant, in hanc ignominiam detrudi, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ die ac nocte obſcœnis contagiis inquinantur, rapinis ac iniuſtæ ſanguinum effuſioni addictæ commaculantur. His præſentes fuimus; hæc conſpeximus; his ab univerſis fiat, fiat acclamari audivimus; & in his conſummatum concilium ſcimus.

Hucusque de concilio Romano Bertholdus.

Hæc etiam faciunt geminæ, quas modo ſubdo S. Anſelmi literæ ex editione Operum ejuſdem Gerberoniana deſumptæ.

Domino Reverendo & Patri diligendo Paſchali ſummo Pontifici, Anſelmus ſervus eccleſiæ Cantuarienſis, debitam ſubjectionem, & orationum aſſiduitatem.

Ex S Anſel ep. I IV pag 428. ep. IV.

POſtquam revocatus ad epiſcopatum rediit in Angliam, oſtendi decreta apoſtolica, quæ in Romano concilio præſens audivi, ne ſcilicet aliquis de manu regis aut alicujus laici eccleſiarum inveſtituras acciperet, ut per hoc ejus homo fieret; nec aliquis hæc tranſgredientem conſecrare præſumeret. Quod audientes rex & principes ejus, ipſi etiam epiſcopi, & alii minoris ordinis, tam graviter acceperunt, ut aſſererent ſe nullo modo huic rei aſſenſum præbituros: & me de regno, potius quam hoc ſervarent, expulſuros, & a Romana eccleſia ſe diſceſſuros. Unde, Reverende pater, veſtrum petii per epiſtolam noſtram conſilium, quam miſi celſitudini veſtræ per Guillelmum regis legatum: ſed quoniam reſponſi veſtri literas non accepi, adhuc per legatos noſtros quos mitto cum chariſſimis fratribus & coepiſcopis noſtris, qui pro eadem re veſtram ſanctitatem adeunt, jam petitum iterum ſupplex per chartam ſublimitatis veſtræ certum peto conſilium. Oramus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut vos conſervet ad laudem & gloriam nominis ſui & utilitatem eccleſiæ ſuæ.

EJUSDEM AD EUMDEM.

ANNO CHRISTI 1099. Ex cod. lib. IV. ep. pag. 418. ep. VI.

QUanto ſtudio mens mea ſedis apoſtolicæ reverentiam & obedientiam pro ſua poſſibilitate amplectatur, teſtantur multæ & graviſſimæ tribulationes cordis mei ſoli Deo & mihi notæ, quas ab initio epiſcopatus mei per quatuor annos in Anglia, & per biennium in exilio paſſus ſum, quia ejuſdem ſedis ſubjectionem abnegare nolui. A qua intentione ſpero in Deo, quia nihil eſt quod me retrahere poſſit. Quapropter in quantum mihi poſſibile eſt omnes actus meos ejuſdem auctoritatis diſpoſitioni dirigendos, & ubi opus eſt corrigendos volo committere. Qualiter ego ſim ad præſens in Anglia breviter ſcribo; quia B latoribus præſentium plenius hoc viva voce ſignificandum dimitto: poſtquam revocatus a rege Angliæ, qui nunc eſt, ad epiſcopatum redii, offendi decreta apoſtolica quæ in Romano concilio præſens audivi, ne ſcilicet laicus inveſtituras eccleſiarum daret, neque aliquis de manu ejus acciperet, aut pro hoc homo ejus fieret, nec aliquis hæc præſumentem conſecraret, qui vero hæc tranſgrederetur, excommunicationi ſancti concilii ſubjaceret. Quod audientes rex & principes ejus, ipſi etiam epiſcopi quanta mala hinc proceſſura, quid potius ſe facturos, quam hæc decreta ſuſcepturos acclamaverunt, gravor dicere; dicant legati præſentes qui audierunt. Tandem in me converſi uno ſenſu pariter omnes C affirmaverunt: me poſſe extinguere omne malum, quod ex his decretis proceſſerit, aſſeverant; ſi precibus epiſcoporum meas vellem aſſociare, quatenus celſitudini veſtræ placeret prædictam ſententiam mitigare. Quod ſi facere recuſarem, omne malum, quod inde eveniret, mihi imputandum ſine ulla mea excuſatione judicarent. Ne igitur aliquid videar contemnere, aut meo ſolo ſenſu vel propria voluntate quicquam facere, nec illos audeo non audire, nec de veſtræ ſanctitatis diſpoſitione aliquatenus volo exire. Servata igitur apud me reverentia & obedientia ſedis apoſtolicæ, precor ut quantum dignitas veſtra ſecundum Deum permittit, petitioni prædictæ, quam vobis legati exponent, juxta ſapientiam veſtram D condeſcendatis; & quid me jubeatis in hac re facere, quidquid futurum ſit, per legatos præſentes certum me faciatis. Oramus omnipotentem Deum, ut paternitatem tuam diu incolumem in integra proſperitate ad eccleſiæ ſuæ robur & conſolationem conſervet.

Ex hoc ipſo Romano concilio data ſunt literæ Urbani pontificis ad Hugonem Lugdunenſem archiepiſcopum in cauſa Moliſmenſis abbatis, qui anno ſuperiori ad Ciſtercienſe eremum tranſierat, ubi & monaſterium condidit, quæ prima fuit Ciſtercienſis ordinis origo. Moliſmenſes abbate ſuo Roberto deſtituti illum repetierunt ab Urbano in concilio, a quo remiſſi ſunt ad Hugonem Lugdunenſem A. S. L. cum his literis.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri & coepiſcopo Hugoni apoſtolicæ ſedis vicario ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MOliſmenſium fratrum magnum in concilio clamorem accepimus, abbatis ſui reditum vehementius poſtulantium. Dicebant enim religionem in ſuo loco everſam, ſeque pro abbatis illius abſentia odio apud principes & cæteros vicinos haberi. Coacti tandem a fratribus noſtris dilectioni tuæ in præſentia ſcripta mandamus, ſignificantes gratum nobis exiſtere, ut ſi fieri poſſit abbas ille ab eremo ad monaſterium reducatur. Quod ſi implere nequiveris, curæ ſit tibi, ut & qui eremum diligunt conquieſcant, & qui in cœnobio ſunt, regularibus diſciplinis inſerviant. ANNO CHRSTI 1099.

Extant literæ iſtæ in opuſculo de origine Ciſtercienſis ordinis vulgato a Labbe Bibliot. MSS. to. I. pag. 640.

EPISTOLA CANONICA

EX EADEM SYNODO ROMANA.

Urbanus II. Papa reſcribit Piboni Tullenſi Epiſcopo & confirmat Synodali aſſenſu quæſtiones a Pibone propoſitas.

Urbanus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei dilecto fratri Piboni Tullenſi epiſcopo, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

SUper quæſtionibus, quas ad nos Adalbero veſtræ Eccleſiæ filius, detulit, hæc ad nos ſunt in ſynodali aſſenſu Concilii capitula per Dei gratiam confirmata. Ex cod Vatic. Reginæ 511. erunt Schannat ex quo Harthzeim Conc. Germ. to. 3. pag 114.

CAPUT I.

Epiſcopus omnia ſui Epiſcopatus membra, videlicet Archidiaconatus, Archipresbyteratus, decimas, vel aliquas Ptæpoſituras Eccleſiæ ſuæ canonicas gratis abſque omni venalitate diſtribuat: quiſquis autem ea pretio receperit depoſitioni ſubjaceat.

CAPUT II.

Eos qui a Subdiaconatu uxoribus vacaverint ab omni ſacro ordine removemus, officioque, atque beneficio Eccleſiæ carere decernimus; ſi vero Epiſcopi conſenſerint eorum pravitati a ſuis ſe noverint officiis interdictos.

CAPUT III.

Presbyterorum filios a Sacri altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in cœnobiis, aut in canonicis religioſe probati fuerint converſati, abſque præjudicio tamen capitulorum iſtorum eis, qui præbendas, aut ipſi ante hanc Sedis Apoſtolicæ interdictionem emerunt, aut emptas ſe neſcientibus poſſederunt, habendos eos permittimus, ſi eorum perſonæ tuo arbitratu viſæ fuerint promereri. Eis autem, qui fidem profeſſionis ſuæ irritam facientes, poſt ſubdiaconatus acceptionem vacare uxoribus præſumpſerint, & officium, & conjugium penitus interdicimus, eiſque, quoniam ſeipſos apoſtatando deſtruxerunt, & voluptatem corporis Domino prætulerunt omni vitæ ſuæ tempore, aut in cœnobiis, aut in canonicis regularibus pœnitentiam decernimus injungendam; Presbyterorum vero filios, qui ſecundum præcepti noſtri conditionem aut in cœnobiis, aut in canonicis religioſe probati fuerint converſati, quia Patrum peccata cum ſeculi poſſeſſionibus abdicarunt pro religionis, ac ſcientiæ prærogativa Apoſtolico moderamine tolerandos ducimus, & ad Sacros ordines, & ad honores Eccleſiaſticos permittimus provehendos.

CA-

ANNO CHRISTI 1099.

CAPUT IV.

Porro de Clericis, qui ab excommunicatis Epiſcopis ſunt ordinati, nec dum quidem ſententiam fiximus, quia generalis mali contagium generalis Synodi eſt cauterio comburendum, tuæ tamen fraternitati hoc reſpondemus ad præſens; ut ab excommunicatis quondam, tamen Catholicis Epiſcopis ordinatos, ſiquidem non ſimoniacæ ordines ipſos acceperunt, & ſi Epiſcopos ipſos non ſimoniacos fuiſſe conſtiterit, adhuc ſi eorum religioſior vita, & doctrinæ prærogativa viſa fuerit promereri pœnitentia indicta, quam congruam duxeris in ipſis quos acceperunt ordinibus, manere permittas; ad ſuperiores autem aſcendere non concedimus, niſi neceſſitas maxima flagitaverit Eccleſiæ, hoc tamen ipſum rarius, & cum cautela præcipua concedendum.

CAPUT V.

Epiſcopos ſive Clericos, quos Simoniacos eſſe conſtat, a ſacris officiis & beneficiis removendos omnino decernimus: in Eccleſiis vero, quæ ab hujuſmodi Simoniacis conſecratæ ſunt, non aliter quam in locis orandum videtur, donec ſubverſis altaribus benedictione & unctione Catholici Antiſtitis conſecrentur.

CAPUT VI.

ANNO CHRISTI 1099.

De his, qui ſine titulis ordinati ſunt, licet ejuſmodi ordinatio Sanctorum Canonum ſanctione irrita judicetur; utrum tamen aliqui in acceptis ordinibus ſint permittendi, diſcretioni tuæ pro præſenti Eccleſiæ neceſſitate committimus, ſi tamen alias ſine pravitate eos ordinatos fuiſſe conſtiterit.

CAPUT VII.

Bigamos, & viduarum maritos a Sacris ordinibus, ſecundum communem Eccleſiæ conſuetudinem, auctoritate noſtri officii, ſegregamus.

Hæc univerſa tanquam Apoſtolicæ ſedis præcepta Sanctorum conciliorum ſententiis conſonantia, religionis tuæ ſtrenuitas, & in Eccleſia ſibi commiſſa, Deo juvante, cuſtodiat, & coſtodiendâ aliis innoteſcat, nec ſenectutem tuam oblatrantium canum multitudo perterreat: *Major enim eſt, qui in nobis eſt, quam qui in illis*; ipſe ſiquidem firmans diſcipulos ſuos ait: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*; ipſe miſericordia ſua nos confirmet, & protegat, & ad cæleſtia regna perducat. Amen.

CONCILIUM AUDOMARENSE,

In baſilica B. Mariæ Audomarenſis celebratum prid. Id. Jul. MXCIX. de pace ſervanda.

Ex codice MS. Igniacenſi.

TITULI CANONUM.

I. *Ut eccleſiæ, earumque atria non infringantur.*
II. *Ut terra eccleſiarum non devaſtentur.*
III. *Ne clerici, monachi, fœminæ, eorumve ſocii, ſpolientur, aut capiantur.*
IV. *Nec peregrini & mercatores, niſi rebibitionem conſuetudinum retineant. Et ut res cæteræ tutæ ſint a veſpera quartæ feriæ ad auroram ſecundæ.*
V. *Ut domini civitatum & caſtellorum hanc pacem jurent.*

PRÆFATIO.

ANno Domini Chriſti MXCIX. pridie Idus Julii apud ſanctum Audomarum in baſilica beatæ Mariæ ſemper virginis dominæ noſtræ, petente domino Roberto juniore Flandrenſium comite cum primatibus ſuis, aſſtante quoque non parva multitudine cleri & populi, recitata & ſub excommunicatione reconfirmata eſt a domno Manaſſe venerabili Remenſium archiepiſcopo, & ſuffraganeis coepiſcopis ejus, domno videlicet Baldrico Noviomenſi, Lamberto Atrebatenſi, Manaſſe Cameracenſi, Joanne Morinenſi, hujus ſubſcriptæ pacis forma.

CANONES.

I. *Ut eccleſiæ, earumque atria non infringantur.*

Notum volumus fieri univerſis clericis & laicis Remenſis diœceſis, quod hujuſmodi pacem firmavit domnus Rainoldus Dei gratia Remorum archiepiſcopus, & omnes ſuffraganei epiſcopi ejus conſidentes ſecum in celebratione concilii habiti in eccleſia ſancti Medardi Sueſsionis. Quod nec eccleſia, nec atrium ei adjacens per violentiam ab aliquo infringatur, niſi facta fuerit ibi munitio unde rapinæ fiant, & pax conſtituta violetur. Quod ſi fieri acciderit, ille cui illata injuria fuerit, primum ad epiſcopum vel archidiaconum clamorem faciat. Si vero archiepiſcopus aut archidiaconus ad quos clamatum fuerit in his locis in quibus ſynodales congregantur, infra XV. dies inde juſtitiam non fecerit: extra pacem noſtram eccleſiam illam, & atrium illud decernimus.

II. *Ut terra eccleſiarum non devaſtentur.*

Hoc etiam conſtituimus, ut nullo tempore terræ eccleſiarum & cultores earum quæ ſunt in dominicaturis epiſcoporum, & abbatum, & clericorum, & monachorum, ab aliquo invadantur, neque devaſtentur.

III.

ANNO CHRISTI 1099.

III. *Ne clerici, monachi, feminæ, eorumve socii, ſpolientur, aut capiantur.*

Iterum conſtituimus, ut neque epiſcopi, neque abbates, neque clerici, neque monachi, neque feminæ, neque aliquis ambulans in ſocietate eorum ſine armis præter enſem, ſpolietur neque capiatur, niſi quod contra pacem eſt fecerit: aut quod inſidioſum eſt regno, portaverit. Quod ſi compertum fuerit in aliquo epiſcopo aut archidiacono præſentatus niſi ſe purget vindicetur.

IV. *Nec peregrini & mercatores, niſi redhibitionem conſuetudinariam retineant. Et ut res cæteræ tutæ ſint a veſperæ quartæ feriæ ad auroram ſecundæ ſequentis.*

Hoc iterum conſtituimus, ut neque peregrini, neque mercatores ullo tempore deprædentur, niſi comprobati fuerint redhibitionem conſuetudinariam retinuiſſe. A Quod ſi hoc feciſſe convicti fuerint, emendationem faciant domino patriæ, ſecundum conſuetudinem terræ illius, & non ab eis amplius exigatur. Hæc quæ ſupra retulimus, per omnes dies obſervari decernimus. Univerſaliter vero omnes alias res ſolutas & quietas ab omni rapina a veſpertina hora quartæ feriæ uſque ad ortum Solis feriæ ſecundæ ſequentis hebdomadæ eſſe præcipimus. ANNO CHRISTI 1099.

V. *Ut domini civitatum & caſtellorum hanc pacem jurent.*

B Hoc iterum ſtatuimus, ut omnes domini civitatum & caſtellorum & munitionum hanc conſtitutam pacem per ſacramentum, vel dexteræ dationem in manu epiſcopi ſui confirment. Qui autem confirmare noluerint, ab epiſcopo ſuo excommunicentur: ita ut in omni terra eorum nec omnino ullum divinum fiat officium, niſi baptiſterium infantis ad ſuccurrendum baptizandi.

AD CONCILIUM AUDOMARENSE

A Manaſſe Remenſi Archiepiſcopo anno 1099. celebratum.

ADDITIO.

Supp. Maſſ. to. II. p. 177. *Præter canones a Labbeo productos nonnulla pariter in hoc ipſo concilio ſancita docent literæ Manaſſis Remenſis archiepiſcopi ad Robertum comitem, quas literas ſuppeditat codex epiſtolarum Lamberti epiſcopi Atrebatenſis a Baluzio Miſcellan. V. pag. 319. vulgatus. Has vero integras ideo recipio, quod moderationem, ſeu explicationem aliquam canoni Audomarenſis ſynodi contineant.*

EPISTOLA MANASSIS REMENSIS

Archiepiſcopi ad Robertum comitem.

Ex Baluz. Miſcell. to. V. pag. 319. MAnaſſes Dei gratia Remorum archiepiſcopus, cariſſimo ſuo ſtrenuiſſimo comiti Roberto ſalutem, dilectionem, & benedictionis copiam.

Quam prompta, quamque benigna affectione nos in terra veſtra receperitis recolentes, magnas dilectioni veſtræ gratias referimus, parati ad quodcumque eſt amicitiæ utilitatibus veſtris pro poſſe noſtro operandum. Porro ſi amicitia de mutuis conſtet officiis, facile eſt, ut ex animo veſtro noſtrum metiamini. Cæterum cum de eccleſiaſticis utilitatibus & negotiis apud ſanctum Audomarum nobiſcum una cum coepiſcopis noſtris C ſermonem habuiſſemus, de conjugatis presbyteris, & cæteris eccleſiaſticis ordinibus mentionem feciſſe nos meminimus, abſque conſenſu conſilioque eorumdem coepiſcoporum noſtrorum conjuges eorum, niſi ab hujuſmodi conſortio declinarent, vobis cæteriſque principibus veſtris capiendas poſt factam excommunicationem exponentes. Igitur cum clericis noſtris inito conſilio conquerentibus adverſum nos nihil juris canonice eis præſidentibus abſque aſſenſu eorum parrochiis eorum habere recognoſcentes, maturius vobis ſcribendum neceſſarium duximus, mandantes ſimul & commonentes, ne presbyteros, cæteroſque ſacri ordinis miniſtros hac de cauſa inquietare, vel eorum conjuges perſequi attentetis, vel ab aliquo principe veſtro injuriari permittatis, niſi forte epiſcopus, in cujus parochia eſſe dignoſcitur, in auxilium vos ſibi adſciverit. Nolumus enim, neque juſtum eſt, ut in aliquo coepiſcopis noſtris habeamur injurii, ne ſi quid durius juſto præceperimus, in occaſionem rapinæ & utilitatem eccleſiaſtici ordinis proveniat. Decrevimus enim ut in ſynodis ſuis epiſcopi ipſos acerrime ſuper hoc conveniant, & niſi admonitione facta ab hoc pravo opere deſtiterint, tunc demum ſibi vos adjutores & ultores adſciſcant. Valete.

CON-

ANNO CHRISTI 1099.

CONCILIUM INCERTI LOCI IN GALLIA

In cauſa Rabodi Noviomenſis epiſcopi de ſimonia accuſati, ab Hugone Lugdunenſi A. S. L. circa annum 1099. celebratum.

Ibid. p. 176. Anno 1099. circiter.

INter annum 1095. quo Rabodus Noviomenſi eccleſiæ adhuc præerat, & annum 1099. quo Baldricus Rabodo jam ſucceſſerat, habitum eſt ab Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo A. S. L. concilium quoddam incerti loci, cui Rabodus Tornacenſis ſunul & Noviomenſis epiſcopus ſeſe ſiſtens ab accuſatione ſimoniæ, de qua reus poſtulatus erat coram ſummo pontifice, purgare ſe juſſus eſt. Totam hiſtoriam narrat Hetimannus in narratione de reſtauratione S. Mariæ Tornacenſis apud Dacherium Spicileg. tom. II. pag. 911. his verbis: *Hic tantæ probitatis epiſcopus apud Romanam ſedem cœpit accuſari, quod per pecuniam regi datam adeptus fuiſſet epiſcopatum; unde cum multoties apud papam pulſaretur, nonnulla ornamenta Tornacenſis eccleſiæ pro ſui redemptione vendita ſuis adjutoribus dedit, nonnullos redditus altaris ſancti Salvatoris de Brugis vendidit canonicis S. Donatiani, nonnullos vero alios redditus tum altariorum cæterorum quam terrarum epiſcopi diſtraxit. Cum vero judicatum fuiſſet, ut cum duobus epiſcopis ſe de ſimonia purgaret, magiſter Anſelmus, tunc temporis Laudunenſis ſcholæ doctor præcipuus, & per totam Franciam pro ſua ſcientia famoſiſſimus, auxilium epiſcoporum ei conſilio ſuo abſtulit, conſcius eos ſecure non poſſe jurare eum innocentem fore. Ubi vero ei multis intervenientibus conceſſum eſt, ut ſola manu ſe purgaret: Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus videns eum velle jurare, ſurgens coram omnibus: Quid facis, inquit, infelix, qui male jurando animam tuam interficere quæris? deſine ab hoc juramento, & non impetrabimus, ut modo non deponaris, ſed per biennium dilationem habens, poſtea pontificatum ſponte, quaſi religionis vel ſenectutis cauſa, honeſte dimittas: ſi enim juraveris, ecce tibi prædico, quod de hoc anno cum honore non exibis. Epiſcopus, ſicut cœperat, manum ſuper textum evangelicum poſuit, & ſe innocentem de ſimonia jurans, ſecurus de concilio exivit, & Tornacum rediit. Poſt paucos dies Brugis abiit, & pro infirmitate ſua minui ſanguine volens, dum medicus expectatur, ipſe pro corporea neceſſitate interiora cubiculi ingreditur, ubi cum diutius moraretur, unus ex miniſtris eum ſequutus, videt eum coram ſede reſupinum cecidiſſe, & cum nimio exclamat dolore: protinus omnes introgreſſi inveniunt eum paralyſi diſſolutum, membrorum ſimul & linguæ officium perdidiſſe: inter manus levatum ad lectum deferunt, & poſt paucos dies devatum ad lectum deferunt, & poſt paucos dies deficit morientem. Eo itaque Tornacum deportato, & in eccleſia ſanctæ Mariæ ſepulto, ſuccedit ei in epiſcopatu dominus Baldericus Noviomenſis archidiaconus.*

CONCILIUM AD PORTUM ANSILLÆ

Quo Robertus Ciſtercienſium abbas primus monachis Moliſmenſibus reſtituitur, ab Hugone Lugdunenſi A. S. L. anno circiter 1099. habitum.

Ibid. p. 177. Anno 1099.

URbanus II. in concilio Romano anni, ut arbitror 1099. rogatus a Moliſmenſibus monachis, qui reſtitui ſibi Robertum olim monaſterii ſui abbatem, dein novi ordinis Ciſtercienſis inſtitutorem primum poſcebant, totam eam rem commiſerat Hugoni Lugdunenſi archiepiſcopo A. S. L. Ille coacto apud portum Anſillæ frequenti epiſcoporum concilio rem totam expedit, idque totum negotium a ſe confectum per literas Roberto Lingonienſi epiſcopo datas expoſuit. Extant illæ in opuſculo anonymo de origine Ciſtercienſis ordinis apud Labbe Biblioth. MSS. to. I. pag. 642 ex quo dandas hic arbitror, cum res concilii hujus exponant.

Hugo Lugdunenſis eccleſiæ ſervus, charitſimo fratri Roberto Lingonienſium epiſcopo, ſalutem.

Quid de negotio Moliſmenſis eccleſiæ in alloquio apud portum Anſillæ nuper habito definierimus, fraternitati veſtræ notificare neceſſarium duximus. Venerunt ante nos illuc cum literis veſtris Moliſmenſes monachi loci ſui detolationem, atque deſtructionem, quam per remotionem Roberti abbatis incurrerant, offendentes, ipſumque ſibi reddi in patrem magnopere poſtulantes. Nullo modo enim aliter ſperabant pacem & quietem Moliſmenſi eccleſiæ poſſe reſtitui, vel monaſtici ordinis vigorem in priſtinum ſtatum illic revocare. Adfuit etiam ibi in præſentia noſtra frater Gaufridus, quem eidem eccleſiæ in abbatem ordinaviſtis, dicens, ſe libenter ipſi Roberto, velut patri ſuo locum daturum, ſi nobis placeret ut eum Moliſmenſi eccleſiæ remitteremus. Audita igitur veſtra & ipſorum Moliſmenſium petitione, relectis etiam Domini papæ literis, ſuper hoc negotio nobis directis, totum diſpoſitioni & arbitrio noſtro committentis, tandem multorum virorum religioſorum, tam epiſcoporum, quam aliorum, qui nobiſcum aderant concilio (conſilio) precibus veſtris & eorum acquieſcentes, Moliſmenſi eccleſiæ ipſum reſtituere decrevimus, ita videlicet ut priuſquam illuc redeat, Cabilonem veniens in manu fratris noſtri Cabilonenſis epiſcopi, cui ſecundum conſuetudinem cæterorum abbatum profeſſionem fecit, vitgam, & curam abbatiæ reddat, atque monachos novi monaſterii, qui ei ſicut ſuo abbati profeſſionem fecerant, & obedientiam promiſerant, ab ipſa profeſſione & obedientia liberos & abſolutos dimittat, ac ſic ab ipſo epiſcopo profeſſionis, quam ei & Cabilonenſi eccleſiæ fecit, abſolutionem accipiat. Dedimus etiam licentiam cum eo redeundi Maliſmum omnibus illis de fratribus Novi monaſterii, qui eum ſecuti fuerint, quando a Novo monaſterio deceſſerit, tali conditione, ut de cætero neutros ſollicitare vel recipere præſumat, niſi ſecundum quod beatus Benedictus monachos Novi monaſterii præcipit recipiendos. Poſtquam hanc ſupradictæ fecerit, remittimus eum directioni veſtræ, ut Moliſmenſi eccleſiæ illum in ab-

abbatem reſtituatis; ita tamen ut ſi deinceps eamdem eccleſiam ſolita levitate deſeruerit, nullus ei ſubſtituatur, vivente Gaufrido abbate, abſque veſtro, & noſtro, ejuſdemque Gaufridi aſſenſu. Quæ omnia apoſtolica auctoritate rata eſſe præcipimus. De capella prædicti abbatis Roberti, & de cæteris rebus, quas a Moliſmenſi eccleſia recedens ſecum & cum eis Cabilonenſi epiſcopo atque Novo Monaſterio ſe reddidit, id ſtatuimus, ut omnia fratribus Novi monaſterii ſalva permaneant, præter Breviarium quoddam, quoad uſque feſtivitatem S. Johannis Baptiſtæ retineant, ut tranſcribant aſſenſu Moliſmenſium. ANNO CHRISTI 1099.

ANNO CHRISTI 1099.

Poſt has literas, addit ſcriptor anonymus opuſculi de origine Ciſtercienſium, ex quo illas dedimus: Huic definitioni interfuerunt epiſcopi Norrgaudius Eduenſis, Galterius Cabilonenſis, Beraudus Maticenſis, (Matiſcenſis) Pontius Belicenſis, & abbates Petrus Ternocienſis, Jacento Divionenſis, Guacerannus Athanacenſis, Petrus quoque domini papæ camerarius, multique alii viri honeſti, & boni teſtimonii &c.

AD RUPEM SCISSAM CONCILIUM

Pro ſedando diſſidio inter Ciſtercienſes & Moliſmenſes anno 1099, habitum.

Ib d. p. 170. Anno 1099.

RObertus Moliſmenſis monachus arctioris vitæ deſiderio motus, ſeceſſione a monaſterio ſuo facta, una cum aliis nonnullis locum ſibi delegit in diœceſi Cabilonenſi, Ciſtercium appellatum, ubi & monaſterium erexit, & ordinis Ciſtercienſis fundamenta poſuit. Moliſmenſibus accidit id permoleſtum; quare monachum ſuum ab Urbano papa repetierunt, & pontifex eorum querelam detulit ad Hugonem Lugdunenſem archiepiſcopum A. S. L. quem mandatis oneravit, ut Moliſmenſibus ſatisfaceret. Ejus rei gratia coactum eſt concilium ad Rupem ſciſſam, in quo decreta reſtitutio Roberti ita tamen ut antea a Gualtero Cabilonenſi epiſcopo, cui in conſecratione abbatiali obedientiam juraverat abſolveretur, reſignaretque illi virgam & jus. Ita res compoſitæ, datæque ſunt a Gualtero ea de re literæ, quas ſtatim ſubdo ex parvo exordio Ciſtercienſis monaſterii, additis ex eodem opuſculo aliis literis ejuſdem epiſcopi ad Paſchalem, in quibus de jure in eodem concilio collato Ciſtercienſibus idem pontifex certior fit.

An vero concilium iſtud idem omnino ſit cum præcedenti ad portum Anſiliæ ea de cauſa ab Hugone Lugdunenſi habitum, ignoro. Quantum tamen ex ſequentibus literis conjicio, hoc ad Rupem ſciſſam concilium poſterius eſt illo, quod ad portum Anſiliæ convenit; hoc enim pro Roberto a Novo monaſterio avellendo & Moliſmenſibus reſtituendo habitum eſt; illud vero jam deſtitutis abbate ſuo Novi monaſterii monachis, ne diſperderentur, providit.

Dilectiſſimo fratri, & coepiſcopo Roberto Lingon. epiſcopo Gualterus Cabilonenſis eccleſiæ ſervus ſalutem.

Notum ſit vobis fratrem Robertum, cui abbatiam illam in noſtro epiſcopatu ſitam, quæ Novum monaſterium dicitur, commiſeramus a profeſſione, quam Cabilonenſi eccleſiæ fecit, & ab obedientia, quam nobis promiſit, ſecundum Domini archiepiſcopi Hugonis definitionem, a nobis eſſe abſolutum. Ipſe autem monachos illos, qui in præfato Novo monaſterio remanere decreverunt, ab obedientia, quam ſibi promiſerant, & profeſſione abſolvit, & liberos dimiſit. Illum igitur amodo ſuſcipere, & honorifice tractare ne vereamini. Valete.

IDEM PASCHALI PAPÆ.

VEnerabili patri papæ Paſchali Gualterus eccleſiæ Cabilon. ſervus ſalutem, & debitam ſubjectionem.

Sicut ſanctitas veſtra ut fideles in vera religione proficiant, ardenter deſiderat, ſic eiſdem veſtræque conſolationis fomentum deeſſe non expedit. Suppliciter ergo petimus, quatenus quod factum eſt de fratribus illis, qui arctioris vitæ deſiderio a Moliſmenſi eccleſia ſanctorum virorum conſilio receſſerunt, quos in noſtro epiſcopatu divina pietas collocavit, a quibus tranſmiſſi præſentium literarum bajuli vobis præſentes adſunt, ſecundum prædeceſſoris veſtri præceptum, & Lugdunenſis archiepiſcopi apoſtolicæ ſedis tunc legati, & coepiſcoporum & abbatum definitionem, & ſcriptum, cui rei & nos præſentes, & ejus auctores cum aliis extitimus, vos approbare, & ut locus ille abbatia libera in perpetuum permaneat (ſalva tamen noſtræ perſonæ, ſucceſſorumque noſtrorum canonica reverentia) auctoritatis veſtræ privilegio corroborare dignemini. Sed & abbas quem in eo loco ordinavimus, & cæteri fratres totis viribus hanc confirmationem in ſuæ quietis tutelam a veſtra flagitant pietate.

CONCILIUM HIEROSOLYMITANUM,

Quo Theobertus Piſanus archiepiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus eligitur in patriarcham Hieroſolymitanum, anno Domini MXCIX. tempore Urbani papæ II.

HAc ſynodo pulſum eſſe Arnulfum hominem nefarium, & ſedis Hieroſolymitanæ invaſorem, eique conſenſu principum, omniumque qui aderant epiſcoporum auctoritate, ſubrogatum eſſe Theobertum Piſanum archiepiſcopum & ſedis apoſtolicæ legatum, teſtatur Wilielmus Tyrius lib. 8. c. 11. Idem lib. 9. c. 1. 18. & 19.

VITA ET EPISTOLÆ PASCHALIS PAPÆ II.

Paſchalis quando pontifex creatus?

PAſchalis in Tuſcia, patre Creſcentio & matre Alſatia natus, antea Rainerius appellatus, ex abbate monaſterii ſanctorum Stephani & Laurentii, conſilio & hortatu prædeceſſoris ſui Urbani, communi totius cleri populique applauſu, invitus pontificatum adeptus eſt anno Domini MXCIX. ipſis Idibus Auguſti, Henrico quarto & quinto imperatoribus. Sedit, prout alicui religioſo in ſchedula partim pura partim ſcabroſa, auctore Dodechino, revelatum erat, annos octodecim, menſes quinque, & dies novem. Sub Hugone abbate Cluniacenſis monaſterii vitam monaſticam excoluit, & a Gregorio VII. cardinalis presbyter tituli ſancti Clementis creatus fuit. Initio pontificatus, obiit Romæ in arce ſancti Angeli Guibertus antipapa, Clemens tertius nominatus: qui per annos viginti & unum pernicioſiſſimo ſchiſmate eccleſiam ſibi tribus pontificibus anteceſſoribus inquietarat. Sepultus eſt Ravennæ, ubi poſt quinque annos cadaver illius exhumatum, in cineres redactum fuit auctoritate concilii Moguntini: quo decretum fuerat, ut epiſcopi Henricianæ hæreſeos propugnatores ſedibus ſuis deponerentur, ſi viverent; ſepulcris extraherentur & concremarentur, ſi mortui eſſent. Defuncto pſeudopontifici Clementi tertio contra Paſchalem a ſchiſmaticis cardinalibus brevi tempore tres antipapæ & pſeudopontifices, Albertus Atellanus, Theodoricus Romanus, & Silveſter quartus, ſedi apoſtolicæ ſucceſſive obtruduntur. Primum, dum ad Urbem vexandam incaute accederet, milites Paſchalis interceperunt, & poſt quatuor menſes ſedis ſuæ pontificatu abdicatum, in monaſterium ſancti Laurentii relegarunt. Secundus per Campaniam incautius vagans a præſidio pontificio captus, ſchiſma Guibertinum abjuravit: ingreſſuſque monaſterium ſanctæ Trinitatis, vitam ibidem ſolitariam peregit, dum ſedem apoſtolicam tribus menſibus violenter & tyrannice invaſiſſet. Tertium omnibus bonis exutum, ideoque magno animi dolore languentem, citiſſime ſuſtulit e medio Deus optimus, atque ita dein ſanctam eccleſiam diuturno ſchiſmate turbatam, pace & concordia donavit. Philippum Francorum regem, pellicem ſubintroductam dimittere nolentem, concilii Pictavenſis decreto excommunicari mandavit: eoque modo ad pœnitentiam eumdem abſolutionemque petendam induxit. Eccleſiarum inveſtituras a regibus diverſorum regnorum in Anglia, Francia, & Germania uſurpatas, per ſanctum Anſelmum, triennali exilio propterea relegatum, Ivonem, alioſque ſtrenuos eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis defenſores, & contra utrumque Henricum IV. & V. patrem & filium ſacrilegii heredem, uſque ad ſui incarcerationem acerrime propugnavit. Nam Henricum imperatorem tertium, & quartum ejus nominis Germaniæ regem patrem, propter ſimoniacam labem aliaque crimina, de quibus infra in concilio Lateranenſi, excommunicavit, regni & imperii inſignibus & ornamentis privavit. Subrogatus eſt patri communi procerum conſenſu filius Henricus, ejus nominis rex Germaniæ quintus, Romano pontifici & eccleſiæ Dei æque infeſtus.

Guiberto ſchiſmatico papæ tres alii per ordinem ſubrogantur.

Henricus IV. rex Germaniæ & imperator III regno & imperio privatur.

Nam cum juſto Dei judicio patrem excommunicatum apud Bingam cepiſſet, in carcerem detruſiſſet, & ad reſignandum imperium omniaque ejuſdem ornamenta eumdem induxiſſet, atque inde Coloniam, Coloniaque obſeſſa Leodium, ubi poſt ſcriptas literas de injuria ſibi illata, & appellationem ad ſedem apoſtolicam interpoſitam, repentina morte obiit, fugaſſet, ac denique hortatu papæ, defuncti & excommunicati cadaver exhumatum quinque annis inſepultum reliquiſſet: anno Domini MCX. Romam petiit, tum ut a Paſchali imperatoriam coronam more majorum acciperet, tum etiam ut jura ſua, quæ in concilio Trecenſi imminuta conquerebatur, vindicaret. Cumque Sutrium perveniſſet (inquit Joannes Tuſculanus hujus temporis epiſcopus in epiſtola ad Richardum Albanum pontificem, quæ extat apud Papirium Maſſonum) legatos quoſdam Romam direxit, qui jerejurando firmaverunt domni papæ Paſchalis legatos ſecure ducere, ac reducere, & regem ipſum ſacramento firmare, omnem eccleſiarum inveſtituram penitus abdicare, obſides etiam dare, ne ad hoc flagitium iterum rediret, & res eccleſiaſticas & regalia ac B. Petri patrimonia libera & quieta omnino dimittere, obſides etiam dare pro ſecuritate, cum ad coronandum eum ad B. Petri baſilicam exiret. Poſtea ex parte eccleſiæ a laicis viris firmatum eſt, ſi iſta quæ promiſſa ſunt jam dictus rex obſervaret, quod domnus noſter eum benigne ſuſciperet, & ei diadema regni imponeret, & coronatus, ſi vellet, urbem intraret. Pro tranſitu etiam pontis obſides accepit, pro quibus ſacramentum exhibuit, quod in ipſo die dominico, ſi pontem tranſiret, eos in liberam noſtrorum reſtitueret poteſtatem. His igitur omnibus ſacramentis ex parte peractis, & obſidibus datis, cum ad coronandum eum ad eccleſiam B. Petri papa exiret, poſt poſitis ſacramentis & obſidibus, eum in ipſa eccleſia cum epiſcopis & cardinalibus & multis Romanis violenter cepit, & in captione arctiſſima detinet. Romani vero poſt alteram diem collecti, in hoſtes eccleſiæ impetum facientes, de porticu fugere compulerunt, interfectis multis de ſuis, & perditis equis, tentoriis, pecuniis, & infinita ſupellectile. Poſt hæc omnes unanimes contra eum juraverunt uno animo, una voluntate pugnare. Recentiores ſcribunt, neſcio quo auctore, tum demum perfidiam illam imperatorem peregiſſe, quando pontifex electionem eorum epiſcoporum, quos ante imperator elegerat, rogatus confirmare nollet. Abbati Urſpergenſi ejuſque ſectatoribus ſcriptoribus quanta fides in his ſenarrandis adhiberi debeat, ſupra enarravi. Papa aliquamdiu capto, inquit Viterbienſis, & detento, imperator a civibus revocatur, & epiſcoporum inveſtituras, id eſt, annulum & baculum a papa recipiens, ipſum papam & cives Romanos muneribus reconciliare curavit: & a papa coronatus, favorem & nomen imperiale ſortitur anno ab incarnatione Domini centeſimo undecimo, anno vero regni ejus, ex quo pater regalia ſibi reſignaverat, ſexto. Sigebertus fautor ſchiſmaticorum imperatorum addit, quod in celebratione miſ-

Henricus V. eidem ſubrogatur.

Henricus rex V. Pp. capit.

Coronam imperii & inveſituras per vim ab eo extorquet.

miſſæ pontifex imperatori ad pacem confirmandam corpus Domini tradiderit, eique iſta dixerit: Domine imperator, hoc corpus Domini natum ex Maria virg. paſſum in cruce pro nobis, ſicut ſancta & apoſtolica tenet eccleſia, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te. *Hæc Sigebertus.*

Paſchalis privilegium de inveſtituris imperatori conceſſum annullat. Obitus papæ.

His ita tranſactis imperator voti compos factus rediit in Germaniam: Paſchalis vero ſynodo epiſcoporum poſtea apud Lateranum celebrata, privilegium de inveſtituris conferendis ſupra recenſitum, ab imperatore minis & terroribus extortum, tamquam privilegium (verba Godefridi Viterbienſis ſunt) improbavit. Epiſtola, quam ex ſynodo tranſmiſit ad imperatorem Paſchalis, extat apud Dodechinum in appendice Mariani Scoti, eamque infra cuſam cum pluribus hac de re aliis invenies. Super impedimento conſanguinitatis in matrimonio quod contractum eſt inter Boleslaum Poloniæ ducem, & filiam Ruſſiæ regis nomine Sbislavam, in quarto conſanguinitatis gradu eidem conjunctam, diſpenſavit.

Obiit Paſchalis papa anno Domini 1118. xv. Kalendas Februarii, cum ſediſſet annos 18. menſes quinque, & dies quatuor: ſepultus eſt in baſilica Lateranenſi.

EPISTOLA I.

PASCHALIS PAPÆ II.

Ad exercitum in Palæſtina militantem.

Gratulatur ei de victoria obtenta, & ſimul ad progrediendum hortatur.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, ſive filiis, epiſcopis, clericis, proceribus, militibus, & omni populo militiæ Chriſtianæ in Aſia triumphantis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUod per prophetam populo ſuo Dominus pollicetur, impletum in vobis cognoſcimus. *Inhabitabo*, inquit, *in eis, & inambulabo cum eis*, quia per fidem in veſtris pectoribus habitat, & per operationem ita inambulat, ut patenter in vobis inimicos ſuos expugnaſſe videatur. Renovavit enim Dominus antiqua miracula, ut in uno mille, & in duobus decem millia perſequeretur, & his eccleſiæ armis, ſacerdotalium precum tubis, inimicarum urbium mœnia aperiret. Illud vero quanti gaudii, quam potentis miraculi æſtimatis, quod ſacroſancti lateris ſanguine cruentam lanceam, & vivificæ crucis partem veſtris oculis revelavit, veſtris tractandam manibus obtulit? Quantas ſuper his redemptori noſtro gratias debeamus, nec humanus animus opinatur, nec lingua prævalet enarrare. Videmus enim Chriſtianæ fidei hoſtes, Chriſtiani populi oppreſſores, per divinam miſericordiam manu veſtra partim contritos, partim e diu poſſeſſis regionibus effugatos: videmus orientalem eccleſiam poſt longa captivitatis tempora, magna ex parte ad antiquam libertatis gloriam rediiſſe. Dicendum igitur ore, dicendum corde: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Orationi etiam & vigiliis inſiſtendum: ut quod cœpit adimpleat, & manus veſtras, quas hoſtium ſuorum ſanguine conſecravit, immaculatas uſque ad finem, affluentes firma pietate, cuſtodiat.

1. Cor. 6.

Luc. 2.

Quapropter agite, filii in Chriſto deſideratiſſimi, rememoramini quanta pro amore Domini reliqueritis, quanta pro fratrum ſalute & ereptione pericula ſubieritis: patriam, domos, parentes poſthabuiſtis, voſmetipſos exilio addixiſtis, morti oppoſuiſtis: curate nunc ad meliora ſemper tendere: pacem cum omnibus conſervate, ut poſſitis ad æternam pacem, Domini miſericordia pervenire. Plurima vobis ſignificare per chartam & atramentum ſuperſedemus, quoniam ex apoſtolicæ ſedis gremio cariſſimum fratrem Mauritium Portuenſem epiſcopum deſtinamus: ut qui per beati Petri vicarium, ſanctæ in Chriſto memoriæ prædeceſſorem noſtrum Urbanum, tanti peregrinationem itineris aſſumpſiſtis, beati Petri ſolatiis ſemper abundetis: & quem fundamentum tanti operis habuiſtis, ipſum quoque ad finem caput in fide & obedientia tenentis. Vices etiam noſtras eidem fratri Mauritio & epiſcopo commiſimus, ut eum in omnibus reverenter excipere, audire, & per ipſum nobis, immo beato Petro, obſequi debeatis. Cui nimirum in præceptis dedimus, ut eccleſiæ, quam per vos Dominus liberavit, ſed liberaturus eſt, ordinationi vigilanter immineat; quæ ſi minus canonicis regulis apta repererit, corrigat; & in eiſdem cum veſtro auxilio plantanda plantet, ædificanda ædificet. Hortamur itaque, hortanteſque præcipimus, ut ei tamquam perſonam noſtram præferenti, in omnibus obedire curetis. Omnipotens Dominus & velle & poſſe in vobis tribuat, ut quæ eo auctore facienda cognoſcitis, ipſo adjuvante impleatis. Ipſe vos ab omnibus peccatis abſolvat, & exilio veſtro patriam æternam tribuat. Datum Romæ quarto Nonas Maii, Indictionis octavæ, per manum Joannis diaconi.

II. AD ALBERICUM ABBATEM NOVI monaſterii Cabilonenſis.

De privilegio ibi conceſſo.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili filio Alberico, novi monaſterii abbati, quod in Cabilonenſi parochia ſitum eſt, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

DEſiderium quod ad religioſum propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur, auctore Deo, ſine aliqua dilatione eſt complendum. Unde nos, o filii in Domino dilectiſſimi, citra difficultatem omnem veſtrarum precum petitionem admittimus, quia religioni veſtræ paterno congratulamur affectu. Locum igitur illum, quem inhabitandum pro quiete monaſtica elegiſtis, ab omnium mortalium moleſtiis tutum ac liberum fore ſancimus, & abbatiam illic perpetuo haberi, ac ſub apoſtolicæ ſedis tutela ſpecialiter protegi, quamdiu vos ac ſucceſſores veſtri in ea quam hodie obſervatis diſciplinæ ac frugalitatis obſervantia permanſeritis: ſalva Cabilonenſis eccleſiæ canonica reverentia. Præſentis itaque decreti pagina interdicimus, ne cuiquam omnino perſonæ liceat ſtatum veſtræ converſationis immutare: neque veſtri, quod Novum dicitur, cœnobii monachos ſine regulari commendatione ſuſcipere, neque congregationem veſtram aſſutiis quibuslibet aut violentiis perturbare. Eam ſane controverſiæ deciſionem, quam inter vos & Moliſmenſis eccleſiæ monachos frater noſter Lugdunenſis epiſcopus, tunc apoſtolicæ ſedis vicarius, cum provinciæ ſuæ epiſcopis, aliiſque religioſis viris, ex præcepto prædeceſſoris noſtri apoſtolicæ memoriæ Urbani ſecundi perpetravit, nos tamquam

quam rationabilem ac laudabilem confirmamus. Vos igitur, filii in Chriſto dilectiſſimi ac deſideratiſſimi, meminiſſe debetis, quia pars veſtri ſæculares latitudines, pars ipſa etiam monaſterii laxioris minus auſteras anguſtias reliquiſtis. Ut ergo hac ſemper gratia digniores cenſeamini, Dei ſemper timorem & amorem in veſtris cordibus habere ſatagite, ut quanto a ſæcularibus tumultibus liberiores eſtis & deliciis, tanto amplius placere Deo totius mentis & animæ virtutibus anheletis. Sane ſi quis in craſtinum archiepiſcopus aut epiſcopus, imperator aut rex, comes aut vicecomes, judex aut eccleſiaſtica quævis ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non B ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Hæc ſunt deinceps totidem verbis in privilegio Urbani II. pro eccleſia Arelatenſi. Mard.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Datum Trojæ per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, quartodecimo Kalendas Maii, Indictione octava, incarnationis C dominicæ anno milleſimo centeſimo, pontificatus autem domini Paſchalis ſecundi papæ * ſecundo.

* primo.

III. AD ANSELMUM CANTUARIENSEM.

Inveſtituras regibus aliiſque laicis magiſtratibus non eſſe concedendas.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Anſelmo Cantuarienſi venerabili fratri & coepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

* Emendatior ex Baluzii Miſcell. tom. 7.

* SUaviſſimas dilectionis tuæ ſuſcepimus literas, caritatis calamo ſcriptas. Neque enim aliud chartæ calamus indidit, quam quod de fonte caritatis intinxit. In his reverentiam devotionis tuæ complectimur, & perpendentes fidei tuæ robur, & piæ ſolicitudinis inſtantiam, exultamus quia, gratia Dei tibi præſtante auxilium, te nec minæ concutiunt, nec promiſſa ſuſtollunt. Dolemus autem, quia cum fratres noſtros epiſcopos legatos regis Anglorum benigne ſuſcepiſſemus, quæ nec diximus eis, nec cogitavimus, redeuntes ad propria retulerunt. Audivimus enim eos dixiſſe, quia ſi rex in aliis bene ageret, nos inveſtituras eccleſiarum nec prohibere, nec factas excommunicare: & quod ideo nolebamus chartæ committere, ne ſub hac occaſione & cæteri principes in nos inclamarent. Unde Jeſum, qui renes & corda ſcrutatur, in animam noſtram teſtem inducimus, ſi, ex quo hujus ſanctæ ſedis curam cœpimus gerere, hoc immane ſcelus vel deſcendit in mentem. Et hoc a nobis Deus avertat, ut eſt, & non ſubrependo nos inficiat, ut aliud habeamus ore promptum, & aliud corde reconditum: cum contra mendaces per prophetam imprecetur, dicens: *Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa.* Si vero noſtro ſilentio pateremur eccleſiam felle amaritudinis, & impietatis radice pollui: qua ratione poſſemus apud æternum judicem excuſari, cum Dominus ſub ſpecie ſacerdotis dicat prophetæ: *Speculatorem dedi te*

Pſalm. 11.

Ezech. 3.

domui Iſrael? Non bene cuſtodit urbem, qui in ſpelunca poſitus, dum non obſiſtit, eam hoſtibus diripiendam exponit. Si ergo virgam paſtoralitatis ſignum, ſi annulum fidei ſignaculum tradit laica manus, quid in eccleſia pontifices agunt? Eccleſiæ honor atteritur, ſolvitur diſciplinæ vigor, & omnis religio Chriſtiana conculcatur: ſi quod novimus ſacerdotibus ſolis deberi, laica patiamur temeritate præſumi. Non eſt laicorum eccleſiam tradere; nec filiorum matrem adulterio maculare. Jure ergo privandus eſt patrimonio, qui matrem polluit adulterio: nec meretur eccleſiaſticæ benedictionis conſortium, qui eam impia infeſtatione inſequitur. Laicorum enim eſt eccleſiam tueri, non tradere. Ozias quidem cum illicitum ſibi ſacerdotium vendicaret, lepra percuſſus eſt. Filii quoque Aaron, quia ignem alienum impoſuerunt, igne divino conſumpti ſunt. Alienum enim eſt ab eccleſia, & a ſacris canonibus eſt inhibitum, ne principes & ſæculares viri inveſtituras non ſolum non dare, ſed nec electioni epiſcoporum audeant ſe violenter inſerere. In * ſeptima quippe ſynodo, ut noſtis, ſcriptum eſt: *Sancta & univerſalis ſynodus definivit, neminem laicorum principum, vel potentum ſemet ingerere electioni, vel promotioni epiſcoporum.* Si ergo filii Aaron, quia ignem alienum intulerunt, corporaliter puniti ſunt: iſti qui a laicis, a quibus alienum eſt, eccleſiam ſuſceperunt, ſpirituali gladio feriuntur.

2. Par. 26.

Levit. 10.

* al. octava

Epiſcopos autem, qui veritatem in mendacio provocarunt, ipſa veritate quæ Deus eſt in medium introducta, a beati Petri gratia, & noſtra ſocietate excludimus, donec Romanæ eccleſiæ ſatisfaciant, & reatus ſui pondus agnoſcant. Quicumque vero intra prædictas inducias, inveſtituras ſeu conſecrationem acceperunt, a conſortio fratrum, & ordinatos, & ordinatores alienos habemus: nec eis ad excuſationem deceptio ſufficit, quia & propheta ab alio propheta deceptus, nec ideo mortem evaſit. Rogamus interea caritatem tuam, nos tuis ſanctis precibus commendare ut quanto propius ad Deum paſſibus virtutum acceleras, nobis orationum tuarum manus extendas. Omnipotens Deus, qui te hujus ſtadii D invitavit ad curſum, felici conſummatione perducat ad præmium.

IV. AD BERNARDUM ARCHIEPISCOP. TOLETANUM.

Ampliat & emendatior ex Primate Toletano Cod. Regiano.

Primatum Toletanæ eccleſiæ confirmat.

*Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, * reverendiſſimo fratri Bernardo Toletano archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis, in perpetuum.*

* Forte, reverentiſſimo. H.

ACtorum ſynodalium decreta ſcrutantibus liquet, quantæne Toletana eccleſia dignitatis fuerit ex antiquo, quantæque per eam in eccleſiaſticis negotiis utilitates accreverint. Unde & nos ejuſdem urbis ſtatum, quantum noſtræ eſt facultatibus, * in eccleſiaſticis dignitatibus gloria ſtabilire, Domino adjuvante, optamus. Igitur tum pro benignitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ debita, tum pro digna Toletanæ eccleſiæ reverentia, tum etiam pro * reverendiſſimi filii noſtri præſtantiſſimi regis Ildefonſi poſtulationibus, cujus nimirum virtute & prudentia Toletana * eccleſia Maurorum & Moabitarum jugo erepta eſt, te carliſſime frater, juxta conſtitutum prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Urbani papæ ſecun-

* al. in eccleſiaſtica dignitate gloriam ſtabilire.

* Forte, reverentiſſimi. H

* al. civitas

di, in totis Hiſpaniarum regnis primatem fore præſentis privilegii auctoritate ſancimus, ſicut ejuſdem urbis conſtat antiquitus extitiſſe pontifices. Pallio ſane in miſſarum ſolummodo celebrationibus uti debebis, præcipuarum, quæ ſubſcriptæ ſunt, feſtivitatum temporibus: tribus videlicet diebus in nativitate Domini, in epiphania, hypapante, cœna Domini, ſabbato ſancto, tribus diebus in paſcha, in aſcenſione, pentecoſte, tribus ſolemnitatibus ſanctæ Mariæ, ſancti quoque Michaelis, & ſancti Joannis Baptiſtæ, in omnibus natalitiis apoſtolorum, & eorum martyrum, quorum pignora in veſtra eccleſia requieſcunt: ſancti quoque Martini & Ildefonſi confeſſorum, & omnium commemoratione ſanctorum: in conſecrationibus eccleſiarum, epiſcoporum, & clericorum: in annuo conſecrationis tuæ die, natali etiam ſancti Iſidori, & Leandri. Primatem te univerſi Hiſpaniarum præſules reſpiciant: & ad te, ſi quid inter eos graviori quæſtione dignum exortum fuerit, referent: ſalva tamen Romanæ eccleſiæ auctoritate, & metropolitanorum privilegiis ſingulorum. Toletanam ergo eccleſiam jure perpetuo tibi, tuiſque, ſi divina præſtiterit gratia, ſucceſſoribus canonicis tenore hujus privilegii confirmamus: una cum omnibus eccleſiis, & diœceſibus, quas proprio jure noſcitur antiquitus poſſediſſe: præcipientes de iis, quæ Saracenorum ad præſens ſubjacent ditioni, ut cum eas Domino placuerit poteſtati reſtituere populi Chriſtiani, ad debitam eccleſiæ veſtræ obedientiam referantur. Illarum autem civitatum diœceſes, quæ Saracenis invadentibus metropolitanos proprios perdiderunt, veſtræ ditioni eo tenore ſubjicimus: ut quoad ſine propriis extiterint metropolitanis, tibi, ut proprio debeant ſubjacere. Si vero metropolis quælibet in ſtatum fuerit priſtinum reſtituta, ſuo quoque diœceſis metropolitano reſtituatur. Neque tamen ideo minus tua debet ſtudere fraternitas, quatenus unicuique metropoli ſuæ reſtituatur gloria dignitatis. Hæc, & cætera omnia, quæ ad antiquam Toletanæ ſedis apoſtolicæ conceſſione probari poterunt, nos tibi, tuiſque ſucceſſoribus, perpetuo poſtulenda contradimus, atque firmamus. Te, reverend. frater, affectione intima exhortamur, quatenus dignum te tanti honore pontificii ſemper exhibeas, Chriſtianis ac Saracenis ſine offenſione ſemper eſſe procurans, & ad fidem infideles convertere, Domino largiente, verbis ſtudeas, & exemplis: ſic ex ſui pallii dignitate, & primatus prærogativa præcellas in oculis hominum, ut interius virtutum excellentia polleas coram ſuperne oculis majeſtatis. Si qua igitur in craſtinum eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis ſciens paginam, contra eam temere venire tentaverit; ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſve ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſanctiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti redemptoris aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Scriptum per manum Petri notarii, regionarii, & ſcriniarii ſacri palatii.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcribo.

Datum Laterani per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, ſecundo Nonas Martii, indictione octava, incarnationis dominicæ anno MCI. pontificatus autem domini Paſchalis papæ ſecundi anno ſecundo.

V. AD (1) ARCHIEP. PANORMITANUM.

Lecto in archiepiſcopum ſedes apoſtolica pallium non tradet, niſi prius præſtet fidelitatis & obedientiæ juramentum.

Paſchalis, Panormitano archiepiſcopo.

SIgnificaſti reges & regni majores admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocriſiariis noſtri tali conditione oblatum fuerit, ſi ſacramentum, quod a nobis ſcriptum detulerant, exhiberes. *Et infra*: Mirentur in hac cauſa Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum ovium ſuarum curam Petro committeret, conditionem poſuit, dicens: *Si diligis me, paſce oves meas*. Si conſcientiarum factor & cognitor ſecretorum conditione hac uſus eſt, nec ſemel tantum, ſed & ſecundo, & usque ad contriſtationem: qua nos ſolicitudine oportet tantam eccleſiæ prælationem imponere fratribus quorum conſcientias non videmus? Ajunt omne jusjurandum a Domino in evangelio eſſe prohibitum, nec ab apoſtolis poſt Dominum, nec in conciliis inveniri poſſe ſtatutum. Quid eſt ergo quod Dominus ſubſequenter ait: *Quod amplius eſt, a malo eſt*; hoc enim amplius ut exigamus, malum nos, illo permittente, compellit. Nonne malum eſt ab eccleſiæ unitate, & a ſedis apoſtolicæ obedientia reſilire, & contra canonum ſtatuta prorumpere? quod multi etiam poſt ſacramentum præſtitum præſumpſerunt. *Et infra*: Hoc nimirum malo ac neceſſitate compellimur, juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Ajunt in conciliis ſtatutum non inveniri, quaſi Romanæ eccleſiæ legem concilia ulla præfixerint, cum omnia concilia per Romanæ eccleſiæ auctoritatem, & facta ſint, & robur acceperint; & in eorum ſtatutis, Romani pontificis patenter excipiatur auctoritas. *Et infra*: Cum igitur a ſede apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ a beati Petri tantum corpore aſſumuntur: juſtum eſt ut vos quoque ſedi apoſtolicæ ſubjectionis debitæ ſigna ſolvatis, quæ vos cum beato Petro tamquam membra de membro * habere, & catholici capitis unitatem ſervare declarent.

Matth. 10.

Id. 5.

* hærere,

VI. AD N. ARCHIEPISCOPUM POLONIÆ.

Ejuſdem argumenti cum præcedenti.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, N. Polonorum archiepiſcopo.

SIgnificaſti, frater cariſſime, regem & regni majores admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocriſiariis noſtris tali conditione oblatum fuerit, ſi ſacramentum quod a nobis ſcriptum detulerant jurares. In pallio, frater, plenitudo conceditur pontificalis officii, quia juxta ſedis

(1) Hæc eadem cum ſequenti. Falſa eſt enim iſtius Epiſtolæ inſcriptio in libris Decretalium; ibi enim legendum non eſt *Panormitanæ Archiepiſcopo*, ut vulgo editum eſt, ſed *Colocenſi Archiepiſcopo*, ut recte obſervatum eſt ab eruditiſſimo viro Franc. Florente ad tit. *de uſu & auctoritate Pallii* pag. 338.

ſedis apoſtolicæ & totius eccleſiæ conſuetudinem, ante acceptum pallium metropolitanis minime licet aut epiſcopos conſecrare aut ſynodum celebrare. Mirentur in hac cauſa & Dominum Jeſum Chriſtum. Cum enim Dominus Jeſus Chriſtus, ut omnium ovium ſuarum curam Simoni Petro committeret, conditionem poſuit, dicens: Joan. 21. *Diligis me Simon Petre? paſce oves meas*. Si conſcientiarum factor & conditor conditione hac uſus eſt, nec ſemel tantum, ſed & ſecundo, & utique ad contriſtationem: qua nos ſolicitudine, qua proviſione oportet tantam eccleſiæ prælationem, tantam Chriſti ovium curam fratribus imponere, quorum conſcientias non videmus; illis maxime quos nullo uſu novimus, quorum dilectionem penitus ignoramus? Ajunt omne jusjurandum a Chriſto Deo in evangelio eſſe prohibitum, nec ab ipſis apoſtolis poſt Dominum, nec in conciliis inveniri poſſe ſtatutum. Quid eſt ergo quod idem Dominus ſubſecutus ait: *Quod amplius eſt, a malo eſt*? hoc enim amplius ut exigamus, malum nos, illo permittente, compellit. Nonne malum eſt ab eccleſiæ unitate, a ſedis apoſtolicæ obedientia, reſilire? Nonne malum eſt contra ſacrorum canonum ſtatuta prorumpere? Quam multi hoc etiam poſt ſacramentum præſumpſerunt? Nonne prædeceſſor tuus præter Romani pontificis conſcientiam damnavit epiſcopum? Quibus hoc canonibus, quibus conciliis legitur eſſe permiſſum? Quid ſuper epiſcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate apoſtolica, ſed nutu regis præſumuntur? Propter hæc mala & alia evitanda hujuſmodi juramentum exigitur.

De his 22. quæſt. 2. per tot. Matth. 5.

Cur autem juramentum Dominus prohibuerit, apoſtolus Jacobus manifeſte adjiciens docet: Jacob 6. *Ut non ſub judicio incidatis*, ne quiſquam, ſicut ſanctus Auguſtinus exponit, aſſiduitate jurandi ad perjurium per conſuetudinem dilabatur. Quapropter juratione quis non utatur, niſi neceſſitate, cum videt pigros eſſe homines ad credendum quod utile eſt eis credere, niſi juratione firmetur. Hoc nimirum malo * ac neceſſitate compellimur, juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Porro apoſtolum Paulum pro auditorum diffidentia juraſſe, ejus epiſtolæ teſtantur.

* Forte, hac neceſſitate. H.

Ajunt in conciliis ſtatutum non inveniri, quaſi Romanæ eccleſiæ legem concilia ulla præfixerint: cum omnia concilia per eccleſiæ Romanæ auctoritatem, & facta ſint, & robur acceperint; & in eorum ſtatutis Romana patenter auctoritas excipiatur. Nonne in Chalcedonenſis concilii actione decimaſexta ſtatutum eſt: Ante omnia quidem primatus honorem præcipuum ſecundum canones antiquæ Romæ reverendiſſimo archiepiſcopo conſervari? Itaque quod centuerunt rex & magnates a ſupradicta ſacramenti conditione te quieſcere, videturne vobis judicium evangelicum? videturne primatus noſtri honor præcipuus? Numquid animo cecidit illa ſententia Domini: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*? Numquid Hungarico principi dictum eſt: *Et tu converſus confirma fratres tuos*? Numquid hæc nos commodi noſtri profectione requirimus, & non unitatis catholicæ ſtatuimus firmamentum? Poſſunt apoſtolicam ſedem contemnere, poſſunt adverſum nos calcaneum elevare, datum a Deo privilegium evertere vel auferre non poſſunt, quo Petro dictum Matth. 16. eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam*: &: *Tibi dabo claves regni cælorum*. Quibus tamen quatuor in conciliorum decretis Matth. 10. Ibidem

A dandi pallii modus præſcriptus eſt, & profeſſionis vel obedientiæ ordo ſancitus eſt.

Cum igitur a ſede apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ a beati tantum Petri corpore aſſumuntur: juſtum eſt ut vos quoque ſedi apoſtolicæ ſubjectionis debita ſigna ſolvatis, quæ vos cum beato Petro tamquam membra de membro hærere, & catholicæ capitis unitatem ſervare declarent. In quibus a prædeceſſoribus noſtris ea eſt adhibita moderatio, ut nihil injurioſum, nihil difficile ſit appoſitum, quod non etiam præter exactionem noſtram ab omnibus debeat epiſcopis obſervari, qui ſub apoſtolorum principum Petri & Pauli obedientia decreverunt & unitate perſiſtere. Numquid non ultra vos Saxones, Danique conſiſtunt? Et tamen eorum metropolitani, & idem juramentum aſſerunt, & legatos apoſtolicæ ſedis honorifice tractant, & in ſuis neceſſitatibus adjuvant, & apoſtolorum limina per legatos ſuos, non tantum per triennium, ſed annis ſingulis viſitant. Ita te, frater cariſſime, fruamur in Domino, ut non per te in eccleſiis ſubtractionis & diſſidii, quod abſit, oriatur occaſio.

B

VII. AD ROBERTUM FLANDRENSIUM comitem.

C Ut Leodienſes ſchiſmaticos Henrico imperatori adhærentes ab eccleſia expellat

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Roberto Flandrenſium comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

D BEnedictus Dominus Deus Iſrael, qui in te virtutis efficaciam operatur, qui reverſus Jeruſalem Syriæ, in cæleſtem Jeruſalem juſtæ militiæ operibus ire contendis. Hoc eſt legitimi militis, ut ſui regis hoſtes inſtantius perſequatur. Gratias ergo prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum noſtrum in Cameracenſi parochia executus es: idipſum de Leodienſibus excommunicatis pſeudoclericis præcipimus. Juſtum enim eſt ut qui ſemetipſos a catholica eccleſia ſegregarunt, per catholicos ab eccleſiæ beneficiis ſegregentur. Nec in hac tantum parte, ſed ubique, cum poteris, Henricum hæreticorum caput, & ejus fautores pro viribus perſequaris. Nullum profecto gratius Deo ſacrificium offerre poteris, quam ſi eum impugnes qui ſe contra Deum erexit, qui eccleſiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco ſancto Simonis idolum ſtatuit, qui a principibus Dei ſanctis apoſtolis eorumque vicariis de eccleſiæ domo ſancti Spiritus judicio expulſus eſt. Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem, & E apoſtolicæ ſedis familiaritatem præcipimus: ut his laboribus ac triumphis ad cæleſtem Jeruſalem Domino præſtante pervenias. Datum Albani duodecimo Kalendas Februarii.

R

RESPONSORIA DECLAMATIO acerrima Leodienſium ſchiſmaticorum, qui more ſuorum comparum in ſchiſmate Donatiſtarum adverſus principes reſilientium, & catholicum nomen affectantium, ſuam declamationem ſic inſcripſerunt.

EPISTOLA LEODIENSIUM ADVERSUS PASCHALEM PAPAM II.

circa annum Domini MCVII

Omnibus bona voluntatis hominibus, Leodienſis eccleſia veritatem fidei & catholicam unanimitatem inconcuſſe tenens.

STupendo & gemendo exclamo cum Iſaia, qui onus deſerti maris exaggerans, exclamat: *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deſerto venit, de terra horribili. Viſio dura nuntiata eſt mihi: qui incredulus eſt, infideliter agit: & qui depopulator eſt, vaſtat.* Qui hactenus non intelligebat loquendo quid ſit deſertum mare, nunc intelligat videndo * quid per deſertum mare ſignificetur, non ſolum Babylonia, ſed etiam mundus & eccleſia. Quamvis enim ut mare undis, ſic mundus & eccleſia affluant populis: tamen jure vocatur deſertum mare, quia mundus videtur eſſe deſertus a ſapientium principum gubernaculo, eccleſia gemit ſe deſertam a ſano præſulum conſilio. Quæ enim major olim confuſio fuit in Babylone, quam hodie eſt in eccleſia? In Babylone confuſæ ſunt linguæ gentium, in eccleſia dividuntur linguæ & mentes credentium. Ait Petrus in epiſtola ſua: *Salutat vos eccleſia quæ eſt in Babylone collecta.* Hactenus interpretabatur ideo voluiſſe Petrum per Babylonem ſignare Romam, quia tunc Roma confuſa erat idololatria & omni ſpurcitia. at nunc dolor meus mihi interpretatur, quod Petrus prophetico ſpiritu, dicens eccleſiam in Babylone collectam, prævidit confuſionem diſſenſionis qua hodie ſcinditur eccleſia. Nam quamvis eccleſia ſit in Babylone mundi, tamen debet eſſe collecta per fraternam unanimitatem. Qui ſint turbines ab Africo, diſcimus patiendo magis quam legendo. De terra horribili, a Romana ſcilicet eccleſia, viſio dura nuntiata eſt mihi: inde turbo ut tempeſtas venit ab Africo. Romanus enim præſul, pater omnium eccleſiarum, literas contra nos mittit Roberto Flandrenſium comiti, quale exemplar tale eſt:

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Roberto Flandrenſium comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Benedictus Dñs Deus Iſrael, &c. *ut in epiſt. præced.*

Super his literis cuius lumbi non repleantur dolore? Super his nec obſtupeſcerunt tenebræ: nec tantum horrore periculi, quantum pro horrenda novitate rei, quod tam lacrymabiles literæ potuerunt ſcribi a matre contra filias ſuas, quamvis peccantes. In judicio Salomonis expreſſa eſt magnitudo maternæ pietatis, quando judicante Salomone, ut infans, pro quo contendebatur, gladio divideretur, malut mater filium ſuum ſub aliena muliere vivere, quam gladio judicis dividi. Dicit Iſaias: *Babylon dilecta mea verſa eſt mihi in miraculum*; at ego dico: Roma dilecta mea mater verſa eſt mihi in miraculum. Quid enim tam mirabile, immo quid tam miſerabile? Vidit olim David angelum Domini ſtantem extento gladio ſuper Jeruſalem: nos filiæ Romanæ eccleſiæ ecce videmus Romanum præſulem, qui eſt angelus Domini, extento gladio ſuper eccleſiam. David orabat ne populus occideretur: angelus noſter porrigens Roberto gladium orat, ut occidamur. Unde iſte gladius angelo noſtro? Jubente Jeſu diſcipulis ut vendita tunica emant ſibi gladium, dicunt diſcipuli: *Domine, ecce duo gladii hic.* Et Jeſus: *Satis eſt.* Ut ex patrum dictis colligimus, eſt unus gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei: de quo Jeſus ait: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Et propheta: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum a ſanguine.* Hunc gladium diſtringit Jeſus magis contra carnales affectus, quam contra mundi aſſultus. Eſt & alter gladius ſpiritualis, quo mortificatis vitiis carnis emitur corona, martyrii. Cum ergo duos tantum gladios a Domino apoſtoli habeant: unde iſte tertius apoſtolico gladius, quem in nos porrigit Roberto armigero ſuo? Forte recurrit apoſtolicus ad Ezechielem prophetam, ut de manu ejus tertium arripiens gladium, vadat ad dexteram ſive ad ſiniſtram, cædendo bonos & malos. Dicit enim Deus Ezechieli prophetæ: *Ut duplicetur gladius, & triplicetur gladius interfectorum.* Puto, non dabit propheta tertium gladium apoſtolico. Propheta namque duos evangelii gladios oſtendens, per duos unius gladii uſus gladium apoſtolico dandum duplicat, dicens: *Gladius, gladius exacutus eſt, & limatus. exacutus, ut cædat victimas; limatur, ut ſplendeat*: exacutus eſt, quia ut ait Hieronymus, qui malos percutit, in eo quod mali ſunt, & habet * gladium interfectionis ut occidat peſſimos, miniſter Domini eſt. Limatus eſt, ut ſincere prædicetur verbum Domini. Triplicato gladio armat propheta interfectores, quia, ut ait Paulus, *non ſine cauſa judex gladium portat.* Hic eſt gladius interfectionis magnæ, qui me cum Ezechiele obſtupefacere facit. Quem enim non faciat corde tabeſcere, quod apoſtolicus ad vivificandum unctus, accingitur in nos tertio gladio interfectorum? O utinam placatus dicat Deus etiam angelo percutienti: *Sufficit nunc, contine manum tuam.* Nihil dico in Chriſtum Domini, ſed vicem noſtram doleo. Sed niſi Chriſtus Domini veniens ad caulas ovium intraſſet in ſpeluncam purgare ventrem, non præciditſſet David oram chlamydis ejus. Si quis eſt David, inveniens hunc Chriſtum Domini dormientem, omnesque milites ejus dormientes: non mittat manum in Chriſtum Domini, ſed tantum tollat haſtam ejus, & ſcyphum aquæ, qui eſt ad caput ejus dormientis. Hanc haſtam quam contra nos erexit, oſtendo cunctis: hunc ſcyphum aquæ, qui eſt ad caput ejus dormientis, porrigo cunctis ad guſtandum: ut ſapiant omnes quam inſipida ſit auctoritas legis ejus, qua diſtrinxit gladios laicorum in cervices clericorum. Si liceret dicere, ſalva apoſtolicæ dignitatis reverentia, ipſe nobis videtur dormiviſſe. Dormierunt cum eo omnes conſiliarii ejus, quando conduxit ſibi vaſtatorem eccleſiarum Dei. Præcepit Paulus, ut *verbum epiſcopi ſit ſanum, & irreprehenſibile.* Nos ergo non infirmamus aut reprehendimus verbum epiſcoporum epiſcopi. Sed quia apoſtolicus non debet deviare ab apoſtolo: quærimus humiliter per ſingula, utrum hæc apoſtolici verba ſint per omnia gravitate apoſtolicæ auctoritatis ſana & irreprehenſibilia. Ecce ut pater dilecto filio ſalutem mittit, & apoſtolicam benedictionem promittit: ſed, ut multis videtur, non ea illi opera indicit quibus ſalutem & benedictionem a Deo promereri poſſit. Benedicit Deum, qui in eo efficaciam ſuæ virtutis operatur, quod eccleſiam Dei debellat, & depopulatur, ac per hoc cæleſtis Jeruſalem aditum ei pollicetur. Num recta via dilectum filium dirigat, ipſe pater nobilicum videat

Ut

Iſa. 21.

* f. quod

1. Petr. 5.

Matth. 10.

Jerem. 48.

Ezech. 21.

Idem.

Lib. 3. commentarii in Ezechielem cap. 9. * vafa.

Rom. 13.

2. Reg. 24.

1. Reg. 6

2. Reg. 3.

Iſa. 21.

2. Reg. 24.

1. Tim.

Ut utamur verbis Auguſtini ſummatim collectis, Deus, qui dixit: *Ego Deus faciens pacem, & creans malum*, ſicut cætera ſuaviter diſponit, ita hoc etiam diſponit, ut bonum pacis per bonos faciat, malum vero belli per malos creet. Utens enim Deus animis hominum pro voluntatibus & meritis eorum, digna dignis opera imponit, ut digna dignis præmia rependat, bonis bona pro bonis, malis mala pro malis. Quis unquam populum Dei, quis unquam eccleſiam Dei impune perſecutus eſt? Quoties peccabant filii Iſrael, ſuſcitabat Deus hoſtes qui conterereut peccantes. Caſtigabat Deus, quos amabat: & damnabat illos, qui vitio ſuo tales erant, ut per eos mala malis inferret. Dicit Deus per prophetam: *Vocabo ab Aquilone ſervum meum Nabuchodonoſor, qui faciat omnem voluntatem meam.* Quam voluntatem, niſi ut peccantes diſperdiat? Hunc ſervum ſuum Deus pro merito ſervitutis in bovem convertit. Peccanti David ait Deus: *Ecce ego induca malum ſuper te de domo tua.* Hoc malum executus Abſalom, fugato patre ſuo, invaſit Jeruſalem. Numquid per hoc meruit cæleſtem Jeruſalem? Per Iſaiam dicit Deus: *Væ Aſſur: virga & baculus furoris mei ipſe. In manu ejus indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam illum, & ad populum furoris mei. Mandabo illi, ut auferat prædam, & diripiat ſpolia*, & reliqua. Cur Deus intentat. *Væ Aſſur*, qui mala quæ fecit, eo * non dante fecit? *Væ mundo ab ſcandalis*, dicit Deus. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala: væ tamen illi per quem ſcandalum venit.* Hoc Hieronymus ſic exponit: Cum neceſſe ſit quidem ut veniant ſcandala, væ tamen homini qui, quod neceſſe eſt ut in mundo fiat, facit ſuo vitio ut per ſe fiat. Quid multis opus? Ecce opera juſtæ malitiæ quibus pater filium, papa cæleſtis regis militem imbuit, per quæ poſſit contendere ad cæleſtem Jeruſalem, impugnando ſcilicet eccleſiam Dei. Gratias, inquit, prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum noſtrum in Cameracenſi parochia executus es. Qualis & quanta ſit vaſtitas & contritio Cameracenſis eccleſiæ, quis recolit ſine dolore? Ego quidem filia Romanæ eccleſiæ condolebam Cameracenſibus pro affectu germanitatis: nunc vero audiens hæc mala inferri præcepto apoſtolicæ auctoritatis, jam amplius doleo, quia timeo matri meæ, ne in eam redundet illud quod Deus dicit per os Iſaiæ: *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes juſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent*, & reliqua. Tantam eccleſiæ deſolationem, tantam pauperum & viduarum oppreſſionem, tantam prædarum & rapinarum immanitatem, &, quod his gravius eſt, promiſcuam bonorum & malorum occiſionem, hæc & pejora his præcepto apoſtolici facta eſſe quis crederet, niſi ipſe ſuo ſe ore prodidiſſet? Taceo Cameracenſem epiſcopatum in duos eſſe diviſum judicio Romanæ eccleſiæ: taceo Walcherum, qui apoſtolici conſenſu & auctoritate probatus & prior ordinatus fuit, ſubito exordinatum, excommunicatum, & alium ei ſubordinatum. Hæc juſta ſint necne, in Dei pendet ſententia. Non invehimur in Chriſtum Domini, ad quem pertinet ſolicitudo omnium eccleſiarum. Sed quia apoſtolicus hæc mala ſibi adſcribit, & eccleſiæ vaſtatori per gratiarum actionem applaudit: ſuper his mirandum, an magis ſit dolendum, neſcio. Cui hoc magis ſit periculoſum, jubenti, an obedienti: cui hoc magis ſit damnoſum, facienti, an patienti, quis homo diſcernet? Nos attoniti hac novitate rerum, quærimus unde ſit hoc novum exemplum, ut prædicator pacis ſuo ore & alterius manu inferat eccleſiæ bellum. Contra barbarorum & inimicorum Dei aſſultus concedunt canones etiam clericis arma ad defenſionem urbis & eccleſiæ. Bella vero indici eccleſiæ per auctoritatem canonicam, nuſquam ſcripturarum legimus. Quæro quod neſcio: dico quod ſcio. Pacem Jeſus, pacem apoſtoli, pacem apoſtolici viri prædicant, peccantes arguunt, obſecrant, increpant in omni patientia & doctrina. Inobedientes jubet Paulus dure increpari. Quomodo dure increpentur inobedientes, dicit Jeſus: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum primo ſolus: ſecundo cum duobus aut tribus teſtibus: tertio cum eccleſia. Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Hinc ait Auguſtinus: Illud quod ait Jeſus: *Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, gravius eſt quam ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubjiceretur. Nam ibi quoque Jeſus ſubjunxit. *Amen dico vobis, quæ ligaveris in terra, ligata erunt & in cælo*: ut intelligeretur quod gravius ſit punitus, qui velut relictus eſt impunitus. Sic ſententia veritatis expoſita ab Auguſtino, quis divinæ vindictæ humanam vindictam ſuperponat? Qui illum perſequitur quem Deus percuſſit, & ſuper dolorem vulnerum Dei addit, videat quid imprecetur illi Deus, qui iniquitates & dolores noſtros in perſona dominici hominis portavit: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem illorum*, & reliqua. Si quis pro apoſtolico dicat merito depopulandam eſſe eccleſiam, cui incumbat excommunicatus, audiat exemplum, in quo cauſa cauſæ, & perſona perſonæ reſpondet. Tempore primi Gregorii papæ, defuncto Salonitanæ urbis epiſcopo, cum decreviſſet Gregorius ut pro eo epiſcopus ordinaretur Honoratus: Maximus quidam auxilio militaris manus invadens epiſcopatum Salonitanum, & ab epiſcopis conſecratus, a Gregorio excommunicatus eſt, & tamen miſſas celebrare præſumebat. Hunc Gregorius non aliis quam ſacerdotalibus armis debellans, non ſuperordinavit ei Honoratum, non immiſit eccleſiæ vaſtatorem, ſed tamdiu peccantem arguit, donec ſeptimo excommunicationis ejus anno tandem ad veniam petendam attraheret: eumque reſipiſcentem non exordinavit, non reordinavit, ſed ei in gratiam ſuam recepto, quod deerat, dato archiepiſcopali pallio, ſupplevit. Cum ergo Salonitanæ cauſæ ſit ſimilis cauſa Cameracenſis: cur cenſura Romanæ eccleſiæ in ſimili cauſa nititur diſſimili ſententia? Martinus Turonenſis poſſet ab apoſtolico ſufficere ad exemplum, ut deſiſtat ab oppreſſione innocentum. Priſcillianum epiſcopum, a Damaſo papa pro hæreſi damnatum, Maximus imperator, accuſante Itachio epiſcopo, occidit, & ut omnes ſequaces ejus ubique occiderentur edixit. Martinus ergo, aliique epiſcopi Itachium communione eccleſiæ privaverunt, criminantes eum quod ejus accuſatione qualiſcumque homo occitus ſit. Maximus agebat cum Martino, ut Itachio communicaret: & Martinus agebat cum Maximo, ut ſequaces Priſcilliani non occiderentur, ne etiam catholici cum eis perirent. Quod petebat Martinus nullo modo impetraſſet, niſi ad tempus * Itachio communicaſſet. Sic quodammodo anathema factus pro fratribus ſuis, retraxit ab eorum cervicibus gladium imperatoris. Qui damnavit accuſatorem Itachium pro morte hæretici, ſi adhuc viveret, non laudaret & iſtum cujus præcepto tot occiduntur pro cauſa Camora-

Iſ. 45.

Daniel. 4.

1. Reg. 11.

2. Reg. 16.

Iſ. 10.

* mandante Matth. 18.

Iſa. 10.

Matth. 18.

Ibidem.

Lib. 7. regi. Ep. 126.

al. Itacio H.

racenſium. Qui etiam cum periculo animæ ſuæ liberavit hæreticos a morte, quam graviter ferret innocentes pro aliena culpa opprimi? Nos res rebus conferimus, cauſis cauſas opponimus. At Cameracenſes afflicti malis, clamant ad Patchalem, ſicut filii Iſrael afflicti malis clamant ad Exod. 5. Moyſen: *Videat Deus, & judicet, quomodo fœtere feciſti odorem noſtrum coram Pharaone, & præbuiſti ei gladium ut occideret nos.* Idipſum de Leodienſibus excommunicatis pſeudoclericis præcipimus. Juſtum eſt enim, ut qui ſemetipſos a catholica eccleſia ſegregarunt, per catholicos ab eccleſiæ beneficiis ſegregentur. Hic vero me invaſit anguſtia quaſi parturientis. Unde exclamare compellor, quia omnes parturientis dolores hic meus dolor vincit. Filios enim genui, hoſque B lacte alui fidei, hos pane veritatis confirmavi, & in virile robur provexi: ipſa me beatificabam, quia eis in regis curia, & in Dei eccleſia florentibus nihil deeſſe credebam, quod vel ad corporis pertineret decorem, vel ad animæ ſpectaret valorem. Sed quid eſt ab omni parte beatum? Ecce mater mea S. Romana eccleſia vult infligere eis notam excommunicationis, & inſuper erexit ſuper eos gladium occiſionis. Super his ego quidem materno dolore torqueor, ipſi ætatem habent, loquantur pro ſe. Idipſum, inquit, de Leodienſibus excommunicatis pſeudoclericis Prov. 20. præcipimus. *Statera doloſa non eſt bona*, ait Sapientia. Quis confert cauſam noſtram cauſæ Came- C racenſium, ut & nos patiamur quod patiuntur Cameracenſes? Nos quidem Cameracenſibus compatimur, nobis nihil tale verebamur. Cameracenſes, quia cauſæ cauſam, perſonæ perſonam ſuppoſuerunt, gladium bicipitem ſibi ſuppoſuerunt: nos vero Leodienſes quare excommunicati dicimur? Quare gladius nobis ſuperponitur? Quid dignum morte aut excommunicatione fecimus contra canonicam regulam eccleſiæ? In uno ſpiritu nos omnes, in unum corpus baptizati ſumus, Pſal. 67. nos unius moris Deus in domo ſua habitare fecit. Obſecrat nos Paulus per nomen Domini, ut non ſint in nobis ſchiſmata. Quando ſignificatum eſt Romanæ eccleſiæ quod contentiones fuerint inter nos? Idipſum in Chriſto ſapimus, idipſum dicimus. Non dicimus. *Ego ſum Pauli, ego Ce-* D 1 Cor. 1. *phæ, ego autem Chriſti.* Numquid pro hac unanimitate excommunicati dicimur? Ut præcipit Paulus, *obedimus & ſubjacemus præpoſitis noſtris qui vigilant pro animabus noſtris.* Nobis legem Dei tenentibus obiciunt quod tranſgrediamur eorum Matth. 15. novas traditiones: at illis dicit Deus: *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras?* Jubet Deus, ut quæ ſunt Cæſaris, reddamus Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. In hanc ſententiam Petrus & Paulus pedibus eunt. Petrus inquit: *Deum timete, regem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam aſperis: hæc eſt enim gratia.* Paulus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Qui hoc omni animæ præcipit, quem a ſubjectione terrenæ poteſtatis excepit? Quia ergo regem honoramus, quia dominis noſtris non ad oculum, ſed in ſimplicitate cordis ſervimus, ideo excommunicati dicimur? Sed ſimoniaci ſumus. Simoniacos quantum ad nos vitamus, & quos vitare nequimus pro loco & tempore toleramus, certi quod ipſe Jeſus, facto flagello de reſticulis peccatorum, cathedras vendentium columbas evertit, & nummulariorum effudit æs. Vitamus, inquam, ſimoniacos, nec minus vitamus illos, qui notam avaritiæ honeſto nomine prætexentes, quod gratis ſe jactant dare vendunt ſub caritatis nomine, & ſicut Montaniſtæ ſub nomine oblationum artificioſius accipiunt munera. Oh! dolendo miramur cur excommunicati dicamur. Quando, a quo, & quare excommunicati ſumus? non ab epiſcopo noſtro, non ab archiepiſcopo cui epiſcopus noſter ſuffragatur, nos excommunicatos eſſe ſcimus: ſed nec a papa Romano nos eſſe excommunicatos credimus, quia ſcimus eum non ignorare quod ait Nicodemus: *Lex noſtra non* Joan. 7. *judicat quemquam, niſi audierit ab ipſo prius.* Nec Gen. 18. Sodomitas damnaſſet Deus, niſi deſcendiſſet ad ipſos videre utrum clamorem qui venerat ad eum opere compleſſent. Qui nihil a nobis audivit, quem non epiſcopus, non archiepiſcopus aliquando contra nos interpellavit, quis crederet quod nos excommunicaverit? Per ſcalam ad cælos uſque Gen. 28. pertingentem videt Jacob aſcendentes & deſcendentes angelos. Et Jeſus ait diſcipulis: *Amen,* Joan. 1. *amen, dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis*: nos filios hominis, id eſt Adæ, in ſua exprimit perſona. In aperto eccleſiæ cælo & boni & mali intrant. Vos præſules eccleſiæ, qui eſtis angeli Dei, gradatim ad nos aſcendere debetis, gradatim & nos ad vos aſcendere debemus. Quot gradibus ad vos aſcendimus, tot ad nos aſcendere debetis. Eſt primus gradus nobis ad epiſcopum, ſecundus ad archiepiſcopum, per quos aſcendere debemus ad gradum tertium, id eſt ad papam Romanum. Super filium hominis deſcenditis, cum humilibus compatiendo condeſcenditis. Super filium hominis aſcenditis cum verbo & exemplo humiles ad cælum ſuſtollitis. Credo, dicetis nos ideo haberi excommunicatos, quia favemus epiſcopo noſtro faventi partibus domni ſui imperatoris. In hac re ſunt initia dolorum, pro hac re erubeſcunt cauſæ malorum, quia ſatanas ſolutus terram perambulans, jam diviſit regnum & ſacerdotium. Apoc. 20. Quia ergo venit diabolus habens iram magnam, Patrem noſtrum, qui eſt in cælis oramus pro hoc ſpecialiter, ne nos inducat in tentationem hanc; ſed liberet nos a malo hujus tentationis. Nobis dor- Matth. 6. mientibus inimicus ſuperſeminavit zizania in agro Matth. 13. & Marc. 4. eccleſiæ. Expectamus donec angeli meſſores Dei alligent zizaniorum faſciculos ad comburendum. Num ideo dicimur excommunicati? O quot manipulos tritici eradicavit, qui ante tempus zizania a tritico diſcernere feſtinat? Quis jure reprehendet quod epiſcopus partibus Domini ſui favet, cui promiſſam cum juramento fidelitatem debet? Perjurium nemo dubitat eſſe grande peccatum. Deus ſolus jurat, & non pœnitet eum, quia ſapientia cuſtodit præcepta juramenti Dei. Sed nos quos juraſſe ſæpe pœnitet, jurare prohibemur. Si jurat homo, jubet Deus ut reddat Domino juramentum ſuum. Hoc nec ignorant illi qui regnum & ſacerdotium ſcindunt novello ſchiſmate; & novellis, ut quibuſdam placet, traditionibus, illos qui regi perjurant ſe a culpa perjurii abſol- E vere promittunt: non attendentes quod Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedecia qui perjuravit Do- Ezech. 17. mino tuo regi Nabuchodonoſor: *Qui ſolvit*, inquit, *pactum, numquid effugiet?* Hoc Hieronymus ſic exponit: Ex hoc etiam diſcimus inter hoſtes ſervandam fidem, & non conſiderandum cui, ſed per quem, juraveris: multo enim melior inventus eſt ille qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus eſt, quam tu qui per occaſionem divinæ majeſtatis hoſti tuo, immo jam amico, molitus es inſidias. Quid laboramus in colligendis exemplis vitandi perjurii? Tertium decalogi mandatum de corde & ore Dei prolatum ejuſ-

ejuſque digito ſcriptum: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini ſui fruſtra.* Cum tria prima decalogi mandata ad cultum Dei pertineant, diligenter inſpicientibus videtur, quod in hoc tertio decalogi mandato cætera mandata pendeant: quia cum fit quod Deus fieri præcepit, vel non fit quod Deus fieri prohibet, ideo utique fit vel non fit, ut nomen præcipientis vel prohibentis Dei non aſſumatur in vanum. Quis magis aſſumit nomen Dei in vanum, quam ille qui violat hoc quod per nomen Dei jurat? Deus jubet ne per cælum, ne per terram, ne per caput meum jurem, ne forte perjurem. Si culpa eſt perjurare per creaturam Dei, quam gravius peccat qui per creatorem Deum pejerat! Hinc omnes perpenditis quod ſit reus capitis qui non reddit Cæſari quæ ſunt Cæſaris, ſecundum decretum Dei, vel qui regem inhonorat contra decretum apoſtoli, vel pejerando aſſumit nomen Dei in vanum, per quod juravit regi fidelitatem. Ecce quare excommunicati dicimur. Sed quare pſeudoclerici vocamur, qui canonice viventes, operibus meremur ut clerici vocemur? Non eſt, non eſt, inquam, de ſorte Dei, qui vult nos excludere a ſorte Dei. Non tales, o mater eccleſia, nutriviſti, ut merito vocemur pſeudoclerici. Quia enim nos voluntati noſtræ non dimiſiſti, non confundemus te matrem noſtram. Mirum eſt de domino Paſchaſio, quomodo ſic convicia venalia invenerit: bona mercatione videtur ea accepiſſe, quæ tanta in nos profundit facilitate. Modo enim nos excommunicatos nominat, modo pſeudoclericos ex motu animi vocat. Eructavit cor David regis verbum bonum, evomuit cor domini Paſchaſii vile convicium, prout vetulæ & textrices faciunt. Petrus apoſtolus docet: *Non dominantes in clero, ſed forma facti gregis.* Paulus apoſtolus ad Galatas delinquentes ait: *Filioli, quos iterum parturio in Domino.* Hos igitur attendat dominus Paſchaſius pios admonitores, non impios conviciatores. Maledictum excommunicationis dominus Paſchaſius nobis improperat, ſed illud ante omnia timemus, quod Spiritus ſanctus per os Pſalmiſtæ dicit: *Maledicti omnes qui declinant a mandatis tuis.* Maledictum excommunicationis, quod ex novella traditione Hildebrandus, Odardus, & iſte tertius indiſcrete protulerunt, omnino abjicimus, & priores ſanctos patres uſque nunc veneramur & tenemus, qui dictante Spiritu ſancto, non animi motu, in majoribus & minoribus poteſtatibus graviter delinquentibus quædam diſſimulaverunt, quædam correxerunt, quædam toleraverunt. Dominus noſter epiſcopus communicat regi & imperatori ſuo, cui ex regalibus ejus acceptis juravit fidelitatem. Nimirum effluxit tempus, quo hæc conſuetudo incepit, & ſub hac conſuetudine migraverunt a ſæculo ſancti & reverentes epiſcopi, reddentes Cæſari quæ erant Cæſaris, & Deo quæ erant Dei. „ Sed quid dicit Ambroſius ſuper „ Lucam? Si Chriſtus, inquit, non habuit imaginem Cæſaris, cur dedit cenſum? Non de „ ſuo dedit, ſed reddidit mundo quod erat mundi. Et tu, ſi non vis eſſe obnoxius Cæſari, „ noli habere quæ mundi ſunt. Sed ſi habes di„ vitias, obnoxius es Cæſari. Si vis igitur nihil „ debere regi terreno, dimitte omnia, & ſequere Chriſtum. Item Auguſtinus ſuper Joannem: „ apoſtolus voluit ſervire regibus, voluit honorari reges, & dixit: *Regem reverimini.* Nolite „ dicere: Quid mihi & regi? Quid tibi ergo & „ poſſeſſioni? Per jura regum, poſſidentur poſ-

Exod. 20.

Matth. 5.

Lev. 20.

1. Petr. 2.

Exod. 20.

Pſal. 44.

1. Petr. 5.

Galat. 4.

Pſal. 118.

Lev. 20. Libro 9. ex poſitionis in Lucam.

1. Petr. 2. Auguſtinus tract. 6. ſuper Ioan. circa finem tractatus de eo quod dictum eſt columbam ſuper Dominum deſcendiſſe.

A „ ſeſſiones: per imperatores & reges ſæculi, Deus „ jura humana diſtribuit generi humano. “ Igitur ex verbis iſtorum & aliorum ſanctorum patrum conſulant ſibi epiſcopi regibus & imperatoribus obnoxii, & eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id eſt eorum beneficiis, eos interficiant. Si quis denique reſpectu ſancti Spiritus vetus & novum teſtamentum geſtaque revolverit: patenter inveniet, quod aut minime aut difficile poſſunt reges & imperatores excommunicari, ſecundum etymologiam nominum illorum, & juxta determinationem excommunicationis: & adhuc ſub judice lis eſt. Admoneri quidem poſſunt, increpari, argui a timoratis, & diſcretis viris: quia quos Chriſtus in terris rex regum vice ſua B conſtituit, damnandos & ſalvandos ſuo judicio reliquit. Ecce, quare excommunicati vocamur, eo quod ſanctos & moderatos & antiquos patres tenemus, * & poſſe imitamur. Epiſcopum, archiepiſcopum noſtrum provincialem, & comprovincialem ſynodum, ex antiqua traditione tenemus: & quidquid ibi de ſcripturis ſanctis diffinitum fuerit, Romam non refertur uſque ad gravíora negotia, de quibus non invenitur in ſcripturis ſanctis auctoritas. Illos veros legatos a latere Romani epiſcopi exeuntes, & ad ditanda marſupia diſcurrentes, omnino refutamus, ſicut temporibus Zoſimi, Cæleſtini, Bonifacii, concilia Africana probaverunt. Etenim, ut a fructibus eorum cognoſcamus eos, non morum correctio, non vitæ C emendatio, ſed inde hominum cædes, & eccleſiarum Dei proveniunt deprædationes. Quia igitur antiquæ regulæ inhæremus, & non omni vento doctrinæ circumferimur, ecce unde excommunicati dicimur. Verum dominus Paſchaſius cur pſeudoclericos nos vocat? Pſeudoapoſtoli adulterabant verbum Dei, quos damnat Paulus in epiſtolis ſuis: nos non adulteramus, ſed fidem catholicam per Dei gratiam tenemus, fidei catholicæ opera in Deo exequimur. Regulam canonicam ex patrum traditione habemus & reverenmur, ſecundum illam vivimus, dijudicamur, ſatisfacimus, abſolvimur. Conciliis regum aut imperatorum, aut in iſto, aut in illo non interſumus, quia noſtræ ſuperiores poteſtates tale negoD tium habent inter manus, qui ex veſtigiis anteceſſorum prudenter tractabunt. Cur ergo dominus Paſchaſius vult ut exolvamus quod non rapuimus, ut pſeudoclerici vocemur, qui rectam lineam tenemus? Potius depoſito ſpiritu præſumptionis, cum ſuis conſiliariis ſolerter recolligat, quomodo a beato Silveſtro uſque ad Hildebrandum ſedem Romanam papæ obtinuerint, & quot & quanta inaudita ex ambitione illius ſedis perpetrata ſint, & quomodo per reges & imperatores diffinita ſint, & pſeudopapæ damnati & abdicati ſint, & ibi plus valuit virtus imperialis, quam excommunicatio Hildebrandi, * Odoardi, Paſchaſii. Dominus in evangelio dicit: *Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo.* Et Pau- E lus apoſtolus in faciem Petro principi apoſtolum reſtitit. Ergo remoto Romanæ ambitionis typho, cur de gravibus & manifeſtis non reprehendantur & corrigantur Romani epiſcopi? Qui reprehendi & corrigi non vult, pſeudo eſt ſive epiſcopus ſive clericus. Nos vero per miſericordiam Dei juxta regulam obedientes & corrigibiles ſumus, & ſchiſma, & ſimoniam, & excommunicationem, per omnia, dictante ratione & Spiritu ſancto, vitare volumus. Ex verbis B. Auguſtini reges & imperatores ex legibus promulgatis nihil ab hæreticis in hoc mundo poſſideri voluerunt. Igitur cum non ſimus hæretici,

* Forte, & pro poſſe. H.

De legatis a latere.

Matth. 7.

Ephes. 4.

2. Cor. 4.

* Urbani II. qui primus Odo dictus. H.

Joan. 18. Galat. 2.

& hoc ſit jus regum & imperatorum; quare dominus Paſchaſius ſolo contentus ſpirituali gladio immittit Robertum armigerum ſuum ad devaſtandos fundos & villas eccleſiarum? Quæ, etſi devaſtanda eſſent, edicto regum & imperatorum devaſtari deberent, qui non ſine cauſa gladium portant. Ecce ſolutus eſt ſatanas habens iram magnam, quem exterreat valida manus Dei. Quod excommunicati dicimur, non gravius juſto feras; quia, ut credimus, nos ab excommunicatione excipiet ſaltem ipſa Romana auctoritas. Hildebrandus papa, qui auctor eſt hujus novelli ſchiſmatis, & primus levavit ſacerdotalem lanceam contra diadema regni, primo indiſcrete Henrico ſavientes excommunicavit: ſed reprehendens ſe intemperantiæ, excenit ab excommunicatione illos qui imperatori adhærebant neceſſaria & debita ſubjectione, non voluntate faciendi vel conciliandi malum, & hoc pro decre-

* Verba hæc ſunt epiſtolæ præcedentis, quibus autem aliquid hic dicere ab re eſt.

ſcripſit. * „ Nec in parte tantum, ſed ubi„ cumque poteris, Henricum hæreticorum caput „ & ejus fautores perſequaris. Nullum profecto „ Deo gratius ſacrificium offerre poteris, quam „ ſi eum impugnes qui ſe contra Deum erexit, „ qui eccleſiæ Dei regnum auferre conatur, qui „ in loco ſancto Simonis idolum ſtatuit, qui a „ principibus Dei ſanctis apoſtolis eorumque vi„ cariis de eccleſiæ domo Spiritus ſancti judicio „ expulſus eſt. " Cum Alaricus rex Gothorum iret ad capiendam Romam, monitus a quodam ſervo Dei ut ab his malis ceſſaret, non volens, inquit, vado Romam: vir enim quidam me quotidie torquens urget ut eam ad deſtruendam Romam. Hoc exemplo urget apoſtolicus armigerum ſuum, ut totum depopuletur regnum, quod non poteſt fieri ſine cæde & ſanguine, & eccleſiarum Dei depopulatione, Alaricus quidem in hoc mitior fuit, qui capta Roma eccleſiis Dei pepercit, & a cæde hominum abſtinuit. Nunc nihil excepto immittitur Robertus ab apoſtolico, ut non ſolum in Cameracenſes & nos Leodienſes, ſed totus feratur ad diſpergendos omnes. Quis clamabit modo cum Iſaia: *Quam pulchri ſuper montes pedes prædicantis & annuntiantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem?* Eum qui debet eſſe prædicator pacis, zelus Dei adeo comedit, ut etiam in amicos pacis diſtringat gladium belli. Qualem enim zelum habuit Petrus in amputanda auricula Malchi, qui rex interpretatur, talem zelum habet modo vicarius Petri in amputanda auricula regis hæretici, in quem omnimodis invehitur. Dum enim hæreticorum caput Dei rebellem, regni invaſorem, ſimoniaci idoli adoratorem, ab apoſtolis & apoſtolicis excommunicatum vocat: quaſi tot ictus ictibus addit, & tot vulnera animæ ejus infligit, ut ſi infirmus in fide eſſet, deſperare poſſet. Sed qui in feriendo, Petrum imitatur, etiam in recondendo gladio Petrum imitetur. Qui enim ſanavit auriculam Malchi, poteſt etiam ſanare auriculam regis hæretici. Si talis eſt, quod abſit, & & pro nobis dolemus, & ipſi Domino noſtro condolemus. Nihil modo pro imperatore noſtro dicimus, ſed hoc dicimus, quod etiamſi talis eſſet, tamen eum principari nobis pateremur: quia ut talis nobis principetur, peccando meremur. Eſto, concedimus vobis inviti, eum talem eſſe qualem dicitis. Nec talis a nobis repellendus eſſet, armis contra eum ſumptis, ſed precibus ad Deum fuſis. Contra Pharaonem, cujus cor contra Deum induruit, Moyſes ranam, muſcam, locuſtam, grandinemque induxerat: has tamen plagas non niſi orando, extenſis in cælum manibus, avertere potuit. Et Paulus. *Obſecro*, inquit, *primo omnium fieri orationes pro regibus, & pro omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti.* Reges illius temporis, pro quibus Paulus orari obſecrabat, non catholici, non Chriſtiani erant. Baruch quoque ex ore Jeremiæ ſcribit Judæis a regibus Babylonis captivatis: *Orate pro vita Nabuchodonoſor regis, & Baltaſſar filii ejus, ut ſint dies ipſorum ſicut dies cæli ſuper terram, & det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor regis Babylonis, & Baltaſſar filii ejus, ut ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum.* Cum pro malis regibus orari debeat, Paulus dicit: ſcilicet *ut tranquillam vitam agamus*. Eſſet apoſtolicum, imitari apoſtolum: eſſet propheticum, imitari prophetam. Sed peccatis noſtris merentibus, apoſtolicus, qui etiam modo orare deberet pro rege, quamvis peccatore, ut tranquillam & quietam vitam agamus, agit bellando ne tranquillam & quietam vitam agamus. Cum ita ſibi conſonent apoſtolica & prophetica verba, quæro humiliter ego filia a matre mea ſancta Romana eccleſia, unde hæc auctoritas apoſtolico, ut præter ſpiritualem gladium, exerat in ſubjectos alterum occiſionis gladium? Non ago pro rege, ſed pro eccleſiarum matre, cujus parti timemus nos ejus filiæ. Si enim David non meruit ædificare templum Dei, quia vir ſanguinum erat: ſummus pontifex, ſi vel ſtilla ſanguinis veſtem ejus tetigerit, quomodo in ſancta ſanctorum introibit cum ſanguine Chriſti quem offerat pro ſua & populi ignorantia? O utinam non cum Pilato tantum lavet manus ſuas, dicens: *Mundus ego ſum a ſanguine innocentum*: ſed etiam cum Petro dicat: *Domine lava non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput*. Judæi non excuſaverunt manus ſuas a ſanguine Chriſti, quem ipſi hora tertia linguis ſuis, hora ſexta manibus Romanorum crucifixerunt. Apoſtolicus vero ſe excuſans dicit cum Paulo: *Mundus ego ſum a ſanguine omnium veſtrum*. Quis pontificum Romanorum unquam ſuis decretis auctorizavit, ut debeat pontifex gladio belli in peccantes uti? Gregorius primus hujus nominis papa, quid omnes ante ſe Sabiniano diacono: „ Unum eſt, quod * humi„ liter ſuggeras ſereniſſimis dominis noſtris, quia „ ſi ego ſervus eorum in mortem vel Longobar„ dorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobar„ dorum gens nec regem, nec duces, nec comi„ tes haberet, atque in ſumma confuſione * eſſet: " ſed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miſcere formido. Hoc exemplo omnes a primo Gregorio contenti utebantur ſolo gladio ſpirituali, usque ad ultimum Gregorium, id eſt ad Hildebrandum, qui primus ſe & ſuo exemplo alios pontifices contra imperatorem accinxit gladio belli. Quis poſſet regem arguere? Melius nobis intellexit Eliu, qui in libro Job de Deo ait: *Qui vocat duces impios, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi*. Quod Gregorius exponens: „ Nullus, inquit, qui talem rectorem pa„ titur, eum quem patitur accuſet: quia nimi„ rum ſui fuit meriti perverſi rectoris ſubjacere di„ tioni. Culpam ergo proprii magis accuſet ope„ ris, quam injuſtitiam gubernantis. Scriptum „ namque eſt: *Dabo tibi reges in furore meo*. Quid „ ergo illos nobis præeſſe deſpicimus, quorum ſu„ per nos regimina ex Domini furore ſuſcepimus? „ Sic ergo ſecundum merita ſubditorum tribuun„ tur perſonæ regentium, ut ſæpe qui videntur „ boni accepto mox regimine permutentur, ſicut „ Saul qui cor cum dignitate mutavit. Sic ergo „ pro

* 1 Tim. 2.

Baruch 1.

1. Paralip. 22. & 28.

Matth. 27. Joan. 19.

Marc. 15.

Act. 20

Libro 7. re. giſtri cap. 1.

* breviter.

* eſſet diviſa.

Job 34. Moral. lib. 25. cap 20.

Oſea 13.

1. Reg 15.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 18.

Isa. 52

Actor. 8. 9. & 10.

„ pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentium, ut ſæpe pro malo gregis, etiam „ vera boni rectoris vita delinquat. Certum vero „ eſt, quod ita ſibi invicem & rectorum & ple„ bium merita connectantur: ut ſæpe ex culpa „ rectorum, deterior fiat vita plebium; & ſæpe „ ex merito plebium, mutetur vita rectorum. „ Sed quia rectores habent judicem Deum, ma„ gna cautela ſubditorum eſt, non temere judi„ care vitam regentium. " Hæc Gregorii verba agunt pro nobis, quod vos Deo judicium ſuum tollatis nec attendatis quod dicit Amos propheta: *Va deſiderantibus diem Domini*. Diem Domini deſiderat, qui injuſte, vel importune, vel intempeſtive de ſubjectis judicat, vel voto cordis judicium Dei præoptat. Non dicimus imperatorem noſtrum eſſe hypocritam: ſed vos qui eum habetis pro hypocrita, miramur quod non attendatis qua cauſa Deus regnare faciat hypocritam. Si enim ceſſarit cauſa peccati, ceſſabit & pœna peccati. Quid de eo dicimus quod Henricum ab apoſtolis & apoſtolicis viris excommunicatum ſancti Spiritus judicio dicit? Nimis illum deteſtatur, quem nec regis nec imperatoris nomine dignatur. Quis poterit diſcernere cauſam regni a cauſa ſacerdotii? Niſi pax Dei, *quæ exuperat omnem ſenſum*, copulet regnum & ſacerdotium uno angulari lapide concordiæ, vacillabit ſtructura eccleſiæ, fidei fundamentum. Ut poteſtatem regni probat vel improbat cauſa moduſque regendi, ſic poteſtatem ſacerdotii probat vel improbat cauſa moduſque ligandi & ſolvendi. Nam Clemens ſcribit dixiſſe Petrum: Ligabis quod oportet ligare, & ſolves quod expedit ſolvi. Qui præeſt cæteris, oportet agere vicem medici, non beſtiali furore commoveri. Qui ergo debet agere vicem medici, audiat etiam conſilium Sapientiæ: *Omnis*, inquit, * *poteſtatis brevis eſt vita. Languor prolixior gravat medicum. Brevem languorem præcedit medicus. Sic & rex hodie eſt, & cras morietur*. Cum ab omnibus indicatur prælato virtus diſcretionis: quare apoſtolici ſuccedentes ſibi invicem, quaſi hereditario bello excommunicandi indiſcrete in regem inſurgunt, cui pro regali dignitate etiam ipſi ſubjici jubentur? Qui excommunicatur Spiritus ſancti judicio, utique repellendus eſt a Dei domo: quotieſcumque autem aliquis excommunicatur, aut ex cauſæ, aut ex perſonæ præjudicio, quis dicat hunc excommunicatum eſſe Spiritus ſancti judicio? Dicitis cum Gregorio: Quoquomodo liget paſtor, timeat grex vinculum paſtoris. Dicimus & nos cum Gregorio: Ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privat, qui ſubjectos pro ſuo velle, & non pro eorum merito, ligat & ſolvit. Dicitis: Quoquomodo excommunicatur, ſi morte prævenitur, damnatur. Hic nobis ſuccurrit Romanæ eccleſiæ auctoritas: Gregorius enim ſcripto & facto auctorizavit, quod poteſt Romanus præſul abſolvere excommunicatum injuſte ab aliquo: ſi hoc poteſt Romanus præſul, quis neget etiam Deum poſſe abſolvere, ſi quem præſul Romanus injuſte excommunicaverit? Nemo enim lædi poteſt ab alio, niſi prius lædatur a ſemetipſo. Nullum profecto, inquit, gratius Deo ſacrificium offerre poteris. Qualiter hoc ſacrificio nihil ſit gratius Deo, quæro a te, mater mea Romana eccleſia. Deo enim non placet ſacrificium, niſi mundum & immaculatum. Ideo enim lex in paſcha offerebat Deo agnum immaculatum, ut etiam offerentes eſſent immaculati. Quomodo ergo tam gratum eſt Deo hoc bellandi ſacrificium, quod non poteſt fieri ſine macula culparum? Dicit enim Malachias: *Si offeras Deo pecus claudum, cæcum, languidum, nonne malum eſt*? Apoſtolicus, qui hoc ſacrificium belli indicit Roberto filio ſuo, vellet, puto, redire ad zelum Phinees, vellet facere quod fecit Moyſes, ut manus Levitarum conſecret in ſanguine fratrum ſuorum. Perierunt filii Aaron offerentes ignem alienum. Utinam non pereat hic, qui etiam modo offert Deo ignem alienum, & non illum ignem quem venit Jeſus mittere in terram, & vult ut ardeat. Quomodo, inquam, gratum eſt Deo ſacrificium quod non videtur eſſe mundum & immaculatum? Sacrificium de rapinis pauperum erit gratum illi qui odit rapinam in holocauſtum? Nec ſacrificio de lachrymis viduarum & pupillorum delectabitur Deus, ut ait Jeſus filius Sirach: *Non deſpiciet Deus gemitum pupilli & viduæ. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillas deſcendunt, & a maxilla aſcendunt uſque ad cœlum? Et Dominus exauditor non delectabitur in illis*? Sacrificium de oppreſſionibus eccleſiarum, quomodo grate accipiet ille qui dixit: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritum, & trementem ſermones meos*? Hac calamitate apoſtolici belli quot ſunt oppreſſi, de quibus Deus dicit: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*. Sacrificium humano ſanguine inquinatum miror ſi placebit illi qui dixit: *De manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis, ſanguinem hominis requiram*. Quod per modos ſacrificandi Jeſus in evangelio tribus pene verbis concludit: *Omnis ſacrificans igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur*. Quam plane hoc eſt concluſum, quis grate Deo ſacrificet, vel quod ſit gratum Deo ſacrificium! Si ſacrificans, igne Spiritus ſancti ſalietur: victima quoque ſacrificantis, ſale ſapientiæ ſalietur. Et penetrans Jeſus altius ad intentiones cordis, addit: *Bonum eſt ſal. Quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo condietis illud*? Habete in vobis ſalem, & pacem habete inter vos. Tenorem hujus evangelici capitis quis melius exponet, quam rei & præſentis temporis conſequentia? Non poſſumus habere pacem inter nos, niſi habeamus ſalem in nobis: ſed ſalem non habemus in nobis, ideo non habemus pacem inter nos. Hoc, inquit, tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem & apoſtolicæ ſedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cæleſtem Jeruſalem pervenias. Hactenus evangelicis, apoſtolicis, & propheticis teſtimoniis innitebamur, & quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia: hic vero quid dicam neſcio, quo me vertam non video. Si enim utriuſque legis totam bibliothecam, ſi omnes totius bibliothecæ veteres expoſitores revolvam, exemplum hujus apoſtolici præcepti non inveniam. Solus Hildebrandus papa ultimam manum ſacris canonibus impoſuit, quem legimus præcepiſſe Mathildi marchioniſſæ in remiſſionem peccatorum ſuorum, ut debellaret Henricum imperatorem. Quod juſte, necne, ipſe vel alii fecerint, nulla auctoritate diſcimus. Hoc ſolum diſcimus, quia non poteſt aliquis aliquem indiſcrete ſolvere vel ligare. Ad hoc occurrit nobis ex evangelio exemplum. Jeſus Chriſtus, totum hominem ſine peccato agens, reſuſcitaturus Lazarum, videns alios pro illo plorantes, fremuit ſpiritu, turbavit ſemetipſum, lacrymatus eſt. Rurſum fremuit in ſemetipſo, juſſit tolli lapidem mortuo ſuperpoſitum, elevatis oculis oravit, voce magna clamavit: *Lazare veni foras*. Quo prodeunte ligatis manibus ac pedibus inſtitis, & ſudario facie ligata, dixit Jeſus diſcipulis ut ſolverent eum. Ecce in Lazaro pec-

Malach. 1.
Num. 25.
Exod. 32.
Levit. 10.
Luc. 11.
Amos 5.
Job 34.
Eccleſ. 35.
Iſa. 66
Zach. 2.
Deut. 9.
Matt. 5.
Ibidem
Pſal. pp. 4.
Eccleſ. 10.
* potentatus.
Pom. 16.
Ibidem.
Joan. 11.
Exod. 12.

catorem, in Jesu video prædicatorem. Quot affectus ostendit Jesus in Lazaro suscitando, tot affectus ostendit prædicator in peccatore suscitando. Si peccator, vel pro peccatore prædicator, turbaverit seipsum pœnitendo, si lacrymatus fuerit, si clamaverit, *Veni foras* confitendo peccata, si tulerit lapidem de duro corde peccantis; tandem ad jussum Dei solvat institas excommunicationis, tollat etiam a facie ejus laboriosum pœnitentiæ sudarium, & sic liberum sinat abire. Hinc Gregorius ait: „ Mortificat non Hom. 26. „ morientem qui justum damnat: nititur vivifi- „ ficare non victurum, qui reum supplicio sol- „ vere conatur. Vera est absolutio præsidentis, „ cum sequitur arbitrium æterni Judicis. Sic di- „ scipuli Lazarum jam viventem solvunt, quem „ Jesus suscitaverat mortuum. Si enim mortuum „ solverent, fœtorem magis ostenderent, quam „ virtutem. Hæc Gregorius. " Hunc morem discrete ligandi & solvendi hactenus tenebas, & nobis tenendum mandabas, o sancta mater Romana ecclesia. Unde ergo hæc nova auctoritas, per quam reis sine confessione & pœnitentia affertur præteritorum peccatorum impunitas, & futurorum libertas? Quantam fenestram malitiæ per hoc patefeciſti hominibus! Te, o mater, liberet Deus ab omni malo. Sit Jesus tibi ostium, sit ostiarius. Nullus in te introeat, nisi cui ostiarius aperuerit. Te, inquam, tuumque præsulem Matth. 7. liberet Deus, & ab his, *qui* (ut ait Michæas propheta) *seducunt populum Dei, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum bellum.*

VIII. AD CLERUM POPULUMQUE Bambergensem.

Illis Ottonem episcopum commendat.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei Clero & populo Bambergensi salutem & apostolicam benedictionem.

QUanto affectionis debito Bambergensis ecclesia ab ipso suæ institutionis primordio sedi apostolicæ constringatur, etsi nos lateret, literarum vestrarum significatio manifestat. Quod affectionis debitum venerabilis frater Otto, vestræ ecclesiæ electus, constanter tenuisse ac tenere cognoscitur, cum per tot & tanta pericula ad apostolicæ sedis visitationem percurrat. Nos igitur eum debitæ benignitatis affectione suscepimus, & juxta vestræ dilectionis desiderium, nostris tamquam beati Petri manibus, salvo metropolitani jure, vobis per Dei gratiam præsulem ordinavimus. Hunc igitur sub præsentium literarum prosecutione ad ecclesiæ vestræ regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena humilitate venerari. Confidimus enim eum disciplinæ ecclesiasticæ futurum esse custodem, & salutis vestræ solicitum provisorem. Huic ergo sedulis officiis obedite, & gratiam vobis in eo conciliate cælestem. Integritatem catholicæ fidei firmam semper in omnibus conservate: sedi apostolicæ semper devotius adhærete, ut per ejus consortium a contagiis omnibus liberi, ad æternæ salutis portum feliciter pervenire, Domino largiente, mereamur.

IX. AD HENRICUM REGEM Angliæ.

Pro Anselmo Cantuariensi archiepiscopo investituras ecclesiasticas jure contra regem propugnante.

Paschalis episcopus Henrico regi salutem.

IN literis, quas nuper ad nos per familiarem tuum nostræ dilectionis filium clericum Wilielmum transmisisti, & personæ tuæ sospitatem cognovimus, & successus prosperos, quos tibi superatis regni adversariis benignitas divina concessit. Audivimus præterea optatam virilem sobolem ex ingenua te & religiosa conjuge suscepisse. Quod profecto cum nos lætificaverit, opportunum rati sumus nunc tibi præcepta & voluntatem Dei validius inculcare, cum amplioribus beneficiis benignitati ejus te prospicis debitorem. Nos quoque divinis beneficiis benignitatem nostram penes te sociare optamus: sed grave nobis est, quia id a nobis videris expetere quod omnino præstare non possumus. Si enim consentiamus aut patiamur investituras a tua excellentia fieri: & nostrum procul dubio, & tuum erit immane periculum. Qua in re contemplari te volumus, quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil amplius obedientiæ, nihil liberalitatis per ecclesias nancisci mur: nec tibi debitæ potestatis aut juris subtrahere quidquam nitimur, nisi ut erga te Dei ira minuatur, & sic tibi prospera cuncta contingant. Ait enim Dominus: *Honorificantes me honorificabo, qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Dices itaque: Mei hoc juris est. Non utique: non est imperatorium, non regium, se divinum. Solius illius est qui dixit: *Ego sum* Joan. 10. *ostium.* Unde pro ipso te rogo, cujus hoc munus est, ut reddas hoc ipsi, ipsi dimittas cujus amori etiam quæ tua sunt debes. Nos autem cur tuæ obniteremur voluntati, cur obsisteremus gratiæ, nisi Dei sciremus nos in hujus negotii consensu voluntati obviare, gratiam amittere? Cur tibi quidquam negaremus quod cuiquam esset mortalium concedendum, cum beneficia de te ampliora sumpserimus? 1. Reg. 2.

Prospice, fili carissime, utrum decus, an dedecus tibi sit, quod sapientissimus & religiosissimus Anglicanorum episcoporum Anselmus, propter hoc tuo lateri adhærere, tuo veretur in regno consistere. Qui tanta de te bona hactenus audierant, quid de te sentient, quid loquentur, cum hoc fuerit in regionibus divulgatum? Ipsi, qui coram te tuos excessus extollunt, cum præsentia tua caruerint, hoc validius infamabunt. Redi ergo, carissime fili, ad cor tuum propter misericordiam Dei: &, propter amorem unigeniti deprecamur, revoca pastorem tuum, revoca patrem tuum. Et si quis, quod non opinamur, gravius se adversus te gesserit, si investituras aversatus fuerit: nos juxta voluntatem tuam, quantum cum Deo possumus, moderabimur. Tu tamen talis repulsæ infamiam a persona tua & regno removeas. Hæc. si feceris, etsi gravia quælibet a nobis petieris, quæ cum Deo præberi facultas sit, profecto consequeris, & pro te dominum, ipso adjuvante, exorare curabimus: & de peccatis, tam tibi, quam conjugi tuæ, sanctorum apostolorum meritis, indulgentiam & absolutionem faciemus. Filium autem tuum, quem

ex

ex ſpectabili & glorioſa conjuge ſuſcepiſti, quem, ut audivimus, egregii patris Wilielmi nomine nominaſti, tanta tecum imminentia confovebimus: ut qui te, vel illum læſerit, Romanam eccleſiam videatur læſiſſe. Datum Laterani, nono Kalendas Decembris. *Plures hujus argumenti ad regem extant apud Edinerum.*

X. AD DIDACUM COMPOSTELLANUM EPISCOPUM.

De reformandis moribus iſtius eccleſiæ deformibus, qui per bella in eam irrepſerant.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili Didaco Compoſtellano epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ECcleſia, quam regendam, diſponente domino, ſuſcepiſti, jamdiu, etiam cum paſtorem habere videretur, paſtoris ſolatiis caret. Idcirco ſtrenuitati tuæ vigilantius inſiſtendum eſt, ut in ea rite omnia juxta normam ſedis apoſtolicæ diſponantur. Cardinales in eccleſia tua presbyteros ſeu diaconos tales conſtitue, qui digne valeant commiſſa ſibi eccleſiaſtici regiminis onera ſuſtinere. Porro quæ presbyterorum interſunt, presbyteris; quæ diaconorum, diaconibus committantur: ut in aliena diſpendia nullus obrepat. Si qui ſane ante Romanæ legis ſuſceptionem ſecundum communem patriæ conſuetudinem conjugia contraxerunt, natos ex eis filios neque a ſæculari neque a dignitate eccleſiaſtica repellimus. Illud omnino incongruum eſt, quod per regionem veſtram monachos cum ſanctimonialibus habitare audimus, ad quod reſecandum experientia tua immineat; ut & qui impræſentiarum ſimul ſunt, diviſis longe habitaculis ſeparentur, prout arbitrio & religioſorum virorum conſilio melius viſum fuerit: neque in poſterum conſuetudo hujuſmodi præſumatur. Datum Laterani, incarnationis dominicæ anno milleſimo centeſimo * tertio, noſtri pontificatus * quarto.

* quarto. * quinto.

XI. AD EPISCOPOS ANAGNIÆ ET CAMPANIÆ.

De canonizatione ſancti Petri Anagniæ epiſcopi.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus epiſcopis Anagniæ, & aliis per Campaniam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DOminum excelſum habentes præ oculis, qui in amicis ſuis laudatur & benedicitur, & conſiderantes propterea ſtrenuæ probatæque vitæ merita, quibus vir ſanctus Petrus, quondam Anagniæ epiſcopus, de regula monachorum aſſumptus, in paſtorali officio pure, ſimpliciter, ſolerti vigilantia & exemplo, Deo deſervivit: admirantes etiam miraculorum inſignia, quibus ſanctum ſuum ante & poſt obitum divina gratia decoravit, prout per Brunonem Signienſem epiſcopum fideliter annotatur, & uſque ad noſtra tempora decorare non deſinit, auctoritate præſentium vobis licere volumus: & mandamus quatenus tertio Nonas Auguſti diem natalem ejuſdem confeſſoris & præſulis memorandi ſanctorum catalogo congrue celebrem recolatis: quatenus in præſenti gratiam, & in futuro, opitulante divina clementia, piis ejus interceſſionibus mereamur gloriam ſempiternam. Data Signiæ ſecundo Nonas Junii, pontificatus noſtri anno decimo.

XII. AD GEBEHARDUM CONSTANTIENSEM & Odericum Patavienſem epiſcopos.

Non quoslibet excommunicatos eſſe vitandos.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Gebehardo Conſtantienſi, Odorico Patavienſi, epiſcopis, & cæteris Teutonicarum partium tam clericis quam laicis catholicis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PRo religionis veſtræ fervore gaudemus, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui vos in ſui nominis amore confirmat. Quoſdam autem veſtrum minus ſecundum ſcientiam zelum Dei habere audivimus: ut, dum pravorum commixtionem vitant, etiam a * religionibus veſtris diſcedere meditentur. Qui profecto nequaquam laude apoſtolica digni ſunt, dum in medio nationis pravæ & perverſæ perſeverare non poſſunt, inter quos luceant velut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Uno enim pondere peccata hominum metiuntur, dum tam propriæ voluntatis merito excommunicatos, quam communicantes reos æqualiter arbitrantur: verum enimvero diverſarum voluntatum diverſus eventus agnoſcitur. Si quis enim criminoſus, juxta apoſtolum, vocatur, hujuſmodi omnino cavendus eſt: eadem etiam cautela vitandi ſunt qui excommunicatis ipſis aut actione, cum poſſint, vel, cum nequeunt, voluntate ſe copulant. Qui vero hujuſmodi excommunicatis omnino inviti, vel ſervitio, vel cohabitatione junguntur: ſi hujuſmodi perfectionis dolore tanguntur, non omnino vitandi ſunt, nec tamen ad communionem ſine correctionis medio admittendi. Hinc eſt quod prædeceſſor noſter ſanctæ memoriæ Gregorius ſeptimus papa excommunicatorum uxores, filios, ſervos, ruſticos, quorum conſilio vel voluntate, excommunicationis meritum non perpetratur, viatores quoque ob eamdem neceſſitatem invitos excommunicatis communicantes, excommunicationis vinculo non teneri conſtituit: ſicut beatus Auguſtinus ad Auxilium ſcribens evidenter oſtendit. Dignoſcant igitur fratres noſtri, in omnibus regiam tenere viam, & in medio nationis pravæ & perveriæ tamquam luminaria lucere ſtudeant: ut non ſuæ tantum, ſed ut alienæ ſalutis mercedem a Deo mereantur accipere, quod ſingulorum excommunicatorum voluntates & cauſas diſcutiant: quia nuda omnia & aperta ſunt oculis ejus de cujus miſeratione confidimus, quia ſimplicis oculi corpus, tenebrarum caligine non opprimetur, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum.

* Forte, religionibus. H.

XIII. AD AUGUSTANUM CLERUM ET PLEBEM.

Contra epiſcopum cauſam agentes ad præfixum terminum citantur.

VEnit ad nos, &c. *Extat infra in concil. Guaſtallenſi.*

XIV. AD EOSDEM.

Iisdem ob pacem cum episcopo suo initam gratulatur.

POst impetitionem, &c. *Extat infra in concilio Guastallensi.*

XV. AD CLERUM ET PLEBEM ARELATENSEM.

Ut in locum Gibelini episcopi sui Hierosolymam translati alium eligant.

Paschalis episcopus servus servorum Dei, clero & populo Arelatensi, salutem & apostolicam benedictionem.

PRo negotiis & scandalis quæ in Hierosolymitana ecclesia fuerant, venerabilem fratrem nostrum Gibelinum, quondam ecclesiæ vestræ antistitem, ad partes illas cum nostra legatione direximus; cujus nimirum persona ita in omnibus placuit, quod eum clerus & populus ejusdem ecclesiæ unanimi voto, communi desiderio, in patrem sibi & pastorem elegerunt. Nos enim, quoniam diu episcopali regimine fuerant destituti, electionem ipsam assertione nostra firmavimus, vestram itaque dilectionem literis præsentibus præmonemus & hortamur in domino, ut & vos canonicum pastorem vobis eligere properetis: nec vobis grave & durum vehementius videatur. Illum enim tanto ardore Hierosolymitana susceperit ecclesia, quod eum, etsi nos omnino velimus, vobis reddere nullo modo possimus. Data Laterani quarto Nonas Januarii.

XVI. AD ANSELMUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Auctior quam apud Bintur. De concordia cum rege inita ei gratulatur.

Paschalis episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, salutem & benedictionem.

QUod Anglici regis ad apostolicæ sedis obedientiam omnipotentis Dei dignatio inclinavit, eidem miserationum domino gratias agimus, in cujus manu regum corda versantur. Hoc nimirum tuæ caritatis gratia, tuarumque orationum instantia, factum credimus, ut in hac parte populum illum, cui tua solicitudo præsidet, miseratio superna respiceret. Quod autem & regi, & iis qui videntur obnoxii, adeo condescendimus: eo affectu & compassione factum noveris, ut eos qui jacebant erigere valeamus. Qui enim stans jacenti ad sublevandum manum non porrigit, nunquam jacentem eriget, nisi & ipse curvetur. Cæterum quamvis casui propinquare inclinatio videatur, statum tamen rectitudinis non amittit. Tu autem, in Christo venerabilis & carissime frater, ab illa prohibitione, sive, ut tu credis, excommunicatione absolvimus, quam ab antecessore nostro sanctæ memoriæ Urbano papa * adversus investituras aut hominia factam intelligis. Tu vero eos qui aut investituras accepere, aut investitos benedixere, aut hominia facere, cum ea satisfactione, quam tibi per communes legatos * Wilielmum ac Balduinum viros fideles & veridicos significamus, domino cooperante, suscipito, & eos vice nostræ auctoritatis absolvito: quos vel ipse benedicas, vel a quibus volueris benedici præcipias, nisi in iis aliud forte reperias, propter quod a sacratis honoribus sint repellendi. Cæterum Elienſi abbati tuæ commissionis consortium subtrahes, quamdiu abbatiam retinere præsumpserit, quam contempto nostri oris quod præsens audierat, interdicto * per repetitam investituram præsumpsit invadere. Si qui vero deinceps præter investituras ecclesiarum prælationes assumpserint, etiamsi regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc a benedictionis munere arceantur: donec per omnipotentis Dei gratiam ad hoc omittendum cor regium tuæ prædicationis imbribus molliatur. Præterea super episcopis, qui falsum, ut nosti, a nobis rumorem attulerunt, cor nostrum * commotum est vehementius: quia non solum nos læserunt, sed multorum simplicium animas deceperunt, & regem adversus caritatem sedis apostolicæ impulerunt. Unde & inultum eorum flagitium, Domino cooperante, non patimur: sed quia filii nostri regis instantia pro iis nos pulsat attentius, etiam ipsis communionis tuæ participium non negabis. Sane regem & ejus conjugem, & proceres illos qui pro hoc negotio * cum rege ex præcepto nostro laboraverunt, & laborare nitentur, quorum nomina ex supradicti Wilielmi suggestione cognosces, juxta sponsionem nostram a peccatis & pœnitentiis absolves. Igitur quandoquidem omnipotens Deus vos in Angliæ regno, ad suum & ecclesiæ suæ honorem, in hac præstitit correctione proficere: ea deinceps mansuetudine, dispensatione sapientiæ, provisione circa regem ac principes, tua fraternitas satagat, ut quæ minus adhuc correcta sunt auxiliante Domino Deo nostro per tuæ solicitudinis studium corrigantur. Qua in re ita dilectioni tuæ nostrum sentias adesse præsidium, ut quæ solveris, absolvamus: quæ ligaveris, alligemus. Rotomagensis * episcopi causam & interdictum justitia dictante prolatum tuæ deliberationi commisimus. Quod enim indulseris, indulgemus. Fraternitatem tuam superna dignatio per tempora longa conservet incolumem. Datum decimo Kal. April.

* In tom. Clarom. & Romano.

* Matthæum Cantuariensem, legatum S. Anselmi.

* Forte, ut H.

* al. vehementius aggravatur.

* al. circa regem.

* Quibus.

XVII. AD GERARDUM ARCHIEPISCOPUM EBORACENSEM.

Monetur ut professionem Anselmo Cantuariensi juxta morem prædecessorum suorum faciat.

Paschalis episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Eboracensi archiepiscopo Gerardo, salutem & apostolicam benedictionem.

QUamquam prave contra nos, immo contra matrem tuam sanctam Romanam ecclesiam, te non ignoremus egisse: præsentibus tamen tibi litteris mandamus, ut professionem venerabili fratri nostro Anselmo Cantuariensi archiepiscopo facere non negligas. Audivimus enim Thomam quondam prædecessorem tuum ex hac eadem re contentionem movisse: & cum in præsentia domini Alexandri papæ secundi ventilata esset, ex præcepto ejus definitione habita, post varias disquisitiones, Lanfranco prædecessori suo & successoribus suis eamdem professionem fecisse. Unde & nos, quod tunc temporis definitum est, volumus, auctore Deo, firmum illibatumque servari. Data Benevent. pridie Idus Decembr.

XVIII.

XVIII. AD BALDUINUM HIEROSOLYMITARUM REGEM.

Decernit ut, ad ampliandos fines Hieroſolymitanæ diœceſeos, omnes urbes quas ſubegerit, Hieroſolymitano tamquam metropolitano ſubjaceant.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, glorioſo Hieroſolymitano regi Balduino, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ECcleſiarum, quæ in veſtris partibus fuerunt vel ſunt, terminos atque poſſeſſiones diutina infidelium poſſeſſio tyranniſque confundit. Cum itaque certos ejus fines aſſignare deliberatione nequeamus, tuis precibus non immerito duximus annuendum: ut, quia pro Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſublimatione perſonam tuam extremis periculis exponere devoviſti, quaſcumque infidelium urbes ceperis vel cepiſti, ejuſdem eccleſiæ regimini dignitatique ſubjaceant. Porro earumdem civitatum epiſcopi patriarchæ tanquam proprio metropolitano obedientiam exhibere procurent: quatenus & ipſe illorum fultus ſuffragiis, & ipſi adinvicem ipſius unanimitatis auxilio vegetati, ſic in Hieroſolymitanæ eccleſiæ exaltatione proficiant, ut de illorum profectibus omnipotens Deus glorietur. Data Laterani quinto Idus Junii.

XIX. AD GIBELINUM HIEROSOLYMITANUM PATRIARCHAM.

Ejuſdem argumenti.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverendiſſimo fratri Hieroſolymitano patriarchæ Gibelino, & ſucceſſoribus ejus in perpetuum canonice promovendis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SEcundum mutationes temporum transferuntur etiam regna terrarum. Unde etiam eccleſiaſticarum parochiarum fines in pleriſque provinciis mutari expedit & transferri. Aſianarum ſiquidem eccleſiarum fines antiquis fuerunt definitionibus diſtributi, quas diſtributiones diverſarum diverſæ fidei gentium confudit irruptio. Gratias autem Deo, quod noſtris temporibus & Antiochiæ & Hieroſolymæ civitates, cum ſuburbanis ſuis & adjacentibus provinciis, in Chriſtianorum principum redactæ ſunt poteſtatem. Unde oportet nos divinæ mutationi & translationi manum apponere: & ſecundum tempus, quæ ſunt diſponenda, diſponere: ut Hieroſolymitanæ eccleſiæ urbes illas & provincias concedamus, quæ glorioſi regis Balduini ac exercitum eum ſequentium ſanguine per Dei gratiam acquiſitæ ſunt. Præſentis itaque decreti pagina, tibi, frater carilſime & coepiſcope Gibeline, tuiſque ſucceſſoribus, & per vos ſanctæ Hieroſolymitanæ eccleſiæ, patriarchali ſive metropolitano jure regendas diſponendaſque ſancimus civitates omnes atque provincias quas ſupradicti regis ditioni aut jam reſtituit, aut in futurum reſtituere gratia divina dignabitur. Dignum eſt enim, ut ſepulcri dominici eccleſia, ſecundum fidelium militum deſideria, competentem honorem obtineat: & Turcarum ſeu Saracenorum jugo libera in Chriſtianorum manu, abundantius exaltetur.

XX. AD BERNARDUM ANTIOCHENUM PATRIARCHAM.

Nuntiat ſe non intendiſſe, conceſſione privilegii ſupradicti, Antiochenæ patriarchalis eccleſiæ dignitatem imminuere.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Bernardo Antiocheno patriarchæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUamvis inter cæteras ſedes apoſtolica illa ſedes emineat, quam Petri apoſtoli morte in corpore dignatio ſuperna clarificavit: inter Romanum tamen & Antiochenum epiſcopos tanta quondam legitur caritas extitiſſe, ut nulla inter eos diverſitas videretur. Eadem Petri perſona utraſque illuſtravit eccleſias. Multa poſthac tempora tranſierunt, quibus infidelium dominatio unitatem hanc in perſonis præſidentium impedivit. Gratias autem Deo, quod temporibus noſtris Chriſtianorum principatum in Antiochena civitate reſtituit. Dignum eſt igitur, cariſſime frater, ut ejuſdem caritatis unitas firma permaneat: nec de nobis menti tuæ opinio ulla ſubrepat quod Antiochenam eccleſiam deprimere aut inhonorare velimus. Si quid ergo vel Antiochenæ vel Hieroſolymitanæ eccleſiæ, aliter fortaſſe quam oportuit, de parochiarum finibus ſcripſimus, nec levitati eſt nec malitiæ adſcribendum, nec propter hoc apud nos eſt ſcandalum concitandum: quoniam & locorum longinqua prolixitas, & antiquorum nominum commutatio, quæ civitatibus vel provinciis accidit, magnam nobis ambiguitatem vel ignorantiam attulerunt. Cæterum & optavimus, & optamus non ſcandali ſed pacis ſomitem fratribus miniſtrare, ſuum jus & honorem quibuſcumque eccleſiis conſervare. Data Laterani ſexto Idus Auguſti.

XXI. AD DIDACUM COMPOSTELLANUM EPISCOPUM.

Monet ut Uraca regina, filia regis Caſtellæ, ſub pœna privationis regni ab inceſtu, quem contraxit ineundo matrimonium cum Alphonſo Aragoniæ rege ſibi in tertio gradu conſanguinitatis conjuncto, deſiſtat.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Didaco Compoſtellano epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AD hoc te omnipotens Deus populo ſuo præeſſe conſtituit, ut eorum peccata corrigas, & Domin annunties voluntates. *Et infra*: Stude igitur ſecundum datam tibi divinitus facultatem tantum inceſti facinus, quod a regis filia perpetratum eſt, debita ultione corrigere: ut vel a tanta præſumptione deſiſtat, vel eccleſiæ conſortio, & ſæculari poteſtate privetur, &c.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Hæc tantum ex Paſchalis papæ litteris deſcripta invenimus: cæterum cum non paruiſſent apoſtolicis juſſis, Deum vindicem ſunt experti. Uraca ſiquidem morte ſubitanea, per medium cum crepuiſſet, extincta eſt, & Alphonſus in Saracenico bello peremptus, prout uterque Rosericus affirmat. Apud Ioan. Marian. lib. 10. c. 8.

XXII. AD HENRICUM V. IMPERATOREM.

De inveſtituris. Ex concilio Lateranenſi ſcripta.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Henrico regi, & ejus ſucceſſoribus imperatoribus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DIvinæ legis inſtitutionibus ſancitum eſt, & ſacris canonibus interdictum, ne ſacerdotes curis ſæcularibus occupentur, neve ad comitatum, niſi pro damnatis eruendis, atque pro aliis qui injuriam patiuntur, accedant. Unde & apoſtolus Paulus inquit: *Judicis ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* In veſtri autem regni partibus, epiſcopi vel abbates adeo curis ſæcularibus occupantur, ut comitatum aſſidue frequentare, & militiam exercere cogantur: quæ nimirum aut vix aut nullo modo ſine rapinis, ſacrilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibetur. Miniſtri vero altaris, miniſtri curiæ facti ſunt: quia civitates, ducatus, marchionatus, monetas, turres, & cætera ad regni ſervitium pertinentia a regibus acceperunt. Unde etiam mos eccleſiæ inolevit, ut electi epiſcopi nullo modo conſecrationem acciperent, niſi per manum regiam inveſtirentur. Aliquando etiam vivis epiſcopis inveſtiti ſunt. His & aliis plurimis malis, quæ per inveſtituram plerumque contigerant, prædeceſſores noſtri Gregorius [ſeptimus] octavus, & Urbanus ſecundus, felicis memoriæ pontifices excitati, collectis frequenter epiſcopalibus conciliis, inveſtituras illas manus laicæ damnaverunt: & ſi qui clericorum per eam temniſſent eccleſias, deponendos; datores quoque communione privandos percenſuerunt: juxta illud apoſtolorum canonum capitulum, quod ſe ita habet: Si quis epiſcopus ſæculi poteſtatibus uſus, eccleſiam per ipſas obtineat; deponatur, & ſegregetur, omneſque qui illi communicant. Quorum veſtigia ſubſequentes, & nos eorum ſententiam epiſcopali concilio confirmamus. Tibi itaque, fili carilſime, Henrice rex, & nunc per officium noſtrum, Dei gratia Romanorum imperatori, & regno regalia illa dimittenda præcepimus, quæ regnum manifeſte pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & cæterorum prædeceſſorum tuorum. Interdicimus etiam, & ſub anathematis diſtrictione prohibemus, ne qui epiſcoporum ſeu abbatum præſentium vel futurorum, eadem regalia invadant, id eſt, civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, telonium, mercatum, advocatias, jura centurionum & turres, quæ regni erant, cum pertinentiis ſuis, militiam & caſtra: & ne ſe deinceps, niſi per gratiam regis de ipſis regalibus intromittant. Sed nec poſteris noſtris liceat, qui poſt nos in apoſtolica ſede ſucceſſuri erunt, aut te aut regnum ſuper hoc inquietare negotio. Porro eccleſias cum oblationibus & hereditariis poſſeſſionibus, quæ ad regnum manifeſte pertinebant, liberas manere decrevimus: ſicut in die coronationis tuæ omnipotenti domino in conſpectu totius eccleſiæ promiſiſti. Oportet enim epiſcopos curis ſæcularibus expeditos curam ſuorum agere populorum, nec eccleſiis ſuis abeſſe diutius. *Ipſi enim*, juxta Paulum apoſtolum, *pervigilant, tamquam rationem pro animabus eorum reddituri.* De traditione vero in nos vel in noſtros ſic ſe res habet. Vix portas civitatis ingreſſi ſumus, cum noſtris intra muri mœnia ſecure vagantibus, quidam vulnerati, alteri interfecti, omnes A vero ſpoliati, aut capti ſunt: ego tamen quaſi pro levi cauſa non mutatus, bona & tranquilla mente uſque ad eccleſiæ B. Petri januas cum proceſſione perveni, quod ſic geſtum fuiſſe rei veritas multorum adſtipulata teſtimoniis qui interfuere proteſtatur.

XXIII. AD JOANNEM TUSCULANUM, & Leonem Vercellenſem epiſcopos & cardinales.

Conceſſionem inveſtiturarum imperatori factam ſe caſſaturum & irritaturum promittit.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Joanni Tuſculano, & Leoni Vercellenſi epiſcopis, & cardinalibus in unum congregatis, conſortium & pacem in Chriſto.

ID quod in perſonam noſtram, immo in patrem veſtrum, præter ipſius eccleſiæ judicium atque præſentiam vos egiſtis, etſi vobis ex zelo Dei viſum ſit, non tamen, ut mihi videtur, canonico tramite inceſſiſtis: non enim caritas, ſed æmulatio id dictaſſe perſpicitur. Quocumque tamen modo factum ſit, nos tamen confiſi de miſericordia divina, pro animæ noſtræ ſalute cogitamus, & commiſſum, quod pro fratribus atque filiis, pro excidio Urbis & univerſæ provinciæ fecimus, emendare curabimus, ut quod terreni, in me quoque correxiſſe, oſtendatur eccleſiæ. Vos autem pro eccleſia in eccleſia agite, ut illum eccleſiæ Dei zelum quem habetis, & habere oſtenditis, ipſa experiatur eccleſia. Valete in Domino. Datum Tarracinæ tertio Nonas Julii.

XXIV. AD GUIDONEM VIENNENSEM EPISCOPUM.

Inveſtituram clericorum regibus adimendam.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Viennenſi archiepiſcopo Guidoni & apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SI conſtantiam tuam ſæva illa barbaries minis, blandimentis, aut aliis modis tentat inflectere, prudentia tua immobilis perſeveret: ſi enim in viridi ligno ſic factum eſt, quid fiet in aliis? Si in capite ſic perpetratum eſt, quid fiet in membris? Igitur, frater cariſſime, in tuo bono incepto conſtanter & viriliter, Deo præſtante, permaneas. Minæ, vel blandimenta, vel alii ſuaſionis aut diſſuaſionis modi, providentiam tuam non moveant: ſed ita Domino auxiliante perdura, ut aliis tua conſtantia ſalutaris perſeverantiæ ſit exemplum. Quæ cognoſcere poſtulaſti, hæc ſunt: Scripta, quæ in tentoriis, in quibus cum multitudine clericorum & civium Urbis & totius provinciæ cuſtodiebamur, pro libertate eccleſiæ, & pro abſolutione captivorum omnium, & pro excidio quod eccleſiæ, Urbi, & univerſæ provinciæ, ſuperincumbente undique gladio, imminere videbatur, de electione, ſeu de inveſtituris perſonarum facta ſunt, videlicet, ut electione libera facta ſine vi & ſimonia, conſenſu regis, facultatem habeat rex inveſtiendi per virgam & annulum, & electus a clero & populo non conſecretur, niſi a rege inveſtiatur: ego canonica cenſura caſſa omnino & irrita judico, & ſub damnatione perpetua permanere decerno, ut nullius unquam auctoritatis ſint, & nullius bonæ

ne memoriæ. Ea vero quæ ſacri apoſtolorum canones, & Antiochenum, ac univerſa concilia, & prædeceſſores noſtri, & præcipue felicis memoriæ domnus Gregorius & Urbanus de his prohibuerunt, damnaverunt, ſtatuerunt, & firmaverunt, ego prohibeo, damno, conſtituo, & confirmo, & me illorum ſanctiones profiteor ſervaturum.

XXV. AD AUGUSTANÆ ECCLESIÆ CLERUM.

Epiſcopum ſuum de adulterio accuſatum a ſe necdum eſſe abſolutum.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Auguſtenſis eccleſiæ clericis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PRo querelis quibuſdam, quæ ſuper epiſcopo veſtro ad audientiam noſtram ante quinquennium pervenerunt, nos ei tunc temporis officium epiſcopale interdixiſſe meminimus: quia & a noſtro id temporis legato bonæ memoriæ Richardo Albano epiſcopo, ſicut veſtris ſignificatur litteris, invitatus, & noſtra præceptione prænonitus, nequaquam ad ſtatutum terminum ante nos curavit occurrere, aut purgationis debitum exhibere. Ex illo namque tempore nunquam interdicti remiſſionem nos ei feciſſe meminimus.

XXVI. AD ARNOLDUM ARCHIEPISCOP. MOGUNTINUM.

Illi cauſam epiſcopi Auguſtani ad audiendum & decidendum committit.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Arnoldo venerabili fratri Moguntino archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SUper cætera horrenda & infamia, quæ de perſona Auguſtenſis jamdudum ad ſedis apoſtolicæ audientiam perlata ſunt, nuper querelam Adalberti Auguſtenſis civis lacrymabili ſuggeſtione ſuſcepimus: quam nimirum perſonis eccleſiaſticis & dicere & audire turpe eſt, ſed ex ipſius Adalberti poteris relatione cognoſcere. Tibi ergo, ad quem hujuſmodi diſcuſſio pro metropolitanæ dignitatis debito attinet, litterarum præſentium præceptione injungimus, ut hujuſce negotii veritatem, convocatis fratribus, ſolicita inquiſitione, diſcutias, & quod juſtitia exegerit decernatis: Quod enim a vobis juſte & rationabiliter, auctore Deo, ſtatutum fuerit, nos ratum habebimus.

Hanc epiſt. a Conrado canonico Auguſtano confictam eſſe cenſet Baronius an. 1122. n. 25.

XXVII. AD CANONICOS AUGUSTANÆ ECCLESIÆ.

De cauſa epiſcopi ſui ſupradicti.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis D. decano, & cæteris Auguſtenſis eccleſiæ canonicis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DIu eſt quod frater noſter Herimannus epiſcopus veſter de tribus apud nos fuit capitulis impetitus, de pravo videlicet electionis & conſecrationis acceſſu, de converſatione perverſa, & de rerum eccleſiaſticarum diſtractione. Pro quibus, ipſo ab epiſcopali officio ſuſpenſo, terminus conſtitutus eſt, quo pars utraque ante noſtram deberet præſentiam convenire. Infra quem nimirum terminum confrater veſter & concanonicus Conradus ad nos venit: &, ſicut ipſe aſſerit, a nobis accepit, quod epiſcopus liber eſſet, niſi illi conſtituto termino convenirent. Cum itaque nuper ante nos, & de quibuſdam aliis gravibus idem diffamaretur epiſcopus, cum his ad memoriam noſtram etiam illa præterita redierunt. Unde opportunum duximus, cauſam ipſius, ne diutius eccleſiæ detrimentum afferat, terminare. Sed quoniam propter difficultates itinerum, & perſonæ infirmitatem, noſtro nequit ſe offerre conſpectui: confratri noſtro Widoni Curienſi epiſcopo negotium iſtud providimus injungendum. Præcipimus ergo ut ipſe cauſam omnem diligentius audiat. Et ſi epiſcopus veſter de rerum eccleſiaſticarum, & de perverſæ converſationis vita emendationem fecerit, & de aliis quæ objecta ſunt, tertia epiſcoporum *, vel quinta presbyterorum manu ſe purgaverit: reſtitutionem interdicti ſibi officii conſequatur. Datum Beneventi Kalendis Aprilis.

* Vide notas ad epiſt. 40.

XXVIII. AD BERNARDUM ANTIOCHENUM PATRIARCHAM.

Significat privilegium Hieroſolymitanæ eccleſiæ in præjudicium Antiochenæ non conceſſiſſe.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, coepiſcopo Bernardo Antiocheno patriarchæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIcut aliis litteris fraternitati tuæ ſcripſimus, nos & perſonam tuam, & eccleſiam tibi commiſſam, plena caritate diligimus: nec ullo modo volumus honorem veſtræ dignitatis imminui, quin Antiocheni patriarchatus prælatio, ſicut præteritis temporibus conſervata eſt, ita etiam in futurum integra, præſtante Domino, conſervetur. Illud autem, quod filio noſtro Balduino Hieroſolymitanorum regi per nuntios ſuos intercedenti conceſſimus, caritatem veſtram omnino conturbare non debet, ſi litterarum noſtrarum ſenſum interius perſcruteris. „ Sic enim in eis ſcriptum „ eſt: Eccleſiarum, quæ illis in partibus fuerunt „ vel ſunt, terminos atque poſſeſſiones diutina „ infidelium poſſeſſio tyranniſque confudit. Cum „ itaque certos eis fines aſſignare præſenti deli„ beratione nequeamus: tuis non immerito pre„ cibus duximus annuendum, ut, quia pro Hie„ roſolymitanæ eccleſiæ ſublimatione perſonam „ tuam extremis periculis devoviſti, qualcumque „ infidelium urbes cepeſis vel cepiſti, ejuſdem „ eccleſiæ regimini dignitatique ſubjaceant. “ Eodem ſenſu illa etiam verba diſcutienda ſunt, quæ felicis memoriæ Gibelino Hieroſolymitano patriarchæ de civitatibus atque provinciis ſcripſimus, quæ ſupradicti Balduini regis prudentia & exercituum eum ſequentium ſanguine per Dei gratiam acquiſitæ ſunt. Siquidem eccleſias illas, quibus certi fines aſſignari poſſunt, quarum termini ac poſſeſſiones diutina poſſeſſione ac tyrannide confuſi non ſunt, & ipſarum eccleſiarum urbes, illi volumus eccleſiæ ſubjacere, ad quam ex antiqua ſciuntur juſtitia pertinere. Non enim volumus aut propter principum potentiam, eccleſiaſticam minui dignitatem; aut pro eccleſiaſtica dignitate, principum potentiam mutilari. Data Beneventi decimoquinto Kalendas Aprilis.

XXIX. AD BALDUINUM REGEM HIEROSOLYMITANUM.

Ejuſdem argumenti.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cariſſimo Baldvino illuſtri Hieroſolymitanorum regi, ſalutem & benedictionem apoſtolicam.

COnceſſio illa, quam nos petitioni tuæ accommodavimus, ut quaſcumque infidelium urbes ceperis, vel cepiſti, Hieroſolymitanæ eccleſiæ regimini dignitatique ſubiaceant, non patrum cum fratrem noſtrum Bernardum patriarcham, tum univerſam Antiochenam turbavit eccleſiam. Cum enim nos conceſſionem illam ſuper illis eccleſiis indulſerimus, quarum terminos & poſſeſſiones diutina infidelium poſſeſſio & tyrannis confudit: illi eas eccleſias a Hieroſolymitano patriarcha, te connivente invaſas conquerunter, de quibus ambiguitas nulla ſit, quin eas, etiam Turcarum vel Saracenorum temporibus, ſedes Antiochena poſſederit: quia earum epiſcopi, etiam infidelium oppreſſi tyrannide, Antiocheno patriarchæ obedientiam exhibebant. Porro nos litteris ad ſupradictum patriarcham miſſis, Antiocheni patriarchatus prælationem, ſicut ab antiquis patribus diſtributa & præteritis temporibus conſervata eſt, ita etiam in futurum integram ſervari ſanxeramus. Tuam igitur ſtrenuitatem monemus, & monentes præcipimus: ne a te, invaſiones hujuſmodi fieri, ubi manifeſta eſt veritas, permittantur; ſed unaquæque eccleſia, juſtitiæ ſuæ limitibus perfruatur. Nec enim poſſumus manifeſte ſanctis patrum noſtrorum conſtitutionibus obviare: nec omnino volumus, aut pro principum potentia, eccleſiaſticam minui dignitatem; aut pro eccleſiaſtica dignitate, principum potentiam mutilari: ne apud vos occaſione alterutra, pax, quod abſit, turbetur eccleſiæ. Clericis quoque Hieroſolymitanis per præſentia ſcripta præcipimus, quandoquidem paternas poſſeſſiones & patriam pro eccleſiæ, ut creditur, exaltatione, pro religionis obſervantia reliquerunt: ut jure Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſint contenti, nec injuſte aut procaciter ea uſurpare contendant, quæ certo ſciuntur ad jus Antiochenæ eccleſiæ pertinere. Omnipotens Dominus ſua te in omnibus dextera protegat, de hoſtibus eccleſiæ triumphare concedat. Data Laterani, decimoquinto Kalendas Aprilis.

XXX. AD EPISCOPOS ET REGEM ANGLIÆ.

De dignitate eccleſiæ Cantuarienſis.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Angliæ epiſcopis, & cariſſimo filio Henrico illuſtri regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VEniente ad nos cariſſimo ac reverendiſſimo fratre noſtro Radulfo archiepiſcopo, veſtram ad nos miſſam legationem per venerabilem epiſcopum Herebertum Norwicenſem cognovimus. Et quidem gravibus infirmitatum moleſtiis impediti iidem fratres & coepiſcopi, pervenire ad noſtram præſentiam minime valuerunt. Sed nuntiorum honeſtis venerabilibuſque perſonis pervenientibus, eorum ſcripta ſuſcepimus: in quibus & ipſorum poſtulationes & veſtræ legationis vota perſpeximus. Id enim optabatur, id poſcebatur, ne eccleſia Cantuarienſis temporibus noſtris ſua dignitate privetur: ne nos eamdem dignitatem minuamus, aut minui ſinamus: qua videlicet potita eſt, ex quo a B. Gregorio per B. Auguſtinum fundata eſt. Præter hæc litterarum indicia, legati qui ad nos miſſi ſunt, ut ſapientes ac ſtrenui viri, aſſertiones ſuas prudenter, inſtanter, & efficaciter executi ſunt. Nos profecto & legatorum perſonas, & aſſertiones, & veſtrum omnium legationes, tamquam cariſſimorum fratrum, benigne hilariterque ſuſcepimus: quod vobis in Domino propter Dominum placere optamus. Veſtræ ergo dilectioni notum facere volumus, quod Cantuarienſis eccleſiæ dignitatem nec imminuimus, nec imminuere * deſideramus. Beatum namque Gregorium apoſtolicæ ſedis pontificem, tamquam præcipuum Chriſti Domini membrum, tamquam Chriſtiani populi paſtorem & doctorem, & tamquam ſaluris æternæ miniſtrum, in omnibus veneramur: & rata eſſe cupimus, quæ ab ejus inſtitutionibus proceſſerunt. Illam ergo dignitatem, quam ab eo per B. Auguſtinum Cantuarienſis ſuſcepit eccleſia, & quam ſanctæ memoriæ frater noſter Anſelmus jure ac poſſeſſione legitima tenuiſſe cognoſcitur, nos profecto nullatenus imminuimus: ſed in eodem ſtatu eſſe Cantuarienſem eccleſiam volumus, ut authentica ejus privilegia, juxta canonum ſanctiones, nullis perturbationibus violentur. Data Beneventi nono Kalendas Aprilis.

* deliberamus.

XXXI. AD HENRICUM REGEM ANGLIÆ.

In cauſa Turſtani Eboracenſis archiepiſcopi abſque judicio e ſua eccleſia ejecti.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Henrico illuſtri regi Anglorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOs, auctore Deo, de probitate tua, non tantum bona, ſed meliora confidimus. Idcirco monemus excellentiam tuam, ut divinæ gratiæ memor ſemper exiſtas, qui tibi & regni pacem & juſtitiæ notitiam tribuit. Honorem igitur Dei & eccleſiarum ejus in regno tuo diligenter obſerva, & juſtitiam efficaciter exequere: quia per honorem Dei, tuus profecto augebitur. Audivimus electum Eboracenſem, virum ſapientem & ſtrenuum, ſine judicio ab Eboracenſi eccleſia ſequeſtratum: quod nimirum divinæ juſtitiæ, & ſanctorum patrum inſtitutionibus adverſatur. Nos quidem neque Cantuarienſem eccleſiam minui, neque Eboracenſem volumus præjudicium pati: ſed eam conſtitutionem, quæ a B. Gregorio Anglicæ gentis apoſtolo inter eaſdem eccleſias conſtituta eſt, firmam cenſemus illibatamque ſervari. Idem ergo electus, ut juſtitia exigit, ad ſuam eccleſiam omnimodis revocetur. Si quid autem quæſtionis inter eaſdem eccleſias naſcitur, præſentibus utriuſque partibus in noſtra præſentia pertractetur.

XXXII. AD PONTIUM CLUNIACENSEM ABBATEM.

De non porrigenda communione intincta.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cariſſimo filio ſuo Pontio Cluniacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SCribens ad Cæcilium B. Cyprianus, ait: Quando aliquid Deo inſpirante & mandante præcipitur, neceſſe eſt Domino ſervus fidelis obtemperet, excuſatus apud omnes, quod nihil ſibi arroganter aſſumet, ne aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit. Igitur in ſumendo corpore & ſanguine Domini, juxta eumdem Cyprianum, dominica traditio ſervetur, nec ab eo quod Chriſtus magiſter & præcepit & geſſit, humana & novella inſtitutione diſcedatur. Novimus enim per ſe panem, per ſe vinum ab ipſo Domino traditum. Quem morem ſic ſemper in ſancta eccleſia conſervandum docemus atque præcipimus, præter in parvulis ac omnino infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt.

NOTA SEVERINI BINII.

Ut accipias bene quæ hic de non porrigenda communione intincta, ſed ſeorſum in ſpecie panis, & ſpecie vini ſeorſum, decernuntur a pontifice, conſulendus eſt tibi Micrologus, cujus auctor claruit ſub Gregorio ſeptimo. Iſte enim de vitanda intinctione capitulo 26. ſcripſit illa: *Non eſt authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & infundum, pro complemento communionis, populo diſtribuunt. Nam ordo Romanus contradicit*, &c. Cum autem nec ſic reprehenſus pravus ſubintroductus uſus in communione ceſſaret: Paſchalis apoſtolica auctoritate hunc modum diſtribuendi prohibuit, & priſtinum uſum hac epiſtola decretali revocavit. Sed cum nec ſic ceſſaretur ab uſu introducto intinctionis, communionem ſub una tantum ſpecie panis frequentare eccleſia poſtea cœpit, & frequentari deinceps merito præcepit.

G. C. Vide notam Petri de Marca ad canonem XXVIII. concilii Claromontani.

Ex tom. III. Spicilegii Dacheriani.

XXXIII. AD DAIMBERTUM ARCHIEPISC. SENONENSEM.

Conſecratum a ſe Pariſienſem epiſcopum commendat.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Daimberto Senonenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VEnit ad nos cum tuo, ſeu ſuffraganeorum tuorum teſtimonio, Pariſienſis eccleſiæ electus, per nuntios & per litteras ejuſdem eccleſiæ preces afferens, ut a nobis, Dei gratia, deberet in epiſcopum conſecrari. Nos perſonæ gravitatem videntes, morum maturitatem attendentes, infirmitati diutinæ compatientes, eccleſiæ preces duximus audiendas. Salvo igitur in omnibus Senonenſis eccleſiæ jure, & perſonæ tuæ reverentia, eum noſtris tamquam B. Petri manibus, largiente Domino, conſecravimus. Ipſum itaque ad dilectionem tuam cum B. Petri gratia remittentes, litteris præſentibus plurimum commendamus, omnipotentem Dominum rogantes, ut eum ad vos reducat incolumem, & eccleſiæ ſuæ utiliorem fore concedat.

XXXIV. AD LAMBERTUM EPISCOPUM ATREBATENSEM.

Ex tom. III. Spicilegii Dacheriani.

Confirmat Atrebatenſem epiſcopatum: inter quem & Cameracenſem, limites conſtituit.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

QUæ a patribus conſtituta ſunt, oportet profecto ut ſub metu & irrefragabili auctoritate teneantur. Dignum enim eſt, ut nulla deſidia negligantur, nulla diſſenſione violentur, nulla concertatione turbentur. Unde & nos, quod a piæ memoriæ prædeceſſore noſtro Urbano de reſtitutione Atrebatenſis eccleſiæ conſtitutum eſt, juſtum omnino, & ſacris canonibus congruum perpendentes, noſtri quoque decreti auctoritate ſancimus: ut videlicet eccleſia eadem, ſicut antiquitus epiſcopali dignitate claruit, ita etiam in poſterum cardinalem per Dei gratiam fortiatur antiſtitem. Divinæ ſiquidem miſerationis affectum, quem in eccleſiarum ſuarum & populorum reſtitutionibus operatur, debemus & nos competentibus ſubſequi, ac implere ſuffragiis. Te igitur, dilectiſſime ac reverendiſſime frater, quem in Atrebatenſi eccleſia prædeceſſor noſter, Domino reſtituente, conſtituit, nos quoque cum divini favoris præſidio in epiſcopalis dignitatis functione firmamus. Quidquid autem prædictæ eccleſiæ B. Remigius contulit; quidquid antiquis temporibus dum epiſcopali dignitate polleret, eam poſſidere conſtiterit; ſalvis legalibus inſtitutis, & Romanæ eccleſiæ privilegiis, tantum tibi ac ſucceſſoribus tuis permanere cenſemus. In quibus nominatim archidiaconias duas, quarum una Atrebatenſis, altera dicitur Obſtrevandenſis, præfatæ eccleſiæ confirmamus: & illos omnino limites inter Atrebatenſem, & Cameracenſem eccleſias fore præcipimus, quos antiquitus fuiſſe, vel ſcriptorum monumentis, vel territoriorum diremptione, vel certis aliquibus indiciis potuerit comprobari: ut annuente Deo eccleſiarum pax, nulla occaſione turbetur; & quæ pro fidelium ſalute ſtatuta ſunt, perenni tempore inconvulſa ſtabilitate perſiſtant. Si qua ſane eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Hæc deinceps totidem verbis ut in privilegio ſupra poſito Urbani II ad eumdem Lambertum. *Hard.*

Scriptum per manum Petri notarii regionarii & ſcriniarii ſacri palatii.

✠ Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Datum Laterani, per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, XVII. Kal. Maii, Indict. IX. Incarnat. Dominicæ an. MCI. pontificatus autem domini Paſchalis ſecundi papæ ſecundo.

Ex to. 1. Spicilegii Dacheriani.

XXXV. AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISC. provinciarum, Remenſis, Senonenſis, ac Turonenſis.

Ut Philippum regem & ejus pellicem a vinculo excommunicationis abſolvant.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiſcopis, & epiſcopis, per Remenſem, Senonenſem, ac Turonenſem provincias, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIgnificatum nobis eſt quorumdam veſtrum litteris, quia filius noſter Francorum rex feminam illam pro qua totiens commonitus, immo excommunicatus fuit, juxta præceptum noſtrum abjurare decreverit: ipſa etiam mulier regem abjurare parata ſit. Super quarum converſione perſonarum non minimum exultavimus: quia ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, gaudium eſſe Angelis Dei ipſo Domino teſtante didicimus. Quam nimirum cauſam fratri noſtro Richardo Albanenſi epiſcopo reminiſcimini a nobis fuiſſe commiſſam. Si ergo idem frater, Franciæ jam fines egreſſus eſt, nos eamdem cauſam, aſpirante Domino, una vobiſcum peragendam venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi epiſcopo commiſimus. Convenientibus itaque vobis in unum, ſi communis filius Francorum rex, & illa ejus lateralis tactis ſacroſanctis evangeliis omnem carnalis copulæ conſuetudinem abjuraverint, mutuum quoque colloquium & contubernium, niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum, numquam videlicet ad idem flagitium redituri, ſicut quorumdam veſtrum litteris ſignificatum eſt: ſatisfactionem eorum vice noſtra vobiſcum Atrebatenſis epiſcopus ſuſcipiat, & a vinculo excommunicationis abſolvat: quatinus largiente Domino, & filium eccleſia, & regem ſibi Francia reconciliatum epiſcopali miniſterio gratuletur.

Data Laterani per manum Joannis, III. Nonas Octobris.

Ex to. 1. Spicilegii Dacheriani.

JURAMENTUM PHILIPPI REGIS FRANCOR.

AUdias, tu Lamberte Atrebatenſis epiſcope, qui hic apoſtolica vice fungeris: audiant archiepiſcopi, & præſentes epiſcopi, quod ego Philippus rex Francorum, peccatum & conſuetudinem carnalis & illicitæ copulæ quam hactenus cum Bertrada exercui, ulterius non exercebo: ſed peccatum iſtud & flagitium penitus & ſine omni retractatione abjuro. Cum eadem quoque femina mutuum colloquium & contubernium, niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum, non habebo. Hæc omnia, ſicut litteræ papæ dicunt, & vos intelligitis, ſine omni malo ingenio obſervabo. Sic me Deus adiuvet, & hæc ſacroſancta Jeſu Chriſti evangelia.

Similiter & Bertrada cum excommunicationis vinculo ſolveretur, tactis ſacroſanctis evangeliis in perſona ſua hoc idem juravit ſacramentum.

Actum Pariſiis in præſentia domini Daimberti Senonenſis, & Radulfi Turonenſis, archiepiſcoporum; domini quoque Ivonis Carnotenſis epiſcopi, Humbaldi Antiſiodorenſis epiſcopi, Joannis Aurelianenſis epiſcopi, Gualonis Pariſienſis epiſcopi, Manaſſe Meldenſis epiſcopi, Baldrici Noviomenſis epiſcopi, Lamberti Atrebatenſis epiſcopi, Humberti Silvanectenſis epiſcopi: abbatum quoque, Adæ Pariſienſis, Olrici ſimiliter Pariſienſis, Rainaldi de Prato S. Germani Pariſienſis, Rainoldi nihilo minus Stampenſis: archidiaconorum etiam quamplurium, & honorabilium clericorum, & laicorum, non parva multitudine inibi conſiſtentium.

Taliter itaque ex apoſtolicæ ſedis auctoritate reincorporatus eſt Philippus rex Francorum ſanctæ catholicæ eccleſiæ matri ſuæ IV. Nonas Decemb. indictione XIII. Anno autem Dei Chriſti MCIV. pontificante vero in ſede Romana Paſchali papa II. anno ſexto.

Ex to. 1. Spicilegii Dacheriani.

XXXVI. AD DAIMBERTUM ARCHIEPISC. SENONENSEM.

Dijudicandam committit cauſam abbatum duorum.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Daimberto eccleſiæ Senonenſis archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUanto major tibi animarum cura commiſſa eſt, tanto ſolicitiorem eſſe in omnibus te oportet. Invigila igitur, frater cariſſime, ſicut bonus paſtor ſuper gregem Domini: ut eum talem poſſis Domino aſſignare, qui & ſibi placeat, & ſe dignum bona retributione oſtendat. Finis tuus quotidie appropinquat: & licet hoc certum ſit omnibus, extremus tamen dies incertus eſt. Eſto itaque ſemper ſolicitus: & ſi forte negligenter te aliquando habuiſti, nunc totum ſtudeas per Dei gratiam emendare: ut cum Dominus venerit, te vigilantem inveniat, & ſic paratum, quatinus in æternæ vitæ ſuſcipi gloria merearis. De querimonia, quam Virzilienſis abbas adverſus Floriacenſem pro quadam gerit eccleſia, juſtitiam debitam facias. Non enim volumus, * privilegiorum obtentu eccleſia quælibet præjudicium patiatur. Datum apud Tiphernum X. Kal. Novembris

* Forte, ex privilegiorum H.

Edidit Dacherius to. 3. & Baluz. ad lib. VI. de concor.

XXXVII. AD ALIQUOT EPISCOPOS ET ABBATES GALLIÆ.

De legatione ſedis apoſtolicæ commiſſa Girardo Engoliſmenſi epiſcopo.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, atque principibus, per Bituricenſem, Burdegalenſem, Auſcitanam, Turonenſem, atque Britanniſcam provincias conſtitutis, & cæteris tam clericis quam laicis: ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

APoſtolicæ ſedis auctoritate, cui Domino auctore præſidemus indigni, compellimur non ſolum proximis, ſed procul etiam poſitis fidelibus, quæ ad ſalutem ſpectant animæ providere. Quod quantum in nobis eſt, auxiliante Domino, implere ſatagimus. Proinde vobis omnibus, fratres & filii, apoſtolorum Petri & Pauli benedictionem impendimus, & paterna vos affectione cohortamur in Domino, quatenus uſque in finem, firmum juſtitiæ propoſitum teneatis, laboris mercedem maximam in æterna gloria percepturi. Ut autem penes vos habeatis, apud quem querelas veſtras & negotia, cum opportunum fuerit, referatis, cujuſque conſilio & hortatu, quæ ad ſalutem attinent, peragatis: vices noſtras fratri cariſſimo Girardo Engoliſmenſi epiſcopo commiſimus, in partes eum noſtræ ſolicitudinis aſciſcentes. Huic vice noſtra, ut noſtro, apoſtolorum-

rumque in partibus veſtris vicario, ad Dei honorem, & ad ſalutem animarum veſtrarum fideliter obedite: ut vobis per Dei gratiam collaborantibus, quæ extirpanda ſunt, extirpare; quæ corroboranda ſunt, corroborare prævaleat. Nec ſolicitudinem, fratres cariſſimi, pigeat, cum neceſſitas eccleſiaſticæ utilitatis exegerit, ſynodales cum eo celebrare conventus: quos nimirum convocandi, nos ei vice noſtra poteſtatem indulſimus. Datum Lateranis XVIII. Kal. Maii.

G.C. De hoc Girardo auctor Anonimus geſtorum pontificum & comitum Engoliſmenſium: *Præter cætera*, inquit, *quæ in legatione eximie fecit, octo concilia celebravit.* Quænam autem illa ſint, incertum eſt.

Ex MS. D. Herovalli hanc & ſequens epiſt.

XXXVIII. AD NORIGAUDUM AUGUSTODUNENSEM EPISCOPUM.

Confirmat ejus electionem, & omnes ejus eccleſiæ poſſeſſiones: & alia quædam decernit.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri Norigaudo Eduenſi epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

QUum divini diſpenſatione judicii ad hujus officii gradum, licet indigni, promoti ſimus, ut apoſtolorum principis vices in eccleſiæ regimine teneamus: elaborandum nobis eſt, & annitendum omnino, ut in conſtituendis eccleſiaſticis negotiis, ejus monita & inſtitutiones devotione fideliſſima, & fide devotiſſima æmulemur, cujus fides præcipua & dilectio ſpectata domino extitit adeo, ut in ejus ſingulariter fidei ſtabilitate immobili, pretioſo ſanguine redemptam ſuam Dei filius ſtatuere & confirmare voluerit eccleſiam, dicens: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.* Cui etiam tantam poteſtatis prærogativam conceſſit, ut ejus arbitrio in cælo & in terra vel liganda ligarentur, vel ſolvenda ſolverentur. Quam poteſtatis ſuæ ſucceſſionem ipſe B. Clementi, & per eum omnibus conceſſit, qui ejus ſedi juſte præſidere, & eccleſiam Dei canonica ſtuduerint ordinatione diſponere. Cujus nos fidei auctoritate muniti, tibi, dilecte frater Norigaude, omnibuſque tibi canonice ſucceſſuris, confirmamus omnia quæ ad Eduenſem eccleſiam in qua te canonice credimus ordinatum pertinere videntur: tam in eccleſiis, parochiis, cimiteriis, presbyteriis, cunctiſque eccleſiaſticis ordinibus, quam etiam prædiis, aliiſque omnibus poſſeſſionibus, mobilibus & immobilibus, quæ acquiſita ſunt, vel juſte acquiri poterunt. Ut hæc omnia tibi, tuiſque ſucceſſoribus, ita libere poſſidere liceat, ſicut anteceſſor tuus in uno dic ante ſuum obitum quiete & juſte poſſediſſe probatur. Illud autem apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut nulli presbytero, vel viventi, vel morienti, ſeu ad aliam religionem, vel ad quietam vitam tranſeunti, liceat res quas a die ordinationis ſuæ, in eccleſia in qua eſt ordinatus, conquirere poterit, auferre vel minuere; ſed intacta ea & illibata in ipſa in qua conquiſita ſunt permittat eccleſia remanere. Illos etiam qui a nobis excommunicati vel ab officiis divinis pro ſuis fuerint exceſſibus remoti, ne aliquis in communionem recipere vel in officium præſumat reſtituere, eadem auctoritate prohibemus. Statuimus quoque ut pro ſepulturæ quidem loco, vel ſpatio, nullum penitus ab aliquo pretium exigatur: pro redemptione vero peccatorum, morientes, in eccleſia, in qua fidei ſacramenta acceperint, eleemoſynam dare ſecundum apoſtolica decreta ſtatuimus omnino, & confirmamus. Si quis autem ad aliam vivens ſive moriens ſe conferre voluerit, de eo quod pro ſalute animæ ſuæ dare diſpoſuerit, ſecundum apoſtolica decreta matrici eccleſiæ partem relinquat. Si qua ſane eccleſiaſtica ſæculariſve perſona contra hanc noſtræ conſtitutionis paginam præſumptuoſe venire tentaverit, hujuſmodi ut ſacrilegii reum a liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ arcendum judicamus & confirmamus. Cunctis autem eidem eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini Jeſu Chriſti: quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud bonorum retributorem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Scriptum per manum Joannis ſcriniarii ſacri Lateranenſis palatii.

Ego Paſchalis epiſcopus catholicæ eccleſiæ ſubſcripſi. Et ego, &c.

Datum Laterani per manum Leonis ſcriptoris XVIII. Kal. Maii, Indict. VIII. Anno dominicæ incarnat. MC. pontificatus autem domni Paſchalis ſecundi papæ I.

XXXIX. AD STEPHANUM EPISCOP. AUGUSTODUNENSEM.

Confirmatio præcedenti ſimilis.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Stephano Auguſtodunenſi epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

JUſtis votis aſſenſum præbere, juſtiſque petitionibus aures accommodare nos convenit, qui licet indigni, juſtitiæ cuſtodes atque præcones in excelſa apoſtolorum principum Petri & Pauli ſpecula poſiti, Domino diſponente conſpicimur. Tuis igitur, frater in Chriſto cariſſime Stephane, juſtis petitionibus annuentes, ſanctam Auguſtodunenſem eccleſiam, cui Domino auctore præſides, apoſtolicæ ſedis auctoritate munimus. Statuimus enim, ut oppida, villæ, ſeu eccleſiæ poſſeſſioneſve, quas prædeceſſoris tui Aganonis temporibus, Auguſtodunenſis eccleſia tenuit, tibi quoque ac ſucceſſoribus tuis quietæ, firmæ, & integræ conſerventur. Cætera etiam quæ eidem Auguſtodunenſi eccleſiæ per tuam induſtriam recuperata vel adquiſita ſunt, videlicet eccleſia ſanctæ Mariæ, & ſancti Lazari de Avalone, & caſtrum Toilonum cum eorum pertinentiis, vel in futurum per Dei gratiam recuperari vel adquiri juſte legitimeque contigerit, quieta ſemper integra in ejuſdem eccleſiæ jure ac poſſeſſione permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino liceat eamdem eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia integra conſerventur, tam tuis quam clericorum & pauperum uſibus profutura. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat: reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem

Matth. 16.

tem eidem ecclesiæ justa servantibus sit pax Domini nosti Jesu Christi: quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, amen, amen.

Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Datum Laterani per manum Joannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii II. Idus Martii Indict. IX. Incarnationis Dominicæ an. MCXVI. pontificatus autem domni Paschalis secundi papæ anno XVII.

XL. AD ANSELMUM CANTUAR. ARCHIEPISCOPUM.

Det operam Anglicanæ ecclesiæ restaurandæ: & Anglorum regem cum Normanniæ comite conciliet.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo fratri & coepiscopo, Anselmo Cantuariensium archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

SIcut injuriis tuis & exiliis compassi sumus: sic reductioni tuæ, & honori tuo, largiente Domino, congaudemus. Et tu, frater in Christo reverendissime, quia injurias & procellas Romanæ ecclesiæ, sicut in præsentia visas, plenius nosti: pro eis in portu positus laborare non desinas efficacius. Primo, ut ecclesiarum in regno Anglico statum secundum Romanæ ecclesiæ sanctiones corrigi ac disponi facias: dehinc, de regis erga nos dilectione ac fidelitate debita, censuque B. Petri restituendo, efficacius studeas. Scis enim quantis inopiis circumvallemur angustiis. Nempe cum pro ecclesiis omnibus Romana laboret ecclesia: quisquis ei sua aufert, non ipsi soli, sed ecclesiis omnibus sacrilegii reus esse dignoscitur. Significamus præterea dilectioni tuæ, Normannorum * comitem questum apud nos esse adversus Anglorum regem de fracto sacramento, quod ei pro eodem regno acquirendo fecerat, regnum invaserit. Et nosti quia eidem comiti debemus auxilium pro laboribus quos in Asianæ ecclesiæ liberatione laboravit. Idcirco volumus, ut si necdum inter eos pax composita est, te fatagente, nostris nuntiis intervenientibus, componatur. Pro his enim omnibus notum tibi, & a te quondam educatum tunc filium, nunc fratrem & coepiscopum, Joannem mittimus, & Tiberium familiarem nostrum: quos petimus in omnibus, quæ apud vos agenda sunt, tuo consilio instrui, tuo auxilio adjuvari: per quos sacrosancta Romana ecclesia tuæ religionis & sapientiæ efficacius experiatur industriam.

* Robertum

XLI. AD EUMDEM.

Inter epist. Anselmi l. 3. epist. 44.

Ut Anselmus se constanter gerat in tuenda ecclesiæ Anglicanæ libertate.

Paschalis episcopus, servum servorum Dei, venerabili fratri & coepiscopo Anselmo Cantuariorum, salutem & apostolicam benedictionem.

NOn ignoras divinæ voluntatis consilium, ut religio tua in Anglici regni regione præsideat. Cum enim perversi * regis odio declinans, secessum elegisses, & procul ab Anglicis tumultibus tecum habitans Deo viveres: de perverso rege sua omnipotens Dominus judicia terribiliter ** perpetravit: te autem totius populi postulatione vehementi, & novi * regis devotione mirabili, ad cathedram quam pro Deo dimiseras, revocavit. Deo autem gratias, quia in te semper episcopalis auctoritas perseverat, & inter barbaros positus non tyrannorum violentia, non potentum gratia, non incensione ignis, non effusione manus, a veritatis annuntiatione desistis. Rogamus itaque, ut quod agis, agas: quod loqueris, loquaris. Non enim deficiet sermonum nostrorum operumque principium, qui in principio erat verbum: nec nos in ipso deficiemus, qui est Dei virtus & Dei sapientia. Eumdem enim cum patribus nostris spiritum habentes, credimus, propter quod & loquimur. Et verbum quidem Dei non est alligatum: nos autem humiliamur nimis. Cæterum in hac humiliatione, cum Deo mente excedimus; in ejus veritate, hominum mendacia intuemur. Qua de re in synodo nuper apud Lateranense consistorium celebrata, patrum nostrorum decreta renovavimus, sancientes, & interdicentes, ne quis omnino clericus hominium faciat laico, aut de manu laici ecclesias, aut ecclesiastica bona suscipiat. Hoc est enim simoniacæ pravitatis radix, dum ad percipiendos honores ecclesiæ sæcularibus personis insipientes homines placere desiderant. Idcirco sanctorum conciliorum reverenda majestas, sæcularium principum potestatem ab ecclesiasticis electionibus decrevit arcendam: ut sicut per solum Christum prima in baptismo janua, ultima in morte vitæ * aperietur æternæ; ita per solum Christum, ovilis Christi ostiarius statuatur, per quem Christi ovibus, non pro mercedibus ovium, sed pro Christo, ingressus & egressus ad vitam procuretur æternam. Hæc, frater carissime, prolixiore possent, & oratione, & ratione tractari: sed sapientiæ tuæ pauca suggessisse satis est, quæ & orationibus abundat, & ecclesiasticis est rationibus assueta. Hoc ita doceas, sicut tuo scis primatui expedire. Quem profecto ita fraternitati tuæ plenum & integrum confirmamus, sicut a tuis constat prædecessoribus fuisse possessum: hoc personaliter adjicientes, ut quamdiu regno illi religionem tuam divina misericordia conservaverit, nullius unquam legati, sed nostro tantum debeas subesse judicio. Datum XVII. Kalend. Maii.

** Inter verba dum cessus ab ano. sois.

* Henrici I. fratris Guillelmi Rufi.

* al. aperiatur. H.

XLII. AD EUMDEM.

Inter epist. Anselmi lib. 3. ep. 45

Respondet ad multa de quibus eum Anselmus consuluerat.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili patri & coepiscopo Anselmo, salutem & apostolicam benedictionem.

COnsulta illa, quæ per venerabiles nuntios tuos, Baldemum & Alexandrum, ad sedem apostolicam transmisisti, poterat utique fraternitas tua, & fratrum qui circa ipsam sunt, collatione, & datæ divinitus sapientiæ & intellectus consideratione discutere. Cæterum, sicut in cæteris consuevisti: in hoc quoque, communi catholicorum matri reverentiam servare curasti. Nos itaque sanctorum patrum, qui nos in sede apostolica disponente domino præcesserunt, vestigiis inhærentes, hæc consultationi tuæ respondenda deliberavimus.

Anselmus: *Si de manu laici liceat episcopo vel abbati accipere ecclesias, quas in suo dominio habent:*

* Guillelmi Rufi.

bent: cum eas non perſonæ ſed epiſcopatui vel abbatiæ dent?

Paſchalis: De manu laici epiſcopus jam conſecratus ſuſcipere non debet eccleſias, ſi in aliena parochia ſint: ſi vero in ſua ſunt, licenter accipiat. Hoc enim non videtur dare, ſed reddere; cum eccleſiæ omnes per ſingulas parochias in epiſcoporum eſſe debeant poteſtate: abbates vero per epiſcoporum manus ſuſcipiant.

Anſelmus: *De ſacerdotum filiis, vel concubinarum, qui quoſdam olim gradus acceperunt, & volunt omnino redire ad immunditias ſæculi, niſi ad majores promoveantur,* * *promittunt religioſam vitam, quid agendum eſt?*

* Forte, promittant. H.

Paſchalis: De ſacerdotum filiis vel concubinarum, quam vitam tenendam prædeceſſores noſtri ſedis apoſtolicæ pontifices inſtituere, noſſe te credimus. Nec nos ab illorum volumus aberrare veſtigiis. Quid igitur tibi ſuper his in barbaris regionibus ſit diſponendum, ex ipſius præcepti poteris collatione diſtinguere.

Anſelmus: *Si a presbyteris fœminas habentibus liceat pœnitentiam & corpus Domini in periculo mortis accipere, cum nullus continens adeſt: & ſi licet, & illi dare nolunt, quia miſſæ eorum contemnuntur, quid faciendum?*

Paſchalis: In periculo mortis poſitum, melius exiſtimamus de manu cujuslibet clerici Dominicum corpus accipere, quam de corpore ſine viatico, dum religioſus ſacerdos expectatur, exire. Si qui vero presbyterorum, pro vitæ ſuæ contemptu præterito, in illo extremitatis articulo poſitis viaticum denegarint: tanquam animarum homicidæ diſtrictius puniantur

Anſelmus: *Si rex habet terras epiſcopatus vel abbatiæ, quas nullo modo reddere vult, & pro eis vult dare aliquam eccleſiam, quam in ſua manu tenet, non minus utilem, ſi liceat accipere, ne judicetur emptio?*

Paſchalis: Pro terris eccleſiarum de manu regis eccleſias ſuſcipere minus licet, ne * ſacrilegii dari videatur aſſenſus. Divina enim in nullius bonis ſunt: & quod Deo ſemel oblatum eſt, in alienos uſus non expedit uſurpari. Porro ſub hujuſmodi commutationibus ſæculari poteſtati ſecurius indulgetur.

* Forte, ſacrilegio. H.

Anſelmus: *Si nullus clericus debet fieri homo laici, & aliqua beneficia, aut poſſeſſiones non eccleſiaſticas debet tenere de laico, nec laicus vult ei dare, niſi fiat ſuus homo: quid faciet?*

Paſchalis: Liberam eſſe eccleſiam Paulus dicit: Indignum eſt igitur, ut clericus qui jam in Dei ſortem eſt aſſumptus, & jam laicorum dignitatem exceſſit, pro terrenis lucris hominium faciat laico: ne forte dum reperitur ſervi ſæcularis obnoxius, vacet, aut gravetur eccleſia. Scriptum eſt enim: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.*

2. Tim. 2.

Anſelmus: *Sæpe neceſſe eſt aliquid de apoſtolicis & canonicis ſtatutis pro compenſationibus relaxare, maxime in regno in quo fere omnia ſic corrupta & perverſa ſunt, ut vix ibi aliquid omnino* * *ſtatuta eccleſiaſtica fieri poſſit. Peto ut per licentiam veſtram poſſim quædam, prout diſcretionem dabit mihi Deus, temperare. Quod petii a domno papa Urbano, & ipſe poſuit in mea deliberatione.*

* deeſt, juxta aut quid ſimile.

Paſchalis: Diſpenſationis modus, ſicut B. Cyrillus in epiſtola Ephetinæ ſynodi loquitur, nulli unquam ſapientum diſplicuit. Novimus enim ſanctos patres noſtros, & ipſos apoſtolos, pro temporum articulis & qualitatibus, perſonarum diſpenſationibus uſos. Quamobrem nos de religione & ſapientia tua diu longeque ſpecata nihil penitus ambigentes, tuæ deliberationi committimus: ut juxta datum tibi divinitus intellectum, cum eccleſiæ, cui præpoſitus es, tanta neceſſitas expetit, ſanctorum canonum decretorumque difficultatem opportuna & rationabili * valeas temperare.

* Forte deeſt, compenſatione. H.

Anſelmus: *Ranulphus, de quo veſtrum olim petii conſilium, a rege reſtitutus eſt in epiſcopatum. Si ergo vobis placuerit, inquirite vitam ejus ab epiſcopis noſtris, qui nunc ad vos venerunt: ac de eo, archiepiſcopo ejus, & mihi primati ejus conſulite.*

Paſchalis: Ranulphi epiſcopi cauſam, quandoquidem juxta præceptum noſtrum in cathedram propriam reſtitutus eſt, indiſcuſſam præterire non patimur. Ejus enim facinora graviſſima, ad ſedem apoſtolicam, multorum ſunt relatione perlata. Volumus ergo ut apud præſentiam veſtram, in epiſcoporum conventu, quæ de eo ad nos ſcripta ſunt, plenius pertractetis. Diſcuſſione habita, niſi ſe * ſeptima ſui ordinis manu expurgare potuerit, mox cum litterarum veſtrarum teſtimonio tranſmittatur ad nos: ſi autem de conſcientia ſua trepidans, ad examen noſtrum pervenire noluerit, per experientiam veſtram ab eccleſia, quam occupat, depellatur; & in ea juxta canonicas ſanctiones epiſcopus ſubrogetur.

* *G. C.* Septima manu ſe expurgat, qui & jurat ipſe, non eſſe crimen a ſe admiſſum, & ſeptem alios adhibet, qui juramento firment, *quod veritatem credunt cum dicere qui purgatur.* Reus enim jurat de rei veritate, compurgatores vero, ut canonum doctores loquuntur, de credulitate. Erant qui quinta manu, erant qui & duodecima, & decimaquarta purgare ſe jubebantur; perinde ut magna erat infamia, ſcandalum, ſuſpicio. Neque vero ſacramentales ſeu conjuratores iſti (nam his etiam nominibus dicti in lege Alemannorum) ejuſdem ſemper ordinis omnes erant. Nam Tridentinus epiſcopus 2. qu. 5. & extra de purg. can. c. 5. jubetur purgare ſe *tertia manu ſui ordinis, & quarta abbatum, & religioſorum ſacerdotum.* Immo nonnunquam erant omnes inferioris ordinis, ut in concilio Cabilonenſi, ann. DCXXIII. Drogo Matiſconenſis epiſcopus purgare ſe jubetur cum ſeptem clericis: quo ex numero duos illi condonavit qui ſynodo præerat Petrus Damiani. Vide Gratianum, 2. q. 5. & decretalium titulum totum de purgatione canonica. Juvabit & legiſſe legem Alemannorum, maxime titulo 6.

Extat de purg. can. c. 13.

SANCTI ANSELMI CANTUARIENSIS archiepiſcopi, epiſtola ad Paſchalem papam II.

Inter editas, lib. 3. ep. 152.

Ne mittatur pallium archiepiſcopo Eboracenſi, donec Anſelmo obedientiam profeſſus ſit, de rege Germaniæ, qui dicitur dare inveſtituras

Domino & Patri diligendo, & reverendo, Paſchali ſummo pontifici, Anſelmus eccleſiæ Cantuarienſis, debitam obedientiam cum fidelibus orationibus.

QUoniam fortitudo & directio eccleſiarum Dei, maxime poſt Deum pendet ex auctoritate paternitatis veſtræ: quando ratio exigit, ad ejus libenter recurrimus auxilium, & conſilium. Archiepiſcopus Eboracenſis Gerardus nomine, migravit de hac vita: & alius, Thomas nomine, loco ejus electus eſt. De quo rumor eſt, quia quæritur ei pallium, antequam ſit conſecratus, & mihi faciat profeſſionem ſecundum antiquam anteceſſorum meorum conſuetudinem & ſuorum. Hæc eſt igitur ſumma precum mearum in hac re, ut antequam conſecretur, & mihi debitam obedientiam, ſicut dixi, profiteatur, & hoc factum eſſe litteris noſtris cognoſcatis, a veſtra excellentia pallium non ſuſcipiat. Quod non idcirco dico, quod illi pallium invideam: ſed quoniam quidam autumant, & etiam procurant: ut

ſi hoc

ſi hoc a vobis conceſſum fuerit, confidant ſe profeſſionem debitam mihi poſſe denegare. Si enim hoc contingat, ſcitote, quia eccleſia Angliæ ſcinderetur; & ſecundum ſententiam Domini, dicentis, *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur*, deſolaretur; & vigor apoſtolicæ diſciplinæ in ea non parum debilitaretur. Ego quoque nullatenus remanerem in Anglia. Non enim deberem, aut poſſem pati: ut me in ea vivente, primatus eccleſiæ noſtræ deſtrueretur. Hoc ipſum, & eodem affectu ſuggero reverentiæ veſtræ, quia de Londonienſi epiſcopo pallium petitur, quod nunquam habuit: ut ſcilicet ad hoc nullatenus aſſenſum præbeat. Quidam namque concinnant ſub hac ſpecie boni, primatus Cantuariæ dignitatem, quemadmodum non oportet, humiliare.

Miſi ſanctitati veſtræ hoc anno poſt pentecoſten litteras per Bernardum ſervientem domini Petri camerarii veſtri: quod rex Angliæ conqueritur quod ſuſtinetis regem Teutonicum dare inveſtituras eccleſiarum, ſine excommunicatione: & ideo minatur ſe ſine dubio reſumpturum ſuas inveſtituras, quoniam ille ſuas tenet in pace. Videat igitur prudentia veſtra ſine dilatione, quid inde agere debeatis: ne, quod tam bene ædificaſtis, irrecuperabiliter deſtruatur. Rex enim noſter diligenter inquirit, quid de illo rege faciatis. Oramus Deum, ut nos lætificet de diuturna veſtra proſperitate.

Inter epiſt. Anſelmi lib. 1 epiſt. 133.

XLIV. AD ANSELMUM CANTUAR. ARCHIEPISCOPUM.

Superiori reſpondet epiſtolæ.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri Anſelmo Cantuarienſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LItteras dilectionis tuæ recepimus, per quas affabilitatis tuæ dulcedinem recognovimus. Bene autem & ſapienter egiſti, quod nos de cauſa & honore Cantuarienſis eccleſiæ prænonitos & cautos reddidiſti. Nos ſiquidem in te, ipſius B. Auguſtini Anglorum apoſtoli perſonam veneranter intuemur: & ideo honori tuo, vel eccleſiæ tuæ detrahere omnino refugimus. Unde quæ rogaſti, libenter ſuſcepimus: & ad ſervandum tuum, & eccleſiæ tuæ honorem, cuſtodiam & ſolicitudinem tuam adhibemus. Porro quod in eis litteris ſignificaſti, ſcandallzari quoſdam, quod regem Teutonicum dare inveſtituras eccleſiarum toleramus: nec toleraſſe nos aliquando, nec toleraturos ſcias. Expectamus quidem, ut ferocia illius gentis edometur. Rex vero ſi in paternæ nequitiæ tramite perſeveraverit, B. Petri gladium, quem jam educere cœpimus, procul dubio experietur.

Datum Beneventi, IV. Idus Octobris.

Ex Badoerii ſive Baderi hiſt. nov.

XLV. AD EUMDEM.

Primatum ipſi confirmat.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Anſelmo Cantuarienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRaternitatis tuæ poſtulationibus nos annuere, tuæ ſapientiæ & religionis perſuadet auctoritas. Quondam enim in litteris ab apoſtolica tibi ſede directis, Cantuarienſis eccleſiæ primatum ita tibi plenum conceſſimus, ſicut a tuis conſtat prædeceſſoribus fuiſſe poſſeſſum. Nunc autem petitionibus tuis annuentes, tam tibi quam tuis legitimis ſucceſſoribus eundem primatum, & quicquid dignitatis ſeu poteſtatis eidem ſanctæ Cantuarienſi, ſeu Dorobernenſi eccleſiæ pertinere cognoſcitur, litteris præſentibus confirmans, ſicut a temporibus B. Auguſtini prædeceſſores tuos habuiſſe apoſtolicæ ſedis auctoritate conſtiterit. Dat. Laterani XVI. Kal. Decembris, Indict. XII.

XLVI. AD TERVANENSES CLERICOS. ex Cod. MS.

Qui uxores relinquere noluerint, officiis & beneficiis privandos.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Domini, Tervanenſis parochiæ clericis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

GRavem valde rem ex partibus veſtris audivimus: quia poſt tanta ſanctorum decreta pontificum, poſt interdicta conciliorum, clericalis ordinis viri, qui audent, publice; qui non audent, occulte mulieribus ſociantur. Super quibus præter cæteros piæ memoriæ prædeceſſor noſter Urbanus papa conſtituit, ut officiis ſimul ac beneficiis eccleſiæ privarentur. Nos quoque ejuſdem prædeceſſoris noſtri ſententiæ conſonantes, per præſentia ſcripta præcipimus, ut quicumque inter vos clerici ab epiſcopo ſuo canonice admoniti, ab hujuſmodi nequitia ceſſare noluerint, tam officiorum quam beneficiorum privatione plectantur.

Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

XLVII. AD MADELMUM ABBATEM SANCTÆ SOPHIÆ. Ex Tom. IX. Italiæ ſacræ.

Privilegium cœnobii ſanctæ Sophiæ.

In nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Domini æterni. Paſchalis papa epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Madelmo abbati monaſterii venerabilis ſanctæ Sophiæ intra Beneventum ſiti, ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum.

PIæ poſtulatio voluntatis, effectu debet proſequente compleri: quatenus & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Unde nos tuis, fili humaniſſime Madelme, piis poſtulationibus annuentes, ſanctæ Sophiæ cœnobium, cui domino auctore præſidere cognoſceris, ſub tutelam & juriſdictionem ſedis apoſtolicæ, ſicut hactenus manſit, perpetuo permanere præſentis paginæ auctoritate ſancimus: ut ſoli Romanæ eccleſiæ ſubditum, ab omnium eccleſiarum necnon & perſonarum jugo liberum habeatur. Cuncta etiam quæ prædeceſſoribus tuis, vel tibi, ad ejuſdem monaſterii immunitatem, vel poſſeſſionem, noſtrorum prædeceſſorum ſunt privilegiis attributa, nos quoque tibi juxta ac ſucceſſoribus tuis regulariter promovendis præſenti privilegio contribuimus. Cellas propterea, vel eccleſias, vel villas, quæ prædeceſſorum tuorum, vel tua induſtria prædicto videntur cœnobio juſte, ac rationabiliter adquiſitæ, poſſidendas in perpetuum confirmamus, id eſt eccleſiam ſancti Benedicti, &c.

Hic enumerantur poſſeſſiones illius monaſterii.

Una cum omnibus ſuis pertinentiis, cum mobilibus atque immobilibus. Præſentis atque noſtri privilegii pagina apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut quæcumque idem cœnobium juſte poſſidet, quæ-

quæque in craſtinum conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juſte atque canonice poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Decrevimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, atque deſtruere, aut etiam ei ullas poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, aut quoque modo moleſtare: verum omnia integre perſeverent, atque conſerventur, eorum, pro quorum ſubſtantia aut ſuſtentatione aut gubernatione conceſſa ſunt, uſibus commodis profutura. Obeunte te nunc ejus loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, vel violentia, præponatur: niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris elegerint. Electus a Romano pontifice conſecretur. Chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſive baſilicarum, ordinationes monachorum qui ad ſacros ſunt ordines promovendi, ab epiſcopis in quorum diœceſibus eſtis, accipietis: ſi quidem gratiam & communionem apoſtolicæ ſedis habuerint, & ſi gratis ea & ſine pravitate impenderint. Si quid vero horum obſtiterit, liceat vobis a quocumque volueritis catholico epiſcopo, quæ ſupra nominata ſunt ſacramenta percipere. Si qua vero eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, temere contra eam venire attentaverit: ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax domini noſtri Jeſu Chriſti: quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud æternum judicem præmia æternæ pacis ac mercedis inveniant. Amen. Bene valeas.

Ego Paſchalis ſanctæ catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Scribendum Indict. X. H.

Datum Capuæ per manum Joannis S. R. E. diaconi cardinalis VI. Kal. Novemb. Indict. II. Incarn. Domini anno MCII. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ tertio.

Eſt in MS. Collegii Pariſienſis Soc. Jeſu. H.

XLVIII. AD RICARDUM NARBON. ARCHIEPISCOPUM.

Narbonenſis eccleſiæ poſſeſſiones & jura confirmat.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Ricardo, primæ ſedis Narbonenſis antiſtiti, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

CAritatis eſt donum proprium, providere profectibus aliorum. Caritas enim *non quærit quæ ſua ſunt*. Unde & apoſtolus: *Nunc autem vivimus ſi vos ſtatis in Domino*. Et iterum. *Quæ eſt enim ſpes noſtra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum?* Hoc igitur caritatis debito provocamur, & apoſtolicæ ſedis auctoritate compellimur, honorem debitum fratribus exhibere, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ dignitatem pro ſuo cuique modo cæteris eccleſiis impertiri. Idcirco, venerabilis frater Ricarde Narbonenſis archiepiſcope, præſentis decreti pagina, tibi tuiſque ſucceſſoribus quidquid parochiarum ad primæ ſedis Narbonenſis eccleſiam antiquo jure noſcitur pertinere, confirmamus. Porro infra parochias ipſas jure proprietario tam tibi quam tuis ſucceſſoribus poſſidenda, regenda, & diſponenda ſancimus, eccleſiam ſancti Pauli cum omnibus pertinentiis ſuis, oppidum Caput ſtagni, Salas Aruſcadas, Argens, Fontem jocoſum, Auriag, Villam rubeam, Segionum, & cætera prædia, cellas, ſeu poſſeſſiones, quæ vel a regibus, vel ab aliis fidelibus viris, eccleſiæ ſanctorum martyrum, Juſti & Paſtoris oblatæ ſunt, tam in Narbonenſi comitatu, quam in Biterrenſi, Redenſi, Suſtantionenſi, & Nemauſenſi. Infra vero urbem Narbonenſem, medietatem ipſius comitatus, medietatem telonei, portatici, raficæ, ſalinarum, & cæterorum reddituum qui a civitatis comite tam de marinis quam de terrenis inſtitoribus exiguntur. In monaſteriis vero ſeu cæteris per Narbonenſem eccleſiam eccleſiis, ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate, canonicum vobis jus obtinere concedimus. Sane ad veſtram metropolim pertinentes epiſcopales cathedras, videlicet Biterris, Carcaſſonæ, Toloſæ, Elnæ, Agathes, Lutevæ, Magalonæ, Nemauſi, Uzeticæ, tibi tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum ſubjectas, obedientiam debitam ſervare cenſemus. Primatum etiam vobis ſuper ſecundam Narbonenſem, id eſt, Aquenſis metropolis, ſicut a noſtris prædeceſſoribus ſtatutum eſt, confirmamus: & quidquid ex antiquo jure ſæpe dictæ eccleſiæ Narbonenſi competit, ratum perpetuo & inconvulſum manere decernimus. Statuimus ergo ut nulli hominum liceat eandem eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcop. ſubſcripſi.

Datum apud Privatum, per manum Joannis S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii, tertio Idus Julii in anno Dominicæ Incar. MCVII. pontificatus autem domini Paſchalis II. Pp. VIII.

1. Cor. 13. 1. Theſſal. 3. 1. Theſſal. 2.

XLIX. AD ABBATEM S. PONTII, ET ELECTENSEM.

Ne excommunicatos a Narbonenſi epiſcopo ſuſcipiant.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, P..... abbati ſancti Pontii, & R. Electenſi abbati, & cæteris monachis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRater noſter Ricardus Narbonenſis metropolitanus adverſus dilectionem veſtram conqueritur, quod excommunicatos & interdictos ab eo

in communionem & participationem ante abſolutionem ſuſcipiatis : cum non ſolum vos, verum etiam laici non ignorent, quoniam iniquum & contra canones ſit, cum interdictis & excommunicatis communicare, & eorum peccatis involvi. Nos vero in concilio quod apud Trecas celebravimus, ſanctorum Patrum decreta ſequentes, tam epiſcopis, quam abbatibus & cæteris clericis interdiximus, ne ulterius excommunicatos vel interdictos ab alio, in ſua parochia reciperent. Igitur ne noſtræ præceptionis contemptores videamini, mandamus vobis ut ab hujuſmodi omnino ceſſetis, ne excommunicationis vinculo detineamini.

Edita a Picardo in notis ad S. Anſelmi epiſt. lib. 3.

L. AD ROTHARDUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

De epiſcopis qui inveſtiuntur a regibus : item de iis qui ſchiſmatis tempore conſecrati ſunt.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Rotardo Moguntino epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SAcerdotii ac regni grave jamdiu ſcandalum fuit : quia uſurpantibus non ſua regibus, eccleſia, quod ſuæ eſt libertatis, amiſit. Hanc profecto viam, hanc jantuam nequitiæ ſuæ Simon magus invenit. Dum enim non niſi per præſtigioſam inveſtituram eccleſiaſticos honores adipiſci mens ambitioſa credit : & ſe ipſam curialibus ſubdit obſequiis, & regium cor amplioribus parat inclinare muneribus. Hæc nimirum avaritia, ſicut in libris regum legitur, antiquorum quoque temporum religionem evertit. Sed erga hujuſmodi præſumptores reges, qualiter divina ſævierit indignatio, in eiſdem apicibus non ſiletur. Et vero magnum eſt filio flagitium, matrem addicere ſervituti, ut invita thalamos ineat, quos recuſat. Super hoc negotio nova nos oportet ſollicitudine concitari, cum novi regni opportunitatem divina diſpoſitio providit. Nos enim regibus, quæ ſui juris ſunt, integra ſervare optamus : nec in aliquo minuimus, dummodo ipſi ſponte ſui domini libertatem integram patiantur ; quam ſui meruit ſanguine redemptoris. Sic agentes, noſtrum auxilium, noſtrum conſilium, concordiam noſtram, noſtram dulcedinem obtinebunt. Alioquin tantam dominæ ac matris noſtræ indignitatem pati non poſſumus. Quid enim ad militem baculus epiſcopalis ? Qui annulus ſacerdotalis ? Habeant in eccleſia primatum ſuum, ut ſint eccleſiæ defenſores, & eccleſiæ ſubſidiis perfruantur. Habeant reges, quod regum eſt, quod ſacerdotum eſt, habeant ſacerdotes : ſic pacem invicem teneant, & ſe invicem in uno Chriſti corpore venerentur. De ordinationibus clericorum, qui in noſtri temporis ſchiſmate ordinati ſunt : non aliud ſcribendum duximus, quam in Placentina ſynodo, per ſanctæ memoriæ Urbanum prædeceſſorem noſtrum deliberatum eſt. Porro epiſcopis, qui ſub excommunicatione in eodem ſchiſmate manus impoſitionem ſuſceperunt, ad concilii ſententiam deferendos arbitramur. Tantum enim tantarum perſonarum malum generali deliberatione aut curandum eſt, aut detruncandum. De concilii autem loco aut tempore, ſi veſtris in partibus celebrandum ſit, tua intereſt, communicato fratrum conſilio, nobis citius indicare. Optamus enim, & vehementer opportunum eſt : ut, vel apud vos per legatos noſtros : vel in Italia per nos largiente domino peragatur. In quo de ſacerdotii ac regni ſcandalo propulſando, pace ſtabilienda, communi per Dei gratiam deliberatione tractemus. Sane de ſchiſmaticorum eccleſiis, ſanctæ memoriæ Joannis papæ verba mandamus. Ait enim epiſcopis per Italiam conſtitutis : „ Ec„ cleſias Arianorum, ubicunque inveneritis, ca„ tholicas eas divinis precibus & operibus abſque „ ulla mora conſecrate. In inferioribus, " & id ipſum in Conſtantinopolitanis partibus ſe feciſſe commemorat, dicens : „ Quaſcunque illis in par„ tibus eorum eccleſias reperire potuimus, ca„ tholicas eas, domino opem ferente, conſecra„ vimus,

Omnipotens Dominus, quem pacem noſtram & ſalutem eſſe credimus, per induſtriam veſtram, pacem ac ſalutem eccleſiæ ſuæ, miſerationum ſuarum affluentia operetur.

Datum Laterani, III. Idus Novembris.

LI. AD ALTARDUM ABBATEM VEZELIACENSEM.

In notis Andreæ Quercetani ad bibliothecam Cluniacenſem, p. 933

Privilegium Vezeliacenſe.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri Altardo abbati Vezeliacenſi cœnobii, ejuſque legitimis ſucceſſoribus in perpetuum.

QUia documentis apoſtolicis regendus eſt ordo eccleſiaſticus : oportet ut grex dominicus impigro animo, aſſidua vigilantia cuſtodiatur & gubernetur. Ut autem prælatorum vigilantiam nulla nox, nulla tenebrarum hora opprimat, vel confundat : caritas, quæ Deus eſt, quæ præter unum, alterum neſcit, omnibus viribus tota mente diligenda eſt & tenenda. Quoniam vero nullis præcedentibus meritis, ſed ſola omnipotentis Dei gratia, in eccleſia locum Petri obtinemus : neceſſe eſt, ut omnibus ſuperimpendamur eccleſiis, maxime his quæ juris B. Petri eſſe noſcuntur, & quæ affectu filiali invocant conſilium & auxilium matris ſuæ. Quia igitur dilectio fraternitatis veſtræ poſtulavit privilegium monaſterio Vezeliaco fieri, cujus regimen auctore Deo vobis commiſſum eſt, quod fundatores ipſius Gerardus comes vir nobiliſſimus, & uxor ejus Berta, pia devotione & teſtamenti confirmatione B. Petro apoſtolorum principi obtulerunt : nos precibus veſtris aſſenſum præbentes, auctoritate apoſtolica per præſens privilegium confirmamus atque ſtatuimus, ut nulli imperatorum, nulli unquam regum, nulli comitum, nulli antiſtitum, nulli cuiquam alii de rebus quæ jam dicto monaſterio a prædictis fundatoribus vel ab aliis Deum timentibus, oblatæ, vel conceſſæ ſunt, vel deinceps conferendæ, ſub qualibet occaſionis ſpecie liceat minuere, vel auferre, vel ablatas retinere. Inter quæ nominatim eidem monaſterio confirmamus, in epiſcopatu Eduenſi eccleſiam ſancti Petri, &c.

Hic enumerantur omnes.

Præterea ſtatuimus, ut conſecratio monaſterii ipſius, & eccleſiarum quæ ſunt in circumadjacenti villa, ordinationes quoque monachorum & clericorum, conſilio abbatum Cluniacenſium, quibus prædeceſſores noſtri & nos perpetualiter conceſſimus vices noſtras in jam dicto monaſterio, ibidem fiant, aut ubi ipſi abbates maluerint. Chriſma quoque & oleum ſanctum a quo maluerint catholico epiſcopo accipiant. Eccleſiæ vero ejuſdem monaſterii per diverſas provincias conſtitutæ, & earum altaria, ab epiſcopis in quorum diœceſi ſunt, conſecrentur. Sacerdotes etiam & clerici ordinentur, & ab eis chriſma & oleum

ſan-

ſanctum accipiant, ſi gratiam Romanæ ſedis habuerint, & gratis, ac ſine pravitate aliqua dare voluerint; ſin alias, a quo maluerint catholico epiſcopo accipiant. Obeunte ejuſdem loci abbate, vel quocunque ſucceſſorum tuorum, nullus ibi eligatur violentia, vel aliqua ſubreptionis aſturia, ſed quem fratres communi conſenſu, vel pars fratrum ſanioris conſilii, prædictorum Cluniacenſium abbatum præcepto, ſecundum regulam B. Benedicti elegerint. Electus vero, aut a Romano pontifice aut eorumdem abbatum conſilio conſecretur. Ipſius autem diœceſis epiſcopo, niſi ab abbate ipſius monaſterii invitatus fuerit, ſtationes agere publicas, aut privatas miſſas celebrare in eodem monaſterio haud liceat. Donationem quoque, vel ſubjectionem, ſeu poteſtatem interdicendi in eodem cœnobio & circumadjacenti villa nullam habeat. Decrevimus etiam ut nulli omnino hominum liceat cœnobium ipſum perturbare, vel inquietare, ſeu vexationibus ſervos Dei fatigare, vel ejus poſſeſſiones auferre vel minuere, ſed omnia in integrum conſerventur eorum uſibus, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione eidem monaſterio ſunt conceſſa. Ad indicium quoque hujus libertatis, apoſtolicæ ſedi, cujus juris eſſe dignoſcitur, libram argenti per ſingulos annos perſolvat. Si quis autem ſciens, contra hujus noſtri decreti paginam agere tentaverit, ſecundo, vel tertio admonitus, niſi reſipuerit, a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat. Qui vero obſervator extiterit, ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli benedictionem percipiat: & in futuro, ſanctorum conſortio perfrui mereatur. Omnipotens Deus, qui eſt vera ſalus, & vera cuſtodia, te & congregationem tibi creditam protegat & defendat, & per interceſſionem B. Mariæ Magdalenæ, quæ cum fonte lacrymarum ad fontem miſericordiæ Chriſtum pervenit, ad finem qui non finitur, pervenire concedat.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Datum Beneventi per manus Galteri Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, anno Dominicæ Incarnat. MCIII. menſe Novemb. Indictio. XI. pontificatus ejuſdem ſecundi Paſchalis papæ, anno IV.

Ex Spicilegii Tomo III.

LII. AD GALLOS.

Solvit interdictum, cui Eduenſis epiſcopus Vizeliacenſem eccleſiam ſubjecerat.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, clericis, militibus, & cæteris laicis per Gallicanas eccleſias, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AUdivimus, & vix credere potuimus, quod confrater noſter Eduenſis epiſcopus, & archidiaconi ejus, vel archipresbyteri, non juſtitia ducti, ſed æmulatione compulſi, vobis interdixerint Vizeliacenſe cœnobium devotionis gratia adire, eccleſiam introire, & ad ſepulcrum beatæ Mariæ, quod in eadem eccleſia celebratur, accedere, aut aliquas oblationes apponere. Nova profecto, nova hæc eſt interdictio ſacerdotum: cum ad devotionem vocare, non a devotione revocare, ſacerdotalis officii debitum videatur. Porro nos interdictum hoc ſacerdotali officio diſſolventes, ſcire vos volumus, quia ſive epiſcopus, ſeu miniſtri ejus, niſi ab hac præſumptione deſtiterint, apoſtolicæ ſedis indignatione plectentur.

Datum Laterani III. Kal. Novembris.

LIII. AD ROBERTUM VIZELIACENSEM ABBATEM.

Ibidem.

Declarat eum eſſe in apoſtolicæ ſedis tutela.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Roberto Vizeliacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ET divinarum & humanarum legum inſtitutionibus edocemur, & ipſa etiam naturalis ratio nos exhortatur, ut non ſolum familiares & domeſticos, ſed univerſos quoque diligentes nos diligere debeamus. Quia ergo, in Chriſto fili cariſſime Roberte abbas, dudum Romanæ eccleſiæ familiaris ac domeſticus comprobaris: & quia in ipſo B. Petri allodio conſtitutus es: præcipua te dilectione complectimur, & B. Petri munimine confovemus. Interdicimus enim, ut nullus omnino perſonam tuam, vel commiſſum tibi officium conturbare vel inquietare prætumat: ſed quiete permaneas, ut libere omnipotenti Deo debitum poſſis ſervitium exhibere. Si quis autem contra iſta præſumpſerit, Dei omnipotentis, & ſedis apoſtolicæ indignationem ſe noverit inventurum. Qui vero obediens & obſervator extiterit, Domini Dei noſtri, & apoſtolorum ejus gratiam conſequatur.

Datum apud Tranſtiberim, VIII. Kalend. Novembris,

LIV. AD GUILLELMUM COMITEM NIVERNENSEM.

Ibidem.

Ut Vizeliacenſe monaſterium, quietum ac liberum eſſe ſinat.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Guillelmo illuſtri viro, Nivernenſium comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

NOn parva de te apud nos fama eſt, & nos ita credimus & credidimus: quod Dei timorem habeas & amorem, quo juſtitiam diligas, & quod in cæteris, ſicut tantum decet virum, per Dei gratiam honeſte te habeas. Monemus igitur, ut vicinas tibi eccleſias ab oppreſſionibus liberas facias; nec aliquas eis moleſtias irroges: illis maxime, quæ ad B. Petri tutelam aut patrocinium pertinent, quemadmodum Vizeliacenſe cœnobium: in quo exactiones, aut uſurpationes aliquas per te, vel quorumlibet præſumptione, inſtitui omnino prohibemus, & interdicimus. Immo ſicut a noſtris prædeceſſoribus apoſtolicæ ſedis pontificibus ſancitum eſt, noſque ſancimus: ut idem monaſterium ſecundum conſtitutionem teſtamenti nobilis memoriæ Gerardi comitis, B. Petri jure quietum liberumque dimittas. Alioquin B. Petrus adverſum te dominii ſui exeret ultionem: & nos locum noſtrum apoſtolica auctoritate tuebimur.

Datum Præneſte XII. Kal. Januar.

Ibidem.

LV. AD DAIMBERTUM SENONENSEM ET ALIOS EPISCOPOS.

Ut Vizeliacenſe monaſterium protegant.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus & coepiſcopis Daimberto Senonenſi, Hugoni Nivernenſi, Stephano Eduenſi, Joceranno Lingonenſi, Hugoni Autiſiodorenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EX fundatoris illuſtris memoriæ Gerardi comitis oblatione, Vizeliacenſe monaſterium B. Petri juris eſſe, veſtra, ut credimus, notitia non ignorat. Verum quidam, ſicut accepimus, loco B eidem exactiones imponere, & graves moliuntur injurias irrogare. Rogamus ergo fraternitatem veſtram, & monemus, ut pro veſtri officii debito locum ipſum protegere ſtudeatis: & ſi quis ei moleſtias fecerit, ab abbate vel fratribus requiſiti, ita inde juſtitiam faciatis, ut a B. Petro, & a nobis gratias habeatis.

Datum Præneſte XII. Kalend. Januarii.

Ibidem.

LVI. AD EPISCOPOS GALLIARUM.

Adverſus interfectores abbatis Vizeliacenſis.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus epiſcopis Galliarum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SAcerdotalis ordinis caritate vehementer indignum videtur, quod facinoroſas perſonas, quas pro criminibus ſuis perſequi deberetis, fovere dicimini. Interfectores enim Vizeliacenſis abbatis in quorumdam veſtrum parochiis licenter habitare dicuntur. Unde fraternitatem veſtram digna redargutione corripientes, præſentium litterarum auctoritate præcipimus: ut eos qui dominum ſuum presbyterum & abbatem tam nequiter occiderunt, ſecundum dignum pœnitentiæ modum in exilium detrudatis: &, ſi noluerint obedire, excommunicationi ſubjicite, nec unquam D vel Vizeliacenſi abbati, vel præpoſito alicui, facultas ſit eiſdem homicidis vel eorum heredibus, de his quæ ad eccleſiam pertinent aliquid dimittere. Eos vero, quos hujus homicidii fuiſſe conſtat auctores, niſi dignam egerint pœnitentiam, ab eccleſia alienos efficite.

Datum apud Guardaſtallum VIII. Kal. Novembris.

Ex Tomo v. Spicilegii Dacheriani.

LVII. AD RADULFUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Confirmat privilegia Atrebatenſi epiſcopo conceſſa.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili Raduipho Remenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUod de Atrebatenſis epiſcopatus reſtitutione a prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Urbano factum eſt, ſcitote apud nos firmum & inviolabile permanere: nec unquam paſſuros nos ut Cameracenſi ſubjiciatur eccleſiæ. Porro tam vos quam ſucceſſores veſtros præſentium litterarum auctoritate compellimus, ut poſt mortem Atrebatenſis epiſcopi ad faciendam illic epiſcopi electionem ſolicite invigilare, & electum ſine moræ A longioris obſtaculo conſecrare curetis. Si quis autem adverſus hæc agere tentaverit, excommunicationis vinculo innodetur.

Data Laterani octavo Idus Aprilis.

Ex Tomo v. Spicilegii Dacheriani.

LVIII. AD CLERUM ET POPULUM ATREBATENSEM.

Prohibet Atrebatenſem eccleſiam Cameracenſi ſubici.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, clero & populo Atrebatenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AUdivimus quoſdam perverſe agentes, & apoſtolicæ ſedis auctoritatem annullare cupientes, ad hoc conatus ſui molimen intendere, ut Atrebatenſis eccleſia epiſcopali cathedra prædita peſſundetur, & Cameracenſi ſubjiciatur eccleſiæ. Unde nos univerſitati veſtræ ſcripta præſentia dirigentes, omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti auctoritate ſancimus, reſtitutionem Atrebatenſis epiſcopatus a prædeceſſore noſtro Urbano factam, & a nobis per Dei gratiam confirmatam, firmam & inviolabilem permanere. Quaſcumque vero poſſeſſiones ab eadem reſtitutione epiſcopatus ipſe poſſedit, quietas ſemper integraſque poſſideat. Sub anathematis etiam prohibitione interdicimus, ne Atrebatenſis eccleſiæ C ſtatus, Cameracenſi unquam ſubdatur eccleſiæ. Qui vero temerario auſu adverſus iſta præſumpſerint, eos Dathan & Abiron judicium ſubſequatur, qui Moyſi & Aaron divinitus datam poteſtatem comprimere tentaverunt. Poſt exceſſum igitur venerabilis fratris noſtri Lamberti, qui nunc Atrebatenſi eccleſiæ præſidet, a vobis epiſcopum omnino præcipimus eligendum. Cui, ſi canonica eum ſtatuta non reſpuunt, omnino non liceat electionem aut communi aut melioris partis conſenſu impoſitam ſubterfugere.

Data Laterani octavo Idus Aprilis, Indict. v.

Ex Tomo v. Spicilegii Dacheriani.

LIX. AD LAMBERTUM ATREBATENSEM EPISCOPUM.

Ad litem inter canonicos & monachos Atrebatenſes dirimendam a ſe delectos arbitros ſcribit.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Lamberto epiſcopo Atrebatenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PRo canonicorum veſtrorum & monachorum S. Vedaſti lite diutina, frequenter & nos tibi ſcripſimus, & tu nobis litteras miſiſti. Cæterum quod non parum nos gravat, adhuc lis eadem. Ad illam enim diviſionem quam monachis E abſentibus diremiſti, nos eos juſte cogere non potuimus. Venientibus autem nuper ad nos utriuſque partis nuntiis, nos ad eligendos hujus arbitros utramque partem noſtra auctoritate coegimus. Rogamus ergo dilectionem tuam ne graviter ferat, quod diviſionem veteris & novi Burgi litteris veſtris ſignificatam, nequaquam firmaverimus: quia, ut prædiximus, cogi ad eam monachi juſte non poterant. Cæterum ad hanc infra dies quadraginta, ſicut ſtatuimus, peragendam, omnino te volumus imminere. Quia neutra pars electis arbitris poterit refragari.

Ex Tomo v. Spicilegii Dacheriani.

LXI. AD DUODECIM ARBITROS Atrebatenſes.

Ut litem clericorum Atrebatenſis eccleſiæ, & monachorum ſancti Vedaſti, abſque partium ſtudio definiant.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, bonis viris, Hugoni majori, Dodoni de haſtis, Guazelino, Gonzelino fratribus, Fulconi filio Anſelmi, Hilvino filio Adelfridi, Guaſelino militi, Girardo Saraceno, Gerboido patri Balduini, Thebaldo filio Bonevitæ, Horiberto, Agnoni, Atrebatenſis municipii civibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VIros bonos vos eſſe audivimus, & ideo vobis, tanquam bonis eccleſiæ filiis, quæ imperanda ſunt confidenter imperamus. Lis enim quæ inter eccleſiæ veſtræ clericos, & B Vedaſti monachos, agitata eſt, moleſta nobis vehementer & gravis eſt. Noviſſime ad eam litem dirimendam, quæ de veteris & novi Burgi terminis agitur, vos tanquam veraciores arbitros elegerunt. Vobis igitur ex Dei & beati Petri auctoritate præcipimus, & in peccatorum remiſſionem injungimus, ut omni amicitia inimicitiaque ſepoſita, de illis veteris & novi Burgi terminis quidquid noſtis verius ac certius proferatis. Ne qua vero pars de teſtimonii veſtri veritate ambigat, ab unoquoque veſtrum jusjurandum hujuſmodi fieri pro animarum veſtrarum ſalute præcipimus: quia de his terminis ſe ſciente veritatem proferet; neque pro amicitia, aut inimicitia, aut pro pecunia, mendacium dicet. Si autem de vobis aut duo, aut tres, aut quatuor, diſſenſerint, aut defuerint octo: teſtium aſſertio obtineat firmitatem.

Data Anagniæ VIII Idus Novembris.

Ex Tomo v. Spicilegii Dacheriani.

AD STEPHANUM BESUENSEM Abbatem.

Beſuenſis cœnobii poſſeſſiones, & jura confirmat.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Stephano Beſuenſi abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum.

REligioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Proinde nos religionis veſtræ deſideria contoventes, veſtro Beſuenſi monaſterio in honore beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ædificato, eorumdem apoſtolorum ex apoſtolicæ ſedis benignitate munimen impendimus. Conſtituentes, & præſentis decreti pagina ſancientes, ut eccleſia de Albiniaco, & eccleſia ſancti Benigni, & capella ſanctæ Mariæ quæ caſtello montis Salvionis ſita eſt, ad ſupradictam Albiniaci eccleſiam pertinens, eccleſia etiam Camlintenſis, E & eccleſia de Majas, cum appenditiis ſuis, capella de Foyenz veſtro ſemper cœnobio ita firme, ita libere quieteque permaneant, ſicut a fratre noſtro Rotberto Lingonenſi epiſcopo, cum totius Lingonenſis cleri conniventia tradita ſunt.

Idipſum etiam de duabus præbendis ſtatuimus, quas bonæ memoriæ Harduinus & Hugo, Lingonenſes epiſcopi, fratribus in eccleſia ſancti Gengulfi apud Lingonas Domino ſervientibus tradiderunt.

Idipſum etiam ſtatuimus ſuper eccleſia de Sivojo cum pertinentiis ſuis, ſuper capella ſancti A Mauricii ſeu ſancti Dionyſii, capella ſancti Valeriani, & eccleſiæ de Raiol, & parte quarta eccleſiæ ſancti Martini de monaſterio, ſeu cæteris rebus quas bonæ memoriæ Hugo Biſontinus epiſcopus veſtro monaſterio contradidit. Porro eccleſia ſancti Remigii quæ eſt in Burgo Beſuæ, & eccleſia de Belenavo cum appenditiis ſuis, ita in poſſeſſione veſtra liberas, ita ab omnibus conſuetudinalibus immunes ſemper manere cenſemus, ſicut a bonæ memoriæ Alberico quondam Lingonenſi epiſcopo, ſeu ſucceſſore ejus Rainardo ejuſdem eccleſiæ venerabili epiſcopo, libertate ac ſmmunitate donatæ ſunt.

Præterea confirmamus vobis eccleſiam Salvatoris de veteribus vineis, eccleſiam ſancti Martini de Luco, eccleſiam ſancti Laurentii de Beria, eccleſiam ſancti Benigni de Boenſis villa, eccleſiam ſancti Sequani, quæ eſt parochialis, eccleſiam ſancti Valerii de Talemaro, eccleſiam ſancti Leodegarii de Genziviaco, eccleſiam ſancti Martini Belmontis, capellam quoque ſancti Marcellini, quam bonæ memoriæ Geilo Lingonenſis epiſcopus ad luminaria altaris eccleſiæ veſtræ contuliſſe dignoſcitur, cum beati Prudentii martyris ſub eodem altari reliquias collocavit, cum appenditiis & mancipiis utriuſque ſexus, ſicut ea ſupradictus epiſcopus Virdunenſi epiſcopo commutavit. Eccleſiam quoque ſancti Hypoliti de Pontiliaco cum appenditiis ſuis, eccleſiam de Caſoro ſancti Symphoriani, eccleſiam ſanctæ Maria de Fonvens, a Lamberto Lingonenſi epiſcopo datam cum pertinentiis ſuis. Eccleſiam quoque ſancti Cengulfi ſuperius nominatam. Porro Villam Beſuæ ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli monaſterio adjacentem, cum omnibus pertinentiis ſuis, ab omnium hominum vexationibus liberam, ſicut hodie eſt, vobis in perpetuum ſancimus. Piſcariam quoque Fontis loco uſque ad Pincianum in jure ac poſſeſſione veſtra ſemper ſervari libere quieteque ſancimus.

Præterea quæcumque in præſentiarum nunc idem monaſterium poſſidet, ſive in futurum conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium, juſte atque canonice poterit adipiſci: firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Lingonenſis epiſcopi canonica retinentia. Ut epiſcopo tamen, aut epiſcopi miniſtris, omnino non liceat monaſterium ipſum, aut ejus loca gravare, nec ornamenta eccleſiæ qualibet occaſione diripere, nec exactiones aliquas, aut conſuetudines quæ fratrum quieti noceant, irrogare. Interdicimus etiam ne quis idem Beſuenſe cœnobium in celam redigere audeat, quamdiu monaſtici ordinis obſervantia illic Domino præſtante viguerit.

Si quis ſane in craſtinum archiepiſcopus, vel epiſcopus, imperator, vel rex, princeps, aut dux, comes, vicecomes, aut judex, vel quælibet eccleſiaſtica, ſeculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat,

fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni A ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: quatinus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Scriptum per manum Rainerii ſcriniarii & notarii ſacri palatii. Datum Laterani per manum Joannis S. R. E. diaconi cardinalis, Kal. Januarii, Indict. XIII. Incarnat. Dominicæ anno MCV. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ VI.

Ego Paſchalis epiſcopus catholicæ eccleſiæ ſubſcripſi.

LXIII. AD GOSFRIDUM ABBATEM B ſancti Maxentii.

Ex hiſtoria comitum Pictav. pag. 631.

Ejus cœnobium in ſanctæ ſedis tutelam recipit.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto domno Gofrido abbati venerabilis monaſterii ſancti Maxentii adjutoris, ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum.

PIæ poſtulatio voluntatis, effectu debet proſequente compleri: quatinus & devotionis ſinceritas laudabiliter enitefcat, * & utilitas, poſtulata indubitanter aſſumat. Quia igitur dilectio tua ad ſedis apoſtolicæ portum confugiens, ejus tuitionem devotione debita requiſivit nos: ſupplicationi tuæ clementer annuimus, & beati Maxentii monaſterium cui auctore Deo præſides, & tam ei adjacentem villam quam cætera omnia ad ipſum pertinentia, ſub tutelam apoſtolicæ ſedis recipimus. Per præſentis igitur privilegii paginam apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut quæcumque prædia, quaſcumque poſſeſſiones in præſenti tertia Indictione idem monaſterium legitime poſſidet, ſive in futurum conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juſte atque canonice poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc viſa ſunt propriis vocabulis annotanda, &c. De quibus nimirum terris Pictavenſium * ſol. v. quotannis Lateranenſi palatio perſolvetis. Ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Sed neque interdictione vel excommunicatione ipſum monaſterium addicatur, niſi forte pro ditioribus, cubi . . . . . quas vel abbas, vel monachi emendare contempſerint: nec ipſi tamen excommunicatos, aut interdictos ad officium divinum ſuſcipiant: nec in communi parochiæ interdicto ſigna pulſentur. Obeunte tamen ejus loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi quilibet ex ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres eorum conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, vel de ſuo vel de alieno ſi oportuerit collegio, ſecundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam elegerint. Si quis igitur in craſtinum archiepiſcopus aut epiſcopus, imperator, aut rex, princeps, aut dux, comes, vicecomes, judex, aut eccleſiaſtica quælibet ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, &c. *ut in epiſt. præced.* Scriptum per manum Rainerii ſcriniarii regionarii ſacri palatii.

* Lege, *& utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat*, ut infra ep. 88. *Mart.*

* Solidos quinque. H.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Datum Romæ in portico beati Petri, per manum Joannis S. R. E. diaconi cardin. ac bibliothecarii, v. Kal. Maii, Incarnatione Domini MCX. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ, anno XI.

LXIV. AD GALONEM PARISIENSEM epiſcopum & capitulum eccleſiæ Pariſienſis.

Ex magno paſtorali eccleſiæ Pariſiensis, beneficio D. Heravallii.

Ut eccleſiæ Pariſienſis famuli ad dicendum teſtimonium in cauſis forenſibus admittantur.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Galoni, & capitulo Pariſienſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

SIcut ex relatione veſtra & ex literis regiis intelleximus, Pariſienſis eccleſia magnum hactenus rerum ſuarum patiebatur incommodum: pro eo quod ipſius eccleſiæ famuli, qui apud vos ſervi vulgo improprie nuncupantur, in forenſibus & civilibus cauſis, vel placitis, adverſus liberos homines non admitterentur in teſtimonium. Cui rei dilectus filius noſter Lodoicus Francorum rex pro utilitate eccleſiaſtica ita conſulendum arbitratus eſt: ut epiſcoporum ac procerum conſilio & aſſenſu inſtitueret, Pariſienſis eccleſiæ famulos in omnibus cauſis, placitis, & negotiis, adverſus omnes homines tam liberos quam ſervos liberam & perfectam habere teſtificandi & bellandi licentiam: ita ut nemo, eorum teſtimonio, pro eccleſiaſticæ ſervitutis occaſione, calumniam inferat. Nos itaque petitionem veſtram rationabilem perpendentes, idipſum pro eccleſiaſticæ utilitatis & juſtitiæ intuitu decreti noſtri aſſertione firmamus. Neque enim æquum eſt, eccleſiaſticam familiam iiſdem conditionibus coerceri, quibus ſervi ſecularium hominum coercentur. Sicut igitur prænominatus Francorum rex regia benignitate inſtituit, ita nos eccleſiæ veſtræ familiam, quæ ſub epiſcopi, ſeu canonicorum jure conſiſtit, hac noſtræ auctoritatis conceſſione donamus: ut in forenſibus & civilibus cauſis, vel placitis, adverſus quaslibet ſæculares perſonas in teſtimonium efficaciter admittatur; nec propter eccleſiaſticæ clientelæ obnoxietatem, ſi alia non impediunt, eorum teſtimonium refutetur. Datum Beneventi per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii, IX. Kal. Februarii, indict. VI. Incarnationis Dominicæ anno MCXIV. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ anno XIV.

Falſa notatio temporis. H.

AD BERNARDUM TOLETANUM primatem, apoſtolicæ ſedis vicarium.

Ex Primatu Toletano Caſtejoni.

De electione Burgenſis epiſcopi.

POſtquam literis veſtris noſtras reſcripſeramus, de conſentiendo P. eccleſiæ Burgenſis electo licentiam largientes: alias a clero & populo Burgenſi literas inopinato accepimus, quibus idem Paſchalis archidiaconus tuo quidem conſilio, ſed rege neſciente, & populo ignorante, ſignificabatur electus. Sed poſt illam illius electionem, populo expectante, univerſo clero conſentiente, rege quoque volente, ipſius regis germanus aſſerebatur ad pontificatum Burgenſis eccleſiæ deſtinatus. Sane in iis diſſenſionum varietatibus, noſtrum eſt, & canonum juſtitiam conſervare, & ſaluti eccleſiæ providere. Unde ſolicitudini tuæ pra-

præſentia ſcripta dirigimus, præcipientes, ut com-A provincialibus epiſcopis convocatis, loco & tempore opportuno, utramque partem ad veſtram jubeatis præſentiam convenire: ubi omni perſonarum acceptione, omni dolo, & animoſitatis pravitate ſepoſita, præcipimus earumdem electionum cauſam omnino canonice diffiniri.

Datum Lateranis IV. Idus Aprilis.

Ex eodem libro.

LXVI. AD EUMDEM

Segovienſem civitatem ipſius perſonæ permittit, Monaſterium S. Servandi donat.

FRaternitatis tuæ petitionem clementer admiſimus. Volumus enim, ut commiſſa tibi B apoſtolicæ ſedis legatione honorifice perfruaris. Segovienſem civitatem, niſi proprium deſideret civitas ipſa epiſcopum, perſonæ tuæ pro gravioris paupertatis neceſſitate permittimus. Monaſterium ſancti Servandi, quod noſtri juris eſt, a prædeceſſoribus noſtris Maſſilienſi quondam monaſterio novimus fuiſſe commiſſum. Cæterum, quia propter Saracenorum feritatem monachos de loco ipſo diſceſſiſſe cognovimus: nos monaſterium ipſum ſolicitudini tuæ reſtaurandum diſponendumque committimus. Quod ſi per omnipotentis Dei miſericordiam reſtaurari contingit, debitum Lateranenſi palatio cenſum annis ſingulis perſolvetis.

Datum Lateranis XVI. Kalend. Aprilis.

Ex bibliotheca Cluniacenſi.

LXVII. AD GALLIARUM Epiſcopos.

Cœnobium Cluniacenſe commendat.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopis & epiſcopis per Gallias, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUanta reverentia ſedis apoſtolicæ conſtitutionibus debeatur, fraternitatem veſtram non ignorare credimus. Si qua vero vel minus dicta, vel aliter intellecta conſpiciuntur: meminerint qui adverſus ſanctam Romanam eccleſiam conqueri conſueverunt, quid pro Felicis papæ ſcriptis adverſus Acatium datis, Orientalibus epiſcopis ſanctæ memoriæ Gelaſius papa reſponderit. Idcirco ad memoriam fraternitatis veſtræ reducimus, quia Cluniacenſe cœnobium ab ipſo fundationis exordio ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſit oblatum: quod profecto religioſi antiſtites & egregii principes pro religione eximia donis ſuis ac poſſeſſionibus ditaverunt. Romani vero pontifices tamquam oculi ſui pupillam cuſtodientes, cum loca ad ſe plurima pertinentia fratrum illorum regimini commiſiſſent, tam locum ipſum quam cætera ei cohærentia, privilegiorum ſuorum munitionibus vallaverunt. Scitis enim quanta per eos in Galliarum partibus nova inſtituta, vetera ſint ad religionem monaſteria * reperta. Eapropter caritatem veſtram monemus, monentes rogamus atque præcipimus ne tot tantorumque pontificum privilegiis obviare tentetis: ne per eorum violationem, apoſtolicæ ſedis, quod abſit, indignationem inveniatis. Imitatores eſtote patrum veſtrorum, qui congregationem illam venerabilem devotius coluerunt, & ſaluti, quam per eos Dominus ſuper multis peccatoribus operatur, manus ſocias adhibete. Ita eos diligite, ita tueamini, ita fovete, ut quietius per vos omnipotenti valeant deſervire: vos autem, qui inter mundi fluctuantis turbines ſtatis, per eos, tam apoſtolicæ ſedis, quam omnipotentis Dei gratiam conſequamini.

Forte, obtinuerunt.

Data Lateranis, XIII. Decembris.

LXVIII. AD HUGONEM ABBATEM Cluniacenſem.

Ex bibliotheca Cluniac. pag. 1016. Eadem litera Paſchalis ſumpta ibidem pag. 111. paulum diverſa.

Privilegium Cluniacenſe.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Hugoni abbati Cluniacenſi ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

ET religionis prærogativa, qua per univerſas Gallias veſtris temporibus per Dei gratiam congregatio veſtra præcellit, & inconcuſſa caritatis unitas, qua inter procellas omnes ſedi apoſtolicæ adhæſiſtis; manſuetudinem noſtram vehementius exhortantur, immo urgent atque compellunt, ut veſtris petitionibus aſſenſum accommodare, & quieti veſtræ in poſterum providere ſolicitius debeamus. Eapropter, quidquid libertatis, quidquid tuitionis, quidquid auctoritatis, prædeceſſores noſtri eccleſiæ Romanæ pontifices, præſertim apoſtolicæ memoriæ Gregorius VII. & Urbanus II. veſtro monaſterio, & locis ad id pertinentibus contuleruntnos quoque præſenti decreto, auctore Deo, confirmamus. Ad hæc adjicimus, ut tam prioratus & cellæ, quam & cætera in quibuslibet locis omnia, quibus fraternitas tua, Arvernenſis concilii, quod per ſupraditum Urbanum papam celebratum eſt, tempore inveſtita erat, de quibus tunc nulla quæſtio mota eſt, cui nimirum concilio per temetipſum interfueras, tam tibi quam ſucceſſoribus tuis in pace ſemper & quiete ſerventur. Præcipimus etiam, ut omnes eccleſiæ, ſeu capellæ veſtræ, & cœmeteria libera ſint, & omnis exactionis immunia, præter conſuetam epiſcopi paratam, & juſtitiam in presbyteros, ſi adverſus ordinis ſui dignitatem offenderint: exceptis nimirum eccleſiis illis, quæ abſque hujuſmodi ſubjectione in abbatis poteſtate conſiſtunt. Liceat quoque vobis, ſeu fratribus veſtris, in eccleſiis veſtris presbyteros eligere: ita tamen ut ab epiſcopis, vel epiſcoporum vicariis, animarum curam abſque venalitate ſuſcipiant. Quam ſi committere illi ex pravitate noluerint: tunc presbyteri ex apoſtolicæ ſedis benignitate officia celebrandi licentiam conſequantur. Eccleſiarum vero, ſeu altarium conſecrationes, ab epiſcopis, in quorum diœceſibus ſunt, locorum veſtrorum fratres accipiant: ſi quidem gratis ac ſine pravitate voluerint exhibere. Alioquin a catholico, quem malueritis, epiſcopo, conſecrationem ipſarum ſacramenta ſuſcipiant. Neque cuilibet facultas ſit, aut clauſtri veſtri, aut locorum veſtrorum fratres pro vivorum ſive defunctorum eleemoſynis ob ſalutem datis inquietare: ſed tam virorum, quam mulierum oblationes, quæ ad eos afferuntur, in uſu ſervorum Dei pauperumque profuturas recipere liceat. Nec minus illud ſupradicti Urbani II. papæ capitulum confirmamus, ne cellarum veſtrarum ubilibet poſitarum fratres pro qualibet interdictione, vel excommunicatione, divinorum officiorum ſuſpenſionem patiantur: ſed tam monachi ipſi, quam & famuli eorum, & qui monaſticæ profeſſioni ſe devoverunt, clauſis eccleſiarum januis, non admiſſis diœceſanis, divinæ ſervitutis officia celebrent, & ſepulturæ debita peragant. Concedimus etiam vobis laicos, ſeu clericos ſæculares, niſi qui pro certis criminibus ex-

excommunicati ſunt, ad converſionem ſeu ſepulturam per loca veſtra ſuſcipere. Clericos quoque regulares, qui vel in locis ſuis ſalvari non poſſunt, vel pro neceſſitatibus ad veſtrum cœnobium confugiunt, ſuſcipiendi, & ad veſtrum propoſitum admittendi, religioni veſtræ licentiam impertimur. Præterea decernimus, ut nulli hominum omnino liceat veſtrum venerabile cœnobium, & loca ei ſubdita temere perturbare; ſed eorum eccleſiæ poſſeſſiones, & bona cætera, quæ pro animarum ſalute jam donata ſunt, vel in futurum Deo miſerante dari contigerit, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, illibataque permaneant: quos profecto cognoſcimus, ab excommunicatis pia diſcretione vigilantius abſtinere. Si qua igitur eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere ſe de perpetrata iniquitate cognoſcat: & a ſanctiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini & redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem cœnobio juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Paſchalis, catholicæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Ego Odo Oſtienſis epiſcopus, ſubſcripſi.

Ego Milo Prænestinus epiſcopus, ſubſcripſi.

Ego Albericus archiepiſcopus Dei gratia cardinalis ſancti Petri ad vincula, ſubſcripſi.

Ego Walterius epiſcopus Albanenſis eccleſiæ ſubſcripſi.

Ego Paganus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, ſubſcripſi.

Datum Lateranis, per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis XII. Kal. Decemb. Indict. VIII. incarnationis Dominicæ anno MC. pontificatus autem domni Paſchalis ſecundi papæ ſecundo.

LXIX. AD EUMDEM.

Ex biblioth. Cluniac.

Confirmat Cluniacenſium jura & poſſeſſiones.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, reverendiſſimo fratri Hugoni Cluniacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

REligioni veſtræ per omnipotentis Dei gratiam ſedis apoſtolicæ benignitas gratulatur. Quoniam pleriſque in locis, largiente Domino, per veſtræ ſolicitudinis ſtudium, ubi nulla fuerat inſtituta, ubi defecerat per Galliarum partes, eſt reſtituta religio. Eapropter, ſicut ab ipſis cœnobii veſtri primordiis, ita largiente Domino uſque in finem, vos tamquam cariſſimos filios apoſtolicæ ſedis tuetur auctoritas. Omnia igitur ad veſtrum cœnobium pertinentia, ſicut a prædeceſſoribus noſtris munita ſunt, ita & nos auctoritate apoſtolicæ ſedis munimus. In quibus ea propriis exprimenda duximus vocabulis, quæ temporibus noſtris per Dei gratiam adquiſita, & veſtri regiminis diſpoſitioni ſubjecta noſcuntur.

Enumerantur. Tum

Hæc nimirum omnia veſtro cœnobio, tamquam membra capiti adhærentia, nos in perpetuum ſub jure ac regimine tam tuo, quam ſucceſſorum tuorum perſiſtere, præſentis paginæ aſſertione aſſancimus. Nec ulli omnino hominum liceat hæc veſtræ ſubjectioni ſubtrahere, & a Cluniacenſis monaſterii jure quibuslibet occaſionibus alienare. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc conſtitutionis noſtræ paginam ſciens, *&c. ut in epiſtola præcedenti.*

Ego Paſchalis, catholicæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Datum apud villam ſancti Hippolyti, per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii, VI. Idus Februarii, Indict. XV. Incarnationis Dominicæ anno MCVI. pontificatus autem domni Paſchalis II. anno VIII.

LXX. AD EUMDEM.

Ex biblioth. Cluniac.

Sancti Wlmari abbatiam illi ſubjicit corrigendam. Ejus abbates in perpetuum ab aboatibus Cluniacenſibus conſtituantur. Cuivis monacho liceat ad Cluniac. cœnobium tranſire.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Hugoni Cluniacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DEſiderium, quod ad religioſum propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur, ſine aliqua eſt, auctore Deo, dilatione complendum. Venerabilis ſiquidem frater noſter Joannes Morinorum epiſcopus, petente Euſtachio Bononienſi comite, ſancti Wlmari abbatiam ſolicitudini tuæ, cariſſime frater Hugo, corrigendam commiſit. Et nos ergo juxta eius deſiderium ac deliberationem, præſentis decreti aſſertione ſancimus, ut idem beati Wlmari monaſterium, ſemper in tua, tuorumque ſucceſſorum ordinatione permaneat. Nec alius illic abbas ſubſtituatur, niſi qui veſtra fuerit deliberatione proviſus. Idem etiam de Menatenſi monaſterio conſtituimus, quod jamdiu in veſtra ordinatione permanſit. Præterea quoniam omnipotens Deus, & ante noſtra tempora, & in diebus noſtris, præcipuam religionis monaſticæ diſciplinam in veſtro dignatus eſt monaſterio conſervare: hanc vobis prærogativam concedimus, ut quiſquis ad vos alieni monaſterii monachus pro vitæ melioratione tranſierit, licenter recipiatur, remotis prioris loci querimoniis, ut largiente Domino, ſalutis, quam quærere videtur, apud vos potiatur effectu. Si quis vero temerario auſu his ſalutiferis conſtitutionibus obviam ire præſumpſerit, apoſtolicæ indignationis ultione plectatur, & communionis eccleſiaſticæ periculum patiatur.

Ego Paſchalis, catholicæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Datum apud Aquambellam per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, ac bibliothecarii, II. Nonas Auguſti, Indictione XV. incarnationis Dominicæ anno MCVII. pontificatus autem domni Paſchalis papæ II. anno IX.

LXXI. AD EUMDEM.

Ex biblioth. Cluniac.

Cluniacenſibus adjudicat cellam ſancti Dionyſii de Nongento, adverſus Guillelmum abbatem ſancti Petri Carnotenſis.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Hugoni Cluniacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUæ ſemel juſte, rationabiliterque deciſa ſunt, propter oblivionis incuriam redivivis ſæpe liti-

litibus replicantur. Idcirco litteris præsentibus annotamus, qualiter inter vestri cœnobii monachos, & S. Petri Carnotensem abbatem Guillelmum, de sancto Dionysio de Nongento querela cum sua sit replicatione decisa. Idem enim Carnotensis abbas, post domni Urbani papæ decretum, super eadem cella vestros fratres, nobis in Trecensi concilio præsidentibus, calumniis impetebat. Ne qua ergo scintilla jurgii remaneret, perspiciendum duximus quidquid a parte alterutra proferretur. Ostensæ igitur sunt litteræ quædam a Carnotensi abbate, per quas idem locus Carnotensibus monachis a Retrocco * comite, sub quadam fuerat conditione commissus: in quibus nulla temporum annotatio, nullus vel episcopi, vel clericorum continebatur assensus. Ad hæc easdem litteras falsas habendas Retroccus comes, ipsius Joffridi filius, qui locum illum una cum Beatrice uxore sua vestro cœnobio obtulerat, asserebat: quia & unus testium, qui subscripti fuerant, supradicti Joffridi frater adhuc superstes, se omnino interfuisse penitus inficiaretur, & easdem litteras alio tempore in capitulo Carnotensi falsatas fuisse narrabat, falsationis illius testem cum jurejurando in medium proferens. Cæterum Joffridi comitis oblatio vestro cœnobio data, & locum, & tempus, & episcopi & metropolitani consensum, & Theobaldi comitis, ejusque filii Stephani favorem, de cujus feudo idem locus fuerat, manifestius continebat. Constitit itaque apud omnes, quia domni Urbani papæ sanctio, apostolicæ gravitatis pondere nitebatur plena. Quapropter ratione judicii, Carnotensis abbatis querela sopita est, & monasterio vestro, supradictæ cellæ in perpetuum statuta possessio. Sane huic nobiscum judicio affuerunt venerabiles episcopi, Leodegarus Bituricensis, Aldo Placentinus, Girardus Engolismensis, Ildebertus Cenomanensis, & nostræ sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis Landulfus, de titulo S. Laurentii, qui dicitur in Lucina. Igitur & nos sanctioni prædecessoris nostri, nostræ quoque sanctionis robur adjicimus: præcipientes, & penitus interdicentes, ne quis ulterius super hoc negotio vestrum Cluniacense cœnobium inquietare præsumat. Qui vero præsumpserit, canonicæ districtionis animadversione multetur.

* *al.* Joffrido.

Ego Paschalis, catholicæ ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Datum Silviniaci, per manum Joannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi, VIII. Kal. Junii, Indict. XV. Incarnat. Dominicæ anno MCVII. pontificatus autem domni Paschalis II. papæ VIII.

Ex biblioth. Cluniac.

LXXII. AD PONTIUM CLUNIACENSEM ABBATEM.

Privilegia Cluniacensis Monasterii.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Pontio monasterii Cluniacensis abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

ET religio Cluniacensis cœnobii, cui Deo auctore præsides, & prædecessoris tui sanctæ memoriæ Hugonis abbatis dulcissima reverendaque dilectio, cogunt nos, fili in Christo carissime Ponti abbas, tuis petitionibus indulgere. Eapropter abbatias, vel prioratus, qui sub prænotati abbatis Hugonis dispositione manserunt, sub tua quoque, vel successorum tuorum dispositione permanere decernimus. *Enumerantur. Tum pergit.* In locis autem, quæ sine proprio abbate, diebus domni ac venerabilis Hugonis abbatis fuisse videntur, nunquam aliquis abbatem ordinare præsumat. Illud etiam libertatis Cluniacensi cœnobio firmum haberi sancimus, ut vestri monasterii monachi qui ad sacros sunt ordines promovendi, a quibus malueritis catholicis episcopis promoveantur. Chrisma vero, si opportunitas exegerit, in vestro faciatis monasterio consecrari, vel a quibus volueritis episcopis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, *&c. ut in epistola* LXIV. *ad Hugonem.*

Ego Paschalis, catholicæ ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Datum apud Castellium, per manum Joannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, ac bibliothecarii, XIII. Kal. Novemb. Indict. III. Incarnationis Dominicæ anno MCIX. pontificatus autem domni Paschalis II. XI.

Ex biblioth. Cluniac.

LXXIII. AD EUMDEM.

Confirmat possessiones ab ipso acquisitas.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, carissimo filio Pontio Cluniacensi abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

APostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur, pro universarum ecclesiarum statu peragere, & earum maxime quieti, quæ sedi eidem specialius adhærent, ac tamquam jure proprio subjectæ sunt, & ampliori religionis eminent gratia, auxiliante Domino providere. Eapropter petitionibus tuis, fili in Christo carissime Ponti, non immerito censuimus annuendum, ut Cluniacense monasterium, cui Deo auctore præsides, apostolicæ sedis privilegio muniremus. Illas igitur quæ tuæ prælationis tempore acquisitæ sunt, & ab episcopis traditæ, vel per episcopos confirmatæ, nos tibi, tuisque successoribus, & per vos eidem Cluniacensi monasterio confirmamus. In Normannia videlicet, *&c. Enumerantur.* Præterea quæcumque prædia, quascumque possessiones in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium, juste atque canonice poteritis adipisci, firma vobis, vestrisve successoribus, & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica quælibet sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, *&c. ut in epistola præcedente.*

Ego Paschalis, catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Datum Anagniæ, per manum Joannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, ac bibliothecarii, VII. Idus Novemb. Indict. VIII. incarnat. Dominicæ Anno MCXIV. pontificatus autem domni Paschalis secundi papæ XVI.

LXXIV. AD EUMDEM.

Concedit ornamenta pontificalia.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectiſſimo filio Pontio Cluniacenſi abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUm differentiam donationum, quæ per Dei gratiam fidelibus dantur, enumeraret apoſtolus, ſubjunxit, dicens: *Dilectio ſine ſimulatione odientes malum, adhærentes bono, caritatem fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes.* Hanc ſine ſimulatione dilectionem, fili cariſſime, circa perſonam tuam per Dei gratiam conſervantes, & fratrum, quibus Deo diſponente prælatus es, caritatem diligentes; honoris te privilegio prævenire decrevimus. Odientes ſiquidem malum, bono vos adhærere gaudemus. Deum quippe in vobis diligimus, a quo bonum omne procedit. Monet etiam pſalmiſta, dicens: *Qui diligitis Deum, odite malum.* Igitur conceſſionem prædeceſſoris noſtri felicis memoriæ Urbani II. quam prædeceſſori tuo venerabilis memoriæ Hugoni abbati contulit, ſuper mitræ, dalmaticæ, chirothecarum, & ſandaliorum uſu, in octo præcipuis feſtivitatibus obtinendo, nos tam tibi, quam ſucceſſoribus tuis confirmamus. Præterea tibi eorumdem inſignium uſum perſonaliter ſingulis feſtis concedimus, quibus hymnus angelicus a vobis inter miſſarum ſolemnia decantatur. Ad exprimendam etiam ſine ſimulatione dilectionem, & honoris præventionem: dalmaticam, qua nos indui ſolebamus, tuæ dilectioni donavimus: ut noſtræ dilectionis memor, & malum ſemper odiſſe, & bono indefinenter adhærere, & fratres tibi commiſſos ſtudeas ſemper in Domino diligere, & ad conventum Dominicæ congregationis in idipſum efficacius incitare.

Datum Anagniæ, per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, VII. Idus Novembris, Indict. VIII.

LXXV. AD EUMDEM ET CLUNIACENS. MONACHOS.

Reprehendit quod chriſma in monaſterio ſuo conſecrari fecerint.

Paſchalis epiſcopus, ſervum ſervorum Dei, dilectis filiis Pontio abbati, ſeu monachis Cluniacenſis monaſterii, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

COnfrater noſter Berardus Matiſconenſis epiſcopus, partim rogatu noſtro, partim probitate ſua, erga prædeceſſorem tuum venerabilem Hugonem abbatem benigne ſe habuit: & cum Hieruſalem iturus diſceſſit, omnia inter vos & ipſum quiete ac pacifice habebantur. Cæterum poſt diſceſſum ejus non parum jus Matiſconenſis eccleſiæ perturbaſtis: quia, quod hactenus factum non eſt, in monaſterio veſtro chriſma conſecrari feciſtis. Hoc enim per epiſcopi perſonam exhibetur eccleſiæ. Rogamus ergo dilectionem veſtram, ita hoc plena caritate corrigere: ita etiam in cæteris circa eum vos habere, ut inter vos præteritæ pacis vinculum arctius reſtringatur. Ipſe enim plenius vos diligit, & a vobis plenius eſt diligendus. Quamobrem præcipimus, ne talia ulterius fiant. Non enim immemores ſumus, quanto ſtudio quantaque inſtantia ſategerimus, ut firma inter vos & ſtabilis concordia permaneret. Quod Aidcirco firmum ſervari volumus & præcipimus, ne detrimentum ulterius eccleſia patiatur: orantes vos pro nobis miſericordia divina cuſtodiat.

OTTONIS EPISCOP. BAMBERGENSIS ad Paſchalem papam II. epiſtola,

Ex tom. II Antiquæ lectionis Canisii. II.

Se ab imperatore accepiſſe epiſcopatum, ſed in eo permanere nolle niſi a pontifice inveſtiatur & conſecretur.

Domno patri ſuo Paſchali, ſanctæ & apoſtolicæ ſedis univerſali epiſcopo, Otto Bambergenſis eccleſiæ id quod eſt, tam devotæ quam debitæ ſubjectionis orationes & ſervitium.

QUia totius eccleſiaſticæ dignitatis ac religionis firmamentum in Chriſto petra eſt, & in Petro ejus diſcipulo, & ejus ſucceſſoribus: idcirco ab hac linea, ab hac virga directionis, virga regnorum, pontificatuum, & omnium poteſtatum in eccleſia, inſanum duxi aberrare. Vobis igitur, pater ſanctiſſime, & ſanctæ matri noſtræ Romanæ eccleſiæ collum devote ſubmittens, auxilium & conſilium de rebus meis flagito. In obſequio enim Domini mei imperatoris per annos aliquot degens, & gratiam in oculis ejus inveniens, ſuſpectam habens in manu principis inveſtituram; ſemel & iterum, cum dare vellet, renui epiſcopatum. Nunc vero jam tertio in Bambergenſi epiſcopatu me ordinavit: in quo tamen minime permanebo, niſi veſtræ permaneat ſanctitati per vos me inveſtire & conſecrare. Quidquid ergo placeat diſcretioni veſtræ de me, per nuntios mihi ſignificate ſervo veſtro; ne forte in vanum curram, ſi ad vos currere incipiam. Omnipotens mihi propitiam incolumitatem veſtram cuſtodiat.

LXXVI. AD OTTONEM BAMBERGENSEM EPISCOPUM.

Ex eodem Tomo Canisii

Paſchalis papæ reſponſio.

Paſchalis ſervus ſervorum Dei, Ottoni dilecto fratri Bambergenſis eccleſiæ electo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FIllius *ſapiens lætificat matrem*. Opera tua & conſilium tuum virum præferunt ſenſatum. Nos igitur honorare, & profectus tuos juvare congruum duximus. Nihil ergo de noſtra benevolentia dubitans, tuam nobis quantocius vales præſentiam exhibeto. Certi enim ſumus quod divina ſapientia etiam malis hominibus bene uti novit.

Prov. 10.

Adiit dein Otho pontificem, & ab eo conſecratus eſt. Vide epiſt. VIII.

LXXVII. AD PARISIENSIS ECCLESIÆ CLERICOS.

Ex minore Paſtorali Pontif. eccleſiæ

Galonem Pariſienſem epiſcopum effectum, a ſe diſcedentem, ipſis commendat, mittitque cum ampliſſima poteſtate. Vetat ne majores præbendarii a minoribus hominia ſuſcipiant. Sancti Eligii cœnobium, monialium diſſolutione infame, Galonis arbitrio permittit.

Paſchalis ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Pariſienſis eccleſiæ clericis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ET nobis & vobis gaudendum eſt, quod poſt multa quæ veſtræ eccleſiæ contigerunt adverſa,

ſa, Dei vos miſericordia reſpexit. Perſonam ſi- A quidem idoneam & ſacris canonibus congruentem ad veſtræ eccleſiæ gubernationem ſua vobis benignitate conceſſit. Ipſum igitur ad vos redeuntem litterarum commendatione proſequimur: rogantes, ut eum plena affectione diligatis, plena humilitate veneremini. Confidimus enim eum diſciplinæ eccleſiaſticæ futurum eſſe cuſtodem, & ſalutis veſtræ ſollicitum proviſorem. Huic ſedulis officiis obedite: & gratiam vobis in eo conciliate cæleſtem. Hunc ad recuperanda eccleſiæ bona, quæ prædeceſſorum illius tempore, tam in perſonis quam in prædiis diſtracta dicuntur, communibus adjuvate præſidiis. Ad quam cauſam adjuvante domino ſtrenue peragendam, noſtræ auctoritatis ei vicem conceſſimus: quatenus, B ſi epiſcopi, aut quorum parochiani bona ipſa diripiunt, aut quorum in parochiis bona eadem habentur, aut nolunt, aut deſides ſunt eccleſiæ veſtræ juſtitiam facere: ipſe vel interdicendi vel excommunicandi eos, ni ſatisfecerint, habeat facultatem. Illud ſane quod apud quoſdam clericorum fieri audivimus, ut videlicet majores præbendarii a minoribus hominia ſuſcipiant: & huic cohibendum præcipimus, & litteris præſentibus, ne fiat ulterius interdicimus. In hujuſmodi ſiquidem conciliatione, & notatur ambitio, & gravius videtur eccleſiæ ſcandalum generari. De cœnobio ſancti Eligii quid agendum ſit ejus proviſioni commiſimus. Dicitur enim & loco im- C portuniſſimo ſitum, & inhabitantium deſidia tam infame, quam ærumnæ vehementer expoſitum.

Datum Laterani VIII. Id. April.

NOTÆ GABR. COSSARTII S. J.

Fuit hic Galo Bellovacenſis primum, ac deinde Pariſienſis epiſcopus. Ad eum jam Pariſienſem, habes ſupra epiſtolam inſignem Paſchalis papæ quartam & ſexageſimam, quam debuiſſet hæc præcedere, ſi prius in manus noſtras veniſſet. Utramque debemus V. Cl. Vigno Herovallio, vetuſtorum monumentorum indagatori fagaciſſimo & feliciſſimo.

Quam vero hic a Paſchali II. facultatem accipit Pariſienſis epiſcopus excommunicandi cujuſvis ex altera D diœceſi, qui eccleſiæ Pariſienſis bona retineat, ſi ejus epiſcopus vel nolit, vel cunctetur, eum ad ſatisfaciendum adigere: eamdem aut non multum diſſimilem poſtea Honorius IV. decano & capitulo ejuſdem eccleſiæ conceſſit. *Vobis*, inquit, *auctoritate præſentium indulgemus, ut in laicos ſuper prædictis* (bonis ſcilicet extra diœceſin Pariſienſem conſtitutis) *injurias inferentes, ſi eorum epiſcopi, eos ad exhibendam vobis ſatisfactionem debitam cogere recuſaverint, ultra menſem poſtquam a vobis fuerint cum humilitate debita requiſiti, liceat vobis cenſuram eccleſiaſticam, præmiſſa monitione canonica, exercere.* Quæ Honorii epiſtola eſt in eccleſiæ Pariſienſis utroque Paſtoralis MS. cum hoc titulo: *De excommunicandis malefactoribus.*

De ſancti Eligii cœnobio explevit Galo datam ſibi a Paſchali provinciam. Extat in eodem Paſtorali minore, ejus præceptum, quo diſſolutas moniales eliminat, monaſteriumque abbatiæ ſancti Petri Foſſatenſis concedit poſſidendum, tamquam cellam, in qua monachi E minimum duodecim cum priore ſuo vivant ſecundum ſancti Benedicti inſtitutum: ſervata ſibi eadem in locum illum poteſtate, quam ipſius deceſſores in monialium monaſterium habuerant. Quas Galonis litteras anno MCVII. datas, ſuis litteris Philippus rex eodem anno confirmavit. Sed poſt mutationes plurimas, hoc tandem ſæculo locus idem religioſiſſimis ſancti Pauli clericis a Pariſienſi epiſcopo conceſſus eſt.

LXXVIII. AD GUIDONEM ARCHIEPISC. VIENNENSEM.

Ex bibliotheca Floriac.

Ipſi epiſcopatum, & metropolitana jura confirmat, palliumque mittit.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri Guidoni Viennenſi archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum.

POteſtatem ligandi atque ſolvendi in cælis & in terra, B. Petro ejuſque ſucceſſoribus, auctore Deo principaliter traditam, illis eccleſia verbis agnoſcit, quibus Petrum Dominus alloqu- *Matt. 16.* tus eſt: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Ipſi quoque & propriæ firmitas, & alienæ fidei confirmatio, eodem Deo auctore præſtatur, cum ad eum dicitur: *Rogavi* *Luc. 22.* *pro te, ut non deficiat fides tua, Petre: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui licet indigni, Petri reſidere videmur in loco, prava corrigere, recta firmare & in omni eccleſia ad interni arbitrium judicis ſic diſponenda diſponere, ut de vultu ejus judicium noſtrum prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem. Tuis igitur, frater cariſſime Guido, juſtis petitionibus annuentes, ſanctam Viennenſem eccleſiam cui auctore Deo præſides, apoſtolicæ ſedis auctoritate munimus. Manſuro itaque in perpetuum decreto * licet Gratianopolis, Valentina, C Die, Alba quæ & Vivarium dicitur, Geneva, Maurienna, ſanctæ Viennæ eccleſiæ tamquam metropolitanæ, jure perpetuo debeant ſubjacere. Porro Tarentaſiam, ita ſemper ſub primatu Viennenſis eccleſiæ permanere decernimus, ſicut a ſanctis prædeceſſoribus noſtris, Leone, Nicolao, atque Urbano noſcitur conſtitutum. Abbatias quoque tam intra quam extra urbis Viennenſis mœnia ſitas, tuæ fraternitati regendas, diſponendaſque committimus. Præterea ſtatuimus, ut quæcumque prædia, quæcumque dona, vel a Romanis imperatoribus vel a Burgundiæ regibus, tuæ eccleſiæ data vel reddita ſunt, quæcumque hodie poſſidet, ſive in futurum juſte & canonice poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Ad hæc tam ſupra nominatorum prædeceſſorum noſtrorum, quam & cæterorum catholicorum ſedis apoſtolicæ pontificum privilegia, de jure ſeu poſſeſſione Viennenſis eccleſiæ edita, nos quoque præſentis decreti auctoritate, firma integraque perpetuo permanere decernimus. Pallio ad miſſarum tantum ſolemnia illis ſolummodo diebus uti fraternitas tua meminerit, qui tuis prædeceſſoribus Romanæ auctoritate eccleſiæ conceſſi ſunt: cujus te volumus per omnia genium conſervare. Huius enim indumenti honor, humilitas atque juſtitia eſt. Tota ergo mente fraternitas tua ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem; & in adverſis, ſi quando adveniunt, inveniatur cum juſtitia recta; amica bonis, perverſis contraria; nullis unquam faciem, pro veritate loquente præbens. Miſericordiæ operibus juxta virtutem ſubſtantiæ inſiſtens, & tamen ſupra virtutem inſiſtere cupiens. Infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, de alienis gaudiis tamquam de propriis exultans; in corrigendis vitiis pie ſæviens, in fovendis virtutibus, auditorum animos demulcens. In ira, judicium ſine ira tenens; in tranquillitate, ſeveritatis juſtæ cenſuram non deſerens. Hæc eſt, frater cariſſime, pallii dignitas, quam ſi ſollicite ſervaveris, quod foris accepiſſe offenderis, intus habebis. Frater-

* Forte, *ut delicet*. H.

nitatem tuam ſupernæ miſerationis dignatio, per tempora longa conſervet incolumem. Scriptum per manum Petri notarii, regionarii ſacri palatii.

LXXIX. AD EUMDEM SEDIS APOSTOLICÆ LEGATUM.

Ex MSS. Ut liti quæ eſt inter Biſuntinos canonicos, & S. Stephani, finem imponat.

COntroverſiam quæ inter Biſuntinos canonicos, & S. Stephani, tanto jam tempore voluta, & revoluta eſt, canonico nunc tandem judicio apud nos noveris eſſe deciſam. Præcipimus igitur ſolicitudini tuæ, ut pro hoc negotio peragendo, & tanti ſcandali lite ſedanda, adhibitis tecum ſapientibus & religioſis fratribus, vel Divionum, vel ad alium competentiorem locum convenias, quo poſſint ſine gravamine perſonas ſibi neceſſarias adducere: ut omni partium animoſitate ſepoſita, ita ſincere, ita liquide, judicii hujus perfectionem accipias: quatinus inter eos nulla ulterius hujus rei lis aut querela remaneat. Teſtes autem hujus quæſtionis probatores, quia de capite parochiæ cauſa gravior agitur, quinque ſint, ſive clerici, ſive laici, qui ſecundum canonicas ſanctiones, de viſu & auditu teſtimonium proferant.

Ex Tom. III. Spicilegii Dacherianı

LXXX. AD EUMDEM SEDIS APOSTOLICÆ LEGATUM.

De eadem controverſia.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Guidoni Viennenſi archiepiſcopo, ſedis apoſtolicæ legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ep. 9. l. 1. c. 2.

SUper prudentia tua plurimum admiramur, quod in negotio eccleſiæ B. Stephani, clericorum * ipſorum teſtimonium acceptare nolueris: cum B. Gregorius in hujuſmodi cauſis eccleſiarum, * auctoribus probationem imponat. Diverſæ namque ſunt in cauſarum auctoribus ſpecies, nec in omnibus cauſis crimina agitantur. In criminibus ſquidem accuſatorum, teſtium illa diſtrictio obſervanda eſt, quæ canonibus continetur: ne qui ad probationem domeſtici aſſumantur. Cæterum in poſſeſſionum, vel cæteris hujuſmodi negotiis: hi potiſſimum aſſumendi ſunt, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum viſu * & auditu hæſitatio eſſe non debeat. Si ergo iidem clerici idonei ſunt, ab aſſertione cauſæ illius nullatenus repellantur: ſed ſicut aliis litteris deliberatum eſt, inter S. Joannis, & S. Stephani canonicos lis illa plenius decidatur. Ceſſat jam malitiæ zelus, & doloſitatis cavillatio: & prædictarum eccleſiarum negotium juxta litterarum tenorem omnimodis peragatur. Alioquin ad præſentiam noſtram parati prorſus & inſtructi proximo quadrageſimalis concilii tempore revertantur.

*al. ſeorum H.

*al adſcribet. H.

* al. vel H.

Datum Trojæ VI. Kal. Septembris Indictione VIII.

LXXXI. AD EUMDEM SEDIS APOSTOLICÆ legatum, & alios concilii Viennenſis epiſcopos.

Confirmat quæ in illo concilio ſunt acta.

CUm alicujus morbi detentione, &c. *Extat infra in concilio Viennenſi, anno* 1112

LXXXII. AD IVONEM CARNOTENSEM, & Ranulfum Santonenſem epiſcopos.

Non eſſe pro altaribus novum cenſum annuum exigendum.

JUxta ſanctorum canonum ſanctiones, &c. *Extat ſupra.*

LXXXIII. AD HENRICUM IMPERATOREM.

Qua inveſtituras ipſi concedit.

REgnum veſtrum, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, &c. *Extat infra, in concilio Lateran. II. anno* 1112.

LXXXIV. AD VELLETRANOS.

Abrogat quæ a Guiberto contra fas inſtituta apud eos erant. Eorum limites definit. Ex Tomol. Ital. Iacr.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei Velletranæ urbis civibus, apoſtolicæ ſedis fidelibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ET prava corrigere, & recta firmare, commiſſi loci, & officii debito commonemur. Idcirco juxta petitionem veſtram omnes pravas conſuetudines, vel exactiones, quas hæreſiarcha Guibertus Ravennat. quondam epiſcopus, mox apoſtolicæ ſedis invaſor impoſuit, de medio veſtræ civitatis penitus abolere, præſentis paginæ auctoritate decernimus. Illam vero benignitatem, quam a prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Gregorio VII. civitas veſtra promeruit, nos quoque, tam vobis, quam poſteris veſtris, in apoſtolicæ ſedis fidelitate permanentibus, firma manere ſancimus: ut videlicet loci veſtri potentiores, quibus & vos ſuum jus non negetis, imponere vobis graviora non audeant. Nec ſolum urbis veſtræ habitatores, ſed etiam antiqui fines, ab omni ſæcularis poteſtatis invaſione ſerventur, & inſeſtatione ſecuri. Civitatis autem fines dicimus illos, qui pertinentias ſuas longe lateque concludunt. *Deſignat fines illos, & multa loca enumerat.* Hos igitur fines cum detrimento veſtro mutari omnino, apoſtolica interdictione prohibemus: ſtatuentes, ut quod inter eos continetur, ſicut jus eſt uniuſcujuſque, tam vos, quam veſtri heredes, & quibus vos legaliter conceſſeritis, quiete poſſideatis in perpetuum. Quod ſi quælibet parva vel magna perſona, contra hoc apoſtolicum decretum, atque præceptum temerario auſu venire tentaverit, admonita ſemel, & iterum, uſque tertio per convenientes inducias, ſi non reſipuerit, & quod injuſte egerit condigne non correxerit, ſciat ſe centum libras denariorum Papienſium, medietatem cameræ noſtræ, medietatem injuſtitiam patientibus perſoluturam. Scriptum per manum Petri notarii regionarii, & ſecretarii ſacri palatii.

Ego Paſchalis epiſcopus, ſubſcripſi.

Datum Laterani, per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, octavo Id. April. Ind. IX. Incarnationis Dominicæ anno MCII. pontificatus autem domini Paſchalis II. anno II.

LXXXV

Ex Tomo I. Ital. ſacr.

LXXXV. AD GUILLELMUM MELPHIENS. EPISCOPUM.

Abrogat Lavellanum epiſcopatum: Melphienſis poſſeſſionis & jura confirmat.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Guillelmo Melphienſi epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice promovendis in perpetuum.

PEr apoſtoli Petri diſcipulum & ſucceſſorem Anacletum, apoſtoli Petri præceptum accepimus, ne in villis, aut municipiis, vel in modicis civitatibus ordinentur epiſcopi. Magnum enim eſt eccleſiæ detrimentum, cum epiſcoporum nomen ac dignitas, frequentia inopiaque vileſcit. Hujus nos providentiæ juſtitia commoniti, præſentis decreti auctoritate, juxta ſanctorum patrum ſtatuta ſancimus, ne in Lavellano oppido, quod Melphiæ oppidum eſt, ullo deinceps tempore epiſcopalis cathedra ſtatuatur: ipſum vero oppidum cum pertinentiis & finibus ſuis, tibi, venerabilis frater Guillelme Melphienſis epiſcope, tuiſque legitimis ſucceſſoribus perpetuo regendum, & epiſcopali jure tenendum, diſponendumque firmamus. Præterea villam Salſugæ, Gaudianum, poſſeſſiones S. Joannis de Iliceto, ita ſemper in propria Melphienſis eccleſiæ poſſeſſione permanere cenſemus: ſicut a filio noſtro duce Rogerio ſuis temporibus traditæ, & chirographo confirmatæ ſunt. Hoc ipſum de Judæorum cenſu, balnearum redditu, villanorum veſtigalibus, molendinis, vineis, agris, ceteriſve rebus, quas intra, vel extra civitatem Melphiæ idem dux eccleſiæ veſtræ contulit, præſentis privilegii pagina conſtituimus. Ad hoc quidquid vel proprietario, vel baronali jure eccleſia veſtra in præſentiarum obtinet, ſive in futurum largiente Domino juſte poterit atque canonice adipiſci, firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Porro in legationem ..... ut quicumque deinceps epiſcopali Melphienſi in eccleſia, Deo auctore, ſucceſſerint, ab apoſtolicæ ſedis noſtræ pontificibus conſecrationis gratiam ſortiantur. Si qua igitur in craſtinum, eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, *&c. ut in præcedentibus nonnullis epiſtolis.*

Ego Paſchalis, catholicæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Datum Beneventi, per manus Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi, III. Kal. Octobr. Ind. X. Incarnat. Dominicæ anno MCII. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ, tertio.

Ex Tomo I. Ital. ſacr.

LXXXVI. AD GUIDONEM PAPIENSEM EPISCOPUM.

Privilegia, poſſeſſiones, & jura Papienſis epiſcopatus confirmat.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili Guidoni Papienſium epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum.

SIcut injuſta poſcentibus nullus eſt tribuendus effectus, ſic legitima deſiderantium non eſt differenda petitio. Tuis igitur, frater in Chriſto cariſſime, precibus annuentes, omnem veſtræ eccleſiæ dignitatem per prædeceſſorum noſtrorum privilegia, vel authentica ſcripta conceſſam, nos quoque præſentis privilegii auctoritate firmamus. Siquidem fraternitatem tuam inter miſſarum ſolemnia pallio decoravimus: & tam tibi, quam ſucceſſoribus tuis concedimus in proceſſione palmarum, & feriæ ſecundæ poſt paſcha, equum album equitare udone coopertum, crucem inter ambulandum præferre. Monaſterio S. Donati a Ticinenſi quondam epiſcopo in Seovilla fundatum, monaſterium ſanctæ Mariæ in Cairate, licet extra veſtram diœceſim ſita videantur, ſicut hactenus habita ſunt, cum omnibus ad ipſa pertinentibus, in veſtra ſemper ditione ac diſpoſitione habeantur. Cæterum etiam monaſteriorum, quæ infra veſtræ diœceſis fines ſunt, canonica diſpoſitio, & abbatum qui in eis ſunt, vel abbatiſſarum diſcuſſio, electio, & conſecratio, veſtro ſemper arbitrio conſerventur: ſalvo in omnibus ſedis apoſtolicæ privilegio: quos profecto, vel quorum presbyteros ad veſtrum expediat venire concilium. Sane monaſteriis, aut capellis aliquibus, præter matricem eccleſiam, baptiſmum generalem fieri petatur, prohibemus. In quibus ſi qua forte præcepta contra ſacros canones elicita inveniri contigerit, noſtris canonicis non præjudicent inſtitutis. Clericos, ſanctimoniales, viduas urbis veſtræ, ſine veſtra conſcientia nemo præſumat in judicium trahere, aut vim eorum rebus inferre: nec cœmeteriorum, quæ intra vel extra civitatem ſunt, curam vobis, aut poteſtatem ſubtrahere quælibet perſona præſumat: nec ullus unquam cujuſcumque dignitatis, aut potentiæ homo, quaſi ſub obtentu hoſpitalitatis, in tuo venerabili epiſcopio, aut domibus ſacerdotum tuorum, & omnium clericorum, ſine tua, tuorumque ſucceſſorum voluntate, habitare præſumat: nec in rebus mobilibus aut immobilibus, ſive perſonis cujuſcumque conditionis, ad veſtram eccleſiam pertinentibus, invaſionem, aut violentiam vobis invitis fieri ſine legali ratione permittimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eamdem eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnino integra conſerventur eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Si qua ſane eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, *&c. ut in epiſtolis præcedentibus.*

Scriptum per manum Joannis ſcriniarii regionarii, & notarii ſacri palatii,

Ego Paſchalis, catholicæ eccleſiæ epiſcop. ſubſcripſi.

Datum Laterani per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii undecimo Kalendas Aprilis, Indict. XIII. anno Dominicæ incarnationis MCV. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ VI.

Ex Tom I Ital. ſacr.

LXXXVII. AD CONSTANTINUM RAVELLENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUM.

Ejuſdem argumenti atque ſuperior.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili Conſtantino Ravellenſis eccleſiæ epiſcopo, & ſucceſſoribus canonice promovendis in perpetuum.

PIæ poſtulatio voluntatis, effectu debet proſequente compleri: quaterus & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Tuis ergo poſtulationibus, frater in Chriſto venerabilis Conſtantine epiſcope, clementer annuimus: quia devotionis

tuæ

tuæ ſinceritatem erga communem matrem Romanam eccleſiam affectio diutina declaravit. Cujus nimirum merito voluntatis auctore Domino accommodavimus affectum, ut eccleſiæ tibi commiſſæ ſtatus inconcuſſa ſemper ſtabilitate perſiſtat. Per præſentis itaque decreti paginam decernimus, ut Ravellenſis eccleſia, cui per Dei gratiam, & prædeceſſoris noſtri miniſterium, & manus impoſitionem præſides, familiari benignitate ſemper ſub apoſtolicæ ſedis tuitione ſervetur: & quicumque deinceps epiſcoporum, Ravellenſi eccleſiæ Deo diſponente ſucceſſerint, ab ejuſdem apoſtolicæ ſedis pontifice conſecrationis gratiam ſortiantur, ſicut a ſanctæ memoriæ prædeceſſoribus noſtris Victore III. & Urbano II. ſtatutum eſſe cognoſcitur. Omnem quoque Ravellenſis parochiæ ambitum, ſicut ab prædeceſſore tuo reverendæ in Chriſto memoriæ Urſone poſſeſſa eſt, tibi, tuiſque in perpetuum ſucceſſoribus confirmamus. Ad hæc quicquid, vel proprietario jure, vel parochiali, jam præfata eccleſia in præſentiarum obtinet, ſive in futurum largiente Domino juſte poterit atque canonice adipiſci, libera tibi, tuiſque ſucceſſoribus & illibatâ permançant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eamdem eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, tam veſtris, quam clericorum & pauperum uſibus profutura. Si qua ſane eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, *&c. ut in epiſtola* XXXIX.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Datum Beneventi per manum Joannis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, III. Kal. Octobr. Indict. X. Incarnationis Dominicæ anno MCII. pontificatus autem domni Paſchalis papæ ſecundi III.

Ex Tom. I. Ital. ſacr.

LXXXVIII. AD OPPIDANOS S. GEMINIANI.

Ne illorum oppidum, illiuſque ager, a Volaterrenſis eccleſiæ poſſeſſione unquam alienetur.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, clericis, & laicis univerſis de Caſtello S. Geminiani, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PAci & ſtabilitati eccleſiæ veſtræ, & nos conſtitutione noſtra, & vos obſervatione veſtra, providere debemus. Idcirco vobis omnibus præſentium litterarum conſtitutione mandamus, & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum ſervandum præcipimus: ut oppidum veſtrum, quod S. Geminiani dicitur, cum monte Stafili juxta poſito, & cum univerſo territorio ſuo, nullo unquam modo, nulla occaſione, alienari a poſſeſſione & proprietate Volaterrenſis eccleſiæ patiamini: ſed ſicut hodie eſt, ſic ſemper in proprio Volaterrenſis eccleſiæ jure permaneat. Sane nec epiſcopo, neque cuilibet ejuſdem eccleſiæ miniſtro, facultas ſit ipſum oppidum cum præfato monte in feudum perſonæ alicui dare, locare, vendere, pignoratione vel commutatione contradere: neque marchioni, neque comiti, neque alicui poteſtati liceat idipſum oppidum, ſeu prænominatum montem capere, vel ab eccleſiæ poteſtate ſubtrahere, vel quibuslibet occaſionibus alienare: ſed ſicut ſuperius dictum eſt, ſemper in proprio eccleſiæ jure permaneat. Si quis vero aliter agere præſumpſerit: & qui fecerit, & qui conſenſerit, excommunicationi ſubjaceat. Noveritis autem, fratrem noſtrum Rogerium eccleſiæ Volaterrenſis antiſtitem, ita nobis in hujus conſtitutionis capitulo conſenſiſſe: ut cum fratribus, qui eum ad nos comitati ſunt, fieri ipſe petierit, & ipſe ſubſcripſerit.

Rogerius Volaterrenſis eccleſiæ indignus epiſcopus fieri rogavi, & ipſe ſubſcripſi.

Datum Laterani, per manum Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, IX. Kal. Jun. Indict. II. anno Incarnationis Dominicæ MCIV. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ V.

LXXXIX. AD FLORENTINOS CLERICOS.

Ex Tom. III. Ital. ſacr.

Ut dominicis diebus, ac præcipuis feſtis, majoris miſſæ officio, ſicut prius ſolebant, interſint.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Florentinis clericis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ANtiquum morem veſtræ matricis eccleſiæ fuiſſe audivimus, quod clerici de canonicis, & de capellis, tam in dominicis diebus, quam in præcipuis feſtivitatibus, in proceſſionibus, & in officio majoris miſſæ uſque ad perlectum evangelium ſolitl erant convenire. Nunc vero, neſcimus qua occaſione, ab hac debita obedientia, & honeſta ejuſdem eccleſiæ conſuetudine vos ſubtraxiſtis: quod nobis ſchiſma, & eccleſiæ diviſio eſſe videtur. Mandamus igitur vobis, atque præcipimus, ut ad primam eccleſiæ conſuetudinem redeatis, ne canonicam eccleſiæ ſententiam incurratis.

Datum Laterani tertio Idus Martii.

Ex Tom. III. Ital. ſacr.

XC. AD JOANNEM ABBATEM FLORENTINUM.

Privilegium Florentini cœnobii.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Joanni abbati, Florentini monaſterii, quod ſanctæ Mariæ dicitur, ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum.

PIæ poſtulatio voluntatis, effectu, *&c.* Præterea quæcumque hodie pontificum conceſſione, principum liberalitate, vel oblatione fidelium, vel aliis juſtis modis id cœnobium poſſidet, ſive in futurum juſte ac canonice poterit adipiſci: firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Laborum quoque veſtrorum decimas, præter quorumlibet contradictionem, tam vobis, quam ſucceſſoribus veſtris in monaſtica religione permanentibus, habendas concedimus: conſecrationes altarium, ſive baſilicarum, ordinationes monachorum, ſeu clericorum monaſterio pertinentium, a Florentino accipietis epiſcopo: ſiquidem gratiam apoſtolicæ ſedis habuerit, & ſi ea gratis, & ſine parvitatis moleſtia voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum, quem malueritis, adire antiſtitem, & ab eo conſecrationum ſacramenta ſuſcipere: qui apoſtolicæ ſedis fultus auctoritate, quæ poſtulaſtis indulgeat. Porro epiſcoporum, ſeu epiſcopalium miniſtrorum actiones omnes ab eccleſiis ſive clericis ejuſ-

dem

dem monaſterii renovemus. Sepulturam quoque ejuſdem loci omnino liberam eſſe decernimus, ut eorum, qui illic ſepeliri deſideraverint, devotioni & extremæ voluntati, niſi forte excommunicati ſint, nullus obſiſtat. Si qua ergo eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, *&c. ut in epiſt.* XXXIX.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Datum Florentiæ per manum Joannis S. R. E. diac. card. ac biblioth. anno Dominicæ Incarn. MCVIII. VIII. Kal. Octobr. Indict. I. pontificatus vero domni Paſchalis II. papæ, an. IX.

Ex Tom. III. Ital. ſacr.

XCI. AD CLERUM ET POPULUM FLORENTINUM.

Innocentem eorum epiſcopum declarat: ejus calumniatores officiis & beneficiis privat.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, clero & populo Florentino, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

*Godifredus.

JAm dudum apud nos confrater noſter G. * epiſcopus veſter querelam ſuam depoſuit adverſus eccleſiæ veſtræ archidiaconum, & ejus ſocios, videlicet Joannem priorem eccleſiæ S. Laurentii, & Petrum S. Petri de Scaradio, & Rambaldum S. Stephani priorem, quod eum in populo criminaretur ſimoniacæ pravitatis. Miſſis itaque litteris, utrique parti agendæ cauſæ terminum dedimus. Cum in termino veniſſet epiſcopus, illi ad præſentiam noſtram minime acceſſerunt, terrorem captionis in itinere prætendentes. Nos autem, ut eis hujuſce occaſionis diverticula tolleremus, per eundem epiſcopum, & per epiſcopum Volterranum ducatum eis omnimode tutum providere curavimus. Archidiaconus quidem, & B. Laurentii prior ad noſtram præſentiam convenerunt: cæteri alii nec venerunt, nec pro ſe nuntios tranſmiſerunt. Tunc præſentibus, eis adverſus eos epiſcopus queſtus eſt, quod ſe ipſius obedientiæ, communionique ſubtraxerint, quod ipſum in populo ſimoniaci flagitii criminati ſint, quod ejus execrati ſint conſecrationes, quod adverſus eos conſpirationem in conventiculis fecerint. Porro illi, præmiſſo tractationis ſpatio, ſe accuſatores epiſcopi, aut illius criminis probatores penitus negaverunt. Collectiones clericorum ſeu laicorum in eccleſiaſticis feciſſe aſſeruerunt, ſed propter inquirendum rumoris illius, qui contra epiſcopum increbuerat, veritatem: in quibus nimirum collectionibus, conſpirationis conventicula intelleximus. In cæteris quoque ſe offendiſſe confeſſi ſunt. Prolata ſunt igitur his cauſis congruentia ſanctorum patrum diverſa capitula: Antiochenæ videlicet ſynodi quintum, de his qui ſe a miniſterio eccleſiaſtico ſubtrahunt, & ſeorſum colligunt: item de conſpiratione ſeu conjuratione, Chalcedonenſis ſynodi octavum decimum: & Calliſti papæ ad epiſcopos per Galliam conſtitutos, cujus initium eſt, Conſpirationum crimina veſtris in partibus vigere audivimus. Item Alexandri papæ, de his qui ſanctos perſequuntur, aut amovere, aut dilacerare nituntur. Item Stephani papæ, de his qui adverſus patres armantur, & qui fratres calumniantur. Nos ergo tantorum patrum auctoritatibus inſtructi, præfatos viros propria confeſſione convictos, ab officiis, ſeu dignitatibus ſuis ſententia judiciali removemus, niſi eis in poſterum miſericordia ſubveniatur eccleſiæ: aliiſque etiam, qui vocati venire ad noſtram præſentiam neglexerunt, idem judicium irrogamus, quoniam eiſdem videntur capitulis irretiti. Æquum eſt enim, ut dilationem ſententiæ de abſentia non lucrentur: quia confitetur de omnibus * quiſque, ſi ſubterfugere judicium dilationibus putat. Omnibus igitur vobis præſentium litterarum auctoritate præcipimus, ut epiſcopum veſtrum, tanquam per Dei gratiam catholicum unanimi concordia diligatis, & vereamini. Si qui vero clericorum, aut laicorum, temeraria deinceps præſumptione ſuper hujuſmodi epiſcopum infeſtaverint: noverint ſe pertinacia ſua, clerici quidem, depoſitione multandos; laici vero, excommunicationi ſubjiciendos.

* Forte, quiſquis ſe ſubterfugere. M.

Data Laterani v. Non. Martii, Indict. IX.

B

XCII. AD GUIDONEM ABBATEM S. STEPHANI LAUDENSIS.

Ex Tom. IV. Ital. ſacr.

Privilegium monaſterii S. Stephani.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Guidoni abbati venerabilis monaſterii S. Stephani, quod in Laudenſi comitatu ſecus Padum ſitum eſt, ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum.

DIvinis præceptis & apoſtolicis informamur monitis, ut pro eccleſiarum ſtatu, impigro vigilemus affectu. Poſtulavit ſiquidem nos dilectio tua, prædeceſſorum noſtrorum quædam ſtatuta firmare: & per ea, veſtri monaſterii ſtatum, auctore Deo, munire. Quod ..... monaſterium venerabilis comitiſſa Anſelda cum filiis ſuis Lanfranco, Arduino, & Magnifredo, conſtruxiſſe, & ſuis facultatibus ditaſſe cognoſcitur. Per præſentis igitur privilegii paginam apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut quæcumque prædia, quæcumque bona ab prædicta comitiſſa, vel ejus filiis, ſeu ab aliis fidelibus de jure proprio data ſunt, quæcumque etiam in futurum eidem monaſterio conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium dari contigerit: firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Confirmamus itaque ſupradicto S. Stephani monaſterio adjacentem villam, & caſtrum, infra quod idem monaſterium conſtructum eſt, & cætera, quæ in epiſcopi Nokeni chirographo continentur. Obeunte te nunc ejus loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur: niſi quem fratres, vel fratrum pars conſilii ſanioris, vel de ſuo, vel de alieno, ſi oportuerit, collegio, ſecundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam, providerint eligendum. Electus autem, ad Romanum pontificem conſecrandus accedat. Ad hæc decernimus, ut nulli omnino hominum liceat idem monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones temerariis vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus profutura. Si qua ergo eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, *&c. ut in epiſt.* XXXIX.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Datum apud Placentiam per manum Joannis S. R. E. diaconi card. ac bibliothecarii, XVII. Kalend. Decembris, Indict. XV. Incarnat. Dominicæ anno MCVI. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ VIII.

XCIII.

Ex Tom. VII. Ital. ſacr.

XCIII. AD PETRUM ACHERUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

Ejus electionem confirmat, & jura metropoleos Acheruntinæ: mittit pallium.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri noſtro Petro Acheruntino archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice promovendis in perpetuum

POteſtatem ligandi atque ſolvendi in cælis, & in terra, B. Petro, ejuſque ſucceſſoribus auctore Deo principaliter traditam illis eccleſia verbis agnoſcit, quibus Petrum eſt Dominus allocutus: *Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolveris ſuper terram erunt ſoluta & in cælis.* Ipſi quoque firmitas propriæ, & alienæ fidei confirmatio, eodem Deo auctore prædicatur, cum ad eum dicitur: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui, licet indigni, Petri videmur reſidere in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni eccleſia, ad interni arbitrium judicis, ſic diſponenda diſponere: ut de vultu ejus judicium noſtrum prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem. Fraternitatis igitur tuæ juſtis petitionibus annuentes, ſanctam Acheruntinam eccleſiam præſentis decreti auctoritate munimus: tibi, tuiſque ſucceſſoribus confirmantes quæcumque metropolitano jure præteritis temporibus pertinuiſſe noſcuntur: videlicet Venuſinum, Gravinam, Tricaricum, Tarſum, Potentiam: ut tu, tuique legitimi ſucceſſores, poteſtatem habeatis canonice & decretabiliter in eis epiſcopos ordinandi ac conſecrandi: ſalva in omnibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ auctoritate. Ad hæc ſtatuentes decernimus, ut quæcumque oppida, villæ, vel eccleſiæ parochiales, jure ab eadem eccleſia Acheruntina poſſidentur, quæcumque bona in præſentiarum juſte poſſidet, ſive in futurum juſte ac canonice poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus, ac illibata permaneant: iis nimirum exceptis, quæ ſedis apoſtolicæ privilegiis ſpecialibus muniuntur. Pallium præterea fraternitati tuæ, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ex apoſtolicæ ſedis liberalitate concedimus: quod te in eccleſia, tantum ad miſſarum ſolemnia ſubſcriptis diebus noveris induendum, id eſt, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Hypapantes, in tribus ſolemnitatibus beatæ Mariæ, Cœnæ Domini, Sabbati ſancti, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, feſtivitatis apoſtolorum * omnium, Michaelis archangeli, commemorationis omnium Sanctorum, & eorum martyrum, vel confeſſorum, qui in Acheruntina eccleſia requieſcunt; in conſecratione eccleſiarum, epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum: cujuſmodi nimirum volumus te per omnia genium vindicare. Hujus ſiquidem indumenti honor, humilitas atque juſtitia eſt. Tota ergo mente fraternitas tua ſe exhibere feſtinet, in proſperis humilem; & in adverſis, ſi quando eveniunt, cum juſtitia erectum: amicum bonis, perverſis contrarium: nullius unquam faciem contra veritatem reſpicias, nullius unquam faciem premas: miſericordiæ operibus juxta virtutem inſiſtas, & tamen inſiſtere etiam ſupra virtutem cupias: infirmis compatiaris, benevolentibus congaudeas: aliena damna, propria reputes; de alienis gaudeas, tanquam de propriis exultes: in corrigendis vitiis pie ſævias; in fovendis virtutibus, auditorum animas demulceas; in ira, judicium ſine ira teneas; in tranquillitate autem, ſecuritatis juſtæ cenſuram non deſeras. Hæc eſt, frater cariſſime, pallii accepti dignitas: quam ſi ſollicite ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Fraternitatem tuam ſuperna miſeratio per tempora multa incolumen conſervare dignetur, Amen, amen, amen.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Datum Albani per manum Joannis S. R. E. diaconi card. XVI. Kal. Julii, Indict. XIV. Incarnat. Dominicæ MCVI. pontificatus autem domni Paſchalis II. papæ VIII.

Matth. 16

Joan. 21

Vita omnium orte reduxdat. H.

Ex Tom. VII. Ital. ſacr.

XCIV. AD ABBATEM SANCTÆ MARIÆ APUD BANTIUM.

Privilegium hujus cœnobii.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio abbati cœnobii ſanctæ Mariæ, quod apud Bantium ſitum eſt, ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum.

CUm univerſis ſanctæ eccleſiæ filiis, & apoſtolicæ ſedis auctoritate, & benevolentia, debitores exiſtamus: illis tamen locis & perſonis, quæ ſpecialius ac familiarius Romanæ ſunt eccleſiæ addictæ, quæque amplioris religionis gratia eminent, propenſiores nos convenit eorum tanto ſtudio imminere. Quia igitur beatæ Mariæ cœnobium, cujus * domini auctoritate filii legitimi præſides, Romanæ & apoſtolicæ eccleſiæ hactenus jure proprio adhæſiſſe noſcuntur: nos pro devotione ac reverentia ejuſdem Dei, genitriciſque ſemper virginis Mariæ, ipſum ſub noſtræ manus protectione ſpecialiter confovemus atque diligimus. Unde tibi, tuiſque ſucceſſoribus, ad prædictæ domus regimen, auctoritatem concedimus, confirmamus: ſiquidem vobis cœnobium ipſum, & omnia quæ ad illud pertinent monaſteria, ſive cellas cum ſuis pertinentiis, videlicet eccleſiam S. Salvatoris, &c.

* Forte, *ejus domui*. H.

Hic enumerantur poſſeſſiones illius cœnobii.

Propterea conſtituimus, ut quæcumque hodie præfatum cœnobium juſte poſſidet, quæque in futurum, pontificum conceſſione, principum liberalitate, & oblatione fidelium, juſte atque canonice poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant; eorum quidem, pro quorum ſuſtentatione ac gubernatione conceſſa, * uſibus omnimodis profutura: ſalvo tamen canonico epiſcoporum jure, quod in eis habuiſſe noſcuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut poſſeſſiones ad illud pertinentes invadere, vel invaſas retinere, minuere, auferre, vel ſuis uſibus applicare, vel temerariis vexationibus fatigare. Obeunte te ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi quacumque ſubreptionis aſtutia præponatur: niſi quem fratres ejuſdem cœnobii, communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris vulgariter cum Dei timore elegerint. Electus autem, ad Romanum pontificem conſecrandus accedat. Chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ſive baſilicarum ordinationes, clericorum, cellarum veſtrarum fratres, a diœceſanis epiſcopis accipiant: ſi quidem catholici fuerint, & gratiam atque communionem apoſtolicæ ſedis habuerint; & ſi ea impendere gratis, & ſine pravitate voluerint. Alias

* Forte, *ejus uſibus*, &c.

lias liceat fratribus, a quocumque voluerint catholico episcopo eandem consecrationem & sacramenta percipere. Ad ordinandos vero claustri monachos, tibi, tuisque successoribus intra monasterium ipsum advocare concedimus, qui nostra fultus auctoritate consentiat, ne vagandi foras occasio permittatur. Super hæc etiam, si infestatione aliqua prægravatus, Romanam sedem appellaveris: non liceat alicui episcoporum, nisi ante Romanum pontificem, vel ejus legatum, aliquam sub occasione judicii violentiam tibi, aut successoribus tuis inferre. Vos ergo, filii dilectissimi, oportet regularis disciplinæ studiis, sollicitudinis ac devotionis insudare: ut quanto a sæculari tumultu liberiores eritis, tanto amplius placere Deo, totis mentis & animæ viribus anheletis: ad indicium autem perceptæ hujus a Romana ecclesia libertatis, annis singulis auri unciam Lateranensi palatio persolvatis. Si qua igitur in crastinum ecclesiastica sæculariſve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, *&c. ut in epist.* XXXIX.

Scriptum per manus Raynerii scribæ regionarii, notarii sacri palatii.

Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus.

Datum Laterani per manum Joannis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis diaconi XI. Kal. Julii, Indict. II. Incarnat. Dominicæ MCIII. pontificatus quoque Paschalis papæ anno V.

Ex Tom. VII. Ital. sacr.

XCV. AD EUSTACHIUM ABBATEM S. NICOLAI.

Privilegium illius abbatiæ.

Paschalis episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Eustachio abbati ecclesiæ S. Nicolai, salutem & apostolicam benedictionem.

PRædecessoris nostri sanctæ memoriæ Victoris III. temporibus, B. Nicolai corpus ex Græcorum partibus transmarinis in Baritanam urbem advectum totus pene orbis agnovit. Quod videlicet corpus prædecessor noster Urbanus II. loco quo nunc reverentia digna servatur, in crypta inferiori summa cum veneratione recondidit, & altare desuper in honorem domini consecravit. Petitumque est, & concessum dicitur, ut B. Nicolai basilica in eodem loco ædificanda, specialiter sub tutela mox sedis apostolicæ servaretur. Quia igitur, largiente domino basilica eadem, congrua jam ædificatione perfecta est, in loco videlicet juris publici per ducis Rogerii chirographum dato: nos eandem domum, auctore Deo, mox futuram ecclesiam, postulante filio nostro ejusdem ducis germano Boemundo, Barensis nunc civitatis domino, sub tutela apostolicæ sedis accipimus. Præsentis igitur privilegii pagina, apostolica auctoritate sancimus, ut quæcumque prædia, quæcumque bona, vel a prædicto filio nostro Rogerio per B. Petri & nostram gratiam, Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ duce, vel a prænominato fratre ejus nunc Antiocheno principe Boemundo, seu a cæteris Christi fidelibus, supradictæ sanctæ Nicolai ecclesiæ de suo jure jam donata sunt, aut in futurum donari, offerrive contigerit, firma semper, quieta, & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem ecclesiam temere perturbare, aut ejus res auferre, vel ablatas retinere, minue-

re, vel temerariis vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur, clericorum & pauperum usibus profutura. Tibi itaque, tuisque successoribus, facultatem concedimus, clericorum culpas, absque episcopi contradictione, debita charitate ac severitate corrigere. Si qua vero in vos gravior querela emerserit, nostræ seu successorum nostrorum audientiæ reservetur. Nulli autem, vel archiepiscopo, vel episcopo, licere volumus, ut ecclesiam ipsam, vel ipsius abbatem, sine Romani pontificis conscientia, vel excommunicatione, vel interdicto cohibeat, quatenus idem venerabilis locus tanti confessoris corpore insignis, sicut per Romanum pontificem prima consecrationis suscepit exordia, sic sub Romani semper pontificis tutela & protectione subsistat. Si quis sane in crastinum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, comes, vicecomes, capitanus, * stratigo, judex, castaldio, aut quælibet ecclesiastica sæculariſve persona, *&c. ut in epist.* XXXIX.

* Ex Græco στρατηγός fecit.

Scriptum per manum Raynerii, scriniarii, regionarii, & notarii sacri palatii.

Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus.

Datum ad Porticum B. Petri, Rom. XIV. Kal. Decemb. per manum Joannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi card. & biblioth. Indict. XIV. Incarnat. Dominicæ ann. MCVI. pontificatus autem Domini Paschalis II. papæ VI.

G. C. Quæ sequuntur Paschalis secundi epistolæ, descriptæ sunt a nobis ex historia novorum Eadmeri, sive Edineri, qui perpetuus Anselmo comes adhæsit, easque ex autographis ipsis in historiam suam retulit.

XCVI. AD HENRICUM REGEM ANGLORUM.

Contra investituras ecclesiasticas.

Paschalis episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Henrico regi Anglorum, salutem & apostolicam benedictionem.

LEgationis tuæ verba, fili carissime, gratanter excepimus: sed vellemus obedientiam promittentis. In quibus nimirum sanctæ Romanæ ecclesiæ illa in tuo regno pollicebaris, quæ tempore tui patris habuerat, eos requirens honores, quos antecessorum nostrorum tempore pater tuus habuerat. Quæ profecto omnia grata in superficie viderentur: interius requisita, & legati tui vocibus exposita, gravia & vehementissima paruerunt. Quærebas enim ut tibi episcoporum abbatumque per investituram constituendorum jus & facultas a Rom. indulgeretur ecclesia: & quod per se solum fieri omnipotens Dominus perhibet, hoc regiæ potestatis fieret. Ait enim Dominus: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.* Joan. 10 Cum autem ecclesiæ ostium reges esse arrogant: fit profecto, ut qui per eos ecclesiam ingrediuntur, non pastores sed fures & latrones habeantur, eodem Domino dicente: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est & latro.* Ibid. Et quidem si a nobis magnum aliquid tua dilectio postularet, quod cum Deo, cum justitia, cum nostri ordinis salute concedi posset: * graviter utique concederemus. Hoc vero tam grave, tam indignum est: ut nulla ratione, catholica id admittat ecclesia. Facilius ad extrema quælibet B. Ambrosius cogi potuit: quam imperatori, ecclesiæ permittere pote-

* Forte, gravaret.

Ambr. l. 5. epiſt. 33. ad Marcellinam.

ſtatem. „ Reſpondit enim. Noli gravare te im-
„ perator, ut putes te in ea quæ divina ſunt,
„ imperiale aliquod jus habere. Noli te extolle-
„ re, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Dei ſub-
Matt. 22. „ ditus. Scriptum eſt: *Quæ Dei, Deo; quæ Cæ-*
„ *ſaris, Cæſari*. Ad imperatorem palatia perti-
„ nent, ad ſacerdotem eccleſiæ. Publicorum tibi
„ mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum.
„ Quid tibi cum adultera? Adultera eſt enim,
„ quæ non eſt legitimo Chriſti conjugio copula-
„ ta.“ Audis, o rex, adulteram eccleſiam nun-
cupari, quæ non legitime nupſerit. Eccleſiæ ſi-
quidem ſponſus unuſquiſque æſtimatur epiſcopus,
juxta ſcripturam illam, qua ex fratris uxore fra-
ter non ſui nominis filios ſuſcitare præcipitur, &
ſponſæ contemptor a futuro ſponſo diſcalciari
mandatur. Vides igitur, o rex, quam ignomi-
nioſum, quam periculoſum ſit, per filios ſuos
matrem adulterio pollui? Si ergo eccleſiæ filius
es, quod utique omnis catholicus Chriſtianus eſt:
permitte matri tuæ legitimum ſortiri conjugium,
ut non per hominem, ſed per Deum & homi-
nem Chriſtum, legitimo ſponſo copuletur eccle-
ſia. Per Deum enim epiſcopos eligi, cum cano-
nice eliguntur, teſtatur apoſtolus Paulus, dicens:
Hebr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur*
a Deo tanquam Aaron. „ Et B. Ambroſius: Me-
Ambroſ. „ rito, inquit, creditur quod divino eſſet ele-
„ ctus judicio, quem omnes poſtulaviſſent. Et
„ poſt pauca: Ubi univerſorum poſtulatio con-
„ gruit, dubitare nos non oportet, ibi Domi-
„ num Jeſum & voluntatis auctorem, & petitio-
„ nis arbitrum fore, & ordinationis præſulem,
„ & largitorem gratiæ. Præterea propheta Da-
Pſal. 44. vid ad eccleſiam loquens, ait: *Pro patribus tuis*
nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem
terram. Eccleſia filios genuit: eccleſia prin-
cipes ſtatuit. Poſſemus alia de ſcripturis ſacris
teſtimonia & exempla proponere: quibus conſta-
ret, eccleſiæ ſponſos ac paſtores epiſcopos, non
ſæcularium poteſtatum nutu, ſed Chriſti diſpoſi-
tione & eccleſiæ judicio præponendos. „ Unde
„ etiam imperator Juſtinianus ſanxit in legibus
„ ſic: Debet enim prius diſceptari de vita epiſ-
„ copi utrum bona ſit, an reprehenſibilis, & u-
„ trum bonis teſtimoniis muniatur, an non. Et
„ infra. Fiat, inquit, facultas unicuique, ſi ve-
„ lit, contradicere: & ſi quidem ante conſecra-
„ tionem fuerit contradictio facta, non prius con-
„ ſecretur epiſcopus, niſi diſceptatio de contradi-
„ ctione ſit facta, & undique appareat innoxius
„ is, qui ad epiſcopatum vocatur.“ Ecce quod
populi totius eſſe, pronuntiat imperator: hoc ſui
ſolius eſſe, regia poteſtas inceſſit. Ipſius etiam
imperatoris lege cautum eſt, ut nec profectio,
nec ingreſſus ad imperatorem, ſine metropolitani
literis, pateret epiſcopo. Quem ergo in curia tua
ſine metropolitani literis admittere non debes,
eum vis, o rex, in eccleſia principem conſtitue-
re? Monſtruoſum profecto eſt, ut patrem filius
generare, homo Deum creare debeat. Sacerdo-
tes namque in ſcripturis ſanctis Deos vocari,
tanquam Dei vicarios, manifeſtum eſt. Unde
ſanctæ memoriæ Conſtantinus imperator, de e-
piſcoporum cauſis diſceptare auſus non fuiſſe de-
ſcribitur. Propter hoc ſancta Romana eccleſia &
apoſtolica, per prædeceſſores noſtros regiæ uſur-
pationi & inveſtituræ abominabili vivaciter obvia-
re curavit: & graviſſimis perſecutionibus per ty-
rannos affecta, uſque ad noſtra tempora non de-
ſtitit. Confidimus autem in Domino, quoniam
nec in nobis confidentiæ ſuæ virtutem, eccleſiæ
princeps Petrus & epiſcoporum primus amittet.

A Porro ſæcularium poteſtatum & regum in eccle-
ſia quod ſit officium, exponit apoſtolus Paulus,
dicens: *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum*. *Non* Rom. 13.
enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter
eſt, vindex in iram ei qui male agit. Et Petrus a-
poſtolus in eadem verba conſentiens: *Sive regi*, 2. Petr. 2.
ait, *quaſi præcellenti, ſive ducibus tanquam ab eo*
miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bo-
norum. Inter iſta, rex, nullius tibi perſuaſio pro-
fana ſurripiat, quaſi aut poteſtati tuæ aliquid di-
minuere, aut nos in epiſcoporum promotione a-
liquid nobis velimus amplius vendicare. Immo ſi
ab hoc propter Deum deſiſtas, quod contra Deum
eſſe manifeſtum eſt, quod cum Deo, nec tu exer-
cere, nec nos concedere, aut cum noſtra ſeu tua
ſalute poſſumus: quicquid deinceps poſtulaveris,
quod cum Deo poſſumus, libentius indulgebimus,
& honori tuo & ſublimationi propenſius inſiſte-
mus. Neç exiſtimes quod poteſtatis tuæ columen
infirmetur, ſi ab hac profana uſurpatione deſi-
ſtas. Immo tunc validius, tunc robuſtius, tunc
honorabilius regnabis, cum in regno tuo divina
regnabit auctoritas. Tunc amicitiam & familia-
ritatem noſtram firmius obtinebis, & regni tuto-
res B. apoſtolos habere gaudebis. Nec tibi nunc
in petitionibus tuis abeſſe poterimus, cui petitio-
num noſtrarum fautorem dominum adeſſe ſenſe-
rimus. Ipſe omnipotens Deus in cujus manu corda
ſunt regum, adſit hortatui noſtro, adſit auditui
tuo: ut dum juxta præcepta ejus tuas diſpoſueris
actiones, ipſe regnum tuum, pacis & honoris ſui
ſtabilitate ac ſublimatione diſponat. Amen.

XCVII. AD HENRICUM ANGLORUM REGEM.

De eodem argumento.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo
filio Henrico Anglorum regi, ſalutem & apo-
ſtolicam benedictionem.

REgi regum domino gratias agimus, qui te in
regnum beneplacito ſuæ voluntatis evexit, &
tanquam Chriſtianum regem in beneplacito ſuæ
voluntatis ineffabili miſericordia cuſtodivit. Ro-
gamus ergo, ut bona regni tui exordia in melius
augeat, & uſque in finem ſua in te dona cuſto-
diat. Deſeruiſti enim fratris tui regis impietatem,
quam divino conſpicis judicio terribiliter vindica-
tam. Eccleſias libertati reſtituiſti, clerum hono-
rare cœpiſti, & cleri principes epiſcopos, immo
in his Chriſtum dominum, venerari. Confidimus
itaque quoniam uſque in finem eadem ſapies, &
in eadem probitate perſiſtes: niſi ſunt aliqui per-
verſæ mentis homines, qui cor regum per epiſ-
coporum & abbatum inveſtituras, divinæ indigna-
tioni aptare conantur. Quorum in hac parte con-
ſilia tanquam virus tibi ſunt evitanda, ne illum
offendas, *per quem reges regnant, & potentes juſta* Prov. 8.
decernunt. Quem profecto ſi propitium habueris,
feliciter regnabis, poteſtatemque integram & di-
vitias obtinebis: quem ſi, quod abſit, offendis,
non procerum conſilia, non militum ſubſidia,
non arma, non divitiæ, ubi ſubvertere cœperit,
poterunt ſubvenire. Porro in honore Domini, in
eccleſiæ libertate, nos familiares, nos adjutores
habebis. Nec opineris quia quiſquam nos a tua
divellet amicitia, ſi ab inveſtituris abſtinere, ſi
honorem debitum & libertatem a Domino inſti-
tutam eccleſiæ conſervaris. Eccleſiarum ſiquidem
inveſtituras nos S. Spir. judicio regibus & principi-
bus, immo laicis omnibus, interdicimus. Nec e-

nim

nim decet, ut a filio mater in ſervitutem addi- A catur, ut ſponſum quem non optavit accipiat. Habet ſponſum ſuum regem ac dominum noſtrum, qui te miſericordia ſua in potentia, & probitate cuſtodiat, & a terreno ad cæleſte perducat. Amen.

XCVIII. AD OSBERNUM EPISCOPUM.

Ne monachi prohibeantur habere in monaſterio ſuo cœmeterium ad ſepeliendos ſuos.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Oſberno epiſcopo, & clericis Exceſtrenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ET patrum ſanxit auctoritas, & eccleſiæ con- B ſuetudinis ſtabilitas exigit, ut ſicut in clauſtris ſuis viventes religioſi monachi converſantur: ita & defunctorum corpora infra monaſteriorum ſuorum ambitum requieſcant: ut illud ex divino munere cum cordis valeant exultatione cantare: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Vos autem, ut audivimus, monachos S. Martini de Bello in veſtra civitate converſantes ſepeliri infra monaſterii ſui ambitum prohibetis: & grave eſt, ut in eo loco quiſquam cum devotionis gratia converſetur, unde cadaver ſuum prævidet omnimodis propellendum. Qua de re dilectioni veſtræ præſentia ſcripta mandamus, præcipientes, & prohibentes, ne ulterius ſupradictis monachis cœmeterium ad ſepeliendos ſuos C interdicatis: ſed ſicut vobis per anteceſſoris noſtri bonæ memoriæ domini Urbani literas præceptum eſt, concedatis. Tua autem, frater epiſcope Osberne, intereſt, eiſdem fratribus cœmeterium benedicere, & eorum religionem ad omnipotentis Dei ſervitium confovere. Si quis autem huic inſtitutioni contraire tentaverit: venerabili fratri & coepiſcopo Anſelmo injunximus, ut in eum, tanquam ſedis apoſtolicæ contemptorem, apoſtolici rigoris ultionem exerceat.

Pſal. 131.

XCIX. AD ANSELMUM CANTUAR. ARCHIEPISCOPUM.

De inveſtituris eccleſiaſticis: de clericorum filiis: D de Gualenſis epiſcopi cauſa.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Anſelmo Cantuarienſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ADverſus illam venenoſam ſimoniacæ pravitatis radicem, eccleſiarum videlicet inveſtituram, quam valide, quam ſevere, quam robuſte patres noſtri præteritis temporibus obviaverint, ſapientiæ tuæ ſatis eſt manifeſtum. Reverendæ in Chriſto memoriæ prædeceſſoris noſtri domni Urbani tempore, apud Barum collecto venerabilium epiſcoporum & abbatum ex diverſis partibus concilio, in quo tua religio & nos ipſi interfuimus, E ſicut qui nobiſcum aderant, reminiſcuntur: in eandem peſtem, excommunicationis eſt prolata ſententia. Et nos eundem cum patribus noſtris ſpiritum habentes, idem ſapimus, & eadem teſtamur.

De ſacerdotum & Levitarum filiis dudum nos tibi ſcripſiſſe reminiſceris. Porro ſi promoti fuerint inventi; & ſpe promotionis adempta, in eo quo reperti ſunt ordine manere voluerint: quia illa eis macula non ex proprii culpa reatus inhæſit, non videtur, ſi alias digni fuerint, in eos depoſitionis ſententiam dari, ut ſe iterum negotiis implicent ſæcularibus, cum in eis ordinationis tem- pore propriæ voluntatis arbitrium non remanſerit.

Gualenſis epiſcopus cautam ſacris omnino canonibus obviare non neſcit. Cæterum quia inter barbaros barbarice & ſtolide promotus eſt, in tuæ fraternitatis arbitrio ponimus: ſic tamen ut de cætero in ea regione hujuſmodi non præſumatur adverſio. Quod ſuper ejuſdem epiſcopi negotio, & aliis rebus, per fideles nuncios dirigimus, tanquam ex noſtro ore audias. Munera quæ B. Petro miſiſti, recepimus cum gratiarum actione: unde ab illo, qui omnium bonorum eſt retributor, mercedem recipias. Datæ Beneventi, II. Idus Decembris.

C. AD ANSELMUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Excommunicatos eſſe in Lateranenſi concilio investiturarum in Anglia fautores.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Cantuarienſi archiepiſcopo Anſelmo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DE illata tibi injuria membra eccleſiæ non modicum patiuntur: quia, ſicut dicit apoſtolus, *ſi* *compatitur unum membrum, *compatiantur & cætera membra.* Licet enim corporali ſeparemur præſentia, unum tamen in capite ſumus. Tuas namque injurias ac repulſas æque ac noſtras portamus. Illud etiam nos vehementer affligit, quod tua religio regno ſublata eſt Anglico. Quæ enim ſunt ſine paſtore oves, lupus rapit & diſpergit. Idcirco de tua ad eos reverſione modis quibus poſſumus laboramus. Unde in concilio nuper habito ex communi fratrum & coepiſcoporum ſententia deliberatum eſt, & regis conſiliarios qui ad inveſtituræ flagitium illum impellunt, & eos qui ab eo inveſtiti ſunt, ab eccleſiæ liminibus repellendos: quia de libera conantur facere ancillam. Quam nimirum ſententiam nos ſancti Spiritus judicio in comitem de Mellento & ejus complices promulgavimus, & eandem ipſam, in eos, qui ſunt inveſtiti a rege, ejuſdem ſancti Spiritus judicio confirmamus. Regis vero ſententia ea ex cauſa dilata eſt, quia ſuos ad nos nuncios in præteritæ paſchæ tempore debuit deſtinare. Datæ Lateranis VII. Kalen. Aprilis.

*Cor Si quid patitur.

CI. AD WILLELMUM ROTHOMAGENS. EPISCOPUM.

Suſpenſus erat Willelmus: ad eum ſcribit pontifex, ſe Anſelmi deprecatoris gratia, quidquid Anſelmus indulſerit, indulgere.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Willelmo Rothomagenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

LIcet cauſæ tuæ qualitas patientiam noſtram plurimum gravet: pro reverentia tamen fratris noſtri Cantuarienſis epiſcopi, & dilectione latoris præſentium filii noſtri Willelmi, qui pro te apud nos vehementius interceſſerunt, paterna penes te benignitate movemur. Cauſam itaque tuam eidem fratri Cantuarienſi epiſcopo commiſimus, ut quod ipſe indulſerit, indulgeamus. Eo nimirum intuitu, ea conditione, ut malos conſiliarios, quorum inſtinctu multas pravitates incurriſti, a tua familiaritate repellas. Datæ Beneventi V. Kal. Aprilis.

CII. AD ANSELMUM CANTUARIENSEM EPISCOPUM.

Presbyterorum filios ad ſacros ordines promovere Anſelmo permittit: Richardum abbatem in communionem ſuam admittere: cætera, ut pro tempore viſum erit, diſpenſare.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Anſelmo Cantuarienſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

DE presbyterorum filiis quid in Romana eccleſia conſtitutum ſit, fraternitatem tuam neſcire non credimus. Cæterum quia in Anglorum regno tanta hujuſmodi plenitudo eſt, ut major pene & melior clericorum pars in hac ſpecie cenſeatur: nos diſpenſationem hanc ſollicitudini tuæ committimus. Eos enim, quos ſcientia & vita commendat, apud vos ad ſacra officia promoveri, pro neceſſitate temporis & utilitate eccleſiæ concedimus: ut in poſterum conſtitutionis eccleſiaſticæ præjudicium caveatur. De perſona quoque Richardi Helienſis abbatis, petentibus filiis noſtris, Henrico rege, & Willelmo de Warelwaſt, permittimus ut eam in communionem tuam, præmiſſa ſatisfactione, ſuſcipias: & ſi ad monaſterii regimen utilis ejus perſona conſpicitur, tuæ diſpenſationi committimus. Cætera etiam quæ in regno illo pro neceſſitate temporis diſpenſanda ſunt, juxta gentis barbariem, juxta eccleſiæ opportunitates, ſapientiæ ac religionis tuæ ſollicitudo diſpenſet. Data III. Kal. Junii.

ANSELMI CANTUAR. ARCHIEP. AD PASCHALEM PP. II. EPISTOLA.

Rogat, per ipſum liceat, epiſcopatum Lincolnienſem dividere in duos, inſtituto Helienſi.

Domino & patri reverendo Paſchali ſummo pontifici Anſelmus eccleſiæ Cantuarienſis, debitam obedientiam cum fideli obſequio & orationibus.

QUoniam robur diſpoſitionum quæ utiliter fiunt in eccleſia Dei, de veſtræ pendet auctoritate prudentiæ: quando fiunt, ad veſtram referendæ ſunt notitiam & judicium: ut, cum apoſtolico aſſenſu fuerint confirmatæ, nulla præſumptione a poſteris, quæ ſalubriter ſtatutæ ſunt, queant violari; ſed ratæ permaneant in perpetuum. In Anglia eſt quidam epiſcopatus, ſcilicet Lincolnienſis, cujus diœceſis tam ampla eſt, ut ad ea quæ non niſi ab epiſcopali perſona fieri queunt, unus epiſcopus plene ſufficere non poſſit. Quod cum conſideraret rex, & epiſcopi, & principes, & alii rationabiles & religioſi viri regni Anglorum: ad utilitatem eccleſiæ viſum conſilium eſt, epiſcopatum præfatum in duos dividere; ita ut ſedes epiſcopalis in quadam abbatia, quæ ſita eſt in inſula vocata Heli, & eſt intra præfatam diœceſim, conſtituatur, monachis ibidem permanentibus, ſicut ſunt multi epiſcopatus, qui monachos in matre eccleſia habent, non canonicos. Quod libenter ipſe concedit epiſcopus Lincolnienſis Robertus nomine: quia pro iis quæ aſſumuntur de ſua eccleſia ad inſtaurandum novum epiſcopatum in Heli, tantum eccleſiæ Lincolnienſi reſtauratur, ut ipſe ſufficiens & gratum ſibi eſſe fateatur. Cui rei mihi, tum propter prædictam neceſſitatem, tum propter multitudinem prædictorum qui in hoc conſentiunt viſum eſt, ut, ſalva veſtra auctoritate, aſſenſum præberem. Precatur igitur ſuppliciter mea parvitas, quatenus hoc quod pro utilitate eccleſiæ ſic diſpoſitum eſt, veſtra auctoritate in perpetuum roboretur: ne a poſteris ulla præſumptione, quod bene ſtatutum fuerit, violetur. Oramus Dominum omnipotentem, ut eccleſiæ ſuæ vos in diuturna proſperitate cuſtodiat.

CIII. AD ANSELMUM CANTUAR. ARCHIEPISCOPUM.

Concedit, quod Anſelmus poſtularat.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Anſelmo Cantuarienſi archiepiſcopo, & cæteris comprovincialibus epiſcopis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INter cætera regna terrarum, ad apoſtolicæ ſedis dilectionem atque obedientiam, Anglorum regnum ſpecialiter pertinere, apoſtolicæ ſedis ſcripta, & Anglicarum hiſtoriarum ſeries manifeſtabunt. Quæ nimirum cauſa ſollicitudinem noſtram propenſius impellit, illius regni eccleſias familiarius confovere, & earum diſpoſitionibus ſollicitius invigilare. Lincolnienſem itaque epiſcopatum tam ſpatioſum ex filii noſtri regis veſtriſque litteris cognovimus: ut ad ea quæ epiſcopalis ſunt officii peragenda, unus nullatenus ſufficere poſſit epiſcopus. Quapropter ex voluntate Lincolnienſis epiſcopi poſtulat a nobis idem cariſſimus filius noſter & Chriſtianiſſimus rex Anglorum Henricus, quatenus in parte una epiſcopatus ipſius ex apoſtolicæ ſedis permiſſione, novus epiſcopatus conſtituatur, in loco videlicet qui Eli vocatur. Cujus nos petitionibus, quia religioſæ videbantur, aſſenſum libenter præbuimus. & epiſcopatum in loco præfato conſtituendi, ex apoſtolica auctoritate, licentiam damus: ſtatuentes, ut ſedes epiſcopalis in loco prædicto conſtituta, omni deinceps tempore perſeveret. Parochiam quoque quam veſtra fraternitas cum prædicto fratre Lincolnienſi epiſcopo, & regis providentia, eidem epiſcopatui aſſignaverit, perpetuo poſſideat. Porro de monaſterio, in quo ſedes epiſcopalis conſtituitur, Anglicorum monaſteriorum, in quibus epiſcopi conſtituti ſunt, conſuetudo ſervabitur. Hujus conſtitutionis conſervatores, omnipotentis Dei & apoſtolorum ſuorum benedictione perpetuo perfruantur. Amen.

CIV. AD HENRICUM ANGLORUM REGEM.

Ea notis Seldeni ad Eadmerum.

De eodem argumento. Perierunt litteræ regis, ad quas reſpondet.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Henrico glorioſo regi Anglorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

OMnipotenti Deo gratias agimus, qui talem te regem noſtris temporibus conſtituit, qui & terrenum regnum ſapienter ad honorem Dei gubernas, & æterni regis ſolicitudinem ante oculos mentis portas. Poſtulaſti ſiquidem a nobis per litteras; ut in loco, qui Eli dicitur, novus ex apoſtolica auctoritate epiſcopatus conſtituatur: quia Lincolnienſem epiſcopatum tantæ magnitudinis eſſe dixiſti, ut ad peragenda ea quæ epiſcopalis ſunt officii, unus epiſcopus nullatenus ſufficere poſſit. Pro quo & devotionem tuæ voluntatis laudamus, & diſ-

& diſpoſitioni aſſenſum præbemus: ita tamen, ut A in celebri loco conſtituatur, ne nomen epiſcopi, quod abſit, vileſcat. Ad hoc enim epiſcopus conſtituitur, ut populum Dei, & verbo doceat, & vita informet: & ad verum paſtorem Domini, commiſſarum ſibi animarum lucra reportet. In iis quoque de quibus rogaſti, licet quædam ibi inordinata videantur, tuæ tamen voluntati refragari nequaquam valemus. Novit præterea gloria veſtra, domnum Hervæum epiſcopum, quem vita & ſcientia commendat non modica, nimia barbarorum ferocia & perſecutione de ſede ſua expulſum, & multa fidelium fratrumque ſuorum cæde fuiſſe fugatum. Cujus ut ſcientia fructum, qui non perit, afferre, & vita bonum valeat Dei populo exemplum præbere: volumus, & roga- B mus, ſi qua eum apud vos vacans eccleſia vocaverit, ibi auctoritate apoſtolica conſtituatur, ne infructuoſo diu ſilentio torpeat, qui vitæ documenta cæleſtis in ſcientia & moribus portat. Omnipotens Deus apoſtolorum ſuorum precibus & vos & prolem veſtram cuſtodiat, & cæleſte poſt terrenum vobis regnum concedat. Datum XI. Kal. Decembris.

CONVENTUS FRATRUM ECCLESIÆ Cantuar. ad Paſchalem epiſtola.

Petunt ut Radulfum epiſcopum Roffenſem, quem elegerunt Cantuarienſem archiepiſcopum, confirmet, eique pallium mittat.

Domino ſancto univerſalis eccleſiæ ſummo paſtori Paſchali, conventus eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis, fideles orationes, & totius ſanctæ devotionis obſequium.

NOtum eſſe non dubitamus glorioſæ paternitati veſtræ, pie Domine, quod eccleſia Cantuarienſis mater noſtra, ſanctæ ſcilicet Romanæ eccleſiæ ſpecialis filia, jam ab obitu beatæ memoriæ patris noſtri Anſelmi archiepiſcopi, per quinquennium cura paſtoralis officii, peccatis noſtris exigentibus, ſit deſtituta. Nuper autem reſpectu miſericordiæ Dei, adunato conventu totius Anglici regni in præſentia glorioſi regis noſtri Henrici, electus a nobis & clero & populo eſt ad regimen ipſius eccleſiæ Radulfus Roffenſis epiſcopus, nobis ſufficientiſſime cognitus, & propter vitæ ſuæ meritum & ſanctæ converſationis effectum toti regno valde acceptus. Huic electioni affuerunt epiſcopi, abbates, & principes regni, & ingens populi multitudo, conſentiente domino noſtro rege, & eamdem electionem laudante, ſuaque auctoritate corroborante. Quoniam igitur ita ſe res habet, mittimus ad vos, modis quibus poſſumus ſupplicantes, ut quem ad ſublevationem & conſolationem eccleſiæ ſuæ Deus, & quantum nobis datur intelligi, elegit: veſtra ſancta auctoritate, in quo electus eſt, confirmetis, & ei pallium, quod omnes anteceſſores ſui E a ſacratiſſima ſede beati Petri conſecuti ſunt, tranſmittere dignemini: ne ſanctitate veſtra aures pietatis ſuæ precibus noſtris, quod Deus avertat, non inclinante, in priſtinas miſerias aliquo eventu eccleſia noſtra, filia veſtra, relabatur. Ipſemet enim tanta corporis imbecillitate gravatur: ut non ſine magno periculo ſui, & detrimento omnium noſtrum valeat hoc tempore veſtigiis veſtris ſe præſentare. Sanctum apoſtolatum veſtrum omnipotens Deus ad honorem ſuæ ſanctæ eccleſiæ per multa tempora incolumem conſervare dignetur, digniſſime pater, Amen.

CV. PASCHALIS PAPÆ II. ad Henricum Anglorum regem.

Permittit transferri Radulfum a Roffenſi ſede ad Cantuarienſem. Quod tamen injuſſu ſedis apoſtolicæ id ſuſceptum ſit, reprehendit: ut & alia nonnulla.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Henrico illuſtri Anglorum regi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUm de manu Domini largius honorem, divitias, pacemque ſuſceperis: miramur vehementius, & gravamur, quod in regno poteſtateque tua B. Petrus, & in B. Petro Dominus, honorem ſuum, juſtitiamque perdiderit. Sedis enim apoſtolicæ nuncii, vel literæ, præter juſſum regiæ majeſtatis, nullam in poteſtate tua ſuſceptionem aut aditum promerentur. Nullus inde clamor, nullum inde judicium ad ſedem apoſtolicam deſtinatur. Quamobrem multæ apud vos ordinationes illicitæ præſumuntur: & licenter delinquunt, qui delictorum deberent licentiam cohibere. Nos tamen uſque adhuc in his omnibus ampliori potentia uſi ſumus, ſperantes per tuæ probitatis induſtriam omnia corrigenda. Quid enim honoris, quid opulentiæ, quid tibi dignitatis imminuitur, cum beato Petro debita in re- C gno tuo reverentia conſervatur? Hæc nimirum tanto nobis indigniora ſunt: quanto familiarius regnum veſtrum, veterum regum temporibus, ſedi apoſtolicæ adhæſiſſe cognoſcimus. Legimus quippe, reges ipſos apoſtolorum limina viſitaſſe, & illic uſque ad obitum commoratos. Legimus, nonnullos eccleſiarum præpoſitos & magiſtros, ultro illuc a Romanis pontificibus deſtinatos. Pro his igitur apud vos pertractandis & corrigendis, cariſſimum filium Anſelmum familiarem tuum, nunc ſancti Sabæ abbatem, ad tuam excellentiam deſtinavimus: per quem etiam tuæ & epiſcoporum petitioni in cauſa Cantuarienſis epiſcopi, quamvis contra auctoritatem ſedis apoſtolicæ, ſatisfecimus: ſperantes, & vos deinceps ſedi D apoſtolicæ in ſuæ dignitatis juſtitia ſatisfacturos. Alioquin, ſi ſuam vos beato Petro juſtitiam ſubtraxeritis: ipſe quoque in poſterum ſuæ vobis ſubtrahet beneficia dignitatis. Quæ minus literis continentur, vivis legati vocibus explebuntur. Omnipotens Deus ſua te dextera protegat, & in ſua dilectione perficiat. Eleemoſyna beati Petri, prout audivimus, ita perperam doloſeque collecta eſt: ut neque mediam ejus partem hactenus eccleſia Romana ſuſceperit. Quod totum tibi, ſicut & alia, imputatur: quia præter voluntatem tuam nihil in regno præſumitur. Volumus igitur, ut eam deinceps plenius colligi facias, & per præſentem nuntium mittas.

Datæ Lateranis III. Kal. Aprilis.

CVI. AD CANTUARIENSES

De eodem argumento.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Cantuarienſis eccleſiæ filiis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

ECcleſiæ veſtræ legatos benigne ſuſcepimus, tamquam viros religioſos, atque prudentes: ſed legatio, quam ad nos cum veſtris literis attulerunt, nobis non ingrata tantum, ſed etiam gra-

gravis fuit. Significabatur enim Roſſenſis epiſcopi ad metropolim veſtram facta translatio: quod præter ſcientiam & convenientiam noſtram præſumi omnino non debuit, quia ſanctorum patrum decretis inhibitum prorſus agnoſcitur. Pro religione tamen & honeſtate perſonæ, quæ translata dicitur, nos hanc præſumptionem veſtram toleramus: ſed noſtrum in proximo legatum ad vos dirigemus, largiente Domino, qui ſuper hoc negotio, quæ fuerint diſponenda, diſponat. Datæ Laterani XII. Kal. Martii.

CVII. AD HENRICUM REGEM & epiſcopos Angliæ.

Reprehendit quod inconſulto pontifice multa perperam agant.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Henrico illuſtri regi, & epiſcopis Anglici regni, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUaliter eccleſia Dei fundata ſit, non eſt a nobis nunc temporis diſſerendum. Hoc enim plenius evangelii textus, & apoſtolorum literæ profitentur. Qualiter vero eccleſiæ ſtatus præſtante Domino perſeveret, & referendum nobis eſt, & agendum. A ſancto ſiquidem Spiritu, eccleſiæ dictum eſt: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Pſal. 44. Super qua conſtitutione Paulus apoſtolus præcipit, dicens: *Manum cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. Tim. 5. Quam ejuſdem apoſtoli ſententiam beatus Leo doctor exponens, ait: „ Quid eſt cito manum imponere, „ niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus exa- „ minis, ante meritum laboris, ante experien- „ tiam diſciplinæ, ſacerdotalem honorem tribue- „ re non probatis? “ Leo. Qua igitur ratione Angliæ regni epiſcopis ſacerdotalis honoris confirmationem tribuere poſſumus, quorum vitam, quorum ſcientiam nulla probatione cognoſcimus? Ipſe caput eccleſiæ Dominus Jeſus Chriſtus cum paſtori primo apoſtolo Petro eccleſiam commendaret, dixit: *Paſce oves meas, paſce agnos meos.* Joan. 21. Oves quippe in eccleſia, eccleſiarum præpoſiti ſunt, qui Deo filios generare, ipſo donante, conſueverunt. Quomodo ergo vel agnos vel oves paſcere poſſumus, quos neque novimus, neque vidimus? quos neque audimus, neque ab ipſis audimur? Quomodo ſuper eos illud Domini præceptum implebimus, quo Petrum inſtruit, dicens: *Confirma fratres tuos.* Luc. 22. Univerſum ſiquidem terrarum orbem Dominus & magiſter noſter ſuis diſcipulis diſpertivit: ſed Europæ fines Petro ſingulariter commiſit & Paulo. Nec per eorum tantum, ſed per ſucceſſorum diſcipulos, ac legatos, Europæ univerſitas converſa eſt, & confirmata. Unde uſque ad nos, licet indignos eorum vicarios, hæc conſuetudo pervenit: ut per noſtræ ſedis vicarios graviora eccleſiarum per provincias negotia pertractarentur, ſeu retractarentur. Vos autem inconſultis nobis, etiam epiſcoporum negotia definitis, cum martyr Victor eccleſiæ Romanæ pontifex dicat: „ Quamquam comprovin- „ cialibus epiſcopis, accuſati cauſam pontificis „ ſcrutari liceat: non tamen definire, inconſul- „ to Romano pontifice, permiſſum eſt. Zephy- „ rinus quoque martyr & pontifex: Judicia, in- „ quit, epiſcoporum, majoreſque cauſæ, a ſede „ apoſtolica, & non ab alia ſunt terminanda. Victor papa. Zephyrinus. Vos oppreſſis apoſtolicæ ſedis appellationem ſubtrahitis, cum ſanctorum patrum conciliis decretiſque ſancitum ſit, ab omnibus oppreſſis ad Romanam eccleſiam appellandum. Vos præter conſcientiam veſtram decreta ſynodalia celebratis, cum Athanaſius Alexandricæ eccleſiæ ſcribat: Athanas. „ Scimus in Nicæa magna ſynodo trecentorum „ decem & octo epiſcoporum, ab omnibus con- „ corditer eſſe corroboratum, non debere abſque „ Romani pontificis ſcientia, concilia celebrari. “ Quod ipſum ſcriptis ſuis ſancti pontifices firmaverunt: & aliter acta concilia, irrita ſtatuerunt. Videtis igitur, & vos contra ſedis apoſtolicæ auctoritatem plurimum exceſſiſſe, & dignitati plurimum ſubtraxiſſe: & nobis pro noſtri officii debito imminere, ut probatos habeamus, quibus ſacerdotalem conferimus dignitatem: ne contra apoſtolum, manum citius cuique imponentes, communicemus peccatis alienis: quia juxta beati Leonis ſententiam: „ Gravi ſe- Leo. „ metipſum afficit damno, qui ad ſum dignita- „ tis collegium ſublimat indignum. “ Vos præter auctoritatem noſtram, epiſcoporum quoque mutationes præſumitis: quod ſine ſacrotanctæ Romanæ ſedis auctoritate ac licentia fieri, novimus omnino prohibitum. Si ergo in his omnibus ſedi apoſtolicæ dignitatem, ac reverentiam ſervare conſentitis: nos vobis, ut fratribus & filiis, caritatem debitam conſervamus: & quæ vobis ab apoſtolica eccleſia concedenda ſunt, benigne ac dulciter, Domino præſtante, concedimus. Si vero adhuc in veſtra decernitis obſtinacia permanere: nos juxta evangelicum dictum, & apoſtolicum exemplum, pedum in vos pulverem excutiemus, & tamquam ab eccleſia catholica reſilientes, divino judicio trademus, dicente Domino: *Qui non colligit mecum, diſpergit; & qui non* Luc. 11. *eſt mecum, adverſum me eſt.* Deus autem omnipotens & nobiſcum vos in ipſo eſſe, & nobiſcum vos in ipſo colligere, ita concedat: ut ad æternam ejus unitatem, quæ id ipſum permanet, pervenire concedat. Data Lateran. Kal. Aprilis, Indict. VIII.

APPENDIX AD EPISTOLAS PASCHALIS PAPÆ II.

CXVIII. AD ABBATEM ET MONACHOS monaſterii Becenſis.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Willelmo Abbati & univerſæ congregationi Beccenſis monaſterii ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex Baluzii Miscell. tom. 7. p. 438. & ſeq.

APoſtolicæ ſedis dignitas exigit per univerſas Dei eccleſias recta diſponere & quæ ab aliis recte diſpoſita ſunt confirmare. Significaſtis ſiquidem nobis venerabiles fratres Willelmum Rothomagenſem, Ivonem Carnotenſem, Gofridum Pariſienſem Epiſcopos ſingulas in parochiis ſuis Eccleſias veſtro monaſterio in ſalarium contuliſſe, videlicet in Rothomagenſi Eccleſiam ſancti Petri de Ponte Haræ, in Carnotenſi Eccleſiam ſancti Nigaſii de Mellento, in Pariſienſi Eccleſiam ſanctæ Honorinæ de Confluentio. Et nos igitur quieti veſtræ in poſterum providentes, eaſdem Eccleſias vobis veſtriſque ſucceſſoribus confirmamus, ut ſicut ab eiſdem Epiſcopis diſpoſitum eſt, ſemper in veſtri monaſterii poſſeſſione permaneant. Si quis autem temerario auſu eaſdem Eccleſias a monaſterii veſtri corpore diſtrahere ac ſeparare præſumpſerit, beati Petri gladio & apoſtolicæ ipſius Eccleſiæ ultione plectatur.

Data

Data Lateranis 11. Idus Aprilis anno ab in- A carnatione Domini MCIV. indictione X.

CIX. AD ROBERTUM EPISCOPUM Coventranum.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Roberto Conventrano Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PEr Petri Apoſtoli diſcipuli ſucceſſorum Anacletum Petri Apoſtoli præceptum habemus ne in villis ſive caſtellis aut modicis civitatibus ordinentur Epiſcopi. Ab eodem etiam Pontifice vel poſterioribus patribus conſtitutum eſt ut ſacerdotes ad quamcumque conſtituti fuerint Ec- B cleſiam, in eam vitæ ſuæ diebus debeant perdurare. Hujus nos juſtitiæ ratione commoniti, cariſſime frater & coepiſcope Roberte, providendum duximus ne tua vel ſucceſſorum tuorum cathedra in poſterum fluctuet; quia & Lichefeldenſis locus & Ceſtrenſis villa, ubi prædeceſſoribus tuis vel tibi hactenus ſedes fuerunt, pro exiguitate ac paupertate ſui epiſcopalis dignitatis ſolium non merentur. Statuimus ergo ut apud Coventriam deinceps tam tibi quam ſucceſſoribus tuis in perpetuum epiſcopalis cathedra conſervetur. Porro monachi qui apud eundem locum beatæ Mariæ monaſterio converſantur ſemper ſub tua ſeu ſucceſſorum tuorum obedientia maneant & in ipſa epiſcopali Eccleſia divinorum officiorum debita peragant, prout in Cantuarienſi Eccleſia per beatum quondam Auguſtinum novimus inſtitutum & ſanctiſſimi patris ac prædeceſſoris noſtri Gregorii Doctoris Eccleſiæ catholicæ aſſertione ſancitum; nec cuiquam omnino ſucceſſorum tuorum liceat monaſticæ diſciplinæ viros ab ipſa Eccleſia removere aut eis poſſeſſiones aut bona cætera auferre quæ ab egregiæ memoriæ Leobrico Comite ipſius cœnobii fundatore vel aliis fidelibus ad monachorum ſumptus oblata & comparata ſunt vel in futurum offerri Domino diſponente contigerit. Ad hæc adjicientes decrevimus ut nulli omnino hominum liceat eandem Eccleſiam temere aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis D vexationibus fatigare, ſed omnia integre conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione converſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Si qua ſane eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domi- E ni noſtri Jeſu Chriſti; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Scriptum per manum Rayniarii ſcriniarii ſacri palatii. Ego Paſchalis catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Datum Laterani per manum Joannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis XIIII. Kal. Maii, indictione decima; dominicæ incarnationis anno Domini MCIV. pontificatus autem domini Paſchalis ſecundi Papæ III.

CX. AD MONACHOS SANCTI ÆGIDII.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis monaſterii ſancti Ægidii monachis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

MOnachorum ſtatus a ſæculo omnino diviſus eſt ut cohæreat Deo. Aliis enim licet & Deo ſervire & ſæculum non relinquere Monachis autem nec corpora licet nec voluntatem habere in propria poteſtate, ut in eis illud dominicum impleatur: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me.* Unde dilectionem veſtram literis præſentibus commonemus ut omni niſu omnique ſtudio divinæ dilectioni vos arctius aſtringatis, & poſtpoſitis vanitatibus ſæculi, pleno mentis affectu Dei ſemper faciem inquiratis. Propter quod opportunum vobis eſt ut ſicut a prioribus veſtris diſpoſitum eſt, Cluniacenſis ordinis diſtrictionem efficacius teneatis; nec ſi aliter feceritis, & hominum detractationibus pateatis, & apoſtolicæ ſedis indignationem gravius incurratis. Cluniacenſis enim monaſterii ordo multis locis per Dei gratiam religionis amplioris lumen infudit. Data Beneventi III. Kal. Julii.

CXI. AD WILLELMUM ARCHIEPISCOPUM ROTHOMAGENSEM.

C *Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Willelmo Rothomagenſi Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

TUroldum Bajocenſem Epiſcopum in proximis Kalendis Octobris pro cauſæ ſuæ definitione ante confratrem noſtrum Lugdunenſem Epiſcopum venire præcepimus. Cæterum quia eum necdum reveſtitum audivimus, inducias ei uſque in Paſcha proximum prorogavimus. Tunc autem ante confratrem noſtrum Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum vice noſtra cauſa eadem penitus finiatur, nobis plenius intimanda, aut ante præſentiam noſtram una cum adverſariis ſuis Epiſcopus ipſe conveniat. Data Salerni III. Kal. Aprilis.

CXII. AD CANONICOS ECCLESIÆ CARNOTENSIS.

Ex Dacherii, Spicileg. t. 3. p. 440. edit. in fol.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Carnotenſis Capituli Clericis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUoniam pravas conſuetudines in domibus & rebus Carnotenſis Epiſcopi defuncti vel depoſiti, Comites quondam Carnotenſes habuerunt, veſtra memoria recognoſcit: fratris autem noſtri Ivonis Carnot. Epiſcopi labore & induſtria ab egregio Comite Stephano, ſicut ſcitis, impetratum eſt, ut eaſdem conſuetudines abdicaret. Nos autem ne quis ulterius eadem præſumat, decreti noſtri pagina interdiximus. Nunc veſtram ſollicitudinem præmonemus, & monentes præcipimus, ut ſi forte aliqui Carnotenſium Comitum, vel Miniſtrorum eorumdem aliquando cupida temeritate, & temeraria cupiditate libertatem a Comite conceſſam a nobis confirmatam infregerint, tamquam Eccleſiaſtici juris pervaſores a vobis, vel ſucceſſoribus veſtris excommunicentur, & eis Eccleſiæ tam civiles quam ſuburbanæ uſque ad ſatisfactionem claudantur. Addimus etiam, ut ſi Epiſcopus amittendi Epiſcopatum timore, vel ele-

electus in Episcopum, acquirendi ambitione, illius sacrilegii patratores absque satisfactione absolverit vel supportaverit, tamquam sacrilegii particeps & Episcopatus emptor, abdicetur. Novis siquidem moribus novum convenit antidotum adhiberi, & Ecclesiæ salutem modis omnibus conservari. Datum Laterani VII. Kalend. Aprilis.

CXIII. AD BERENGARIUM EPISCOPUM GERUNDENSEM.

De privilegiis Ecclesiæ Gerundensis.

ex Append. ad Marcam Hispan. pag. 703.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei venerabilis fratri Berengario Gerundensi Episcopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Sicut injusta poscentibus nullus tribuendus est effectus, sic legitima desiderantium non est differenda petitio. Tuis itaque, frater in Christo carissime Berengari, precibus annuentes, ad perpetuam sanctæ Gerundensis Ecclesiæ pacem ac stabilitatem præsentis decreti auctoritate sancimus ut universi parochiæ tuæ fines, sicut a tuis antecessoribus usque hodie possessi sunt, ita omnino integri tam tibi quam tuis successoribus in perpetuum conserventur, qui videlicet fines a meridie Barchinonensis, ab oriente Ausonensis, ab Aquilone Urgellensis & Helenensis parochiæ limites tangunt, ab occidente in mare pertingunt. Confirmamus etiam eidem Gerundensi Ecclesiæ C universa quæ ad eam in præsenti Indict. VIII. videntur legitime pertinere & quæcumque in futurum juste atque canonice poterit adipisci. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur tam tuis quam clericorum & pauperum usibus profutura. Illud autem omnino interdicimus, ne liceat ejusdem Ecclesiæ clericis præbendas aut possessiones ejusdem Ecclesiæ retinere & suis usibus vendicare postquam eos ad episcopatum vel abbatiam vel alias præp situras aliarum Ecclesiarum transire contigerit. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loca iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Paschalis catholicæ Ecclesiæ Episcopus D subscripsi.

Data Laterani per manum Johannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii XI. Kal Februar. Indictione VIII. Incarnationis dominicæ anno MCV. pontificatus autem domni Paschalis secundi Papæ anno XVI.

FRAGMENTA DECRETORUM PASCHALIS PAPÆ II.

Sacrilegi sunt judicandi, qui ecclesiam Dei non permittunt regulariter ordinari.

Sunt quidam, qui vel violentia, vel favore, non permittunt ecclesias regulariter ordinari. Hos etiam decrevimus ut sacrilegos judicandos. 16. q. 1. c. 21.

Spiritum sanctum vendit, qui decimas pro pecunia tribuit.

Altare & decimas per pecuniam dare, & Spiritum sanctum vendere, simoniacam hæresim esse B nullus fidelium ignorat. 1. q. 1. c. 14.

De propriis laboribus, monachi & canonici decimas solvere minime cogantur.

Decimas a populo sacerdotibus, ac Levitis esse reddendas, Divinæ legis sanxit auctoritas. Cæterum a monachis, sive clericis communiter viventibus, nulla ratio finit, ut milites, aut episcopi, aut personæ quælibet, decimas de laboribus seu nutrimentis seu propriis extorquere debeant. Unde beatus Gregorius ait: „ Communi Gregor. „ vita viventibus jam de faciendis portionibus vel „ exhibenda hospitalitate, & adimplenda miseri- „ cordia, nobis quid erit loquendum? cum om- „ ne quod superest, in causis piis ac religiosis „ erogandum sit, dicente Domino: *Quod super-* Luc. 11. „ *est, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt* „ *vobis*. 16. q. 1. c. 47.

Nullus ministret abbatibus episcopalia, qui alicui episcoporum nolunt subesse.

Abbatibus, qui neque sub episcopo, neque sub metropolitano, neque sub primate, neque sub patriarcha sunt, nullus prorsus episcoporum, episcopalia quælibet administret. Cum enim se nulli episcopo omnino subesse profiteantur: consequens est, ut nullus episcoporum, quæ sua sunt, Deis tanquam extraneis largiatur. 16. q. 2. c. 18.

Excommunicetur qui per laicos ecclesias obtinet.

Si quis clericus, abbas, vel monachus, per laicos ecclesias obtinuerit: secundum sanctorum apostolorum canones, & Antiocheni concilii capitulum, excommunicationi subjaceat. 16. q. 7. c. 18.

Qui per laicos ecclesias obtinet, & qui manus ei imposuit, communione privetur.

Constitutiones sanctorum canonum sequentes statuimus, ut quicumque clericorum ab hac hora inantea investituram ecclesiæ, vel ecclesiasticæ dignitatis de manu laica acceperit: & ipse, & qui manum ei imposuerit, gradus sui periculo subjaceat, & communione privetur. 16. q. 7. c. 23.

De eodem.

Nullus laicorum, ecclesias vel ecclesiarum bona occupet, vel disponat. Qui vero secus egerit, juxta beati Alexandri capitulum ab ecclesiæ liminibus arceatur. 16. q. 7. c. 28.

De eodem.

Sicut Domini vestimentum scissum non est, sed 16. q. 7. c. 15.

ſed de eo ſortiti ſunt: ita nec eccleſia ſcindi de- A
ANNO CHRISTI 1099. ber, quia in unitate tota conſiſtit. In poteſtatem ergo proprii epiſcopi, eccleſiæ reducantur: & ab ipſo, ſicut ſacris canonibus cautum eſt, ordinentur. Alioquin & eccleſiæ ipſæ, & clerici earumdem, divinis deſtituantur officiis.

AD VICTOREM BONONIENSEM.

Abſque epiſcoporum conſenſu epiſcopalia jura monachi non uſurpent.

16. q. 1. c. 9. Pervenit ad nos, unde valde miramur, quod quidam monachi & abbates in parochia veſtra, contra ſanctorum patrum decreta, epiſcopalia jura & officia ſibi arroganter vindicant: videlicet pœnitentiam, remiſſionem peccatorum, reconciliationem, decimas, & eccleſias: cum abſque proprii epiſcopi licentia, vel apoſtolicæ ſedis auctoritate, hoc nullatenus præſumere debeant: ſicut in Chalcedonenſi concilio de hujuſmodi a ſanctis patribus cautum eſt, & ſub anathematis vinculo monachis omnibus prohibitum. Mandamus itaque dilectioni tuæ, ut eos convenias: &, ne talia deinceps præſumant, omnino prohibeas.

AD RHEGINUM EPISCOPUM
Fragmenta tria.

I. Qui ex compatre vel commatre poſt ſuſceptos filios de fonte nati fuerint, conjungi non poſſunt. C

30. q. 3. c. 5. Poſt ſuſceptum vero de fonte filium vel filiam ſpiritualem: qui ex compatre vel commatre nati fuerint, matrimonio conjungi non poſſunt: quia leges ſæculi, non emancipatos adoptivis prohibent copulari.

II. Uxorem compatris ducere poteſt, cujus ipſa commater non fuerat.

30. q. 4. c. 5. Poſt uxoris obitum, cum commatre uxoris viri ſuperſtitis conjugio copulari, nulla videtur auctoritas vel ratio prohibere. Neque enim cognationi carnis cognatio ſpiritus comparatur: neque D per unionem carnis, ad unionem ſpiritus pertranſitur.

III. Duorum conſobrinorum conjuges, uni eidemque nubere non poſſunt.

35. quæſt. 3. cap. 22. Porro duorum conſobrinorum conjuges, quamvis diverſis temporibus, viro uni alteram poſt alterius obitum nubere, ipſa præter auctoritatem canonicam, publicæ honeſtatis juſtitia contradicit. Et novit prudentia tua, quia ita ab uxoris, ſicut a viri conſanguineis abſtinendum eſt.

AD GOZERANUM ARCHIEPISCOPUM
Lugdunenſem.

Primatum illi confirmat in Lugdunenſes provincias.

Ex codice Andreæ Quercetani ad bibliothecam Cluniac. Idcirco, venerabilis frater Gozerane Lugdunenſis archiepiſcope, præſentis decreti pagina, fraternitati tuæ, tuiſque ſucceſſoribus, & per vos eidem Lugdunenſi eccleſiæ, confirmamus primatum ſuper quatuor Galliarum primatiis, videlicet Lugdunenſi, Rotomagenſi, Turonenſi, & ſuper Senonenſi: ſicut a noſtris conſtat anteceſſoribus inſtitutum.

Ubi agitur ad correctionem de impediendo peccato, principalis perſona admittitur in teſtem. ANNO CHRISTI 1099.

In omni negotio principalis perſona dicens ve- 2. collect. de teſt. & atteſt. c. 5. & extra tit. & cap. eod. ritatem de re ſibi nota rectiſſime, habenda eſt pro teſte: cui adhibito uno, efficiuntur duo teſtes; adhibitis duobus, efficiuntur tres. Quod patenter oſtendit Dominus, cum dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Quod ſi te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos: ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Et alibi affirmat dicens: *Non unus ſtet contra alium: ſed in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Item alibi: *Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me pater. Nam in lege veſtra ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium verum eſt.* Matth. 18. Joann. 8 Deut. 19.

Ad canonicos ſancti Martini.

Quidquid fidelis offert eccleſiæ, oblationis nomine continetur, & a ſæcularibus poſſideri non debet.

Cæterum primitiæ, decimæ, & oblationes, in Extra de verb. ſignif. cap. 23. ſolis eccleſiarum bonis præcipue numerantur. Oblationes vero dicuntur, quæcumque de propriis & licitis rebus, eccleſiæ a fidelibus offeruntur. Quicumque igitur eas per poteſtatem ſæcularem obtinet: procul dubio contra Deum, & ſanctorum patrum nititur ſanctiones. Quinimmo & qui accipit, & qui tradit, raptor & ſacrilegus judicatur.

Extat quoque in 1. collectione, titulo & cap. eodem, aliquot vocibus diſcrepans ab editione Gregoriana.

An decimas clerici clericis debeant.

Novum genus exactionis eſt, ut clerici a cle- 2. collect. de decimis c. 9. ricis frugum decimas, vel animalium exigant. Nuſquam in lege Domini hoc præcipi legimus, vel permitti. Non enim Levitæ a Levitis decimas accepiſſe, vel extorſiſſe leguntur. Illi profecto clerici, qui a clericis ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt, decimas eis debent.

Vide Gregorianæ collectionis cap. 9. de decimis, ubi varietas eſt in aliquot lectionibus.

Ad comitiſſam Mathildam.

Petens cenſum, debet rationem exprimere.

Pervenit ad nos, quod Fraxinorenſis abbas 2. collect. de cenſib. cap 5. Carpenſem eccleſiam fuerit depraedatus, occaſione videlicet cujuſdam cenſus, qui ad quid ſolvi debeat, ignoratur. De quo nimirum cum E nos archipresbyter interrogaret: quod rationabile videbatur, reſpondimus. Cenſus enim ignorantiæ, nec divinis, nec humanis legibus invenitur. Oportet quippe, ut cenſus omnis, ad quid, & quomodo ſolvi debeat, præſciatur. Mandamus ergo dilectioni tuæ, ut prædam ipſam Carpenſi eccleſiæ reſtitui facias: nec deinceps Fraxinorenſem abbatem, aut quemlibet alium, eam inquietare permittas.

Extat quoque extrav. de cenſib. c. 5. brevius, & cum aliqua lectionum varietate.

ANNO CHRISTI 1099.

ANNO CHRISTI 1099.

IN EPISTOLAS PASCHALIS II. PAPÆ

Chronologica ſerie digeſtas.

DISSERTATIO.

Ex Mabill. Suppl. Tom. II. p. 158.

PAſchalis II. epiſtolarum diviti ſuppellectile collectionem ſuam ornavit Labbeus, cujus diligentiæ ſi quid deerat Venetus editor addita appendice ſupplevit. Utriuſque tamen labor in eo Lectori erudito minus probatur, quod nec ordinem chronologicum in illis tradendis ſervaverint, nec annum, quo editæ ſunt ſingulæ adnotaverint, ſed prout caſu offerebantur, ita illas obtruſerunt. Ex quo factum eſt, ut ad quem potiſſimum annum quæ in illis narrantur geſta, referenda ſint ignorentur; unde confuſio paritur, rectuſque ille deperit ordo, quo lucis plurimum, unde hiſtoria delectat, affunditur. Fit inſuper ut quæ ſæpe diſtinguenda ſunt, confundantur; quæ jungenda, diſtinguantur. Planum id fiet ex iis conciliis quæ ſub Paſchali celebrata ſuo loco deſcribemus; quæ ſane ex ignorata hucuſque epiſtolarum quarumdam Paſchalis chronologia Collectores fugerunt. Hæc ergo mea nunc erit provincia, ut ordinem quendam inter nonnullas Paſchalis epiſtolas conſtituam. Nonnullas, inquam, non omnes: neque enim de omnibus collocandis ratio mihi aliqua vel probabilis ſuccurrit. Earum vero, quarum annum ſignificavi, rationes hic exhibendas duxi.

Epiſtolarum Paſchalis II. ad chronologiam quod attinet claſſes ſunt duæ. Aliæ enim certas temporis, quo datæ ſunt, adſcriptiones præferunt; aliæ vel chronica quacumque nota penitus deſtituuntur; vel ſi quem præferunt locum, diem, & menſem, annum omittunt. Quibus eſt aſſignatus annus & menſis, quis locus chronologicus dandus ſit cur ambigeretur nihil eſſet, ſi conſtans eſſet anni ſupputandi apud Paſchalem ratio; in ea cum variaverit, hinc non incauto lectore ad certum annum eruendum opus eſt. Interdum enim annum more ſtyloque Piſano a martio præcedentis anni anticipat, ut ſi ea adhibita ſupputatione annum 1115. ſignet, tunc annus 1114. pro noſtro ſupputandi more reddendus ſit. Interdum annus more Romano exhibet, illius tamen exordium in martio ſtatuit; ex quo fit, ut cum annum ex. gr. 1114. Januarium vel Februarium menſem dat, literæ de Februario anni 1115. accipiantur. Bulla Paſchalis apud Ughellium tom. III. col. 89. aſſignatur *anno* 1108. *Paſchalis anno IX. indict. 7. die VIII. Kal. Octobris*, quæ ſupputatio eſt Piſana, noſtro enim more annum 1107. reddit, prout indictio & anni pontificis demonſtrant. Apud Labbe tom. XII. pag. 1027. Venet. edit. habes ejuſdem pontificis bullam apud S. Hypolitum ſignatam VI. Id. Februarii Indict. XV. anno Chriſti 1106. anno Paſchalis VIII. qui temporis characteres cum anno ſupputationis noſtræ 1107. congruunt, & anni a Martio exordientis indicium ferunt.

Quæ cum ita ſe habeant, unicum extricandi nos ab hoc labyrinto filum præbent anni pontificis cum indictione conjuncti, quos duos viæ duces ſectantes ad certum annum feliciter pervenimus.

Impeditior eſt via, cum epiſtolæ & anno & Indictione carent; tunc enim plurima hiſtorico-rum conſultatione, ac conjecturarum collatione opus fuit, ut certum annum tenerem. Has conjecturas meas & ſcriptorum teſtimonia hic locus eſt expendendi.

Exordium harum epiſtolarum conſtituo anno 1100. quo datam ſtatuo epiſtolam LXVII. ad Galliarum epiſcopos, quibus Cluniacenſes commendat. *Data eſt Laterani XIII.* (ſupple Kal.) *Decembris*, quare dies & menſis reſpondet alteri num. LXVIII. apud Labbeum pro Cluniacenſibus ſcriptæ & ſignatæ anno 1100. pontificatus Paſchalis ſecundo; adeoque ex argumenti affinitate utramque anno eodem ſcriptam definio. Ejuſdem forte eſt anni epiſtola XII. ad Gebehardum Conſtantienſem & Odalricum Pictavenſem, qua reprehendit utrumque quippe *qui regionem ſuam fugere meditabantur*, ut ſe ab excommunicatis ſubducerent; ex quo ſuſpicatur P. Hanſizius in ſua Germania ſacra epiſtolam illam anno circiter 1100. miſſam, quo tempore Odalricus de profectione in Paleſtinam cogitabat. Ejuſdem eſt anni epiſtola XCVI. ex Eadmero Novor. lib. III. pag. mihi 58. ſicut & ejuſdem vel inſequentis epiſtola XCVII. cum ab Eadmero una cum ſuperiori XCVI. referatur.

Denique epiſtola LXXIX. tempore proxime præcedit ſequentem epiſtolam LXXX. ſignatam VI. Kal. Septembris indictione VIII. quare ambo ejuſdem ſunt anni; nec forte alterius quam 1100. Idem ſtatuendum eſſet de epiſtola LXXVIII. ad Guidonem Viennenſem, quam ſub ipſis Guidonis crepundiis in epiſcopatu datam fuiſſe oportet, cum pallium eidem Viennenſi archiepiſcopo concedat. Verum cum Guidonis exordia anno 1083. Viennenſes tabulæ illigent; ſuſpicor has literas falſo Paſchalis nomine inſcribi; & alteri ante illum pontifici, forte Gregorio VII. tribuendas eſſe, cum præſertim Paſchalis in omnibus epiſtolis ſuis Joanne ſcriptore utatur; hæc vero Petrum notarium ferat.

Succedit annos 1101. cui præter eas quæ indictione hujus anni adnotantur, tribuo epiſtolam XCIX. ex Eadmero; idque cum aliis hiſtoricis plane congruit, Data eſt enim epiſtola *Beneventi II. Idus Decembris*, quo tempore Beneventi reipſa egiſſe pontificem conſtat ex chronico S. Sophiæ a Muratorio antiquit. Ital. tom. I. pag. 258. vulgato, adventum pontificis Beneventum Septembri menſe hujus anni referente. Anno eidem non invitus adſcriberem epiſtolas geminas V. & VI. in quibus de juranda pontifici Romano fidelitate ab archiepiſcopis pallium recepturis agitur. Detrectabant enim id præſtare archiepiſcopi, quod dicerent nulla conciliorum ſanctione id unquam decretum fuiſſe; quibus pontifex auctoritatem opponit Romanæ eccleſiæ id jubentis, nuſpiam vero memorat habitum Romæ anno 1102. Aprili menſe concilium frequentiſſimo epiſcoporum numero celebre, quo idipſum ſancitum eſt; unde has literas concilium illud præceſſiſſe conjicio. Quæ pariter conjectura anno ſuperiori 1100. vindicat epiſtolam XLVI. in qua de clericorum conjugiis data e Laterano VIII. Kal. Decembris

præ-

præſentis enim anni menſe illo pontifex non in Laterano, ſed Beneventi agebat) Anno pariter 1101. ex Eadmeri Hiſtoria Novorum lib. III. aſſignanda epiſtola XLI. ad S. Anſelmum data XVII. Kal. Maii, ex qua concilium eodem anno Romæ habitum diſcimus. Eidem adſcribas epiſtolam XLII. ad eumdem, ubi de epiſcopis Anglis Romæ agentibus (quæ legatio anno 1100. acta eſt ex Eadmero lib. III.) fit mentio. Epiſtolam pariter LVII. ad Radulfum Remenſem Aprili menſe datam in claſſem hujus anni refero, utpote ejuſdem menſis & argumenti cum bulla ab eodem pontifice data pro confirmatione epiſcopatus Atrebatenſis, quæ annum hunc exhibet apud Dacherium Spicileg. tom. III. pag. 436. nov. edit.

ANNO CHRISTI 1099.

Annus 1102. fert literas num. III. recitatas ex Eadmero lib. 3. pag. 65. narrante literas illas dudum a S. Anſelmo acceptas recluſiſſe illum cum in Beccenſi monaſterio ageret menſe Maii anni 1103. ex quo fit ut literæ anno præcedenti circiter exeunte expeditæ fuerint.

In annum 1033. refero epiſtolam IX. eodem fere tempore a miniſtro Henrici regis Romæ traditam, quo S. Anſelmus epiſtolam num. XLV. recitatam, & Novembri menſe Indictione ſignatam Romæ accepit, teſte Eadmero lib. III. pag. 67. Ejuſdem ſunt anni epiſtolæ VIII. & LXXVI. in quibus de Ottone Bambergenſis, ſive invitatione Romam ut conſecraretur, ſive ejus jam conſecrati ad Bambergenſes commendatione, quæ omnia hoc anno geſta nemo ambigit. Huic ipſi anno convenit Maſſilienſe concilium, quod ex anecdotis Martene Venetus Labbei editor accepit tom. XII. col. 1109. ibi vero indicatur revocatio quædam literarum Paſchalis ab eodem pontifice præſtita de literis, quas ille in gratiam epiſcoporum Eduenſis & Matiſconenſis contra Cluniacenſes dederat. Quid literæ in gratiam Cluniacenſium contra Eduenſem, niſi quas n. LII. habes? Hæ igitur ad hunc, ſive ad ſuperioris 1102. exitum pertinent. Anno huic pariter adſcribo epiſtolam VII. ad Robertum Flandriæ comitem datam Albani menſe Januario, quem principem in Henricum, & Leodienſes animat: Nam Robertus præcedenti anno 1102. motis in Cameracenſes armis, iram imperatoris in ſe concitavit; cujus epiſtolæ occaſione admonuiſſe lectores juvat, Leodienſium de hac epiſtola querimonias, a Labbeo abſque ſcriptoris nomine relatas, ſcripſiſſe Sigebertum monachum Gemblacenſem, ut ex inſcriptione codicis Stabulenſis Martenius veter. Monum. tom. I. pag. 587. demonſtrat. Dein perſeverante bello ad medium uſque ſequentis anni tandem coactus pacem petiit, & obtinuit. Eo igitur temporis ſpatio Leodienſes cum Cameracenſibus conjunctos, ut ex literis Leodienſium apud Labbeum ibidem legendis diſcimus, Robertus vexabat.

Anno 1104. debetur epiſtola LXXVII. de conſecratione Gaulonis in epiſcopum Pariſienſem, ex qua eorum opinio refutatur, qui Gaulonem hunc jam antea initiatum fuiſſe Belvacenſem epiſcopum tenent. Renunciatus quidem fuerat Gaulo in Epiſcopum Belvacenſem, ſed epiſcopatus conſecrationem non prius recepit, quam cum ad Pariſienſem cathedram aſcendit. Epocham Gaulonis Pariſienſes tabulæ ab hoc anno repetunt apud Du-Bois hiſt. eccl. Pariſien. tom. I. Ejuſdem eſt anni epiſtola XXXV. ut ex concilii Pariſienſis ejus anni epocha conſtat.

Anno 1105. aſſignatur in Spicilegio Dacheriano tom. III. pag. 440. nov. edit. epiſtola CXII. ip noviſſimam appendicem Labbeanam relata; qua ſane epiſtola conſuetudines quædam pravæ eccleſiæ Carnotenſi incommodæ tolluntur: id vero eodem ipſo anno vetuerat Pilippus Francorum rex diplomate anno illo 1105. regni ſui 46. ſignato, ibidem legendo. Aſſignat eidem Spicilegii Dacheriani editor noviſſimus Martenius epiſtolam XXXVI. *datam Tiphernı X. Kal. Novembris* ad Daimbertum epiſcopum Senonenſem. Eodem forte anno conſignandæ ſunt epiſtolæ LIV. & LV. datæ Prænesſe die III. Kal. Januarii, nam circa hos annos ſcriptas indicant vexationes Vizeliacenſium Monachorum ibidem commemoratæ, ut ex epiſtola LVI. ſequenti anno ſcripta conſtat. Cum vero ea menſis die anni ſequentis Paſchalis in Gallia ageret, ad præſentem 1105. referri ambas oportet. Ea quoque ratio ſuadet, ut ad hunc ipſum annum revocem epiſtolam LIII. non quidem ad Robertum, ut male in editis, cum nullus per hæc tempora Vizeliacenſium abbas Robertus extiterit, ſed ad Artaldum, ut legit Mabillonius in annalibus ad An. 1106. ſcriptam, qui dein Artaldus anno 1106. interfectus eſt Denique ex Eadmero lib. IV. pag. 70. diſcimus epiſt. C. ad S. Anſelmum anno 1105. conſignari.

ANNO CHRISTI 1099.

Anni 1106. eſt epiſtola XII. ad Gebeardum Conſtantienſem; quod aſſero ex fide Cencii Camerarii, inter acta concilii Guardaſtellenſis, tunc habiti die XI. Kal. Novemb. illam referentis apud Labbe to. XII. pag. 1128. nov. edit. Huc facit epiſtola LVI. quæ apud Guardaſtallum die VIII. Kal. Novembris, cum ſcilicet concilium ageretur, data eſt. Annus idem facile tulit epiſtolam XVII. ad Gerardum archiepiſcopum Eboracenſem, datam Beneventi pridie Idus Decembris, quam ſcriptam indicat Eadmerus lib. IV. in fine, antequam Gerardus fidem ſuam, dum epiſcopus Erfordienſis ageret, S. Anſelmo primati ſuo obſtrictam, ad Eboracenſem archiepiſcopatum translatus confirmavit. Idque in Londinienſi concilio Auguſto menſe anni 1107. celebrato præſtitum ex ipſis concilii actis diſcimus; ex quo inferas literas pontificis ad Decembrim præcedentis anni 1106. revocandas. Epiſtolam XL. dedit pontifex ad S. Anſelmum non diu poſt ejus in Angliam reditum, de ipſa ejus ab exilio reſtitutione gratulatus. Rediit vero S. Anſelmus anno 1106. nondum media ſui parte evoluto. Cum vero eo ipſo anno miſſi Romam ab Henrico Angliæ rege nuncii in reditu ſuo epiſtolam CI. ad Willelmum Rotomagenſem epiſcopum, datam Beneventi V. Kal. Aprilis detulerint, teſte Eadmero lib. 4. eodem quoque anno 1106. epiſtolam ſignari neceſſe eſt.

Anno 1107. ſcriptam arbitror epiſtolam XV. ad Arelatenſes, qua de re Saxium in pontificio Arelatenſi vadem exhibeo; idem & Baronius cenſet, qui Gibellini exordium in epiſcopatu Hieroſolymitano cum anno 1107. componit. Ad hoc vero Gibellini exordium Paſchalis epiſtola pertinet. Dedit etiam hoc anno Paſchalis epiſtolam CII. ad S. Anſelmum ex Eadmero lib. IV. Dedit & epiſtolas CIII. & CIV. de diviſione epiſcopatus Lincolnienſis, quam anno ſequenti ante Junium menſem peractam tradit Eadmerus lib. IV. quare literæ pontificis hanc diviſionem concedentis Novembri menſe datæ anno 1107. expeditæ ſunt. Haud multum etiam a veritate abludens opinor epiſtolam L. ad Rothardum Moguntinum de inveſtituris regi denegandis tunc miſſam fuiſſe, cum poſt Henrici imper. obitum res eccleſiaſticæ in Germania ſtabiliendæ fuerant. Id ſuadent verba illa epiſtolæ: *Super hoc negotio novus*

☞ *nos oportet ſolicitudine concitari, cum novi regis opportunitatem divina diſpoſitio providit &c.*

ANNO CHRISTI 1099.

Qui ordine conſequitur annus 1108. has offert literas; XLIV. ad Sanctum Anſelmum ſignatam Beneventi IV. idus Octobris ex Eadmero lib. IV. pag. 81. in append. operum S. Anſelmi nov. edit. Hoc pariter anno 1108. directas arbitror literas ad Gallos pro legatione apoſtolica Gerardo epiſcopo Engoliſmenſi commiſſa, legendas num. XXXVII. datas Laterani XVIII. Kal. Maii; nam legatione illa potitus eſt Gerardus poſt profectionem Gallicanam Paſchalis, qui nonniſi provecto anno 1107. ad urbem rediit. Quare literæ Aprili menſe expeditæ e Laterano non prius anno 1108. dari potuerunt. Porro nonniſi poſt profectionem illam Gallicanam legationem obtinuiſſe Gerardum ex adnotatione Labbei ad eandem epiſtolam conſtat.

Annus 1109. & 1110. eas tantummodo epiſtolas poſtulant, quæ indictionem ſive pontificis annos exhibent, niſi forte ad annum 1110. non ſine quadam veri ſpecie retulerimus epiſtolam XXXII. ad Pontium, qui præcedenti anno Cluniacenſis abbas renunciatus fuit; eidemque toleratum forte ad id uſque in gratiam S. Hugonis prædeceſſoris morem porrigendi euchariſtiam vino intinctam tollendum Paſchalis præcipit.

Annus 1111. vindicat ſibi epiſtolam XXV. quam datam poſt quinquennium ex quo Auguſtano epiſcopo dies dicta eſt apud pontificem, ex eadem epiſtola diſcimus. Id vero in concilio Guaſtallenſi anni 1106. præſtitum ex actis ejus concilii compertum eſt. Eiuſdem ſunt argumenti & temporis epiſtola XXVI. ad Arnoldum Moguntinum, & XXVII. ad canonicos Auguſtanos. Idem quoque annus vindicat ſibi pariter (quantum conjectura aſſequor) epiſtolas XVIII. XIX. & XX. vivo adhuc Gibelino Hieroſolymorum patriarcha, ad quem epiſtola XIX. dirigitur, e Laterano Junio & Auguſto menſe ſcriptas. Annum hunc ſelegi quod epiſtolas XXVIII. & XXIX. non diu poſt priores illas datas arbitrer, cum in epiſtola XXVIII. ſcribat pontifex *ſe aliis literis* (quæ ſane verba priores illas deſignant, indicantque non ante multum temporis ſe illas dediſſe, non enim ait dudum ſe illas ſcripſiſſe) ea ſignificaſſe quæ præſenti hac epiſt. XXVIII. repetit. Cum vero poſteriores iſtæ literæ XXVIII. Gibelinum jam obiiſſe ferant, ſequitur hinc priores labentibus Gibelini annis datas. Obiit Gibelinus ineunte Aprili anni 1112. ut ex Pagio conſtat; epiſtolas ergo eo vivo Junio vel Auguſto menſe ſcriptas ad annum 1111. referri oportet.

Anni 1112. ſunt epiſtola XXII. ex concilio Lateranenſi ſcripta, ſicut & epiſtola XXIII. ad Joannem Tuſculanum &c. in qua conceſſas Henrico imperatori inveſtituras ſe revocaturum ſpondet; quod reipſa præſtitit anno 1112. in Lateranenſi concilio. Idem argumentum adſtruit annum ſcriptæ epiſtolæ XXIV. ad Guidonem Viennenſem, quem de revocato a ſe privilegio Henrico imperatori conceſſum facit certiorem. Ejuſdem ſunt anni epiſtolæ LVII. & LVIII. quæ ambæ e Laterano eadem die VIII. idus Aprilis ſcriptæ jura eccleſiæ Atrebatenſis confirmant; unde conjectura eodem anno utramque datam a pontifice. Ex his poſterior indictionem V. cum Aprili menſe conjunctam præferens annum ſignat 1112. ergo & prior hoc anno conſignanda.

ANNO CHRISTI 1099.

In annum 1113. cadunt literæ XXVIII. XXIX. ut ex iis conſtat quæ anno 1111. deduxi. Profecto ſcriptas illas conſtat non diu poſt Gibelini obitum, quem anno 1112. Aprili menſe contigiſſe ſupra animadvertimus; quare ſcriptas literas Beneventi die XV. Kal. Aprilis non prius quam anno iſto 1113. conſignatas oportet; cum præſertim circa hos menſes eodem anno Beneventi pontificem egiſſe conſtet ex bulla ejuſdem pontificis data Beneventi die IX. Kal. Februarii indict. VI. anno pontificatus XIV. apud Baluzium Miſcellan. tom. II. pag. 188. Huc pariter refero epiſtolam LIX. ad Lambertum Atrebatenſem, & LXI. datam Anagniæ die VIII. idus Novembris, in quibus de diviſione quadam parœciæ facta a Lamberto Atrebatenſi agitur. Diviſionem hanc peregit Lambertus, quo tempore ægritudine laborabat ut ipſe ſignificat in ſua epiſtola ad Paſchalem apud Baluzium Miſcellan. tom. V. pag. 366. morbum vero hunc incidiſſe in annum 1113. conſtat ex epiſtola Paſchalis ad eundem Lambertum data XV. Kal. Januarii indictione VII. hoc nempe anno, legenda apud Baluzium ibid. pag. 367.

Annus 1114. nullas habet epiſtolas præter eas, quæ perſpicuos temporis characteres præferunt.

Annus 1115. dat epiſtolas CV. & CVI. cum enim electionem Radulfi archiepiſcopum Cantuarienſem præſtitam anno 1114. die VI. Kal. Maii ſubſequutæ ſint, eamque commemorent, ac inſcribantur e Laterano die III. Kal. Aprilis, ad ſequentem annum 1115. redigendæ ſunt. Epiſtolas quoque XXX. & XXXI. hoc ipſo anno Wilkins tom. I. concil. Angliæ conſignat. Epiſtolas denique LXXIX. & LXXX. quæ ambæ ejuſdem ſunt argumenti ac poſterior, indictione VIII. ſignantur.

Atque hæc ſatis de epiſtolis Paſchalis II. certa temporis quo datæ ſunt adſcriptione carentibus. Aliæ nonnullæ ſuperſunt, quarum ætatem incertam prorſus & inexploratam me latere fateor. Nunc vero juxta noſtram hanc chronotaxim, chronologica earum epiſtolarum ſeries digerenda ſupereſt.

SYNTAXIS CHRONOLOGICA EPISTOLARUM PASCHALIS II.

	Ordo Vetus.	Ordo novus.	
ANNO CHRISTI 1100.	IV.	I.	Ad Bernardum archiepiſcopum Toletanum.
	XXXVIII.	II.	Ad Norigaudum epiſcopum Auguſtodunenſem.
	II.	III.	Ad Albericum abbatem novi monaſterii Cabilonenſis.
	XII.	IV.	Ad Gebeardum Conſtantienſem, & Odericum Patavienſem epiſcopos.
	I.		
	LXXX.	V.	Ad exercitum in Paleſtina militantem.
		VI.	Ad Guidonem archiepiſcopum Viennenſem A. S. L.
	XLVI.		
	XCVII.	IX.	Ad Tervanenſes clericos.
	LXVII.	X.	Ad Henricum Anglorum regem.

Ad

ANNO CHRISTI	Ordo vetus.	Ordo novus.		ANNO CHRISTI
1099.	LXVII.	XI.	Ad Galliarum epiſcopos.	1099.
	LXVIII.	XII.	Ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem.	
1101.	XCI.	XIII.	Ad Clerum & populum Florentinum.	
	V.	XIV.	Ad archiepiſcopum Panormitanum.	
	VI.	XV.	Ad N. archiepiſcopum Poloniæ.	
	LXXXIV.	XVI.	Ad Velletranos.	
	XXXIV.	XVII.	Ad Lambertum epiſcopum Atrebatenſem.	
	XLI.	XVIII.	Ad Anſelmum Cantuarienſem archiepiſcopum.	
	LXXXVII.	XIX.	Ad Conſtantinum Ravellenſis eccleſiæ epiſcopum.	
	LVII.	XX.	Ad Radulfum Remenſem archiepiſcopum.	
	XCVIII.	XXI.	Ad Osbernum epiſcopum.	
	XCIX.	XXII.	Ad Anſelmum Cantuarienſem archiepiſcopum.	
1102.	III.	XXIII.	Ad Anſelmum Cantuarienſem.	
	CVIII.	XXIV.	Ad abbatem & monachos monaſterii Becenſis.	
	LXXXV.	XXV.	Ad Guillelmum Melphienſem epiſcopum.	
	XLVII.	XXVI.	Ad Madelmum abbatem S. Sophiæ.	
	LI.	XXVII.	Ad Altardum abbatem Vezeliacenſem.	
	VII.	XXVIII.	Ad Robertum Flandrenſium comitem.	
1103.	XCIV.	XXIX.	Ad abbatem S. Mariæ apud Bantium.	
	LXXVI.	XXX.	Ad Bernardum Toletanum.	
	VIII.	XXXI.	Ad clerum populumque Bambergenſem.	
	LII.	XXXII.	Ad Gallos.	
	IX.	XXXIII.	Ad Henricum regem Angliæ.	
1104.	LXXVII.	XXXIV.	Ad Pariſienſis eccleſiæ clericos.	
	XXXIII.	XXXV.	Ad Daimbertum archiep. Senonenſem.	
	LXXXVIII.	XXXVI.	Ad oppidanos S. Geminiani.	
	XXXV.	XXXVII.	Ad archiepiſcopos & epiſcopos provinciarum Remenſis, Senonenſis, ac Turonenſis.	
	XXXIV.	XXXVIII.	Ad Lambertum epiſcopum Atrebatenſem.	
1105.	LXII.	XXXIX.	Ad Stephanum Beſuenſem abbatem,	
	LXXXVI.	XL.	Ad Guidonem Papienſem epiſcopum.	
	C.	XLI.	Ad Anſelmum Cantuar. archiepiſcopum.	
	XXXVI.	XLII.	Ad Daimbertum archiepiſcopum Senonenſem.	
	LIII.	XLIII.	Ad Robertum Vizeliacenſem abbatem.	
	CXII.	XLIV.	Ad Canonicos eccleſiæ Carnotenſis.	
	LIV.	XLV.	Ad Guillelmum comitem Nivernenſem.	
	LV.	XLVI.	Ad Daimbertum Senonenſem & alios epiſcopos.	
1106.	CI.	XLVII.	Ad Willelmum Rothomagenſem epiſcopum.	
	XCIII.	XLVIII.	Ad Petrum Acheruntinum archiepiſcopum.	
	XII.	XLIX.	Ad Gebeardum Conſtantienſem & Odericum Patavienſem epiſcopum.	
	LVI.	L.	Ad epiſcopos Galliarum.	
	XCII.	LI.	Ad Guidonem abbatem S. Stephani Laudenſis.	
	XVII.	LII.	Ad Gerardum archiepiſcopum Eboracenſem.	
	XL.	LIII.	Ad Anſelmum Cantuarien. archiepiſcopum.	
	XV.	LIV.	Ad clerum & plebem Arelatenſem.	
	LXIX.	LV.	Ad Hugonem abbatem Cluniacenſem.	
1107.	XLVIII.	LVI.	Ad Ricardum Narbon. archiepiſcopum.	
	LXXI.	LVII.	Ad Hugonem abbatem Cluniacenſem.	
	L.	LVIII.	Ad Rothardum Moguntinum archiepiſcopum.	
	CII.	LIX.	Ad Anſelmum Cantuarienſem epiſcopum.	
	LXX.	LX.	Ad Hugonem abbatem Cluniacenſem.	
	XC.	LXI.	Ad Joannem abbatem Florentinum.	
	XXXVII.	LXII.	Ad aliquot epiſcopos & abbates Galliæ.	
1108.	XLV.	LXIII.	Ad Anſelmum Cantuar. archiepiſcopum.	
	CIII.	LXIV.	Ad eumdem	
	CIV.	LXV.	Ad Henricum Anglorum regem.	
1109.	LXXII.	LXVI.	Ad Pontium Cluniacenſem abbatem.	
1110.	XXXII.	LXVII.	Ad eumdem.	
	XXV.	LXVIII.	Ad Auguſtanæ eccleſiæ clerum.	
	XXVI.	LXIX.	Ad Arnoldum archiepiſcopum Moguntinum.	
	XXVII.	LXX.	Ad canonicos Auguſtanæ eccleſiæ.	
	XXVIII.	LXXI.	Ad Bernardum Antiochenum patriarcham.	
	XIX.	LXXII.	Ad Gibellinum Hieroſolymitanum patriarcham.	
	XX.	LXXIII.	Ad Bernardum Antiochenum patriarcham.	
1111.	XXXIII.	LXXIV.	Ad Joannem Tuſculanum & Leonem Vercellenſem epiſcopos & cardinales.	
	XXII.	LXXV.	Ad Henricum V. imperatorem.	

	Ordo Vetus.	Ordo novus.	
ANNO CHRISTI 1069.	XXIV.	LXXVI.	Ad Guidonem Viennenſem epiſcopum.
	LVII.	LXXVII.	Ad Radulfum Remenſem archiepiſcopum.
	LVIII.	LXXVIII.	Ad clerum & populum Atrebatenſem.
1113.	LXIV.	LXXIX.	Ad Galonem Pariſienſem epiſcopum, & capitulum eccleſiæ Pariſienſis.
	XXVIII.	LXXX.	Ad Bernardum Antiochenum patriarcham.
	XXL[illegible]	LXXXI.	Ad Balduinum regem Hieroſolymitanum.
	LIX.	LXXXII.	Ad Lambertum Atrebat. epiſcopum.
	LXI.	LXXXIII.	Ad duodecim arbitros Atrebatenſes.
1114.	LXXIII.	LXXXIV.	Ad Pontium Cluniacenſem abbatem.
1115.	LXXIV.	LXXXV.	Ad eumdem.
	CXIII.	LXXXVI.	Ad Berengarium epiſcopum Gerundenſem.
	CVI.	LXXXVII.	Ad Cantuarienſes.
	XXX.	LXXXVIII.	Ad epiſcopos & regem Angliæ.
	XXXI.	LXXXIX.	Ad Henricum regem Angliæ.
	CV.	XC.	Ad eumdem.
	CVI.	XCI.	Ad eumdem & epiſcopos Angliæ.

ANNO CHRISTI 1099.

EPISTOLARUM PASCHALIS II. SELECTARUM.

APPENDIX.

Si epiſtolas omnes Paſchalis II. a Labbeo omiſſas hîc ſupplendas aggrederer, gravem quidem, & ad præſens inſtitutum inanem operam aſſumpſiſſem. Cum enim decretorum collectionem hic dare conſtituerim; quorſum bullarum papalium in commodum privatarum eccleſiarum, quarum jura & Latifundia confirmant, farraginem immenſam? Ex multis igitur, quæ in Labbeo deſiderantur, eas ſolegi ſive quæ decretale quid offerunt, ſive quæ eccleſiaſticam ætatis illius hiſtoriam illuſtrant. Has vero ampliſſima Marienis collectiones, Udalrici, Bambergenſis codex, Bauzius, aliique nonnulli ſuppeditant.

AD BERDUM, (*lege Gebeardum*) CONSTANTIENSEM EPICOPUM

De communicantibus cum excommunicatis, & quomodo recipiantur hæretici.

Ex Martene Anecdot. to. I. p. 535.

PAſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Beardo Conſtantienſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quæſtionum quas ad nos miſiſti latebras tuam credimus præſentiam non latere. Cæterum quia ſuper his per apoſtolicam ſedem poſtulas certius informari, quod doctrinæ ſanitas habeat, reſpondemus. Excommunicatis enim communicare in his quæ a ſacris ſunt inhibita canonibus nullo modo ſit licitum. Et voluntate quidem communicantes, ſive ſint monachi, ſive ſint alii, ejuſdem reatus flagitio involvuntur. Qui vero aut ignari aut inviti neceſſitate communicant, licet in oculis hominum contagio polluantur, non tamen propter hoc reos in conſpectu æterni judicis arbitramur. Porro excommunicatorum cadavera de ſanctorum baſilicis projiciantur, quia eorum putores ad ſuperna conſcendunt, ſicut quartus Dialogorum beati Gregorii liber indicat, & ſanctorum ipſorum revelatione didicimus; ideoque dum ea illic continentur, ceſſandum a divinis officiis arbitramur. De confecto ab hæreticis chriſmate vel oleo ratio ſuggerit ut pro divinæ invocationis reverentia inter eccleſiam debeat concremari. Ab ipſis hæreticis venientes ita omnino recipiantur, ſicut antiquitus recipiendos, vel receptos fuiſſe ſanctorum prædecetlorum noſtrorum Leonis & Gregorii monumenta declarant. Datum Lateranis VIII. idus februarii.

AD FRIDERICUM ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM.

Approbat excommunicationem regis ab eo factam, & ut Rom. eccleſia ſubveniat, hortatur.

Ex Cod. diplom. Petil par. I. p. 300.

PAſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri F. Colonienſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Significavit nobis fraternitas veſtra, pro ſacrilegiis, pro rapinis, pro incendiis, & pro iniquitatibus aliis in regem vos excommunicationis ſententiam dictaviſſe. Nos illud Doctoris gentium capitulum attendentes, ubi inter cætera legitur: *Si quis frater nominatur fornicator aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere.* Item aliud beati Johannis apoſtoli expaveſcentes, in quo de ſimilibus continetur, quod qui ei ave dixerit, communicat operibus ejus malignis. Illud etiam Nicæni concilii conſiderantes, ut qui ab alio excommunicatur, ab alio non recipiatur; ut & vos ita faciatis, hortantes omnino ab ejuſdem regis nos communione ſubtraximus. Ipſe autem, ſive propter hoc, ſive propter aliud ignoramus, Romam venit, ſeditionem in populo concitavit, excommunicatos ab eccleſia in communionem ſuſcepit, beati Petri fideles impugnavit, & impugnare non deſinit, patrimonium beati Petri, quæ potuit occupavit, alia devaſtationi expoſuit. De quibus videlicet ab anteceſſoribus noſtris, Domino Johanne papa in concilio quadraginta epiſcoporum, & ab aliis nonnullis per longa jam tempora excommunicatio facta eſt. Ad apoſtolorum limina, & ad noſtram præſentiam venientes poſitis in viam cuſtodibus capiuntur, bonis ſuis expoliantur, nec liberum habere tranſitum permittuntur. Pro quibus in nos, & in beatum Petrum agere iſta debuerit, nos neſcimus. Hæc itaque dilectioni veſtræ cognita facientes pro matre veſtra Romana eccleſia vos monemus, ad ejus auxilium vos tanquam fratres & filios in Chriſto chariſſimos invitamus. Turpiſſimum enim filiis eſt matrem in eorum oculis fatigari, nec auxilium ferre, cum poſſint. Veſtræ igitur matri ſuccurrite, ejuſque opportunitatibus cum Dei adjutorio ſubvenire procurate. Nos enim quod a vobis

bis de illo factum est, & tenuimus, & Domino A præstante tenebimus.

ANNO CHRISTI 1099.

AD GALLICANUM CLERUM UNIVERSUM.

Wernerii invasionem in apostolicam sedem narrat.

Ex Cod. Udal. Bamber. p. 248 De hoc Wernerii tractat. Vide Baron. ad An. 1106. IX.

PAschalis episcopus servus servorum Dei episcopis, abbatibus, principibus, militibus & omnibus fidelibus per universas Gallias salutem & apostolicam benedictionem.

Fraternitatem vestram latere nolumus quæ his temporibus apud nos acciderunt. Venit quidam Wernerius regni Teutonici famulus in Romanæ urbis vicina, evocantibus eum quibusdam perfidæ B mentis hominibus, quorum alii extra urbem per manum quondam regiam jus sive salarium sedis apostolicæ invaserant, alii intra urbem, eo quod curiæ nostræ munera sive familiaritatem habere non poterant, Deum, & Dei fidem posthabere deliberaverunt. Talibus sociis presbyter quidam (*) Romanæ urbis advena se conjunxit, de quo vel ubi vel hactenus ordinatus sit ignoramus. Hanc personam egregiam nigromanticis, ut dicitur, præstigiis plenam, cum fideles nostri occasione treugæ Dei ab armis omnino desisterent, in Lateranensem ecclesiam induxerunt, & congregatis Wibertinæ fæcis reliquiis ei episcopi nomen pernitiosissime illeverunt. Nos vero tunc temporis propter apostolicæ basilicæ dedicationem, quam C die proximo in conventu celeberrimo per Dei gratiam peregeramus, adhuc in beati Petri porticu morabamur. Cum vero intra urbem die altero (*) rediissemus, monstrum illud turpiter ex urbe profugiens, quo transierit ignoramus. Nunc autem omnia fraternitati vestræ breviter indicamus, ne in auditu talium præstigiorum ullo modo decipiamini, aut a statu vestro moveamini. Nos vero per Dei gratiam intra urbem honeste ruteque persistimus, & in hac turba neminem nostræ societatis amisimus. Neque vero Moysi populum suum Chore & Datan & Abyron seditio abstulit, aut excellentis Angeli superbia, qui Deo par esse voluit, majestatem Dei minuit; D Ipsius vos majestas in omnibus protegat, & Leonem ac Draconem feliciter conculcare concedat. Datam Lateranis VI. Kal. octobris.

(*) Non ergo *Abbas Farfensis*, ut habet Urspergensis.

(*) Falsi revinciter Urspergensis, qui tunc assumptum hunc larvatum Pontific. fecisse cum Paschalis Beneventi ageret.

AD FIDELES IN GERMANIA.

Quid agendum a fidelibus cum excommunicatis presbyteris.

Ibid. p. 249 *Hanc epist. quamvis & Labbeus dicto n. XII. idcirco tamen hic recudendam censui quod in multis correctam edita lectionem foret.*

PAschalis episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus & coepiscopis G. Constantiensi, D. Patavienſi, & cæteris tam clericis quam laicis Theutonicarum partium catholicis, salutem & apostolicam benedictionem.

Pro religionis vestræ fervore gaudemus, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui vos in sui amore nominis confirmat; quosdam autem vestrorum minus secundum scientiam zelum Dei habere audivimus, ut dum pravorum commixtionem vitant, etiam a regionibus (a) vestris discedere meditentur. Qui profecto nequaquam laude apostolica digni sunt, dum in medio nationis pravæ & perversæ perseverare non possunt, inter quos luceant velut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Uno vero pondere peccata hominum metiuntur, dum & (b) excommunicatos propriæ voluntatis merito & excommunicatis communicantes reos æqualiter arbitrantur. Verum enim vero diversarum voluntatum diversus reatus (c) agnoscitur. Si quis criminosus in ecclesia juxta apostolum nominatur, hujusmodi omnino cavendus est. Eadem etiam cautela cavendi sunt qui nominatis (d) vel actione cum possint, vel cum nequeunt voluntate se copulant, qui vero hujusmodi excommunicatis omnino inviti vel servitio vel cohabitatione junguntur, si hujusce imperfectionis dolore tangantur, non omnino vitandi sunt, nec tamen ad communionem sine correctionis remedio (e) admittendi. Hinc est quod prædecessor noster sanctæ memoriæ Gregorius (f) papa excommunicatorum uxores, servos, filios, rusticos, quorum voluntate & consilio excommunicationis meritum non perpetratur, viatores quo- E que ob itineris (g) necessitatem invitos excommunicatis communicantes excommunicationis vinculo non teneri constituit. Sic beatus Augustinus ad Auxilium (b) evidenter ostendit. Discant, inquit (i), tenere fratres in omnibus viam, & in medio nationis pravæ & perversæ tanquam luminaria lucere studeant, ut non suæ tantum, sed & alienæ salutis mercedem ab eo mereantur recipere, qui singulorum examinat (k) voluntates, causas discutit, quia nuda & aperta sunt omnia oculis ejus. De cujus miseratione confidimus, quia simplicis oculi corpus tenebrarum caligo non opprimet (l), quoniam charitas operit multitudinem (m). Obedientes monitis nostris miseratio vos divina custodiat, & ab omnibus peccatis absolvat.

(a) edit. *a religionibus*.

(b) edit *dum tam propriæ voluntatis meritum & excommunicatis communicantes reos æqualiter arbitrantur*.

ANNO CHRISTI 1099.

(c) edit. *evitet communicatos quam communicantes vitet eos*.

(d) edit. *excommunicatis ipsis*.

(e) edit. *medio*.

(f) edit. *sepissimus*.

(g) edit. *ob tandem necessitatem*.

(h) edit. *addunt scribunt*

(i) edit. *dicunt ergo sunt igitur fratres nostri in omnibus regiam*.

(k) edit *quod singulorum excommunicatorum voluntates & causas discutiat*.

(l) edit. *opprimetur*.

(m) In edit. *desunt quæ sequuntur*: Extat in Gall. Christ. t. IV. pag. 80 *supplem.* edit.

AD NORIGAUDUM EDUENSEM EPISCOPUM.

PAschalis servus servorum Dei, dilecto fratri Norigaudo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Cum Divini dispensatione judicii ad hujus officii gradum, licet indigni, promoti simus, ut apostolorum principis vices in ecclesiæ regimine teneamus, elaborandum nobis est, & annitendum omnino, ut in constituendis ecclesiasticis negotiis, ejus monita & institutiones devotione fidelissima & fide devotissima æmulemur, cujus fides præcipua & dilectio spectata Domino extitit: adeo ut in ejus singulariter fidei stabilitate immobili, pretioso sanguine redemptam suam Dei filius statuere, & confirmare voluerit ecclesiam, dicens: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam* (n). Cui etiam tantam potestatis prærogativam concessit, ut ejus arbitrio in cœlo, & in terra vel liganda ligarentur, vel solvenda solverentur. Quam potestatis suæ successionem, ipse B. Clementi, & per eum omnibus concessit, qui ejus sedi juste præsidere, & ecclesiam Dei canoniea studuerint ordinatione disponere. Cujus nos fidei auctoritate muniti, tibi, dilecte Frater Norigaude, omnibusque tibi canonice successuris confirmamus omnia, quæ ad Eduensem ecclesiam, in qua te canonice credimus ordinatum, pertinere videntur, tam in ecclesiis, parochiis, cimeteriis, presbyteriis, cunctisque ecclesiasticis ordinibus, quam etiam prædiis, aliisque omnibus possessionibus, mobilibus, quæ acquisita sunt, vel juste acquiri poterunt, ut hæc omnia tibi, tutisque successoribus, ita libere possidere liceat, sicut antecessor tuus in uno die ante suum obitum quiete, & juste possedisse probatur. Illud autem apostolica auctoritate statuimus, ut nulli presbytero, vel viventi, vel morienti, seu ad aliam religionem, vel ad quietam vitam transeunti liceat res, quas a die ordinationis suæ in ecclesia,

(n) Matth. 16. 18.

in qua

in qua eſt ordinatus, conquirere poterit, auferre vel minuere; ſed intacta ea & illibata, in ipſa, in qua conquiſita ſunt, permittat eccleſia remanere. Illos etiam, qui a vobis excommunicati, vel ab officiis divinis pro ſuis fuerint excellibus remoti, ne aliquis in communionem recipere, vel in officium præſumat reſtituere, eadem auctoritate prohibemus. Statuimus quoque, ut pro ſepulturæ quidem loco vel ſpatio, nullum penitus ab aliquo pretium exigatur: pro redemptione vero peccatorum, morientes, in eccleſia, in qua fidei ſacramenta acceperint, eleemoſinam dare, ſecundum apoſtolica decreta ſtatuimus omnino, & confirmamus. Si quis autem ad aliam vivens, ſive moriens ſe conferre voluerit, de eo quod pro ſalute animæ ſuæ dare diſpoſuerit, ſecundum apoſtolica decreta matrici eccleſiæ partem relinquat. Si qua ſane eccleſiaſtica, ſæcularive perſona contra hanc noſtræ conſtitutionis paginam præſumtuoſe venire tentaverit, hujuſmodi ut ſacrilegii reum, a liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ arcendum judicavimus. Cunctis autem eidem eccleſiæ juxta ſervantibus ſit pax Domini noſtri J.C. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud bonorum retributorem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Scriptum per manum Johannis ſcriniarii ſacri lateranenſis palatii. Ego Paſchalis epiſcopus catholicæ ſanctæ eccleſiæ ſubſcr. &c. Datum Laterani per manum Leonis ſcriptoris XVIII. Kal. maij. ind. VIII. anno Dominicæ Incarn. MC. pontificatus autem D. Paſchalis ſecundi papæ primo.

ANNO CHRISTI 1099.

FRAGMENTUM TRACTATUS PASCHALIS II.

Quem canonicis S. Mariæ in Portu firmavit. Ex Gerhoho præpoſito Reichersbergenſi in pſal. LXIV. pag. 1229.

CLericorum ordinem in eccleſia Tribus Leviticæ locum tenere & apoſtolicæ dignitatis jura ſervare & officia gerere, nemo ſanum ſapiens dubitat. Unde certum eſt eos Levitarum & apoſtolorum regulas & vitas imitari debere, quorum noſcuntur locum tenere, dignitatem habere, & officia genere. Quæ enim lex levitis & quæ a Domino regula datur apoſtolis; hæc eadem catholicis pariter clericis utique in finem mundi vices eorum ſupplentibus indicta nequaquam ambigitur. Equidem quod Levitis interdicitur adhuc in umbra gradientibus, quomodo nobis conceditur jam in veritate perſiſtentibus, cum multa legamus illis fuiſſe conceſſa, quæ nobis procul dubio ſunt prohibita? Aaron itaque & filiis ejus, cæteriſque levitis a Domino dicitur: *In terra filiorum Iſrael nihil poſſideatis, nec habebitis partem inter eos. Ego enim pars & hæreditas veſtra in medio filiorum Iſrael.* Et paulo poſt ſubſequitur: *Filiis Levi dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo miniſterio, quo ſerviunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et de eiſdem poſt pauca: *Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum & neceſſaria ſeparavi.* Et hæc quidem in veteri. In novo autem teſtamento quid cuique ſui diſcipulatus perfectioni adhærere volenti dixerit audiamus: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni & ſequere me.* Et alibi: *qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et in alio loco cum apoſtolos ad prædicandum mitteret, prohibuit eis dicens: *Nolite poſſidere aurum vel argentum.* Quod Aſe Petrus impleſſe evidenter oſtendit dicens: *Aurum & argentum non eſt mihi.* Hoc etiam cæteros apoſtolos feciſſe teſtatur idem Petrus, cùm pro ſe & aliis condiſcipulis ſuis interrogat Dominum dicens: *Domine ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis?* Cui & in quo omnibus idem facientibus reſpondens Dominus dicit. *Amen dico vobis: quod vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Hæc levitis, & hæc apoſtolis mandata ſunt. Utriſque una regula & eadem lex præcipitur. Utriſque poſſeſſio tollitur, terrena facultas interdicitur. Qui ergo alii regula, & lege iſta tenentur niſi clerici, qui levitarum Domini, & diſcipulorum Chriſti locum tenent, miniſterium implent, vices ſervant, ordines habent? Ad hoc etiam mandatum tenendum & perpetuo implendum eccleſiis ſuis pretia peccatorum, vota & oblationes fidelium, primitias ac decimas rerum Deus dari inſtituit, quatenus hi, qui divino cultui mancipati propriis facultatibus exſpoliantur, ſibi ſtatuta perpetuo ſtipendia haberent, unde vivant, eccleſiæ ſerviant, & pauperum neceſſitatibus ſubminiſtrent, atque ſtudioſius quæque ſui ordinis miniſteria impleant, nulliuſque rei vel neceſſitatis occaſione ab his unquam ſe ſeparent, aut ſæcularibus negotiis intendant. Ex his igitur patenter oſtenditur Chriſto militantibus clericis fore illicitum & terrenas facultates tenere, & res eccleſiæ ſumere: In ſæculo patrimonium habere, & eccleſiarum portionem ſuſcipere. Cui ſententiæ confirmandæ aptatur illud apoſtoli: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*, ut ei placeat cui ſe probavit. Et illud Salomonis: *Væ peccatori ingredienti duabus viis.* Quapropter qui Chriſti diſcipulatum ſequi voluerit, ſæcularibus negotiis renuntiare debebit, & qui ſemel ſacer effectus de ſacro vivere cœperit, jam ad vivendum ſacris uti præcipitur. Sed ne ſoli hoc ſuper vita & regula catholicorum clericorum videamur ſentire, accedant & alii teſtes in idem conſentientes viri religioſiſſimi, & ſcientia pleniſſimi, Hieronymus videlicet, Auguſtinus & Proſper; & quid ſuper hoc dixerint vel intellexerint audiamus. Hieronymus ad Nepotianum de vita & moribus clericorum inter cætera ſcribit dicens: *Clericus qui Chriſti ſervit eccleſiæ, interpretetur primo vocabulum ſuum & nominis definitione prælata nitatur eſſe, quod dicitur: Si enim cleros Græce, Latine ſors appellatur, propterea vocantur clerici, quod ut ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ipſe ſors, ideſt pars eorum eſt. Et quia vel ipſe clericus pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut ipſe poſſideat Dominum, & ipſe poſſideatur a Domino. Qui poſſidet Dominum, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt. Quod ſi quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: verbi gratia ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi vaſtam ſuppellectilem, cum iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini ſum & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras Tribus, ſed quaſi levita & ſacerdos vivo de decimis, & altari ſerviens altaris oblatione ſuſtentor; habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar.* Et poſt pauca in eadem epiſtola ſcri-

ANNO CHRISTI 1099. AG. 3. 6.

Matth. 19. 27.

Num. 18. 20.

Matth. 9. 21.

Matth. 10.

Tim. 2. 4.

Eccl. 2. 14.

ANNO CHRISTI 1099.

scribit eidem dicens: *procuratores atque dispensatores dominorum alienarum, atque villarum quomodo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates?* Hucusque Hieronymus. Augustinus autem in nono decimo capitulo de verbis Domini sic scribit dicens. *Venerunt & publicani ad Johannem, ut baptizarentur ab eo & dixerunt ad eum*: Magister quid faciemus? At ille dixit eis: Nihil amplius exigatis quam quod constitutum est vobis. *Et post pauca*: Interrogarunt eum & milites: Quid faciemus & nos? Ait illis Johannes: neminem concutiatis, aut calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris. *Hic jam cognoscere se debet omnis homo, qui militat. Non enim tantum de his militantibus scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles adscribitur. Atque ideo hæc sententia potest dici verbi gratia militibus & protectoribus, cunctisque rectoribus, & quicumque stipendia sibi publice data consequitur, si amplius quærit tanquam calumniator, & concussor, Joannis sententia condemnatur.* Et paulo post addidit dicens: *Nam & clericus catholicus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario Domino jubente consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit viduarum, munera libenter amplectitur, hic magis negotiator videtur quam clericus &c.* quæ ut facta eius loquerentur magis, quam lingua, in domo ipsa episcopali statuit monasterium clericorum, ubi nemini licebat habere aliquid proprium, sicut ipse testatur dicens. *Volui habere in domo ista episcopali monasterium clericorum. Ecce quomodo vivimus! Nulli licet in societate nostra aliquid proprium habere. Sed forte aliqui habent? Nulli licet. Si quid faciunt, faciunt quod non licet.* Hæc Augustinus. Sed nunc quid inde beatus tenterit Prosper, audiamus. *Proinde quem possidendi* (inquit) *delectat ambitio; Deum, qui possidet omnia, quæ creavit, expedita mente possideat, & in eo habebit quæcumque sancte habere desiderat: sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo, sit ipse primum Dei possessio, & efficietur ei Deus possessor & portio.* Et paulo post subjungit dicens: *Quid ultra quærit, cui omnia suus conditor sit, aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit?* Et post pauca in eodem capitulo: *Quis* (inquit) *cui Deus dignatur esse possessio, aliquid aliud quærit? Aut quis non præ amore illius omnia, quæ putantur magna contemnit? Ergo qui Deum vult possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. Nec renuntiat mundo is, quem terrenæ possessionis delectat ambitio, quia quandiu sua non reliquit, mundo, cujus bona retinet secum, servit, & utique non potest mundo servire simul & Deo. Ac sic propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare, propter quæ diligitur mundus, ut exclusa cupiditate mundi, divina in eis charitas possit augeri, vel perfici. Et ideo decimas atque primitias frugum, primogenita & sacrificia pro peccato, vel vota, quæ Deus jussit offerri, sacerdotibus ac ministris distribui debere constituit, ut devotissimo populo ministrante, ipsi creatori ac pastori suo liberius ministrarent.* Hucusque Prosper. Nunc jam igitur ista de propriis facultatibus renuntiandis sufficiant. Quod autem, fratres charissimi, propriis etiam voluntatibus renuntiare debeatis, evidenter Dominus in evangelio ostendit dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & sequatur me. Et qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Et qui perdiderit eam propter me, inveniet eam.* Et in alio loco: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Et alibi sacra perdocemur scriptura: *Fili, averte a voluptatibus tuis.* Nam sicut alibi dicitur: voluptas habet pœnam, necessitas parit coronam. Et in alio loco præcipitur: *Post concupiscentias tuas non eas.* Quas qui sequuntur, quid de eis per prophetam dicitur, audiant. *Corrupti & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis.* Unde idem propheta voce prælatorum susceptа scribit dicens: *subjecit populos nobis & gentes sub pedibus nostris.* His ergo exemplis, fratres, commoniti aliis pro Deo subesse non recusemus, sed prorsus nostris voluntatibus abrenuntiatis, Christi voluntatem alieno, sed spiritali ac discreto arbitrio exequamur. Quod autem in unaquaque congregatione canonica unus eligendus sit, qui cæteris præesse debeat, & ultus ecclesiasticus divinitus inspiratus exigit, & in veteri testamento evidenter ostenditur, cum Moysen, & post Moysen Josue omnibus filiis Israel, & Aaron cæteris Levitis, Petrum quoque cæteris discipulis Dominus præposuerit.

Matth. 16. 24. Joan. 6. 38. Eccl. 18. 30.

Luca 3. 12. 13.

Ps 58. 2. Ps 46. 4.

Qualis esse debeat qui præfertur, trina Domini interrogatio, & trina Petri manifeste monitrat responsio. Cum enim pascendarum ovium cura illi committitur, ter Dominus interrogat Petrum si diligat, & ter Petrus respondet, quia amat, & ter Dominus jubet, ut pascat. Trinam igitur Domini interrogationem trina Petri de dilectione responsio, & trinam ejus responsionem, trina pascendi gregis injunctio sequitur: sed nunc quomodo trina dilectio in eligendis haberi debeat, videamus. Trinam itaque dilectionem ille habet qui Deum, & quæ Dei sunt, mente credit, & amat, voce confitetur & prædicat, opere imitatur & servat. Trina autem tunc fit interrogatio, cum, sicut debemus, exquirimus, prævidemus & discutimus, utrum eligendus hanc trinam dilectionem habeat. Quod si cordis fidem & dilectionem competens termo & actus foris ostendat, trinæ interrogationi jam satis fecit trina responsio. Cui, etiam bene ter pascendi gregis cura injungitur, quia quisquis oves pascendas susсipit, cordis vigilantia prospicere, vocis officio monere ac defendere, & actuum exemplis semper eas ad Christum debet pertrahere. Illi ergo pascendi gregis cura injungitur qui in mente plenam habet fidem, & dilectionem interius, & in voce perfecte monendi, libere arguendi, prudenter exhortandi scientiam & possibilitatem exterius, & qui opere quæcumque loquitur, servat & sequitur. Nec quisquam pro qualibet culpa, si jam satisfecerit, in hoc officio recusandus est, cum & Petro post trinæ negationis lacrymabilem satisfactionem, quia in eum trina dilectio patuit, gregis a Domino injuncta sit passio. Hæc igitur trinæ dilectionis forma, fratres charissimi in primo pastore, non ab alio, quam a Christo præsignata in eligendis est prævidenda, non solum a prioribus, sed & omnibus personis in ecclesia præferendis.

Huic scripto in sede apostolica firmato & approbato subscripserunt primo Paschalis papa, deinde cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ, quorum nomina sunt adnotata. Cretcentius Sabinensis episcopus, Petrus Portuensis episcopus, Cono Prænestinus episcopus, Vitalis Albanus episcopus, Bonifacius cardinalis S. Marci, Deusdedit cardinalis S. Laurentii, Desiderius cardinalis S. Praxedis, Guido cardinalis Sanctæ Balbinæ, Petrus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani, Petrus cardinalis Sancti Adriani, Rotlemannus diaconus sancti Georgii, Comes diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in

Aquiro, Gregorius cardinalis diaconus S. Angeli, *qui postmodum effectus est papa, dictus Innocentius*, Iohannes cardinalis diaconus sanctæ Luciæ. ANNO CHRISTI 1099

Paschalis episcopus servus servorum Dei R. Moguntino archiepiscopo salutem, & apostolicam benedictionem.

Ex Cod. Udalrici vulgo ab Eccard. in Corp. Hist. to. II. num. 230.

QUantum a suæ constitutionis exordio Bambergensis ecclesia sedi apostolicæ familiaris extiterit, prudentiæ tuæ notius existimamus. Congruum igitur duximus, ut venientem ad nos fratrem nostrum venerabilem O. ejusdem ecclesiæ electum, cum præteritæ familiaritatis gratia susciperemus. Præterea quoniam ecclesia eadem per diuturna jam tempora episcopalis officii sollicitudinis caruit, & propter præteriti schismatis ultionem in Teutonicis partibus perparci episcopali funguntur officio juxta ipsius ecclesiæ postulationem eidem fratri, cum per multa ad nos venissent pericula, consentientibus, & unanimi sententia decernentibus omnibus qui nobiscum aderant, fratribus, episcopalis benedictionis manum, Domino largiente, contulimus, salva nimirum debita tuæ metropolis reverentia. Eum igitur ad vos cum nostræ gratiæ dulcedine remittentes, fraternitati vestræ literis præsentibus commendamus, ut quanto sedi apostolicæ familiarior creditur, tanto apud vos carior habeatur. Dat. Laterani XII. Kal. Junii.

ALTERA EJUSDEM AD EPISC. HALBERSTADENSEM.

Paschalis episcopus servus servorum Dei R. Halberstatensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

Ibid. an. 31. AD hoc in ecclesia Dei constituti sumus, ut ecclesiæ ordinem & patrum debeamus præcepta servare. Tu ergo ordinem ecclesiæ adeo excessisti, ut ecclesiæ regimen per investituram manus laicæ contra patrum decreta susceperis. Quæ causa est cur nos petitioni tuæ satisfacere nequiverimus. Unum nos charitatem tuam monemus, ut tam grave delictum emendare festines. Statutum est vero in Trecensi concilio, ut si quis ex manu laica ecclesiæ investituram acceperit; tam ipse quam ordinator ejus deponatur, & a communione ecclesiæ removeatur. Nos siquidem te, ut fratrem ac familiarem habere volumus & desideramus. Vale.

IDEM AD EPISC. MOGUNTINUM.

Paschalis episcopus servus servorum Dei venerabili R. Moguntino episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

Ibid. an. 241. PRo ecclesiæ ac regni pace, pro ecclesiarum ordinibus, pro partium nostrarum causis, & quem generalem oporteat habere tractatum, fraternitatis vestræ novit solertia providere. Ea propter dignum duximus & magna consultatione deliberavimus, ut in proximis octobribus idibus synodalem vobiscum debeamus celebrare conventum, idcirco tam te, carissime frater, quam omnes Moguntinæ ecclesiæ suffraganeos literis præsentibus præmonemus, ut convocatis diœcesium vestrarum, qui digniores videntur, abbatibus, convocatis & clericorum personis, quibus concilii tractatus necessarius est, prænominato in tempore citra alpes nobiscum convenire omni occasione vel sepositа procuretis quatinus vergente Domino, ablatis de medio schismatum causis ecclesiæ ac regno pacis reformetur integritas. Dat. II Kal. April. ANNO CHRISTI 1099.

EPISTOLA ARGENTINENSIS ECCLESIÆ AD PASCHALEM PAPAM.

Paschali universali Romanorum pontifici Argentinensis ecclesiæ fratres fidem & obedientiam.

Ibid. an. 242. OMnium cum sit, venerande pater, tua sollicitudo ecclesiarum, tu refugium miserorum, imo patrocinium orbi advenisti desiderabile: unde adhuc humano generi consulere Deus non despicit per hæc nova; quoniam lux in tenebris effulsit. Tu ergo benedictus es, ad cujus introitum nobis benedixit, & benedicat Deus. Respice igitur gentem miseriis & pressuris insignem: Veni & vide filiam Sion lugentem & captivam, nec respirare nec consolari nisi in te solo, expectantem. Egredere, dilecte, in agrum tempus putationis jam venit, Apostolica igitur falce succidendum est, quicquid vitiosum est, ne simul trahatur sincerum. Veniens itaque, visita vineam nostram a vulpeculis demolitam, & a singulari ferro depastam. Nam ut ad rem ipsam perveniatur, annos jam circiter xxx. sicut oves balantes semper erravimus, fluenta verbi scientes raro portavimus, & jam quid vox pastoris non novimus. Quo ergo restat eumdem nisi post vestigia gregem sodalium? quod si tales vigilias, pastor, districte non judicas, & insidias Christi ovibus in ecclesia lupo medianti locus si conceditur, ipsi locus non erit. De cetero autem quid agendum sit nobis de nostro, ut dicitur, episcopo, nomen quidem dignitatis tot annos habente sed officium minime, cujus vitam & introitum excelsum montium, humilia convallium jam respondent, sanctitatis tuæ consilium ac præceptum audire cupimus. Tu ergo pacis catholicæ fundamentum inviolabilis petræ signum, fac, ut temeritas Romanorum consilium cedat auctoritati.

RESCRIPTUM PASCHALIS PAPÆ AD ARGENTINENSEM ECCLESIAM.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei Clero Argentinensi & populo salutem & apostolicam benedictionem.

Ibid. an. 243. PErspectis literis vestris de vestra oppressione & ecclesiæ vestræ destructione paternaliter condoluimus, sed quia pro justitia patimini, pro qua beati eritis, congaudemus. Ut igitur ad illam beatitudinem pervenire possitis, in bono proposito constanter perseverate, atque illi intruso, & ecclesiæ Dei viriliter resistite, quia per Dei gratiam neque electioni neque consecrationi ejus assensum dedimus aut dabimus. Vobis autem in omnibus, quæ pro justitia agitis, nostrum consilium & auxilium nunquam deerit, præstante Domino, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA EJUSDEM AD ARETINOS.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei Clero & civibus Aretinis salutem, & apostolicam benedictionem.

Ibid. an. 244. OFficii nostri auctoritate compellimur, & ecclesiarum omnium sollicitudinem gerere debea-

beamus; itaque pro venerabili fratre noſtro epiſcopo veſtro præſentes literas ad vos decrevimus deſtinare. Audivimus, quoniam nec debita eum veneratione tractetis, nec debitam illi obedientiam perſolvatis. Quod profecto divinæ conſtitutioni penitus contradicit. Dominus ſiquidem Jeſus Chriſtus cum pretioſi ſui Sanguinis effuſione ſanctam redemiſſet eccleſiam, paſtores in ea conſtituit, qui vice ſua populo ſuo ſalutaria miniſtrarent, unde qui eis injurias irrogant, eorumque mandata contempſerint, ipſi Domino irrogare, eumque contemnere cognoſcuntur, ſicut ab eo dicitur: qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Itaque univerſitati veſtræ præcipimus, ut uſque ad proximam Domini nativitatem ad prædicti confratris noſtri epiſcopi veſtri obedientiam redeatis, eumque ſicut patrem ac magiſtrum & Dei vicarium affectione debita diligatis, & debita reverentia veneremini. Alioquin nos ex tempore quod divina diſpoſitione miniſterii noſtri eſt, vobis aſſerimus, & ipſam ſpiritualem alimoniæ paſſionem, divina videlicet officia, donec reſipueretis, interdicimus. Dignum eſt, ut qui Deum in miniſterio ſuo contemnitis, Dei quoque beneficio & vicarii ſui miniſterio careatis.

ANNO CHRISTI 1099

EPISTOLA PASCHALIS AD H. IMP. A SE ORDINATUM.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Henrico Romano Imp. Auguſto ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. n. 166. EX quo a nobis præſentia veſtra diſceſſit, de incolumitate ſtatus veſtri aliquid ad audientiam noſtram non pervenit. Verumtamen quia noſtræ voluntatis eſt proſperitatem veſtram libenter addiſcere, & noſtram vobis id invicem intimare, de nobis excellentiæ veſtræ literarum præſentium relatione ſignificamus. Siquidem nos per Dei gratiam boni ſumus licet quidam juſſioni veſtræ in his, quæ b. Petro reſtitui præcepiſtis, adhuc noluerint obedire, incolæ videlicet civitatis Caſtellanæ, Caſtri Corcoli, Montis alti, Montis acuti, & Narnienſes. Nos tamen ea & comitatus Peruginum, Eugubrinum, Tudertinum, Balneum Regis, Caſtellum Felicitatis, ducatum Spoletanum, Marchiam Ferraniam, & alias beati Petri poſſeſſiones per mandati veſtri præceptionem confidimus obtinere. A quibuſdam vero de veſtris filius fidelis noſtri Ruſticelli comitis ſicut audivimus retinetur. Rogamus ergo dilectionem veſtram, ut nobis eum reddi faciatis, quia & beati Petri fidelis eſt & in poſſeſſione moratur. Ad hanc ſerenitatem veſtram plurimum commonemus ut ſemper diligatis juſtitiam, eamque totis viribus & toto conamine ampleſtimini, quatenus, qui verus rex, imperator & judex eſt in regni & imperii ſui perpetuitate, coronam vobis & gloriam largiatur. Dat. Lat. V. Non. Maii.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Henrico Romano imp. Auguſto ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. n. 167. DE magnificentia veſtra bona ſemper audire optamus, tanquam de filio eccleſiæ: quem eccleſiæ principem ac defenſorem providentia divina conſtituit. Monemus itaque dilectionem veſtram; & monentes rogamus, ut divinæ diſpoſitionis dona, quæ accepiſtis conſideretis, & tam in Domini timore, quam in eccleſiæ veneratione & juſtitiæ defenſione ſicut debetis, & ſicut poteſtis, eodem Domino præſtante proficiatis. Hoc ſiquidem nos omnipotentem Dominum deprecamur, ut de profectu veſtro, non tantum nos, ſed etiam tota eccleſia catholica glorietur. Legatum noſtrum poſt vos direximus, qui uſque Ravennam veniens tranſire ulterius timuit, propter perturbationes itinerum, quæ poſt tranſitum exercitus fiunt. Cum autem omnipotens Deus in tempus congruum nos perduxerit de legati miſſione, prout opportunum fuerit, per ipſius gratiam diſponemus.

ANNO CHRISTI 1099

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo filio ſuo Henrico Romano imp. Auguſto ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. n. 168. POſt parvi temporis ſpatium, quiddam de vobis ſiniſtrum audivimus, quod nos valde conturbat. Pervenit enim ad nos, quod ad perturbationem quietis eccleſiaſticæ H. apud Ariciam dimittere diſponeris, ut ablatas poſſeſſiones eccleſiæ retineat; & reliqua inquietare non deſinat. Nos autem putabamus eos, qui in fidelitate noſtra permanent, nobiſcum permanere in littore, ſed ſicut vera relatio patefecit, frater noſter Aretinus adhuc inter procellas quatitur, & longe portum videt. Dilectionem itaque veſtram literis præſentibus rogamus & commonemus ſicut de vobis confidimus, & prædicto fratri noſtro gratiam veſtram reddatis, & poſſeſſiones eccleſiæ reſtituatis, fidelibus quoque ſuis injungite, ut ab ejus ſervitio ulterius ſe non ſubtrahant. Non enim poſſunt ſine detrimento capitis membra perſequi & abſcindi, & filiorum contumelia ad patris ſpectat injuriam. Diligite igitur quos diligimus, ut, quos odiſtis, odio habeamus, & quos diligitis, diligamus. De cetero omnipotens Deus vos ſua pietate cuſtodiat atque conſervet.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei in Chriſto filio Henrico Romano imp. Aug. ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. n. 169. ARiminenſem epiſcopatum ad jus beati Petri ſpecialius pertinere manifeſtum eſt; verum peccatis exigentibus omnibus fere bonis ſuis denudatus & in minimas reliquias eſt redactus. Rogamus igitur dilectionem veſtram, ut ei per amorem b. Petri, benignitas veſtra bona ſua reſtitui jubeat, & reſtituta, quietem Domino faciat præſtante obtinere.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei in Chriſto filio Henrico imp. Aug. ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. n. 170 PRo clericis Paduanis & H. judice dilectioni tuæ gratias agimus, quia eis tuam gratiam reddidiſti, & bona ſua, quæ amiſerant, reſtitui præcepiſti; rogamus autem adhuc pro laicis, ut eos in gratiam tuam recipias & bona ſua eis reſtitui facias, quatenus protectionis tuæ munimine de cetero præſtante Deo quiete valeant permanere.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei in Chriſto filio Henrico imp. Aug. ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. n. 171 IN litteris, quas a tua dilectione ſuſcepimus, diu te graviter infirmatum fuiſſe cognovimus ſed ſicut nos infirmitatis rumor affecerat; ita rur-

ANNO CHRISTI 1099.

ſus ſoſpitatis exhilaravit auditio. De proſperitate quam nobis ſignificaſti, Deo gratias agimus, qui providentia ineſtimabili omnia diſponit. Quod autem de epiſcopis conquereris, cor noſtrum vehementer anguſtat. Ex quo enim vobiſcum illam, quam noſtis, paſſionem fecimus, non ſolum longius poſiti, ſed ipſi etiam, qui circa nos ſunt, cervicem adverſus nos erexerunt, & inteſtinis bellis viſcera noſtra collacerant, & multo faciem noſtram rubore perfundunt. De quibus, quia judicium conſequi non poſſumus, de judicio relinquimus, ne Dei eccleſiam gravius perturbemus. Ceterum cum tanta ac talia patiamur, miramur, quod N. veſter totis eccleſiis oppreſſiones inferat; quas hoſtiliter occupat atque depopulatur, & mutuæ pactionis immemor, quæ noſtri juris ſunt, ſuæ vendicat uſurpationi. Miramur etiam, quod dati a nobis obſides dure, ut audivimus, turpiter tyranniceque tractentur. Quæ profecto non parum ad ſublimitatis veſtræ injuriam ſpectant. In omnibus tamen his te præcipuum eccleſiæ filium commonemus, ut Dei judicia ſemper verearis, illius temporis memor, quod in tuis literis ſignificaſti dicens: In ipſo tempore graviſſimæ noſtræ ægritudinis cum vita noſtra eſſet in dubio, cum reſolutionis noſtræ tantum haberetur expectatio, & ſic ei placere ſtudeas, quatenus ejus gratiam & regnum tibi temporale diſponat, & ad regna te æterna perducat. Dat. Laterani VII. Kal. novembris.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Henrico imp. Auguſto ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

lb. c. 272. CUm amicorum magna ſit, major quidem inter homines eſt paterna dilectio. Verum quicquid circa te alii loquantur, quicquid blandiantur noſtrum eſt veritatem tibi liquidius oſtendere, ac honori & ſaluti tuæ veraciter providere. A. ſiquidem cancellarium tuum ac te captum eſſe audivimus; de quo quantum novimus, quantum experti ſumus, teſtimonium ferimus, quia te ſuper omnia diligebat. Qua de re multi profecto tam amici quam inimici loquuntur adverſus te. Te igitur, tanquam pater filium, commonemus, ut cum ſalutem regni talę ſuper hoc conſilium nanciſcaris, quatenus nec perſona tua & regnum ullam incurrat infamiam & ille liberationis gratiam conſequatur. Datum Beneventi VIII. Kal. Febr.

EPISTOLA HENRICI IV. IMP. AD PASCHALEM P.

Domino P. ſum. pont. Henricus Dei gratia Romanus imp. aug. obedientiam & dilectionem in Chriſto, velut filius patri.

lb. n. 293. COmpertum habemus, pater venerande, te propter nos gravi controverſia & plurimis affectum eſſe moleſtiis. Quapropter ob reverentiam tui, Deo teſte, gravius tuis, quam propriis angimur incommodis. Idcirco abbatem Cluniacenſem ad hoc negotium adſcivimus, ſcilicet virum religioſum & in fide Chriſti ſpectabilem: hunc quoque ſuper hac cauſa tuæ paternitati dixerimus, parati ſecundum conſilium tuum, & ipſius & ceterorum religioſorum, pacem eccleſiæ diligentium, te ab his moleſtiis eripere, & pacem & concordiam inter me & te indiſſolubiliter ſtabilire.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei T. presbytero cardinali apoſt. ſed. legato ſanctam & apoſtolicam benedictionem. ANNO CHRISTI 1099.

lb. n. 274. EX antiqua relatione comperimus Saxones a principio converſionis ſuæ ad Deum fideles atque obedientes beato pontifici & apoſtolicæ ſedi extitiſſe. Quia igitur ad partes illas, ut audivimus, acceſſit, & meis ſuper eccleſiis aliiſque quibuſdam negotiis ſcandala emerſerint, ſi quid aut etiam alibi juſte atque canonice operari potueris auctoritatis noſtræ favore, & cooperante Domino, opereris. Si quod & conſolationis auxilium noſtro Halberſtadienſi epiſcopo conferre potueris, conferat, ut apoſtolicæ ſedis viſitatione gaudeat. Data Feretini VI. id. octobris.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Meſeburgenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

lb. n. 275. LAtor præſentium Gregorius confrater noſter cum duobus eccleſiæ veſtræ clericis & totidem laicis ad noſtram præſentium veniens, ſe a vobis communi electum aſſenſu aſſeruit, præſentibus & collaudantibus metropolitano Magdeburgenſi & ſuffraganeis ejus. Ceterum prius hæc nullo præeunte judicio quaſi ex præcepto noſtro ſe per archiepiſcopum eumdem conqueſtus eſt ab eccleſia & electione ſua violenter expulſum. Unde nos ad archiepiſcopum ipſum & comprovinciales epiſcopos literas miſimus, ut quæ ſuper hoc injuſte acta ſint, corrigantur. Neque vero noſtræ voluntatis eſt, ut cauſa ejuſdem fratris aliquod præjudicium patiatur. Dat. Romæ VI. Kal. novemb.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus A. Magdeburgenſi, & ſuffraganeis ejus ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

lb. n. 276. VEniens ad apoſtolorum limina confrater noſter Merſeburgenſis electus ſuam apud nos querelam expoſuit, quod videlicet a clero & populo Merſeburgenſis eccleſiæ electus ſit præſentibus & collaudantibus vobis & in ea ſacerdotis officium veſtra ordinatione ſuſceperit. Poſt hæc nullo præeunte judicio non ſolum epiſcopalis ei ſit gratia benedictionis denegata, ſed ab eadem & eccleſia, quaſi ex præcepto noſ violenter ſit expulſus. Nos igitur eum ad fraternitatis veſtræ præſentiam cum literis præſentibus præmittentes, præcipimus, ut idem frater plenius electioni huic & eccleſiæ reſtituatur, & ſecundum canonicas ſanctiones cauſa ejus præſentiæ veſtræ judicio decidatur. Quod ſi judicii difficultas apud vos emerſerit cum communibus fraternitatis veſtræ literæ & nunciis ad examen ſedis apoſtol. cauſa eadem remittatur. Datum Romæ VI. Kal. februar.

B. (Paſchalis) epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri & coepiſcopo R. (Rangerio) & canonico Lucanæ eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex Cod. Mſ. Biblioth. Canonic. Majoris Eccleſiæ Luc. SAnctæ in Chriſto memoriæ Leonem appoſtolicæ ſedis epiſcopum decreviſſe audivimus, ut ſi quis de veſtræ eccleſiæ canonicis non communiter viventibus eccleſia exceſſiſſet, omnia ejus eccleſiaſtica bona in uſum fratrum communiter viventium conferrentur, quod in aliis etiam eccleſiis

cleſis ab aliis Romanis Pontificibus ſtatutum agnoſcimus. Unde miramur, quod confratre veſtro Ildebrando in Roſellanam eccleſiam translato, præbendæ ejus & totum eccleſiæ beneficium, quod tenuerat, in privatos uſus ceſſerit, & apoſtolicæ ſedis auctoritate contempta, canonice degentium fratrum communio tanto augmento fraudata ſit. Tibi præſertim, cariſſime frater R. dictum hoc imponitur, quod apoſtolicæ ſedis decreta inrefragabiliter cuſtodire & ſubditos clericos ad hujus vitæ bonum etiam invitos debueras invitare; præcipimus ergo ut omne illud Ildeprandi nunc Roſellani epiſcopi beneficium in communia redigatur. Qui vero obedire contempſerint apoſtolicæ ſedis judicio puniantur. Datum Laterani II. idus octobris.

ANNO CHRISTI 1099.

ANNO CHRISTI 1099.

PASCHALIS II. PAPÆ EPISTOLA.

JO. DOM. MANSI ADMONITIO.

Mon. T. VI. Suppl. pag. 154. *IN codice canonum a Bonizone epiſc. Sutrino collectorum, in Vindobonenſi bibliotheca ſervato occurrit mihi hæc Paſchalis II. epiſtola, quam ineditam ratus, digniſſimamque luce publica judicatu, hic dare conſtitui.*

PASCHALIS PAPA II.

Servus ſervorum Dei, militibus de S. Geminiano aliiſque oppidis juxta poſitis, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Vid. epiſt. 88. Paſchal. apud Labbeum. UNam eſſe fidem, una Dei catholica confitetur eccleſia. Unde Apoſtolus: *Unus*, inquit, *Dominus, una fides.* Qui ergo fidem, quam patri ſuo debet, ac domino abjurare compellitur, is, cum poſſit ad correctionem non revertitur, non jam fidelis, ſed perfidus comprobatur. Ea propter literis præſentibus vos monemus, & monentes præcipimus, ut ad patris veſtri & domini VV. fratris noſtri Rogerii Vulterrani epiſcopi fidelitatem humilitate debita redeatis, & ad honorem Dei, & ſalutem veſtram in eccleſiæ obedientia, & ſervitio, ſicut ratio exigit, perſiſtatis. Sane ſi quis veſtrum pro defenſione juſtitiæ ſacrilegorum aliquem raptoremve proſtravit, teneri homicidio non videtur. Pro tuenda enim juſtitia licenter arma geritis, & vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt. Veruntamen ſi quid levitate commiſſum eſt, prædicti fratris noſtri & coepiſcopi arbitrio corrigatur. Obedientes vero in Dei eccleſiæque ſervitio fideliter perſiſtentes, omnipotens Deus BB. Apoſtolorum precibus ab omnibus peccatis abſolvat, & ad vitam perducat eternam.

CONVENTUS EPISCOPORUM

Apud Giſſonam pro dedicatione Eccleſiæ Giſſonenſis.

Ex Cod. de Aguirre Tom. 3. Conc. Hiſpan. p. 310. ANno 1099. 17. *Kal. Octobris dedicata eſt eccleſia B. Mariæ Virginis apud Giſſonam ab Ottbone epiſcopo Urgellenſi, ad cujus diœceſim pertinet locus iſte, Fulcone Barcinonenſi, & Pontio Rotenſi. Interfuerunt ei cæremoniæ Comites Ermengaudus Urgellenſis, & Artallus Palliarenſis, & maxima pars Canonicorum Urgellenſium, tum etiam Primates regionis. Decreverunt autem epiſcopi ſub anathemate*, ut inter ſpatium cœmiterii nullus audeat inquietare vel ſacraria (*id eſt cœmeterium*) infringere, vel aliquam violentiam facere. *Magnates vero plura dona eidem eccleſiæ, ut tum ſolebant, fecerunt in eodem die dedicationis, dotem videlicet ejus conſtituentes. Eidem chartæ poſtea ſubſcripſerunt Allegarius archiepiſcopus Tarraconenſis, Petrus, Bernardus, & Bernardus Rogerii epiſcopi Urgellenſes. Acta ejuſdem conſecrationis ex archivo eccleſiæ Urgellenſis extracta hic ſubjicimus.*

Ex Append. ad Marcam Hiſpan. pag. 1109. ANno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MXCIX. Indictione VI. epacta XXVI. concurrente IV. Ciclo ſolari V. decennovenali XVII. Kalend. Octobris dedicata eſt Eccleſia in honore beatæ Mariæ virginis apud Giſſonam a glorioſo Pontifice Otto Urgellenſi, qui ſecum habuit duos Epiſcopos, Fulconem Barchinonenſem, Pontium Rotenſem. Hi venerandi præſules ſanctæque trinitatis cultores ſub ejuſdem Deificæ trinitatis figura & nomine, ut præfixum eſt, præſcriptam Eccleſiam in honore beatæ ſemperque virginis Dei & hominis matris ſacrarunt, adſtante utriuſque ſexus populorum non minima multitudine, cum nobiliſſimis Principibus Ermengaudo Urgellenſi & Artallo Pallarenſi, & cum maxima parte ex collegio Canonicorum ſedis. De nobilioribus citra regionis Urgelli & montibus omnes pene adfuerunt, & quidam illorum de ſuis poſſeſſionibus Eccleſiæ cultoribus profuturis perpetim obtulerunt, ſcilicet Raymundus Bernardi Fluviani, Guillermus Bernardi de Tapioles, Bernardus Eralli, Poncia de Grada & ſuos filios, Arnaldus Guilaberti de Salent, Mironus Jampeti de ſancti Martini, Radulphus Guislamar de Alantorn, Guilla de Sanahugia cum filiis ſuis, Bernardus Ecardi cum matre ſua, Mironus Arnalli de Concabella, aliorumque multorum tam nobilium & cæterorum quorum nomina recenſere nobis longiſſimum eſt. Prædicti ergo Pontifices cum aſſenſu & laudamento ſuprafcriptorum virorum præfatam Eccleſiam in alodio & caſtro ſanctæ

ANNO CHRISTI 1099.

ſtæ Mariæ ſedis Urgelli dedicaverunt, & cimiterium ſexaginta paſſuum ei conſtituerunt. Terminos quoque parochiæ prænotatæ Eccleſiæ iſtos conſtituerunt & voluerunt eſſe. Ab oriente primus in terminos de Taltavel, ſive de Bechfret, & de ſancto Guillelmo. Secundus autem ab auſtrali parte in terminos de Lloi, ſive de Tarroga, ſive in Sadao. Ab occidente inter terminos de Concabella, ſive in Eſpallarges. A ſeptentrionali autem parte in terminos Florejachs, ſive in terminos Sanauge. Igitur nos ſupradicti Pontifices conſtituimus atque confirmamus Eccleſiæ prænotatæ omnes ſuas decimas & primitias & univerſas oblationes & defunctiones & cimiterios qui exient vel exire debent infra prædictos terminos, ſcilicet de Giſſona, de Vilamur, de Fluvia, de Beluedder, de Turrefracta, de Foradinico, de Tapioles, de Rubiol, de Guarda ſi veniunt, de Vallalada, de chaſtel Radulf, de Majabechs, de Coſchonoſa, de Claret, de Morana, de Nidal, de ſancto Martino, de Grada, de Ratera, de Vilagraſa, hæc & omnia quæ inantea Deo largiente adquirere potuerit, ita ut omnia .... ex his aliquid poſſit auferre neque in proprium jus valeat revocare. Et divina fulti auctoritate præcipimus & ſub vinculo excommunicationis & anathematis obligamus ut intra ſpatium prædicti cimiterii nullus audeat inquietare vel ſacraria infringere vel aliquam violentiam facere. Sed & cuncta quæ habet, vel ea quæ ſubtus in hac dote a fidelibus Dei data ſunt ei, in pace poſſideat, vel Eccleſias quas hodie damus ei & confirmamus, quæ ſunt extra terminos de Giſſona, ipſam videlicet de Todela & de ſancto Guillermo & de Prenyenoſa, & ipſas quæ ſunt aut erunt infra quadram de Giſſona & uſque ad caſtellum Aſinis, ſcilicet Eccleſiam de Torroga & de Sadao cum ſuis ſuffraganeis, Eccleſiam de Concabella, & de Guannalor, & de Pellagalls, & de Spaiarges, & de Montroi, & de Belueder, & de Cunil, & de Rivo d'Ovelles, & de Figeroſa, & de Lucano, & de Altet, & de Clareſvalls, & de Agilela, & de Spigol & de Barbene, & de Yvars, & ipſas quæ deinceps ulterius dante Domino, ut dictum eſt, infra prædictum ſpatium factæ fuerint. Et inſuper donamus nos ipſam decaniam de Balagario uſque ad caſtrum de Puig alt; quod aſcendit de rivo Meritario, & vadit in latus uſque ad epiſcopatum Auſonenſem.

Donaria vero quæ timentes Deum ei dederunt in hac dote hæc ſunt. Raymundus Bernardi decimum de omni dominico ſuo quod habet in Fluvia, & una pecia de terra. Geraldus Guitardi & uxor ejus Poncia, & filii eorum, ſcilicet Berengarius Geralli & Raymundus Geralli & Bernardus Geralli & Guillelmus Geralli & Sancia, totum ſuum decimum de omni eorum dominico quod habent & inantea habuerint in Grada & in Ratera & in eorum terminis & in omnibus ſuis propriis hominibus quos habent & inantea ipſi aut poſteritas illorum habuerint in prædictis caſtris. Mir presbyter de ſancto Martino cum matre ſua alia pecia de terra. Mir Ramon de Fluvia alia pecia de terra. Ramon Ricer alia pecia de terra. Bernardus Bliger cum filio ſuo Petro ſuum decimum de Grada & de Vilamur & de Fluvia. Ramon Arnal & Mir Arnal ſuum decimum de Rubiol. Bernardus Guillelmi ſuum decimum de Rubiol. Arnal Sinfre ſuum decimum de Prenyenoſa. Guillelmus Aſalid ſuum decimum de Fluvia. Guillelmus Ramon & Pere Ramon ſuum decimum de Prenyenoſa. Ramon Aiamrig cum muliere ſua Caſaplena ſuum decimum de Fluvia. Pere Gilabert pecia una de terra, Bernad Guifre & Guillem Guiffre de Reb. cum muliere ſua Eicolina ſuum decimum de Turrefracta. Guitart Ollemar de Agramont hominem unum. Guilla de Cero cum filiis Raymundus & Poncius de Cero uno homine in Pareds altes, nomine Arnaldus Sendred, & mulier ejus Eg, cum omnia quæ habent vel habere debent in quadra de Arnal Trafuer qui jam fuit, ad integrum ſine ulla retinentia. Guillermus de Fluvia ſuum decimum. Berenguer Guillelmus de Beluedir cum patre ſuo ſuum decimum de Beluedir. Guillermus Bernardus cum matre ſua Ermeſende Torroga ſuum decimum de omni ſuo dominico de Beluedir. Ramon Berengarius .... ſuum decimum de omni ſuo dominico de ſancto Guillermo & de omni nutrimento de domo ſua. Oniſen de Malades pecia una de terra. Bernad de Ecart cum matre ſua homine uno & pecia una de terra. Gombal de Giſcafre pecia una de terra. Pere Guitart pecia una de terra, Guillermus Adalbert cum fratre ſuo pecia una de terra. Bertrandus Od. cum muliere ſua ſuum decimum de Grada. Guillermus Bernad de Tapioles pecia una de terra. Pere Oliba de Rubiol pecia una de terra. Mir Arnal de Concabella condamina una. Geraldellus Oldomar ſuum decimum de Fluvia. Arnal Guilabert de Salent & mulier ſua ſuum decimum de Grada ad lumen ſanctæ Mariæ. Ramon Goſpert & ſua mulier ſuum decimum de Talarn. Arnal Guitard .... ſuum decimum de Joratmico. Ugo Ademar pecia una de terra. Bernad Ramon de Talteul ſuum decimum de Prenyenoſa. Guillelmus Adalbertus de Guarda ſi veniunt cum muliere ſua & filio ſuo Petro pecia una de terra quæ eſt a Fluvia. Arnal Bernad de Montelus & mulier ejus Lobaca ſuum decimum de Montroy & de Ceſtero. Bernad Encg de Palaol pecia una de terra juxta terminum de Guarda ſi venlunt. Guillermus Goſpert de Rubiol ſuum decimum de omni ſuo dominico de Rubiol. Et Berengarius Bernad do Talteul cum ſua matre una perna in Rubiol quæ fuit Bernad Onofre. P. Gilabert ſuum decimum de Prenyenoſa.

Nos igitur ſupradicti Pontifices ex parte Dei omnipotentis & beatæ Mariæ ſemper virginis & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum principum, ex auctoritate etiam aliorum ſanctorum apoſtolorum omniumque ſimul ſanctorum, monemus & prohibemus omni populo Chriſtiano ne de his quæ hic inſerta ſunt voto fidelium Eccleſiæ Giſſonæ oblata aliquid auferre, diminuere, vel tollere non præſumat, vel quæ hactenus poſſidet, vel quæ juſte inantea dante Domino adquiſierit. Si quis, quod non credimus, maligno ſpiritu inflatus contra noſtram hanc conceſſionem voluerit contraire, hunc ex parte Dei omnipotentis & ſupradictorum ſanctorum vetamus & excommunicamus & anathematizamus uſque ad dignam ſatisfactionem deveniat. Obedientibus autem & noſtræ Eccleſiæ Giſſonæ benefacientibus ſit ſalus & pax & peccatorum remiſſio & ſupernæ hereditatis adquiſitio. Amen. Odo gratia Dei Epiſcopus Urgellenſis, qui hæc firmo. Poncius Rotenſis Epiſcopus, qui hæc firmo. S. Berengarii Bernardi Archidiaconi. S. Petri Mironis Archidiaconi. S. Berengarii Raymundi Archidiaconi. S. Mironis Raymundi Sacriſtæ. S. Petri Poncii. S. Baronis Baronis. S. Poncii Bernardi. S. Ermengaudi gratia Dei Comitis Urgellenſis. S. Artalli Pariſienſis. S. Raymundi

Ber-

ANNO CHRISTI 1099.

Bernardi. S. Guillelmi Bernardi de Tapioles. Arii Guillelmi de Belueder. S. Raymundi Aianrig. S. Bernardi Eralli. S. Geralli Guitardi. S. Ponciæ uxoris ejus. S. Berengarii Geralli, S. Raymundi Geralli. S. Sanciæ, filiorum Geralli Gitardi & Poncie. S. Arnalli Gitardi de Salemun. S. Radulfi Guislamar. S. Guillelmi de Sanaugia cum filiis ſuis. S. Bernardi Ecard. S. Mironis Arnalli de Concabella. S. Raymundi Berengarii de ſancto Guillermo. S. Arnalli Bernardi de Montclus. S. Lobaca. S. Raymundi Arnalli. S. Mironis Arnalli fratris ejus. S. Berengarii Caſaplena. S. Guillelmi Petri de Sadaone. S. Dalmatii Guitardi de Luca. S. Geralli Ollemar. S. Arnalli de Sanauja.

ANNO CHRISTI 1099.

Ollegarius Tarraconenſis Archiepiſcopus.
Petrus Dei gratia Urgellenſis Epiſcopus.
S. Bernardi Urgellenſis Epiſcopi.
Bernardus. S. Rogerii Epiſcopi. Petrus ſacerdos rogatus ſcripſi & ſubſcripſi die & anno quo ſupra.

CONCILIUM STAMPENSE,

A Daimberto Senonenſi archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno Domini MXCIX.

Hujus concilii memoriam una nobis apud Ivonem Carnotenſem epiſtola LXXIX. *conſervat: cujus exemplum ſubjicio.*

EPISTOLA SYNODICA B episcoporum Stampis congregatorum ad Philippum Tricaſſinum episcopum.

Ivo Dei gratia Carnotenſis epiſcopus, Guillelmus Pariſienſis, Joannes Aurelianenſis, Galterius Meldenſis, Humbaldus Autiſſiodorenſis, Philippo Trecaſſino epiſcopo, ſalutem.

COngregatis in Stampenſi concilio, multa ſuper fraternitate tua, licet ingratis auditoribus nobis relata ſunt: de quibus valde mirati ſumus, quoniam & auribus piorum ſunt onerosa; & ordini tuo, ſi vera ſunt, periculoſa. De quibus, quia eadem legati tui retulerunt, vel referre poterunt, interim ſilere decrevimus. Sed quia ad concilium vocatus non veniſti, nec legatum, nec legitimam excuſationem ſcripto vel dicto pro te miſiſti: potuiſſemus in te canonicam dediſſe ſententiam. Non enim metum mortis, aut cruciatus ſuſpicionem inferendi, ſed præſentem tantum ſecundum leges pro legitima excuſatione accipimus, ubi iter anticipare vel circumire nullæ anguſtiæ prohibuerint. Præterea quidem contemptus in literis tuis notari potuit: quod nec nomen metropolitani, ſicut in literis excuſatoriis fieri ſolet, interpoſuiſti; nec ad eum aliqua excuſatoria verba direxiſti. Nos autem miſericordiæ magis intenti, quam judicio, inducias tibi a domno metropolitano impetravimus uſque ad dominicam proximam ante natalem Domini, quando futura eſt conſecratio Nivernenſis epiſcopi. Monendo itaque mandamus, & mandando monemus, ut tunc præſentiam tuam remota omni excuſatione domno metropolitano exhibeas, ſatisfacturus de objectis. Quod ſi adeſſe neglexeris, amodo non erit culpa noſtra, ſi pro miſericordia judicium ſuſceperis. Nec enim tibi timendum erit de vicecomite, qui de ſe & de filio ſuo, & omnibus ſuis, omnem tibi ſecuritatem in præſentia totius concilii promiſit. Vale.

Nota Gabrielis Cossartii S. J.

In ſynopſi tribuitur hæc ſynodus Urbani II. pontificatui: ſed referenda videtur ad Paſchalis II. tempus, qui hoc anno pontifex ineunte Auguſto eſſe cœpit. Vix enim credam, jam inde a Julio menſe deſignatam eſſe dominicam ante Domini natalem Nivernenſi epiſcopo conſecrando. Quorſum enim tanta dilatio? *cum ultra tres menſes eccleſiam vacare pontifice, ſtatuta ſacrorum canonum non permittant.* Scio derogatum huic legi nonnumquam, ſi quando, vel minime probaretur electio, vel turbulenta tempora obſtarent. Sed nihil hic hujuſmodi: immo hic tranquilla & compoſita omnia, ut certus jam præfigeretur conſecrationis dies. dist. 50. c. 11.

Rejici eamdem ſynodum in annos conſequentes, prohibet memorata a Sammarthanis donatio terræ ſancti Gildardi, cui ſubſcripſit Hervæus epiſcopus Nivernenſis anno MC. Quo enim anno habitum eſt Stampenſe concilium, eodem exeunte conſecratus Nivernenſis antiſtes, quem fuiſſe ſaltem MXCIX. neceſſe eſt, cum is jam epiſcopus ſubſcribat anno MC. Quidni autem anno MXCVIII. ſynodus hæc habita? An quia Joannes Aurelianenſis, qui intererat, epiſcopus non fuit nisi anno MXCIX.? ſcio id haberi vulgo in epiſcoporum catalogis: at perperam. Nam anno MXCVIII. epiſcopum fuiſſe ſic conficitur. Electus eſt Joannes ſetto ſanctorum Innocentium, cum annum epiſcopatus octavum Ivo Carnotenſis aiteret: ut conſtat ex ejus epiſtola 67. ad Urbanum. Juſſi deinde adeſſe ad Kal. Mart. anni conſequentis, qui electionem ejus impugnare coram Hugone archiepiſcopo Lugdunenſi, ſedis apoſtolicæ legato, vellent. Cumque no.. prodiiſſent arcuſatores, pergare ſe pro ætatis more juſſus, conſecratus eſt. Res igitur confecta eſt, ſi aſſignaverimus octavum conſecrationis Ivonis annum. Eum aio inchoatum fuiſſe, Novembri exeunte anno MXCVII. Conſecratus ſiquidem Ivo Capuæ fuerat ab Urbano II. XXIII. Nove mbr. non anno MXCII. ut docet Baronius, ſed anno MXC. ut probat memoratum a Joanne Baptiſta Soucheto * inſtrumentum Vindocinenſe, cui ſubſcribit Ivo epiſc. anno MXCI. Ind. XIV. hebdomada paſſionis. Epiſcopus ergo Aurelianenſis erat Joannes jam ab anno MXCVIII. nec peti argumentum ex ejus conſecratione poteſt, cur hæc ſynodus in annum MXCIX. rejiciatur: nequo vero aliunde ullum, cur retro in antecedentem annum agatur. Qui certo nollet, quo ſit inunctus anno Hervæus Nivernenſis, hujus annum concilii teneret: tempeſtatem quidem anni tenemus, autumnum ſcilicet, vel hiemis initium: hoc eſt, non multo ante Chriſti natalem. * ad epiſt. VIII. Ivon.

ANNO CHRISTI

Τὸ σημείωμα τὸ γεγονὸς ἐπὶ τῇ προβάσῃ ἐνώσει τῆς συνόδου καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀπὸ Χαλκηδόνος Λέοντος καὶ εὐσεβεῖ ἀποφάσει περὶ τῆς προσκυνήσεως τῶν ἁγίων εἰκόνων παρὰ τοῦ κρατίστου καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως κυροῦ Αλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ, τοῦ καὶ ἐπ' εὐσεβείᾳ θεοῦ χάριτι διαλάμψαντος.

(1) *Decretum editum circa unionem Synodi cum Leone Chalcedonensi, & circa piam sententiam de adoratione sanctarum Imaginum, ab optimo & sancto Imperatore nostro Domino Alexio Comneno, qui per Dei gratiam pietate conspicuus fuit.*

Ex Mont. Iuc. Bibl. Coislinianae pag. 101.

REscriptum ad Nicolaum Adrianopolitanum missum a Leone qui dicitur Metropolita Chalcedonis, præter alios in quorum manus venit, delatum est etiam ad potentem & sanctum Imperatorem nostrum. Et postquam lectum fuisset, deprehensum est multa habere circa sanctarum Imaginum adorationem, sanctorum Patrum doctrinæ contraria. Qua de re oborta disputatione, serenitas ejus cum non pateretur eos qui id reperissent & legissent in offendiculum cadere, & a recta sententia averti, jussit congregari Senatum, sanctum Episcopalem ordinem, & Monachorum cœtum, adesseque auctorem rescripti, sicque sedari controversiam. Ad hunc modum congregatis ex senatu, Protosebasto & magno Domestico, sebasto & Protostratore Domno Michaele Duca, sebasto & magno duce Domno Joanne Duca, sebasto Domno Georgio Palæologo, sebasto Domno Joanne Taronita, sebasto & logotheta Domno Michaele, sebasto Domno Constantino Maniace, Marino sebasto Neapolitano, Constantino Umberto sebasto, Manuele Philocalo protonobilissimo, quia erat super caniculum seu atramentarium, Michaele nobilissimo Mystico & Eparcho, Andronico protonobilissimo & logotheta dromi sive cursus Scleri, Isaacio protonobilissimo Contostephano, Stephano protonobilissimo fratre ejus, Georgio protonobilissimo Palæologo, Barda nobilissimo Icanato, Michaele nobilissimo Damateno, Joanne Taronita protocuropalata & super supplicationibus, Michaele Bary protocuropalata, Constantino Catacalone protocuropalata, Nicolao Mermentolo protoproedro Senatus & magno Drungario Vigiliæ, Romano Curopalata Palæologi filio, Joanne Synadeno Curopalata, Constantino Curopalata & magno Hætæriarcha Antiochi, Euthymio Curopalata & judice, Michaele Curopalata Scleri, Constantino Curopalata Jasitæ, Constantino Curopalata Chœrosphaceli, Taticio protoproedro, & magno primicerio Vestiaritarum interiorum . . . . . filio Tarchaniotæ, Theodoro Smyrnæo protoproedro & consule Philosophorum, Georgio protoproedro Mangane, Georgio protoproedro Basilacæ, Constantino protoproedro Opi, Niceta protoproedro Castamonitæ, Joanne proedro & grammatico, Basilio proedro Mæri, Michaele Autoriano proedro & judice Hippodromi, Gregorio proedro Aristeni, Georgio proedro Pyrrhi, Michaele

A ΓΡαφὴ πρὸς τὸν Αδριανουπολίτην Νικόλαον πεμφθεῖσα παρὰ τοῦ χρηματίσαντος μητροπολίτου Χαλκηδόνος Λέοντος, πρὸς τοῖς ἄλλοις παρ' ὅσοις ἐγένετο, ἔφθασεν ἐλθεῖν καὶ πρὸς τὸν κραταιὸν καὶ ἅγιον ἡμῶν βασιλέα. καὶ ἀναγνωσθεῖσα εὑρέθη ἔχουσα περὶ τῆς τῶν ἁγίων εἰκόνων προσκυνήσεως πολλὰ ἐναντιούμενα ταῖς τῶν ἁγίων πατέρων διδασκαλίαις. καὶ ἀμφιβολίας διὰ ταῦτα ἐμπεσούσης, ἡ γαληνότης αὐτοῦ μὴ ἀνεχομένη τοὺς ἐρίσκοντας αὐτὴν καὶ ἀναγινώσκοντας σκανδαλίζεσθαι καὶ τοῦ εὐθέος ἐκτρέπεσθαι, ἐδόκησεν ἀθροισθῆναι τὴν συγκλητικὴν βουλὴν, τὴν ἀρχιερατικὴν ἁγιότητα, καὶ τὴν τῶν μοναχῶν ὁμήγυριν, παρεῖναι δὲ καὶ τὸν τῆς γραφῆς αἴτιον, B καὶ οὕτω πᾶσαν ἀμφιβολίαν λυθῆναι. κατὰ γοῦν ταῦτα ἀθροισθέντων ἀπὸ μὲν συγκλήτου βουλῆς, τοῦ πρωτοσεβαστοῦ καὶ μεγάλου Δομεστίκου, τοῦ σεβαστοῦ καὶ πρωτοστράτωρος κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ Δούκα, τοῦ σεβαστοῦ καὶ μεγάλου Δουκὸς κυροῦ Ιωάννου τοῦ Δούκα, τοῦ σεβαστοῦ κυροῦ Γεωργίου τοῦ Παλαιολόγου, τοῦ σεβαστοῦ κυροῦ Ιωάννου τοῦ Ταρωνίτου, τοῦ σεβαστοῦ καὶ λογοθέτου κυροῦ Μιχαὴλ, τοῦ σεβαστοῦ κυροῦ Κωνσταντίνου τοῦ Μανιάκη, Μαρίνου σεβαστοῦ τοῦ Νεαπολίτου, Κωνσταντίνου σεβαστοῦ τοῦ Ουμπέρτου, Μανουὴλ πρωτονωβελλισίμου καὶ ἐπὶ τοῦ κανικλείου τοῦ Φιλοκάλου, Μιχαὴλ νωβελλισίμου μυστικοῦ καὶ ἐπάρχου, Ανδρονίκου πρωτονωβελλισίμου καὶ λογοθέτου τοῦ δρόμου τοῦ C σκληροῦ, Ισαακίου πρωτονωβελλισίμου τοῦ Κοντοστεφάνου, Στεφάνου πρωτονωβελλισίμου τοῦ αὐταδέλφου αὐτοῦ, Γεωργίου πρωτονωβελλισίμου τοῦ Παλαιολόγου, Βάρδα Νωβελλισίμου τοῦ Ικανάτου, Μιχαὴλ νωβελλισίμου τοῦ Δαλματηνοῦ, Ιωάννου πρωτοκουροπαλάτου καὶ ἐπὶ τῶν δεήσεων τοῦ Ταρωνίτου, Μιχαὴλ πρωτοκουροπαλάτου τοῦ Βαρέως, Κωνσταντίνου πρωτοκουροπαλάτου τοῦ Κατακαλῶν, Νικολάου πρωτοπροέδρου τῆς συγκλήτου καὶ μεγάλου Δρουγγαρίου τῆς Βίγλας τοῦ Μερμεντόλου, Ρωμανοῦ Κουροπαλάτου τοῦ υἱοῦ τοῦ Παλαιολόγου, Ιωάννου κουροπαλάτου τοῦ συναδηνοῦ, Κωνσταντίνου κουροπαλάτου καὶ μεγάλου ἑταιρειάρχου τοῦ Αντιόχου, τοῦ κουροπαλάτου Ευθυμίου καὶ D κριτοῦ Μικαὴλ κουροπαλάτου τοῦ Σκληροῦ, Κωνσταντίνου κουροπαλάτου τοῦ Ιασίτου, Κωνσταντίνου κουροπαλάτου τοῦ χοιροσφακέλου, Τατικίου πρωτοπροέδρου καὶ μεγάλου πριμικηρίου τῶν ἔσω βεστιαριτῶν... τοῦ υἱοῦ τοῦ Ταρχανιώτου, Θεοδώρου πρωτοπροέδρου καὶ ὑπάτου τῶν φιλοσόφων τοῦ Σμυρναίου, Γεωργίου πρωτοπροέδρου τοῦ Μαγγάνη, Γεωργίου πρωτοπροέδρου τοῦ Βασιλάκη, Κωνσταντίνου πρωτοπροέδρου τοῦ Ωπου, Νικήτα πρωτοπροέδρου τοῦ Κασταμονίτου, Ιωάννου προέδρου καὶ γραμματικοῦ

(1) Nicolaus, quo Constantinopolitanam sedem obtinente Synodus hæc habita fuit, ab anno 1084. ad 1111. C.p. Ecclesiam rexit.

ANNO CHRISTI

τικῦ, Βασιλείου προέδρου τοῦ Μαίρου, Μιχαὴλ προέδρου καὶ κριτοῦ Ἱπποδρόμου τοῦ Αὐτωριανοῦ, Γρηγορίου προέδρου τοῦ Ἀριστηνοῦ, Γεωργίου προέδρου τοῦ Πυῤῥοῦ, Μιχαὴλ προέδρου καὶ πριμικηρίου τῶν ἔξω βεστιαριτῶν τοῦ Ἀντιόχου, Εὐσταθίου προέδρου καὶ χαρτουλαρίου τοῦ σταύλου τοῦ Καμυτζη, Βασιλείου Ῥαίκτωρος καὶ παπίου τῶν Βλαχερνῶν, Ἰωάννου Ῥαίκτωρος τοῦ σκουταριάτου, Θεοδώρου Ῥαίκτωρος τοῦ Πεπαγωμένου. Λέοντος βεστάρχου καὶ γραμματικοῦ, Μιχαὴλ βεστάρχου καὶ γραμματικοῦ καὶ ὀφεωμάχου.

Ἀπὸ δὲ τοῦ ἀρχιερατικοῦ καταλόγου θεοφιλεστάτων Μητροπολιτῶν, Κοσμᾶ Καισαρείας Καππαδοκίας τοῦ πρωτοθρόνου, Κωνσταντίνου Νικομηδείας, Ἰωάννου Σίδης, Κωνσταντίνου Τυάνων, Νικηφόρου Γάγγας, Θεοδούλου Θεσσαλονίκης, Ἰωάννου Κλαυδιουπόλεως, Γρηγορίου Νεοκαισαρείας, Μιχαὴλ Λαοδικείας, Εὐσταθίου Ἰκονίου, Νικήτα Συνάδων, Σεργίου Κορίνθου, Νικήτα Ἀθηνῶν, Πέτρου Πατρῶν, Βασιλείου Λαρίσσης, Νικήτα Μιτυλήνης, Βασιλείου Εὐκαΐτων, Μιχαὴλ Πομπηϊουπόλεως, Μιχαὴλ Αἴνου, Νικολάου Κερκύρας, τοῦ αὐτοκεφάλου ἀρχιεπισκόπου τῆς Κυπρίων νήσου, καὶ ἑτέρων ἀρχιεπισκόπων τῶν ὑποκειμένων τῷ θρόνῳ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, Λέοντος Βιζύης, Ἰωάννου Καραβιζύης, Θεοδώρου Χερσῶνος, καὶ ἐπισκόπων τῶν ὑπὸ τὸν θρόνον τελούντων τοῦ κατὰ τὴν Κύπρον ἀρχιεπισκόπου· καὶ ἀπὸ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ πληρώματος, Νικηφόρου διακόνου τοῦ γεγονότος χαρτοφύλακος, Πέτρου διακόνου καὶ χαρτοφύλακος, Νικήτα διακόνου καὶ ῥαιφερενδαρίου, Βασιλείου διακόνου καὶ ὑπομνηματογράφου, Εὐσταθίου διακόνου καὶ διδασκάλου, Ἰωάννου τοῦ Μεσταξᾶ, Εὐφημιανοῦ τοῦ πριμικηρίου τῶν πατριαρχικῶν νοταρίων, Θεοφάνους, Νικήτα, Νικηφόρου, Λέοντος, καὶ Νικήτα τῶν πατριαρχικῶν νοταρίων.

Ἀπὸ δὲ τοῦ μοναχικοῦ συλλόγου, Ἰωάννου μοναχοῦ καὶ καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ Στουδίου, τοῦ ἡγουμένου τῆς μονῆς τοῦ ἁγίου Διομήδους Ἀθανασίου τοῦ παναγιωτάτου, Ἰωάννου τοῦ καθηγουμένου τῆς τοῦ Πολυελέου μονῆς τοῦ ἐπὶ τοῦ κανικλείου, Γεωργίου καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ ἀκαταλήπτου σωτῆρος τῆς κατὰ τὸν Καμαριν, Ἰωάννου τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ τροπαιοφόρου τῶν Μαγγάνων, τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ Οἰκοπροτέρου, τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ ἁγίου Λαζάρου, Συμεὼν τοῦ ἐγκλείστου τῆς μονῆς τοῦ κυροῦ Φιλοθέου, Κυρίλλου τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τῶν ἁγίων μαρτύρων Πρόβου, Ταράχου καὶ Ἀνδρονίκου, τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ Πρασιάνου, Ἰωαννικίου τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τῶν ὁδηγῶν, τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ ἁγίου Μωκίου, Λουκᾶ τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ ἁγίου Φωκᾶ, τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ Πτερυγίου, τοῦ καθηγουμένου τῆς μονῆς τοῦ Ἀτταλειάτου, καὶ πλήθους ἑτέρου μοναχῶν ἱκανοῦ ἐκ διαφόρων μοναστηρίων.

Τούτων οὖν πάντων ἀθροισθέντων ἐν τῷ νεουργηθέντι μεγάλῳ τρικλινίῳ τῶν Βλαχερνῶν, καὶ τῷ κραταιῷ καὶ ἁγίῳ ἡμῶν βασιλεῖ προκαθημένῳ παρισταμένων, μόνων συνεδριαζόντων αὐτῷ τοῦ τε πανευτυχεστάτου σεβαστοκράτορος καὶ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν τοῦ τε Κωνσταντινουπόλεως κυροῦ Νικολάου, καὶ τοῦ Ἱεροσολύμων κυροῦ Συμεών· ἡ γαληνίος καὶ εἰρηνικωτάτη αὐτοῦ βασιλεία θεάρεστόν τι καὶ βασιλικὸν τῷ ὄντι προδιασκευαμένη, εἰς ἔργον δὴ τοῦτο καὶ ὑπεξήγαγεν. πρὸ γὰρ τοῦ τὴν ὑπόθεσιν ὅλως προτεθῆναι εἰς μέσον, τὰς τῶν συνεληλυθότων ἁπάντων ἡμερῶσαι καὶ

A proedro & primicerio Vestiaritarum exteriorum Antiochi, Eustathio Camytze proedro & chartulario stabuli, Basilio rectore & Papia Blachernarum, Joanne scutariate rectore, Theodoro rectore Pepagomeni, Leone vestarcho & grammatico, Michaele opheomacho vestarcho.

Ex Catalogo Archiepiscopali, religiosissimorum Metropolitarum, Cosma Cæsarea Cappadociæ protothrono sive primate, Constantino Nicomediæ, Joanne Sides, Constantino Tyanorum, Nicephoro Gangræ, B Theodulo Thessalonicæ, Joanne Claudiopolis, Gregorio Neocæsareæ, Michaele Laodiceæ, Eustathio Iconii, Niceta Synadorum, Sergio Corinthi, Niceta Athenarum, Petro Patrarum, Basilio Larissæ, Niceta Mitilenæ, Basilio Euchaitarum, Michaele Pompejopolis, Michaele Æni, Nicolao Corcyræ, Archiepiscopo primate Cypri insulæ, & aliis Archiepiscopis subditis throno sanctissimi & œcumenici Patriarchæ, Leone Bizyes, Joanne Carabizyes, Theodoro Chersonis, & Episcopis qui sunt sub throno Archiepiscopi Cyprii; & ab Ecclesiastica plenitudine seu ordine, Nicephoro Diacono olim Chartophylace, Petro Diacono & Chartophylace, Niceta Diacono & Referendario, Basilio Diacono & a commentariis, Eustathio Diacono & doctore, Joanne Mestaxa, Euphemiano Primicerio Patriarchalium Notariorum, Thophane, Niceta, Nicephoro, Leone, & Niceta Patriarchalibus Notariis.

Ex Monastico cœtu, Joanne Monacho & Cathegumeno Monasterii Studii, sanctissimo Athanasio Hegumeno Monasterii sancti Diomedis, Joanne Cathegumeno Monasterii Polyelei qui est super Caniculum, Georgio Cathegumeno Monasterii Acatalepti sive incomprehensibilis Salvatoris quod D est in Camari, Joanne Cathegumeno Monasterii Tropæa gestantis Manganorum, Cathegumeno Monasterii Oecoproteri, Cathegumeno Monasterii sancti Lazari, Simeone incluso Monasterii Domini Philothei, Cyrillo Cathegumeno Monasterii sanctorum Martyrum Probi, Tarachi, & Andronici, Cathegumeno Monasterii Prasiani, Joannicio Cathegumeno Monasterii Hodegorum, Cathegumeno Monasterii sancti Mocii, Luca Cathegumeno Monasterii sancti Phocæ, Cathegumeno Monasterii Pterygii, Cathegumeno Monasterii Attaliatæ; aliaque Monachorum multitudine magna ex diversis Monasteriis.

E His itaque omnibus congregatis in magno Triclinio Blachernarum recens exstructo, & adstantibus coram potente & sancto Imperatore nostro, assidentibus ipsi solis felicissimo Sebastocratore & sanctissimis Patriarchis Domno Nicolao Constantinopolitano, & Domno Symeone Hierosolymitano; serenissima & pacis studiosissima ejus Majestas, cum rem Deo placitam & vere regiam præinstituisset, ipsam ad effectum eduxit. Nam prius quam res quæ agebatur produceretur in medium, cum vellet Imperator omnium animos tranquille & pacifice se habe-

ANNO CHRISTI

habere, & si quod vestigium malignitatis aut humani sensus & voluntatis in cujuspiam corde lateret, id vellet penitus abolere, & postea ad quæstionis examen venire; statim surrexit humili more totum cœtum respiciens, hilari aspectu, corde contrito & ab omni affectu libero, rogantis simul & hortantis modo hæc omnibus audientibus loquutus est.

Domini & patres mei, & ex Senatu quotquot eruditiores estis, ego quidem ut probe nostis jam pridem bellicis, popularibus & communibus curis detentus, & ad communes inimicos propulsandos semper promtus, nunc autem instante tempore ad militarem expeditionem paratus, ita ut nulli alteri negotio vacare possim; volebam tum propter gravissimas rerum publicarum sollicitudines, ut dictum est, tum quod hujus quæstionis solutio facilis expeditaque sit, vobis solis summis Sacerdotibus utpote qui per Dei gratiam in divinis sapientes sitis, illius examen & solutionem committere. Siquidem res omni prorsus difficultate vacat, etiamsi Chalcedonensis Archiepiscopi epistola non modicam apud simpliciores dubitationem excitaverit. At subinde mecum reputans, quantum & quale bonum sit vera, orthodoxa & immaculata fides nostra, & cujusmodi lucrum sit eam custodire eique patrocinari; cum eam ab utero matris meæ mihi fecerim gaudium, decorem, gloriam, fulcimentum, & inexpugnabilem contra visibiles & invisibiles inimicos armaturam; nec patiar quidpiam parvi aut magni in decretis Patrum nostrorum mutari, aut in eorum doctrina aliquid alienum inseri, vel eam perperam explicari aut a Christianorum quolibet novam & contrariam doctrinam vel prædicationem omnino suscipi: cætera omnia penitus oblitus sum, eaque præsenti negotio postponenda duxi, totamque meam sollicitudinem in hujus quæstionis disquisitionem converti, eo animo ut vobiscum laboris ac præmii consors sim. Præ omnibus autem rogo deponatis iram, invidiam, odium seu vetus seu recens, & malitiam omnem procul animis vestris abigatis; non litigiose aut contentiose sed rationabiliter & humaniter, non cum personarum acceptione vel vana existimatione aut alio quopiam vano affectu, sed cum omni mansuetudine & hilaritate, cum sententia libera nulli affectui obnoxia, cum pace & consensu rei disquisitionem faciatis, Dei timorem præ oculis habentes, ipsumque Deum in conspectu vestro stantem aspiciatis. Sed ne amicitiam humanam veritati anteponamus, neve ob humanum affectum veritatem despiciamus, aut operiamus aut prætermittamus. Non enim de pecuniis aut possessionibus, aut quapiam rerum inferiorum & incorruptibilium quæstio est, fratres, sed de fide & orthodoxa doctrina nobis sollicitudo est; quibus immotis & inconcussis apud nos per Dei gratiam manentibus, lucrum sane incomparabile & ineffabilis utilitas aderit; contra vero excidentibus vel in quopiam mutatis, intolerabile inenarrabileque periculum sequetur.

Hæc cum sanctus Imperator noster pater-

A εἰρηνεῦσαι ψυχὰς ἐθέλουσα, καὶ παντελῶς ἀπαλεῖψαι εἴπου καρδίᾳ τινὸς ἐμφωλεύει ἴχνος τι κακίας καὶ ἀνθρωπίνου φρονηματὸς ἢ θελήματος, καὶ οὕτω ποιήσασθαι τοῦ ζητήματος καὶ τὴν ἐξέτασιν· εὐθὺς ὄρθιος ἔστη καὶ πρὸς τὸν ὅλον ἄθροισμα ἐν σχήματι ταπεινῷ ἀποβλέψασα ἱλαρῷ τῷ βλέμματι καὶ συντετριμμένῃ καὶ πάθους παντὸς ἐλευθέρᾳ καρδίᾳ, παρακλητικῶς τε ὁμοῦ καὶ παραινετικῶς εἰς ἐπήκοον πάντων ἐξεφώνησεν.

Δεσπόται μου καὶ πατέρες καὶ οἱ τῶν συγκλητικῶν λογιώτεροι, ἐγὼ μὲν ὡς καὶ ὑμεῖς οἴδατε καὶ πρότερον διηνεκῶς ταῖς στρατιωτικαῖς καὶ δημοσιακαῖς καὶ κοιναῖς φροντίσιν ἐνασχολούμενος, καὶ πρὸς τὰς τῶν κοινῶν ἐχθρῶν ἀντιπαρατάξεις ἀεὶ παρασκευαζόμενος, καὶ B νῦν δὲ πρὸς ἐκστρατείαν διὰ τὸ ἐπιστῆναι ἤδη τὸν αὐτῆς καιρὸν ἑτοιμαζόμενος, καὶ μὴ πρὸς ἄλλο τι ἑαυτὸν ἀπασχολῆσαι δυνάμενος· ἐβουλόμην τοῦτο μὲν καὶ διὰ τὸ πολυάσχολον τῶν κοινῶν πραγμάτων ὡς εἴρηται, τοῦτο δὲ καὶ διὰ τὸ εὐχερὲς καὶ εὐδιάλυτον τοῦ προκειμένου ζητήματος, μόνοις ὑμῖν τοῖς τοῦ θεοῦ ἀρχιερεῦσιν ὡς σοφοῖς οὖσι τὰ θεῖα θεοῦ χάριτι, τὴν περὶ τούτου ἀναθεῖναι διάσκεψιν καὶ διάλυσιν. ἀναμφίβολον γὰρ καὶ δοκεῖ καὶ ἔστι τοῦτο, κἂν τισιν ἁπλουστέροις ἐκ τῆς τοῦ ἀπὸ Χαλκηδόνος ἐπιστολῆς ἀμφιβολίαν οὐ μικρὰν ἤγειρεν. ἀναλογησάμενος δὲ πάλιν ὅσον καὶ οἷον ἀγαθόν ἐστιν ἡ ἀληθινὴ καὶ ὀρθόδοξος καὶ ἀμώμητος πίστις ἡμῶν· καὶ οἷον τὸ κέρδος τοῦ C ταύτης ἀντέχεσθαί τε καὶ περιέχεσθαι· καὶ ταύτην ἐκ κοιλίας μητρὸς ποιούμενος ἐμαυτῷ ἐντρύφημα, καλλώπισμα, καύχημα, στήριγμα, καὶ κατὰ τῶν ἀοράτων καὶ ὁρατῶν ἐχθρῶν ὅπλον ἀκαταμάχητον· καὶ μὴ ἀνεχόμενος μικρὸν ἢ μέγα τι ῥῆμα τῶν τοῖς ἁγίοις πατράσιν ἡμῶν δεδογμένων παραλλαγῆναι, ἢ ταῖς τούτων διδασκαλίαις ἀλλότριόν τι παρεισπαρῆναι, ἢ παρερμηνευθῆναι, ἢ παρά τινος τῶν χριστιανῶν νεοφανές τι ἐναντίον δόγμα ἢ κήρυγμα δεχθῆναι· καὶ συνόλον, τῶν μὲν ἄλλων πάντων ἐπελαθόμην παντάπασι, δεύτερα τῆς προκειμένης ἡγούμενος ἐπιθέσεως, ὅλον δὲ ἐμαυτὸν εἰς τὴν ταυτὴν ὁλοσχερῶς ἀπησχόλησα ζήτησιν, θελήσας καὶ αὐτὸς κοινωνὸς D ὑμῖν καὶ συμμερίτης γενέσθαι καὶ τοῦ κόπου καὶ τοῦ μισθοῦ· καὶ δὴ πρὸ πάντων παρακαλῶ ὑμᾶς ἀποθέσθαι θυμὸν, φθόνον, μῖσος παλαιὸν ἢ καὶ νέον, καὶ κακίαν ἅπασαν πόρρωποι ἀπελάσαι τῶν ψυχῶν ὑμῶν· καὶ μὴ ἐριστικῶς καὶ φιλονείκως, ἀλλὰ λογικῶς καὶ φιλανθρώπως, μὴ μετὰ προσωποληψίας καὶ τῆς ματαίας οἰήσεως ἢ μετὰ τινος ἄλλου ἀνθρωπίνου θεληματος, ἀλλὰ μετὰ πάσης πραότητος, καὶ ἱλαρότητος, καὶ γνώμης ἐλευθέρας καὶ ἀπαθοῦς, καὶ εἰρήνης καὶ ὁμονοίας ποιήσασθαι τοῦ πράγματος τὴν διάγνωσιν, τὸν τοῦ θεοῦ φόβον πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντας, καὶ αὐτὸν παρεστάναι ἐνώπιον ὑμῶν βλέποντας. ἀλλὰ μηδὲ φιλίαν ἀνθρωπίνην τῆς ἀληθείας προτιμήσωμεν, μηδὲ διὰ πάθος ἀνθρώπινον παρίδωμεν τὴν ἀληθείαν, ἢ καλύψωμεν ἢ παραδράμωμεν. οὐ γὰρ περὶ χρημάτων ἢ κτημάτων, ἢ τινος τῶν κάτω καὶ φθειρομένων ἡ ζήτησις, ἀδελφοὶ, ἀλλὰ περὶ πίστεως καὶ ὀρθοδόξου ἡμῶν δόγματος ἡ σπουδή· ὧν ἀμετακινήτων καὶ ἀπαρασαλεύτων μενόντων παρ' ἡμῖν θεοῦ χάριτι, τὸ κέρδος πάντων ἀσύγκριτον καὶ ἡ ὠφέλεια ἀνεκλάλητος· ὥσπερ πάλιν τῶν ἀποτυγχανόντων ἢ κατὰ τὰ παρακεκινημένων, ὁ κίνδυνος καὶ ἀφόρητος καὶ ἀδιήγητος.

Ταῦτα τοῦ βασιλέως ἡμῶν τοῦ ἁγίου πατρικῶς ἅμα

ANNO CHRISTI

μα καὶ παραινετικῶς προκαρωνήσαντος, εὐθὺς ἅπαν τὸ τῆς συνελθηλυθόντων πλῆθος ἐπὶ τοῖς αὐτοῦ παρακλητικοῖς καὶ νουθετικοῖς λόγοις καὶ συντριβέντες καὶ ἀρεσθέντες, καὶ ὑπερευχαριστήσαντες καὶ θεῷ καὶ τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, ὑπέχοντο ἐλευθέρᾳ καὶ ἀδεκάστῳ καὶ ψυχῇ καὶ γνώμῃ ποιήσασθαι τὴν ἐξέτασιν τῆς ὑποθέσεως, καὶ ὡς τοῦ θεοῦ βλέποντος δοκιμάσαι τὰ τοῦ ζητήματος. ἐπὶ τούτοις εὐχαριστήσας καὶ ὁ βασιλεὺς ἡμῶν ὁ ἅγιος, ἐπιστραφεὶς πάλιν πρὸς τοὺς ἁγιωτάτους πατριάρχας καὶ τὴν παρατυχοῦσαν ἱερωτάτην συνόδον ἐξεῖπεν· παρακαλῶ καὶ τοῦτο, δεσπόται μου, ἵνα γένηται πρότερον παρ' ἡμῶν πρὸς θεὸν ἔντευξις περὶ τῆς τοῦ προκειμένου διαλύσεως, καὶ εἶθ' οὕτως ἵνα ἀπαρξώμεθα τῆς ζητήσεως, ταῖς ἁγίαις ὑμῶν εὐχαῖς ἑαυτοὺς ὀχυρώσαντες. γέγονε δὴ καὶ τοῦτο. καὶ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου τὴν συνήθη εὐχὴν ἐκτελέσαντος, εὐθὺς καὶ ὁ ἀπὸ Χαλκηδόνος μετάκλητος γέγονε· καὶ στάντος ἐν τῷ μέσῳ αὐτοῦ, ὁ βασιλεὺς ἡμῶν ὁ ἅγιος ἱλαρῶς τε καὶ προσηνῶς πρὸς αὐτὸν ἀπιδὼν τοιαῦτα ἐφθέγξατο. παρακαλῶ καίσε, κῦρ Λέον, ἵνα τὸν τοῦ θεοῦ φόβον λάβῃς ἐπὶ λογισμόν· καὶ εἴπερ νοεῖς ἐν ἑαυτῷ ὡς δι' ἀνθρώπινόν τι πάθος ἢ δι' ἔριν τινὰ ἢ ἀκαιρον ἔνστασιν τὸ γεγονὸς παρὰ σοῦ ἐξετέθη ἔγγρα (μμα,) μὴ θελήσῃς ἀνωφελῶς οὕτως καὶ μάτην ἐνίστασθαι, καὶ ζητεῖν ἕως τέλους τῷ οἰκείῳ ἐμμένειν θελήματι καὶ συγγράμματι διαγινωσκομένῳ παρὰ πάντων ἐναντίως ἔχειν, καὶ τὰ φανερῶς ταῖς θείαις διδασκαλίαις ἀντιβαίνοντα ἐπεκδικεῖν. τοῦτο γὰρ οὔτε ἀνδρὸς συνετοῦ ἢ χριστιανοῦ καθίσταται ἴδιον. ἤκουσε καὶ αὐτὸς ταῦτα, καὶ ὑπέχετο μετὰ πάσης ἐλευθερίας καὶ καθαρᾶς ψυχῆς ἀπολογήσασθαι, καὶ ἀποβαλέσθαι ὅπερ ἂν προσιστάμενον φανείη τῇ θείᾳ τῶν πατέρων τῶν ἁγίων διδασκαλίᾳ. ταῦτα τούτου ὑποχομένου, προσέταξεν ὁ κραταιὸς καὶ ἅγιος ἡμῶν βασιλεὺς καὶ αὐτῷ τῷ μητροπολίτῃ Εὐχαΐτων διαλλαγῆναι πρὸς τὸν ῥηθέντα ἀπὸ Χαλκηδόνος, καὶ ἅπαν λείψανον μνησικακίας τινὸς τῆς ἰδίας ἀπαλεῖψαι παντελῶς ψυχῆς· ὃ δὴ καὶ ἄμφω ποιήσαντες καὶ ἀλλήλοις συγχωρήσαντες, ἀδελφικῶς καὶ ἀλλήλους ἠσπάσαντο. ἀλλὰ καὶ τῆς λοιπῆς ἀρχιερατικῆς ὁμηγύρεως ὁμοίως συγχώρησιν πρὸς αὐτὸν μετὰ καλοθελοῦς ποιησαμένης προαιρέσεως, οὕτως ἀπήρχθη τὰ τῆς ὑποθέσεως. ἀνεγνώσθη γὰρ ἀπὸ τοῦ ἐπ' ἄμβωνος κατὰ τὴν κυριακὴν τῆς ὀρθοδοξίας ἀναγινωσκομένου συνοδικοῦ τῆς ἑβδόμης συνόδου ἡ περὶ τῆς τῶν ἁγίων εἰκόνων προσκυνήσεως ῥῆσις, ἐν ἐπηκόῳ τῶν ἀθροϊσθέντων ὡς εἴρηται, λέγουσα κατὰ λέξιν ταυτί.

Ὁριζομένου σὺν ἀκριβείᾳ πάσῃ καὶ ἐμμελείᾳ παραπλησίως τῷ τύπῳ τοῦ τιμίου σταυροῦ ἀνατίθεσθαι τὰς σεπτὰς εἰκόνας, τὰς ἐκ χρωμάτων καὶ ψηφίδων καὶ ἑτέρας ὕλης ἐπιτηδείως ἐχούσης ἐν ταῖς ἁγίαις τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαις, ἐν ἱεροῖς σκεύεσι καὶ ἐσθῆσι, τοίχοις τε καὶ σανίσιν, οἴκοις τε καὶ ὁδοῖς· τόν τε τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς ἀχράντου ἡμῶν δεσποίνης τῆς ἁγίας θεοτόκου, τῶν τιμίων ἀγγέλων, καὶ πάντων τῶν ὁσίων καὶ ἁγίων ἀνδρῶν· [ὅσῳ γὰρ δι' εἰκονικῆς ἀνατυπώσεως ὁρῶνται, τοσούτῳ οἱ ταύτας θεώμενοι διανίστανται πρὸς τὴν τῶν πρωτοτύπων μνήμην τε καὶ ἐπιποθησιν.] καὶ ταύταις ἀσπασμὸν καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν, οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν λατρείαν τὴν ἀληθινήν, ἣ πρέπει μονῇ τῇ θείᾳ φύσει, ἀλλ'. ὃν τρόπον τῷ τύπῳ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, καὶ

A no hortatorioque more præfatus esset, statim omnis coeuntium cœtus ejus commonitionibus hortationibusque compunctus iisque acquiescens, gratiasque agens Deo & Majestati ejus; promisit se libero omnisque acceptionis experte animo sententiaque hujus negotii examen facturum, & quasi Deo vidente quæstionis discussionem peracturum esse. Ad hæc gratias agens sanctus Imperator noster, conversus iterum ad sanctissimos Patriarchas & ad præsentem sacratissimamque Synodum: & hoc, inquit, postulo, Domini mei, ut prius Deum precemur pro præsentis negotii solutione, deindeque disquisitionem incipiamus, postquam precibus vestris B nos confirmaverimus. Id vero factum est. Et postquam sanctissimus & œcumenicus Patriarcha consuetam orationem absolverat, statim Chalcedonensis præsul accersitus est; ipsumque in medio stantem hilari mansuetoque intuitu sanctus Imperator sic alloquitur. Rogo te, domine Leo, timorem Dei in mente ponas; & si tibi conscius sis, te ob humanum affectum aut contentionem quamdam aut intempestivam occasionem hujusmodi libellum edidisse, ne velis inutiliter & frustra insistere, neu quæras usque ad finem manere in proposito & scripto tuo, quod omnes sciunt secus quam oportet habere, & sententiam divinæ doctrinæ oppositam vindica- C re. Id enim neque prudentis neque Christiani viri proprium est. His auditis ille pollicitus est se cum omni libertate & animo sincero causam suam defensurum esse, & repudiaturum quidquid divinæ Patrum doctrinæ repugnare videretur. Hæc cum ille promisisset, potens & sanctus Imperator noster præcepit, ut Euchaitarum Metropolita, & memoratus Chalcedonensis præsul sese mutuo reconciliarent, omnemque injuriæ memoriam prorsus ab animo abjicerent: quod cum fecissent ambo sibique mutuo condonassent, sese fraterne invicem amplexati sunt. Imo etiam cum reliquus Episcoporum cœtus optimo proposito veniam ipsi dedisset, ita cœ- D ptum est negotium. Lectum est enim ex Synodico septimæ Synodi, quod in Dominica Orthodoxiæ ex ambone legi solebat, dictum illud in quo de sanctarum Imaginum adoratione agitur, omnibus qui ut dictum est congregati sunt audientibus, cujus hæc verba sunt.

Omni cum diligentia & sollicitudine definitum est, perinde atque figuram honorandæ Crucis ita consecrari debere venerandas imagines, sive ex coloribus, sive ex calculis aut lapillis, sive ex alia quapiam materia apte disposita in sanctis Dei Ecclesiis, E in sacris vasis & vestibus, parietibus & tabulis, domibus & viis; nempe imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, immaculatæ Dominæ nostræ & sanctæ Deiparæ, venerabilium Angelorum & omnium sanctorum virorum; (quanto enim magis per expressam Imaginem conspiciuntur, tanto magis earum spectatores excitantur ad prototyporum memoriam & desiderium:) ipsisque amplexum & adorationis honorem tribui debere; non quidem latriam illam veram quæ secundum fidem nostram soli divinæ naturæ competit, sed qualis debetur figuræ ve-

ANNO CHRISTI

nerandæ ac vivificæ Crucis, ſanctis Evangeliis, reliquiſque ſacris depoſitis; ac thymiamata luminaque in earum honorem adhibenda eſſe, quemadmodum & antiquis pio uſu aſſuetum erat. Nam Imaginis honor ad prototypum tranſit; & qui imaginem adorat, in ipſa depicti perſonam adorat. Palam autem eſt id anteceſſoribus declaratum, prædicatum & cognitum fuiſſe, nimirum per Imagines & in Imaginibus veritatem honorari & adorari.

His porro lectis ſanctus Imperator omnes ſimul interrogavit, num omnes ita ſentirent, & an quiſpiam in aliquo dubitaret. Reſponderunt omnes una voce, ſe ita ſentire, ita prædicare. Imperator vero poſtquam dixiſſet, gloria ſancto Deo, rurſum interrogavit. Relativè-ne an latriæ cultu dicitis adorandam eſſe Imaginem Domini & Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti? Dixerunt omnes, relative adoramus ipſam, ut Imaginem Domini & Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti; iis vero qui non ſic adorant, anathema. Tum Imperator ex animi affectu ſic vociferatus eſt: iis qui non ita ſentiunt, anathema. Iterum interrogavit Imperator; Imagines quas eſſe dicitis? an materiam Imaginum, an ſimilitudines in ea repræſentatas? Dixeruntque omnes: ſimilitudines in materia repræſentatas. Denuo interrogavit: poteſt ne ſimilitudo Chriſti quæ in materia conſpicitur, latriæ cultui adorari? Reſponderunt: nequaquam. Dixit Imperator: ſic ſe res habet, ut dixiſtis. Ait autem Claudiopolis Epiſcopus: quidam dicunt ſanctas Imagines non participare gratiæ divinæ. Dixit Imperator cum omnibus: anathema ei qui ita dixerit; nam ſanctæ Imagines gratiæ divinæ participant, ſed eamdem naturam non habent quam prototypi. Ad hæc Claudiopolitanus Epiſcopus ſubdidit, ſe quoque ita ſentire. Tum Imperator: quiſquis ſanctis œcumeniciſque ſeptem Synodis in re quapiam contradixerit, eiſve quidquam dogmatis addiderit aut demſerit, aut aliquod ex earum decretis prave interpretatus fuerit vel abjecerit, anathema. Dixeruntque omnes, anathema. Rurſum interrogavit; quæ in materia depingitur Imago Chriſti, natura-ne ejus eſt? Reſponderunt omnes: nequaquam; natura quippe divina incircumſcripta eſt. Dixit Imperator: ita vere ſe res habet. Illudque addidit: ego ſane dico ſentioque ſynodica dogmata & decreta non ſibi invicem adverſari. Quid videtur vobis? Dixerunt omnes, ea tum ſibi mutuo tum ſecum ipſa conſentire. Dixit Imperator: quæ ex ambone prædicata lectaque ſunt, unum & idem prædicant, nec in quopiam ſibi mutuo adverſantur. Reſponderunt omnes: ita ſe habet. Tum Imperator gratias egit his verbis: gratia ſancto Deo qui ita providit, omnes conſentimus. Poſt hæc lectum eſt caput aliud ex Synodico ſecundo commemorationis & gratiarum actionis, quod ex ambone, ut diximus, legi ſolebat.

Prophetæ ut viderunt, Apoſtoli ut docuerunt, Eccleſia ut accepit, Doctores ut docuerunt, orbis ut una conſenſit, gratia ut effulſit, veritas ut demonſtrata eſt, mendacium ut expulſum eſt, ſapientia ut fidenter loquuta eſt, Chriſtus ut præmia diſtribuit, ſic ſentimus, ſic loquimur, ſic prædicamus

A τοῖς ἁγίοις εὐαγγελίοις, καὶ τοῖς λοιποῖς ἱεροῖς ἀναθήμασι· καὶ θυμιάματα καὶ φῶτα προσαγωγὰς πρὸς τὴν τούτων τιμὴν ποιεῖσθαι, καθὼς καὶ τοῖς ἀρχαίοις εὐσεβῶς εἴθισται. ἡ γὰρ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει· καὶ ὁ προσκυνῶν τὴν εἰκόνα, προσκυνεῖ ἐν αὐτῇ τὸ ἐγγραφόμενον τῷ ὑπόστασιν. δῆλον δὲ τοῦτο καὶ τοῖς παρ' ἡμῶν πεφανερωμένοις καὶ κεκηρυγμένοις καὶ ἐγνωσμένοις, ὡς ἐξ εἰκόνων καὶ ἐν εἰκόσι τιμᾶται ἡ ἀλήθεια καὶ προσκυνεῖται.

Καὶ τούτων ἀναγνωσθέντων ἠρώτησε κοινῶς ἅπαντας ὁ βασιλεὺς ὁ ἅγιος, εἰ οὕτω πάντες φρονοῦσι, καὶ εἴδεις κατά τι διαμφισβάλλει. καὶ ἀπεκρίθησαν ἅπαντες μιᾷ φωνῇ, οὕτω φρονεῖν καὶ οὕτω κηρύττειν. καὶ ὁ B βασιλεὺς εἶπεν, δόξα τῷ ἁγίῳ Θεῷ, αὖθις ἠρώτησε· σχετικῶς ἢ λατρευτικῶς φατὶ προσκυνεῖν τὴν εἰκόνα τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ; καὶ εἶπον ἅπαντες· σχετικῶς προσκυνοῦμεν αὐτὴν, ὡς εἰκόνα τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. οἱ δὲ μὴ οὕτω προσκυνοῦντες, ἀνάθεμα. καὶ ὁ βασιλεὺς ἐκ ψυχῆς ἐξεφώνησε· οἱ μὴ οὕτω φρονοῦντες, ἀνάθεμα. πάλιν ἠρώτησε ὁ βασιλεὺς, εἰκόνας ποίας λέγετε; τὰς εἰκονικὰς ὕλας, ἢ τὰ ἐν ταύταις φαινόμενα ὁμοιώματα; καὶ εἶπον ἅπαντες, τὰ ὁμοιώματα τὰ ἐν ταῖς ὕλαις φαινόμενα. καὶ αὖθις ἠρώτησε· δύναται τὸ ὁμοίωμα τοῦ Χριστοῦ τὸ ἐν τῇ ὕλῃ ὁρώμενον λατρευτικῶς προσκυνεῖσθαι; καὶ εἶπον· C οὐχί. καὶ εἶπε ὁ βασιλεύς· οὕτως ἔχει ἡ ἀλήθεια, ὡς εἴπατε. εἶπε δὲ ὁ Κλαυδιοπόλεως, ὅτι τινὲς οὐ μετέχειν λέγουσι θείας χάριτος τὰς ἁγίας εἰκόνας, καὶ εἶπε ὁ βασιλεὺς μετὰ πάντων· ἀνάθεμα τῷ οὕτως λέγοντι· θείας μὲν γὰρ χάριτος μετέχουσιν αἱ ἁγίαι εἰκόνες, ὁμοφυεῖς δὲ τοῖς πρωτοτύποις οὐκ εἰσί, καὶ πρὸς τοῦτο ὁ Κλαυδιοπόλεως ἐπήγαγε, οὕτω καὶ αὐτὸν φρονεῖν. εἶπε ὁ βασιλεύς· ὁ ἐναντιούμενος κατὰ τὰς ἁγίας καὶ οἰκουμενικὰς ἑπτὰ συνόδους, ἢ προσθήκῃ ἢ ὑφαιρέσει φωνῶν δόγματος, ἤτοι τῶν ἐν αὐταῖς ὁρισθέντων παρερμηνεύσας ἢ ἀποβαλλόμενος, ἀνάθεμα. καὶ εἶπον ἅπαντες, ἀνάθεμα. αὖθις ἠρώτησε· τὸ ἐν D τῇ ὕλῃ γραφόμενον ὁμοίωμα τοῦ Χριστοῦ, τοῦτο ἔστιν ἡ θεία φύσις; καὶ εἶπον ἅπαντες· οὐχί· ἡ γὰρ θεία φύσις ἀπερίγραπτος. εἶπε ὁ βασιλεύς. οὕτως ἔχει ἡ ἀλήθεια, προσθεὶς καὶ τοῦτο· ὅτι ἐγὼ τοῖς λέγω καὶ φρονῶ, μὴ ἐναντιοῦσθαι ἀλλήλοις τὰ συνοδικὰ δόγματα καὶ κηρύγματα· ὑμῖν δέ τι δοκεῖ; καὶ εἶπον ἅπαντες, συμφωνεῖν αὐτὰ πρὸς ἄλληλα καὶ πρὸς ἑαυτά. εἶπε ὁ βασιλεύς· τὰ ἐπ' ἀμβωνος κηρυττόμενα καὶ ἀναγινωσκόμενα τὰ ἐν κηρύσσεται καὶ οὐκ ἐναντιοῦται ἀλλήλοις ἐν τινί; ἅπαντες εἶπον· οὕτως ἔχει. καὶ ὁ βασιλεὺς εὐχαρίστησε εἰπών. δόξα τῷ ἁγίῳ Θεῷ τῷ οἰκονομήσαντι οὕτως, ἅπαντες ὁμοφρονοῦμεν. μετὰ ταῦτα ἀνεγνώσθη κεφάλαιον ἕτερον ἐκ τοῦ συνοδικοῦ τὸ δεύτερον τῆς ἀναμνήσεως καὶ εὐχαριστίας τῶν ἀναγινωσκομένων ὁμοίως ἐπ' ἀμβωνος. E

Οἱ προφῆται ὡς εἶδον, οἱ ἀπόστολοι ὡς ἐδίδαξαν, ἡ ἐκκλησία ὡς παρέλαβε, οἱ διδάσκαλοι ὡς ἐδογμάτισαν, ἡ οἰκουμένη ὡς συνεφώνησε, ἡ χάρις ὡς ἔλαμψε. ἡ ἀλήθεια ὡς ἀπεδείχθη, τὸ ψεῦδος ὡς ἀπελήλαται, ἡ σοφία ὡς ἐπαρρησιάσατο, ὁ Χριστὸς ὡς ἐβράβευσε· οὕτω φρονοῦμεν, οὕτω λαλοῦ-

ANNO CHRISTI

λαλῆμεν; ὅτω κηρύττομεν, Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν θεὸν ἡμῶν καὶ τοὺς ἁγίους αὐτοῦ, ἐν λόγοις τιμῶντες, ἐν συγγραφαῖς, ἐν νοήμασιν, ἐν θυσίαις, ἐν ναοῖς, ἐν εἰκονίσμασιν· τὸν μὲν ὡς θεὸν καὶ δεσπότην προσκυνοῦντες καὶ λέγοντες, τοὺς δὲ διὰ τὸν κοινὸν δεσπότην καὶ ὡς αὐτοῦ γνησίους θεράποντας τιμῶντες, καὶ τὴν κατὰ σχέσιν προσκύνησιν ἀπονέμοντες.

Μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τούτου, ὁ βασιλεὺς συναγαγὼν τὴν ἀναγνωσθέντων δύο κεφαλαίων τὸν νοῦν, εἴτε· εἰ οἱ ἀπόστολοι ὡς ἐδίδαξαν, οἱ προφῆται ὡς εἶδον, οἱ διδάσκαλοι ὡς ἐσυγγράψαντο, ὁ Χριστὸς ὡς ἐβραβεύσε, καὶ τὰ λοιπὰ· ὅτω δὴ φρονεῖν παραδίδωσιν ἡμῖν τὸ συμβολικόν, καὶ οὐχ ἕτερος· δῆλον, ὅτι κατὰ τοῦτο παραδοσιν τοὺς μὲν ἁγίους ὡς θεράποντας Χριστοῦ προσκυνοῦμεν διὰ τὸν Χριστὸν καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν οἰκείωσιν, τὸν δὲ Χριστὸν ὡς θεὸν καὶ δεσπότην δι' ἑαυτὸν δηλονότι, καὶ οὐ δι' ἕτερον· ὥστε τῶν μὲν ἁγίων τὰς εἰκόνας προσκυνοῦμεν ὡς θεραπόντων Χριστοῦ σχετικῶς δι' αὐτούς, αὐτὸς δὲ διὰ τοῦτο πρὸς τὸν κοινὸν δεσπότην ἡμῶν οἰκειώσιν. ἐφ' αὐτῷ δὲ Χριστῷ λατρευτικὴ ἡ προσκύνησις. ὁ προσκυνῶν γὰρ συμπροσκυνεῖ τὸν πατέρα καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἐπὶ δὲ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ ἡ αὐτὴ μία· ὡς γὰρ ἐν, ὧν γὰρ τὸ κράτος καὶ ἡ δόξα μία, τύπων δηλαδὴ καὶ τὸ σέβας καὶ μία ἡ προσκύνησις· σχετικὴ δὲ ὅμως ἦγουν ὁμωνυμικὴ, ὡς φησὶ καὶ ὁ ἅγιος καὶ ὁμολογητὴς Θεόδωρος ὁ Στουδίτης ἐν τῇ πρὸς Ἀθανάσιον ἐπιστολῇ αὐτοῦ.

Ταῦτα εἰπὼν ὁ βασιλεὺς ἠρώτησεν· ὕτως καὶ ὑμῖν πᾶσι δοκεῖ ὡς καὶ ἡμῖς εἴπομεν; ὕτως, εἶπον πάντες, καὶ τοῖς μὴ ὕτω φρονοῦσιν ἀνάθεμα. καὶ πάλιν ὁ βασιλεὺς· δόξα τῷ ἁγίῳ θεῷ τῷ φυλάξαντι ἡμᾶς ἐν ὁμονοίᾳ καὶ εἰρήνῃ, μὴ κατά τι διαχιζομένους ἢ ἐναντιοφρονημένους τοῖς ἁγίοις πατράσιν ἡμῶν. ἐπὶ τούτοις ἅπαντες εὐχαριστήσαντες, τῷ θεῷ δόξαν ἀνέπεμψαν, καὶ τὴν συνήθη εὐφημίαν τῷ βασιλεῖ ἀπένειμον. μετὰ ταῦτα ὁ βασιλεὺς ῥέψας τὸν λόγον πρὸς τὸν ἀρχιεπίσκοπον Χαλκηδόνος κυρὸν Λέοντα, ἐπύθετο καὶ τοῦτον, εἰ δέχεται τὸν ἅγιον Θεόδωρον τὸν Στουδίτην, καὶ εἰ συμφωνεῖ καὶ αὐτὸς τοῖς ἀναγνωσθεῖσι καὶ ἐρωτηθεῖσι καὶ παρὰ πάντων ἀποκριθεῖσι τήμερον, κἀκεῖνος ἐμμένει. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς τὸν μὲν ἅγιον Θεόδωρον ὡς κοινὸν ἀναπτύξειν διδάσκαλον, τὰ δὲ διαγνωσθέντα (I. ἀναγνωσθέντα) καὶ ἐρωτηθέντα παρὰ πάντων τε συμφώνως ἀποκριθέντα ἀσπάζεσθαι καὶ αὐτὸν, καὶ ἐμμένειν αὐτοῖς. προσετήγαγε δὲ καὶ ταῦτα· ὡς ὅσα αὐτοὶ ἀπὸ τῶ ἐγγράφω μου ἀποβάλλεσθε, ἀποβάλλομαι τοῦτο κἀγώ· καὶ ὅσα δέχεσθε, δέχομαι. τοῦτο τὸ ἀπὸ Χαλκηδόνος Λέοντος εἰπόντος, ἐπεὶ διεγνώσθησαν τινὰ τῶν ἐν τῇ παρ' αὐτοῦ ἐκτεθείσῃ ἐπιστολῇ ἐγγραφομένων τοῖς συνοδικοῖς (sic) ἐπ' ἀμβωνος ἀναγινωσκομένοις, καὶ τισὶ ἄνωθεν διαληφθεῖσιν ἐναντίμενα, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ τῶν θείων πατέρων ἀσύμφωνα· ἔδοξεν ἀπόβλητα τοῦτο καὶ εἶναι καὶ λογίζεσθαι, ὡς δὲ καὶ τὸν τύπους προσκείμενον. ἐπὶ πασαις δὲ ταῖς ἀναγεγραμμέναις ἐρωτήσεσι καὶ ἀποκρίσεσι καὶ διαγνώσεσιν, ὠφείλει ὁ βασιλεὺς εἰς ἐπήκοον πάντων τὸ· εἴ τις ἐπὶ τοῖς διαγνωσθεῖσι κατὰ τι ἀμφισάλλει, μέσον σᾶς ἐκτάτω τὸ ἀμφιβαλλόμενον παρ' αὐτοῦ. καὶ οὐδεὶς κρίθη ἀμφιβάλλων ἢ ἀντιλέγων ἐπί τινι τῶν διαγνωσθέντων, ἀλλὰ πάντες ἀπὸ τῶν πρώτων ἕως τῶν ἐσχάτων κρίθησαν ὁμοφρονοῦντες ἐπὶ ταῖς εἰρημέναις διαγνώσεσιν.

A Christum verum Deum noſtrum & ſanctos ejus, verbis, ſcriptis, cogitationibus, ſacrificiis, Templis, Imaginibus honorantes, illum quidem ut Deum ac Dominum adorantes & prædicantes, illos vero propter communem Dominum & ut germanos ejus famulos honorantes, & relative ipſis adorationem exhibentes.

His perlectis, Imperator collecto duorum capitum quæ lecta fuerant ſenſu, dixit: ſi Apoſtoli ut docuerunt, Prophetæ ut viderunt, doctores ut commonſtrarunt, Chriſtus ut præmia largitus eſt, & cætera; ſic nobis ſentiendum eſſe tradit Synodicum & non alio modo: palam eſt ex ejus traditione nos B quidem, ſanctos ut Chriſti famulos propter Chriſtum & eorum erga ipſum famulatum, Chriſtum vero ut Deum ac Dominum adorare propter ipſum videlicet, non propter alium; ita ut Sanctorum Imagines adoremus relative propter ipſos, ipſos autem propter eorum erga communem Dominum famulatum. Quæ autem ad Chriſtum ſpectat adoratio, Latriæ eſt. Nam qui ipſum adorat, una Patrem & Spiritum ſanctum adorat. Quæ autem ejus Imaginem reſpicit, ea ipſa eſt. Quid enim vetat? Quorum enim virtus una & gloria una, eorum utique unus eſt cultus & una adoratio. Sed hæc tamen eſt relativa ſive homonymica, ut ait ſanctus Confeſ- C ſor Theodorus Studita in ſua ad Athanaſium epiſtola.

His dictis Imperator interrogavit; annon vobis omnibus ita videtur eſſe, ut nos diximus? Ita, dixerunt omnes, ac ſecus ſentientibus anathema. Iterum Imperator: gloria ſancto Deo, qui ſervavit nos in concordia & pace, nec in re quapiam diſſentientes aut repugnantes ſanctis Patribus noſtris. His de rebus omnes gratias agentes, gloriam Deo retulerunt, & conſuetam Imperatori benedictionem dederunt. Poſt hæc Imperator, verſo ad D. Leonem Archiepiſcopum Chalcedonenſem ſermone percontatus eſt eum, D num reciperet ſanctum Theodorum Studitam, ac num & ipſe iis quæ lecta fuerant conſentiret, necnon interrogationibus & reſponſionibus omnium ipſa die prolatis acquieſceret, in iiſque maneret. Reſpondit ille ſe ſanctum Theodorum ut communem magiſtrum toto ſpiritu admittere, ac lectionem, interrogationes, reſponſioneſque omnium conſenſu datas ſe etiam amplecti, in iiſque manere. Hæc etiam adjecit: quæcumque vos in libello meo repudiatis, & ego repudio; & quæcumque admittitis, admitto. Hæc cum dixiſſet Leo Chalcedonenſis; quia nonnulla in Epiſtola ejus, iis quæ in ambone ex Synodicis lecta fuerant necnon aliis quæ ſuperius E enarrata ſunt, repugnare ac cum doctrina divinorum Patrum non conſentire deprehenſa ſunt; decretum eſt hæc pro repudiatis habenda eſſe, quemadmodum & eum qui his adhæſerit. Circa memoratas autem interrogationes, reſponſiones & definitiones Imperator omnibus audientibus vociferatur: ſi quis circa definita in quopiam dubitaverit, ſtans in medio dubitationem proponat. Nemoque repertus eſt qui dubitaret, aut definitorum cuipiam contradiceret, ſed omnes a primis uſque ad noviſſimos ſupradictis definitionibus conſentire comperti ſunt.

CON-

ANNO CHRISTI 1100

CONCILIUM VALENTINUM,

In quo Norigundus Eduenſis epiſcopus a ſacerdotis officio ſuſpenſus, & Hugo abbas Flaviniacenſis qui a monachis ſuis pulſus erat, reſtitui juſſus eſt, præſidentibus ſedis apoſtolicæ legatis anno MC. pridie Kal. Octobr.

De hoc concilio ita Hugo ipſe Flaviniacenſis, cujus res agebatur: Anno, *inquit*, incarnationis Dominicæ MC. advenerunt miſſi ad Gallias legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ, Joannes & Benedictus, a quibus concilium primo apud Eduam deſignatum, apud urbem Valentinam inſtitutum eſt 11. Kal. octobris, ad quod convenerunt archiepiſcopi, epiſcopi, abbates numero XXIV. occurrentibus legatis domni Lugdunenſis archiepiſcopi, quia ipſe infirmabatur; quamquam epiſcopi diœceſeos ejus, Lingonenſis, & Cabilonenſis (Matiſconenſis enim in redeundo a Roma captus a Wiberto in cuſtodia detinebatur) non interfuerint, prohibiti, ut dicebatur, ab eodem Lugdunenſi. Eduenſis autem intertuit, quia accuſabatur a canonicis ſuis de ſimonia, & aliis quibuſdam, pro cujus defenſione maxime illo convenerant Lugdunenſes.

Hugo Flaviniacenſis a monachis ſuis pulſus, reſtituitur.

Ibi ego in primo aditu concilii purgationem illatorum offerens, accuſatoribus tacentibus & deſcientibus, judicio concilii ad primam abbatis Divionenſis vocem de abbatia inveſtitus, aſtantibus canonicis Eduenſibus, & laudantibus, cappa & baculo donatus, in circo reſidere juſſus, poſt ſoluto concilio ad propria ſum remiſſus, litteris apoſtolicis munitus in hæc verba. „ Joannes & „ benedictus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, „ & legati, monachis, clericis, & laicis, ad ab„ batiam Flaviniacenſem pertinentibus, obedien„ tibus ſalutem. Fratrem noſtrum, abbatem ve„ ſtrum Hugonem nobis cariſſimum, quem ſan„ cta ſynodus judicio concilii de abbatia inveſti„ vit, dilectioni veſtræ commendantes remitti„ mus: præcipientes ex parte Dei & beati Petri, „ ut Divionem venientes, eum ut abbatem ve„ ſtrum requiratis, & in manu cariſſimi fratris „ noſtri ſanctæ Romanæ eccleſiæ filii Divionen„ ſis abbatis promittentes, vos eum ſecure & pa„ terne tractaturos, cum honore debito ad mo„ naſterium eum reducatis. Obedientes benedi„ ctionibus multiplicemini: inobedientes vero iram „ Dei in poſterum ſentietis, & a nobis pro con„ tumacia ſententiam dignam excipietis. Et quia „ noſtrum eſt, obedire nolentibus aut differenti„ bus præcavere vel obviare: interdicimus omni„ no vobis in villa Flaviniacenſi, & in omnibus „ omnino locis ad eamdem abbatiam pertineniti„ bus, divinum officium, donec præceptis noſtris, „ quæ ſancta ſynodus firmavit, obediatis.

Nusquam poena rebellibus ſuos effugit.

Parere tamen concilio pervicaces monachi noluerunt. Quod ubi prolixe narravit Hugo, præmiſſis litteris, quibus eos, accuſatores videlicet ſuos, vocaverat ad concilium: tranſit ad Eduenſis epiſcopi cauſam: in qua quid geſtum ſit in Valentino concilio, legatos Eduenſis eccleſiæ Romano pontifici narrantes inducit.

In ſpatio, *inquit*, temporis, quo Valentinenſe celebratum eſt concilium, obiit Wibertus XX. anno, ex quo ſedem invaſit apoſtolicam: cum haberet in captione Matiſconenſem epiſcopum, & alios quamplures clericalis ordinis; quos omnes pro abſolutione ſua in egreſſu ſuo per ſe abſolvit: monens epiſcopum, ut Romam remeans, apud papam pro ſua laboraret erepſione. Qui papam adiens, reperit ibi legatos eccleſiæ Eduenſis ſuper ſuo epiſcopo conquerentes, & geſta concilii referentes, modumque accuſationis. Quod promiſerit Walterio archidiacono præſente Stephano cantore in dormitorio Eduenſi, ſi ipſe adjuvaret eum, ne mater ejus vel fratres, penes quos magnum erat poſſe, nocerent ei de epiſcopatu adipiſcendo, haberet quidquid vellet in eccleſia. Et quod pro hac accuſatione, cujus erant auctores fere omnes canonici, illi quammaxime, qui concilio interfuerunt miſſi ab aliis, numero XIII. de primoribus eccleſiæ, & in ea meliores, archidiaconi duo, præpoſitus, cantor, & alii nobilitate & ſcientia honeſtateque præcellentes: ego quoque ipſe qui ad querimoniam capituli Eduenſis judicio concilii in ſedem & locum reſtitutus eram, quod pro hac, inquam, accuſatione, quam eo enixius domnus abbas Cluniacenſis per legatos ſuos, domnuſque Divionenſis per ſe, efferebant, quo inclementius tyrannidem ipſius qui impetebatur, experti erant, controverſia in concilio orta fuerit: dicentibus his qui partes accuſati defendebant, non eſſe idoneas ad accuſandum perſonas, pro eo quod oves paſtorem reprehendere aut accuſare non habent, ii maxime qui electioni ejus conſenſerant, & faverant conſecrationi. Audierant quoque anathema invectum in eos, qui eam reprobandam ſcirent, nec manifeſtarent: & rem ipſam ante conſecrationem actam conſtabat, quodque poſt conſecrationem accuſator ipſe diaconii officium locumque promotionis ab eo ſuſceperit, & teſtis accuſationis, officium cantoris; & uterque ei hominium fecerit: non eſſe ſufficientem accuſationem, in qua alter accuſator, alter eſſet teſtis, idemque accuſator. Legatis e contra reſpondentibus, in cauſa ſimoniæ nullum omnino, quamquam infamem, quamquam ſubditam perſonam, removeri ab accuſatione, cum domnus papa Gregorius VII. in concilio Romano ad accuſationem cujuſdam abbatis ſimoniacum quemdam depoſuerit epiſcopum eodem abbate primo pro eadem ſimonia, cujus ipſe particeps & conſentaneus fuerat, depoſito, ſufficientem eſſe in uno accuſatore, & uno teſte accuſationem. Illis quoque qui impetebant objicientibus, & ſacramento probare volentibus, quia juniores erant, & non adeo in canonibus exercitati, ignoraſſe quod eſſet in promiſſo illo peſtis ſimoniæ, & mox ut reſciverunt, prodidiſſe; ſicque a ſe jaculum excommunicationis repellentibus. Adjicientibus etiam quod electio ejus in ipſo exordio infirmata, & omnino reprobata fuerit a metropolitano: pro eo quod anno & die in excommunicatione manſerit, archidiaconii officium in eccleſia Lingonenſi obtinendo; itemque archidiaconi & cantoris, cum non eſſet diaconus, in eccleſia Eduenſi, contra vetitum ejuſdem metropolitani & legati: & in ipſis prælaturis ſimoniace

viven-

ANNO CHRISTI 1100.

vivendo. Quodque, poſtea quam infirmata eſt, abſque conſcientia capituli Lugduni diaconus ornatus ſit. Referebant etiam iidem legati, ubi ad judicium ventum eſt, diſſenſionem accreviſſe, dicentibus epiſcopis, pro uſu Gallicanæ eccleſiæ, qui confirmatus erat in concilio Claromontenſi pro præſentia Urbani papæ, itemque in conciliis habitis a domno Lugdunenſi, purgationem imponendam ipſi qui impetebatur: quamvis hoc canonum auctoritatibus firmare non ſufficerent. Legatis e diverſo reſpondentibus, & canonica aſſertione firmantibus, accuſatorum eſſe probare quod objecerint, ſi legitimi ſunt, vel in cauſa ſimoniæ ubi nulla requiritur legalitas, eo quoque B qui accuſabatur Romanam ſedem appellante, cui appellatio non aſſenſum ſit ab eis: eo quod cura, quam alii in parte ſollicitudinis, ipſi haberent in plenitudine poteſtatis, qui Romanam eccleſiam miniſtrant, & judices eſſent in eadem eccleſia. Cumque tardantibus epiſcopis judicium dare, nox imminens & expectatio epiſcoporum conventum ſolviſſet dilatione data, ſententia ſuſpenſa, in cra- A ſtinum eadem re diutius ventilata, agitata, nec terminata, petentibus omnibus epiſcopis de judicio diſſidentibus, induciæ datæ ſunt uſque ad Pictavenſe concilium, quo pars utraque vocata eſt: eo tamen a pontificali & ſacerdotali ſuſpenſo officio, cum idem per ſe & ſues munera quædam epiſcopis nocte eadem miſiſſet, quæ a quibuſdam ſuſcepta, a quibuſdam ſunt reprobata: quod etiam cardinales non latuerit. Adeo ut in plenario conventu gratiæ circumſedentibus ab eis ſint redditæ; quod ſacerdotalia pectora auri ſacra fames, etſi tentaſſet, non irrupiſſet. Hæc quidem, cum præſens eſſet Matiſconenſis, in audientia D. papæ referebantur. Aderant & litteræ cardinalium " ſedi apoſtolicæ directæ pro eadem cauſa: ne quod factum erat ad honorem Romanæ eccleſiæ, cardinales " ſincerent infringere. Et cum rogaret " pro confratre epiſcopo, dimiſſus eſt ab eo, acceptis mandatis ut juſtitiæ faverent cardinales: apud ſe ratum fore judicium æquitate Petri prolatum. Sicque rediit, & Pictavenſi concilio interfuit.

" Joan. & Benedicti, legatorum " qui Romæ tum erant. " Epiſc. Matiſconenſis, pro Eduenſi.

ANNO CHRISTI 1100.

CONCILIUM PICTAVENSE,

SUB PASCHALI PAPA II. PRIMUM,

In cauſa Philippi Francorum regis, qui dimiſſam Bertradam revocaverat, celebratum a Joanne & Benedicto cardinalibus, ſedis apoſtolicæ legatis, XIV. Kal. Decembris, anno Domini MC.

G. C. *Binius auctorem ſecutus Baronium, huic concilio tribuit canones* X. *quos alterius eſſe concilii neceſſe eſt. Reperit enim Sirmondus noſter in codice MS. Igniacenſi canones ſedecim, ab iſtis omnino diverſos, quibus anni hujus certus & indubitatus character præfigitur. Hinc igitur excludendi ſpurii illi fuerunt: & eos jam P. Philippus Labbe ſupra edidit, aſſignavitque alteri Pictavenſi concilio, quod Hugo Dienſis epiſcopus, ſedis apoſtolicæ legatus, in eccleſia ſancti Hilarii celebravit* XVII. *Kal. Febr. anno Chriſti* MLXXVIII. *Gregorio* VII. *pontifice. Cujus facti cauſam nullam cum attulerit, auctorem tamen graviſſimum habet Sirmondum: cujus ſchedas, quæ mihi nunc in manibus ſunt, non dubito quin ante conſuluerit. In iis Sirmondus canones illos decem, ſui manu deſcriptos, & ad editionem paratos, eidem Pictavenſi concilio anni* MLXXVIII. *tribuit, & ſcholion hoc addit.* Hi canones in annalibus eccleſiaſticis adſcripti ſunt alteri concilio Pictavenſi anni MC. Sed germanos ejus concilii canones ab his longe diverſos ſuo nos loco proferemus. Quare ad hoc potius Hugonis Dienſis concilium pertinere viſi ſunt, cujus diem & annum didicimus ex codice Flaviniacenſi.

Concilii ergo noſtri primum actorum narrationem ex variis ſcriptoribus, ac deinde genuinos canones affero.

ACTA CONCILII PICTAVENSIS ANNI MC.

COncilium hoc, *inquit Hugo Flaviniacenſis in chronico ad annum* MC. aggregatum eſt in eccleſia ſancti Petri die octavarum ſancti Martini, epiſcoporum & abbatum numero LXXX. Affuit & Eduenſis cum Cabilonenſi, Dienſis quoque epiſcopus, quem illo miſerat domnus Lugdunenſis, C ut partes Auguſtudunenſis ſua vice tueretur. Advenerunt & canonici adverſus eum numero XXXV. Repetuntur, quæ jam in priori concilio ſuper accuſatione ejus objecta fuerant: quibus miro modo, multo documento, ſed non probabili, ab alia parte reſiſtitur. Manet controverſia præfata, & fere a toto concilio repugnatur ſuperius dictis cardinalium reſponſionibus pro uſu Gallicanæ eccleſiæ: illis ſuam auctoritatem in nullo infringere volentibus, nec appellationi aſſentientibus. Datur tamen ei locus ſe purgandi cum idoneis perſonis, ſicut voluerat concilium: & hoc in præſentiarum, non conceſſa dilatione induciarum quæ quærebantur, nec admiſſis ad purgationem, Cabilonenſi quem ſecum adduxerat; & Dienſi, quem archie- D piſcopus miſerat. Quod cum factum non fuiſſet, judicio dato, eis fruſtra ſedem apoſtolicam appellantibus, rogabatur ſtolam reddere & annulum. Et interim ipſe retro altare ſecedens cum ſuis, nec judicio parere voluit; nec ad conſeſſum remeare, ut præcipiebatur, aſſenſit. Quamobrem ab epiſcopali & ſacerdotali eſt officio omnino depoſitus, & niſi obediret, a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſegregatus: omneſque qui ei ulterius ut epiſcopo obedirent vel revererentur, æterna maledictione multantur, vel qui ei opem ferrent in pertinacia perſiſtendi. Quid autem interceſſerit, E quod cum Turonenſis archiepiſcopus, & Redonenſis, & alii complures, cooperatores ſe primo obtulerint defenſionis, & adjutores purgationis, quia erant de provincia Lugdunenſi, in tempore ſe neceſſitatis ſubtraxerint, reticere non debemus. Ubi audierunt canonici noſtri, id ab eis præſentari perſonæ illi, cujus ignorabant vitam & mores, ſoliciti ad eos conveniunt, conteſtantes privatim & publice, ne attaminarentur communione illius, nec dicendi ſacramenti, immo perjurii, quorum in purgatione eadem certiſſimum

erat

ANNO CHRISTI 1100.

erat periculum, ſi tamen purgatio dicenda eſſet criminis exaggeratio: aſſerentes, ſi non adquieviſſent, ſe, quotquot erant canonici, perjurium eorum ratione & ſacramento declaraturos, & judicio ignis probaturos. Quod dictum ab incœpto eos prohibuit: maxime quia videbant viros tantæ auctoritatis & nobilitatis rationem ſuam evidenti aſſertione, & documento probabili aſtruere.

Et de eo quidem ita ſe res habet. Ipſe vero quamquam depoſitus, quamquam a conſortio & communione eccleſiæ ſequeſtratus, ſtolam retinuit & annulum: bona tamen epiſcopii clerici providebant & diſponebant, quod & nunc uſque faciunt: omnimodis id ægre ferente archiepiſcopo, quod extra voluntatem ſuam & accuſatus, & judicatus, depoſituſque foret, a ſe ſacratus epiſcopus; querimonia extra provinciam ventilata per manus legatorum, nec ad ſe qui metropolitanus & primas erat provinciæ, infra provinciam relata ſecundum ſcita canonica. Ad quod tamen exequendum & ita ut actum eſt peragendum, iuſtæ eos rationis evidens adduxit neceſſitas. Etenim cum in ipſo primordio ſcandali cardinales adveniſſent, hortatu & precibus ejuſdem pſeudo-epiſcopi ad componendam pacem eccleſiæ, quæ fœda dilaceratione, ſed neceſſaria ſcindebatur: Eduam in feſto ſancti Nazarii venerunt, & audita partis utriuſque ſententia, tanto favore proſecuti ſunt, & tuebantur vices illius, quamquam juſtitia canonicorum parti faveret, ut de maxima diſſenſione ad pacis unionem rediretur, & talis eos concordia ſociaret, cui quamvis ægre a canonicis aſſenſum eſſet. Quæ cum tandem obſtinatione ejus in irritum deducta fuiſſet: ab eiſdem poſt capitulo abnegatam juſtitiam, ad audientiam metropolitani & judicium ejus, de communitatis dilapidatione, unde agebatur, vocatus eſt.

Quod reſpuit, & de priori benignitate cardinalium confidens, ad deſignatum Valentinenſe concilium eos ibidem reſponſurus & ſatisfacturus invitavit, & nolentes ire coegit imitatione ſua: illis & pro publico damno communitati eorum illato, & pro privatis injuriis hominium ejus rejicientibus, & apertos ſe inimicos ex hoc maxime, quia de rebus domeſticis ad concilium, & extra provinciam vocabantur, proteſtantibus. Dolenda hominis miſeria, qui nullum unquam dilexit, a nemine dilectus eſt, nulli in ſe peccanti ignovit, nulli poſt iram remiſſionem tribuit, in ſola pecuniæ aggregatione ſpem ſuam omnem conſtituens. Non credatur nobis, ſi non in hoc vox una conſonat omnium. Nec noſtrum eſt, etſi læſi ſumus, læſionis maledicto talionem rependere, qui ſcimus in nos peccantibus nos debere ignoſcere: ſed nec congruit veritati & pietati eccleſiaſticæ, de his quibus in ſe peccantibus ignoverit, falſa pro veris concinnare, quia vera dilectio a fide veri neſcit deviare. Tribuat illi dominus, ut quia cœptis ſuis omnia adverſa reſpondere videt, non adjiciat ut ſimilem principio finem faciat, ſed ſperet in nomine Domini, non in incerto divitiarum, & innitatur ſuper Domino Deo ſuo. Amen.

Alia hic agitata cauſa eſt, Philippi nempe Francorum regis, qui Bertradæ conſuetudinem anno MCVI. *in concilio Remenſi dimiſſam, repetierat. De hoc crimine poſtquam Hugo multa diſſeruit, narrat ut regem cardinales legati poſt concilium Valentinum convenerint, & cum nihil profeciſſent, in Pictavenſi concilio adverſus eum pronuntiarint.*

Aderat, *inquit*, ibi comes Pictavenſis ſumma prece eos depoſcens, ne dominum ſuum excommunicarent: aderant & epiſcopi identidem facientes. Et cum non impetrarent quod volebant, confeſſu & loco concilii idem comes & ſui; minas intendendo, aliqui quoque ex epiſcopis, multi ex clericis, innumerabiles ex laicis exierunt. Sic ordine turbato, pace in tumultum verſa, *qui remanſerunt*, (*quod Hugo verboſius & vehementius enarrat*) *regem & Bertradam excommunicarunt*. Hoc autem actum eſt, *inquit*, quando jam ſolvendum erat concilium. Jamque laus Chriſti in ore eorum qui aſtabant pro dimiſſione concilii, ut moris eſt, reſonabat: & æſtus turbæ tumultuantis ut fervor maris incandeſcebat, pro domini ſui regis excommunicatione inſanientis. Cum quidam e populo in ſuperioribus exiſtens eccleſiæ, lapidem jecit, cardinales ferire volens, cujus ictu, clericus quidam qui aſtabat capite illiſo proſternitur: ſanguine manant pavimenta, clamore confuſo domus impletur, furore & inſania intus & extra miniſtri Satanæ debacchantur. Manent columnæ Chriſti immobiles, mortem ſi Dominus jubeat, intrepidi opperientes; & ad laxa volantia, mitris ablatis, capita nuda retegentes; nec aliquando a laude Dei & prædicatione veritatis reticentes: quod voce proſecuti erant, ſanguine confirmare, ſi ſit neceſſe, geſtientes. Quorum conſtantia devota, & devotione conſtantiſſima furentium facta eſt repreſſio, & ad pœnitentiam cordium inclinatio. Adeo ut comites, & quotquot antea graſſabantur in confuſione eorum, humilitati ſint in conſpectu illorum, ſatisfactione præmiſſa & prætenta obedientia.

Rem aliter narrat Gaufredus Groſſus in vita Bernardi primi abbatis Tironienſis, cujus diſcipulus fuit: Per idem tempus, *inquit*, duo cardinales, Joannes atque Benedictus apoſtolicæ ſedis legatione fungentes, ad urbem Pictavium concilium convocarunt. In quo centum quadraginta patres adfuerunt, qui Philippum regem Francorum, propter Fulconis conſulis Andegavenſium uxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindicta percuſſerunt. Qua excommunicatione comperta, Guillelmus dux Aquitanorum, qui aderat, totius pudicitiæ ac ſanctitatis inimicus, timens ne ſimilem vindictam pro conſimilibus actis pateretur, nimio furore ſuccenſus, juſſit omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod miniſtris ſuis facere incipientibus, pontifices & abbates omnes huc illucque diffugiunt: & ut temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt. At vero Bernardus atque Robertus Arbreſſellenſis, qui concilio intererant, fortiſſimi juſtitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis & injuſtitiæ expugnatores, aliis turpiter diffugientibus, ita immobiles conſtanteſque perſtiterunt, ut nec ab incœpto excommunicationis deſiſterent: ſed pro Chriſto mortem vel contumeliam pati glorioſiſſimum ducerent.

Chronicon vero Malleacenſe XIII. *inquit*, Kalend. Novembr. fuit concilium quod tenuerunt duo cardinales, Joannes & Benedictus: in quo decreverunt, ut omnis eccleſia, jura ſua & feuda potuiſſet redimere auro & argento eccleſiæ. Uni eorum Joanni apparuit ſanctus Hilarius, & dixit ei confirmando: Joannes noli timere, viriliter age, cras ero tecum. Et excommunicavit regem Philippum in ipſo concilio.

Annalium Aquitanicorum ſcriptor Gallicus Joannes Bochetus, cujus hic verba latine deſcribo: Legati, *inquit*, epiſcopos plurimos Pictavum coegerunt. Quod ubi comperiſſet Philippus rex, Guillelmum Aquitaniæ ducem cognatum ſuum, qui Pictavi tum erat, per litteras rogavit, ne tantam

ſibi

ANNO CHRISTI 1099.

ANNO CHRISTI 1100.

ſibi injuriam in urbe ſua fieri pateretur. Obſecutus eſt Guillelmus: legatiſque & epiſcopis, urbe ut excederent, imperavit. Impetrata dici unius ad deliberandum mora, viſus ſibi de nocte Joannes legatus ſanctum Hilarium videre, admonentem, ne minis ullis ab incœpto deterreretur: non permiſſurum Deum, ut quidquam ex eo detrimenti caperet. Viſum ſuum legatus Guillelmo duci cum poſtridie retuliſſet, quidvis agendi poteſtatem obtinuit. Cognita igitur cauſa cenſuris apoſtolicis res admonitus eſt, ut Bertradæ renuntiaret: quod & fecit.

Tractatum eſt in concilio eodem, *ait Hugo Flaviniacenſis*, de expulſione abbatis ſancti Remigii injuſta, & Burchardi ſubſtitutione illicita. Et cum diu re ventilata, converſatio ejus ſancta, introitus legitimus, promotio atque ſacratio inventa fuiſſet authentica & canonica, quæ etiam litteris domni papæ Urbani roborabatur, quibus merito fides adhiberetur, cum jam ipſa etiam pars inimica reſtaurationem ejus non reprobaret: pro quibuſdam litteris confictis, quaſi ab apoſtolica ſede directis, in quibus cardinales nec ſtilum Romanum, nec pergamenum Romanum agnoſcebant, maxime cum in fine earum ſubſcriptum foret, *valete* *, quod Romana non habet auctoritas: pro illis, inquam, confutandis, judicatum eſt ad ſedem eamdem apoſtolicam: quibuſdam, qui primo appellaverant, nec conceſſum erat eis, id ægre ferentibus, quibus tamen evidenti ratione reſponſum eſt, etſi ſatisfactum non eſt.

* *Reperitur tamen hæc formula in aliis Paſchalis epiſtolis. Vide ep.* 81.

Agitatum in eodem concilio cauſam Drogonis, qui ſe Catalaunenſis eccleſiæ theſaurarium rite inſtitutum profitebatur, docet Ivo Carnot. ep. 95. *ad Paſchalem P.* Notum, *inquit*, facimus providentiæ veſtræ, quod venerabilis confrater, & Romanæ eccleſiæ ſemper amator Catalaunenſis epiſcopus, per nos qui Pictavenſi concilio interfuimus, convenit & interpellat clementiam veſtram: quatinus ſententiam veſtram, importunitate Drogonis, & nebulis verborum ejus, ab innocentia veſtra extortam, mitigetis, vel in melius mutetis; & ſicut decet apoſtolicam moderationem, fratri noſtro juſta & poſſibilia jubeatis. *Et infra.* Prædictus enim Drogo cum omnium in Pictavenſi concilio confidentium importunis clamoribus aures oneraret, dicebat, ſe prædicta theſauraria a Philippo Catalaunenſi epiſcopo canonice fuiſſe inveſtitum, & ideo injuſte ſpoliatum. Cujus rei veritas cum diligenter fuiſſet eventilata, conteſtantibus Catalaunenſis eccleſiæ clericis Drogoni prædicto objectum eſt, quod ſecundum ordinem eccleſiaſticum, prædictum honorem habere non poſſet, niſi ipſius eccleſiæ canonicus, quod ipſe nec fuerat, cum jam eſſet in alia eccleſia, & in alia provincia factus canonicus & archidiaconus. Additum eſt etiam quod prætaxatus epiſcopus jam moriens & inunctus, importunitate Drogonis ſuperatus, non eum prædicta adminiſtratione inveſtierit, ſed tantum eo tenore conceſſerit, ut eo vivente, numquam ſe de ea intromitteret, nec ejus uſus fructus uſurparet. Invitati itaque a venerabilibus cardinalibus veſtris ad judicium, cum nullus eſſet qui prædictis rationibus obviaret, & confirmantibus eiſdem cardinalibus judicium noſtrum: ex ratione & auctoritate judicavimus non fuiſſe canonicam inveſtituram, contra quam clamant decreta apoſtolica, canonica inſtituta, & univerſa pene concilia. Leges enim nequaquam appellant inveſtituram conceſſionis, ſed poſſeſſionis, quam prædictus Drogo in vita defuncti epiſcopi non habuit, ſed poſt mortem ejus ipſe ſe impudenter ingeſſit. Nec habet ordo canonicus, ut in ea eccleſia quis præpropero ſaltu fiat præpoſitus, in qua nunquam meruit eſſe ſuppoſitus. Quod autem prædictus clericus in duarum civitatum titulari non poſſit eccleſiis, tam ex veſtris quam prædeceſſorum veſtrorum comprobamus ſententiis.

ANNO CHRISTI 1100.

Suam hac Ivo ipſe, quæ diſceptaretur, cauſam attulit. Nam epiſt. 100. *ad Joannem Aurelianenſem epiſcopum:* Expectans, *inquit*, expectavi te, & non intendiſti mihi, quia altare de baſilicis, quod mihi in concilio Pictavenſi adjudicatum eſt, ſecundum judicium ſynodi non reſtituiſti mihi. Paganus enim, prædicti altaris ſacrilegus invaſor, adhuc manum mittit ad ſacrilegium: & tam tuo conſenſu quam Turonenſis archiepiſcopi patrocinio, cui plus juſto ſubjaceat fraternitas tua, ſibi uſurpat jus meum. *De eodem Pagano loquitur epiſt.* 114. & 124.

G. C. Indictum primo concilium hoc fuerat IV. Kal. Aug. ut intelligimus ex epiſt. LXXXIV. Ivonis Carnotenſis ad Joannem card. *De termino*, inquit, *habendi concilii, quem IV. Kal. Aug. deſignaſti, facile occaſionem capient epiſcopi partium noſtrarum, dicendi non eſſe congruum ſpatium ad peragendam viam, & præparandum viaticum. Non enim poterunt multi ad locum pervenire concilii, niſi per multos circuitus, & per acquiſitos undecumque conductus. Si ergo videretur termino in capite autumni, &c.* Ulterius etiam dilatum eſt, quam Ivo ſuaſerat.

DECRETA PICTAVENSIS CONCILII,

ex præcepto domni Paſchalis papæ II. anno Dom. MC. IX. * Kal. Decemb. per venerabiles ſanctæ Romanæ eccleſiæ Joannem & Benedictum cardinales, generaliter & ſolenniter celebrati. * Cor. XIV.

Ex apographo Sirmondi, quod deſcripſerat ex cod. Igniacenſi.

TITULI CANONUM.

I. *Ut coronas ſoli faciant epiſcopi, & abbates ſuis monachis.*

II. *Ut pro faciendis coronis nihil exigatur.*

III. *Ut clerici hominium laico non faciant, nec ab eo beneficium accipiant.*

IV. *Ut veſtimenta & vaſa ſacra ſolus epiſc. benedicat.*

V. *Ut manipulis monachi non utantur, niſi ſint ſubdiaconi.*

VI. *Ut abbates chirothecis, ſandaliis & annulo non utantur ſine privilegio.*

VII. *Ut præbendæ non vendantur, nec pro illis paſtus exigatur.*

VIII. *Ut inveſtituræ viventibus poſſidentibus non fiant.*

IX. *Ut altaria per pecuniam non acquirantur.*

X. *Ut clericis regularibus, epiſcopi juſſu liceat baptizare*, &c.

XI. *Ut monachi parochialia non præſumant.*

XII. *Ut non admittantur qui reliquias quæſtus cauſa circumferunt.*

XIII. *Ut pro epiſcopi ordinatione, vel benedictione abbatis nihil exigatur.*

XIV. *Ut de oblationibus non participent laici.*

XV. *Ut advocati aliive ſibi res epiſcopi vendicare non præſumant.*

XVI. *Ut ſerventur quæ in concilio Claromontenſi conſtituta ſunt.*

ANNO CHRISTI 1100.

CANONES.

I. *Ut coronas soli faciant episcopi, & abbates suis monachis.*

Ut nullus præter episcopum clericis coronas benedicere præsumat, exceptis abbatibus, qui illis tantummodo coronas faciant quos * sub regula beati Benedicti militaturos susceperint.

* al. quos ad conversionem susceperint.

II. *Ut pro faciendis coronis nihil exigetur.*

Ut nemo in faciendis coronis * forpices, vel manutergia exigat.

* Corr. forfices.

III. *Ut clerici hominium laico non faciant; nec ab eo beneficium accipiant.*

Ut clerici nunquam alicui laico hominium aliquo modo facere præsumant, aut a quolibet laico ecclesiasticum beneficium accipiant.

IV. *Ut vestimenta & vasa sacra solus episcopus benedicat.*

Ut nullus vestimenta sacerdotalia, vel altaris utensilia præter episcopum benedicere præsumat.

V. *Ut manipulis monachi non utantur, nisi sint subdiaconi.*

Ut nemo monachorum deinceps manipulis utatur, nisi fuerit subdiaconus ordinatus.

VI. *Ut abbates chirothecis, sandaliis, & annulo, sine privilegio non utantur.*

Ut nullus abbatum utatur chirothecis, sandaliis, annulo: nisi quibus fuerit per privilegium a Romana ecclesia concessum.

VII. *Ut præbendæ non vendantur, nec pro illis pastus exigatur.*

Ut præbenda non vendatur vel ematur: neque pastus inde exigatur sub excommunicatione interdicimus.

VIII. *Ut investituræ viventibus possessoribus non fiant.*

Ut nulla investitura fiat præbendarum, & altarium, sive prælationum, viventibus eas possidentibus personis.

IX. *Ut altaria per pecuniam non acquirantur.*

Ut neque clerici vel monachi per pecuniam altaria vel decimas a laicis vel quibuslibet personis sibi adquirant, similiter sub excommunicatione interdicimus.

X. *Ut clericis regularibus episcopi jussu liceat baptizare, &c.*

Ut clericis regularibus jussu episcopi sui A baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, mortuos sepelire liceat.

XI. *Ut monachi parochialia non præsumant.*

Ut nullus monachorum parochiale misterium presbyterorum, id est, baptizare, prædicare, pœnitentiam dare præsumat.

XII. *Ut non admittantur qui reliquias quæstus causa circumferunt.*

Ut sanctorum reliquias causa pecuniæ & quæstus circumferentes, ad prædicationem non admittantur.

XIII. *Ut pro ordinatione episcopi, vel abbatis benedictione, nihil exigatur.*

Ut neque archiepiscopi ab episcopis, neque episcopi ab abbatibus, cappas, tapetia, bacinos, vel manutergia in consecratione eorum exigant, sub excommunicatione interdicimus.

XIV. *Ut de oblationibus laici non participent.*

Ut nullus laicorum de oblationibus quæ offeruntur vel donantur ad altaria, sive ad manum presbyteri, ut quod pro sepultura fidelium devote donatur, præsumat participare, sub excommunicatione interdicimus.

XV. *Ut advocati aliive sibi res episcopi vendicare non præsumant.*

Ut nemo advocatus, vel quæcumque persona, res episcopi, sive in vita, sive post mortem, sibi vendicare præsumat. Quod si fecerit, anathema sit.

XVI. *Ut serventur quæ in concilio Claromontensi constituta sunt.*

De decimis & altaribus quæ laici injuste, & contra sacros canones detinent, & de castitate presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, & canonicorum; & ne quis in duabus ecclesiis duas præbendas, aut duos honores obtineat: & quidquid de cæteris ecclesiasticis utilitatibus beatæ memoriæ domnus Urbanus papa secundus in Claromontensi concilio constituit: nos apostolica auctoritate tenenda præcipimus.

Adjicere canonem XVII. possemus ex chron. Malleac. quod docet, ut ante diximus, decretum in hoc concilio;

Ut omnis ecclesia, jura sua & feuda possit redimere auro & argento ecclesiæ.

AD

ANNO CHRISTI 1100.

ANNO CHRISTI 1100.

AD PICTAVENSE CONCILIUM,

A Joanne & Benedicto S. R. E. cardinalibus, & A. S. L. L. anno 1100. *celebratum*

ADDITIO.

Ex Manſſ. Suppl. T. II. pag. 183.

AD Pictavenſe concilium multa hinc inde ex coævis decerpta congerit Labbeus. Ego legatorum apoſtolicæ ſedis cardinalium evocatorias literas addam, quas præbet codex epiſtolarum Lamberti Atrebatenſis epiſcopi vulgatus a Baluzio Miſcellan. to. V. pag. 320.

EPISTOLA LEGATORUM APOSTOLICÆ

Sedis, ad Concilium Pictavenſe invitatoria.

JOannes & Benedictus ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, atque legati, Lamberto Atrebatenſi epiſcopo ſalutem & gratiam. Sicut eccleſiæ noſtræ antiqua eſt conſuetudo, & ſacrorum canonum eſt conſtitutio, ab apoſtolica ſede directi ſumus ad celebranda concilia, & negotia eccleſiaſtica tractanda, atque definienda. Quapropter, ut injunctum negotium explere valeamus, invitamus, & invitando præcipimus apoſtolica autoritate, ut XIV. Kal. Decembris Pictavim cum abbatibus tuis venias. Ibi enim Domino adjuvante tecum & cum aliis epiſcopis, & archiepiſcopis concilium celebraturi ſumus.

Ego Joannes tuæ ſanctitatis ſervus te ſpecialiter ſaluto, & conſilium, & auxilium tuum tam in hoc, quam in cæteris negotiis vehementer exopto, & ut ſervus de Domino, & filius de patre, de tua gratia & amicitia præſumo. Vale.

Ad hoc ipſum concilium invitatus Hildebertus Cenomanenſis epiſcopus, ſubjecta epiſtola legenda epiſtolarum ejus lib. II. epiſtol. VIII. quod non venerit, excuſat ſe ſe.

JOANNI, ET BENEDICTO.

APud Joannem, & Benedictum S. R. E. cardinales & Paſchalis II. papæ legatos, ſe excuſat Hildebertus, quominus ad concilium ab ipſis Pictavos indictum accedat, nimiis a Cenomanenſibus conſulibus calamitatibus oppreſſus.

Sicut frequens tribulationum concurſus ſacris nos invitat conciliis, ſic idem revocat, & adducit. Adverſa enim quæ turbam querimoniarum nobis offerunt, ita noſtram contrivere facultatem, ut unicum ſupereſſet ſolatium, uſus ipſe patiendi. Ea profecto ante peractum cœpere triennium, quod totum continuis evolutum lamentis recens vulnus in vulnera quotidie fatigavit. Denique tam modico tempore, ſex in urbe ſuſtinuimus conſules, quorum nullus pacificum prætendens ingreſſum, gladiis & igne curtam ſibi vendicavit poteſtatem. Plebs coacta in favorem tyrannum ſuſcepit ex neceſſitate, non ducem ex lege. In ſuſceptum ſtudia ſimulavit, non exhibuit. Fidem reperit in eo, qui ſuperior. Conſul vero tanto gravius dominatus eſt quanto brevius. Miles ejus ſimulatis uſus injuriis, eos ſcelerum judicavit expertes, quos rerum. Et quia non parcit populis, regnum breve, finem rapinis inopia poſuit, non voluntas. Ea clades uſque ad ſanctuarium Domini devagata eſt, & primo quidquid extra muros noſtræ fuerat poteſtatis, vel evanuit in favillas, vel diſſipatum eſt in rapinas. Deinde ſimilibus cecidere præjudiciis epiſcopales eccleſiæ domus non paucæ. In reliquis, quibus ignis pepercit æque periclitata eſt & facultas pauperum, & reverentia ſactorum. Omnia confracta ſunt, omnia direpta, omnia contaminata. Nihil eorum manus evaſit, qui gratis ad flagitia diſcurrunt, ad honeſtum nec pretio. Eiſdem clerus affectus injuriis, ſummam rerum judicat affluentiam ſolari naturam. Ad neceſſaria votum reſtringit, omnibus indigens. Illius anguſtiæ ſuper dolorem vulnerum noſtrorum addiderunt, graviuſque confundimur, quod eorum relevare non poſſumus inopiam, quam quod nemo vult noſtram. Præterea longum eſt enarrare quam conſtanti tyrannide rex Anglorum in nos ſævierit, qui temperantia regis abjecta, decrevit non prius pontifici parcendum, quam pontificem compelleret in ſacrilegium. Quia etenim turres eccleſiæ noſtræ dejicere nolumus, tranſmarinis ſubjiciendi judiciis, coacti ſumus injurias pelagi ſuſtinere, ſingularem ſcilicet moleſtiam in terris, atque unicam humanæ compaginis diſſolutionem. Tantis igitur agitati turbinibus ad apoſtolorum limina decrevimus proficiſci, magnum novæ tribulationis arbitrati remedium, ſi Romanus pontifex nobis & conſilio ſubvenit & auxilio. Suſcipite igitur noſtram benevoli excuſationem, diligenter attendentes noſtros ſumptus itineris expenſæ pariterque concilii, ſufficere non poſſe, qui de reliquiis incendiorum tanquam tabulæ de naufragio extracti, defectum nobis in via pollicentur.

SUESSIONENSIS SYNODUS

A Manaſſe Remenſi archiepiſcopo anno 1100. *habita.*

SYnodi hujus reliqua fere omnia præter nomen latent. Hoc vero ſervarunt nobis literæ Belvacenſium clericorum ad Lambertum Atrebatenſem epiſcopum in Miſcellan. Baluzii to. V. pag. 322. quibus eum rogant ut electum a ſe Stephanum Pariſienſem archidiaconum in Belvacenſem epiſcopum ea qua præſtabat apud pontificem gratia acceptandum curaret. *Super iſto autem negotio, addunt, a domno Manaſſe Remorum archiepiſcopo, & cæteris coepiſcopis, qui conventui Sueſſionis habito interfuerunt, quæſivimus, & impetravimus literas ſummo pontifici dirigendas, &c.* Nec plura de hoc concilio, quod habitum fuiſſe oportet circa annum 1100. quo Stephanum intruſum in ſedem Belvacenſem tradunt Sammarthani.

ANNO CHRISTI 1100.

CONCILIUM ANSANUM

In quo de Hieroſolymitano itinere eſt actum an. MC.

ANno ab incarnatione Domini MC. *inquit Hugo Flaviniacenſis in chronico*, apud Anſam convenerunt archiepiſcopi, Lugdunenſis, Cantuarienſis, Turonenſis, Bituricenſis, & epiſcopi numero VIII. Eduenſis, Matiſconenſis, Cabilonenſis, Autiſſiodorenſis, Pariſienſis, Dienſis, &c alii duo. Et pace ſtatuta, de via Hieroſolymitana loquuti ſunt: eos qui voverant, & voti executores non fuerant, a communione ſegregantes, quoadusque vota complerent. Miſerat autem Lugdunenſis legatos Romam, per quos velle ſuum papæ oſtenderat de via eadem: ut cum ſua abſolutione & benedictione illo deberet ire. Et Romanus pontifex annuerat, admonens, ut per ſe iret ut legationem ſuam ei committeret in Aſia, quam bene rexerat in Burgundia: & interim legatos a latere ſuo mittendos pro poſſe inſtrueret, qui vices papæ exequerentur. Et ideo illuc A colloquium quammaxime ſtatutum fuerat, ut reverſis miſſis ſuis cum literis abſolutoriis, ibi quoque a ſuffraganeis & diœceſi ſua viaticum acciperet.

G. C. Hujus concilii mentionem Hugo Flaviniacenſis ante facit, quam Valentini & Pictavenſis: ex quo tamen confici non poteſt, ante celebratum eſſe. Nequs enim tam religioſus eſt Hugo in ſervando rerum geſtarum intra eumdem annum ordine. Immo a rebus anno MC. geſtis, redit ad res anni MXCIX. Satis illi eſt, rebus omnibus ſuos eſſe characteres annorum impreſſos. Liquet autem ex ipſis Hugonis verbis, Anſanum concilium exeunte anno MC. habitum eſſe. Nam Romanum inter Lugdunenſis archiepiſcopi Hieroſolymam proficiſcentis refert ad MCI. Atqui ſtatim poſt ſynodum profectus eſt, quæ coacta eo maxime fuerat, *ut reverſis miſſis ſuis a pontifice, cum litteris abſolutoriis*, hoc eſt, diſcedendi facultate, *ibi quoque a ſuffraganeis & diœceſi ſua vicarium acciperet*.

CONVENTUS VILLÆBERTRANDI

ANNO MC.

ANno Domini MC. habitus eſt conventus epiſcoporum ad dedicandam eccleſiam S. Mariæ Villæbertrandi, in diœceſi Gerundenſi: cui conventui, præter epiſcopos, interfuerunt Radulfus & Boſo Romanæ eccleſiæ legati: & Richardus archiepiſcopus Narbonenſis. *Ex ipſius eccleſiæ tabulario acta deſcripſit Petrus de Marca Pariſ. archiepiſc.*

Ex Marca Hiſp. Appen. p. 1220.

ANno dominicæ incarnationis centeſimo poſt milleſimum, æra centeſima XXXVIII. poſt milleſimam, Indictione VIII. quadrageſimo etiam ſecundo anno regni Philippi regis Francorum, ſcilicet III. Idus Novembris, divina, ut creditur, diſpoſitione factus eſt conventus Epiſcoporum & Abbatum ac clericorum necnon Principum terræ & reliquorum fidelium Deum timentium & innumeri vulgi diverſæ ætatis & ordinis in territorio Petralatenſi, in loco antiquitus nominato Villa Bertrandi, ob dedicationem ejuſdem baſilicæ in honore Dei genitricis fundatæ.

Bernardus ſanctæ Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Berengarius ſanctæ Barchinonenſis Eccleſiæ antiſtes, & Petrus ſanctæ Carcaſſonenſis Eccleſiæ præſul, omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ filiis, cujuſcunque ætatis & ordinis, hereditatem & gaudium regni cæleſtis. Nolumus latere veſtram fraternitatem, dilectiſſimi fratres & filii, quoniam convenientes ad dedicationem Eccleſiæ beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ in loco Villæ Bertrandi, interventu dilectiſſimi filii noſtri Rigaldi ejuſdem loci prælati ſive miniſtri, cujus cura & labore idem locus auxilio omnipotentis Dei a fundamentis in hunc evaſit valorem in quo cernitur haberi, ipſius venerabilis Eccleſiæ decorem & ſtatum, ut in melius proficeret, qua valuimus inſtantia peregimus. Nam & ſacris pignoribus venerabilium ſanctorum illam cum divina gratia B munivimus & decoravimus, & per invocationem nominis Jeſu Chriſti congruis benedictionibus eam ad ſocietatem cæleſtis Regis ſuſtulimus; quatenus diligentibus amor & Dei auxilium, & odientibus maneat terror atque judicium. Hanc quoque conſtitutionis noſtræ dotem prædictæ Eccleſiæ promulgavimus & promulgando firmavimus, & eam noſtra auctoritate ut inviolabilis maneat, inſignire curavimus, ſtatuentes ſub divini judicii obteſtatione & anathematis interdictione ut nullus C audeat hoc ullo modo violare quod noſtra auctoritas ad ſtabilimentum hujus ſancti loci voluit confirmare. Concedimus etiam prælibatæ Eccleſiæ pontificali auctoritate decimas & primitias ſuæ parochiæ, ſicut antiquitus eam conſtat habuiſſe, vel adhuc ſcripturis vel auctoritatibus vel alicujus veritatis indicio poterit comprobari, & quicquid cum decimis & primitiis adquiſivit vel in futuro adquirere valeat, & oblationes fidelium tam vivorum quam morientium. Conſtituimus etiam baptiſterium omnium ad eam confluentium D generaliter in eadem Eccleſia certis temporibus fieri, & ſepulturas omnium fidelium defunctorum, & quæque in nobiliſſima Eccleſia debent geri, in eadem noſtra auctoritate procul dubio fiant. Conſtituentes etiam decernimus ut clerici in eadem Eccleſia manentes canonice ſecundum regulam beati Auguſtini vivere ſtudeant tamquam nihil habentes & omnia poſſidentes. Nihil eorum quæ eadem Eccleſia acquiſivit vel in futuro acquirerit aliquis clericorum ſuæ proprietati uſurpet vel juri ſuo applicare ſtudeat, tamquam maE jor videri appetens, ſed communiter ab omnibus poſſideatur, diſpenſandum ſingulis prout cuique opus erit. Ejuſdem Eccleſiæ prælatus omni tempore de eodem eligatur grege communi conſenſu totius cleri ibi manentis. Quod ſi aliquam diſſenſionem de eadem electione contigerit oborири,

ANNO CHRISTI 1100.

ri, ille cæteris præponatur quem major & utilior pars ejuſdem gregis ſaniori conſilio elegerit. Præfata quoque venerabilis Eccleſia nulli ſit unquam ſubjecta Regum vel Comitum vel alicui terrenorum Principum nec cujuslibet ordinis viro; nec ullo unquam tempore alii ſubjiciatur Eccleſiæ niſi tantum Gerundenſi Eccleſiæ, in cujus epiſcopatu habetur, & illi non aliter ſit ſubdita niſi ſicut regalia cœnobia & nobiliſſimæ Eccleſiæ ejuſdem epiſcopatus ei ſubduntur, ſed ſemper maneat ſolida & quieta, habens plenam & integram libertatem ſui ipſius & omnium ſuarum rerum. Iterum namque conſtituimus ut nemo unquam Regum, Pontificum, vel Comitum, ſive Principum, nec aliqua cujuslibet ordinis vel dignitatis perſona in eadem Eccleſia vel in omni ſpatio quod in circuitu ejuſdem Eccleſiæ habetur, ſcilicet quantum alodium ejuſdem Eccleſiæ ex omnibus partibus tenere videtur, vel adhuc annuente Domino extenditur, caſtrum vel fortitudinem vel aliquod municipium ædificare præſumat, ſed omnia reverentia & ſanctitate ejuſdem Dei genitricis Mariæ cuſtodiantur, defendantur, atque protegantur; nullique homini ab aliquo viventium infra ſpatium crucibus determinatum aliqua læſio vel violentia ingeratur, vel aliquid quod poſſit eſſe ad injuriam vel dedecus ejuſdem loci perpetretur; neque ædificentur aliquæ domus vel ulla fiant habitacula a prælibata Eccleſia uſque ad centum eccleſiaſticos paſſus ex omnibus partibus in circuitu, niſi illæ quæ ſunt neceſſariæ officinis & habitatoribus ejuſdem loci. In eodem quoque loco vel in omnibus ſpatiis a crucibus determinato ab ullo viventium placita non celebrentur, & mercatus vel fira ſive nundinæ non teneantur neque conſtituantur, vel aliqua publica coadunatio ibi non fiat niſi voluntate & juſſu prælati ejuſdem loci. Prælatus ibi, ſicut ſuperius inſertum eſt, ſecundum Deum conſtituatur, qui ſubjectos fratres in omnem veritatis tramitem inducat, & eos verbo & exemplo ad bene vivendum erudiat, qui prædictas Eccleſias & ornamenta ejuſdem ſanctiſſimi loci non devaſtet neque diſſipet ad detrimentum ejuſdem Eccleſiæ, ſed potius conſervet & juxta ſui poſſibilitatem meliorando ſalvet & ædificet. In omnibus autem prædiis vel eccleſiaſticis fundis ejuſdem Eccleſiæ quæ hodie habet, vel in poſterum juſte acquirere poterit, nullus unquam Regum vel Principum vel aliquis terrenorum dominationem non habeat, vel exactionem ſive violentiam non inferat, niſi tantum prælatus ejuſdem ſanctiſſimi loci & clerici ibi beatæ Dei genitrici famulantes. His ita diſpoſitis atque decretis, congruum viſum eſt nobis & Abbatibus & clericis necne Principibus terræ & reliquis fidelibus Deum timentibus qui ad conſecrationem jamdictæ baſilicæ in nomine Domini congregati fuerunt ut congregationi prælibati loci Abbas ſecundum Deum præponeretur, eo quod & poſſibilitas loci & opportunitas temporis & unanimitas fratrum id inſtanter depoſceret. Quapropter communi conſenſu & acclamatione atque electione totius cleri ibi manentis, & circumſtantis populi favente multitudine, canonica auctoritate de illorum grege, ut ſuperius ſancitum eſt, elegimus atque inthronizamus quendam fratrem in prælibati loci Abbatem, domnum ſcilicet Petrum, bonis moribus præditum, omni bonitate conſpicuum, & quantum ad humanum intuitum hoc regimine digniſſimum, qui in ejuſdem loci ædificatione & conſtructione ab ipſis fundamentis indeſinenter inſudavit & prædiorum emolumento prout melius potuit ditavit, & eccleſiaſticis inſignibus laudabiliter decoravit, atque quod in primævo juventutis flore probabiliter incepit, in virili ætatis robore probabilius Deo favente complebit. Ad finem hujus dotis & conſtitutionis noſtræ denuntiamus & omnes qui Chriſtiana profeſſione cenſentur obteſtamur ſub divini obteſtatione judicii, inſuper auctoritate beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli omniumque ſucceſſorum ſuorum noſtra pontificali poteſtate interdicimus & interdicendo excommunicamus, immo inſolubilibus anathematis vinculis innodamus, ut nemo viventium audeat emere vel vendere jam dictum ſanctiſſimum locum vel aliter prælatum ibi præponere niſi ut ſuperius ſcriptum eſt, vel aliquam præmiſſarum conſtitutionum ſcienter frangere, ſitque a corpore omnium Eccleſiarum Dei ſequeſtratus & a conſortio totius Chriſtianitatis ejectus donec ad dignam ſatisfactionem veniens canonice reſtituat quod male conſtiterit eum feciſſe. Si quis harum conſtitutionum obſervator vel adjutor extiterit, benedictionibus Dei repleatur, & gratiam ejuſdem glorioſiſſimæ Dei genitricis Mariæ conſequatur. Si quis vero infractor ſeu violator ſcienter fuerit, ſacrilegii & invaſionis compoſitionem emendare non differat, & inſuper anathemati, donec reſipiſcat, ſubjaceat, & poſtmodum hæc generalis conſtitutio dotis vel noſtri decreti pontificalis plenum obtineat robur & æternum conſequatur vigorem omne per ævum. Bernardus gratia Dei Gerundenſis Epiſcopus, qui hanc præſentem dotem firmavit, ſalva canonica reverentia ſanctæ Gerundenſis Eccleſiæ. Berengarius Barchinonenſis Epiſcopus. Benedictus Abba. Petrus Carcaſſonenſis Epiſcopus. Petrus Eccleſiæ ſancti Martini prælatus, agens vicem Archilevitæ. Petrus B. Arnaldus clericus. Arnaldus Levita. Raymundus Barchinonenſis Eccleſiæ ſervus. Arnallus ſcriptis favet Archipresbyter iſtis. Raymundus Mironi Sacriſta. Petrus VV. Bernardus Presbyter Eccleſiæ Carcaſſenſis. Remundus Guillelmi Sacriſta. Petrus Guillelmi hic crucis impoſuit ſignum Levita. Joannes Raymundus ſancti Felicis Abbas & Gerundenſis Archilevita laudans confirmo.

Ego Radulfus ſervus ſervorum Dei Epiſcopus & Eccleſiæ Romanæ clericus confirmo & laudo vice beati Petri & Domini Papæ.

Ego Boſo ſanctæ Anaſtaſiæ Cardinalis ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, licet indignus, ſervus & Legatus conſignando confirmo.

Ricardus ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus quod canonice factum eſt firmo.

Berengarius Dei gratia Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

Berengarius Presbyter, qui hanc inſtitutionis dotem ſcripſit & ſubſcripſit die & anno quo ſupra.

MEL

ANNO CHRISTI 1100.

MELPHITANUM CONCILIUM

In quo anathemate Beneventani percelluntur, a Paſchali II. papa Anno 1100. menſe Octobris celebratum.

Ex Mann Suppl. T. II. pag. 172.

DEſciverant Beneventani ab apoſtolica ſede, cujus defectionis cauſæ hiſtoricorum defectu ignorantur. Illis ad fidem redigendis Paſchalis papa anno 1100. venit in Apuliam, coactoque apud Melphiam concilio, diris illos devovit. Dein ſequenti anno Septembri menſe refractarios, & gladii eccleſiaſtici contemptores armis Rogerii ducis appetiit, obſeſſamque Beneventum cœpit. Hæc omnia ad noſtram uſque ætatem ignorata, ad poſteritatis notitiam tranſmiſit auctor anonymus chronici Beneventani ſanctæ Sophiæ a Muratorio in Antiquit. medii Ævi tom. 1. pag. 254. vulgatus, his verbis: *anno* 1100. *Indict. VIII. coiit Clemens papa*, (ideſt antipapa, alias Guibertus dictus) *Paſchalis papa deſcendit in Apuliam, & fecit ſynodum in Melphia menſe Octobris, & excommunicavit Beneventanam civitatem, & permanſit ita excommunicata menſes XI. dies XXXI.* Hæc ibi.

Alia concilii hujus geſta, ſicut & patres qui cum pontifice interfuerunt, ſuppeditat Paſchalis papæ bulla pro reſtitutione eccleſiæ Mazarenſis in Sicilia, quam hic ex Pirri Siciliæ ſac. tom. III. pag. 501. repræſento.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri Stephano Mazarienſi epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus canonice promovendis in perpetuum.

Omnipotentis Dei nutu mutantur tempora, transferuntur regna. Hinc eſt quod magni quondam nominis nationes dejectas & depreſſas, viles vero, atque exiguas nonnunquam legimus exaltatas. Hinc eſt, quod in quibuſdam regionibus chriſtiani nominis poteſtas paganorum terras occupavit; in quibuſdam iterum paganorum tyrannidem chriſtianæ potentiæ dignitas conculcavit; ſicut noſtris temporibus glorioſiſſimorum principum Roberti ducis & Rogerii comitis fortitudine ſupernæ dignationis miſeratio omnem Saracenorum violentiam in Sicilia inſula expugnavit, & antiquum eccleſiæ ſanctæ ſtatum pro voluntatis ſuæ beneplacito reparavit. Unde & ipſius ineffabili miſericordiæ gratias agimus, & ipſius gratias ſuper illos egregios fratres, alterum jam defunctum, alterum ipſo præſente ſuperſtitem, imploramus, & ad eccleſiarum, quæ in eadem inſula ſunt, ordinationem, ſeu confirmationem pro noſtrii officii debito anhelamus. Sicut igitur annuente Deo, & Mazarienſis & cæterarum parochiæ per apoſtolicum bon. memoriæ Urbanum prædeceſſorem noſtrum diſpoſitæ ſunt, ita & nos Mazarienſis, cui auctore Deo præſides, eccleſiæ, diœceſim præſentis decreti auctoritate firmamus; ſtatuimus enim, honorande frater, & coepiſcope Stephane, ut tibi deinceps, tuiſque legitimis ſucceſſoribus epiſcopali jure regendum ac diſponendum perpetuo maneat, quidquid intra fines ſubſcriptos continetur: videlicet a loco, in quo Belich fluvius mare ingreditur uſque ad Cavam deſumptus Corleonem, quæ Cava durat uſque ad petram de Zineth, a Zineth tenditur hæc parochia uſque ad diviſionem Jatinæ & Cephalæ, videlicet uſque ad grandem criſtam, e criſta tenditur uſque ad Saganem, a Sagana uſque ad Carinas, a Carinis uſque ad diſtrictum arenoſum, ubi eſt diviſio Panormi & Carinæ; inde vero uſque ad mare, intra quos fines eſt Mazaria cum omnibus ſuis pertinentiis; Marſalia cum ſuis, Trabolis cum ſuis, Calathameth cum ſuis, Calathabubi cum ſuis, Parthenith cum ſuis, Cinos cum ſuis, Carine cum ſuis, Jath cum ſuis, Calathaczaruch cum ſuis, Belich cum ſuis omnibus pertinentiis; & reliqua omnia quæ ſunt, vel deinceps facta fuerint caſtella, ſeu caſalia, ſive urbes. In proprio autem tam tuo, quam ſucceſſorum tuorum jure caſale Buxei cum centum villanis, ſicut a ſupradicto filio noſtro comite Rogerio traditum eſt, conſervetur. Præterea quæcumque in poſterum liberalitate principum, vel oblatione fidelium eadem Mazarienſis eccleſia juſte, atque canonice poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem eccleſiam temere perturbare, vel ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur tam tuis, quam clericorum, & pauperum uſibus omnimodis profutura. Si qua igitur in poſterum eccleſiaſtica, ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque a ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei, & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena ſit, & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, amen, amen.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſub. Ego Albericus card. presb. tit. S. Petri ad vincula ſubſcr. Ego Oddo Oſtienſis epiſcopus huic privileg. ſubſcr. Ego Milo Prænestinus epiſcopus ſubſcripſi. Ego Joannes Tuſculanus epiſcopus ſubſcripſi. Ego Albertus Sipontinus archiepiſcopus ſubſcripſi. Ego Robertus card. presbyter de tit. S. Euſebii ſubſcripſi. Ego Robertus Meſſ. epiſcopus ſubſcripſi. Ego Rogerius Syracuſanus epiſcopus ſubſcripſi. In ſigillo: *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* S. Petrus, S. Paulus, S. Paſchalis PP. II. Datum Melfiæ per manum Joannis S. R. E. diaconi cardinal. idibus octob. ind. 8. Incarn. Domini anno 1100. pontif. autem Domini Paſchalis PP. II. anno II.

Ad res etiam in hac ſynodo geſtas pertinet bulla Paſchalis II. papæ, quam ex Gattola Hiſtor. Caſſinenſis tom. I. pag. 48. hic dandam cenſeo.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri, & compresbytero Oderiſio Caſſinenſi Abbati ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Officii noſtri nos hortatur auctoritas pro eccleſiarum ſtatu ſollicitos eſſe, & quæ recte ſtatuta ſunt ſtabilire. Ea perpetuo cœnobii veſtri cauſam de Cinglenſi cella nequaquam ſtatu illo dimovendam duximus, quia domino prædeceſſore

re noſtro ſanctæ memoriæ Urbano ſcripti aſſertione inſtituras agnoſcitur. In Melphitana ſiquidem Synodo, quam, largiente Domino, noſtræ ordinationis anno ſecundo ſolemniter celebravimus, Abbatiſſa, quæ Cinglenſem cellam ante tenuerat vehementius reclamavit ſe perperam tractatam, ſe paſſam injuriam aſſeverans. Cumque conſeſſum totum ſuis queſtibus implevisſet, communis filius Johannes eccleſiæ noſtræ diaconus abſentiam tui gravatus tandem ſurrexit, & negotium id canonice definitum expoſuit. Cujus mox relationi confrater noſter Oddo epiſcopus Oſtienſis teſtimonium contulit, dicens, vere abbatiſſa de cella illa domini Urbani Papæ judicio reveſtitam, vere poſt menſes tres ad Barenſe concilium invitatam, quo cum non iverit, nuntium deſtinavit. Ille negotii finem ſubterfugiens, Abbatiſſam non plenius reveſtitam clamabat, quia quaſdam cellæ chartas defenſioniſve neceſſarias minime recepiſſet. Unde actum fuit, ut per manum domni Roffridi Beneventani epiſcopi chartæ ipſæ non ante requiſitæ in conſpectu concilii redderentur. Mox Papa Beneventum regreſſo, iterum Abbatiſſa per literas ut Sinueſſam veniret vocata eſt. Cum nec Sinueſſam veniſſet, nec quid gravaminis pati ſe illa juſte conquereretur, ad S. Germani oppidum, quod Caſino Monti adjacet, veniendi accepit inducias. Venit tandem, ſed cauſam aggredi recuſavit, conquerens adhuc, quia non omnia Cinglenſis cellæ monimenta receperit. Fratres vero Caſſinenſes ſacramento probare præſto fuerunt ſe nec plures, nec alias in eodem loco chartas, quam reddiderant, inveniſſe. Illa quibuſdam noſtrum clam munimina chartarum oſtendens, ad Pontificis conſpectum producere noluit. Tandem domini Urbani Papæ ad concordiam ſuadentis, noſtriſque commonitionibus parvipenſis, clam diſcedens judicio locum dedit. Sic Dominus noſter ſanctæ in Chriſto memoriæ Papa Urbanus relectis diligentius Romanorum Pontificum decretis, Imperatorum præceptis, loci fundatoris chyrographis, cellam ipſam Caſſinenſi cœnobio reddidit in perpetuum poſſidendam. Illa quippe Abbatiſſæ procurata abſentia juxta canonum ſanctiones pro confeſſione habenda cunctis a Fratribus qui tunc aderant epiſcopis ſeu Cardinalibus cenſebatur. His verbis confratris noſtri Oſtienſis epiſcopi, Alberto quoque nunc Sipontinus epiſcopus, hujus autem actionis tempore tranſacto Romanæ eccleſiæ Cardinalis presbyter, quia & ipſe interfuerat, teſtificationis ſuæ ſuffragium copulavit. Romani etiam judices Petrus, & Raimbaldus negotium illud ſe præſentibus pertractatum perhibuerunt ſe etiam & Romanæ legis libris ſententiam proferentibus. His perauditis grave nobis videri diximus, ut quæ ab anteceſſoribus noſtris deciſa fuerant, retractarentur. Cæterum Abbatiſſa illa vehementius inſiſtente fratribus noſtris, epiſcoporum quibuſdam præcepimus, ut in partem euntes ex conſilio reſponderent, utrum cauſa hæc retractanda ulterius videretur. Regreſſo Brunone Signino epiſcopo proloquente dixerunt rationabile, ac juſtum ſibi domini Papæ judicium videri, ratumque id habendum tamquam canonico ordine pertractatum. Et nos ergo in eodem ſtatu ſemper manere cenſuimus, & ſicut tunc verbo, ita & nunc ſcripto ſancimus Cinglenſem cellam ſub diſciplina ſemper religionis monaſticæ diſponendam ad jus ſemper, & poſſeſſionem Caſſinenſis monaſterii pertinere. Si quis vero hujuſce definitionis, & confirmationis tenore agnito obviam ire, & cellam illam a Caſſinenſi cœnobio ſeparare præſumpſerit, ipſe quoque ab eccleſiæ corpore eccleſiæ judicio ſeparetur. Scriptum per manum Petri notarii Regionarii, & Scriniarii ſacri Palatii. Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Datum Lateranis per manum Johannis S. Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis II. Kal. Aprilis Indictione IX. Anno dominicæ incarnationis MCII. Pontificatus autem domini Paſchalis ſecundi anno II. Adeſt ſigillum plumbeum pendens.

ANNO CHRISTI 1100.

CONCILIUM GERUNDENSE

In quo Berengarius Barchinonenſis Epiſcopus Monaſterio S. Victoris Maſſilienſis Eccleſiam S. Pauli de Subirads concedit.

Ex Martene ampliſſ. Collect. tom. I. in præfat.

Hactenus fuit Concilium Gerundenſe anno 1101. *ab Richardo Cardinali apoſtolicæ ſedis Legato, atque abbate Maſſilienſis S. Victoris Monaſterii. Illud emergit ex ſequenti diplomate Berengarii Epiſcopi Barchinonenſis a Martene in ampliſſima anecdoctorum collectione tom.* I. *pag.* 584. *edito.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus hominibus tam futuris, quam præſentibus, quod ego Berengarius gratia Dei Barchinonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, dono cum conſilio atque voluntate clericorum meorum, omnipotenti Deo, & ejus genitrici beatæ Mariæ, & beato Victori Maſſilienſi martyri, & beato Sebaſtiano, & Richardo venerabili abbati Maſſilienſis Monaſterii, & ejuſdem monaſterii monachis præſentibus, & futuris, eccleſiam S. Pauli, quæ ſita eſt in Territorio de Subirads, cum omnibus ſuis pertinentiis, ſcilicet cum hæreditatibus ſuis, cum omnibus decimis, culturæ primitiis & oblationibus ſuis, & cum omnibus ab integro quæ ſui juris ſunt, & in antea erunt, ut habeant, & in perpetuum poſſideant ipſi Maſſilienſes Monachi, qui erunt in S. Sebaſtiano per imperium & obedientiam abbatis Maſſilienſis Monaſterii, ſalva in omnibus reverentia, & obedientia Barchinonenſis Eccleſiæ. Quod ſi hanc meam donationem, quod abſit, in craſtinum quælibet perſona laicalis ſive Clericalis inquietare, vel perturbare qualicumque vexatione voluerit & tentaverit, non prævaleat, ſed maledictionis vinculo ligatus iram omnipotentis Dei incurrat, & alienus a Chriſtiana communione perſiſtat, donec quod male tentaverit, dimittat, & ſatisfaciens ad emendationem veniat, & mea donatio præſenti charta firmata, ſtabilis in æternum maneat.

Facta eſt autem hæc charta in Gerunda civitate, celebrante Richardo Cardinali & abbate Maſſilienſis cœnobii in eadem civitate conventum Epiſcoporum & abbatum, comitum atque multorum principum anno ab Incarnatione Domini 1101. æra milleſima centeſima XXXVIIII. VIII. Idus Februarii, feria IV. Indict. VIII. anno 41. Philippi regis. Berengarius Barchinonenſis Epiſc.

RO-

ANNO CHRISTI 1101.

ROMANUM CONCILIUM

Quo pontificum præcedentium decreta contra inveſtituras innovantur,

A Paſchale II. papa Aprili menſe anni 1101. *celebratum.*

Ex Mand Suppl T. II. pag 180.

SUperius in diſſertatione ad epiſtolas Paſchalis adnotavi epiſtolam apud Labbeum XLI. ad S. Anſelmum anno 1101. datam fuiſſe. Id vero ex Eadmero lib. III. Novorum non difficili opera eruitur. Nam epiſtolam illam dedit Paſchalis quo tempore a rege Henrico epiſcopi Romam miſſi ſunt ad pontificem; illi vero reduces in Angliam, alias ab his quarum meminimus, poſteriores literas retulerunt ſignatas Beneventi II. idus Decembris. Reipſa vero conſtat pontificem anno 1101. elabente Beneventi egiſſe, ut prodit auctor coævus chronici Beneventani S. Sophiæ vulgati a Muratorio Antiq. Ital. tom. I. idque Eadmero cohæret, qui poſt reditum legatorum illorum habitam Londinenſem ſynodum anno 1102. circa feſtum S. Michaelis archangeli, nempe Septembri menſe, narrat. Literæ igitur Decembri menſe ſcriptæ, anno 1101. expediendæ erant. Ex quo inferas literas his poſterioribus præcedentes die XVIII. Kal. Maii datas, non ſerius anno eodem 1101. ſcribi potuiſſe. Ex his ergo literis habemus in promptu concilium Romæ a Paſchali habitum, in quo lata a prædeceſſoribus pontificibus de inveſtituris decreta confirmantur. Ita enim in ea epiſtola pontifex: *Qua de re in ſynodo nuper apud Lateranenſe conſiſtorium celebrata patrum noſtrorum decreta renovavimus, ſancientes, & interdicentes ne quis omnino clericus hominium faciat laico*, deſunt verba hæc apud Eadmerum) *aut de manu laici eccleſias aut eccleſiaſtica bona ſuſcipiat*.

An Concilium iſtud Romanum idem reputandum ſit ac Romanum illud, quod Labbeus ex Urſpergenſi in ſequentem annum 1102. refert, definire non auſim. Quanquam enim fieri potuerit, ut Urſpergenſis in anno erraverit, cum tamen & annaliſta Saxo Eccardi, quem per hoc tempus in vivis egiſſe puto, eidem anno illud aſſignet, hinc valida pro utriuſque ſynodi diſtinctione conjectura deducitur. Conſtat utique Romanos eorum temporum pontifices quotannis circa Martium vel Aprilim concilia habere conſueviſſe; quare duo per duos ſuccedentes annos concilia iiſdem circiter menſibus conſtitui commode poſſunt.

MEDIOLANENSE CONCILIUM

In cauſa Groſſulani de invaſo ſimoniace Mediolanenſi archiepiſcopatu accuſati,

ANNO MCI. CELEBRATUM.

LIprandus, *Mediolanenſis ſacerdos, ſervidus ſimoniacorum & fornicariorum presbyterorum impugnator, qui ea de cauſa naſo & auribus mutilatus fuerat, Groſſulanum ex Savonenſi epiſcopo archiepiſcopatum Mediolanenſem per ſimoniam invaſiſſe accuſaverat. Ut ſummam ſuam tueretur archiepiſcopus ſynodum ex comprovincialibus epiſcopis coegit, a Landulpho juniore Mediolanenſium rerum ſynchrono ſcriptore deſcriptam. Hujus ſcriptoris ad hoc concilium quod attinet excerpta deſumpta ex Puricelli Ambroſianæ Baſilicæ monumentis dedit Labbeus tom. XII. pag.* 1094. *Venet. edit. Modo vero cum integrum illud chronicon dederit Muratorius Rer. Ital. tom. V. pag.* 482. *integriora ejuſdem concilii acta ſuppetunt, quæ cum in collectionibus nondum legantur, hic dare juvat. Attamen concilii actis præmittendum eſt aliquid de anno quo concilium convenit. Labbeus annum* 1101. *aſſignat, ſed Muratorius Landulphum cum hiſtoricis aliis ſynchronis accurate conferens, ejuſdem epocham promovet ad exitum anni* 1102. *vel ſequentis* 1103. *exordium, cui inhærendum arbitror. Ita vero ſcriptor ille de hac ſynodo cap. IX.*

Groſſulanus autem, & ejus turba ad hanc apoſtolicam monitionem (*a*) neque ad multas nobilium virorum preces pro presbytero Liprando fuſas reſpexit, ſed cupiens ſubvertere illum ſibi laboravit, ut epiſcopos & principes Longobardiæ commoveret, & cum ipſis ſynodum celebraret. (*b*) Hujus ſynodi tempus dum appropinquaret, & multorum hominum tumultus multa turpia adverſus Groſſulanum tumultuabat. (*c*) Et Groſſulanus ad compeſcendum illum tumultum, quaſi in prima vigilia (*d*) cujuslibet authenticæ noctis, (*e*), matutinum pulſare fecit, & gentem multam tam per ſe, quam per ſuos ſacerdotes & miniſtros occa-

(*a*) Nempe Urbani II. breves literas. MURATOR.

(*b*) Synodum hanc Mediolanenſem indictam fuiſſe ſub finem anni 1102. aut initium ſequentis credere jubet calculus ex rebus proxime narrandis deductus. Interim adnota Mediolanenſis archiepiſcopi ſummam illo ævo auctoritatem, ad cujus nutum non tam ſuffraganei epiſcopi, quam Principes Longobardiæ commoverentur. MURATOR.

(*c*) Ideſt muſſitabat. MURAT.

(*d*) Indicatur hic ſumma ſedulitas Groſſulani, qua præter conſuetum morem recitandi matutinas horas ante auroram, maturiori tempore eaſdem cani præcipiebat, dato ſacri æris ſigno, ut excitatus novitate rei populus frequentior adeſſet. Neque enim apud eccleſiæ miniſtros mos invaluit, ut ad militiæ antiquæ normam primas, aut ſecundas noctis vigilias diſtinguerent. MURATOR.

(*e*) Poſtremam Quadrageſimæ hebdomadam, quæ *major* paſſim appellatur, *authenticam* dici in Ambroſiana eccleſia compertum eſt: At de hac hebdomada minime loqui Landulphum noſtrum ex ipſius facti narratione patet; refert ſiquidem cap. ſeq. poſt varia inter Liprandum, & Groſſulanum diſſidia agitata, & celebratam etiam per duos dies in majori eccleſia ſynodum, fuiſſe tandem compulſum eundem Liprandum *veſpertina hora Domi-*

occaſione matutini habita congregavit, atque matutino cantato, multo populo coram ipſo convocato, de paſſione Chriſti, & proditore Juda prolixum ſermonem fecit, & ſuæ cauſæ ipſum ſermonem coaptavit, atque in fine ſui ſermonis ſuper ſancta Dei evangelia nullo interrogante publice juravit, quod a die qua egreſſus eſt ab utero matris, pollutionem non fecit, & carnem ſuam non coinquinavit. (a) Arialdus vero monaſterii ſancti Dionyſii abbas, & Guazzo qui cognominatur de Orreo id ipſum jurando firmaverunt, & mox Groſſulanus adjecit dicens: ſi quis vult adverſum me dicere aliquid, nunc dicat; quod ſi modo tacuerit, amplius adverſum me audientiam non habebit. Hoc cum presbytero Liprando renuntiatum fuit, & ipſe * *plures* cives ad eccleſiam S. Pauli vocavit in die, quibus dixit: Videtis me abſciſſum naſo, & auribus pro nomine Chriſti, unde mihi magna retributio eſt promiſſa, ſi in fine perſeveravero; pro amore itaque Chriſti, veſtraque ſalute & pace, rogo vos, ut ad me & ea, quæ vobis dixero, intendatis. Et cum hæc & plura bene dicta beneque ſonantia adverſus præſertim ſimoniam dixiſſet, A propoſuit dicens: Groſſulanus qui pro archiepiſcopo tenetur, eſt ſimoniacus de archiepiſcopatu Mediolanenſi per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab obſequio. (b) Et cum hæc in ſuo propoſito procederet, ſæpiſſime hortabatur omnes ut convenirent ad veram cognitionem hujus propoſiti per divinum judicium (c) adprobatum in vita, vel morte ſua manifeſtata per ipſum; ſed Groſſulani turba hoc perturbabat auctoritate pontificum, qui Mediolanum venerant ad celebrandam ſynodum cum Groſſulano. Verumtamen presbyter ipſe adverſus epiſcopos diſputans rationibus & exemplis ſuam ſententiam ſuſtinuit, B nec dimiſit. Groſſulanus vero parvipendens hujus presbyteri verba, veluti in præſentia ejus non eſſent prolata, ſynodum ſuam in eccleſia Sanctæ Mariæ, quæ dicitur hyemalis, per duos dies tractavit (d) atque in tertia in prato qui dicitur Brorium (e) coram infinita hominum multitudine dedit ſententiam deponendi Andream Primicerium, & alios ſacerdotes, quos Anſelmus de Rode Mediolanenſis archiepiſcopus & a rege Henrico inveſtitus (f) ordinavit. Quam ſententiam multitudo cleri illico, & populi & non multum

ANNO CHRISTI 1101.

ANNO CHRISTI 1101.

principaliter

poſt

Dominicæ dicti de ramis palmarum ad judicium ignis parandum. Multo igitur ante debuit Groſſulanus ea peragere, quæ hic deſcribuntur: quænam ergo eſſent illæ noctes *authenticæ* ab auctore noſtro vocatæ? exiſtimaverim non alias fuiſſe quam noctes ſextam cujuslibet quadrageſimalis hebdomadæ feriam præcedentes, quæ cum ex Ambroſiano ritu Crucifixi redemptoris veneratione dicatæ ſint cultu adeo peculiari, ut eo die in reverentiam ſacrificii cruenti a primo & ſummo ſacerdote Chriſto Domino peracti, ſacerdotes a ſacri celebratione abſtinere jubeantur, *authenticæ* dici potuere, non ſecus ac extremæ hebdomadæ dies, quos ideo *authenticos* dici credimus, quod cruentæ paſſionis Domini memoria, ac ſi in ipſo archetypo expreſſa videretur, ſumma fidelium religione ab eccleſia recolatur; præcipue cum advertam in iiſmet noctibus a Groſſulano habitum ſermonem *de paſſione Chriſti*, ut hic Landulphus memorat. MURATOR.

(a) Hinc non obſcure deducitur criminationum materia, quæ in Groſſulanum intorquebantur, cum adverſus illum turpia quædam obmurmurari a populo ſuperius dixit Landulphus, quemadmodum cap. 5. num. 7. MURATOR.

(b) Tria hæc præcipua capita ſunt, e quibus ſimoniam contrahi, Theologi omnes docent, quos conſule: Hinc tantum collige, quam antiqua ſit hæc ſtricta loquendi formula apud ſcholaſticos familiaris. MUR.

(c) Nempe ignis, ad quod provocare tunc licitum erat; ſuperiori enim ſæculo idem examen indictum fuerat in Florentina urbe a S. Joanne Gualberto, qui Petro monacho ſuo Vallumbroſano, poſtea cardinali atque epiſcopo Albanenſi, tranſitum per ignem mandavit, ut Petrus Florentiæ epiſcopus ſimoniæ reus publicæ comprobaretur; quod etiam ex voto accidit, innocue flammas pereurrente monacho *igneo* propterea nomen adepto, ut Deſiderius abbas Caſinenſis & Bertholdus ad ann. 1089. coævi narrant, atque ex eo Baronius ad Ann. 1063. Puricellius in Mon. Baſ. Ambr. nu. 296. aliique. Poſtmodum ſublata fuit hæc judicii forma, cum ultra quam par eſt tentari Deus videretur, graveſque ab eccleſia indictæ cenſuræ, quas collegit in Epitom. ſacr. canon. cardinalis Laurea, exponitque in Polyanthæa Pallavicinus V. *purgatio*. MURAT.

(d) Hanc ſynodum celebratam fuiſſe anno 1103. tempore Quadrageſimæ dubitari vix poteſt. Cum enim ſuperius dixerit Landulphus, dum hujus ſynodi tempus aperopinquaret conſueviſſe ſingulis authentica noctibus haberi concionem a Groſſulano; judicium vero ignis peractum ſit a Liprando hebdomada ſanctiore poſt celebratum concilium, aperte patet intra quadrageſimales dies, & quidem ad finem vergentes ſynodum fuiſſe tractatam. MURATOR.

(e) Legendum *Brolium*. Galvaneus Flamma in chron. Maj. cap. 68. & 73. *Brolium* fuiſſe ait pomerium arboribus conſitum in tanta denſitate, ut nemoris ſpeciem referret, eratque poſitum in ea parte urbis, quæ intermedia eſt duabus inſignibus Mediolani baſilicis S. Nazarii & S. Stephani, quibus adhuc ſuperſtes nomen manſit in *Brolio*. Sed locus iſte ſynodo celebrandæ aptus eſſe non poterat, niſi fortaſſe exciſis arboribus tunc temporis area patens inducta fuiſſet: Alterum Brolium deſcribit idem Flamma in manip. flor. MS. fol. 28. hæc habens: *Extra muros civitatis erat Brolium magnum, ubi juvenes in armis & pugnis diverſis, exercitationis cauſa convenichant*. Certe hoc ſæculo XII. extitiſſe hortos *Brolii* nuncupatos, in quibus militaria ſigna fixit Fridericus Aenobarbus cum caſtra in urbem noſtram moveret, tradit Calchus ad an. 1158. atque in hujus Brolii capite ſteram fuiſſe eccleſiam S. Babylæ ex Othone Morena ad eund. ann. diſcimus: fortaſſe hoc ipſum Brolii pratum erat, de quo Landulphus noſter loquitur. MURATOR.

(f) Alterum ex MS. bibl. Ambr. conformius, ut arbitror, ad auctoris mentem, quam prodit particula illa *&*, legit *inveſtitur*: & ſane Anſelmum ab Henrico imperatore eccleſiaſticas inveſtituras contumaciter tuente, fuiſſe in archiepiſcopum Mediolanenſem electum, atque ideo a Gregorio VII. ſummo pontifice improbatum, tradit Sigon. de regn. Ital. lib. 9. ad ann. 1084. In hoc tamen aperti erroris illum redarguit Pagius in crit. ad ann. 1085. cum Gregorius VII. vita functus eodem anno, ac etiam die, quo Tedaldus Mediolanenſis archiepiſcopus obiit, ſucceſſoris Anſelmi electionem improbare non potuerit: Tedaldum autem ſatis conſtiſſe non anno 1084. ut crediderat Sigonius, ſed ſequenti ex Bertholdo ſynchrono ſcriptore id aſſerente indubium eſt. An autem hic Anſelmus vere ab Henrico inveſtitus ſit Mediolanenſis antiſtes, Pagius negat, Bertholdi auctoritate inter alia fretus, a quo poſt narratam Tedaldi mortem, hæc ſcripta dicit: *De medio ſublato potentiſſimo Mediolanenſis eccleſiæ invaſore, erigere caput ea capit, excuſſoque e cervicibus jugo ſchiſmaticorum, catholicum ſibi delegit antiſtitem Anſelmum ejus nominis III.* Attamen eruditiſſimus vir hallucinatus eſt; nihil enim in Bertholdo a me diligenter evoluto de hac Anſelmi electione legitur, verbaque relata non ſcriptoris illius, ſed Baronii ſunt ad hunc annum 1085. Corruit igitur principuum illius fundamentum; cætera vero, quibus ex eodem Bertholdo Pagius firmare ſententiam ſuam nititur, rem minime evincunt; quæ enim auctor ille de conjuratione Mediolani, & quarumdam aliarum Langobardiæ civitatum contra Henricum in XX. annos indicta, & de Anſelmo in cauſa S. Petri ſtudioſiſſimo tradit, ad annum 1093. poſtremum ſcilicet Anſelmi vitæ, non ad primum, quo in archiepiſcopum electus eſt, referuntur. Itaque recedendum non eſt a Landulphi noſtri fide, qui eum ab Henrico inveſtitum aperte dicit; præcipue cum Papebrochium in hac re conſentientem habeamus in exegeſi cit. num. 101. ubi quamvis & ipſe perperam crediderit verba ſuperius relata vere in Bertholdo legi, attamen ne hilum quidem a ſententia ſua diſcedit, qua Anſelmi electionem Henrici ſchiſmatici imp. auctoritati adſcribit, *eſto*, ut idem proſequitur, *Anſelmus ſchiſma execratus, mox ut Victor III. qui ejus brevem pontificatum excepit Urbanus II. Gregoriani contra ſchiſmaticos veſtigiis inſiſtens agnitus pontifex fuerit, & curaverit cum eccleſia reconciliari* MURATOR.

post tempus Paſchalis papa Romanus contempſit (*a*).

ANNO CHRISTI 1101

Attamen Groſſulani turba dimicans adverſus primicerium Landulphum, ejuſdem primicerii clericum lapide occidit, deinde quaſi in conſenſu totius civitatis dictum fuit presbytero, ut ad faciendum judicium multa ligna congregaret in prato, quod clauditur in muro juxta S. Ambroſii monaſterium. Et presbyter ipſe plenus magno ſpiritu annonam & vinum, quæ ad edendum habebat pauperibus erogavit, ſuamque * *lupicervinam* (*b*) pellem pro lignis pignoravit; cætera vero quæ poſſidebat in libris, & aliis rebus ſtatuit, ut conſervarentur Landulpho nepoti ſuo (*c*) & alumno, atque eccleſiæ acolytho, qui tunc temporis diſcebat Aureliani (*d*) ab egregio magiſtro Alfredo, & nobili Jacobo. Statuit etiam ſi contigerit illum mori in illo judicio, ſi quid corporis ejus reſiduum fuerit portari ad eccleſiam ſanctæ Trinitatis, quam ipſe, ſicut ſupra in privilegio legitur, in allodio ſuo fundavit & B. Petro tradidit. His ita ſtatutis & ordinatis, idem .... Ambroſii eccleſiam ivit, & cum ipſe facturus judicium .... manus Groſſulani prævaluit & ipſa ligna in prato diſpoſita diſperſit, ipſumque presbyterum ab illa diſpoſitione ſeparavit ignominioſe. Deinde in domo ſua & ſancti Pauli eccleſia presbyter ipſe ſiluit, & quievit, donec pueri & puellæ, mares & fœminæ in proximo tempore clamaverunt: foras, foras, Groſſulane. Hunc clamorem Groſſulanus cupiens compeſcere, habuit conſilium cum ſatellitibus ſuis, quibus dixit: Ite & vos, & publice eligite viros de populo qui dicant illi Liprando, aut ad ſatisfactionem meam veniat, aut de terra iſta exeat, aut judicium, quod ſe facturum promiſit, faciat. Conſiliarii itaque de latere ejus venientes ad concionem populi in veſpertina hora Dominicæ diei de ramis palmarum, ſeu olivarum (*e*) publicaverunt quæ audierant a domino ſuo archiepiſcopo Groſſulano; quapropter non ſolum viri in concione electi venerunt ad presbyterum hanc legationem dicere, ſed innumera hominum multitudo venit hanc legationem confirmare. Ad quorum clamorem clamantem: veniat presbyter ipſe Liprandus, ipſe humilis exivit, & ut legationem audivit, & intellexit, manus ad cælos levavit, & Deo gratias egit, & interrogando legatos inquit: vult & mandat ipſe, quod mihi dicitis? Qui omnes reſpondentes dixerunt, utique vult, & mandat. Et presbyter ad eos terram non exeo, ſed in iſtis duobus diebus jejunium ago, & in quarta feria (*f*) faciam judicium, præſtante Deo; ſed unde ligna emam, non habeo. Tunc Groſſulani & reipublicæ miniſtri quercina ligna ad flaramam & ad calorem aptiſſima triginta ſolidis denariorum emerunt, quæ in campo ante atrium eccleſiæ S. Ambroſii in duabus congeriebus reſpicientibus ſe compoſuerunt, longitudo quarum decem cubitorum fuit, & altitudo, & latitudo major ſtatura hominis cubitorum quatuor; via vero inter ipſas congeries unius cubiti & ſemis. His ita diſpoſitis quibuſdam lignis in via interpoſitis, in quarta feria (*g*) Presbyter indutus cilicio, camiſio, atque caſula more Sacerdotis ab eccleſia ſancti Pauli uſque ad eccleſiam ſanctorum martyrum Prothaſii & Gervaſii & beatiſſimi Ambroſii nudis pedibus crucem portavit, ſuper quorum ſanctorum altare, cæteris ſacerdotibus deficientibus, ipſe ſibi miſſam cantavit; (*h*) & miſſa cantata, Groſſulanus quoque gerendo crucem, eamdem eccleſiam intravit, & pulpitum cum Arialdo de Meregnano & Berardo judice Aſtenſi aſcendit, & facto ſilentio in populo, & presbytero ſtante nudis pedibus ſuper lapidem marmoreum, qui in introitu chori continet Herculis ſimulacrum (*i*) idem Groſſulanus ait ad populum, Attendite, quia in tribus verbis hunc hominem vincam, & ejus confuſionem oſtendam: & ad presbyterum inquit: propoſuiſti quod ego ſum ſimoniacus per munus a manu; modo dic cui dedi? Tunc presbyter ſuper populum oculos aperuit, & digitum ad tres illos, qui ſtabant in pulpito extendit dicens: Videte tres grandiſſimos diabolos, qui per ingenium & pecuniam ſuam putant me confundere; & nonne ille Diabolus, qui ſuaſit illum fieri ſimoniacum per pecuniam, ſuadere poteſt, ut adhuc maiorem pecuniam daret, & veritatem occultaret, & teſtes, & judices mundanos mihi auferret? & non neſcitis, quia propter vitandam aſtutiam Diaboli, & pravorum hominum, ego elegi Deum judicem, qui neque per pecuniam, neque aliquo modo poteſt falli in judicio? ad cujus judicium ſi vul-

ANNO CHRISTI 1103.

(*a*) Ineritam caſſamque ceſſiſſe hanc depoſitionis ſententiam probat exercita publice ab iſto Andrea primiceriatus ſui auctoritas, quemadmodum in decurſu hiſtoriæ videbimus. De Paſchalis papæ decreto nihil apud auctores legitur; appellaſſe tamen ad ſummum pontificem Andream, alioſque depoſitos Sacerdotes ex hoc loco clare colligitur. *MURATOR*.

(*b*) *Lynx* Latina ſeu potius Græca voce peregrinum hoc animal appellatur, ejuſque pellis varii coloris maculis punctatim inſperſa adhuc in pretio eſt. *Lupum cervarium* vulgari vocabulo dici, ſcribit Aldovrandus, fuſe de illo agens. *MURAT*.

(*c*) Qui hæc ſcripſit. *MURAT*.

(*d*) Hinc Pagius colligit antiquitatem & famam ſtudiorum Aurelianenſium. *MURAT*.

(*e*) die 22. Martii, in quem anno 1103. hæc dominica incidit. MUR.

(*f*) Nempe hebdomadæ ſanctioris, ſed cujus anni ea vere foret prorſus ignoravit. Puricellius in monument. Bal. Ambr. num. 295. ſententiam ſuam protulerat, qua judicium hoc ignis adſcribendum anno 1101. *certe & evidenti*, ut ipſe ait, *concluſione* ſtatuerat. Poſtmodum lib. 4. vitæ S. Arialdi cap. 88. *mutata in melius opinione* illud ſequenti anno 1102. adjudicandum cenſuit. At neque hoc anno id contigiſſe ex ſuperius dictis liquido patet; cum enim menſe illius Auguſto delatam plebis & nobilium acclamatione Mediolanenſem inſulam Groſſulano oſtenderimus, quis non videt innoxium hunc Liprandi per ignem tranſitum poſtrema quadrageſimæ hebdomada peractum nonniſi anno tertio ſæculi ejuſdem XII. poſſe affigi? Corrigendus itaque eſt error typographicus, qui in exemplum jam pluries laudatam Papebrochii irrepſit num. 104. ubi ſub eodem anno 1102. & judicium Liprandi, & Groſſulani electio ponitur, quamvis hæc facta dicatur prædicto menſe Auguſto: Cæterum id ſecure dicere poterat Puricellius ex Galvanei Flammæ chron. majori, & altero MS. *Flos Florum* ab ipſo relatis, in quibus hæc habentur. In milleſimo centeſimo tertio ſecundum chronicam Gothofredi de Buſſero, factum fuit judicium ignis presbyteri Aliprandi eccleſiæ S. Pauli in compito: Gothofredus enim de Buſſero, cujus opus MS. de vitis SS. extat in Biblioth. capituli Metropolit. prope ſæculum illud vivebat. Uberiora in hanc rem argumenta vide apud Pag. in crit. hoc ipſo anno 1103. num. 6. MURAT.

(*g*) XXV. Martii. MUR.

(*h*) In more poſitum fuiſſe ut ante examen ignis miſſa caneretur, tradit Edmundus Martene tom. 3. de antiq. eccleſiæ ritibus pag. mihi 458. MUR.

(*i*) De hoc ſimulacro plura diſſerit Puricellius in monum. baſ. Ambr. num. 297. & in vita S. Herlenib. cap. 88. quamvis quæ de comitibus Angleriæ ex ſtemmate Vicecomitum antiquo ibidem legantur, ego jam refutaverim in append. ad vindicias SS. corp. Gerval. & Proteſ. num. 35. MUR.

si vultis venire paratus sum quod promisi facere. Et Grossulanus ad eum: modo dic de qua simonia dicis? Et presbyter ad illum: modo dic tu quæ est bona? Et Grossulanus aliquantulum subsiluit, & ait: Est simonia, quæ simoniacum non deponit. Et presbyter ait: ego dico de illa, quæ deponit abbatem de abbatia, episcopum de episcopatu, archiepiscopum de archiepiscopatu, in quo est. Et cum in his verbis satisfeciſſet omnibus, audivit populum clamantem: Exite foras ad judicium, exite foras ad judicium. Et presbyter in hoc multiplicato clamore, licet senex desuper lapide continente Herculis simulacrum prosiluit, & una cum populo in campo, in quo erat lignorum congeries venit: ibique dum ignis lignis accendebatur, presbyter circumstantibus dixit: Vos præter me non cernitis sacerdotem qui hunc ignem mihi benedicat (a) sed cernitis chartam hanc quam teneo, in qua sancta verba, & signa sanctæ crucis continentur: Et ego minister hæc verba & signa inferius dicam & faciam: & Deus qui est Dominus meus desuper ignem benedicat: & audientes & bene intelligentes dixerunt Amen. Atque cum in circuitu ignis hæc verba dixiſſet, & signa feciſſet, & aquam benedictam & incensum super ignem, astante ibi Grossulano asperſiſſet, dubitabat de ordinando sacramento apud Grossulanum, & Arialdum de Meregnano, qui erat quasi potentissimus princeps Grossulani & procurator judicii, & expectans presbyterum per ignem in mortem finiri, vel per nimium terrorem ad Dominum suum Grossulanum converti; ipse namque (b) Berardo judici Astensi hanc legem non solum per mortem, sed & per quamlibet ignitam læsuram in presbytero factam condemnare dixerat. Absit quod læsura (c) sed ignem adeo magnificabo, quod procul oculos ignis de capite ejus eruet, & in ipso igne ardens cinis putrefiet. Attamen presbyter cum vidiſſet eos de ordinando sacramento (d) dubitare, dixit ad eos: finite me, quod ego bene ordinabo, nec finiam sacramentum, donec dixero tantum quantum vobis satisfecerit. Et illico in consensu eorum apprehendit cappam Grossulani, ipsamque quaſſavit dicens. Iste Grossulanus, qui est sub ista cappa, & non de alio dico est Simoniacus de archiepiscopatu Mediolani per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab obsequio. Et cum illis videbatur sufficere addidit, Et ego ad fiduciam maleficii aut incantationis vel carminis non intro hoc judicium, sic me Deus adjuvet, & ista sancta evangelia in isto sancto judicio. Facto hoc sacramento concorditer Grossulanus equum ascendit, & ad ecclesiam S. Johannis, qui dicitur ad concam (e) venit. Arialdus vero prædictus de Meregnano inquirens, & expectans plenitudinem ignis presbyterum tenuit, & tenendo manum suam læsam procul ab ipso calore ignis sensit, & tamen ad presbyterum inquit: Presbyter Liprande vide mortem tuam in igne, convertere ad Dominum meum archiepiscopum, habita securitate tuæ vitæ, alioquin vade, & arde te cum Dei maledictione. Et presbyter ad illum: Sathana retro vade. Illo retrocedente presbyter prostratus a terra levavit, & signo crucis sibi appositio, ingens flamma ignis in meridiem & septemtrionem se divisit, & via apparuit, quam presbyter intravit, & transiens per ipsos carbones ignis, ceu arenam calcaret, sensit, & dum per ipsam viam transibat, flamma post ipsum coibat, & ut ipse mihi dixit, & bene intellexi, donec in via hujus ignis fuit, hanc orationem Deo protulit, dicens: Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua libera me; Deus in nomine tuo salvum me fac. Et dum tertio proferret hoc verbum fac, se extra ignem vidit, nec in se, nec in suis sacerdotalibus vestibus lineis, ac sericis, quibus erat indutus, sive in cilicio læsionem ullam sensit.

Tunc populus plene, quasi ex uno ore laudem Deo, & huic presbytero extra & intra civitatem contulit. Grossulanus vero intrepidus sedem archiepiscopatus deseruit, & civitatem, quia aperte communi civitatis (f) juratum erat, quod neutri eorum, nec alicui de parte illorum pro hac actione malum fieret, nisi quod Dominus sibi faceret. Sed quia præsentia epitcoporum suffraganeorum (g) huic legi, & triumpho favorem integre non præbuit, & ignis manum presbyteri in projiciendo aquam, & incensum super ignem læsit, & quia pes equi Joannis de Rode (h) nudum presbyteri pedem de igne exeuntis dure calcavit turba tristis de casu & ruina Grossulani in presbyterum & ejus legem post paucos dies scandalizavit (i) & scandalizando, hortatu quorumdam sacerdotum prælia & homicidia multa commisit.

ANNO CHRISTI 1061

ANNO CHRISTI 1061

WIN-

(a) Etiam hoc servari solitum in hujusmodi judiciis per ignem tentatis docet supracitatus Marthene. MURATOR.
(b) Scilicet Grossulanus. MURAT.
(c) Sensus esse videtur, quod Berardus judex non tam modice libandam cutem Liprandi vasta illa ignis mole, quam excitare meditabatur, sed omnino absumendum esse intrepide sibi polliceretur. MURAT.
(d) Ideſt jurisjurandi formula.
(e) Ecclesia hæc in urbe nostra ad viam Romanam posita etiam in præsens nomen hoc gerit, cum antiquitus diceretur Cæmeterium Peregrinorum. MURAT.
(f) In altero ex MSS. Bibl. Ambr. legitur communis civitatis ore. MURAT.
(g) Nondum enim Mediolano discesserant post synodum recenter a Grossulano celebratam, unde confirmatur initio hujus synodi tempus superius statutum. MURAT.
(h) Seu Rhaude pago, octo milliaribus Mediol. dissito. MURAT.
(i) Ideſt a concepta prius recta opinione de Liprandi transitu innoxio per ignem recessit. MUR

ANNO CHRISTI 1101.

ANNO CHRISTI 1101.

☞ WINDESHORENSE CONCILIUM

Chartam fundationis eccleſiæ Norvicenſis confirmans,

ANNO MCI. HABITUM.

Apud Wilkins Conc. magnæ Britan. tom. I. p. 382.

HErbertus epiſcopus Norvicenſis cum tempus opportunum accidiſſet ad parlamentum domini regis, ubi archiepiſcopi, abbates, priores Angliæ, & magnates convenerant, accedens de conſenſu regis & reginæ B. Anſelmi tunc Cantuarienſis archiepiſcopi, epiſcoporum, abbatum, & magnatum, fecit chartam de fundatione, & dedicatione Norwicenſis eccleſiæ cum ſolemnitate qua decebat, cui conſenſum, & aſſenſum adhibentes, ſubſcripſerunt apud Windshores, menſe Septembri MCI. rex & Matilda regina, archiepiſcopi Cant. & Ebor., epiſcopi octo, præter Tuſculenſem epiſcopum, papæ legatum, XI. comites & magnates, VII. abbates, IV. clerici.

☞ CONSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ

Sub Colomanno rege Hungariæ, & Seraphino archiepiſcopo Strigonienſi edita circa annum 1103.

NARRATIO PRÆVIA.

P. Petroffy Conc. Regni Hungariæ pag. 39.

I. ERepto rebus humanis Ladislao, quem publica veneratio populi ſecuta eſt, Colomanus, Geyzæ I. filius, e Polonia advolat, & in Regem inauguratus, Hungariæ gubernationem capeſſit. Agnomini (*Konyves*, vel *Kenyves Kalmany*, *librifer Colomannus*) volumen precum canonicarum, quo pſallentibus monachis immixtus utebatur, occaſionem præbuiſſe ait, Clariſſ. Otrokoczy; quamvis alii, ob dirum, & crudele ingenium, ſacerdotio a ſancto Ladislao deſtinatum, & Varadinenſem Epiſcopum, eadem ex cauſa, nullo cæteroquin meliore argumento ſuffulti, perperam in eo effingant: ut Eccleſiæ regimini admotus, mores, & ingenium atrox, e rerum, quæ tractaret, ſanctitate coerceret. Sed in litem hanc non ingrediar: præter propoſitum eſt enim, ea dicere, quæ hiſtoria in hoc rege ad laudem vel vituperium alias expinxit.

II. Colomannus itaque, ut glorioſa Stephani, & Ladislai cœpta ad omnem Chriſtianæ reipublicæ formam expoliret, comitia ab anno MXCVI. ad annum uſque MCIV. ferentibus inter profanos Magiſtratus ſuffragia Epiſcopis, ſæpius habuit. Canones porro, cum nemo in perpetuitatem legum intenderet, ubi ad populum ſemel perlati ſunt, errabant ſparſim in Regno. Seraphinus Strigon. Archi-Epiſcopus, pro munere ſuo, ad religionis æque ac Regni firmitatem, ſollicitudine aliqua ſatagebat, ne conſtitutiones, vitio annorum & neglectu Procerum elaberentur in oblivionem. Colomanno proinde auctor fit, ut per Albricum, virum Eccleſiaſticum, candidæ mentis, & juris prudentia, ea ætate inſignem, ſtumque a ſacris domeſticis miniſtrum, *Decreta* variis Regni conventibus probata, in duos libros contraheret. Inſcripſit itidem Albricus collectionem ſuam Seraphino Archi-Epiſcopo præfatione non ineleganti. Multis ad laudem Regis in ea diſſerit; quod, neſcias, an aſſentationi (id autem de viri integritate nec quidquam ſuſpicor) an corruptis nondum Colomanni moribus debeas. Annum editarum conſtitutionum nondum ad veritatem digerere potui. Inter lucem itaque, & tenebras diverſanti, diluculum aliquod aſſignandum videtur, annus ſcilicet MCIII. (Corpus Juris Patrii annum ponit MC.) cum Seraphinus, quo motore, & patrono Albricus ſtudium iſtud ſuſcepit, ex Dalmatia redux, diem ultimum currente anno 1104. vixerit. Ex *articulis* utriuque *Decreti*, Canones Eccleſiaſticos huc intulimus. Notatiunculas dedit ſupellex domeſtica manuſcripta; tum uſus, annorum curſu & exemplis firmatus. Plurima in Synodo Szabolchenſi jam aperta ſunt, & in Conciliis ſecuturis redibunt. Quas præco dudum cecinit hiſtorias, inſerere non libuit. Vid. Corp. Ju. Tri.

ME-

ANNO CHRISTI 1101.

MEDIOLANENSE CONVENTICULUM,

De Groſulani archiepiſcopi electione. Anno Dom. (1) MCI.

Ex Labbei Append. Tom. X.

Defuncto Anſelmo Mediolanenſi archiepiſcopo, Petrus Groſulanus, epiſcopus Savonenſis, in Mediolanenſem cathedram per ſimoniam intruſus eſt. Quod cum indigne ferrent boni omnes, ac præſertim Liprandus presbyter, olim a ſimoniacis quos impugnaverat, naſo & auribus ad contumeliam truncatus: Groſulanus tueri ſe provincialis ſynodi auctoritate inſtituit. Quod Puricellus in Ambroſiana baſilica monumentis, ex chronico Landulfi de S. Paulo recitat hunc in modum: Talis igitur ac tantus ſacerdos obedientiam Groſulano, quippe quem ſciebat eſſe ſimoniacum, præſtare interritus recuſabat. Cæterum Groſulanus ex adverſo, ut ipſum ejuſque aſſectatores ab ejuſmodi propoſito dimoveret, provincialem ſynodum hac in urbe congregavit, omneſque ſui adverſarios, habito ad populum ſermone, provocabat in hæc verba: Si quis vult adverſus me dicere aliquid, nunc dicat: quod ſi modo tacuerit, amplius adverſum me audientiam non habebit. Hoc cum presbytero Liprando renunciatum fuit, & ipſe plures cives ad eccleſiam S. Pauli vocavit in die. Quibus dixit: Videtis me abſciſſum naſo & auribus pro nomine Chriſti: unde mihi magna retributio eſt promiſſa, ſi in finem perſeveravero. Pro amore itaque Chriſti, veſtraque ſalute & pace, rogo vos, ut ad me & ea quæ vobis dixero, intendatis. Et cum hæc, & plura bene dicta beneque ſonantia, præſertim adverſus ſimoniam dixiſſet, propoſuit dicens: Groſulanus qui pro archiepiſcopo tenetur, eſt ſimoniacus de archiepiſcopatu Mediolanenſi, per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab obſequio. Et cum in ſuo propoſito procederet, ſæpiſſime hortabatur omnes, ut convenirent ad veram cognitionem hujus propoſiti, per Divinum judicium approbatam, in vita, vel morte ſua manifeſtata per ipſum. Sed Groſulani turba hoc perturbabat auctoritate pontificum, qui Mediolanum venerant ad celebrandam ſynodum cum Groſulano. Verumtamen presbyter ipſe adverſus epiſcopos diſputans, rationibus & exemplis ſuam ſententiam ſuſtinuit, nec dimiſit. *Addit Liprandum accuſationis ſuæ fidem confirmaſſe miraculo, & illæſum nudis pedibus preſſiſſe carbones, ingentemque vogum pertranſiſſe, idque ſynodi tempore: quod conſtat ex his Landulfi verbis*: Sed quia præſentia epiſcoporum ſuffraganeorum huic legi & triumpho favorem integre non præbuit.

Quæ anno MCI. *geſta eſſe, Landulfo, qui rebus ipſis intererat, credendum potius, quam aliis vel* MCIII. *annum, vel* MCIV. *aſſignantibus, merito Puricellus exiſtimat. Cætera autem quæ ad hanc controverſiam ſpectant, infra reperies ad an.* MCIII. *&* MCXVI.

SYNODUS ATREBATENSIS

In qua Lambertus Epiſcopus Odoni Eremitæ Eccleſiam Aiulcurtis donat.

Ex Baluzii miſcellan. to. 5. p. 387.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus gaudens de religioſa converſatione & eremitica vita tua, reverentiſſime frater & compresbyter Odo, deſiderio deſideramus paci & quieti tuæ tam præſentibus temporibus quam & futuris providere. Unde juſtas petitiones tuas & Balduini Decani noſtri pio affectu proſequentes, & te & ſucceſſores tuos religioſe & canonice inibi victuros hac donamus libertate ut tantummodo Epiſcopo reſpondeatis & in manu ejus in libertate ſpiritus permaneatis. Eccleſiam itaque illam quam devotio tua ædificavit in loco ſolitudinis qui dicitur Aiulcurtis tibi & ſucceſſoribus tuis in propoſito religionis perſeverantibus libere poſſidendam contradimus, & curam animarum confratrum tuorum heremitarum tibi committimus, & decimam agri eidem Eccleſiæ circumjacentis, quem fratres tui heremitæ excolunt, annuimus. Rogamus ergo in Domino tam præſentes fratres noſtros quam & ſucceſſores noſtros Epiſcopos & ſanctorum canonum auctoritate interdicimus & noſtra ne quis hoc donativum libertatis violare aut corrumpere præſumat. Si quis ſcienter hujus noſtræ inſtitutionis privilegium infregerit, excommunicationi ſubjaceat quoadusque reſipuerit & Eccleſiæ Dei ſatisfecerit. Fiat, fiat. Ut autem perenni tempore hoc decretum firmum & ſtabile maneat, teſtes fideles annotare curavimus. S. domni Claremboldi Atrebatenſis Archidiaconi. S. domni Roberti Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Aloldi S. Vedaſti Abbatis. S. domni Alberti Haſnonienſis Abbatis. S. domni Hamerici Aquicinenſis Abbatis. S. domni Richardi Marcinienſis Abbatis. S. domni Roberti Moliſmenſis Abbatis. S. domni Sigeri S. Petri de Gant Abbatis. S. domni Johannis de Monte S. Eligii Abbatis. S. domni Adam de S. Auberto Cameracenſis Abbatis. S. domni Raineri de S. ſepulchro Abbatis. S. domni Cononis de Arida Gamantia. S. domni Odonis Præpoſiti. S. Anaſtaſii Cantoris. SS. Canonicorum Gualteri, Algiſi, Roberti, Balduini, Rogeri, Gerardi, Andreæ, Guimari, Petri, Anſelli. SS. Decanorum Maſcelini, Arſonis, Johannis, Gerardi, Guarneri, Guagonis, Balduini, Radulfi, alterius Johannis. SS. Arnulfi Præpoſiti de Lens & Liſtardi & Guagonis Canonicorum. SS. Herberti Decani, Durandi, Amandi, Gualteri, Odechini Canonicorum Duacen-

(1) Cum Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſc. anno Chriſti 1101. Conſtantinopoli obierit, ejus mors nonniſi anno 1102. Mediolani nunciata eſt, neque citius Groſulanus eligi, & a Groſulano, jam Archiepiſcopo, Concilium potuit convocari, ut notat Pagius ad an. Chr. 1102. n. 7.

ANNO CHRISTI 1102.

censium S. Plotberi Sacerdotis & personæ altaris de Flers. Actum Atrebati in synodo in Ecclesia B. Mariæ semper Virg. anno Dei Christi MCI. indict. IX. XVII. Kal. Novemb. anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatensis Episcopi octavo. Ego Lambertus Atrebatensis Episcopus hoc libertatis donativum relegi, signavi, subscripsi † & in nomine patris & filii & spiritus sancti complevi.

ANNO CHRISTI 1102.

CONCILIUM LATERANENSE,

Sub Paschali II. papa primum, contra Henricum IV Germaniæ regem celebratum anno Domini MCII.

De rebus in hac synodo gestis Conradus abbas Urspergensis ista refert: Anno Domini MCII. imperator Henricus, habito cum principibus colloquio, Romam se profecturum, ac generale concilium circa Kal. Febr. inibi convocaturum condixit: quatenus tam sua, quam domini apostolici causa, canonice ventilata, catholica inter regnum & sacerdotium confirmaretur unitas, quæ tot annis scissa permansit. Constat tamen nec ipsum juxta placitum venisse, nec nuntia dignitati apostolicæ subjectionem professentia misisse. Nec hoc latet, quod alterum papam ipsi domino papali superponere, si fieri posset, conatus sit, nec profecerit. Transacta post hæc media quadragesima, convenientibus universis Apuliæ, Campaniæ Siciliæ, Tusciæ, totiusque simul Italiæ præsulibus, Ultramontanorum autem quamplurimorum patrum legatis, synodus magna Romæ est habita: ubi, præter antiqua patrum instituta more solito reverenter confirmata, etiam sæpe dictum nostri temporis schisma inter præcipuas hæreses computatur, ac perpetuo cum suis auctoribus atque sequacibus anathemate, hujusmodi subscripta professione; condemnatur.

Formula anathematismi.

Formula anathematismi, de qua vide sup. & epist. Paschal. papæ II.

Anathematizo omnem hæresim, & præcipue eam quæ statum præsentis ecclesiæ perturbat, quæ docet & adstruit anathema contemnendum, & ecclesiæ ligamenta spernenda esse. Promitto autem obedientiam apostolicæ sedis pontifici domino Paschali, ejusque successoribus, sub testimonio Christi & ecclesiæ, affirmans quod affirmat, damnans quod damnat sancta & universalis ecclesia.

Hactenus formula. De actis synodalibus hæc subjungit Urspergensis: Ibi etiam quam sententiam in imperatorem vel patricium Romanum Henricum idem apostolicus Paschalis promulgaverit, nos quoque inter innumeras diversarum gentium catervas, proxima cœna Domini in ecclesia Lateranensi ab ipsius ore didicimus: nimirum postquam octavo Kal. Octobr. maris fluctibus Joppæ traditi, Romæ sumus per gratiam Christi prædicta majore hebdomada introducti. „ Quia, inquit, tunicam Christi scindere, id est, ecclesiam rapinis & incendiis devastare, luxuriis, periuriis atque homicidiis commaculare non cessavit: primo a beatæ memoriæ Gregorio papa, deinde a sanctissimo viro Urbano prædecessore meo, propter suam inobedientiam excommunicatus est atque condemnatus: nos quoque in proxima synodo nostra judicio totius ecclesiæ perpetuo eum anathemati tradidimus. Id notum esse volumus omnibus & maxime Ultramontanis, quatenus ab ipsius se contineant iniquitate. " *Hæc de rebus in hac synodo gestis. Urspergensis.*

In hoc etiam concilio archiepiscopus Capuanus Casinatibus monachis accusatus sacrilegii, sententiam subiit, ac satisfecit. Rem gestam sic narrat Petrus diaconus: Sequenti tempore idem abbas Capuam pergens, capellam S. Angeli ad Formas, quæ in honorem S. Nicolai noviter constructa erat, fecit a Brunone Signiensi episcopo, & hujus monasterii monacho, dedicari: convocato etiam Senne Capuano archiepiscopo. Facta itaque dedicatione, dixit alia idem archiepiscopus congregata Capuanorum multitudine, armata manu misit illos ad eamdem ecclesiam violandam, altaresque demoliendum, & reliquias inde auferendas, sibique asportandas. Hoc facto conquerebatur contra nostrum abbatem & dictum episcopum, quod contra canones egissent in eadem dedicatione, metropolitano non cedente, in his quæ deceret archiepiscopum agere. Nostri una cum episcopo dicebant se concorditer egisse omnia quæ ibi gesta essent. Hac de re insimulatus a nostris in synodo Romana idem archiepiscopus, irruptionem ecclesiæ, destructionem altaris, reliquiarumque violationem objicientibus una cum clero civitatis & populo, emendaturum se errata respondit: quod etiam fecit. *Hæc Petrus.*

Chron. Casin. lib. 4. c. 90.

AD RES IN HOC CONCILIO GESTAS

Refert de Marca, chartam hanc quam ego hic ex eo refero, datamque testatur Anno 1004. a Willelmo Archiepiscopo.

De Marca histoire de Bearn liv. V. pag. 391. e Chartul. Lavedens.

G. Dei gratia Auscitanus Archiepiscopus Sedis apostolicæ legatus carissimis in Christo fratribus venerabilibus episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & dilectis filiis Comitibus, Vicecomitibus, aliisque Baronibus, universoque quoque Clero & populo per Auscitanam provinciam constituto, salutem & apostolicam benedictionem.

CUm ex officii nostri debito teneamur universis fidelibus curæ nostræ commissis, salubri dispositione providere, nunc præsertim urgente apostolici mandati auctoritate, ad quem spectat totius populi profectibus invigilare, oportet, nos super bono pacis & treuguæ Dei subditis nostris propensiorem curam impendere. Inde est quod juxta statuta generalis concilii Romæ nuper celebrati, pacem & treuguam Dei in provincia nostra ex parte Dei & Domini Papæ, & nostram ab omnibus inconcusse & inviolabiliter observari præcipimus. Forma pacis & treuguæ Dei talis est: Treuguas a quarta feria post occasum solis, usque ad secundam feriam post ortum solis; & ab adventu Domini, usque ad octavas Epiphaniæ; & a Septuagesima, usque ad octavas Paschæ ab omnibus inviolabiliter observari præcipimus. Si quis autem treuguam violare tentaverit, post commonitionem factam, si non satisfecerit,

Prin-

ANNO CHRISTI 1102.

Princeps ſuus, & Epiſcopus cum Clero & populo cogant eum, injuriam paſſis ſatisfacere, ad arbitrium Epiſcopi, & Principis ſui & aliorum vicinorum Baronum. Quod ſi Princeps, ſeu Barones vel populus diſſimulaverint, tam Principes quam Barones excommunicentur, & tota terra eorum interdicto ſubjiciatur, omni privilegio perſonæ & Eccleſiæ ceſſante. His vero temporibus, & omnibus feſtis B. Mariæ cum præcedenti die & ſubſequenti, S. quoque Joannis Baptiſtæ, & BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, & a Vigilia Pentecoſtes uſque ad Octavas; & omnium Sanctorum feſto, omnia pacem & ſecuritatem habebunt. Omni vero tempore perpetua pace & ſecuritate gaudebunt Canonici, Monachi, Presbyteri, Clerici, & omnes religioſæ perſonæ, conB verſi, peregrini, mercatores, ruſtici euntes, & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia quibus arant, & in quæ ſemen portant ad agrum. Dominæ cum ſociis ſuis inermibus, & omnes feminæ, & omnes res Clericorum & Religioſorum ubique & molendina. Principibus autem & dominis terrarum jura ſua & conſuetudines non contradicimus in terris ſuis. Eccleſiæ ſalvitatem habeant XXX. paſſuum circumcirca, monaſteria vero LX. Hæc vero ut firmius obſerventur, Comites, Vicecomites, Barones, univerſum quoque clerum in præſentia Epiſcoporum, populum in præſentia Clericorum, a ſeptem annis & ſupra, jusjurandum præſtare præcipimus. Forma juramenti talis eſt. Jurabunt ſe pacem & C treugam Dei juxta præſcriptum tenorem obſervaturos, & violatores pacis & treugæ Dei perſecuturos, & quod de rapina nihil ſcienter emant. Quod ſi quis huic decreto contraire tentaverit in non jurando, vel in non perſequendo, ſeu in conductitias gentes, vel raptores tenendo, aut favendo, vel rapinam emendo, Princeps illius terræ, & tota eius terra niſi debitam vindictam exequatur, omni interdicto & excommunicationi ſubjiciatur, omni privilegio perſonæ & Eccleſiæ ceſſante. Excommunicati non ſalutentur, non tondeantur capita eis, non abluantur, in mappa non comedant, neque ad aliam communionem chriſtianam recipiantur, præter baptiſma parvulorum & pœnitentias in fine. Princeps autem, & cuncti fideles noſtris obedientes mandatis, qui bonum pacis ope & conſilio ſuo foverint, & contra violatores pacis fideliter decertaverint, & præſertim contra conductitias & peſtilentes gentes ſi in vera pœnitentia in hoc Dei ſervitio deceſſerit, auctoritate Dei & domini Papæ & Eccleſiæ univerſalis, omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ ſe non dubitent habituros. Cæteris vero, qui contra eos arma ſuſceperint, & ad Epiſcoporum ſive aliorum Prælatorum conſilium, ad eos decertaverint expugnandos, biennium de injuncta pœnitentia relaxamus, aut ſi longiorem ibi moram habuerint, Epiſcoporum diſcretioni, quibus hujus rei cura fuerit injuncta committimus, ut ad eorum arbitrium major eis indulgentia tribuatur. Illos autem qui admonitione Epiſcoporum in hujuſmodi parere contempſerint, a perceptione corporis & ſanguinis Domini jubemus fieri alienos. Epiſcopi vero ſive Presbyteri qui talibus fortiter non reſtiterint, officii ſui ſuſpenſione mulctentur, donec Apoſtolicæ Sedis miſericordiam obtinuerint

ANNO CHRISTI 1102.

CONCILIUM LONDONIENSE,

SUB PASCHALI II. PAPA PRIMUM,

Pro reformanda eccleſia celebratum ab Anſelmo Britanniæ primate & regni totius epiſcopis atque abbatibus, anno Domini MCII.

G. C. *Binius duo fingit hoc anno Londinenſia concilia: alteri depoſitionem abbatum quinque, & aliorum clericorum incontinentium, tribuit: alteri decreta multa ad eccleſia reformationem. Uno tamen hoc omnia Londinenſi concilio perfecta ſunt, ut conſtat ex ipſo, quem adducit Binius, Willelmo Malmesburienſi: multoque magis ex Eadmero S. Anſelmi diſcipulo & perpetuo comite ac convictore, qui profitetur ita concilium a ſe tradi, ut ab Anſelmo ipſo deſcriptum accepit. Eum ergo ſequamur auctorem, & Londinenſe anni* MCII. *concilium iiſdem quibus ille verbis deſcribamus. Eadem prope ſunt Willelmi Malmesburienſis, qui ab Eadmero ea mutuatur eſt.*

„ Per idem tempus, *inquit Eadmerus hiſt. lib.* „ III. celebratum eſt generale concilium epiſc. F. „ & abbatum totius regni, in eccleſia B. Petri „ apoſtolorum principis, quæ in occidentali par„ te Londoniæ ſita eſt. Cui concilio præſedit „ Anſelmus archiep. Dorobernenſis conſidentibus „ ſecum, archiep. Eboracenſi, Gerardo, Mau„ ritio epiſc. Lundonenſi, Willelmo electo epiſ„ copo Wintonienſi, Roberto epiſc. Lincolnien„ ſi, Samſone Wigornenſi, Roberto Ceſtrenſi, „ Joanne Bathonienſi, Herberto Norwicenſi, „ Radulfo Ciceſtrenſi, Gundulfo Roſſenſi, Her„ væo * Pangorenſi, & duobus noviter inveſtiD „ tis, Rogerio ſcilicet Serberienſi, & Rogerio „ Herefordienſi. Osbernus autem Exonienſis, in„ firmitate detentus, intereſſe non potuit. In „ hoc concilio multa eccleſiaſticæ diſciplinæ ne„ ceſſaria ſervari Anſelmus inſtituit: quæ poſt„ modum ſedis apoſtol. pontifex ſua auctoritate „ confirmavit. Cujus concilii ſeriem, ſicut ab „ eodem patre Anſelmo deſcripta eſt, huic ope„ ri inſerere, non incongruum exiſtimavimus. „ Scribit itaque ſic.

Anno Dominicæ incarnat. MCII. quarto autem præſulatus Paſchalis ſummi pontificis, tertio regni Henrici glorioſi regis Anglorum, ipſo annuente celebratum eſt concilium in eccleſia beati Petri in Occidentali parte juxta Lundoniam ſita, communi conſenſu epiſcoporum, & abbatum, & principum totius regni. In quo præſedit Anſelmus archiepiſcopus Dorobernenſis, & primas totius Britanniæ, conſidentibus venerabilibus viris, Gerardo Eboracenſi archiepiſcopo, Mauritio Lundonienſi epiſcopo, Willelmo Wintoniæ electo epiſcopo, aliiſque tam epiſcopis quam abbatibus. Huic conventui affuerunt, Anſelmo archiepiſcopo petente a rege, primates regni quatenus, quicquid concilii auctoritate decerneretur, utriuſque ordinis concordi cura & ſollicitudine ratum ſervaretur. Sic enim neceſſe erat, quum multis re-

tro

* Pro, *Bangorenſi.* M.

ANNO CHRIST 1116.

tro annis ſynodali cultura ceſſante, vitiorum vo- A pribus ſuccrescentibus, Chriſtianæ religionis ſervor in Anglia nimis refrixerat.

Primum ergo, ex auctoritate ſanctorum patrum, ſimoniacæ hæreſis ſurreptio in eodem concilio damnata eſt. In qua culpa inventi, depoſiti ſunt, Guido abbas de Perſora, & Wimundus de Taveſtoc, & Ealdwinus de Rameſe, & alii nondum ſacrati, remoti ab abbatiis ſuis; ſcilicet, Godericus de Burgo, Haymo de Cernel, Egelricus de Middeltone. Abſque ſimonia vero remoti ſunt ab abbatiis ſuis, pro ſua quiſque cauſa, Richardus de Heli, & Robertus de S. Edmundo, & ille qui erat apud Micelney.

I.

Statutum quoque eſt, ne epiſcopi ſæcularium placitorum officium ſuſcipiant: & ut non ſicut laici, ſed ut perſonas religioſas decet, ordinatas veſtes habeant: & ut ſemper & ubique honeſtas perſonas habeant teſtes converſationis ſuæ.

II.

Ut archidiaconatus non dentur ad firmam.

III.

Ut archidiaconi ſint diaconi.

IV.

Ut nullus archidiaconus, presbyter, diaconus, canonicus, uxorem ducat, aut ductam retineat. Subdiaconus vero quilibet qui canonicus non eſt, ſi poſt profeſſionem caſtitatis, uxorem duxerit, eadem regula conſtringatur.

V.

Ut presbyter, quamdiu illicitam converſationem mulieris habuerit, non ſit legalis, nec miſſam celebret; nec, ſi celebraverit, ejus miſſa audiatur.

VI.

Ut nullus ad ſubdiaconatum, aut ſupra, ordinetur ſine profeſſione caſtitatis.

VII.

Ut filii presbyterorum non ſint heredes eccleſiarum patrum ſuorum.

VIII.

Ne quilibet clerici ſint ſæcularium præpoſiti vel procuratores, aut judices ſanguinis.

IX.

Ut presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant.

X.

Ut veſtes clericorum ſint unius coloris, & calceamenta ordinata.

XI.

Ut monachi vel clerici, qui ordinem ſuum abjecerunt, aut redeant, aut excommunicentur.

XII.

Ut clerici patentes coronas habeant.

XIII.

Ut decimæ non niſi eccleſiis dentur.

XIV.

Ne eccleſiæ aut præbendæ emantur.

XV.

Ne novæ capellæ fiant ſine conſenſu epiſcopi.

XVI.

Ne eccleſia ſacretur, donec provideantur neceſſaria & presbytero & eccleſiæ.

XVII.

Ne abbates faciant milites: & ut in eadem domo cum monachis ſuis manducent, & dormiant, niſi aliqua neceſſitate prohibente.

XVIII.

Ne monachi pœnitentiam cuivis injungant, ſine conſenſu abbatis ſui: & quod abbates ſui de hoc eis licentiam dare non poſſunt, niſi de eis, quorum animarum curam gerunt. ANNO CHRISTI 1116.

XIX.

Ne monachi compatres, nec monachæ commatres fiant.

XX.

Ne monachi teneant villas ad firmam.

XXI.

Ne monachi eccleſias niſi per epiſcopos accipiant: neque ſibi datas ita expolient ſuis redditibus, ut presbyteri ibi ſervientes, in his, quæ ſibi & eccleſiis neceſſaria ſunt, penuriam patiantur.

XXII.

Ut fides inter virum & mulierem, occulte & B ſine teſtibus de conjugio data, ſi ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur.

XXIII.

Ut criniti ſic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non tegantur.

XXIV.

Ne cognati uſque ad ſeptimam generationem copulentur, vel copulati ſimul permaneant: & ſi quis hujus inceſtus conſcius fuerit, & non oſtenderit, ejuſdem criminis ſe participem eſſe cognoſcat.

XXV.

Ne corpora defunctorum extra parochiam ſuam ſepelienda portentur, ut presbyter parochiæ perdat, quod illi inde juſte debetur.

XXVI. C

Ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus, quod contigiſſe cognovimus, ſine epiſcopali auctoritate reverentiam ſanctitatis exhibeat.

XXVII.

Ne quis illud nefarium negotium, quo hactenus in Anglia ſolebant homines ſicut bruta animalia venundari, deinceps ullatenus facere præſumat.

XXVIII.

Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntarie juvantes, in hoc eodem concilio gravi anathemate damnati ſunt: donec pœnitentia & confeſſione abſolutionem mereantur. Qui D vero hoc crimine publicatus fuerit: ſtatutum eſt, ſi quidem fuerit perſona religioſa, ut ad nullum amplius gradum promoveatur; & ſi quem habet, ab illo deponatur. Si autem laicus, ut in toto regno Angliæ, legali ſuæ conditionis dignitate privetur. Et ne hujus criminis abſolutionem, his qui ſe ſub regula vivere non voverunt, aliquis niſi epiſcopus deinceps facere præſumat.

XXIX.

Statutum quoque eſt, ut per totam Angliam in omnibus eccleſiis & in omnibus dominicis diebus excommunicatio præfata renovetur.

„ Et hic quidem Londonienſis concilii textus *Vergil Eadmerus.*
„ eſt, qui poſt non multos inſtitutionis ſuæ dies,
„ multos ſui tranſgreſſores in omni hominum
E „ genere fecit. Sane quod ultimum, de reno-
„ vanda excommunicatione dominicis diebus,
„ ſtatutum fuit; ipſemet Anſelmus rationabili
„ diſpenſatione uſus, poſtponi conceſſit. " Finito concilio Anſelmus Lundonia diſceſſit. *Hactenus Eadmerus.*

Hujus concilii plures alii meminerunt: inter quos Florentius Wigorienſis in chronico, ad ann. MCII. Poſt hæc, *inquit*, in feſtivitate S. Michaelis rex, (*Henricus primus*) fuit Lundoniæ apud Weſtmonaſterium, & cum eo omnes principes regni ſui, eccleſiaſtici & ſæcularis ordinis; ubi duos de clericis, duobus epiſcopatibus inveſtivit: Rogerum

VI.

videlicet cancellarium epiſcopatu Searesbirienſi, & Rogerum Larderarium ſuum pontificatu Hereſordenſi. Ubi etiam Anſelmus archiepiſcopus tenuit magnum concilium de his quæ Chriſtianitatem pertinent, conſedentibus ſecum, archiepiſcopo Eboracenſi Gerardo, Mauricio Lundonienſi, Guillelmo electo epiſcopo Wintonienſi, Roberto Lincolnienſi, Samſone Wigornenſi, Roberto Ceſtrenſi, Joanne Bathonienſi, Hereberto Norwicenſi, Radulpho Ciceſtrenſi, Gundulpho Roſenſi, Herveo Bancornenſi, & duobus inveſtitis Rogero, & Rogero. Osbernus autem epiſcopus Exonienſis infirmitate detentus, intereſſe non potuit. In hoc concilio plures abbates Francigeni, & Angli ſunt depoſiti, & honoribus privati, quos injuſte acquiſierunt, aut in eis inhoneſte vixerunt: ſcilicet Guido Perſorenſis, Aldwinus Rameſienſis, Wimundus Taveſtokenſis, Haimo de Cernel, & ille de Micelencia. Ægelricus de Middeltuna, Godricus de Burgo, Richardus de Heli, Robertus de S. Eadmundo.

ANNO CHRISTI 1105.

Radulfus vero Niger ad annum eundem: Anſelmus, *inquit*, archiepiſcopus, poſt mortem Guillelmi Rufi reverſus de exilio, tenuit concilium cum omnibus Angliæ epiſcopis: ac plures abbates, tam Francigenos, quam Anglos, quia inhoneſte ſe habuerant, degradavit: cunctiſque prohibuit presbyteris, ulterius uxores habere.

G. C. Canones integros hujus concilii non habemus ſed eorum ſumtaxat breviaria. Quod ex Anſelmi ad Willelmum archidiaconum epiſtola, certo diſcimus. Ait enim Anſelmus: *De his qui tonderi nolunt, dictum eſt, ut eccleſiam non intrent: non tamen præceptum eſt, ut ſi ingrederentur, ceſſarent ſacerdotes: ſed tantum annuntiarent illis, quia contra Deum & ad damnationem ſuam ingrediuntur.* Quæ in canonibus non ſunt. Neque enim in vigeſimo tertio ubi præſcribitur tondendorum laicorum modus, prohibentur ii qui non parebunt, eccleſiæ aditu: neque vox eſt ulla, quæ ſacerdotibus imperet ut eos admoneant officii.

Illam autem Anſelmi epiſtolam, qui nonnulla concilii hujus decreta explicat, operæ pretium erit hic deſcribere.

Anſelmus archiepiſcopus Willelmo archidiacono dilecto ſuo ſalutem & benedictionem.

Lib. 3. ep. 61. SEntentias capitulorum concilii expoſitas, nolo vobis aut alicui ad præſens mittere: quia quando in ipſo concilio expoſitæ ſunt, non potuerunt ad plenum & perfecte recitari, propterea quia ſubito ſine præmeditatione, ac competenti tractatione, ſicut oportuerat, ſunt prolatæ. Unde quædam videntur addenda, & forſitan quædam mutanda: quod non niſi communi conſenſu coepiſcoporum noſtrorum nolo facere. Volo ergo eas dictare, & prius eiſdem epiſcopis oſtendere, cum primo convenerimus, quam per eccleſias Angliæ dictatæ & expoſitæ mittantur. Nomina tamen rerum, de quibus ibi loquuti ſumus, vobis mittimus: ut ſecundum quod recordari poteritis, nos de illis decreviſſe faciatis. De illis qui ante excommunicationem, vel poſt excommunicationem; neſcientes eam factam, Sodomitico peccato peccaverunt, par & ſimul erit ſententia, ſi confitentes pœnitentiam petierint: quam ſecundum veſtram diſcretionem dabitis, conſiderantes ætatem, peccati diuturnitatem, & utrum habeant uxores, an non: & ſecundum quod videatis eos pœnitere, & deinceps integram correctionem promittere. Conſiderandum etiam eſt, quia hactenus ita fuit publicum hoc peccatum, ut vix aliquis pro eo erubeſceret: & ideo multi magnitudinem ejus neſcientes, in illud ſe præcipitabant. Illi vero qui poſt excommunicationem cognitam ſe peccato contaminaverunt, graviori ſunt mulctandi pœnitentia. Quam etiam in veſtra diſcretione ſecundum prædictas cauſas ponimus. De his, qui tonderi nolunt, dictum eſt ut eccleſiam non ingrederentur: tamen præceptum eſt, ut ſi ingrederentur, ceſſarent ſacerdotes: ſed tantum annunciarent illis, quia contra Deum & ad damnationem ſuam ingrediuntur. De calceamentis laicorum nihil decrevimus, ſed tantum clericorum. De archidiaconibus & canonicis, qui uxores ſuas derelictas extra domos ſuas in maneriis ſuis ponunt: exiſtimo, interim donec aliud ſtatuatur, tolerandum, ſi certam promiſſionem fecerint ſe nullam converſationem cum illis habituros, nec ſine legitimis teſtibus loquuturos. De presbyteris, qui timore non audent fœminas ſuas relinquere, quod ſtatutum eſt in concilio ſervabitur: quia quamdiu eas aliqua occaſione tenebunt, nec miſſas celebrabunt, nec legales erunt, ſed tantum uſque ad initium Quadrageſimæ, ſi habuerint qui pro illis caſte in eccleſiis ſerviant, beneficiis eccleſiæ non privabuntur. Illos autem qui presbyteros propinquas ſuas dimittere prohibent, ſicut eos qui contra Deum & contra Chriſtianitatem agunt, arguite, & totum peccatum fornicationis presbyterorum illis imputandum oſtendite: & noſtram, & omnium coepiſcoporum noſtrorum excommunicationem promittite.

ANNO CHRISTI 1105.

G. C. Quod ait media epiſtola de his qui tonderi nolunt, intelligo non de clericis, qui can. XII. jubentur patentes coronas habere: ſed de laicis, qui can. XXII. jubentur ſic tonderi, *ut pars auricula appareat*. De iiſdem loquitur can. VI. concilii Rotomagenſis an. MXCVI. *Nullus homo*, inquit, *comam nutriat, ſed ſit tonſus: alioquin excommunicetur.*

A clericis, qui concilii canones, violabant incontinentia ſua rex Henricus mulctæ nomine pecuniam exigebat. Hoc Anſelmus non tulit, tanquam eccleſiaſticæ diſciplinæ contrarium: & has ad regem litteras dedit.

Henrico ſuo cariſſimo domino gratia Dei regi Anglorum, Anſelmus archiepiſcopus Cantuariæ fideles orationes cum fideli ſervitio.

Lib. 3. ep. 109. AD me pertinet, ſi audio quod faciatis aliquid quod animæ veſtræ non expediat, ut hoc vobis non taceam; ne, quod Deus avertat, Deus iraſcatur, & vobis, ſi facitis quod illi non placeat, & mihi pro taciturnitate mea. Audio quod veſtra excellentia vindictam exercet ſuper presbyteros Angliæ, & forisfacturam exigit ab eis qui non ſervaverunt præceptum concilii, quod ego cum veſtro favore tenui apud Londoniam cum aliis epiſcopis & religioſis perſonis: Quod hactenus inauditum & inuſitatum eſt in eccleſia Dei de ullo rege & de aliquo principe. Non enim pertinet ſecundum legem Dei hujuſmodi culpam vindicare, niſi ad ſingulos epiſcopos per ſuas parochias: aut ſi & ipſi epiſcopi in hoc negligentes fuerint, ad archiepiſcopum & primatem. Precor igitur vos ſicut cariſſimum dominum, cujus animam diligo pluſquam præſentem vitam corporis mei, & conſulo ſicut vere fidelis corpori & animæ veſtræ, ne vos contra eccleſiaſticam conſuetudinem tam grave peccatum committatis, & ſi jam incepiſtis, ut omnino deſiſtatis. Dico enim vobis, quod valde timere debetis, quia pecunia taliter accepta, ut taceam quantum noceat animæ, non tantum cum expenderetur, adjuvabit terrena negotia, quantum poſtea perturbabit. Denique vos ſcitis quia me in Normannia in pacem veſtram ſuſcepiſtis, & de archiepiſcopatu

ANNO CHRISTI 1102.

patu meo me refaſiviſtis, & quia cura & vinu-
cta talis offenſa maxime pertinet ad archiepiſco-
patum, quoniam plus ſum epiſcopus pro ſpiri-
tuali cura, quam pro terrena poſſeſſione. Om-
nipotens Deus ſic & in hoc & in aliis actibus
veſtris dirigat cor veſtrum ſecundum voluntatem
ſuam, ut poſt hanc vitam perducat vos ad glo-
riam ſuam.

G. C. Clericos eoſdem, ac præſertim mulierioſos presbyteros, qui quartum ſextumque canonem violaverant, pœnis eccleſiaſticis Anſelmus affecit, & excommunicationem in eos ab archidiacono ſuo latam confirmavit his litteris.

Anſelmus archiepiſcopus reverendo Gundulpho epiſcopo, & Ernulpho priori, & archidiacono Cantuarienſi Willelmo, & omnibus in ſua parochia religionem ſui ordinis amore Dei ſervantibus, ſalutem.

NUper relata eſt mihi Deo execrabilis, & omnibus Chriſtianis odibilis, ſuperba quorumdam, qui ſe ſacerdotes nominant, præſumptio. Scripſit namque mihi archidiaconus noſter Willelmus: quia nonnulli presbyteri, qui ſub ejus ſunt cuſtodia, iterum repetentes prohibitas fœminas, in immunditiam, a qua ſalubri conſilio & juſſione abſtracti fuerunt, ſe revolverunt. Quod cum idem archidiaconus vellet corrigere: omnino ejus monitionem & ſuſceptibilem juſſionem nefanda ſuperbia contempſerunt. Qui convocatis ſecum pluribus religioſis & obedientibus ſacerdotibus, ſuperbos & inobedientes gladio di-

ANNO CHRISTI 1102.

A gnæ excommunicationis percuſſit. Quam excommunicationem beſtiali inſania contemnentes, miniſterium ſanctum polluere, quantum in ipſis eſt, non formidant. Quapropter ego Anſelmus, quamvis peccator, archiepiſcopus, ea auctoritate qua mihi dedit per archiepiſcopatum Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, confirmo eamdem excommunicationem, quam fecit idem archidiaconus, uſque ad ſatisfactionem ejus judicio ſuſcipiendam.

G. C. Canonem XXVI. de nulla mortuorum corporibus *exhibenda reverentia ſanctitatis*, ſine epiſcopi auctoritate, alia confirmat Anſelmi ad Stephanum diaconum epiſtola his concepta verbis.

Anſelmus archiepiſcopus Stephano diacono, ſalutem & benedictionem. Lib. 3 ep. 11.

MAndo vobis ut eatis ad Rumeſei, & dicatis, & dicendo præcipiatis dominæ abbatiſſæ & ſanctimonialibus de noſtra parte, & ex parte epiſcopi & veſtra, ut ſi nolunt me prohibere divinum officium facere, tunc ex toro prohibeant, ut nullus honor, qui alicui ſancto exhiberi debet, exhibeatur ab illis, aut permittant ab aliquo exhiberi mortuo illi, quem quidem volunt pro ſancto haberi: filium autem ipſius mortui propellite a villa, nec amplius converſetur in illa.

G. C. Anſelmi literæ illæ me admonent, ut ex ejus epiſtolarum corpore canonicas nonnullas quas nullam hic alium locum haberent, iis adjungam.

ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLÆ ALIQUOT CANONICÆ.

I.

Lib. 3. ep. 11. AD HENRICUM ANGLORUM REGEM

Uni eccleſiæ epiſcopum canonice ſacratum, non poſſe alteri eccleſiæ præfici, inſciis papa, archiepiſcopo, & epiſcopis comprovincialibus.

Suo cariſſimo domino Henrico Dei gratia Anglorum regi, & duci Normannorum, Anſelmus archiepiſcopus, fidele ſervitium cum orationibus.

MAndavit mihi dignatio veſtra per electum epiſcopum Wintonienſem, ut ſibi ſcriberem, utrum dominus Hervæus epiſcopus Bancorenſis poſſit conſtitui epiſcopus in eccleſia Lexovienſi. Hoc utique facile fieri non intelligo. Sicut enim nullus epiſcopus ſacrari debet alicui eccleſiæ ſine aſſenſu & conſilio archiepiſcopi, & aliorum epiſcoporum totius provinciæ: ita qui ſacratus eſt epiſcopus non poteſt conſtitui in alia provincia epiſcopus canonice, ſine conſilio & aſſenſu archiepiſcopi & epiſcoporum ejuſdem provinciæ cum auctoritate apoſtolica, nec ſine abſolutione archiepiſcopi & epiſcoporum provinciæ in qua ſacratus eſt. Quæ abſolutio fieri nequit ſine magna & communi conſideratione & conſilio eorum, ſine quibus conſecrari, ut dixi, non potuit: & quamvis epiſcopatus ejus ita videatur deſtructus, ut in eo manere non poſſit. Omnipotens Deus dirigat vos in hac, & in aliis actionibus veſtris. Amen.

II.

Lib. 3. ep. 12. AD ..... FRATREM.

An nuptiæ conſanguineorum ſint vetitæ adeo ut remitti nequeant: & cur ſint damnatæ.

Anſelmus Cantuarienſis, fratri dilecto ſpiritum ſapientiæ & intellectus.

GRatulor admodum, frater cariſſime, ſtudiis tuis: quibus dum me exerces, dum deſidiæ ſomno torpentem, nec tale quid ſomniantem, quæſtione pulſas, ut evigilem. Rogas enim me hominem, ut putas, multæ lectionis, ut tibi diligenter & dilucide reſcribam, ſicut in ſanctorum patrum decretis, vel tractatibus meminerim me legiſſe prohibitionem conjugiorum in conſanguinitate, qua ratione in eccleſia Dei tantam vim obtinuerit, ut hujus exceſſus nulla omnino poſſit eſſe indulgentia, niſi præcedente ipſius conjugii divortio, vel cur ſaltem deputetur in peccatum tale conjugium. Et, ut video, non quæris auctoritatem ſolo, ſi ita dicam, imperio cognoſcentem, ſed potius rationem rationabiliter docentem. Dicerem ſimplicem & puram eſſe rationem, eorum obedire auctoritati, quibus dictum eſt: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed* Matth. 10. *ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et eccleſiæ ſanctæ ſequi conſuetudinem: cujus conſuetudines velle convellere, genus eſt hæreſis. Sed ut ſcias in omnibus me velle obtemperare voluntati

tati tum: etsi forte non possim, conabor tamen & in hoc ex aliqua tibi parte non deesse.

Præcepto hoc scilicet in consanguinitate non miscenda connubia, vel si mixta sunt, dirimenda, canones pleni sunt, & multa sunt decreta patrum: sed rationem præcepti, quam exigis, fateor, me nunquam legisse memini. Sic tamen de hac re, mecum ex consideratione sanctarum scripturarum soleo cogitare. In veteri illo populo connubia misceri de tribu in tribum non licebat. Quærenti mihi cur non, occurrerunt illæ Num. 36. filiæ Salphaad. Super connubiis consulentibus Moysen, & per Moysen, Dominum: mandatum a Domino de tribu in tribum non miscenda connubia propter vitandam suarum hereditatum diminutionem. Populus enim ille carnalis cor sursum habere nesciebat: sed ut reptile terrenum, terræ toro pectore adhærens, hereditatem solam terrenam cogitabat. Malebat singula tribus, connubia inter se dando & accipiendo, inter suas se angustias cohibere: quam extra dando, connubia, hereditatem quoque extra dividere. Talis quippe erat hereditas illorum, talisque & omnis terrena hereditas: ut divisa minuatur, & tota ad eos Matt. 19. non perveniat. Itaque sicut Dominus in evangelio dicit de dando libello repudii, secundum duritiam cordis eorum, responsum est eorum carnalitati.

Porro Christiana pietas non sic. Cum enim hereditas nostra sit, de quo dicitur: *Deus caritas* 1. Joan. 4. *est*: sicut illi lege voluntur suæ hereditati congrua, sic & nos nostræ hereditati legem vendicare debemus. Caritas enim, quo latius divisa diffunditur, tanto uberior dividenti remanet, & augetur. Statuit igitur Christiana religio, ut terminis consanguinitatis, secundum sanctorum patrum & canonum decreta, usque ad sextum gradum ex omni parte pertingentibus, ad caritatem conservandam suus natalis sufficiat affectus: quem violare, etiam apud barbaros nefas dicitur. Ubi vero ille deficit: ibi demum ad caritatem religandam, ne subducat se, adnectendum esse vinculum conjugale ad prolongandos terminos nostræ hereditatis, quæ est ipsa caritas. Justissimumque videtur, ut sicut apud illos sua mulctabatur pœna transgressor legis positæ, pro terrena eorum hereditate conservanda: sic apud nos non impune habeat temerator legis pro cœlesti pane; & divina hereditate nostra dilatanda.

Adhuc aliud. Qui extra tribum connubia dare prohibebantur, sicut nos, ad proximos Sanguinis accedere eadem lege non permittebantur. Dicit enim lex: *Quivis homo ad proximam sui* Levit. 18. *sanguinis non accedet*: additque auctoritatem jubentis: *Ego Dominus*. Et quasi exigeret causam præ- Ibidem. cepti, rationem addit: *Turpitudinem patris, & turpitudinem matris tuæ non revelabis: quia turpitudo est patris vel matris tuæ*. Deinde ex sequenti ordine proximos illos sanguinis, ad quos non sit accedendum, nec revelanda eorum turpitudo: fratres scilicet, & sorores, atque alios, qui ibi describuntur. Quæ causa communis potest esse, & nobis, & illis.

Quæramus igitur quæ sit hæc turpitudo, cujus revelatio dignum efficit morte, legis transgressorem. Turpe est, ubi pars parti non convenit. In corpore autem humano, ante primi hominis prævaricationem, nihil erat turpe, nihil dissonum, cum harmonia illa creatoris boni manu bene ac decenter aptata adhuc permanente, pars parti conveniret: Deoque anima, animæ vero corpus suum per omnia subditum esset. Postquam vero prævaricatione mandati, anima Deo facta est inobediens: superiori Deo rebelle inferius corpus destitit esse obediens. Statim quippe oculi aperti sunt transgressoribus. *Et aperti sunt,* Gen. 3. inquit, *oculi eorum*: videlicet ad se invicem concupiscendum. Et cum prius nudi essent, nec erubescerent: mox corporis sui partes veras esse sentientes in pudenda: & tegere illa festinantes, perizomata sibi fecerunt. Quod etiam nunc in pueris, vel infantibus videre promptum est: qui quamdiu concupiscentiam hanc non sentiunt, pudenda non habent: quia de aliqua corporis sui parte erubescere nesciunt. Ubi vero illius incipiunt esse expertes, jam partes illas intectas ferre non ferunt. Soluta igitur in primis illis hominibus pulcherrima illa harmonia, facta est turpitudo non minima, originalis pœna cum originali peccato ab illis in posteros transitura. Ex hoc igitur in corpore nostro, corpore peccati, membra illa, quæ huic serviunt concupiscentiæ, pudenda, vel turpitudo, vel ignominia nominantur: exterioris turpitudinis, id est: concupiscentiæ velamen semper & latebras naturaliter exigentia. Hæc autem concupiscentiæ turpitudo tunc revelatur, cum ad indicium sui membrorum suorum sibi exhibet officium, & gestit in effectum omni illo rationalis animæ vigore sic hebetato, confuso, & dejecto, & turpissimæ libidini carnis substrato: ut merito illa hora possit audire: *Adam* Gen. 3. *ubi es?* id est, qui Deo similis esse voluisti, non vides quo devenisti? Et quid turpius hac turpitudine, quid ignominiosius hac ignominia? Quam apostolus denotans: *Fugite*, inquit, *fornica-* 1. Cor. 6. *tionem: omne peccatum quod peccavit homo, extra corpus est: qui vero fornicatur, in corpus suum peccat*; id est, omnia peccata animam quidem lædunt, corpus tamen non deturpant. Qui vero fornicatur, non solum Deum offendit, & contaminat animam: sed & ipsam corporis pulcritudinem fœdat totam & dehonestat. Sicut enim furi deprehenso, ferro vel igne nota inuritur æterni opprobrii: sic naturæ nostræ vitio prævaricationis in toto suo corruptæ, per eum, in quo tota nunc erat, & extra quem non erat, indicium est hoc in pœnam peccati sui. Quæ turpitudo in omnibus perpetuo verecundiæ tegmine esset vellanda, nisi ex pœna primi peccati generationi humanæ esset necessaria. Cujus tamen generationis nullus amor revelari eam permittit in illis, de quibus lex dicit: quod proximi sint Sanguinis, & ipsius jure & instinctu naturæ eam sibi debent invicem caritatis reverentiam: ut inter se his contumeliis afficiendi corpora sua nulla possit esse justa causa, nec possit superduci aliquid honestum, quod tegere possit hoc inhonestum. Non quod negem nuptias sanctas, & cubile immaculatum: quæ legitime & cum timore Dei celebrato pio amore matrimonio, quo nubentes efficiuntur unus spiritus, ex quo facti sunt una caro, & amore sancto, & desiderio generandæ prolis, sic contegunt honestate sui, & absorbent quodammodo illam humanæ generationis pœnalem turpitudinem: ut, secundum apostolum, qui nubunt, sint quasi non nubentes. Unde & in catalogo turpitudinum non revelandarum, etiam conjugis turpitudinem lex ponit non revelandam. *Turpitudinem*, inquit, *uxoris tuæ non re-* Levit. 18. *velabis*.

Sicut igitur jam dictum est, qui extra tribum nubere prohibebantur, eadem lege ad proximos sanguinis accedere non permittebantur. Sed apud illos vix tertium gradum consanguinitatis transibat lex illa naturalis affectus: apud nos vero, in quos tempus correctionis devenit, quibus correxit

orbem Dominus, id est perfectionem, qui non commovebitur: crevit pietas, superabundavit honestas: & ad designandam evangelii perfectionem, ternarius ille numerus duplicatus porrexit se in senarium, qui perfectus est numerus, & suis partibus constat: sicut evangelii veritas per se stat, nec eget aliquo, quo fulciatur. Licet apud antiquos etiam viri laude digni, honestis aliquibus causis intervenientibus, de primo & secundo gradu temerarie præsumpserint: ut ante legem Abraham, Isaac, & Jacob, nuper a ceteris gentibus segregati, propter fugiendam cum gentibus commixtionem proximas sanguinis sui duxerunt. Sub lege vero, Caleph, Othoniel fratri suo minori victa civitate Debirarum, in præmium victoriæ filiam suam dedit uxorem. Sed & Thamar, cum opprimeretur a fratre: *Noli*, inquit, *frater, sed pete me a rege, non negabit me tibi*. Et certe rex qui fratri sororem dicebatur daturus uxorem, pater utriusque. Quod cum, sicut dixi, quibusdam causis intervenientibus illi præsumerent; Christiana pietas nihil vult honestum judicare, quod faciat contra honestatem naturæ. Ecce quid mihi videantur super quæstione tua: si placet, bene; si displicet, facile veniam obtinebo apud te.

Josue 15

2. Reg. 13.

III.

Lib. 3. ep.

AD WILLELMUM ABBATEM

Moto altari quid agendum.

Domino & amico carissimo, reverendo abbati Willelmo, Anselmus ecclesiæ Cantuariensis, salutem.

QUando respondi ad quod quæsivistis de altari, & de ecclesia: ita erat cor meum quadam sollicitudine gravatum, ut non possem intendere iis quæ dicebam: & nuncius vester ita festinabat, ut in aliud tempus hoc differre non possem. De quo quidem neque in decretis, neque in canonibus, memini me aliquid legisse: sed a quodam episcopo audivi, quod in decretis Eugenii papæ legitur, altare motum iterum consecrandum. De his cum domno papa Urbano locutus sum, assistentibus quibusdam episcopis: sed papa dicebat, mensam altaris motam, nec reconciliandam, nec iterum consecrandam, nec amplius in altare reputandam. Alii vero dicebant tantum reconciliandam: nullam tamen auctoritatem ostendentes. In hoc autem omnes concordant, quod, violato principali, tota ecclesia cum altari iterum consecranda est: nec ecclesia consecranda est sine consecratione altaris, aut principalis, aut alicujus alterius in eadem ecclesia. In his autem omnes concordant, cum quibus locutus sum, excepta altaris mensa. Item si aliqua pars ecclesiæ destructa, reficitur, aut nova fit, altari immoto: aqua tantum ab episcopo benedicta aspergendam dicunt. Ratio autem, quam a me quæsivistis, hæc mihi videtur super his. Altare non fit propter ecclesiam, sed ecclesia propter altare: & ideo violato principali altari, jam non videtur esse ecclesia: quia non est illud, propter quod ecclesia construitur, & consecratur. Quapropter cum illud fit novum, recte videtur cum eo consecrari, per quod recepit, ut sit ecclesia. De moto altari iterum consecrando hæc quoque mihi ratio videtur. Altare vicem fidei Christianæ tenet, ut sicut nonnisi in altari sacrificium nostrum offerimus; ita nonnisi recta fide sacrificia bonorum operum offeramus, si & Deo placere volumus. Sicut igitur fides mota a suo fundamento, quod est Christus, & a sua stabilitate, jam non est fides: ita altare motum a suo fundamento, jam non est altare; sive quod de eadem materia totum, sive de alia fiat altare novum, & aliud quod fuerat altare, videtur ideo consecrandum. Propter hanc rationem cavendum existimo, ne altare gestatorium consecretur sine fundamento, quod multi custodiunt, & fere ubique custoditur; quamvis in Normannia, cum ibi eram, non servaretis, sed nudi lapides nusquam affixi consecrarentur. Quod ego non damno, nec tamen facere volo. Ex his, quæ dixi, sequitur, quia si tota ecclesia nova fiat, altari sine violatione manente, quoniam sine consecratione altaris alicujus consecrari non debet: aut altare aliquod est ibi renovandum, ut simul cum ecclesia consecretur; aut aqua ab episcopo ad hoc benedicta intus & exterius simpliciter aspergatur. Quæ facienda de his dixerim, ex ore & usu aliorum didici. Rationem vero eandem alios habere non nego; sed ego a nullo accepi. Quapropter quod per me vel per alios sentio, sanctitati vestræ postulatus simpliciter insinuo, donec vobis certius, aut melius patefiat. Valete.

G. C. De argumento eodem est epistola LXXX. Ivonis Carnotensis. Vide & LXXII. ejusdem.

CONCILIUM ROMANUM,

ANNO CHRISTI 1103.

ANNO CHRISTI 1103.

In quo Paschalis papa II. Grosulanum in Mediolanensem sedem restituit anno Dom. MCIII.

Ex Labb. Append. Tom. X

Liprandus presbyter Grosulanum simoniacum ignis judicio probavit, ut ante diximus ad Mediolanense conventiculum anni MCI. *Grosulanus cum sedem archiepiscopalem ac civitatem deserere hoc prodigio coactus esset, ut docet Landulfi chronicon: Paschalis papa gratiam captat, ut ab ipso in Romana synodo restituatur. Romano igitur indicto concilio*, Presbyter Liprandus, *inquit Landulfus*, cum jam senex esset, & duo (1) anni post legem ab ipso factam (*hoc est, conditionem quam ipse obtulerat, Divini per ignem judicii*) transissent, provocatus & compulsus, Romam ad synodum venit. *Et paulo post*: Presbyter Liprandus causam, quam adversus Grosulanum habuit, pure notificavit: & Apostolicus, non legem per ipsum presbyterum datam, & sacramento & igne notam, laudavit;

(1) Si duo anni transierunt post experimentum ignis, quod factum est exeunte anno 1102. vel ineunte 1103. ac deinde Liprandus provocatus ad synodum Romanam venit, hæc igitur habita anno 1103. & eadem est ac Lateranensis de qua infra.

ANNO CHRISTI 1003.

davit ; ſed gratiam & officium presbyteratus in illo firmavit , & dixit : Si hic presbyter juraret, & duodecim ſacerdotes cum illo jurando affirmarent , quod Groſulanus coegit ipſum presbyterum ire ad ignem , ſuſtineret Groſulanus depoſitionem. Atque ſuper hoc , ſpatium conſulendi per unam noctem dedit. Nocte autem illa tranſacta, Apoſtolicus coram ſynodo a Groſulano ſuſcepit ſacramentum, in quo ſacramento Groſolanus ſic ait: Ego Groſulanus, gratia Dei archiepiſcopus , non coegi dictum Liprandum presbyterum ire ad ignem , & facere judicium . Tunc & Ardericus Laudenſis epiſcopus, jurando firmavit idipſum. Azoni vero Aquenſi epiſcopo, proferenti id ipſum, jurare ex parte Groſſulani, ab Apoſtolico fuit condonatum . Groſulanus itaque acceſſit, ut acciperet gratiam reſtitutionis . Et cum ad accipiendum reſtitutionem accederet, gabuta, & paſtoralis virga quam idem Groſulanus ſua tenebat manu, coram ſynodo ad terram corruit. Quod ſignum quampluribus fuit indicium , quod ſacramentum ejus fuit ſacramentum mortis. Verumtamen nec papa , nec ejus ſynodus , ad hoc tunc reſpexit: ſed ipſum Groſulanum Azoni Aquenſi, & Arderico Laudenſi, atque Jordano de Clivi, & cæteris Mediolanenſibus, tam clericis, quam laicis, verum etiam epiſcopis ejuſdem eccleſiæ ſuffraganeis, volentibus eum habere in archiepiſcopum, licet otioſe, reſtituit. *Otioſe reſtitutum dicit, hoc eſt , fruſtra , ut poſtea ſignificat Landulfus idem his verbis*: Groſulanus vero, gratia Gulielmi abbatis monaſterii S. Ambroſii, & Andreæ Mediolanenſis eccleſiæ primicerii, & aliorum multorum prudentum , tam clericorum, quam laicorum, nec ſedem , nec aliquam munitionem archiepiſcopatus, poſt legem primam a presbytero factam, ſive reſtitutionem a ſynodo celebratam, habuit. *Totius vero controverſiæ hujus exitum mox videbis in concilio Lateranenſi anni* MCXVI.

ANNO CHRISTI 1103.

AD ROMANUM CONCILIUM,

In quo de cauſa Groſſulani Mediolanenſis ſedis antiſtitis cognitum eſt, Anno 1103. *celebratum*,

ADNOTATIO CRITICA.

Ex Mans Suppl. T. II. pag. 229.

ROmanam hujus anni 1103. ſynodum ex hiſtoria controverſiæ inter Liprandum presbyterum, & Groſſulanum archiepiſcopum a Landulpho a S. Paulo deſcriptam elicit Labbeus to. II. pag. 1107. Venet. edit. Qui tamen ſupremam cauſæ huic manum in concilio Romano 1105. impoſitam fatetur . Unde tamen id deduxerit , quod certum conſtituit , de cauſa in duplici ſynodo agitata, penitus ignoro ; nuſpiam enim id aſſerit Landulphus, cujus tota ſeries hæc omnia una eodemque in ſynodo geſta deſignat. Certum alioqui ratumque eſt reſtitutionem Groſſulani ſynodo anni 1105. tribuendam , ut non obſcure innuit Landulphus, cap. XXII. his verbis : *Durante lite Groſſulani , ſcilicet* 1105. *VII. id. maji* &c. Abjicienda eſt igitur ſynodus anni 1103. totaque hæc controverſia ad ſynodum anni 1105. referenda. Quam vero ſynodum Romanam anno 1104. aſſignat Labbeus , illam in ſequentem annum revocandam demonſtravit Pagius , cujus ſententiam noviſſimus conciliorum Labbeanorum editor adoptavit.

CONCILIUM MASSILIENSE,

Anno 1103. confirmat placitum, quod fecit Norgaudus Epiſcopus Æduenſis cum domno Abbate Hugone & Monachis Cluniacenſibus.

Ex Chartario Cluniacenſi.

Ex Martene Theſ. Anecd Tom. IV. p 114.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti Amen . Omnes ſanctæ univerſitatis Eccleſiæ filios volumus ſcire, quam pacem, quamve concordiam Æduenſis Epiſcopus Norgaudus domno Hugoni Cluniacenſium venerando Abbati filiiſque ejus Cluniacenſibus fratribus tandem poſt diutinam controverſiam fecerit , qua litterave factam corroboraverit . Querimoniæ inter Cluniacenſes fratres & prædictum Æduenſem Epiſcopum N. pro illatis ab eodem Epiſcopo injuriis exortæ fuerunt , & inter cætera injuriarum damna idem Epiſcopus, nec non & Matiſcenſis Præſul domnus Bernardus quædam nova fecerunt privilegia , quæ videbantur contraria, quædam contra Cluniacenſis Eccleſiæ privilegia continere. Ut autem domnus Paſchalis II. papa hoc comperit amore domni Patris Hugonis & Cluniacenſium fratrum caritate excitus, ſcriptis ſuis illa contraria , quæ memorata jam dictorum Epiſcoporum privilegia continebant, damnare curavit; & ad hæc damnanda , atque ſimul Romanæ Eccleſiæ negotia peragenda & pertractanda Prænestinum Epiſcopum domnum Milonem , totius Galliæ legatione injuncta , ad Gallias mittere ſtuduit . Idem vero Legatus Cluniacum veniens, certo die inter præfatum Epiſcopum, fratreſque Cluniacenſes placitum denominatum ſtatuit, in quo placito , quicquid ſupradictorum privilegia Epiſcoporum contrarium adverſus Cluniacenſis Eccleſiæ privilegia ſonabant , præcepto Domini Papæ in præſentia Epiſcoporun., quos ſubintitulabimus , & cunctorum qui aderant, excluſit, ac damnavit, Eccleſiæque Cluniacenſis privilegia firmavit, & corroboravit . In hoc quoque placito prænemoratus Æduenſis Epiſcopus N. decreto & litteris domini Papæ Paſchalis II. commonitus , juſtitiaque quam in Eccleſiis ſubnominatis fratres Cluniacenſes

ANNO CHRISTI 1103.

censes habebant exigente, domno patri Hugoni fratribusque Cluniacensibus donavit, concessit, ac laudavit Ecclesiam de Carrellis, & Ecclesias de castro de Lorma, scilicet Ecclesiam S. Albani, & capellam ejusdem castri, Ecclesiamque de Molinis, & Ecclesiam de Trevello. Ecclesiam autem de Moncellis simili modo donavit, similiter concessit & laudavit. Statutum est tamen, ut pro hac ipsa Ecclesia duorum solidorum census annuatim reddatur. De hac iterum eadem Ecclesia hæc convenientia habetur, ut si a Corbiniacensibus monachis fratres Cluniacenses interpellati de rectitudine fuerint, ubi Cluniacenses testificatorem suum poterint habere, non differant in curia memorati Episcopi Æduensis N. justitiam exequi rectitudinis. Omnes etiam Ecclesias quas vel prædecessoris sui domni Aganonis tempore tueantur, vel de quibus donum, vel investituram, aut assensum habuerant, laudavit. Præceptum est quoque domini Papæ Paschalis præcepto, & præfixum, & per præfatum Romanæ sedis Legatum Prænestinæ Episcopum domnum Milonem corroboratum, ut sicut in præfati papæ Paschalis videlicet II. privilegio Cluniaco impertito continetur, tam Ecclesiæ, quam presbyteri Ecclesiarum, & res Cluniacensium universo sine inquietudine liberæ & inviolatæ permaneant. Hæc vero de Vizeliacensi abbatia statuta sunt & præfixa. Statutum est & præceptum, ut Æduensis Episcopus a Vizeliacensi abbate professionem vel obedientiam non exigat, nec abbas ei ullo modo faciat. Fratres vero Vizeliacenses sacros ordines ab ipso suscipient, si tamen Episcopus canonice ordinatus fuerit. Quod si eos ordinare renuerit, a quolibet alio Episcopo canonice ordinato ordinabuntur. Presbyteris quoque qui eidem abbatiæ deserviunt chrisma largietur absque alia retractatione. Anno ab Incarnatione Domini MCIII. Acta sunt hæc apud Massiliam per manum domni Milonis Prænestini Episcopi & S. R. E. sedis legati in præsentia Episcoporum scilicet Matiscensis B. qui tunc cum Episcopatu suo Lugdunensis Archiepiscopi domni Hu. vices agebat, & hujus præfati Æduensis Episcopi N. in præsentia quoque archiepiscopi de Evroic domni Gerardi, & Episcopi de Titfort domni Herberti, & Episcopi Cestrensis domni Roberti, ac Episcopi Belensis domni Poncii, hoc placitum, & has conventiones donorum præfatus Æduensis Episcopus N. sicut in præsentia supradictorum Episcoporum per manum domni M. Cardinalis sæpedicti firmaverat, sic Cluniaci in communi capitulo fratrum firmavit, laudavit, & corroboravit, præsente Vizeliacense Abbate domno Attaldo, domnoque Gaufredo priore claustri, & domno Bernardo Camerario, præsente etiam conventu.

ANNO CHRISTI 1103.

PRÆFATIO AD SERAPHIN ARCHI PRÆSULEM STRIGONENSEM.

Dei Gratia Seraphin Archi-Præsuli, divinarum igne virtutum ardenti, Albricus quamvis unus ex minimis, tamen servus sanctitatis nuncupatus, in palatio cœlestis contemplationis.

Ex Mass. Tom. II. p. 198.

QUoniam fiduciam talem habemus per Christum ad DEUM, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est, cum specialis gratiæ inspiratio mentem tuam cœlestis sapientiæ thesauro ditaverit, & quam plurimis disertis, ad didascalici meriti lucidas contubernii tui officinas, quasi totidem gemmis ornaverit, haud parvum ingenioli mei reformidat rusticitas, dum me, ut ita dicam, elinguem, ac pene totius urbanitatis exortem, jubes, o Præsul! Regalium instituta collationum recolere, vel senatoria totius Regni decreta, jejuna oratione recapitulare. Neque enim ad regalia consilia, me consultricis prudentiæ inculta provexit materies, nec tenuis rei, stantem pro foribus, intromittit despecta pauperies. Quia vero obedientiæ eligo magis operam dare, quam charitati, omnia speranti aliquid denegare: malo etiam ultra vires obtemperando præsumere, quam præsumptuose minime obtemperare. Quamvis enim imperitia mea dictandi non præstet facundiam, charitas tamen obedientiam non negat. Porro, non in hoc opere proprii arbitrii vestigia figo, verum præviis alieni itineris viribus insisto: ob quam videlicet causam, si quid in errabundo vestigio liberius evagatus meus deviaverit calamus, non ambigo, quam facilis apud te sit veniæ locus: quæ res pigram etiam impellit hujus consilii moram. Sed sunt fortasse nonnulli, qui sine rationis circumspectione, idem, unde sermo est, Concilium Vercellinum autumant esse superfluum, minus provide asserentes; antiquis, dicentes, potius priorum insistendum est relatibus: quorum profecto quam frivola, quamque sit inconsulta conjectura, non est supervacuum pauliſper commemorare. Quia hi regni detractores magis proprio consulunt arbitrio, quam communiter regni profectui administrando. Nam quis ambigat a sancto Patre nostro Stephano, viro quippe Apostolico, legem populo nostro datam, in quibusdam austeriorem, in quibusdam vero tolerabiliorem, in his quoque intensius vindicantem, atque in aliis remissius indulgentem? nec quemquam tamen absque disciplinæ verbere dimittentem, cum prædestinationis tempus nullum adhuc reum adduxisset fidei sponsorem: nec hoc quidem præter divinæ dispensationis respectum credi nefas est. Nam cum tempore prædicti Regis, universum regnum ejus barbaricis inservierit cultibus, ac rudis, coactuique Christianus, contra commonitorem sanctæ fidei stimulum adhuc recalcitraret, adhuc contra pœnitentialia ultricis virgæ verbera remorderet, operæ pretium fuit, ut sanctæ disciplinæ coactio, infidelibus quidem ad conversionem fidei, sed conversis fieret ad justitiam pœnitentiæ. At Christianissimus Rex noster Colomannus, columbinæ gratiæ simplicitate, cum omni virtutum discretione præditus, postquam vidit adultam fidem perfectæ Religionis robur accepisse, legalis vinculum catenæ cogitavit relaxare prudenter: utpote indignum esse perpendens, si jam spontaneum fidei militem legalis pœnæ timor torqueret, quem nec ipsa mors ab agnitæ jam confessione veritatis absterrere potuisset. Hic nimirum, cum videret propter civilia bella usque ad tempus illius invalescentia, paternis traditionibus jam magna ex parte solutis, Regni Consilium

ANNO CHRISTI 1103.

filium labefactari, curiæ honorem vilescere, timens, ne miles insolens, domesticus tamen virtutis, hospes irrevocabilis fieret iniquitatis: Regni Principibus congregatis, totius senatus consulto, præfati Regis sanctæ memoriæ Stephani legalem textum recensuit; de quo, si rem consideres, nihil comminuit, sed auxit, non tamen quasi fundator, sed superædificator; quatenus primitiva plantaria, salubri veluti responsionis infusione irrigata, percipiant justitiæ incrementa. Et ille quidem destructor fuit infidelium; Iste rectæ conversationis augmentator in justificatione: Ille lorica fidei populum induerat; Iste terrenæ ambitionis superfluenta cingulo justitiæ præcingebat: Ille gladio spiritus verbi Dei perterruit; Iste galea salutis decoravit.

Postremo, hunc uterque Regnum finem rebus imposuit, ut dum debita ultrix pœna filios perditionis consumeret, filios prædestinationis refoveret. Non enim sine causa Rex gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ejus, A qui malum agit: nam Principes non sunt terrori boni operis, sed mali. Quis enim, qui noceat vobis, si boni æmulatores fueritis? Hactenus hæc. Contra supradictos autem hujus Concilii detractores, de singulis capitulis, quæ abs re esse mentiuntur, possem etiam scribendo satisfacere, nisi epistolaris ego sermonis modum excedens, modestiæ tuæ (O Præsulum decus!) aures timuissem fastidire: possunt tamen illa ex his colligi, quæ moderata satis brevitate perscripsi. Verumtamen tu domine, qui in hujus populi linguæ genere minus me promptum consideras, si quid calamus, a suscepti itineris tramite declinaverit, tua quæso in me benevolentia solita, & supervacua reseces, & imperfecta suppleas, errata corrigas, commode dicta paterna gratia provehas, & antequam in aures prodeant publicas, curæ tuæ digitum dignanter imponas, & quæ tuo duntaxat doctissimo digna constitui examine, tuo etiam judicio a detrahentium muniantur livore. B

ANNO CHRISTI 1103.

CONSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ

Colomanni Regis Hungariæ.

CAPUT I.

De dote cujuslibet Ecclesiæ per Beatum Stephanum dispositæ.

PLacuit Regi, & communi Concilio, ut dotes cujuslibet possessionis, monasteriis, seu Ecclesiis a Beato Stephano dispositæ, inconvulsæ remaneant.

NOTÆ P. MELCHIORIS INCHOFFERS. J.

COnferatur ex const. S. Steph. c. 1. & 13. Feriebant invidorum oculos, Episcoporum, & Monasteriorum proventus, quos hi e fundis, a S. Stephano assignatis, capiebant, suasere nonnulli, ut aut limites possessionum Rex coarctaret, aut fructus ex iis obvenientes portione certa definiret; sed fulmina illa, quæ in fundationum literis in violatores bonorum Ecclesiasticorum, Sanctus Rex detorsit, homines, lucro potius, quam Ecclesiarum decori intentos, deterruit.

CAPUT II.

De Synodo in unoquoque Episcopatu, Comitibus & Magistratibus celebranda.

QUia populus noster magnis sæpe, tam viæ, quam inopiæ laboribus prægravatus, pro qualibet necessitate curiam regalem adire non potest, bis in anno, id est: in festivitate Apostolorum Philippi & Jacobi, & in octavis Michaelis, Synodum in unoquoque Episcopatu celebrari constituimus: in qua tam Comes, & Comites, quam aliorum magistratuum dignitates, & potestates, ad suum Episcopum conveniat, ad quam quicunque, etiam sine sigillo vocatus, non venerit, reus judicio erit.

NOTÆ.

DUo hic eruimus. Primo: ante hoc statutum causas etiam spirituales in curia regia fuisse examinatas, idque per privilegium Regis Apostolici, quæ postea ad Synodos Episcopales remissæ sunt. Secundo: diris Synodis semestribus Interfuerunt etiam seculares superiores, qui una cum prælatis profana subditorum negotia ventilarunt; quod eo fine factum est, ut præsente Ecclesiastica persona, tenacius pro justitia staretur, & quod nonnunquam evenit, sententiæ juribus Ecclesiarum adversæ prohiberentur.

CAPUT III.

De alienigenis Presbyteris, sine litteris commendatitiis advenientibus.

ALienigena Presbyter, vel Diaconus, commendatitiis literis non recipiatur; qui vero hactenus recepti sunt, si jure venerint, examinentur, quatenus de quibus aliqua aures nostras pulsat infamia, hi ab officio cessent, donec in judicio purgentur, vel de terra eliminentur.

NOTÆ.

COnsulitur vi hujus legis, publicæ disciplinæ, ne mali exempli clerici in Hungariam admittantur, aut ut admissi ejiciantur.

CA-

ANNO CHRISTI 1103.

CAPUT IV. alias V.

De citationibus Presbyterorum.

EPiſcoporum, & Comitum capellani, vel reliquorum, per ſigillum Epiſcopi, quel Archi-Epiſcopi, ad cauſandum cogantur.

CAPUT V. alias VI.

De citationibus Presbyterorum, & Laicorum inter ſe ſe.

SI vero clericus cauſam habet cum laico, per judicis ſigillum laicus cogatur: ſi vero laicus habet cauſam cum clerico, per ſigillum Epiſcopi, vel Archi-Epiſcopi, clericus cogatur; ab eiſque, tanquam judice ſuo, examinentur. ANNO CHRISTI 1103.

CAPUT VI. alias XIV.

Quod nullus ſecularis Judex clerico det ſigillum.

NUllus præſumat Sæcularis Judex clerico ſigillum dare.

NOTÆ.

CONfirmatur Privilegium Cleri, vi cujus nulla Eccleſiaſtica perſona ad forum ſeculare citetur. Sigillum autem, veteri ad judicium evocandi conſuetudine, dabatur, cum illud judex nudæ chartæ appenſum, per actorem ad reum mittebat, eumque ad audiendam cauſam invitabat.

CAPUT VII. alias XV.

Revocatio omnium donationum, præter donationem S. Stephani.

QUia eo minus videtur valere curia, quo minus ſuppetunt neceſſaria: ne noſtra abundantia nimis ſuperfluat penuria, placuit omnes piſtrinas, præter quas Sanctus Stephanus Rex donaverat, ſolio regali reddere. Quia indignum erat nobis recedentibus, curialem nobiſcum honorem recedere, ubi præſtat nos & venientes copiam honoris invenire.

NOTÆ.

UT neceſſitati, & ſecuritati publicæ conſuleretur, piſtrinæ, vel molæ, præter eas, quas Sanctus Stephanus donarat, ad Cameram Regiam redactæ ſunt: ne quilque pro libitu faciendæ farinæ, & panis poteſtatem habeat, & miles, aut aula regia, cum bellum gereretur, penuriam patiatur.

CAPUT VIII. alias XVI.

Ablatio piſcinarum Monaſteriis, vel Eccleſiis datarum.

SImiliter decrevimus, piſcinas Monaſteriis, vel Eccleſiæ datas, alias quidem reddere, ſed neceſſarias quotidiano fratrum uſui relinquere, nullas vero, niſi ſuperfluas auferre.

CAPUT IX. alias XVIII.

Quod Sylvæ datæ Eccleſiis non auferantur.

SYlvas Eccleſiis datas, minime auferri concedimus.

CAPUT X. alias XIX.

De terris occupatis colonorum ejectorum.

VEteres coloni ejecti, terram non habentes alibi, ad ſuam revertantur: ſi tamen terra eorum data eſt Monaſteriis, vel Eccleſiis, & ipſi aliam habent, hoc inviolabiliter ita permaneat.

CAPUT XI. alias XXII.

De judicio ferri & aquæ, in quibus locis fieri poſſit.

JUdicium ferri & aquæ in aliqua Eccleſia fieri interdicimus, niſi in ſede Epiſcopi, & majoribus Præpoſituris, ut Poſonii, & Nitriæ.

NOTÆ.

DIcta de judicio ferri, & aquæ in Synodo Szabolchenſi, hoc loco repetenda ſunt. Capitulum iſtud propter abuſus conditum eſt; paſſim enim probam ferri igniti & aquæ ferventis exercebant in reos, judices; dum certi quidam ritus, & loca præſcriberentur. Arguunt aliqui ex eodem Capitulo, Nitrienſem Epiſcopatum ſub hæc tempora nondum extitiſſe, cum Præpoſitura Major dicatur. Sed obſtant argumenta alia; admiſerim tempore Colomani fuiſſe Præpoſituram vel potius Vicariatum Epiſcopi, idque iniquitate bellorum agrum Nitrienſem vaſtantium, quo, Epiſcopatum Nitrienſem, a ſancto Stephano ſeu reſtauratum, ſeu fundatum per intervalla annorum aliquot, cum Epiſcopi dignitate quieviſſe, probaretur.

CAPUT

ANNO CHRISTI 1103.

CAPUT XII. alias XXV.

De decimis tributorum, & vectigalium.

DE tributis autem, & vectigalibus, ſicut Comitibus tertiam partem dari decrevimus, ita decimam quoque Epiſcopis cenſemus; quibus tam novi, quam veteris teſtamenti pagina decimas dandas eſſe proclamant. Incautum igitur, & inconſultum eſt, ſi inſtituta Sanctorum præſumamus infringere, quæ ſumma potius devotione debemus adimplere.

CAPUT XIII. alias XXVI.

ANNO CHRISTI 1103.

De teſtibus confiteri debentibus ante atteſtationem.

SI quis in teſtimonium adductus alicujus, veritatem ſua nititur atteſtatione probare, hujus teſtimonium ſic recipi jubemus, ſi præſertim ſit confeſſus peccata ſua Sacerdotibus: ſi denique contrarium habeatur, & cautela ſit veri teſtimonii per Sacerdotem in confeſſione, & mendacis culpæ redemptio fiat cum poſſeſſione.

NOTÆ.

CONvenit hoc ſtatutum cum illo S. Stephani *Dec. L. 2. c. 3. Teſtes ſint Chriſtum prædicantes.* Quo innitur, ut teſtes in cauſa aliqua adhibendi ſint Chriſtiani; cui Colomannus illud adjecit ob frequentem hominum nequitiam, (præſertim ob novellam adhuc Chriſtianam religionem apud Hungaros, dum multi Chriſtum mentiti Scythicum animum pallitbant) ut teſtes e numero eorum ſint, de quibus Sacerdotum teſtimonium habeatur, quod in ſignum vitæ probæ, peccata ſua confeſſi ſint; alioquin in defectu hujus teſtimonii, merito de virtute, & fide teſtis ſuſpectus eſſe potuit. Optandum foret, ut ſimilis cautela, & delectus teſtium hodiedum vigeret, ne tot perjuria, ob lucellum ſane exiguum, in judiciis invaleſcant.

CAPUT XIV. alias XLVI.

De accuſatione Iſmahelitarum ſecundum ſectas ſuas viventium.

SI quis Iſmahelitas in jejunio, ſeu in comeſtione, porcinæque carnis abſtinentia, vel in ablutione, vel in quolibet ſuæ ſectæ facinore deprehenderit, Iſmahelitæ Regi deputentur, qui vero eos accuſabit, de ſubſtantia eorum partem accipiat.

CAPUT XV. alias XLVII.

De Eccleſiis Iſmahelitarum, & de dotibus earumdem.

UNicuique villæ Iſmahelitarum Eccleſiam ædificare, de eadem villa dotem dare præcipimus, quæ poſtquam ædificata fuerit, media pars villæ Iſmahelitarum emigret, ſicque aut extrinſecus ſedeant, aut quaſi unius moris in domo: mater autem nobiſcum una eademque Chriſti Eccleſia individua unanimiter conſiſtat.

NOTÆ.

ACcreverat Iſmahelitarum numerus. Occupabant illi ſedes habitatore vacuas, & velut in rempublicam confluebant. Quod ipſum a Cumanis poſtea factum vidimus, Hungariam prope omnem inundantibus. Ut igitur Iſmahelitæ ad Sacra Chriſtiana pertrahuntur, aut alio ſe auferre cogantur; ſtatuit S. Synodus, ut in villa, quo ſe Iſmahelitæ recipiunt, ex eorum pecunia, Eccleſia ædificetur, & dotetur: qua parata, qui baptiſmum ſuſcipere voluerint, remaneant unius nempe moris Chriſtiani in Domo Dei: qui noluerint, emigrent, & Chriſtianis locum faciant. Quod autem media pars villæ abire jubeatur, provide ſtatuitur; ne ſcilicet unum in nidum congregati, pertinaciores contra Regis, & Epiſcoporum edicta evadant, & mutuis conſiliis ad ſectam ſuam tuendam, aut machinationes occultas ſe animent, quod hodiedum experitur Eccleſia, ubi ſoli ſectarii ſe continent. Canon iſte locis applicari poſſet, & deberet, ubi Judæi numero, habitatione, & divitiis incolas Chriſtianos excedentes, turpis lucri cauſa a fundorum Dominis protegantur.

CAPUT XVI. alias XLVIII.

De matrimonio Iſmahelitarum.

ISmahelitarum vero nullus audeat filiam ſuam jungere matrimonio alicujus de gente ſua, ſed noſtra.

CAPUT XVII. alias XLIX.

De eſu carnium porcinarum per Iſmahelitas.

SI quis Iſmahelitarum hoſpites habuerit, vel aliquem in convivium rogaverit, tam ipſe, quam convivæ ejus, de porcina tantum carne veſcantur.

NOTÆ.

LEgibus his Colomanus Iſmahelitas coercere voluit, ut leviori negotio fidelium ſocietati aſſueri, baptiſmum ipſi expetant, & qui in pagano ritu perſeverare decreverunt, pœnis emolliantur. Quæ de cauſa, matrimonia prohibuit mulierum Iſmaheliticarum cum aliquo de gente ſua, ſeu cum pagano, juſſitque conjungi Hungaro, vel Chriſtiano. Decretum ſimile legitur in Concilio Toletano XVII. de filiis & filiabus Judæorum, anno 694. celebrato, uti videre eſt apud Binium in notis, N. 8. Tom. 3. Concil. De eſu autem porcinæ carnis, tam Iſmahelitis, quam eorum convivis impoſito, nemo dubitabit id pœnæ loco impoſitum eſſe, ut vel Hungaria abeant, vel libertatem Chriſtianis quoad alimenta conceſſam, Eccleſiæ aggregati ampleſtantur.

ANNO CHRISTI 1103

CAPUT XVIII. alias L.

De pœnis homicidas retinentium, nec non parricidiis, & aliis.

SI quis homicidia apud Comitem, vel quemlibet inveniatur, per nuncium Episcopi ad pœnitentiam quæratur; quem si mittere renuerit, eadem cum homicida sententia feriatur. Parricidia & cætera, quæ prætitulavimus homicidia, Episcoporum censuris vocare decrevimus, qui juxta qualitatem facinorum, & personarum, prout ipsis visum fuerit, canonice hujusmodi facinus deliberent. Simplicia vero hujusmodi homicidia, ab Archi-Diacono, & Judice seculari judicentur, de quibus & ipsi nonam & decimam partem inter se dispartiant.

ANNO CHRISTI 1103.

NOTÆ.

HOmicida voluntarius juxta S. Steph. l. 2. cap. 16. debebat pendere centum, & decem auri pensas, id est uncias, & secundum institutionem canonum jejunare. Ubi alluditur ad *can. Itaque* 20. *can.* 24. *q.* 3. homicidæ a communione Ecclesiæ per tententiam submoveri jubentur; nisi per pœnitentiæ satisfactionem crimina admissa diluerint. Præsens itaque Colomanni decretum, per nuncium Episcopi, velut ordinarii tunc in causa homicidii Judicis, jubet quæri homicidam ad pœnitentiam, quem si mittere seu comes, seu quisquis alter recusaverit, eadem excommunicationis sententia ipse, & homicida percuti jubentur. Parricidia tamen, & alia qualificata homicidia, ut Assassinia, veneficia, &c. non simpliciter per nuncium, sed simul per censuras Episcoporum, id est, sub pœna incurrendæ ipso facto excommunicationis vocari, citari, & ad tribunal Ecclesiasticum attrahi debere constituitur: ut ita juxta qualitatem facinorum & personarum major, aut minor pœnitentia, canonice, seu juxta canones Ecclesiæ, volentibus se emendare imponatur; contumaces vero a communione fidelium separentur. Simplicia vero homicidia Archi-Diaconi, & judicis secularis foro attribuuntur, & eisdem pro impenso labore nona, & decima pars mulctæ pecuniariæ jam dictæ, seu centum & decem pensarum auri, ab homicida solvendarum conceditur.

Verum antiquata sunt hæc jura nostra, & in homicidas deliberatos pœna capitis statuta est, *Matth. I. Decr. III. art XXVII. Ulad. Dec. I. art. LXXXII. & aliis*. Parricidæ vero, pœna notæ infidelitatis, seu amissione capitis & bonorum feriuntur, *Dec. Tri. par. I. tit. 14. & par. 2. tit. 43.* quamquam deinde, *anno 1723. art. II.* sola pœna capitis, cum, vel sine exasperatione, iisdem infligi jubeatur.

CAPUT XIX. alias LVIII.

De mulieribus partum suum necantibus.

MUlieres, partum suum necantes, Archi-Diacono allatæ pœnitentiam agant.

NOTÆ.

EX Decreto *anni 1723. art. II.* pœna capitis constituta est; quamvis Ecclesiastico judicio, eoque mitiori in eas actum fuerit per Archi-Diacones, tempore primorum Regum. Vide, quæ sequuntur.

CAPUT XX. alias LIX.

De raptu mulierum.

RAptus mulierum, Episcopus, seu Archi-Diaconus dijudicet.

NOTÆ.

SAncti Stephani statutum erat, *Lib. 2. cap. 25.* ut puella rapta *parentibus reddatur, & raptor solvat decem juvencos pro raptu, licet postea reconcilietur parentibus puellæ. Si vero raptor pauper fuerit* componatur, seu exolvatur pœna *raptus, quinque bobus*. Quia vero hoc in capite, in causa raptus nullus judex constituitur: hinc in hac Synodo decernitur, ut ejusmodi causæ velut matrimonium directe, vel indirecte concernentes, in foro Ecclesiastico judicentur, & illic cognoscatur, an & quomodo inter ejusmodi personas, si præcipue matrimonii ineundi causa raptus contigit, illud coalescere possit, secundum canones, qui tum vigebant; quos vide in Decreto Gratiani caus. 36. q. 2. præsertim vero *can.* 4. 9. *& seq.* quibus interdicebatur inter raptorem & raptam matrimonium, quamvis valide illud contrahi non potuerit.

Hodie autem obtinet etiam in sacris Tribunalibus Hungariæ, *Conc. Trid. Sess.24. de Matrim. cap.* 6. ubi inter raptorem & raptam, quamdiu in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium decernitur: & raptori variæ pœnæ dictantur. Lex porro S. Stephani in usu non est.

CAPUT XXI. alias LX.

De maleficis.

MAlefici, per nuncium Archi-Diaconi & Comitis inventi, dijudicentur.

NOTÆ.

MAleficiati a Canonistis vocantur, qui vel ex maleficio, seu ope dæmonis, vel ex malitia hominum, naturali id medio efficientium, sunt inhabiles effecti ad copulam sive viri, sive fœminæ de quibus multi agunt in jus Canon. commentantes in titulo *de Frigidis & maleficiatis* Malefici vero sunt, qui maleficium isthoc efficiunt. Et de his iex præsens loqui videtur: ut ex sequenti, & præcedenti capite colligitur, juberque maleficos judicari per Archi-Diaconum, & Comitem, seu Supremum Provinciæ Præfectum, & per eorum nuncium in jus vocari. Nec male: cum etiam crimen magiæ, & sortilegii, de jure canonum, mixti fori sit: *arg. c. contra Idolorum* 10. *caus.* 26. *q.* 5. Alias maleficium in genere, est vis nocendi aliis ex pacto, & cooperatione dæmonis: de quo moralistæ in præceptis primæ Tabulæ, Canonistæ vero in Titul. *de Sortilegiis* agere solent. Hodie maleficia omnia in foro seculari apud Hungaros judicantur, *arg. Mat Decr. I. art.* 3. *& anni 1647. art.* 16.

CAPUT XXII. alias LXI.

De adulteris.

ADulteri Episcopo vel Archi-Diacono adducti, debitis pœnarum judiciis deputentur.

NOTÆ

ANNO CHRISTI 1103.

NOTÆ.

ANNO CHRISTI 1103.

NOtandum : ex adulterio dupliciter agi poſſe , nempe *civiliter* , *& criminaliter* . Videatur Schenaltzgru : *Tit. de adulteriis & ſtupro n.66. & ſeqq.* qui hæc pluribus . Dum præſens Colomanni & Synodi conſtitutio jubet adulteros ad Epiſcopum , vel Archi-Diaconum adduci , actionem non criminaliter , ſed civiliter intentatam ſupponit , & idcirco ſubjungit ; ſoſdem debitis pœnarum judiciis eſſe deputandos : conformiter ſcilicet ad S. Ladislai *Lib.* 1. *cap.* 20. ubi adulteris pœnitentia juxta canonum inſtituta imperatur . Confirmatur id *Decret. Colomanni. Lib.* 2. *Cap.* 28. Divortium pariter a thoro , parti innocenti utrobique liberum permittitur . Adulteræ tamen ad petitionem mariti extremum ſupplicium ſtatutum . *Trip. Decr. P. I. tit.* 105. Quæ lex hodiedum viget . De adulteris vero in loco delicti deprehenſis , etiam per non privilegiatos puniendis , videatur Decret. *Trip. part.* 3. *tit.* 32. Si ob adulterium agitur ad divortium , vel correctionem , cauſa forum ſpirituale reſpicit , *Math. Decr.* 1. *art.* 3. Si ad pœnam corporalem , vel pecuniariam ; forum ſeculare , *arg. cit. art.* 3. Et anni 1647. *art.* 16.

CAPUT XXIII. alias LXV.

De comitibus & militibus poteſtatem Eccleſiæ ſibi vindicantibus.

NUllus comitum vel militum in Eccleſia præſumat ſibi vendicare poteſtatem, præter ſolum Epiſcopum.

NOTÆ.

NOn intelligitur hoc Canone ſolum jus patronatus , aut præſentandi , nec ſola Eccleſia , aut locus ſacer Divino cultui deputatus , quem Domini terreſtres , neſcio an ſatis tute , ablatis etiam clavibus , dum commodum iis videtur , aperiunt , aut claudunt ; ſed ipſe etiam miniſter parochus , aut curatus ; imo bona , & reditus Eccleſiæ , quos aliquando ſine cauſa , iidem domini fundorum , pagi , oppidi , caſtelli , prætextu melioris curæ ad ſe recipiunt , ſuo peculio commiſcent , & domum Dei neceſſariis deſtituunt , nihil proficiente ſollicitudine Epiſcoporum in repetendis Eccleſiæ proventibus . Hæc poteſtas inhibetur , utpote vetita ſeculari perſonæ , Lege etiam Divina . Cauſæ item cognitio in aſylantibus , ſepultura in loco ſacro , ſuſpenſio , ut mos apud Hungaros invaluit , armorum gentilitiorum , ſi qui belli occubuere &c.

CAPUT XXIV. alias LXVI.

De perſonis Eccleſiaſticis decimas perſolventibus.

PResbyteri, & Abbates, ſeu cujuslibet perſonæ dignitatis, Eccleſiæ decimationem perſolvant, in cujus territorio agriculturam exercent, aut vindemiant.

NOTÆ.

LEx iſta explicanda eſt ad mentem art. 96. anni 1563. Ibi : Nobiles de vineis ſuis in propria eorum terra adjacentibus , nullas decimas ſolvere teneantur : ſed de iis , quas non in proprio eorum fundo , verum in aliis promontoriis habent , habuerintve , & de illis domino promontorii jus montanum vel nonam ſolverint, Prælatis quoque , & Eccleſiaſticis perſonis decimas ſolvere ſint obligati . Item renovatur art. 95. anni 1647. &c. proinde , ſi in talibus territoriis agriculturam aut vindemiam faciant , etiam Eccleſiaſtici , alias privilegio nobilium gaudentes , decimas hodie etiam pendunt .

CAPUT XXV. alias LXVII.

De Bigamis Presbyteris.

BIgami & viduarum , vel repudiatarum mariti a conjugiis ceſſent illicitis , vel a cleri excludantur conſortiis . *Vide Syn. Szabolcbenſ.*

CAPUT XXVI. alias LXVIII.

De celebrationibus Miſſarum.

MIſſa non celebretur , niſi conſecratis in locis, niſi cauſa neceſſitatis aliqua exiſtente, & tunc in tentorio, ſive alio mundo loco : ſed viæ tantum , ac itineri hæc vacet neceſſitas , non venationi; nec ſine tabula itineraria.

NOTÆ.

TAbulam itinerariam , intellige altare portatile, vel altare viaticum.

CAPUT XXVII. alias LXIX.

De reliquiis Sanctorum.

REliquiæ Sanctorum per viam non portentur, niſi a bono, & Religioſo Clerico.

CAPUT XXVIII. alias LXX.

De veſtibus Clericorum.

NUllus qui Clericus æſtimatur , veſtibus utatur Laicalibus, utpote ſiſſo pelliceo , vel tunica ſparſa , manica rubra , ſtragula , vel viridi chlamyde , caliga , ſeu joppa ; calceo picto , vel ſericata camiſia quoque, & tunica, & ſerico in pectore non conſuantur, ſed nodis, vel fibulis collum amplectentur inſerendum.

NOTÆ.

UT Clerici in ſacris conſtituti , & beneficiati, etiamſi minoribus ſolum ordinibus initiati ſint , veſtem , & tonſuram Clericalem deſe ant : præcipitur, *c. Clerici 15. de vita & honeſtate Clericorum . Et Clem.* 2. *eo-*

ANNO CHRISTI 1103.

dem ; nec non *Trident. Sess. 14. cap. 6. de reform.* ubi additur ratio : ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Quibus locis gravissimæ pœnæ in contrarium facientes statuuntur. Et quamvis vestis Clericorum maxime conformanda sit consuetudini, & usui cujusque regionis per *Can. Si quis Virorum 15. dist. 30.* præcipitur tamen in Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. 3. & refertur, *C. Clerici 15. de vita & hon. Cler.* ne Clerici utantur veste virgata, vel partita, hoc est ; diversos colores, aut flores panno intextos, vel per artem super inductos habeant ; neque pannis rubeis, aut viridibus, minus vero *caliga seu joppa*, id est femorali versicolore, aut a cæruleo, vel nigro abludente, &c. Memini hanc rationem vestium ad dignoscendos gradus dignitatum Ecclesiasticarum sub Emin. & Serenis. S. R. E. Card. & A. E. Strigo. Christiano Aug. Duce Saxoniæ circa annum 1713. typis editam fuisse.

ANNO CHRISTI 1103.

CAPUT XXIX. alias LXXI.

De quatuor temporibus.

QUatuor tempora in suis, ut hactenus mos fuit, locis celebrentur.

CAPUT XXX. alias LXXII.

De officio Sanctæ Trinitatis.

OFficium de Sancta Trinitate, post octavas Pentecostes celebretur.

CAPUT XXXI.

De sepulturis Christianorum.

SEpultura Christianorum non nisi in atriis Ecclesiarum fiat.

EX LIBRO SECUNDO DECRETORUM COLOMANI.

CAPUT I. alias IV.

De degradatione Bigamorum.

SI quis Bigamus propter uxorem Divinum officium reliquerit, omni Ecclesiastica dignitate privetur, & inter Laicos deputetur.

NOTÆ.

BIgami hi Presbyteri ad tempus tolerati sunt, donec aliud statueretur in Hungaria. Loquitur enim solum de iis, qui ante susceptos SS. ordines uxores habuerunt, easque retinuerunt, non servata continentia, ut si propter conjuges officiis suis, & muneri Ecclesiastico non satisfacerent, ab altaris ministerio removeantur.

CAPUT II. alias V.

De decimis populorum, & servorum denariis.

DEcretum est in sancta Synodo ab omnibus Episcopis, ut populus S. Ecclesiæ decimas omnes, quas possident, servi vero Ecclesiæ, parochiano Presbytero tres denarios impendant (a).

(a) Lego ad ann. 1105. querelas Gulielmo A. E. Strig. factas, *de non præstito denario servili in Kalend. Jan.* Mus. His.

CAPUT III. alias VI.

De notis infidelitatis.

EX authoritate Apostoli, pro Regis nostri salute, & Regni ejus stabilitate, in omnibus quotidie Ecclesiis orando, censemus, & distincte præcipimus, ut si quis contra Regis salutem, & dignitatem quolibet modo aliquid conspiraverit, aut conspirare aliquid tentaverit, seu tentari sciens consenserit, anathematizetur, & omnium fidelium communione privetur : ut si hujusmodi aliquem noverit, & probare valens, non indicaverit, prædictæ damnationi subjaceat.

NOTÆ.

POEna excommunicationis inter fideles, merito gravissima esse censetur : unde etiam ad coercendum gravissimum in republica crimen seditionis, aut rebellionis quondam adhibita est. Porro, ante tempora Sancti Stephani similis pœna contra rebelles constituta est. Sic anno Domini 847. Concilium Rhemense in Gallia sequentem Canonem sancivit : Statuimus, atque authoritate Ecclesiastica confirmamus, eos, qui contra Regem, vel Ecclesiasticas dignitates, sive reipublicæ potestates, in unoquoque ordine legitima dispositione constitutas, conspirationes rebellionis & repugnantiæ faciunt, a communione & consortio Catholicorum, veram pacem amantium, submovendos, & nisi per pœnitentiam, & emendationem paci se Ecclesiasticæ incorporaverint, ab omnibus filiis pacis sancimus extorres. Binius Tom. 3. Con. p. 633. Adhibuere iteratis vicibus hoc remedium ad componendos motus domesticos Primates nostri ; visum tamen est, exempla quæ habemus, retricere potius, quam refricare.

CA-

CAPUT IV. alias IX.

ANNO CHRISTI 1103.

De privatione Bigamorum Presbyterorum & eorum beneficiis.

UT clerici bigami, & viduarum, aut repudiatarum mariti, temporalibus Eccleſiæ beneficiis, & cunctis dignitatibus Eccleſiaſticis priventur. Nullus Epiſcopus aliquem promoveat clericorum ad Diaconatum, & ultra, niſi prius continentiam voverit, & ſi uxorem habuerit, ex ejus fiat conſenſu, idem promittentis. ANNO CHRISTI 1103.

NOTÆ.

CONfer hic locis cauſa ea, quæ habet Alexander III. in Conc. Pateran. ann. Domini 1180. celebrato, Part. 5. cap. 6. & 7. ex epiſt. ejuſdem ad Archi-Epiſc. Strigon. & Colocen. (non Colonienſ. ut vulgo habetur) collat. Decretal. lib. 3. Tit. 32. de conv. conjugat. cap. 5. & 6. Ex variis autem veruſtorum lectione obſervatur, ſeculis antiquioribus, & pietate fœcundioribus, conſenſum uxoris cum promiſſione continentiæ ad hoc, ut maritus ad majores ſacros ordines promoveri poſſet, non fuiſſe aliqua lege ſcripta requiſitum, ſed ut plurimum, ultro eam, & ſponte talem dediſſe conſenſum cum voto continentiæ junctum (qualis erat etiam Teraſia S. Paulini Epiſcopi Nolani conjux, alioquin, ſi quando reperta ſunt aliquæ, ea in re vocationi, & propoſito virorum ſuorum contrariæ, & refractariæ, h. e. quæ noluerunt a thoro, & carnali commercio maritoſum ſuorum ſe ſe ſeparare, cenſuræ Eccleſiaſticæ fuerunt ſubjectæ, ut colligere poſſumus ex tertio Canone Concilii Arelatenſis II. in quo hæc verba leguntur: *ſi quis Clericus a gradu Diaconatus* (h. e. inde a Diaconatu incluſive in majoribus ſacri Myſterii gradibus conſtitutus: *in ſolatio ſuo mulierem, præter aviam, matrem, ſororem, filiam, neptem, vel converſam uxorem, ſecum habere præſumpſerit, a communione alienus habeatur. Par quoque & mulierem* (*ſi ſe ſeparare noluerit*) *pœna percellat.*

Per converſam uxorem, quæ, & qualis hic intelligatur, norunt eruditi: converſi enim conjugati ſpeciali quadam ratione illi (& illæ) dicebantur: qui promiſſione, & profeſſione continentiæ ab actu venereo, teſtabantur jam ſe ſe plenius mundo renunciaſſe, & arctius Divino ſervitio addixiſſe, ac per hoc ſtatum priorem mutaſſe. Vidimus in allato Canone, quod mulier præter hic exceptas quaſdam propinquas, etiamſi eſſet uxor non converſa (ſenſu explicato) penitus arcetur a clerici jam Diaconi, vel ſupra Diaconatum conſtituti contubernio, ac ſolatio, & quidem ſub pœna excluſionis a ſacra communione, ſi ſe a tali clerico non ſepararet. Certe verba illa, *ſi ſe ſeparare noluerit*, non minus tangunt non converſam (ſeu non promittentem continentiam) quam aliam mulierem, non exceptam. Hinc ſunt illa etiam veterum SS. Patrum, Eccleſiæ Africanæ & Occidentalis ſtatuta, quibus abſque ulla inſinuatione conſenſus uxoris) ſimpliciter injungitur Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, ut ſe ſe ab uxoribus etiam legitimis abſtineant: ſalva tamen proviſione de iiſdem. Et Sanctus Leo I. Papa diſerte ſcribit de altaris Miniſtris, ſeu Diaconis, deque Epiſcopis, & Presbyteris: quod *cum eſſent laici, ſive lectores, licite & uxores ducere & filios procreare potuerunt, ſed cum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit illis non licere quod licuit. Unde*, inquit, *ut de carnali fiat ſpirituale conjugium, oportet eos ſuas dimittere uxores, & quaſi non habeant, ſic habere, quo & ſalva ſit charitas, & ceſſent opera nuptiarum.* Hæc & ſimilia veterum dicta, ſatis docent virum ad majores ſacri ordinis gradus vocatum, non dependiſſe olim a conſenſu mulieris, num velit ſe continere; ſed mulierem debuiſſe ex vi canonum vocationi & muneri ſui mariti ſe accommodare: alioqui non effugit cenſuram Eccleſiaſticam. Ad objectionem autem, quæ hic necti poſſet, facile reſponderetur, ſi collectionis ſcopus digreſſum pateretur.

CAPUT V. alias X.

De ſervitio conjugatorum Presbyterorum.

NUllus conjugatus Presbyter, aut Diaconus altari deſerviat, niſi prius uxori concedenti, & continentiam voventi, locum ſeparatim, & neceſſaria vitæ temporalis provideat, ut ſecundum Apoſtolum habentem, quaſi non habentem ſe eſſe intelligat.

NOTÆ.

OBſervemus tamen tum ex hoc, tum ex præcedenti ſtatuto, Sub-Diaconis nondum adhuc tempore Colomanni interdictum fuiſſe conjugium, vel uſum conjugii in Hungaria; utrobique enim Sub-Diaconi non minus, quam alii minoris gradus clerici a prohibitione illa excluduntur: idque ob frequentiores migrationes ad Hungariam clericorum ex orientali Eccleſia. Tametſi in Eccleſia latina jam dudum antea, præſertim inde a tempore Sancti Gregorii Magni, Sub-Diaconi, hac in re, eadem lege cum aliis clericis altioris gradus tenebantur. Notare etiam poſſumus, ex proximo ſtatuto, Presbyteros, & Diaconos aliquos dicto tempore in Hungaria, & in ipſo etiam conjugio ſacrum habuiſſe ordinem, ſive ante ordinem duxerint uxores, ſive poſt acceptum. Conjugatos etiam Presbytero, & conjugato Diacono hic interdicitur, ne ſine dicta conditione altari deſerviant. Qua occaſione uxores etiam ipſorum legitimæ eſſe agnoſcuntur, ſive ante, ſive poſt acceptum ordinem ſacrum fuerint ductæ. Id enim indicatur per hoc, quod non abjici, ſed conſenſu earum de continentia accepto, ſuſtentari jubentur.

CAPUT VI. alias XII.

De clericis concubinariis.

SI Presbyter altari deſerviens concubinam habuerit, illa auferatur; ipſe vero juxta præceptum Epiſcopi, fructu peracto pœnitentiæ, ad adminiſtrandum altari reſtituatur, & Eccleſiæ: ut a villa, in qua eſt Eccleſia, ab Eccleſia longius non recedat: quod ſi receſſerit, decem penſas perſolvat & redeat.

NOTÆ.

PRæter pœnas, contra Clericos concubinarios in plurimis conciliis conſtitutas, ſtatuitur, ut Parochi a loco Parochiæ negotiorum cauſa non abeant ſine ſcitu Epiſcopi, aut conſtituti ab eo Superioris; idque ideo, ne occurrente neceſſitate infantes, aut infirmi periculum animarum adeant.

ANNO CHRISTI 1103.

CAPUT VII. alias XIII.

De venditionibus in diebus feſtis.

SI quis feſto vendiderit, pretium acceptum quadruplo reſtituat, ipſe vero pœnitentiæ ſubjaceat. ANNO CHRISTI 1103.

NOTÆ.

EXtra hunc Canonem plura jam de obſervatione feſtorum ſtatuta meminimus, reſtitutio in quadruplum ad ærarium publicum confertur, cujus duæ partes aſſignatæ erant Eccleſiæ.

CAPUT VIII. alia XIV.

De non celebrantibus feſtivitates.

SI quis deſcriptas feſtivitates non celebraverit, ſic judicetur in eum; ut ſi liber eſt, tribus diebus pœniteat, ſi ſervus, ſeptem plagis mulctetur.

NOTÆ.

EXiſtimo, quod lex eas feſtivitates celebrari jubeat, quas Synodus Szabolchenſis ſub Sancto Ladislao recitat.

CAPUT IX.

De diſpenſatione conjugali in facie Eccleſiæ fienda.

DE deſponſatione conjugali in facie Eccleſiæ, placuit ſanctæ Synodo, ut omnis conjugalis deſponſatio, in conſpectu Eccleſiæ præſente ſacerdote, coram idoneis teſtibus, aliquo ſigno ſubarrhationis, & conſenſu utriuſque fieret, aliter non conjugium, ſed opus fornicationis reputetur.

NOTÆ.

MUlti ex hoc capite conjiciunt, matrimonia clandeſtina in Hungaria, jam ante SS. Concil. Trident. prohibita fuiſſe: alii ea de cauſa canonem inſertum dicunt, ut conjugia Chriſtianorum cum paganis, quorum non pauci in Hungaria, vivente Colomanno, ſupererant, reſcinderentur.

ANNO CHRISTI 1104.

CONCILIUM TRECENSE,

ANNO CHRISTI 1104.

SUB PASCHALI SECUNDO PRIMUM.

In cauſa Silvanectenſis epiſcopi de ſimonia per calumniam accuſati, habitum anno Chriſti MCIV.

HOc concilium per Richardum legatum actitatum fuit, de quo apud Ivonem mentio habetur in epiſtola ad Paſchalem papam data, in qua cauſam Silvanectenſis epiſcopi in eo tractatam eſſe teſtatur his verbis. Novimus enim præteritis annis, cum dominus Richardus Albanenſis epiſcopus apoſtolica legatione fungeretur, quia Trecis ab eodem legato concilium celebratum eſt, in quo a malevolis & æmulis perſonis crimen venditionis ſacrorum ordinum eidem epiſcopo (*Huberto Silvanectenſi*) objectum eſt. Sed propter inſufficientiam accuſantium perſonarum, conſentientibus in hoc epiſcopis, minime probatum eſt: ſed prædictus epiſcopus tanti criminis infamiam cupiens evitare, ad arbitrium legati veſtri, ſicut teſtantur qui adfuerunt, ſpontaneus de objecto crimine ſe purgavit, & innocentiam ſuam jurejurando comprobavit.

* Abbatem Novigentinum.

In hoc eodem concilio ſub legato Richardo celebrato creatum fuiſſe Godefridum * *virum ſanctitate conſpicuum epiſcopum Ambianenſem: qui res ab eo præclare geſtas quas vidit, vel ab his qui viderunt accepit, & quam exacte atque fideliter conſcripſit, narrat Nicolaus monachus Sueſſionenſis:* Eodem, *inquit*, tempore (*quo electio facta eſt*) Richardus cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus apud Trecenſes celeberrimum habuit conventum epiſcoporum, abbatum, & Galliarum procerum. Eo igitur ſe Ambianorum legati conferunt, ſuo proponunt ſe paſtore orbatos, unanimiter a clero & populo electum aſſerunt Godefridum, rege quoque aſſentiente. Tum vero omnes qui in eo conventu Godefridum noverant, Chriſtum ſummopere collaudarunt. Sed ille interim fugam meditabatur (*aderat enim ibi ut abbas cum cæteris.*) At vero interceptus, jubente cardinali & epiſcopis in medium eorum adducitur, cunctis acclamantibus dignum eum fore eccleſiæ miniſtrum, ſtrenuum diſpenſatorem; beatum futurum populum, qui talem ſit paſtorem habiturus. *Hæc de electione ejus in concilio illo Trecenſi confirmata.*

ADDITIO GABR. COSSARTII S. J.

Chronicon S. Petri vivi Senonenſis: Anno, *inquit*, * MCV. tenuit concilium apud Trecas Richardus Albaniæ epiſcopus, v. Kal. April. In quo concilio recitatum & confirmatum fuit privilegium S. Petri ab omnibus conſidentibus in ipſo concilio. Illic quoque abbas Arnaldus deponere fecit Gausbertum quemdam decanum Mauriacenſem, præceptis ejus inobedientem & rebellem & Caſæ Dei monachum: & miſit ibi decanum de ſuis monachis, nomine Petrum de S. Balderio. * *Cw.* 1104.

PRI-

ANNO CHRISTI 1104.

PRIVILEGIUM ECCLESIÆ

S. Petri Trecensis recitatum & confirmatum in concilio Trecensi.

Ex Nic. Camuzati promptuario.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Hugo comes Dei gratia Trecensis, post vulnerum meorum nimis difficilium afflictionem, & eorumdem Deo medicante evasionem: perpendens me in pluribus divinam gratiam offendisse, pœnamque prædictam peccatis meis exigentibus me juste promeritum, attendens longe majorem promeruisse: de collato mihi beneficio a Domini benignitate, videlicet de reddita mihi sanitate, proposui in conferendis beneficiis aliquibus ecclesiis Domino gratias reddere. Et quia bonum desiderium lætus debet comitari exitus, testante B. Augustino, qui Dominum orat ut bonis principiis meliores adjungantur exitus: quod in interiori meo votis disposueram, exhibui effectibus. Dedi igitur ecclesiæ Trecensi B. Petri & S. Salvatoris libertatem domorum canonicorum, videlicet ut nemo præsumat deinceps eas violare, propter furem ibi repertum, nec aliquo modo extrahere ipsum, sed liberum permittere in manu atque nutu canonicorum: nec mensuram vini sive annonæ quamvis falsam accipere ibidem; neque inde extrahere aliquid violentia, nec etiam fugitivum aliquem; nec omnino a canonicis pro re aliqua, neque a domibus eorum, exigere aliquam consuetudinem. Servientes etiam, qui vivent de proprio victu canonicorum, ita liberos efficio, ut etiamsi mercatores fuerint, nullam mihi prorsus vel meis faciant consuetudinem, & nullum pro mercatura solvant teloneum. Quod si forte clamor fiat de aliquibus prædictorum servientium, nemini respondeant neque in jus veniant nisi ammonitione canonicorum. Quid plura? Nullum prorsus mihi vel meis faciant servitium. Præterea tres servientes, qui custodiunt commune bonum canonicorum, videlicet Cellarius, & Grenetarius, atque Major, eadem libertate, quæ data est prædictis servientibus, a me donantur: & de quocumque officio vivant, nullum teloneum, nulla prorsus consuetudo, mihi vel meis ab eis persolvatur. Decimam etiam mei telonei hujus civitatis, sudradictis præbeo canonicis ad constituendum aliquid in ecclesia B. Petri & S. Salvatoris: hac conditione, ut nihil inde redigere ad proprios usus liceat episcopo sive canonicis. Hujus rei testes sunt Milo episcopus, Raynaldus præpositus: Girardus, Petrus, Goscelinus, Drogo, Anselmus, archidiaconi: Golfredus dapifer, Guido de Wangeruco, Galcherius de Firmitate, Andreas de Baldamento, Pontius de Mareyo. Actum Trecis anno 1104. ab Incarnat. Dom. IV. Non. April. indict. XII. Residente Richardo cardinali in supradicta ecclesia in synodo; præsente Manasse Remensi archiepiscopo, Manasse Suessionensi episcopo, Hugone Catalaunensi episcopo, & multis aliis comprovincialibus episcopis. Præsente etiam Daimberto Senonensi archiepiscopo, Ivone Carnotensi episcopo, Joanne Aurelianensi episcopo, & multis aliis comprovincialibus episcopis. Præsente quoque Radulpho Turonensi archiepiscopo, Marbodo Redonensi episcopo, & multis aliis comprovincialibus episcopis: regnante Philippo Francorum rege, Milone urbis Trecorum episcopo existente. Hugone ejusdem comitatum obtinente

A

G. C. Binominis fuit qui hanc concessionem probavit Trecensis episcopus. *Hic* enim & in aliis quibusdam actis Milo, sæpius Philippus vocatur.

ANNO CHRISTI 1104.

PRIVILEGIUM MOLISMENSE

Recitatum, & confirmatum in collegio Trecensi.

EGo Hugo comes Campaniæ, comitis Theobaudi filius, notum fieri volo omnibus sanctæ ecclesiæ fidelibus, quod excellentiori usus consilio, ampliare & honorare de meis propriis retinentiis Molismensem, quæ in honore beatæ Mariæ semper Virginis fundata est, proposui ecclesiam: credens & certissime sciens, tanto me in cœlestibus partem habere potiorem, quanto eandem B. Mariam interventricem præmittere procuravero meliorem. Trado igitur, &c. *donat villam Rumiliacum, & alia quædam. Additque*:

Ex Tomo IV. Spicilegii.

Huic concessioni meæ assensum præbuit dominus meus Manasses Remensis archiepiscopus cum clero suo, super his quæ ad eum pertinebant exoratus supplicationibus meis. Acta sunt hæc apud Trecas quinto Nonas April. anno ab Incarnat. Domini MCIV. Indict. XII. Epacta XXII. Concurrente V. in sede Romana vicem apostolicam gerente domino papa Paschali, Richardo Albanensi episcopo apostolicæ sedis legato, de negotiis ecclesiasticis in generali concilio Trecis tractante, Philippo episcopo ejusdem ecclesiæ præsidente, Francorum regnum Philippo & filio ejus Ludovico regente, Hugone comite filio Theobaudi Campaniæ comitatum pacifice Dei gratia retinente, cujus largitione præscriptarum rerum donatio concessa, auctoritate corroborata, petitione in ecclesia Trecensi coram omni synodo recitata, a præfato Richardo cardinali approbata, & a concedentibus archiepiscopis, episcopis, & abbatibus collaudata, immo tam clericorum, quam laicorum judicio est generaliter confirmata. De quibus aliquos nominamus, & ad corroborationem hujus chartulæ hic inscribendos judicavimus.

Daimbertus archiepiscopus Senonensis, Rodulfus Turonensis, Ivo episcopus Carnotensis, Humbaudus Antisiodorensis. Herveus Nivernensis, Marbodus Rhedonensis, Rotbertus Lingonensis, Norgandus Eduensis, Hugo Catalaunensis, Philippus Trecensis, Rainaudus præpositus, Girardus, Goscelinus, & Drogo archidiaconi, & cæteri ejusdem ecclesiæ canonici. Abbates hi interfuerunt, Ilgondus Maioris monasterii abbas, Lambertus Tultariensis, Rodulfus S. Petri insulæ Germanicæ, Otto Arremarensis.

B C D E

G. C. Quod annum MCV. huic concilio adscribit chronicon Senonense, emendandum esse, ac substituendum MCIV. constat: tum ex utriusque Hugonis litteris, in quibus hic notatus annus, & indict. XII. illi respondens: immo & in Molismensi donatione, Epacta eidem anno congruens: tum ex Ivonis Carnotensis ep. CXLI. qua Ricardo sedis apostolicæ legato ad Trecense concilium vocanti, respondet tutum sibi quidem iter non esse, *regis odium jam per decennium toleranti*. Philippo autem regi tum invisus esse Ivo cœpit, cum invitanti ad comitatum scripsit epistol. illam XXVII. sane libertimam, qua recusat parere, illicitas ejus nuptias causatus. Ibat tum Philippus, ut docet eadem Ivonis epistola, *ad placitum quod futurum erat inter Anglorum regem & comitem Normannorum*, quem congressum mediæ quadragesimæ anni MXCIV. rerum Anglicarum scriptores attribuunt. Jam subducamus. Anno MXCIV. Ivo principis offensionem incurrit. Igitur annus ille, cujus initio scribebat liberum sibi vix futurum iter ad Trecense concilium, quod regis odium jam per decennium toleraret, annus erat MCIV.

CON

ANNO CHRISTI 1104

ANNO CHRISTI 1104.

CONCILIUM ROMANUM

In quo Bruno Trevirenſis Archiepiſcopus abdicatis infulis iterum decoratus eſt.

Ex P. Pagi ad An. Chr. 1104. n. 6.

E Gilberto Archiepiſcopo Trevirenſi Nonis Septembris anni 1001. *demortuo Trevirenſes ab Henrico IV. Imp. petiere ſibi dari epiſcopum, & conſentientibus civibus, Bruno Francus natione ordinatus eſt Idus Januarii anni* 1102. *& Trevirim venit die Purificationis S. Dei genitricis, uti refert Auctor Anonymus hiſt. Trevir. Tom.* 12. *Spicil. Dacheriani ex Cod. MS. S. Cornelii Compendienſis, qui poſtea Concilium hoc anno Romæ celebratum, & a Labbeo Tom. X. Concil. prætermiſſum his verbis narrat:* Anno ordinationis ſuæ tertio menſe Martio Romam profectus Apoſtolorum gratia, & percipiendæ benedictionis magiſtri cauſa, invenit Dominum Paſchalem Papam univerſali ſynodo præſidentem, Papatus ſui jam annum octavum (*legendum*, annum quintum) agentem, a quo honorifice ſuſceptus eſt, utpote Belgicæ Galliæ primæ metropolis Præſul magnificus &c. Sed quoniam epiſcopalia, annulum videlicet & baculum per manum laicam ſuſcepiſſet, atque quia eccleſias dedicaſſet, & Clericos necdum Pallium conſecutus promoviſſet, multum aſpere correptus eſt, & decernente Epiſcoporum ibi congregatorum concilio Pontificatus officium depoſuit, quod tamen ipſis intervenientibus, quia diſcretio ejus & prudentia officio & tempori congruens erat, & poſt triduum, non ſine admiſſorum pœnitentia recuperavit; injuncta ei pœnitentia eſt, ut quotiens in ſpatio trium annorum proximorum Miſſarum ſolemnia celebraret, Dalmaticis non uteretur: quod ipſe humiliter implevit. Deinde accepta tam Apoſtolici, quam totius ſynodi benedictione, Pallii honore donatus cum gaudio remeavit. *Vivebat hoc tempore Anonymus iſte, ut ipſemet indicat ad an.* 1122. *quo hiſtoriam ſuam abſolvit. Idem brevius refert Browerus in Annal. Trevir. l.* 13. *ex alio Chronico MS. Trevirenſi, in quo etiam dicitur Concilium iſtud Romanum anno tertio ſedis Brunonis congregatum eſſe, ideoque annus Pontificatus Paſchalis II. Papæ recte a nobis emendatus.*

CONCILIUM LATERANENSE,

In quo excommunicati inveſtiturarum fautores in Anglia VII. Kal. Aprilis anno domini MCIV.

C Oncilium hoc ne ignoremus facit epiſtola Paſchalis papæ ad S. Anſelmum, quæ ſupra extat, num. centeſima. In concilio nuper habito *inquit Paſchalis*, ex communi fratrum & coepiſcoporum ſententia deliberatum eſt, & regis conſiliarios, qui ad inveſtituræ flagitium illum impellunt, & eos qui ab eo inveſtiti ſunt, ab eccleſiæ liminibus repellendos: quia de libera facere conantur ancillam. Quam nimirum ſententiam nos ſancti Spiritus judicio in comitem de Mellento & ejus complices promulgavimus: & eandem ipſam, in eos qui inveſtiti ſunt a rege, ejuſdem ſancti Spiritus judicio confirmamus.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI ad An. Chr. 1105. n. 4. & ſeq.

Concilium II. Lateranenſe Paſchali II. ſedente habitum Labbeus Tom. X. Concil. & Alfordus in Annal. Eccleſ. anno 1104. collocant: ſed illud ad ann. 1105. pertinere, ad ſecundum nempe commorationis S. Anſelmi in urbe Lugdunenſi, diſerte docet Eadmerus lib. 4. Novorum: *In ſecundo*, inquit, *anno adventus noſtri a Roma Lugdunum, ipſe Papa coacto Lateranis generali Concilio Comitem de Mellento* &c. Recitat poſtea Eadmerus literas a Paſchali II. ad S. Anſelmum de hoc Concilio & excommunicatione in præfatum Comitem lata datas, quas Pontifex his verbis claudit: *Regis vero ſententia ea ex cauſa dilata eſt quia ſuos ad nos Nuncios in præteritæ Paſchæ* (anni ſc. Chriſti 1104.) *tempore debuit deſtinare. Datæ Lateranis VII. Id. Aprilis.* Quare Lateranenſe eo circiter die indictum.

Venere ad Concilium Lateranenſe Groſulanus Archiepiſc. Mediolanenſis & Liprandus Presbyter; ille, ut in dignitate confirmaretur, hic ut illud impediret, uti narrat Landulfus Junior c. 11. apud Puricellum in Monum. Baſil. Ambroſ. c. 9. (*ſupra allatus a Coſſartio ad Concil. Rom. ann.* 1103.) qui tamen ibi dicit hæc geſta eſſe in Concilio Romano an. 1103. coacto. Verum Landulfus laudatus cap. 12. apud Puricellum in Monum. Baſil. Ambroſ. n. 303. demonſtrat hanc ſynodum diverſam non fuiſſe a Lateranenſi, cum ait: *Putavi non prætercundum ſilentio, quod durante lite Groſulani, ſcilicet* 1105. *ſeptimo Idus Maii inventæ ſunt reliquiæ pretioſæ in Eccleſia S. Mariæ ad Portam. Unde Ordinarii cum univerſo Clero ſtatuerunt feſtum ſolemnem illa die in Eccleſia prædicta.*

CONCILIUM BALGENCIACENSE,

IN CAUSA PHILIPPI REGIS

A Richardo cardin. ſedis apoſtolicæ legato celebratum III. Kal. Auguſti, anno Chriſti MCIV.

R Es hujus concilii plane ignoraremus, niſi Ivonis Carnotenſis ſupereſſet epiſt. CXLIV. *qua Paſchali pontifici narrat, quid in eo ſit geſtum.* Notum, *inquit*, facimus paternitati veſtræ, quod III Kal Auguſti plures epiſcopi, tam Remenſis, quam Senonenſis provinciæ, invitati a domno Ricardo Albanenſi epiſcopo legato veſtro, convenimus in quoddam municipium Aurelianenſis epiſcopatus, nomine Balgenciacum, ad faciendam abſolutionem regis, ſecundum tenorem lit-

ANNO CHRISTI 1104.

litterarum, quas ſuper hac re miſerat moderatio A huius conſilii comites, & non duces. Quamvis quibuſdam noſtrum videretur, quod prædicta abſolutio ita poſſet, ſicut prætaxata eſt, honeſte fieri, & propter quorumdam ſimultates non ſatis rationabiliter impediri. Cum itaque res indefinita maneret in medio, rex clamitans inculcabat ſe male eſſe tractatum: qui tamen per ſe, & per nos, adhuc pulſat ad aures paternitatis veſtræ: ut ſecundum moderationem litterarum veſtrarum, & verba quæ domno Galoni coepiſcopo noſtro injunxiſtis, conſuam ejus temperetis. *Hactenus ivo.*

ANNO CHRISTI 1104.

veſtra. Convenit etiam rex, & lateralis ſua, & ſecundum præceptum veſtrum, tactis ſacroſanctis evangeliis parati fuerunt abjurare abſolute omnem carnalis copulæ conſuetudinem: inſuper & mutuam collocutionem, niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum, uſque ad veſtram diſpenſationem. Sed quia in litteris veſtris continebatur, ut in hac abſolutione conſilium prudentium ſibi adhiberet domnus Albanenſis epiſcopus: totum onus conſilii voluit pendere ex arbitrio pontificum. Epiſcopi vero, neſcimus quid conjicientes, ſemper replicabant ſe debere eſſe

CONCILIUM FUSSELENSE II.

In quo Bracarenſi Eccleſiæ Metropolitica dignitas reſtituitur.

Ex P. Pagi ad an. Chr. 1109. n. 2.

ALphonſo VI. regnante duo Concilia apud S. Mariam de Fuſellis, oppidum vulgo *Huſilles* dictum, prope Palentiam urbem ſitum, celebrata, quæ etiam Palentina dici ſolent. De priori anno 1088. quo congregatum fuit, egimus cum Sandovalio, qui ejus acta vidit; ſed eum ejus tempore vita B. Gerardi Archiep. Bracarenſis lucem nondum vidiſſet (edita a Baluzio tom. 3. Miſcel.) hujus ſecundi concilii Fuſſelenſis notitiam non habuit. Scribit itaque Bernardus in vita B. Geraldi Archiep. Bracarenſis, cujus diſcipulus fuerat, Bernardum Archiep. Toletanum ſedente Urbano II. Roma reducem ſecum adduxiſſe ex Aquitania Toletum Geraldum, & in ea eccleſia eum Præcentorem conſtituiſſe: vacante eccleſia Bracarenſi, unanimi Bracarenſium conſenſu electum fuiſſe Epiſcopum, & a Bernardo apud S. Facundum conſecratum: deinde ut metropolicam dignitatem eccleſiæ ſuæ reſtitueret; Romam petiiſſe ad Paſchalem II. & ab eo Pallium impetraſſe, ac poſtea Concilio Fuſſelenſi, cui præfuit Richardus Cardinalis, exhibuiſſe privilegium eccleſiæ ſuæ Roma allatum. Hæc ver-

B ba Bernardi in B. Præſulis vita: *Ut B. Geraldus ſedi Bracarenſi propriam dignitatem reſtitueret, Romam petiit, & a domino Papa Paſchali honorifice ſuſceptus, Pallium & privilegium, & auctoritatem eccleſiæ ſuæ inde apportavit. In Concilio enim Palentino, quod venerabilis Richardus Cardinalis Romæ celebravit, Epiſcopis & Abbatibus & optimis Clericis Hiſpaniæ circumſedentibus, Romanum privilegium in auribus omnium recitatum eſt; & juxta tenorem ipſius privilegii, Bracaræ metropolis ſuffraganei Pontifices venerabili Geraldo Bracarenſi Metropolitano, juſtitia dictante, & Cardinali præcipiente, obedientiam & reverentiam promiſerunt.* Annus reſtitutionis eccleſiæ Bracarenſis in Archiepiſcopalem incertus: incerta & epocha hujus

C Concilii: ſed cum Burdinus anno 1110. B. Geraldo demortuo ſucceſſerit, liquet Concilium Palentinum aliquot ante annos congregatum fuiſſe, & Bracarenſem metropolim inſtitutam. Nec aliud in hoc Concilio geſtum ad nos pervenit. Richardus itaque Cardinalis non ſolum priori Concilio Palentino, ut ex ejus actis liquet, ſed etiam poſteriori præfuit.

☞ PICTAVENSE CONCILIUM

Anno 1104. *habitum.*

Ex Mauſ Suppl. T. II. pag. 225.

COncilii hujus Pictavenſis parum ultra nomen ſupereſt in veteri charta vulgata Galliæ Chriſt. to. II. nov. edit. pag. 344. append. ex qua hæc ad rem præſentem. *Poſt Pictavenſe concilium celebratum anno MCIV. Willelmus prior S. Johannis*

D *Angeriacenſis, & Goffridus Monachus de Neriaco & Rumnulphus archipresbyter in capitulo S. Maxentii conceſſionem placiti in præfato concilio facti pro Mareſtafio acceperunt ab abbate Gurnerio &c.*

☞ RATISPONENSE CONCILIUM

Quo advocatorum eccleſiæ rapacitas, certo illis proventu conſtituto, coercetur, Anno 1104. *celebratum.*

Ibid. p. 225.

VEterum monumentorum divitem illam ſupellectilem, qua pater Meichelbek hiſtoriam ſuam Friſingenſem ornavit, dum conſulo, incidi in veterem quandam chartam inter inſtrumenta prioris tomi num. MCCLXXII. legendam, ex qua concilii Ratiſponenſis non tantummodo nomen annumque, ſed & acta pariter, aliunde ignota, diſco: Incipiunt acta illa ex canone concilii Africani, quem forte

E *in rem præſentem aptiſſimum rati ejus concilii patres attulerunt in medium. Cum vero Henricus III. imperator anni* 1103. *natalis Domini feſtum, unde Germani ejus ætatis ſcriptores novum annum exordiri ſolebant, Ratiſponæ egerit, teſte annaliſta Saxone Eccardi, hinc facile conjicimus concilium iſtud eo tempore conveniſſe, nec faliere chartam, quæ annum* 1104. *ſignat. Ita ergo in charta.*

ANNO CHRISTI 1104

EX CONCILIO AFRICANO.

Viſum eſt univerſis ab imperatoribus poſtulandum propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur eccleſia, ut defenſores eis adverſus potentias divitum cum epiſcoporum proviſione delegarentur.

EX CONCILIO RATISPONENSI,

Cui interfuit Henricus III. imperator cum pluvimis regni Optimatibus iſta laudantibus, & confirmantibus.

Statutum eſt, ut ad placitum cujuslibet advocati pertinentes ſemel in anno, quando præceptum fuerit, omnes cunctis in locis conveniant, ibique in ſervitium ſuum plus non exigant niſi II. modios tritici, & II. porcos, tres cados vini & medonis, X. cados cerviſiæ, & V. modios avenæ. Ut autem ea quæ in uſus fratrum pertinent minus diſtrahantur, hæc ſubſcripta in uſus advocatiæ ſunt deputata; videlicet III. pars bannorum, & ſatisfactio temeritatum; ita tamen, ut ſi ſua diſpendia res fratrum patiuntur, primo eis reſtituantur ſua Werigelda * fratrum, ſicut & mancipium pro mancipio. Præterea ſi prælati eccleſiæ aliqua neceſſitate cogente damnum ſibi vel rebus ſuis illatum ſalvo ordine ſuo recuperare non valuerint, ipſos advocatos in competentem locum advocent, ubi cauſas querimoniæ diligenter diſcutiant, nihilque ab eis, vel ab eorum colonis quaſi ſub juſtitia exigant; ſed cum caritate hoc, quod eis impenſum fuerit, accipiant. Hæc acta ſunt anno Incarnationis MCIV. indict. XII. præſidente papa Paſchali II. regnante autem Henrico imperatore III. hæc tam eccleſiæ, quam regni principibus conlaudantibus & confirmantibus, quorum nomina in libro traditionum continentur.

ANNO CHRISTI 1104.

* I. e. præſtatio in communes fratrum uſus. Vide Cang. V. Gilda.

SENONENSIS PROVINCIÆ CONCILIUM

Anno circiter 1105. a Daiberto Senonenſi archiepiſcopo celebratum.

Ibid. p. 116 Anno 1105.

VEtuſtus auctor chronici S. Petri Vivi, qui anno XI. Daiberti Senonenſis archiepiſcopi nempe anno 1109. opus ſuum abſolvit, & ſcriptor alius uſque ad annum 1184. continuavit, ad annum 1098. tradit eundem Daibertum undecim illis annis nihil habuiſſe negotii cum monachis ejuſdem cœnobii. Id vero neſcio quomodo cohærere poſſit cum iis, quæ narrantur in epiſtola Ernaldi, ſeu Arnaldi abbatis S. Petri vivi a Baluz. Miſcel. tom. VI. pag. 438. vulgata, qua exprobrat Daiberto injurias ſibi, ſuique cœnobii eccleſiis illatas, narratque ea de cauſa Romam ſe perrexiſſe. Forte tamen diſſidium brevi adeo tempore compoſitum eſt, ut pax non coaluiſſe, ſed perſeveraſſe videri potuerit. Utcumque res habeat ſeſe, continuator ejuſdem chronici Romanam Arnaldi profectionem cum anno 1104. componit; nec niſi exeunte anno rediit: nam Romæ agens ille pro cœnobio ſuo privilegium ſignatum *die IV. idus Novembris* eodem teſte ſcriptore retulit. Redux vero in patriam literas inferius recitandas dedit ad Daibertum & *epiſcopos, & abbates ei aſſidentes*, quos facit certiores de iis, quæ a pontifice primum, dein ab archiepiſcopo Lugdunenſi A. S. L. (Hugone ſcilicet) ea in cauſa impetraverat. Excuſat vero factum ſuum, quod ad eorum conventum invitatus, morbo impediente, minime interfuerit. Ex his patere arbitror Sueſſionenſis provinciæ patres tunc in concilium ignoto quodam in loco conveniſſe. Concilio demum huic annum 1105. adſigno, cum poſt reditum Arnaldi, & ante Hugonis Lugdunenſis obitum, qui anno 1106. deceſſit, collocandum ſit. Arnaldi epiſtolam ad concilium iſtud datam hic ſubjicio ex Baluzio ibidem.

EPISTOLA ERNALDI ABBATIS

S. Petri vivi ad archiepiſcopum Senonenſem.

Ex Baluz. Miſcell. to. VI. pag 430.

Domino ſuo paſtori D. Senonenſi Dei gratia archiepiſcopo E. monaſterii S. Petri vivi indignus abbas cum epiſcopis & abbatibus ei aſſidentibus, quæ pacis ſunt, & obedientiæ.

Si ex arbitrio noſtro res proceſſiſſet, volenti animo huic ſancto conventui veſtro interfuiſſem, utpote quæſiturus, ut ſub tantis interceſſoribus in favorem & gratiam veſtram quoquo modo redirem. Propter hanc enim recuperandam, & quia præter prædeceſſorum veſtrorum, & noſtrorum (morem) in nos & in noſtra manum extendebatis, dominum papam adii; cujus accepta epiſtola ut eccleſias veſtras & noſtras in pace laxaretis, precibus & interminationi ejus hactenus acquieſcere diſtuliſtis; inſuper & homines cauſæ noſtræ implicitos, & juſtitiam reclamantes excommunicaſtis. Ad evitandum itaque tantæ oppreſſionis periculum domnum Lugdunenſem Romanæ ſedis legatum conſultum miſi, qui eos, quos anathemate ligaveritis, debere ſolvi mandavit, & de reliquis inter vos & nos non diffinitis, ſi quis nodus ineſſet in concilio diſſerendum. Utraque vero mandata æque vos ponderaſtis. De cætero de epiſcopo Lingonenſi nobis eccleſiam auferente querelam coram papa faciens dominum legatum judicem inde accepe-ram, cujus vocatu his diebus adire Lingonas debueram; ſed infirmitate intercedente, nec ejus, nec veſtræ vocationi intereſſe potui. Valete.

ANNO CHRISTI 1105.

CONCILIUM NORTHUSENSE

Pro reformandis moribus eccleſiæ anno 1105. *celebratum.*

Ibid. p. 117.

Concilii hujus acta nemo integrius recitavit præ Annaliſta Saxone Eccardi, ex quo ſua omnia deſumpſiſſe & peſſime tamen detruncata ſuffuratum credo inſignem illum alienorum ſcriptorum expilatorem Conradum Urſpergenſem abbatem. Juvat igitur ad plenam conciliorum notitiam totam rei narrationem ex annaliſta illo repetere. Prius tamen recitanda eſt ſequens Rothardi Moguntini epiſtola, qua Halberſtadenſem clerum ad præcedens aliquod concilium, quod huic præluſerit, invitat.

EPISTOLA ROTHARDI

Archiepiſcopi Moguntini ad clerum eccleſiæ Halberſtadenſis.

Hortatur clerum Halberſtadenſem, ut ſui exemplo ad gremium eccleſiæ redeant.

Extat apud Martene Vet. Mon. tom. I. p. 604.

ROthardus (*a*) Dei gratia Moguntinæ eccleſiæ archiepiſcopus, omnibus in clero Halberſtadenſi unitatem ſanctæ eccleſiæ amplectentibus fraternam dilectionem.

Qui veræ dilectionis dona a Deo pacis conſequi merentur, excellentius cæteris cognoſcunt quantum pondus ſollicitudinis ſuſtineat vigilantia ordinatæ dilectionis. Hoc tamen ex quo debui ſemper pro vobis vigilanter debita devotione portavi. Neque enim ſi ad horam intermiſſa fuit noſtræ paternitatis commonitio, minus pro vobis vigilavit devotæ ſollicitudinis intentio. Proinde nunc quoque vos apoſtolica exhortatione conteſtor, obſecrans in Chriſto, reconciliamini Deo. Nulla vobis erit confuſio, immo gloria & honor redire ad viam juſtitiæ, a qua vos deduxit tortuoſa ſemita ſiniſtri. Scimus equidem ſpiritualis intelligentiæ veſtræ oculos nequaquam effugiſſe, quod Dominus ipſe, qui æterno illo providentiæ ictu omnia ſimul complectitur, pro meritorum qualitate ſententiam ſuam legitur mutaſſe, ſimulque eum voluntarie voluntatis actionem præciditſe, cum eum aut oratio ſuorum impotentem reddidit, aut ira ejus miſerorum gemitu victa ſuccubuit. Ipſe princeps Apoſtolorum a minimo collegii illius conſorte correptus, correctus eſt, nec veritus eſt cedere admonitioni junioris, cujus zelum vidit in ſtudio divini amoris. Hoc cæleſti oraculo nos quoque admoniti, nobis ipſis renunciavimus (*b*) & priorem noſtram vitam, ſi tamen vita eſt ad mortem ducens, jam pridem condemnantes, in eccleſiæ unitate renati, novam vitam in Chriſto ducimus ob maledicta & detractiones in eccleſia Dei lepra perfuſi extra caſtra ſeorſum a populo manſimus; nunc ante hyſopo humilitatis, & ſanctificante pœnitentiæ aqua, per manum magni ſacerdotis mundati, in caſtris Domini militamus, immundis ſpiritibus expoſiti & immunditia hæreticæ fornicationis profanati. Jam cum Maria Jeſum videmus, videndo appropinquamus, appropinquando ſedibus ejus non ſine offi-

A cio inhæremus. Nemo nobis inſultet de ſepultura quatriduani. Ecce miſeratio altiſſimi, qui fœtebat in monumento reſurrexit, vivificante Domino, ac ſoluta per apoſtolos mortis faſcia, abſque ſepulturæ indicio exultans de ſalute diſcumbit in convivio Dominico. Fuit, fuit aliquando perſecutor & blaſphemus impugnans viam Domini, qui poſtea factus eſt dux Verbi, qui mox apoſtolus pro ſe agens dixit: *ſed hæc olim fuimus, ſed abluti, ſed ſanctificati ſumus*. Certe ſi magnus ille apoſtolus non mutaſſet ſententiam negationis, non paulo poſt conſecutus eſſet culmen apoſtolicæ dignitatis, ſed nec evaſiſſet pœnam æternæ damnationis. Non eſt enim remiſſa aut inefficax divina miſeratio, ut cum culpas graviſſi-

B mas remittit ex ſuperabundanti gratia largiſſima, etiamſi conferat pietatis munera. Ipſa illa columba, licet ſero, veſperi licet, ad arcam ſit reverſa, ſignum pacis, ſignum dilectionis ex ore ferens, per oſtium introgreſſa eſt. Præſes enim arcæ antiquus oſtio aperto manum extendit, & per diverſitatem donorum ſpiritualium receptam in ſuperioribus arcæ collocavit. Fel, & acetum Dominus bibit, quia in Maria & latrone peccatores diverſos ſibi incorporavit. Spineam coronam portavit, quia regnum nobiliſſimum in gentilitate vitiorum aculeis aſperrima ſibi præparavit. *A diebus*, inquit, *Johannis regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud*. Si meretrices & publicani nos in regnum Dei præceſſe-

C runt, quæ jam diffidentia nobis erit de ſalute? Oſtium in cœlo apertum eſt, cœna diu inſtructa, tauri & altilia Dei jam dudum occiſa, vocamur debiles, cæci & claudi, immo tot præconum clamoribus ad cœleſte convivium compellimur. Quapropter, in Chriſto fratres cariſſimi, non erubeſco me immutatum, ſed gratias ago dextræ altiſſimi, cujus hæc eſt mutatio. Fateor, fateor, & gratanter fateor, me cum omni mentis integritate in gremio ſanctæ matris eccleſiæ familiariter conſediſſe, ſæpius illud revolvendo: *unam petii a Domino, hanc requiram*. Et item: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine*. Hæc eſt enim illa dilecta ſpecioſa & decora, non habens ſchiſmatis,

D nec maculam falſitatis. Tota enim pulchra eſt, cujus ſpeciem concupivit rex: quam qui noluerit habere matrem, Deum non poterit habere patrem. Hæc ſententia Spiritus ſancti auctoritate & antiquorum patrum ſanguine conſcripta & confirmata, cœlo & terra permanentior in ſæculum durabit. Verum quia non filii patribus, ſed patres filiis theſaurizant, hanc plenariam eccleſiæ matris gratiam, non mihi ſoli, ſed vobis, filiis chariſſimis, gaudeo collatam, & nunc omnes ſpirituales merces, ac dominicum talentum, & perverſam * pacis margaritam, quam negotiando * Forte ſolem

E lucratus ſum, vobis filiis expono, ut vos quoque divites ſitis in omni verbo, & in omni ſcientia. Opto autem omnes vos eſſe, ſicut me, exceptis

pr-

(*a*) Rothardus, ſive, ut aiunt, Ruthardus ex abbate Hereſordienſi electus archiepiſcopus Moguntinus anno 1089. obiit 1109. MARTENE.

(*b*) Ex his patet Rothardum Henricianis aliquando adhæſiſſe, a quibus averſus, & ad legitimum pontificem converſus, mirum quanto paſſus ſit a ſchiſmaticis, per octo minimum annos actus in exilium. MARTENE.

☞ privatis peccatorum meorum vinculis. De cæte-
ANNO CHRISTI 1105. ro precamur & obſecramus, ut de collegio veſtro, quòs noſtis idoneos in Calendis Decembris dirigere velitis, qui poſſint intereſſe conventui eccleſiæ, qui ſe in villa noſtra ad honorem eccleſiæ colligere decrevit. Illic namque matris eccleſiæ facie exhilarati, colloquio informati, conſilio roborati, pleniſſime cognoſcetis, qualiter unius moris & cum conſenſu habitare poſſitis in domo Domini Obſecramus vos in Domino Jeſu, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, memores quia vindex gladius idololatras proſtravit, ſchiſmaticos vero hiatus terræ abſorbuit. Deus pacis & dilectionis conſervet vos in unitate ſpiritus, & vinculo pacis, dilectiſſimi fili. Amen.

ACTA CONCILII EX ANNALISTA SAXONE ECCARDI.

ad an. 1105. VIſum eſt igitur eidem Gebehardo & Rothardo Moguntino pontifici in hebdomada ante pentecoſten habere concilium in loco, qui Northuſen dicitur, ibique eccleſiam pro poſſe ad priſtinum revocare ſtatum, & antiquam patrum regulam recitare, invaſores epiſcopos, & qui tunc temporis ſimoniace intraverant, vivos deponere, ſepultos effodere, ab his ordinatos manus impoſitionem a catholicis recipere, & uxoratos clericos ab officio divino removere. In quo concilio ſuper ſententiis inſtantibus patrum decretis primum relectis, quæque poterant ad præſens laudabiliter corrigebantur, quædam vero graviora ad apoſtolicam audientiam differebantur; præter illa, quæ prædicta ſunt, jejunium menſis martii prima hebdomada quadrageſimæ, jejunium vero A menſis junii in ipſa hebdomada pentecoſtes Romano more celebrandum a præſcriptis præſulibus apoſtolica auctoritate indicitur, & pax Dei confirmatur. Ordinatis autem a pſeudoepiſcopis per catholicam manus impoſitionem proximo jejunio reconciliatio danda fore promittitur. Chriſma eorumdem, quod contra edictum archiepiſcopi in cœna Domini confecerant, adnihilatum eſt; rex autem cum ſervorum Dei conventui nonniſi vocatus intereſſe vellet, ingens enim cum epiſcopis & clericis abbatum etiam & monachorum, eccleſiæ unitatem ſitiens turba confluxerat) tandem in abjecto productus habitu, ſtanſque in editiori loco juxta principum decreta omnibus ſuas leges & jura innovavit; ſi qua vero irrationabiliter rogabatur, prudenti reſponſo, & avita magnanimitate confutavit. Interea obortis lacrimis Deum teſtabatur, nulla ſe cupiditate regnum invaſiſſe, nec patrem & dominum ſuum deponi ab imperio exoptare; immo pertinaciæ & inobedientiæ ejus debitam compaſſionem exhibere; quod ſi ſancto Petro, & ejus vicario lege chriſtiana velit ſubjici, ſe illi aut regno cedere aut ſerviliter ſponcebat ſubeſſe: quæ verba omnis multitudo collaudans tam pro patris converſione, quam pro filii proſperitate lacrimas & preces effudit, voce magna Kyrie eleiſon declamans. Eadem hora Udo Hildinisheimenſis & Fridericus Halberſtadenſis, & Heinricus Patherbrunenſis epiſcopi veſtigiis Metropolitani proſtrati apoſtolicæ ſe dedunt obedientiæ, quorum commiſſa apoſtolico nihilominus judicio reſervantur, ſub officii ſui tantum ſuſpenſione, & ſi ab eccleſiis quibus quocumque modo præerant bonum teſtimonium vivendo mereri ſtuderent, locus veniæ non denegatur.

ANNO CHRISTI 1105.

B

C

☞ CONCILIUM REMENSE

In quo Oddo abbas S. Martini Tornacenſis epiſcopus renunciatur, a Manaſſe Remenſi Anno 1105. *celebratum.*

Ibid. p. 221. COncilii hujus omnia ferme ignota ſunt, præter nomen, quod ſervavit nobis vetuſtus author narrationis hiſtoricæ de reſtauratione abbatiæ S. Martini Tornacenſis in ſpicil. Dacherii to. 2. pag. 913. nov. edit. Hæc igitur author ille: *Dominus Manaſſes Remorum archiepiſcopus ad concilium generaliter mandans alios abbates, inter alios D nominatim evocavit Odonem abbatem S. Martini Tornacenſis. Cumque exinde admirantes, quid de concilio nobis referretur attoniti & ſuſpenſi expectaremus, ecce audivimus ad Cameracenſis ſedis epiſcopatum eum fuiſſe electum, & ſine mora ab archiepiſcopo, & comprovincialibus epiſcopis conſecratum.* Hæc tantum de concilio alias minime cognito.

☞ AD CONCILIUM FLORENTINUM

In quo Florentini epiſcopi opinio de orto jam Antichriſto reprobatur, Anno 1105. *celebratum.*

ADDITIO.

Ibid. p. 222. COncilii hujus meminit quidem Labbeus, ſed cum hiſtoriæ teſtes minus idoneos, utpote recentiſſimos, afferat; ideo ex antiquis ſcriptoribus res tota hic tradenda eſt. Ita ergo narrationem hanc inſtituit Pandulphus Piſanus in vita Paſchalis II. *Dominus papa in Tuſciam apud Fio- E rentiam concilium celebravit, in quo cum epiſcopoloſi de Antichriſto, quia eum natum dicebat, ſatis diſputatum eſt; ſed frequentia populi qui ob audiendam rei novitatem hinc inde confeſtim* (forte confertim) *tumultuatimque confluxerat, nec concilium finem, nec diſputatio deliberationem ſuſcepit.*

CON-

CONCILIUM PARISINSE,

IN QUO REX FRANCORUM PHILIPPUS

Et Bertrada abſoluti ſunt IV. Non. Decembr. anno Domini 1105.

Abſolvendi Philippi regis, ejuſque pellicis poteſtatem fecit Paſchalis, modo uterque tactis ſacroſanctis evangeliis omnem carnalis copulæ conſuetudinem abjuraret, mutuum quoque colloquium & contubernium, niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum. *Eam in rem litteras dedit ad trium provinciarum epiſcopos, Remenſis, Senonenſis, Turonenſis, id ut agerent cum Lamberto Atrebatenſi epiſcopo, cui auctoritatem hac in parte ſuam commiſit. Extat ſupra hæc Paſchalis epiſtola, inter cæteras quinta & tricceſima.*

Ad Lambertum itaque, rem ut urgeret, dedit Philippus has litteras.

Philippus Dei gratia Francorum rex Lamberto Atrebatenſium epiſcopo fideli & amico noſtro, ſalutem & gratiam noſtram.

Deſcripſit Sirmondus ex Cod. MS. Igniacenſi.

QUia dominus papa per Tetbaldum Ovidium miſſum noſtrum archiepiſcopis & epiſcopis noſtris, & tibi ipſi litteras modo noviter miſit, de abſolutione noſtra, ut nos abſolverent, ſicut tu ipſe videbis in litteris papæ: tibique inter illos ejuſdem abſolutionis * ex nomine vicem commiſit: mandamus tibi, & precamur, quatenus in craſtino feſtivitatis S. Andreæ ad hoc negotium præcipue tibi commiſſum adſis cum archiepiſcopis & epiſcopis noſtris, qui ibi aderunt, tum ex præcepto papæ, tum ex fide, quam mihi debes, commonſtus, poſthabita omni occaſione. Vale.

* Forte, ea ſor. H.

Paruit regi Lambertus, & cum aliis præſulibus IV. *Nonas Decembr. ipſum ac Bertradam abſolvit. Quod qui factum eſſet, pontifici maximo his litteris ſignificavit.*

Reverendiſſimo domino & patri patrum Paſchali papæ Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis epiſcopus debitam cum orationibus ſubjectionem.

Ex eodem cod.

CONvenientes Pariſiis ex veſtra auctoritate archiepiſcopi, dominus Daimbertus Senonenſis, Rodulfus Turonenſis, epiſcopi quoque Ivo Carnotenſis, Joannes Aurelianenſis, Humbaldus Autiſſiodorenſis, Gualo Pariſienſis, Manaſſes Meldenſis, Baldricus Noviomenſis, Hubertus Silvanectenſis, fecerunt recitare litteras, a veſtra ſede pro ſatisfactione & abſolutione Regis miſſas. Litteris itaque lectis & intellectis, miſerunt ad Regem Joannem Aurelianenſem & Gualonem Pariſienſem epiſcopos ſciſcitantes, ſi rex juxta tenorem litterarum veſtrarum ſatisfaceret, & carnalis & illicitæ copulæ peccatum abjurare decreviſſet. Quibus benigne reſpondens, ait ſe Deo & ſanctæ Romanæ eccleſiæ libenter velle ſatisfacere, & apoſtolicæ ſedis præcepto, archiepiſcoporum quoque & epiſcoporum præſentium acquieſcere conſilio. Igitur in præſentia prædictorum epiſcoporum, necnon & abbatum, Adam Pariſienſis de titulo S. Dionyſii, Rainaldi de titulo S. Germani Pariſienſis, Olrici Pariſienſis de titulo S. Maglorii, item Rainoldi Stampenſis de titulo ſanctæ Trinitatis; archidiaconorum etiam quam plurimorum, & honorabilium clericorum & laicorum circumſtantium, advenit rex ſatis devote, multumque humiliter, nudis pedibus, peccato renuntians, & excommunicationem emendans, & ſic ex veſtra auctoritate abſolutionem ſuſcipere meruit. His ita geſtis, tactis ſacroſanctis evangeliis, abjuravit copulam & flagitium illicitæ conjunctionis, in hæc verba: „Audias tu Lamberte epiſcope Atrebatenſis, qui „ hic apoſtolica vice fungeris: audiant archiepiſcopi & præſentes epiſcopi, quod ego Philippus rex Franeorum peccatum & conſuetudinem carnalis & illicitæ copulæ, quam hactenus cum Bertrada exercui, ulterius non exercebo: ſed peccatum iſtud & flagitium penitus & ſine omni retractatione abjuro. Cum eadem quoque fœmina mutuum colloquium & contubernium, niſi ſub teſtimonio perſonarum minime ſuſpectarum, non habebo. Hæc omnia ſicut litteræ papæ dicunt, & vos intelligitis, ſine omni malo ingenio obſervabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſacroſancta Jeſu Chriſti evangelia. " Similiter & Bertrada, cum excommunicationis vinculo ſolveretur, tactis ſacroſanctis evangeliis, in perſona ſua hoc idem juravit ſacramentum. Sancta Trinitas Deus noſter, ſanctitatem veſtram, pro eccleſia catholica laborantem & orantem, diutius cuſtodiet incolumem: & quia cum ſancta Romana eccleſia in judicio & juſtitia nobiſcum ſtetiſtis, retribuatur vobis in reſurrectione juſtorum. Actum Pariſius anno Dei Chriſti MCV. IV. Nonas Decemb. anno pontificatus Paſchalis papæ II. quinto.

Erat tunc annus ſeptimus H.

G. C. Philippi juramentum ſupra quoque deſcriptum eſt, pag. 658. & juvabit contuliſſe nomina ipſi ſubſcripta, cum iis quæ initio hujus epiſtolæ poſita ſunt: tum & nonnulla alia utrinque diverſa obſervaſſe.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI ad An. Chr. 1104. n. 6.

Acta hæc eſſe anno 1104. in Concilio Pariſienſi IV. Non. Decemb. docet MS. Igniacenſe, quod ex Sirmondo hic exhibet Labbeus, ſed is animum non advertens ad errorem Anonymi, qui pro 1104. ſcripſit 1105. Concilium illud in annum illum differt, quamvis in eo codice alia non narrentur, quam quæ hoc anno geſta, & quidem eodem die & menſe. Refert Anonymus iſte literas Philippi Regis ad Lambertum Atrebatenſem ep. Poſtea juramentum Philippi integrum refert, epiſtolamque his verbis concludit: *Actum Pariſiis anno Dei Chriſti* MCV. IV. *Nonas Decemb. anno Pontificatus Paſchalis Papæ II. quinto*. Ubi Anonymus tam in anno Chriſti, quam in anno Pontificatus Paſchalis II. peccat. Nam eum rem hoc anno geſtam, eamdemque, quam alter Anonymus apud Dacherium Tom. III. Spicilegii, & ex eo apud Labbeum ſupra in Paſchalis ep. 35. ad calcem juramenti Philippi & Bertradæ narrare, certum & indubitatum eſſe debet, ideoque in altera Conciliorum editione error iſte corrigendus erit.

CON-

ANNO CHRISTI 1105.

CONCILIUM FLORENTINUM

CCCXL. Epiſcoporum contra Fluentium illius loci Epiſcopum celebratum, anno domini 1105. tempore Paſchalis papæ II.

* *Ejus nomen non extat in Ital. ſacra Florentia ip. ſa civitas in quibusdam libris Fluentia nuncupatur, inquit Hard.*

FLuentius * epiſcopus Florentinus metu immi- A nentium malorum, & prodigiorum quæ his temporibus acciderant, quæque nos ſupra ex Sigeberto in vita Paſchalis papæ retulimus, docebat jam tum natum eſſe Antichriſtum. Qua re divulgata, auctoritate pontificis hæc ſynodus congregata eſt Florentiæ: qua, poſt habitam diligentem dogmatis erronei diſcuſſionem, animadverſum eſt, quod epiſcopus ſupra memoratus cum quadam levitate, ut ſcilicet alicujus magnæ rei auctor videretur, ita de Antichriſti adventu ſenſerit. Qua de cauſa hominem novitatis ſtudioſum, & arrogantem, jure meritoque increpantes dimiſerunt. *Sabellicus Ennead 9. lib. 3. Antoninus tit. 16. cap. 11.*

CONCILIUM QUINTILINEBURGENSE, SEU NORTHUSENSE,

Pro reformandis moribus eccleſiæ apud Northuſum celebratum, anno Domini 1105. tempore Paſchalis papæ II.

* *Imo auctor mus illius ætatis apud Ursperg. ſem.*

*DE rebus in hac ſynodo geſtis Conradus abbas Urſ- B pergenſis * in chronico hæc ſcribit quæ ſequuntur*: Anno domini milleſimo centeſimo quinto, dum imperator Henricus natalem Domini Moguntiæ celebrat, Henricus filius ejus, nominis illius quintus rex dictus, rebellationem adverſus patrem in Bajoaria parat, machinantibus ſcilicet Dieboldo marchione, Berengero comite, & Ottone quodam nobili viro, ſibique materna, ſtirpe cognato: quorum conſilio & adjutorio ante paucos dies a patris latere diſceſſerat. Primo quippe hæreſim præſcriptam anathematizans, apoſtolicæ ſedis pontifici debitam profitetur obedientiam: indeque fœderatis ſibi Noricis principibus, atque ab Alemannia, nec non orientali Francia nonnullis nobilibus, ad Saxones convertitur. A quibus honorifice ſuſceptus, & in Quintilineburg paſcha celebrans: in brevi univerſis Saxoniæ civitatibus potitus, ab optimatibus eſt dignitate regia ſatis honoratus. Conſilio tamen atque miniſterio Ruothardi Moguntini, atque Gebehardi Conſtantienſis epiſcopi, reſponſalium ſcilicet domini Paſchalis papæ, totam Saxoniam Romanæ eccleſiæ communioni reconciliavit: epiſcopis vero atque clericis conventum generalem in villam regiam, quæ Northuſum dicitur, quarto Kalendas D Junii, ubi ſuper eccleſiaſticæ inſtitutionis jam depravata diſciplina tractaretur, indixit.

In quo concilio ſuper ſententiis inſtantibus, patrum decretis primo relectis, quæque poterant ad præſens laudabiliter corrigebantur: quædam vero, quæ & graviora videbantur, ad apoſtolicam audientiam differebantur. Simoniaca quippe hæreſis, patrum conſuetudine condemnata, Nicolaitarum quoque fornicaria commixtio ibidem eſt ab omnibus abdicata: jejunium menſis Martii hebdomada quadrageſimæ, jejunium vero menſis Junii in ipſa hebdomada pentecoſtes, Romano more celebrandum, a præſcriptis præſulibus apoſtolica auctoritate indicitur, & pax Dei confirmatur. His vero, qui a pſeudoepiſcopis fuerant conſecrati, per catholicam manus impoſitionem reconciliatio proximo jejunio danda fore promittitur.

Vidimus inter hæc, quod ſilentio præterire non poſſumus, regem Henricum non modicam bonæ indolis ſpem magna ſimul humilitate & auctoritate coram omnibus prætendentem. Nam cum ſervorum Dei conventui non niſi vocatus intereſſe vellet, (ingens enim ibi cum epiſcopis & clericis, etiam abbatum atque monachorum eccleſiaſticam ſitiens unitatem turba confluxerat) tandem in abjecto productus habitu, locoque ſtans editiori, omnibus juxta principum decreta ſuas leges atque jura rationabiliter innovavit: ſi qua vero irrationabilia rogabantur, mira ac ultra ſuos annos prudenti reſponſione, & avita magnanimitate confutavit: in omnibus his, & ſibimet miro C modo ſervans adoleſcentiæ verecundiam, & Chriſti ſacerdotibus dignam exhibens reverentiam. Inter hæc obortis lacrimis ipſum regem cæli cunctamque militiam cæli teſtabatur, ſe nulla regnandi cupiditate paternum ſibi regimen uſurpare: neque dominum & patrem ſuum a Romano deponi imperio exoptare, immo debitam pertinaciæ & inobedientiæ ejus ſemper compaſſionem exhibere: ſicque S. Petro ſuiſque ſucceſſoribus lege Chriſtiana ſubjici velit, ſive regno cedere, ſive ſerviliter ipſi ſe ſubeſſe promiſit. Quod auditum omnis multitudo collaudans, lacrimas ſimul & preces, tam pro patris converſione, quam pro filii proſperitate, fundere cœpit, voce magna Kyrie eleiſon, declamans.

Eadem hora Viro Hildinisheimenſis, & Henricus Paderbornenſis, ac Fridericus Halberſtadenſis, præſules, veſtigiis metropolitani proſtrati, ipſius atque regis ſtantis totiuſque præſentis eccleſiæ teſtimonio apoſtolicæ ſeſe dederunt obedientiæ: quorum etiam commiſſa apoſtolico nihilo minus judicio reſervantur, ſub officii ſui tantum ſuſpenſione.

De eadem ſynodo Otto Frinſingenſis, lib. 7. cap. 8. iſta refert: Henricus filius ejus (*Henrici IV.*) rebellationem contra patrem in Noricis partibus, conſilio Theobaldi marchionis & Berengarii comitis, ſub ſpecie religionis, eo quod pater ejus a Romanis pontificibus excommunicatus eſſet, molitur: adſcitiſque ſibi quibuſdam ex orientali Francia, Alemannia, Bajoaria, principibus, Saxonicam terram & gentem contra regnum facile

ani-

ANNO CHRISTI 1105.

animandam ingreditur. Ubi honorifice ſuſceptus, ac paſcha Domini Quintelinburg manens, univerſos gentis illius primates ad voluntatem ſuam inclinavit, habitoque in villa regia Northuſen epiſcoporum conventu, præſidente Ruckardo. * Moguntino archiepiſcopo, qui a ſede propria jam per multum temporis a rege pulſus fuerat, ſimoniam aliaque Romanæ eccleſiæ contraria, condemnavit. *Hæc Otto Friſingenſis. De eadem ſynodo vide chronicum Hirſaugienſe Trithemii, anno* 1105.

Chronicon Hildesheimenſe. Viſum eſt, *inquit*, Gebehardo apoſtolicæ ſedis legato, & Rothardo Moguntino, in hebdomada ante pentecoſten habere concilium in Thuringia, in loco qui dicitur Northuſum, & eccleſiam, quam potuiſſent, ad priſtinum revocare ſtatum, & antiquam regulam ibi recitare: ſcilicet invaſores epiſcopos, necnon & eos qui tunc temporis intraverant ſimoniace, vivos deponere & ſepultos effodere: & ab eis ordinatos manus impoſitionem a catholicis recipere, & uxoratos clericos nullum divinum officium celebrare. His ita divina aſpirante gratia rite diſpoſitis, *&c.*

Trithemius vocat epiſcoporum & abbatum concilium generale.

ANNO CHRISTI 1105.

* Rothardo.

CONVENTUS MOGUNTINUS

QUO HENRICUS IV. REX GERMANIÆ

A Clemente tertio pſeudopapa coronatus, imperio privatur anno Domini MCV. tempore Paſchalis papæ II.

De rebus in hac ſynodo geſtis Conradus abbas Urſpergenſis iſta refert: Anno Domini MCV. mediante Henrico juniore, tantus apud Moguntiam factus eſt in natali dominico totius regni Teutonici conventus, quantus per multa annorum curricula nunquam eſt viſus. Referunt enim qui aderant, quinquaginta duo ibi tunc optimates vel eo amplius adfuiſſe: adeo ut ſolus dux Saxoniæ, Magnus nomine, quem jam gravior ætas impediebat, notaretur defuiſſe. Ibi ſupervenientes apoſtolicæ ſedis legati, epiſcopus ſcilicet Albanus cum Conſtantienſi, ſententiam anathematis in Henricum ſeniorem, dictum imperatorem, a tot ſibi ſuccedentibus apoſtolicis ſæpius ſæpiuſque promulgatam, ſcriptis ſimul & dictis teſtificantes: univerſam multitudinem, immo totam toto orbe diffuſam eccleſiam, ab ejus communione, Chriſti & beati Petri auctoritate multis jam annis ſequeſtratam confirmabant. Qua de cauſa dum ipſe ſe de caſtello, quo manebat, Moguntiam exhibere tentaret, propter cavendum tumultum vulgi ſuæ potius quam filii parti favere ſolentis, ipſi Engeleheim occurrerunt: tandemque generali illum circumvenientes conſilio, uſque ad reatus confeſſionem ſatisfactioniſque profeſſionem perducunt.

Cui cum legati communionem ſeu pœnitentiæ modum, abſque generalis ſynodi & apoſtolicæ diſcuſſionis cenſura, reddere ad præſens non poſſent: ipſe partis utriuſque conſiliis annuens, regalia vel imperialia inſignia, crucem ſcilicet & lanceam, ſceptrum, globum atque coronam, filii poteſtati tradidit, proſpera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans: & extunc juxta ſummi ſacerdotis totiuſque eccleſiæ decreta, ſuæ conſulturum animæ promiſit. Hoc ordine Henricus, illius nominis quintus rex, primum a patre deinde ab univerſis Germaniæ principibus, in regem jam ſecundo electus, ab apoſtolicis quoque legatis per manus impoſitionem catholicæ confirmatus, acceptis tam ab epiſcopis, quam laicis, juxta morem patriæ, ſacramentis regnare cœpit 88. loco ab Auguſto, 50. patris ſui anno, ab Urbe condita * 1357. anno ab origine mundi 6305. dominicæ vero incarnationis, ut dictum eſt, 1106. anno.

* Potius 1313. H.

Qui favens Henrico patri, ut Anonymus, qui ejus inhærebat lateri, quique ipſi erat a ſecretis, ſcripſitque paulo poſt mortem ejus vitam ſeu funebre encomium ejuſdem Henrici, captivum tentum a filio patrem, vique coactum eo modo ſe ab imperio abdicaſſe, filii impietatem exaggerantes, tradunt.

Quid vero tunc cum Richardo Albanenſi epiſcopo apoſtolicæ ſedis legato ſit geſtum, ſecundum ea quæ per Urſpergenſem ſunt enarrata, idem auctor ſic ait: Sed & pedibus apoſtolici legati advolvitur, orans & obſecrans, ut ſe a banno ſolveret, & communioni eccleſiæ redderet. Laici miſericordia moti veniam dabant: legatus autem domini apoſtolici abſolutionem negabat, aſſerens non hoc ſuæ poteſtatis eſſe: oportere ab ipſo apoſtolico abſolutionis gratiam ipſum expectare. Quid multa? Abrenuntiata imperiali dignitate, privatus diſceſſit, & ad quamdam civitatem, quam filius victui illius permiſerat, receſſit. *Hæc ipſe. Sed quomodo facti pœnitens rurſus ad arma paranda convertitur, dicetur ſuo loco anno ſequenti: quæ autem ſunt reliqua ejuſdem conventus, Urſpergenſis ſic narrat:*

Relatis igitur coram rege, cunctiſque totius Germaniæ optimatibus & præſulibus, omnique clero ſimul & populo legationibus Romanæ ſedis, eccleſiarum regni iſtius commaculatione diverſa & inveterata, econtra emendatione ab univerſis unanimiter promiſſa: placuit tam regi quam primoribus, ad ſanctam matrem Romanam eccleſiam tantos ac tales a partibus iſtis legatos tranſmitti, qui & de objectis rite rationem reddere, & de incertis ſagaciter inveſtigare, ac per omnia utilitatibus eccleſiaſticis ſapienter conſulere ſint idonei. Separantur in hoc opus viri ſpiritu ſapientiæ pleni, dignitatibus, natalibus, & elegantia, ſeu divitiis præcipui, in illaque ſecundum Deum ſive ſæculum veneratione inſignes: a Lotharingia Bruno Trevirenſis, a Saxonia Henricus Magdeburgenſis, a Francia Otto Bambergenſis, a Bajoaria Eberardus Eiſtetenſis, ab Alemannia Gebehardus Conſtantienſis, a Burgundia Curienſis, epiſcopi: nonnulli etiam nobiles de latere regis laicæ profeſſionis. Idque inter cætera ſuſcipiunt in mandatis, ut, ſi fieri poſſit, domini apoſtolici præſentiam ciſalpinis partibus impetrent exhiberi.

Legatio perinſignis decernitur ad Paſchalem Papam.

CON-

ANNO CHRISTI 1101 & 1106

CONVENTUS MOGUNTINI

ACTA AMPLIORA

Quo Henricus IV. Imperator imperio & regno privatur,

Anno 1105. & 1106. *habitus.*

Ex Mansi Supp. Tom. XIII. p. 1111.

Conventus hujus acta pro ſuo more in multis detruncata ab Urſpergenſi exhibet Labbeus. Repetere illa juvat e ſuo fonte Annaliſta Saxone Eccardi, qui ad annum 1106. *ita ſcribit:*

In natali Domini apud Moguntiam tantus factus eſt conventus totius regni Teutonici, quantus per multa annorum curricula nunquam eſt viſus. Nam LII. optimates ibi tunc vel amplius ferebantur, adeo ut magnus dux Saxoniæ, quem gravior ætas impediebat, ſolus notaretur defuiſſe. Igitur per tot annos obnubilata cœpit oriri noſtris in partibus lux orthodoxa. Depublicatur, reſpuitur, anathematizatur hæreſis Wigbertina, vel Heinriciana. Supervenerant illuc apoſtolicæ ſedis legati, Albanenſis ſcilicet, & Conſtantienſis epiſcopi, ſententiam anathematis in Heinricum ſeniorem, dictum imperatorem, a tot ſuccedentibus ſibi apoſtolicis ſæpius ſæpiuſque promulgatam ſcriptis & dictis teſtificantes, toto orbe diffuſam eccleſiam ab ejus communione, Chriſti & B. Petri auctoritate, multis jam annis ſequeſtratam, confirmabant. Jam enim exaltatis ſibi divinitus Romana eccleſia cornibus ad incutiendum timorem cunctis uſquequaque ſchiſmatum membris etiam ipſius capitis oſſa, Wicberti ſcilicet dicti papæ, de ſepulchro ſuo, quod per VI. annos in eccleſia Ravennenſi poſſederat, projici fecerat, univerſaque ejus inſtituta, adnullari decreverat. Unde in tantum ſubito divinæ legis zelus efferbuit, ut pſeudoepiſcoporum cadavera ab eccleſiis eliminarentur, eorumque ordinati uſque ad generalem audientiam ab officiis ſuſpenderentur. Imperator interea cœpit lacrymari & mœſtus eſſe & de peccatis ſuis dicebat ſibi talia eveniſſe, timenſque ſibi multo pejora a principibus futura, rogabat epiſcopum Spirenſem ſe de caſtello, quo manebat, Moguntiam præſentari, ſeque conſilio ejus, & magnatum regni cuncta facturum promiſit, regalia, & caſtella, quæ optima, & munitiſſima habebat, filio tradere, ut ſaltem ſibi prædia ad uſus neceſſaria impenderet. Epiſcopus vero in Natali ſancti Joannis Evangeliſtæ Moguntiam venit, ibique ipſe, & Rotbertus Wirceburgenſis epiſcopus ſacræ unctionis ordinem a Rothardo archiepiſcopo acceperunt, & poſt miſſarum ſolemnia cuncta quæ audierat, regi & cunctis principibus enarravit. Sed principes propter cavendum tumultum vulgi, patris potius, quam filii parti favere ſolentis, in Gilenheim II. Kal. Jan. occurrunt, ibique præſentatum imp. generali circumeuntes concilio ad reatus confeſſionem, & ſatisfactionis poſſeſſionem perducunt; qui filio regnum tradens, atque omnium pedibus provolutus, præcipue legato ſedis apoſtolicæ veniam & abſolutionem banni precabatur, confitens ſe multo tempore anathematizatum eſſe a papa Hildebrando, & injuſte ſuper eum Wicbertum conſtituiſſe, & ſuis temporibus rempublicam nimis eſſe turbatam, & cuncta quæ ſibi objecerant confeſſus eſt, excepto quod idola non adoraret. Cardinalis autem qui inopinate ad hæc facta convenerat, ait ſe nullo modo tam magnam perſonam, propter quem tanta mala in regno ſint perpetrata, abſente apoſtolico nullo modo ſuſcipere. Rex autem depoſito patre cum principibus Moguntiam revertitur, & propter regalia Werinherum comitem & nequiſſimum Volcmarum, qui fuit conſiliarius patris, & omnium ſcelerum conſcius, Hamerſtein miſit, quibus in vigilia Epiphaniæ allatis a Rothardo archiepiſcopo, & omni clero & populo honorifice ſuſcipiuntur. Quæ coram principibus archiepiſcopus regi tradit imprecans, ut ſi non juſtus regni gubernator, & eccleſiarum Dei defenſator exiſteret, ut ei ſicut patri ſuo eveniret. Hoc ordine Heinricus illius nominis V. primum a patre, deinde ab univerſis Germaniæ principibus, in regem jam ſecundo electus, ab apoſtolicis quoque legatis per manus impoſitionem catholice confirmatus, acceptis tam ab epiſcopis, quam laicis, juxta morem patriæ ſacramentis regnare cœpit LXXXII. loco ab Auguſto, L. regni patris ſui anno, ab urbe condita anno MDCCCLIIX. ab origine mundi VMLVIII. Dominicæ vero Incarnationis MCVI. anno. Delatis igitur coram rege, cunctiſque totius Germaniæ optimatibus & præſulibus, omnique clero, & populo legationibus Romanæ ſedis ſuper eccleſiarum Teutonici regni commaculatione diverſa, & inveterata, & e contra emendatione ab univerſis unanimiter promiſſa, placuit tam regi, quam primoribus ad ſanctam Romanam Eccleſiam tantos ac tales a partibus iſtis legatos tranſmitti, qui & de objectis rite rationem reddere, & de incertis ſagaciter inveſtigare, ac per omnia utilitatibus eccleſiaſticis ſapienter conſulere ſint idonei. Separantur in hoc opus nulla ſecundum Deum & ſæculum veneratione indigni a Lotharingia Bruno Trevirenſis, a Saxonia Heinricus Magdeburgenſis archiepiſcopi, ab Orientali Francia Otto Bambergenſis, a Bavaria Eberhardus Eiſtatenſis, uterque deſignatus pontifex, ab Alamannia Gebehardus Conſtantienſis epiſcopus, aliique nonnulli præſules, plerique etiam nobiles de latere regis laicæ profeſſionis, idque præcipuum inter cætera ſuſcipiunt mandata, ut ſi fieri poſſit per illos impetrata Domni apoſtolici ciſalpinis partibus exhibeatur præſentia.

Addere his juvat tres ſequentes Henrici imperatoris literas, quarum priorem miſit ad filium paulo ante Moguntinum conventum, ut illum ad concordiam invitaret, alteram legavit ad Paſchalem, qua cum illo de filii perfidia conqueritur; tertiam deſtinavit ad Ludovicum Francorum regem, cui totam hiſtoriam depoſitionis ſuæ & evaſionis e manu filii, a quo detinebatur, inſtituta pro ſe narratione exponit. Hæ vero literæ, quanquam & alibi extant, deſumptæ ſunt ex codice Udalrici Bambergenſis num. CCXIV. CCXV. CCXVI.

EPI

ANNO CHRISTI 1105. & 1106.

EPISTOLA HENRICI IMPERATORIS AD FILIUM.

Paratum ſe ad obſequium S. R. E. profitetur, filiumque monet, ut injurias patri factas reparet.

Henricus Dei gratia Rom. imperator filio ſuo.

SI nos debita & paterna affectione tractaſſes, qualiter deberes, libentiſſime tecum paterne loqueremur, & paterna tibi mandaremus. Verum quod longe alius, quam paternæ affectionis & humanitatis circa nos tuus animus fuit, & eſt, nequaquam aliter tecum loqui vel aliud mandare (volui), quam quod ipſa manifeſtiſſima rei veritas habet. Tu itaque ipſe ſcis, ſicut facti tui conſcius es, qualiter data fide, & ſecuritate perſonæ, & honoris noſtri omni affectione devotionis promiſiſti nos ducere Moguntiam coram principibus, & interim nos ſecuriſſime reducere quocumque vellemus. Hac fiducia cum tecum caritative & indubitanter afcenderemus, contra datam fidem apud Bingam nos cepiſti, ubi nec paternæ lacrymæ, nec patris mœror, & triſtitia, cum ad pedes tuos, aliorumque provolvebatur, te movit, quin nos caperes, & captum mortalibus inimicis ad illudendum & cuſtodiendum traderes: ubi omni genere contumeliæ & terroris afflicti, compulſi ſumus ferme venire ad ipſum articulum mortis. Ante captivitatem etiam abſtuliſti nobis epiſcopatus, & quicquid de honore regni potuiſti, & prædia noſtra, & ipſam familiam. In captione vero quicquid reſiduum erat etiam lanceam & chlamydem, & omnia regalia inſignia, ubi & timor mortis, ut bene ſcis, & omne ferme chriſtianitatis a nobis jam votum extorſiſti, vix relicta ipſa vita. Cum hoc tibi de nobis non ſufficeret, poſtea ſemper & ubicumque fuimus omnibus modis, quibus nos potuiſti, perſequi non ceſſaſti, ut vel perderes vel de regno expelleres. Verum non ſatis mirari poſſumus qua ratione, vel occaſione hoc tam obſtinate facis, cum de papa, & de Romana eccleſia tibi nulla reſidua ſit occaſio. Nunc itaque nuncio domino papæ, & Romanæ eccleſiæ, te præſente obedire parati ſumus, omnem debitam reverentiam, & obedientiam ei præſentialiter, & ſemper exhibere, & conſilio principum & ſpiritualis patris noſtri Cluniacenſis abbatis, aliorumque religioſorum virorum de ſtatu eccleſiæ, & honore regni libentiſſime agere. Rogamus te ergo pro honore regni & tuo, & paterna devotione, & per auctoritatem Romani pontificis, & Romanæ eccleſiæ, ut de injuria nobis illata, & de his, quæ nobis vi & injuſte abſtuliſti juſtitiam facias; nec non etiam rogamus, ut cum nihil rationis tibi ſit quare nos perſequaris, nos & fideles noſtros ceſſes infeſtare, immo permittas nos pacifice & quiete vivere, ut integre & cum tranquillitate poſſimus omnia ſupradicta peragere. Recognoſce etiam & tecum cogita, quod Deus judex juſtus eſt, cui commiſimus cauſam noſtram, & ejus vindicta & judicia ſunt velut abyſſus multa; quod quantumcumque ſuper afflictione & infortunio noſtro glorieris, & ſuper humilitatem noſtram te extollas, forſitan de fede ſancta ſua inter me, & te, ſua gratuita miſericordia aliud jam definivit, intercedente juſtitia, quam tu ipſe cogites & diſponas; quod ſi nulla alia cauſa vel reverentia ſe interceſſio nobis valet, uti apud te juſtitiam conſequi poſſimus, vel perſecutionis impetus ceſſet, Romanum pontificem, ſanctam & univerſalem ſedem Romanam & eccleſiam appellamus.

ANNO CHRISTI 1105 & 1106.

EPISTOLA HENRICI IMPERATORIS AD PASCHALEM PONTIFICEM.

SI illa inter nos pax eſſet & concordia, quæ inter noſtros olim & tuos fuit anteceſſores, quæ inter nos & Alexandrum, & Nicolaum, viros catholicos & religioſos, Romanos pontifices, plena caritate & integra viguit devotione, mandaremus tibi quidquid filius patri: ſed diſtulimus, expectantes, & cognoſcere deſiderantes, ſi in beneplacito Dei ſit nos caritative & amicabiliter poſſe convenire, & eccleſiam ſuam noſtris temporibus noſtro labore, ipſo cooperante, in ſtatum redire unitatis priſtinæ. Hoc quoque jam dudum, teſte Deo, deſideravimus, ſi cognita eorum nimia auſteritate, qui in Romana erant eccleſia, non utile viſum eſſet nobis vel competens, eos de hac cauſa convehire, quod magis videbantur nos perſequi odio & indignatione, quam zelo juſtitiæ, vel etiam quam vellent nos amplecti, dulcedine caritatis ad profectum eccleſiæ. Effectus itaque probat, quod cum ipſi regnum hereditario jure nobis collatum, tempore religioſorum virorum Romanorum pontificum pacifice diu a nobis poſſeſſum contra nos ſtuderent commovere, & armare, inter multa eſt orta ſtrages populorum, tam corporum, quam etiam, quod magis delendum eſt, animarum. Hic quoque filius noſter, quem adeo affectuoſe dileximus, ut eum uſque ad ſolium regni noſtri exaltaremus, eodem veneno infectus, conſilio quorundam perfidiſſimorum & perjuratorum ſibi adhærentium, inſurgit in nos, poſtpoſitis omnibus ſacramentis, quibus ſe nobis obligaverat, poſthabita omni fide & juſtitia, tantum ut bona eccleſiarum, & regni libere valeant perdere, rapere, & inter ſe dividere.

EPISTOLA HENRICI IMPERATORIS AD LUDOVICUM REGEM FRANCORUM,

Quando a filio ſuo Henrico rege depoſitus eſt.

Henricus Rom. Imp. Auguſtus Ludovico regi Francorum coronam fidei & propinquitatis inviolabilem conſtantiam.

PRinceps clariſſime, & omnium, in quibus poſt Deum operamus, amicorum noſtrorum fideliſſime, primum & præcipuum vos inter omnes excepi, cui conqueri, & deplorare calamitates, & omnes miſerias meas neceſſarium duxi, & etiam genibus veſtris advolvi, ſi liceret ſalva majeſtate imperii; primum quidem non ſolum nobis, ſed etiam totius chriſtianæ profeſſionis hominibus graviſſimum & intolerabile arbitror, quod de illa apoſtolica ſede, unde uſque ad memoriam noſtri temporis ſalutifer fructus conſolationis, dulcedinis, & ſalvationis animarum oriebatur, modo perſecutionis & excommunicationis, & omne perditionis flagellum in nos emittitur. Nec ponunt illum modum fævitiæ, tamen ut ſatisfiat voluntati, indiſcretæ hujus voluntatis ſuæ intemperantia adeo uſque nunc abuſi ſunt in me, ut nec Deum, nec quid aut quantum mali mihi proveniant penſantes, per ſe & per ſuos omnimodis invehantur in me, cum omnem obedientiam, & omnem debitam ſubjectionem ſemper contulimus apo-

apoſtolicæ ſedi, ſi tamen reverentia & honor debitus, ſicut anteceſſoribus meis ab apoſtolica ſede exhiberetur & mihi. Quid autem intenderat opportunius ſignificabo vobis, ſi quando optati colloquii copiam Deus dederit nobis. In hac igitur perſecutionis & odii ſui inflammatione, cum parum viderent ſe proficere, contra ipſum jus naturæ laborantes, quod ſine maximo cordis dolore ſine multis lachrymis non valeo, &, quod dicitur, vehementer contremiſco, filium meum inquam, Abſalon dilectiſſimum, non ſolum contra me animaverunt, ſed etiam tanto furore armaverunt, ut inprimis contra fidem & ſacramentum, quod ut miles Domino juraverat, regnum meum invaderet, & epiſcopos, & abbates meos deponeret, inimicos & perſecutores meos ſubſtitueret, ad ultimum, quod maxime vellem taceri, aut ſi taceri non poteſt, vellem non credi, omnem naturæ affectum abjiciens, in ſalutem & animam intenderet, nec penſi quicquam haberet, quocumque modo vi vel fraude ad hanc pericli, & ignominiæ ſuæ ſummam aſpiraret. In hac tanti mali ſui machinatione cum eſſem in pace, & in aliqua ſalutis meæ ſecuritate, in ipſius Dominici adventus ſanctiſſimis diebus, in locum, qui Confluentia dicitur, ad colloquium evocavit me, quaſi de communi ſalute & honore filius tractaturus cum patre. Quæ ut vidi illico ex paterno affectu tactus intrinſecus dolore cordis mei ad pedes ſuos procidi, admonens, & obteſtans per Deum, per fidem, per ſalutem animæ ſuæ, ut ſi pro peccatis meis flagellandus eram a Deo, de me ipſe nullam maculam conquireret, animæ, honori, & nomini ſuo, quod culpæ patris vindicem filium eſſe nulla Divinæ legis unquam conſtituit ſanctio. At ille jam pulchre, immo miſerrime inſtitutus ad malitiam, quam abominabile & execrabile ſcelus cœpit deteſtari, procidens & ipſe ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam precari in reliquum, ut Domino, ut patri filius, cum fide & veritate per omnia ſe mihi obeditorum cum lachrymis promittere; ſi ſolummodo ſedi apoſtolicæ vellem reconciliari; quod cum promptiſſime annuiſſem, & deliberationi ſuæ & conſilio principum in hoc totum me mancipandum promiſiſſem, me in præſenti Nativitate ſe perducturum Moguntiam, & ibi de honore, & reconciliatione mea, quam fidelius poſſet, ſe acturum, & interim in pace, & ſecuritate me reducendum promiſit, in ea veritate & fide, quo patrem a filio honorari & filium a patre præcipit Deus diligi. Hac promiſſione, quæ etiam gentili obſervanda eſt, ſecurus illorſus ibam, & filius meus aliquantulum præceſſerat me; cum ecce quidam fideles mei occurrentes mihi veriſſime affirmabant, me deceptum & perditum ſub falſa pacis, & fidei ſponſione. Revocatus iterum filius meus, & iterum inſtantiſſime admonitus ſub ejuſdem fidei, & ſacramenti obteſtatione, animam ſuam pro anima mea ſore promiſit jam ſecunda vice. Cum igitur ad locum, qui Binga dicitur, perveniſſemus, jam exiſtente die Veneris ante Nativitatem numerus armatorum ſuorum jam ſatis augebatur, jam fraus ipſa ſe detegere videbatur; & filius ad me: Pater inquit, vobis ſecedendum eſt in vicinum caſtellum, quod nec epiſcopus Moguntinus in civitatem ſuam admittet vos, quamdiu fueritis in banno; nec vos impacatum, & inreconciliatum audeo ingerere inimicis noſtris: illic Nativitatem Domini cum omni honore, & pace agatis, quoſcumque placuerit vobis, vobiſcum habeatis; ego interim quanto inſtantius, quanto fidelius potero, pro nobis utriſque laborabo, quod cauſam noſtram eſſe meam exiſtimo. At ego

ANNO CHRISTI 1105. & 1106.

mi, inquam, fili, teſtis & judex ſermonum fidei inter nos Deus, qui modo te in virum, & hæredem meum perduxi, quantis tribulationibus meis tuo honori inſervierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim, & habeam ſolus es conſcius. Ille autem iterum jam tertio ſub ejuſdem fidei & ſacramenti obteſtatione, ſi ingrueret occaſio periculi, caput ſuum pro capite meo fore promiſit mihi. Sic priuſquam clauſit me in eodem caſtello, quod omnia alia in corde locutus erat manifeſte oſtendit rei eventus. Ex omnibus meis quartus ego ſum incluſus, nec admitti potuit quilibet alius. Cuſtodes deputati, qui vitæ meæ atrociores inimici. Benedictus per omnia Deus exaltandi & humiliandi quemcumque voluerit rex potentiſſimus. Cum igitur ipſo ſacratiſſimo die Nativitatis ſuæ omnibus redemptis ſuis ille ſanctus ſanctorum puer fuiſſet natus, mihi ſoli filius ille non eſt natus. Nam, ut taceam opprobria, injurias, minas, gladios in cervicem meam exertos, niſi omnia imperata facerem, famem etiam & ſitim, quam perferebam, & ab illis, quos injuria erat videre & audire; ut etiam taceam, quod eſt gravius, me olim ſatis felicem fuiſſe, illud nunquam obliviſcar, quod illis ſanctiſſimis diebus ſine omni chriſtiana communione in carcere fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus a filio meo miſſus venit quidam principum Wipertus, dicens nullum vitæ meæ eſſe conſilium, niſi ſine ulla contradictione omnia regni inſignia redderem, ex voluntate, & imperio principum. At ego etſi omnis terra, quantum inhabitatur, regni mei terminus eſſet, nolens vitam regno commutare, quod, vellem nollem, ſic agendum, & ſic definitum intelligebam coronam, ſceptrum, chlamydem, lanceam, & gladium miſi Moguntiam. Tunc communicato conſilio cum inimicis meis egrediens filius meus, relictis ibidem fidelibus & amicis noſtris, quaſi me eo adducturus ſub multa frequentia & cuſtodia armatorum ductum ad villam, quæ Ingelheim vocatur, me fecit ad ſe adduci, ubi maximam inimicorum meorum turbam collectam inveni, nec ipſum filium meliorem cæteris reperi. Et quod firmius & ſtabilius videbatur eis eſſe, ſi propria manu cogeret me regnum, & omnia regalia exfeſtucare, ſimili modo & ipſi omnes minabantur, niſi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ conſultum poſſe fieri. Tunc ego, inquam, quod de ſola vita mea agitur, qua nihil pretioſius habeo, ut ſaltem vivens pœnitentiam meam exhibeam Deo quicquid imperatis eſſe facio. Cumque inquirerem, ſi ſaltem ſic de vita mea certus & ſecurus eſſe deberem, ejuſdem apoſtolicæ ſedis legatus, qui ibidem aderat, non dico qui hæc omnia ordinaverat, reſpondit; me nullo modo eripi poſſe, niſi publice confiterer, me injuſte Hildebrandum perſecutum fuiſſe. Wipertum ei injuſte ſuperpoſuiſſe, & injuſtam perſecutionem in apoſtolicam ſedem & omnem eccleſiam hactenus exercuiſſe. Tunc cum maxima animi contritione humi proſtratus cœpi per Deum, per ipſam juſtitiam orare, ut locus & tempus mihi daretur, ubi in præſentia omnium principum, unde innocens eſſem, ex judicio omnium me expurgarem, & in quo culpabilem me eſſe recognoſcerem, ex conſilio omnium ſanioris ſententiæ pœnitentiam, & ſatisfactionem, quo ordine juberent quærere, & inde de principibus regni & fidelibus noſtris, quoſcumque vellent, obſides darem. At ille idem legatus diem & locum mihi abnegavit, dicens, aut ibi debere totum determinari, aut nulla ſpes eſſet mihi evaden-

dendi. In tantæ tribulationis articulo cum interrogarem ſi confiterer omnia quæ imperabantur, an confeſſio mea, ut juſtum eſt, veniam & abſolutionem conſequeretur: idem legatus reſpondit non eſſe juris ſui me abſolvere. Et cum ego adhuc dicerem; quicumque confitentem audet recipere, confitentem debet abſolvere. Si vellem, inquit, abſolvi, Romam irem, ſatisfacerem apoſtolicæ ſedi. Sic ſpoliatum & deſolatum, nam & caſtella, & patrimonia, & quicquid in regno conquiſieram, eadem vi & arte ſua extorſerunt a me, in eadem villa reliquerunt me. In qua cum aliquo tempore commoratus eſſem, & ex eodem conſilio fraudis ſuæ filius meus demandaſſet, ut ibidem eum expectarem, ſuperveniens quorumdam filiorum meorum legatio præmonuit, ut ſiquidem ad momentum ibi remanerem, aut etiam in perpetuam captivitatem raperer, aut in eodem loco decollarer; quo nuncio etiam tunc ſatis vitæ diffiſus ſum, & illico auſugiens, fugiendo veni Coloniam, & ibi aliquot diebus commoratus, poſtea Leodium veni, in quibus locis viros fideles & in fide regni ſemper conſtantes inveni. Horum cæterorumque regni fidelium conſilio uſus vobis fiducialius & honeſtius habeo deplorare has omnes miſerias: fiducialius quidem propter mutuæ conſanguinitatis, & antiquæ amicitiæ debitum; honeſtius autem propter tanti regni nomen glorioſum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogamus, in tantis tribulationibus meis, ac ſi nobis propinquo & amico conſulatis. Quæ fidei & amicitiæ vincula etiamſi inter nos non eſſent, veſtrum tamen, & omnium terræ eſt injuriam & contemptum noſtrum vindicare, & tam nefariæ proditionis & violentiæ exemplum de ſuperficie terrarum extirpare.

ANNO CHRISTI 1105 & 1106.

ANNO CHRISTI 1105 & 1106.

NOTA COLLECTORIS.

NOn dubito quin Henricus multa hic confinxerit de apoſtolici Legati ſævitia, quo majorem ſui miſerationem commoveret; nihil enim ejuſmodi habet Annaliſta Saxo, & reliqui omnes Scriptores.

MUTINENSE CONCILIUM

Occaſione ſolemnis tranſlationis reliquiarum S. Geminiani Mutinenſis epiſcopi,

ANNO MCVI. CELEBRATUM.

COnventum epiſcoporum ad ſolemnem tranſlationem reliquiarum S. Geminiani olim Mutinenſis epiſcopi, ideo concilium appello, quod vetuſtus, & coævus ſcriptor hiſtoriæ tranſlationis illius vulgatæ a Muratorio Rer. Ital. tom. VI. pag. 90 concilium reipſa nuncupat his verbis: *Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexto datur hujus tranſlationis certiſſimus calendarum Majarum terminus.* Et poſt pauca: *Cogitur maximum epiſcoporum concilium, clericorum, abbatum, & monachorum.* Nec ſane novum eſt per ea ſæcula, ut qua occaſione ad ſolemnem aliquam templorum dedicationem vel SS. Lypſanum tranſlationem eccleſiarum præſules invitabantur, concilia pariter celebrarentur. Nihil tamen in commune decretum a patribus illis quod perpetua lege maneret opinor, ſed ea deliberaſſe credo, quæ ad tranſlationis illius ritum & religionem pertinerent. Conveniſſe etiam patres arbitror, ut ſacris concionibus populum ad pietatem diſponerent, eorum confeſſiones exciperent, & alia id generis præſtarent. En verba ſcriptoris illius paulo poſt ea quæ ſuperius deſcripſi: *Quæritur ſpatioſus camporum locus, ubi turba conveniat, quatenus tantorum præſulum monitis & doctrinis refecta, inde unuſquiſque cum gaudio & lætitia redeat. Pergunt itaque pontifices, pergit & populus ad divinæ propitiationis poculia ſuſcipiendum devotiſſimus. Diſſeminatur deinde inter aſtantes devotiſſima epiſcoporum prædicatio, ſitque ad laudem & honorem tanti patris noſtri Geminiani peccatorum remiſſio, ſit & criminum abſolutio.* Et paulo inferius: *De altaris quoque prælibati ſanctiſſimi corporis conſecratione inter epiſcopos ſiquidem & Mutinenſiam cives, non modica ſit altercatio: quia præſules ejus reliquias revelare cupiunt; cives autem, & omnis populus hoc ex toto renuunt. Quæritur ergo principis Mathildis ſententia, quæ quidem, ſicut decuit, & ut prædeſtinatum fuerat, ipſo quoque, ut credimus, jam diſponente Deo, ſedem pronuntiavit expectandam apoſtolicam, denuntians hoc in anno venturam eſſe in Italiam.*

CONCILIUM PICTAVENSE,

Sub Paſchali papa II. ſecundum, a Brunone Signienſi epiſcopo S. R. E. legato celebratum, præſente Boamundo Antiochiæ duce VII. Kal. Jul. ann. MCVI.

CConcilii hujus, quod plenum & celebre *a Surgerio vocatur, occaſio hæc fuit. Boamundus Antiochiæ dux a Saracenis captus voverat, ſi evaderet e vinculis, ſe ad ſancti Leonardi ſepulcrum quod Nobiliaci in Lemovicibus eſt, religionis cauſa profecturum. Voti compos effectus, ejus exolvendi cauſa ivit in Gallias: & argentea, quibus conſtrictus fuerat, vincula ad S. Leonardi aram appendit.*

Tum Bruno Signienſis epiſcopus, ait Petrus diaconus in chronic. Caſſin. lib. 12. c. XXXIII. una cum Boamundo directus in Gallias vice Romani pon-

tificis, ſecundum traditionem eccleſiaſticam concilium tenuit. *Hæc tantum Petrus. Locum autem & tempus concilii, quæ non indicat, ex chronico Malleacenſi diſcimus.* Anno, *inquit*, MCVI. VI. Kal. Julii Pictavis concilium fuit, in quo interfuit Boamundus dux, quem Bruno legatus S. R. E. adduxit, & tenuit concilium, & viam ſancti ſepulcri confirmavit. Fuit aliud in Italia, quod ipſe papa rexit.

Chronicon vero Andegavenſe. Boamundus *inquit*, accepta ab apoſtolico licentia venit in Eu-

ANNO CHRISTI 1106

ANNO CHRISTI 1106

topæ partes, caſtella & civitates ſubmonendo, ut feſtinarent ire Hieruſalem, liberare videlicet eos qui in captivitate tenebantur, & illos adjuvare qui Turcarum oppugnationibus vexabantur.

Aliud Boamundo Gallica profectionis conſilium fuiſſe ait Sugerius in vita Ludovici Craſſi, cap. IX. *nempe ut Ludovici regis ſororem Conſtantiam uxorem duceret: quam & duxit Carnuti, coram rege & multis epiſcopis, ac regni proceribus.* Adſtitit etiam ibidem, *inquit Sugerius*, Romanæ ſedis apoſtolicæ legatus domnus Bruno Signienſis epiſcopus, a domno Paſchali papa, ad invitandam & confortandam ſancti ſepulcri viam dominum Boamundum comitatus. Unde plenum & celebre Pictavis tenuit concilium, cui & nos interfuimus, quia recenter a ſtudio redieramus. Ubi de diverſis ſynodalibus, & præcipue de Hieroſolymitano itinere, ne tepeſcat, agens, tam ipſe, quam Boamundus, multos ire animavit.

Cur autem apud Pictonas præſertim ea de re concilium? Forte quia recens erat memoria ingentis illius & formidoloſi exercitus militum centum & octoginta millium, quos in Orientem Guillelmus Aquitaniæ dux & Pictonum comes (quanquam ſatis infelici exitu) ſub ſigna ſua duxerat.

DE IUDICIO FACTO IN CONCILIO

Pictavienſi anno 1106. de eccleſia Chahanniarum.

Ex archivis Majoris-Monaſterii.

Ex Martene Theſaur. Anecd. tom. 4. pag. 127.

SCiendum, poſterorumque memoriæ tranſmittendum, quod ex dono Gervaſii tunc epiſcopi Cenomannenſis habuit Eccleſia S. Guingualoei eccleſiam Chahanniarum, totaque vita ejus, & poſt uſque ad tempus, quo ipſam adepti ſunt fratres Majoris-Monaſterii, qui & eamdem Chahanniarum eccleſiam tenuerunt libere VII. annis, quod tempus inſimul computatum invenitur ampliius quadraginta annis. Gaufredus autem de Meduana violenter eam nobis auferens cuidam ſervo ſuo eam dedit. Cumque ſuper hac re multotiens epiſcopo Cenomannenſi quererentur monachi, nihil inde redditum eſt eis. Tandem epiſcopi Gildeberti tempore conquerentibus monachis, ad hoc uſque res perducta eſt, ut clerici Cenomannenſes dicerent de cauſa hac & placitum & judicium factum eſſe tempore prædeceſſoris ſui abſente tamen abbate Majoris-Monaſterii, & contradicente Ebrardo tunc priore S. Guingualoei. Cumque nec Clerici vellent judicium ipſum dicere, nec epiſcopus eum retractari vellet, tandem clamore ad Papam facto, juſſit epiſcopo per literas, ut aut de eccleſia ipſa reveſtiri monachos faceret, aut in præſentia Carnotenſis epiſcopi Ivonis judicium illud retractaret, & ſi eſſet juſtum, pe ſeveraret. Quod indigne ferens epiſcopus reſpondit ſe in coepiſcopi ſui præſentiam non iturum, ſed de eccleſia illa nos reveſtiri facturum. Quod cum ſegnius quam deberet, ageretur, accidit ad partes occiduas agendi concilii gratia legatum eccleſiæ Romanæ Brunonem ſcilicet epiſcopum Signinum advenire, & ſuper hac dilatione monachos ei queſtos eſſe. Cum autem apud Majus-Monaſterium Epiſcopus Cenomannenſis ei occurriſſet, oſtendit ei querelam illam, & juſſit ut eadem controverſia utriſque, monachorum ſcilicet atque ipſis adverſantium partibus advocatis, in præſentia ſua ageretur, quando ipſe veniret Cenomannos. Tandem cum Cenomannis eſſet, præſentavit ſe Abbas Majoris-Monaſterii cum monachis ſuis; ſed & adverſarius eorum Haimericus nomine adfuit cum fautoribus ſuis. Cum autem legatus diceret, ut quo jure teneret illam eccleſiam oſtenderet; reſpondit ſe nunquam inde placiturum, eo quod illam teneret per judicium in præſentia Epiſcopi Hoelli inde factum. Legatus itaque re diligentius inquiſita, intellexit nullum, ut ille injuſtus eccleſiæ pervaſor aſſerebat, jam dictum Epiſcopum Hoellum ſuper hac re definiſſe judicium. Diu igitur utriſque partibus inter ſe ſuper hoc altercantibus, tandem juſſit Legatus, ut monachi de illa eccleſia, qua fuerant injuſte ſpoliati reveſtirentur. Ille vero ad Concilium infra 40. dies Pictavis futurum veniret, atque plenarium inde judicium audiret. Quorum duorum cum ille neutrum vellet facere, indignatus inobedientiæ ejus legatus judicavit, epiſcopo Hildeberto præſente, & aſſentiente, nec aliquo Clericorum contradicente, & judicium juſtum eſſe confirmavit: Haimericum tandem in eccleſia illa nihil habere juris: ſed eccleſiæ Sancti Guingualoei eam debere reddi, quæ illam ex dono Gervaſii tunc Epiſcopi Cenomannenſis tamdiu, & in vita ejus, & poſt mortem tenuerat, ut ſecundum canones inde nullatenus debuiſſet ſpoliari, conteſtatus inſuper eum contra canones & contra ſalutem animæ ſuæ feciſſe quicumque inde aliud judicaſſet. Quæ omnia cum ille ſe nequaquam factum diceret, ſed cum fautoribus ſuis contra Monachos minis ageret: reſpondit Legatus quod eum in Concilio excommunicaret, ſi aliter quam fuerat judicatum, ageret; epiſcopo etiam ipſi præſentialiter imperavit, uti eum excommunicaret, ſi judicium illud non teneret. Inſuper etiam Eliæ comiti Cenomannenſi præcepit auctoritate Beati Petri, atque ab epiſcopo ipſo fecit præcipi, ut ſi ille deinceps eccleſiam illam monachis violenter auferret, comes ei per potentiam ſæcularem omnimodis obviaret. Sciendum etiam quod jam dictus Bruno Romanæ ſedis legatus ſententiam ſuam & judicium de prædicta eccleſia in Pictavenſi factum concilio confirmavit, & inſuper viva voce & literis ſuis ſigillatis poſtea retromiſſis præfato Cenomannenſium Epiſcopo Hildeberto, ut quod de eccleſiarum Chahanniarum judicatum fuerat & teneret, & teneri faceret imperavit, & ſi ille Haimericus contra Monachos pro ipſa eccleſia ulterius præſumeret, ipſe eum S. Petri gladio percuſſum a totius Chriſtianitatis conſortio prohiberet.

G. C. EXOLDUNENSE concilium eodem anno notatum invenio: nullo alio argumento, niſi quod de eo loquitur Ivo Carnotenſis epiſt. CLXXXI. ad Richardum cardinalem, legatum apoſtolicum. Fruſtra ſcribit enim Ivo ad Richardum non de concilio quod eo anno ſit habitum, ſed de eo cui anno MLXXXI. præfuit Hugo Dienſis, ſedis apoſtolicæ legatus: cui ſe interfuiſſe dicit. Idem & ait epiſtola CCLXVIII. ubi diferte exprimit concilium Hugonis Dienſis. Utrobique auctoritatem aſſert præteriti concilii. Interfuit autem nondum epiſcopus, ſed tantum ſancti Quintini ſive abbas, ut ſæpe vocatur; ſive præpoſitus, ut ſæpius. Sed quocumque tandem anno celebratum ſit: quid in eo ſit geſtum, ignoratur.

ANNO CHRISTI 1106.

CONCILIUM LEXOVIENSE,

Rebus Normandiæ componendis, anno Domini MCVI. præsente Henrico I. Angl. rege, & Normanniæ duce.

Henricus I. Angliæ rex Normanniæ ducatu potitus, res Normannicas a fratre suo Roberto duce eversas instaurare cœpit. Ea concilium hoc haberi eique interesse voluit: quod his verbis refert Ordericus Vitalis, historiæ ecclesiasticæ libro IX. In medio Octobri, rex Anglorum Henricus I. Lexovium venit: cunctos optimates Neustriæ convocavit, & utilissimum ecclesiæ Dei concilium tenuit. Ibi statuit regali sanctione, ut firma pax teneatur per omnes fines Normanniæ: ut latrociniis omnino compressis, cum rapacitate, omnes ecclesiæ possessiones, sicut eas, die quâ pater ejus defunctus est, tenebant, aliique nihilominus legitimi heredes, potiderent. Omnia quoque dominia patris sui, suæ proprietati mancipavit: judicioque sapientum, irrita esse censuit quæ frater suus ingratis per imprudentiam permiserat. Hostes autem, quos in bello ceperat, in Angliam destinavit: & perenni ergastulo Guillelmum Moritolienſem ac Robertum de Stotevilla, aliosque nonnullos condemnavit. Inflexibilis erga eos perduravit: & quamvis multorum precibus ac promissis, muneribusque pulsatus fuisset, nunquam emolliri potuit. *Hactenus Ordericus.*

G. C. Concilium appellavi cum Orderico & aliis. Conventum episcoporum & procerum melius dixero: in quo tam regni negotia tractentur, quam sacerdotii. Dadræus in historia chronologica archiepiscoporum Rothomagensium habet hujus, ut vocat Concilii decreta, sed Gallice tantum, ut ab ipso redacta sunt. Ea ibi pauca, quæ Ordericus non habet, latine translata hic describo.

Ut prædones juxta leges severissime puniantur: iisque capiendis, statim atque detecti fuerint, operam suam omnes commodent.

Ut idem Robertus in Angliam mittatur, ibique asservetur in custodia, suppeditatis ipsi abunde omnibus, quæ ipsius dignitas exigit: ne, si captivus in Normannia maneat, res novas factiosi moliantur, specie liberandi principis.

Ut ei qui virginem violaverit, effodiantur oculi, & genitalia præcidantur.

Ut amputetur dextera, iis qui monetam adulteraverint.

CONCILIUM GUASTALLENSE,

In Longobardia de schismaticis episcopis & clericis in unionem ecclesiæ assumendis, deque aliis ecclesiasticæ disciplinæ capitibus celebratum a Paschali II. papa, XI. Kal. Novembr. anno Domini MCVI.

Ex Cencii Camerarii MS. codice Vaticano.

ALiud quoque concilium idem dominus papa Paschalis celebravit intra Lombardiam apud villam frequentissimam Guardastallum, anno dominicæ incarnationis MCVI. XI. Kal. Novembr. cum episcopis diversarum provinciarum, sive ultra, sive citra montes. In hoc concilio statutum est, ut Æmilia tota cum suis urbibus, id est, Placentia, Parma, Regio, Mutina, Bononia, nunquam ulterius Ravennatensi Metropoli subjacerent. Hæc enim metropolis per annos jam pene centum adversus sedem apostolicam erexerat se: nec solum ejus prædia usurpavit, sed ipsam aliquando Romanam invasit: ecclesiam Guibertus ejusdem metropolis incubator. Circa solutionem vero concilii, lecta sunt de reconciliandis qui extra ecclesiam catholicam ordinati sunt sanctorum Patrum capitula, Augustini ex epistola ad Bonifacium, Leonis I. ex epistola ad episcopos Mauritaniæ, Carthaginensis concilii IV. capitulo tertio, cujus initium est: *Placuit ut litera mittantur ad fratres & coepiscopos nostros, & maxime ad sedem apostolicam.* Novum vero in hæc verba capitulum institutum est.

Ut episcopi & clerici in schismate ordinati, si sint alioqui probatæ vitæ, suscipiantur.

Per multos jam annos regni Theutonici latitudo ab apostolicæ sedis unitate divisa est. In quo nimirum schismate tantum periculum factum est: ut, quod cum dolore dicimus, vix pauci sacerdotes aut clerici catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot ergo filiis in hac strage jacentibus, Christianæ pacis necessitas exigit, ut super hoc materna ecclesiæ viscera aperiantur. Patrum ergo nostrorum exemplis & scripturis instructi, qui diversis temporibus Novatianos, Donatistas, & alios hæreticos in suis ordinibus susceperunt: præfati regni episcopos in schismate ordinatos, nisi aut invasores, aut simoniaci, aut criminosi comprobentur, in officio episcopali suscipimus. Idipsum de clericis cujuscumque ordinis constituimus, quos vita scientiaque commendat.

ALIUD CAPITULUM.

Ut ecclesiarum investituræ a laicis nullo modo fiant.

Jamdiu a pravis hominibus, tam clericis, quam laicis, catholica est ecclesia conculcata: unde plura temporibus nostris schismata & hæreses emerserunt.

Nunc

ANNO CHRISTI 1106.

Nunc autem per Dei gratiam, hujus nequitiæ deficientibus auctoribus, in ingenuam libertatem resurgit. Unde providendum est, ut horum schismatum causæ penitus abscindantur. Patrum ergo nostrorum constitutionibus consentientes, ecclesiarum investituras a laicis fieri omnimodo prohibemus. Si quis autem hujus decreti temerator extiterit: tanquam maternæ injuriæ reus, clericus quidem ab ejusdem dignitatis consortio repellatur, laicus vero ab ecclesiæ liminibus arceatur.

ALIUD CAPITULUM.

Ut nulli liceat res ecclesiæ vendere, aut quoquo modo alienare.

Nullus abbas, nullus archipresbyter, nullus præpositus ecclesiæ, audeat possessiones ecclesiæ suæ vendere, commutare, locare, vel in feudum dare, sine communi fratrum consensu, vel episcopi propriæ civitatis: alioquin ordinis sui periculum patiatur.

PASCHALIS II. PAPÆ EPISTOLA.

Paschalis episcopus servus servorum Dei, venerabilibus in Christo fratribus Gebehardo Constantiensi & Oderico Patavienſi episcopis, & cæteris Theutonicarum partium tam clericis, quam laicis catholicis, salutem & apostolicam benedictionem.

PRo religionis vestræ fervore, &c. *Edita est supra numero* XII.

Et hæc quidem ex Cencii volumine. Sequantur nunc quæ de eodem concilio ex variis auctoribus diligentissime collecta Baronius, & post eum Binius attulerant: prætermissis fragmentis quæ habebat ex Cencio, quia totum & integrum simul edidimus.

FRAGMENTUM CONCILII

Guastallensis in Longobardia sub Paschali P. II. an. 1106. celebrati.

Ex Martene Theſaur. Anecd. tom. 4. pag. 117.

In MS. S. Vincentii Bisuntini post Concilii canones & Epistolam Paschalis in eo conscriptam ad Hebehardum Constantiensem Episcopum & alios Theutonicos in editione Labbeana relatam, hæc sequuntur.

REFUTATIO INVESTITURÆ

Episcoporum, quam fecit rex Hungariæ ad mandatum Papæ.

DEnunciamus vobis, Pater venerande; nos legi divinæ subditos, ac secundum eam vobis servire paratos: unde & investituram Episcoporum hactenus a majoribus (a) habitam, juxta admonitionem vestram, dimisimus, & si (b) quem in electione hujusmodi minus canonice (c) retractatum est, de cætero, Deo volente, cavebimus.

ANNO CHRISTI 1106.

CASSATIO PRIVILEGII quod extorsit Imperator a Papa.

Privilegium illud, quod non est privilegium, nec vere dici debet privilegium, cum de liberatione captivorum & Ecclesiæ a D. Papa Paschali per violentiam Henrici regis extortum sit, nos omnes in hoc sancto Concilio cum eodem domino Papa congregati, canonica censura, & ecclesiastica auctoritate judicio sancti Spiritus damnatum & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus, & ne (d) auctoritatis & efficacitatis (e) vim habeat, penitus excommunicamus. Ideo autem damnatum est, quia in eo privilegio continetur, quod electus canonice a Clero & populo a nemine consecretur, (f) nisi a rege investiatur: quod est contra Spiritum Sanctum, & canonicam institutionem. Perlecta vero hac charta, acclamatum est ab universo populo, Amen, amen. Fiat, fiat.

Archiepiscopi vero & Episcopi, presbyterique, Diaconi Cardinales, qui interfuerunt ipsi (g) hi sunt; C. Sabinensis, P. Portuensis, L. Ostiensis, (h) Prænestinus, & J. Tusculanus Episcopus, Patriarcha Venetus, S. Capuanus, L. Beneventanus, Amalfitanus, Reginus, Ydruntinus, Brundusinus, Consanus, (i) Girontinus, Rosanus archiepiscopi, G. (k) Angolismensis, G. (l) Leogmensis & legatus pro Bituricensi & Viennensi archiepiscopis, R. (m) Ulteranensis, G. Senensis, R. Populanus, G. Terracinensis, & G. Syracusanus pro omnibus Siculis, G. Trojanus, Bruno Signiensis & alii fere C. Episcopi, presbyteri, (n) & Cardinales B. tituli S. Marci, R. tituli S. Eustachii, R. tituli S. Priscæ, G. tituli SS. Apostolorum, B. tituli S. Petri ad Vincula, A. tituli S. Clementis, R. tituli S. Laurentii in Damaso, J. tituli S. Cæciliæ, B. tituli S. Martini, J. tituli SS. Johannis & Pauli, (o) ..... tituli S. Grisogoni, R. tituli SS. Petri & Marcellini, V. tituli S. Sabinæ, P. tituli S. Sixti, & A. tituli S. Susannæ. Diaconi (p) vero Cardinales, abbas Sublacensis, Joannes Gaetanus abbas S. Andreæ, Leo, Gregorius, Aldo, Theobaldus, & Rossimanus. Hi in damnatione dicti privilegii consenserunt cum abbatibus & innumerabili multitudine tam clericorum, quam laicorum.

Hæc charta dicta est a Gerardo Engolismensi, Leone Ostiensi, G. Terracinensi, Galone (q), Leogiensi Episcopis, Roberto tituli S. Eusebii, & Gregorio tituli Apostolorum presbyteris Cardinalibus, communi (r) aliorum consilio.

CONCILII GUASTALLENSIS descriptio Biniana.

QUo *loco & tempore, quave de causa & occasione, hæc synodus auctoritate Paschalis papæ indicta & congregata; item quid in ea gestum & constitutum fuerit, abbas Urspergensis his verbis succinctim enarrat*: Post hæc, hebdomada quarta mensis Octobris habitum est concilium generale in provincia Longobardia super ripam Padi fluminis, loco qui Wastallis nuncupatur, ubi præsiden-

(a) Dantur variantes ex MS. Codice Lucensi *nostris*. (b) *quid*. (c) *retroactum est*. (d) *ne quid* (e) *vim* deest (f) *nisi prius* (g) *concilio* (h) *P. Prænestinus* (i) *Cirontinus* (k) *Engolismensis* (l) *Legionensis* (m) *Vulterrensis* (n) *etiam* (o) *G. tituli &c.* (p) deest *vero* (q) Legionensi (r) *alto consilio*.

ANNO CHRISTI 1106.

ſidente vere per omnia apoſtolico viro Paſchali II. coram multitudine maxima clericorum, necnon laicorum, qui de diverſorum regnorum eccleſiis convenerant, præſentibus etiam legatis domini Henrici regis: multa ſunt, prout canonica dictabat æquitas, de inimici zizaniis evulſa: multa de ſtructuris ſuper arenam poſitis deſtructa: plura quoque piſtici ſeminis plantaria profundius plantata ſimul & rigata: nonnulla etiam tutiſſimæ munitionis per eccleſias propugnacula ſunt ædificata. Nam cum eadem dominica, quæ erat XII. Kalend. Novembres, Juvavenſibus Conradum, Tridentinis Gebehardum, præſules conſecraſſet: enarrare longum eſt, quam indefeſſe prudens & fidelis ille ſummi patriſfamilias diſpenſator, conſervos ſuos verbi Dei tritico lautiſſime quotidie reficeret, pſeudoepiſcopos deponeret, catholicos conſtitueret, archiepiſcopis pallia, monaſteriis privilegia conceſſerit; præſentes ovium Chriſti paſtores, melliſluis alloquiis; abſentes, paternis commonitoriorum litteris inſtruxerit; quædam olim abſciſſa membra eccleſiæ iterum incorporaverit, quædam etiam quæ inſanabilia videbantur anathematis abſciſſione truncaverit. Super ordinationibus autem tempore ſchiſmatis factis, unde permaximæ ventilabantur quæſtiones, decretum diſcretione maternorum viſcerum artificioſe meditatum in hæc verba promulgavit: *Per multos jam annos*, &c. *habetur ſupra*.

His & hujuſmodi ſuper eccleſiam divini luminis orientis auroræ jucundati ſplendoribus, quia nimirum tandem venerat tempus miſerendi ejus, pariterque apoſtolicis dignitati benedictionibus, ad ſua quique convertuntur.

Hucuſque de his Urſpergenſis abbas: ſed reliqua quæ ad ſynodum hanc pertinent, ex aliis auctoribus hinc inde petamus.

Quæ autem legati regis a Paſchali papa petierint, Donnizo, qui aderat cum Mathilde, his verſibus docet:

Juxta tuncque Padum tenuit ſynodum memoratus
Papa, ſuum miſſum direxit natus ad ipſum
Defuncti regis; quærens ut jus ſibi regni
Concedat, ſedi ſanctæ cupit ipſe fidelis
Eſſe velut matri, ſubjici ſibi vel quaſi patri.

Laudatam a pontifice pietatem regis, pariterque a Mathilde quæ aderat, idem auctor ſubjicit; biſque addit, poſt hæc advenisſe ad ſynodum Parmenſes cives pœnitentes, ſuppliciterque petentes epiſcopum ſibi dari Bernardum, quem expuliſſent ante biennium: inſuper poſtulantes, ut idem pontifex conſecrare dignaretur baſilicam ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ. Annuiſſe civium votis pontificem, eundemque ſynodo abſoluta Parmam ad dedicandam baſilicam perveniſſe, idem verſibus cecinit, quos vide apud Baronium anno 1106. n. 42.

Ad hanc quoque ſynodum legatio civium Auguſtanorum venit adverſus pſeudoepiſcopum ipſorum Herimannum, qui pecuniarum mercimonio eccleſiam illam emerat ab Henrico imperatore, ut ſuo * *loco ſupervins dictum eſt. De hac eadem legatione agens Udalſcalcus, qui de ejuſmodi controverſia ex eis quæ viderat commentarium ſcripſit, ab anno ſuperiori res geſtas ſic aggreditur enarrare*: Temporibus illis præfatus Romanæ ſedis legatus Richardus Albanus epiſcopus, in Teutonicas directus partes, Moguntiam devenit, ubi cum apud Engilenheim Henricum imperatorem regalibus privaſſet inſignibus, capite nimirum hæreſeos abſciſſo, communioneque omnibus reddita, ſingula in unum eccleſiæ pacificantur membra. Hic inquam *Herimannus*, hic dictus epiſcopus, in generali abſolutione non excipitur: ſed per Wibertinæ hæreſeos abjurationem, necdum ventilata ſui cauſa, inter cæteros recipitur. Legato quoque Auguſtam veniente, cleri ac populi exponuntur querimoniæ: dictum videlicet epiſcopum abſque canonica electione ſeu conſecratione ſedem illam invaſiſſe. Diligenter res audita diſcutitur: ſi aliquis canonicorum ſe hui ſubtrahat accuſationi, perquiritur. Omnes unum dicentes, idem ſapientes, nominatim ſubſcribuntur: cuncta in domni apoſtolici præſentia finienda differuntur. Synodus colligitur Warſtallenſis, adſunt cum ſuo epiſcopo nuntii eccleſiæ Auguſtenſis: refert legatus quæ audierit, qualiterve audita diſtulerit. Idonea iteratur accuſatio, nulla prætenditur * accuſatio: facile ab omnibus concordatur ut talis epiſcopus deponatur. Quod & factum fuiſſet, ſi non Gebehardus Conſtantienſis epiſcopus in eccleſia Auguſtenſi hoc faciendum perſuaſiſſet. Eo namque tempore domnus papa Teutonicum adire propoſuerat regnum: quod in ruinam perficere nequivit multorum. A pontificali tamen ſuſpenſus officio ſemiepiſcopus *Herimannus* regreditur, terminus huic rei finiendæ conſtituitur. Auguſtæ ſui liberationem, doleus præſtolatur, dum in ſpe apoſtolici adventus defraudatur; infra ſcilicet terminum idem epiſcopus pro interdicti reſtitutione officii apoſtolicum adivit: ſed litteras ab eo hunc in modum ſe continentes accepit.

ANNO CHRISTI 1106.

* f. excuſatio.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Auguſtenſis eccleſiæ canonicis, & cæteris parochianis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VEnit ad nos non vocatus frater noſter Herimannus veſtræ civitatis epiſcopus, cauſam ſuam poſtulans certiori fine concludi. Nos autem querelarum veſtrarum memores, quod fratres, qui adverſus eum in concilio coram nobis capitula protulerant, cum eo impræſentiarum coram nobis minime adfuerunt, ne qua pars adverſum nos poſſit præjudicium conqueri, cauſæ ipſius protractionem in proximas Kalendas Novembris fratrum noſtrorum deliberatione diſtulimus: ad quem videlicet terminum omnes, qui adverſus eum cauſam agunt, litteris præſentibus ad noſtram audientiam invitavimus. Interim eidem fratri noſtro poteſtatem concedimus, ut eos, qui eccleſiæ bona rapiunt & invadunt, juxta ſanctiones canonicas excommunicare prævaleat. Volumus enim, ut tam ipſe, quam eccleſia quæ ſub eo eſt, uſque ad præfinitum tempus, pacem & tranquillitatem, Domino largiente, obtineat. Datum decimo Kalendas Decembris.

Has litteras idem Herimannus epiſcopus Auguſtæ vix Venetium aſportavit, initoque conſilio, cunctos earumdem conſcios, ut unius anni ſpatio non detegerentur, jurare compulit, ſicque fictis pro libitu mendaciis domum rediit. Excogitata vero graviori adhuc nequitia, unum de accuſatoribus ſuis, qui præſtantior cæteris videbatur, pretio corrupit, & litteras quaſi ex Auguſtenſium perſona occulte per eum apoſtolico direxit. Qui falſitatis nuntius benigne ſuſceptus, dum auditur, magna contra eum papa indignatione invehitur: corde & corde loqui ab omnibus deprehenditur. Curienſi tamen epiſcopo atque Gotuvigenſi abbate pro ipſo ſupplicantibus, datis veluti Auguſtenſium reſpondentibus litteris, abire permittitur vera cum falſis relaturus, hoc modo:

* Verba Baronii qua Binius emendare debuerat.

Paſ-

ANNO CHRSTI 1107

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Auguſtenſis eccleſiæ clericis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

POſt impetitionem, quam ſuper epiſcopo veſtro feciſtis, dilectionis veſtræ literas ſuſcepimus: in quibus, quia pacem & concordiam cum eodem epiſcopo vos habere nobis ſignificaſtis, lætati ſumus, ſi eamdem concordiam gratis factam fuiſſe conſtiterit. Nos tamen conſtitutum terminum expectamus, ut quidquid æquitas dictaverit, auxiliante domino, exequamur. Datum octavo Idus Februarii.

A Quibus litteris clam epiſcopo lectis, contra nuntium infremuit: non æqua pretio ſibi referri mandata objicit: patre iterum mendacii ſuggerente interminatur, ne tam adverſa prudantur, ſed proſpera fingantur: egreditur in publicum, arriguntur aures expectantium: parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus: dum falſo benedictione apoſtolica ſalutatur epiſcopus, eademque gratia participatur populus: *Hactenus de rebus geſtis in cauſa Auguſtana ad concilium delata.* ANNO CHRISI 1107.

Gallonis cardinalis conſtitutiones, item & Guillelmi, Pariſienſium epiſcoporum, hic collocaverat Binius: ſed cur Gallonem ad an. MCCVIII. Guillelmum ad MCCCXX. rejecerimus, ibi cauſſam afferemus.

CONCILIUM HIEROSOLYMITANUM

Quo, Ebremaro depoſito, Daibertus Hieroſolymitanus patriarcha ſedi ſuæ reſtitutus eſt, anno Domini MCVII. tempore Paſchalis papæ II.

C*Auſam, locum, tempus, & acta concilii, Wilielmus Tyrius libro undecimo belli ſacri capite quarto enarrat his verbis*: Interea dominus Daibertus Hieroſolymorum patriarcha, poſt longam expectationem, qua eum detinuerat dominus Paſchalis papa, & eccleſia Romana, volens plenius edoceri, utrum rex Hieroſolymorum, & qui eum expulerant, vellent contra eum aliquid allegare, unde hoc videri poſſent de jure feciſſe: poſtquam nemo comparuit qui contra eum aliquid diceret; nec in ejus facto aliquid aliud notari poterat, niſi quod regia expulſus erat violentia: cum plenitudine gratiæ, & apoſtolicarum literarum proſecutione juſſus eſt ad propria redire, & ſedem recipere, ex qua fuerit indebite deturbatus. Qui tandem in Siciliam veniens, & apud Meſſanam moram faciens neceſſariam, tranſitum expectans, gravi correptus ægritudine, decimo ſexto Kalendas Julii viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Sedit autem in pace annis quatuor, in exilio vero tribus. Ebremarus vero ejuſdem ſedis incubator, audiens quod prædictus dominus Daibertus cum plenitudine gratiæ revertebatur ſedem ſuam recepturus, antequam de obitu ejus inſtrueretur, ad B eamdem Romanam tranſfretare decrevit eccleſiam, allegaturus de ſua innocentia, quomodo invitum & renitentem in eamdem ſedem illum locaverat. Quo perveniens nihil impetrare potuit, quam ut cum eo dirigeretur legatus, qui de cauſa ejus Hieroſolymis conſtituto plenius poſſet cognoſcere. Deſignatus eſt autem ad id muneris proſequendum dominus Gibelinus, vir ſenex & grandævus, Arelatenſis archiepiſcopus: qui de mandato domini papæ Hieroſolymam profectus, convocato epiſcoporum regni concilio, de cauſa domini Ebremari cognovit plenius. Cumque ei conſtitiſſet per teſtes idoneos ſufficientes, C & majores omni exceptione, quod dominus Daibertus, abſque cauſa legitima, Arnulphi factionibus & regia violentia fuerat expulſus, & quod Ebremarus adhuc viventis pontificis & eccleſiæ habentis communionem ſedem occupaverat: auctoritate qua præeminebat eum a patriarchatu depoſuit. Sed conſiderans multam viri religionem & ſimplicitatem miram, Cæſarienſem, quæ tunc vacabat, eccleſiam ei conceſſit habendam. *Hæc Tyrius lib.* II. *cap.* 4.

CONVENTUS FLORIACENSIS,

EPISCOPORUM, ABBATUM, PROCERUM,

In quo S. Benedicti corpus coram Ludovico Francorum rege deſignato levatum eſt XIII. Kalend. April. anno Dom. MCVIII.

C*Hronicon S. Petri Vivi Senonenſis ad annum* MCVII. Ad hunc, *inquit*, conventum venit, & interfuit Ludovicus rex deſignatus, cum multis proceribus Franciæ regni: & communi lætitiæ ſuam conjunxit. Adfuerunt quoque, Joannes epiſcopus Aurelianenſis, Humbaldus epiſcopus Autiſſiodorenſis, viri religioſi, cum maxima cleri ac populi multitudine. Eadem die dedicaverunt majus altare in honorem S. Mariæ Dei genitricis; & aliud, matutinale ſcilicet, in honore S. Benedicti: ſub quo poſitæ ſunt ipſa die ſanctæ reliquiæ ejuſdem patris. Translatum eſt autem ſanctiſſimum corpus in conſpectu omnium qui adfuerunt, inſertum in metallino quodam & cupreo ſcrinio: in quo prius, ut creditur, poſitum D fuit, quando allatum eſt de Caſſino monte. Illic vidi flentes præ gaudio regem & principes, & omne vulgus: præcipue monachos & abbates, hymnos & laudes, ut decebat, dicere volentes, ſed præ lacrymis non valentes. Levatum itaque tantum gazophylacium, auro & argento gemmiſque omnibus carius: ſuperpoſitum eſt feretrum auro gemmiſque fabricatum, tanto patri congruum..... Hoc totum factum eſt XIII. Kal. E April. *Idem refert Robertus monachus Autiſſiodorenſis, ad hunc eundem annum: in hoc caſtigandus, quod dicat interfuiſſe Philippum regem. Narrat enim clarius chronici Senonenſis auctor, teſtis oculatus, interfuiſſe Ludovicum, & promiſiſſe effecturum ſe apud Philippum patrem, ut aſſentiretur electioni abba-*

ANNO CHRISTI 1107.

abbatis illo die facta. Quod argumentum eſt certiſ- A *ſimum, Philippum abfuiſſe.*

Translatum eſt igitur anno MCVII. ſanctum corpus, a vili feretro in aliud pretioſius: ſed ſub altari repoſitum. Anno vero MCCVII. Guillelmus Bituricenſis archiepiſcopus, aliique antiſtites, quorum hac de re diplomata referuntur in bibliotheca Floriacenſi, pag. 251. humili in loco conditum reperientes, ſupra majus altare collocarunt. Quæ duo inter ſe pugnare cur non nemini ſit viſum, haud video.

Conventum dumtaxat quod appellaverim, & eos qui interſunt, & ea quæ tractantur, ſpectavi. Nam quod Floriacenſe concilium vocat Ivo Carnotenſis epiſt. CCXVI. ad Richardum legatum non dubito quin ſit illud, cui Richardum eundem anno MCX. præfuiſſe aliunde novimus.

ANNO CHRISTI 1107.

ANSANUM huic anno attributum in Synopſi quæ ante hanc editionem prodiit, ad annum MCXII. *pertinet, ut ſuo loco demonſtrabitur.*

CONCILIUM TRECENSE,

SUB PASCHALI II. SECUNDUM,

Contra ſimoniacos & laicos collatores beneficiorum: deque aliis eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus, Anno Domini MCVII. ipſo Paſchali præſente.

QUa occaſione hoc concilium congregatum, quid- B *que in eodem geſtum fuerit, Urſpergenſis in chronico ad ann. Domini* MCVII. *deſcribit iſtis verbis;* Circa Aſcenſionem Domini concilium non modicum apud Trecas habuit, ubi inter multa quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda erant correxit, ſententiam de libera paſtorum electione, & de coercenda laicorum in eccleſiaſticas dignitates præſumptione, juxta prædeceſſorum ſuorum decreta promulgavit. At rex Henricus, peragratis Saxoniæ finibus, poſt paſchale feſtum Moguntiæ actum, eidem ſe concilio vicinum, non tam præſentem, cum nonnullis epiſcopis & optimatibus exhibuit: cum quibus etiam inito conſilio, legatos honorabiles ad Apoſtolicum tranſmiſit, per quos tam ipſi quam univerſæ ſynodo poteſtatem conſtituendorum epiſcoporum privilegiis apoſtolicis Carolo imperatori conceſſam notificarent. Super qua quæſtione, quia in alieno regno quidquam diffiniri, utpote Romano jam incipiens potiri ſceptro, Henricus non patitur: inducias ſibi totum ſequentis anni ſpatium Romam veniendi, & eamdem cauſam generali concilio ventilandi, concedunt. Tunc etiam nonnul- D los noſtrates epiſcopos, eo quod eidem concilio non intererant, officii ſuſpenſione dominus papa mulctavit: quos tamen non multo poſt ſatisfacientes clementer abſolvit.

In eodem Trecenſi concilio dum eſſet Paſchalis papa, contigit ad eum mitti legationem ab eccleſia Dolenſi, quæ viduata paſtore peteret dari ſibi archiepiſcopum Vulgrinum, Carnotenſis eccleſiæ cancellarium, Ivonis diſcipulum, virum quidem doctrina atque probitate præſtantem: qui ſuæ electioni repugnans, & ab eodem concilio recedens, ad Ivonem venit, implorans ab eo auxilium apud pontificem, ne Ivo epiſt. 178. *cogeretur invitus munus epiſcopale ſuſcipere. Cujus rei gratia tunc ad Paſchalem papam Ivo litteras dedit: dedit & ad Dolenſem eccleſiam.*

ADDITIO G. C.

COncilium univerſale *vocat Sugerius in vita Ludovici Craſſi*, c. IX. In eo intentio Paſchalis papæ maxima fuit de Hieroſolymitano itinere, & de treva Dei, *Chron. Senon.*

Omnes eos excommunicavit, qui pacem violarent, & præcipue eos qui res eccleſiaſticas uſurparent, vel perſonas in aliquo injuſte læderent, ut nec in vita, nec in morte, eccleſiæ communionem haberent, niſi digna ſatisfactione prius reſipiſcerent. *Litteræ Richardi Albanenſis S. Alegati, quas in concilio Claromont. ann.* MCX. *exhibebimus.*

Ibi quoque decretum, ut per nullam guerrarn incendia domorum fierent, nec oves aut agni raperentur. *Chronicon Malleacenſe.*

Papa ex ſynodi ſententia (1) Rothardum Moguntinum epiſcopum ab officio ſuſpendit, eo quod Udonem Hildes ..... ſine conſenſu eccleſiæ reſtituit: & quia Reinhardum, contra jura canonum, Halverſtadenſi eccleſiæ ordinavit. Similis ſententia de Guichardo Conſtantienſi: quia his conſenſit, qui Godeſcalcum Mindenſi eccleſiæ, loco epiſcopi, intruſerunt: & quia Henricum Magdeburgenſem ordinavit. Omnibus ibi eccleſiis apoſtolicus libertatem, ut ex præcepto canonum prælatos ſibi eligant, quos dignos viderint, reſtituit. *Chronicon Hildesheimenſe. In quo falſo notatur hic indictio* XIV. *pro* XV. *In hoc enim chronico edito Tom.* III. *hiſtor. Franc. deeſt ſemper Indictioni annus unus, ab anno* MLVII. *cui adſcripta Ind.* IX. *quæ jam anno præcedenti tributa fuerat. Hinc vitium in annos conſequentes.*

Crantzius denique l. 5. cap. 33. de hoc Concilio ait: Paſchalis autem Pontifex tum in Galliis apud Trecas habuit generale Concilium. In quo inter alia decretum eſt, quod nemo inveſtituram alicujus beneficii aut eccleſiaſticæ dignitatis a manu laica excipiat, quoadusque hæc quæſtio inter Papam & Regem ſynodaliter terminaretur; & reſtituit Papa omnibus Eccleſiis libertatem ſuam, ut

(1) Ex edita a Martene in ampliſſ. Anecdot. Coll. tom. 1. p. 618. Paſchalis epiſtola ad hunc Rothardum conflat nullam a Pontifice vibratam fuiſſe in Moguntinum Præſulem ſententiam, ſed Paſchalem Papam ſuum ei reatum condonaſſe. Eadem indulgentia ulus Paſchalis erga Reinhardum epiſt. Halberſtadenſem, uti videre eſt in ipſius ad eumdem epiſt. in loco cit. p. 618. Nec magis certum videtur Conſtantienſem epiſc. Gebehardum ſimilem ſententiam expertum fuiſſe. Certe ſi Gebehardus in Concilio Trecen. a pontifice ſuſpenſus fuiſſet, qua fronte ad Paſchalem mediator pro Rothardo archiep. acceſſiſſet. Sed neque Mindenſes Godeſcalchum inter intruſos epiſcopos adnumerant; neque Henricus, ſed Adelgarius ſeu Adelgotus Magdeburgenſis Archiep. ordinatus tunc legitur. *Marſene in tomi citati præfatione.*

ANNO CHRISTI 1107.

ut ſecundum præcepta Canonum Prælatos ſibi eligerent, quos dignos judicarent. Quo tempore ex eiſdem cauſis Patriarcha Aquilejenſis, Leodienſis, & Cameracenſis epiſcopi anathematizantur; Mindenſis quoque, & Halberſtadienſis privantur; Colonienſis & ſui ſuffraganei ab officio ſuſpenduntur, quia aberant Concilio generali; Archiepiſcopus Moguntinus, & Epiſcopus Conſtantienſis ſuſpenduntur, quia aliquos contra Canonum ſtatuta electos inſtituerunt.

ANNO CHRISTI 1107.

AD CONCILIUM TRECENSE

A Paſchali II. papa Anno 1107. celebratum.

ADDITIO.

Ex Manſi Suppl. T. II pag. 830. anno 1107.

Cum Trecenſi huic concilio addenda multa ſuccurrunt, ut recto ordine res procedat, primo ea recitamus quæ de canonibus, rebuſque in eo geſtis narrat Annaliſta Saxo Eccardi ad annum 1107. *apud quem licet multa occurrunt partim ab Urſpergenſi, partim a Chroniſta Hildesheimenſi jam tradita, & apud Labbeum legenda, juvat tamen ea ſimul collecta ibi legere, unde forte illi ſuam quiſque portionem decerpſerunt; cum præſertim nonnulla etiam tradat ab utroque prætermiſſa, quæ noſſe lectores rei conciliaris amantes non pigebit. Ita ergo ille.*

Paſchalis papa circa aſcenſionem Domini concilium non modicum apud Trecas habuit, ubi inter multa quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda correxit, ſententiam de libera paſtorum electione, & de coercenda paſtorum (*a*) in eccleſiaſticas dignitates præſumptione juxta prædeceſſorum ſuorum decreta promulgavit (*b*). Ex ejuſdem ſynodi ſcientia (*c*) Rothardum (*d*) Moguntinum archiepiſcopum ab officio ſuſpendit, eo quod Udonem Hildinisheimenſis eccleſiæ epiſcodum (*e*) reſtituit, & quia Reinardum a laica manu inveſtitum, contra jura canonum Halberſtadenſi eccleſiæ epiſcopum ordinavit. Similis ſententia de Gebehardo (*f*) Conſtantienſi datur, quia his conſenſit, qui Godeſcalcum Mindenſi eccleſiæ loco epiſcopi intruſerunt, & quia Heinricum Magedaburgenſem ordinavit. (*g*) Omnibus ibi eccleſiis ex præcepto canonum apoſtolicus, ut prælatos ſibi eligant, quos dignos viderint, libertatem reſtituit. Heinricus rex inducias totum anni ſequentis ſpatium Romam veniendi, & eandem cauſam generali concilio ventilandi accepit. (*h*) Rurſum necdum humilitatem, quam quæſivit, Germanicis in cordibus invenire ſe conqueſtus, nos nequaquam ut propoſuerat, viſitare; ſed finibus Italicis ſe comitatumque ſuum diſponit inferre.

Martenius in præfatione ad tomum I. collectionis Veter. monum. cenſet non vera tradere hiſtoricos de vibrata in Moguntinum & Gebehardum Conſtantienſem ſuſpenſionis ſententia; eo quod, ait, in epiſtolis ſuis (quas producit, & ex eo inferius recitabimus) Paſchalis reatum Moguntino condonat, & Gebehardus tam longe abeſt quin reus fuerit apud pontificem, ut interceſſorem ſe apud illum pro Moguntino conſtituerit. Addit nec Mindenſes Godeſcalchum habuiſſe inter intruſos, nec eo anno Magdeburgenſem archiep. Henricum aliquem, ſed Adelgotum ordinatum fuiſſe. Verum ut ab hoc poſtremo exordiar, Gebehardum multavit pontifex, non quod eo anno, ſed quod ante hac, nempe ante biennium, Henricum archiepiſcopum Magdeburgenſem ab imperatore inveſtitum ordinaverit; & forte non diu poſt concilium reſtituendum illum Pontifex duxit. Ita vero reſtitutus & de crimine non recenti venia impetrata pro Moguntino precator admiſſus fuit. De Mindenſi præſule viderint Mindenſes quomodo inter legitimos Godeſcalchum agnoſcant; nobis ſatis eſt ad tuendam hiſtoriæ hujus veritatem epiſcopum hunc in locum depoſiti a Gebehardo Widelonis ſubſtitutum fuiſſe, ut ſcribit idem annaliſta Saxo ad annum 1105. *Denique literæ Paſchalis poſt concilium Trecenſe ſcriptæ, hanc de Moguntini ſuſpenſione ab officio, ſententiam in concilio latam indicant; cum in priſtinum illum reſtituat pontifex, precibus Conſtantienſis (quem forte antea abſolverat) permotus*, Tu, licet huc uſque horum præceptorum tranſgreſſor extiteris, tamen miſericorditer, perſonæ meæ (s. tuæ) officia agenda indulgemus. *Porro literas iſtas Paſchalis, utpote ad concilium Trecenſe utcumque ſpectantes, hic dare conſtitui, cui & adjeci ea de cauſa alias Paſchalis literas ad epiſcopum Halberſtadenſem, ſubjecta pariter epiſtola ejuſdem epiſcopi Halberſtadenſis, qua factum ſuum excuſans reſtitui poſtulat, & alias ad Adelgotum Magdeburgenſem.*

EPISTOLA PASCHALIS PAPÆ II.

Ad Rothardum archiepiſcopum Moguntinum.

Arguit eum de quibuſdam exceſſibus ab eo commiſſis, utque in poſterum ex ignorantia non erret, mittit ei quædam ex ſacris canonibus excerpta, atque ad preces quorundam prælatorum ipſi benigne indulget.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Rothardo Moguntino archiepiſc. ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Extat apud Marten. Vet. Mon. tom. I. pag. 616.

QUanto magis erga Romanam eccleſiam te hactenus obedientem fuiſſe, & pro ea multa aſſeris ſuſtinuiſſe, tanto in eam nunc gravius deliquiſſe comprobaris. Poſtquam enim ſancta Romana eccleſia materna ſuper te viſcera laxavit, & in ſuo te gremio miſericorditer ſuſcepit, vocatus ad concilium nec veniſti, nec canonicas excuſationes prætendiſti. Hildinisheimenſem publice criminoſum poſt ſynodicam prohibitionem officio reſtituiſti, in quibus magis homines, quam Deum offendere metuiſti, cum & apoſtolorum canones & plurimorum SS. præcepta contemnens ad inobedientiam te tranſtuliſti, quæ primum hominem de paradiſo expulit, & Saulem irrecuperabiliter re-

(*a*) Urſp. *laicorum*. (*b*) Hucuſque Urſp. ſequentia leguntur in Chron. Hildeshei. (*c*) Chron. Hildesheim. *Sententia*. (*d*) Chron. *Rbotardum*. (*e*) Hildesheim. addit: *ſine conſenſu eccleſiæ reſtituit*. (*f*) Hildeſ. *Guicbardo*. (*g*) Hucuſque Chron. Sequentia reſumit Urſperg. (*h*) Deſunt ſequentia in Urſperg. & in Chr. Hildesh.

regno privavit. Ne igitur in impoſitione manuum ulterius locum excuſandi per ignorantiam habere poſſis, ... & illum apoſtoli dicentis: nemini cito manus impoſueris, ne communices peccatis alienis; ex multis SS. Patrum conſtitutionibus quædam tibi ſcribere neceſſarium duximus.

ANNO CHRISTI 1107.

EX CANONIBUS APOSTOLORUM.

SI quis epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus, eccleſiam per ipſas obtineat, deponatur & ſegregetur, omneſque qui illi communicant.

ITEM EX CONCILIO ANTIOCHENO.

SI quis presbyter vel diaconus per ſæcularem dignitatem eccleſiam Domini obtinuerit, & ipſe & ordinator ejus a communione modis omnibus ſegregentur, & ſub anathemate ſint, ſicut Simon magus de Petro apoſtolo.

ITEM STEPHANUS MARTYR PONTIFEX.

LAicis quamvis religioſis nulla de eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur uſquam attributa facultas.

ITEM SYMMACHUS.

PRovida ſententia enervari convenit & in irritum deduci, ne in exemplum remaneat præſumendi, ne quibuslibet laicis quamvis religioſis vel potentibus, in quacumque civitate quolibet modo liceat aliquid decernere de eccleſiaſticis facultatibus, quas ſolis ſacerdotibus diſponendi a Deo cura commiſſa docetur.

Nos quoque ſanctorum canonum conſtitutiones ſequentes cum fratribus noſtris in Trecenſi concilio ſtatuimus, ut quicumque clericorum de hac hora inveſtituram eccleſiæ, vel eccleſiaſticæ dignitatis de manu laici acceperit, & qui ei manum impoſuerit, gradus ſui periculo ſubjaceat & communione privetur. Tu vero, frater venerande, licet nunc uſque horum præceptorum tranſgreſſor extiteris, tamen venerabilium fratrum noſtrorum Trevirenſis, Conſtantienſis, Bambergenſis epiſcoporum, Hirſaugienſis abbatis precibus inclinati, miſericorditer perſonæ meæ officia agenda indulgemus, ſi præterita corrigens horum præceptorum cuſtos, & obſervator extiteris. Alioquin nec in officiis tibi participabimus, nec precibus pro te fuſis aurem accommodamus.

EPISTOLA PASCHALIS PAPÆ II.

Ad Reinhardum epiſcopum Halberſtadenſem.

Arguit eum quod inveſtituram a manu laica acceperit, & petita ab eo interim negat.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Reinhardo Halberſtadenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid. p. 618. AD hoc in eccleſia Domini conſtituti ſumus, ut eccleſiæ ordinem, & patrum debeamus præcepta ſervare: tu vero eccleſiæ ordinem adeo exceſſiſti, ut eccleſiæ regimen per inveſtituram manus laicæ contra patrum decreta ſuſceperis. Quæ cauſa eſt, cur nos petitioni veſtræ ſatisfacere nequiverimus. Unde nos caritatem tuam monemus, ut tam grave delictum emendare feſtines. Statutum eſt in Trecenſi concilio ut, ſi quis ex manu laica eccleſiæ inveſtituram acceperit, tam ipſe quam ordinator ejus deponatur, & a communione removeatur. Nos ſiquidem te ut fratrem habere volumus, atque deſideramus.

ANNO CHRISTI 1107.

EPISTOLA REINHARDI

Epiſcopi Halberſtadenſis ad Paſchalem papam II.

Suſpenſus ab officio abſolutionem a ſummo pontifice humiliter petit, eo quod ipſius ignorans decretum, a laico inveſtituram illicite acceperit, excuſatque ſe quod propter temporum improbitatem ad eum nequeat accedere.

Paſchali Dei gratia papæ Reinhardus epiſcopus Halberſtadenſis eccleſiæ quidquid eſt, tam voluntariam, quam debitam in omnibus obedientiam.

Sanctitatis veſtræ literas nobis directas cum gratia & benedictione ſuſcipientes, non modicum gaviſi ſumus, quod me non meis meritis fratrem, & familiarem veſtrum vocare voluiſtis, in quibus etiam ſuperabundantiorem erga me veſtræ paternitatis affectum cognovi, quod ignorantiæ meæ delictum me ſcire feciſtis, & quod injuſtitias meas non abſcondiſtis. Boni enim patris eſt corripere filium quem diligit: & flagellare omnem quem recipit. Huic tantæ lætitiæ noſtræ ſerenitati nebula triſtitiæ per quoſdam obducta eſt, dicentes a veſtra mihi beatitudine prohibitas eſſe clericorum ordinationes. Pro quibus verbis cum ad deſiderabilem veſtri præſentiam fratres dirigeremus, & in reditu ipſorum me non deſtitutum audiſſem, obedientiæ manus dedi, quia melior eſt obedientia, quam victima, & quia paſtoris ſententia gregi timenda eſt; ita me pedibus veſtris ſubjicio, quaſi vocatus ad concilium non venerim, & ideo ſuſpenſus ab officio ſim, cum nec, ut veſtræ literæ teſtantur, evocatus fuerim, & quando vel ubi ſuſpenſus fuerim, penitus ignoraverim. Ordinationem vero noſtram, teſte & poſtulante eadem quæ præſens erat eccleſia noſtra, a metropolitano in ſede ſua factam manifeſtum eſt; ſed innocentia plerumque non liberat, cum ſententiam judicis ignorantia, vel dilatio, vel aliqua ſuggeſtio errare coegerit. Porro de inveſtitura quam ante decreti veſtri ſententiam ignorans, & illicite ſuſcepi, quia ſecundo jam veniam petii, & non accepi; quæſivi & non inveni; tertio nunc pulſabo, ut quod neceſſe habeo ſaltem improbitate mea obtineam. Certus ſum enim, quod nunquam obliviſcetur miſereri qui in B. Petro diſcit qualiter aliis ignoſcere debeat. Nuſquam enim, ut ait B. Auguſtinus ita vigere debent viſcera miſericordiæ, quam in catholica eccleſia, ut tanquam vera mater, nec peccantibus filiis ſuperbe inſultet, nec difficile correctis ignoſcat; cum ipſum B. Petrum poſt negationem & pravam ſimulationem correptum materno ſinu receperit. Quod autem modo ſicut voluimus & diſpoſuimus aſpectui veſtro præſentari non poſſumus, cauſa eſt inſtantis nequitiæ, & perturbatio temporis, quæ maxime noſtris graſſatur in partibus.

Ibid. p. 619.

EPISTOLA PASCHALIS II.

ANNO CHRISTI 1107.

ad Adelgotum Magedaburgenſem archiepiſcopum.

Citat eum ad ſedem apoſtolicam de exceſſu commiſſo rationem redditurum.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei Adelgoto (a) Magedaburgenſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ibid., p. 610. QUanto te amplius diligimus, tanto de tuo exceſſu vehementius miramur, quod poſt A ſynodalis mandati celebrationem, primus prævaricationem incurriſſe conſpiceris, cujus prævaricationis correptio alias non poſſe fieri credimus, niſi per te ipſum ad præſentiam apoſtolicæ ſedis acceſſeris. Tuam ergo dilectionem literis præſentibus prænonemus, ut opportuno quod tibi viſum fuerit, tempore noſtro te ſtatuas conſpectui præſentare, quatenus quod in te vulneratum eſt, per omnipotentis Dei miſericordiam apoſtolicæ ſedis ſanetur antidoto. ANNO CHRISTI 1107.

CONCILII TRECENSIS CANONES.

Dedit Martene to. VII. Vet. Mon. pag. 270. ex MSS. Germani a Pratis.

I. QUi ab hac hora inveſtituram epiſcopalem, ſeu aliquam ſpiritalem dignitatem a laicali manu ſuſceperit, ſi ordinatus fuerit, deponatur, ſimul & ordinator ejus.

II. Decani quos nos vocamus archipresbyteros, niſi adepto presbyteratus ordine, non ſint: ſi autem fuerint, beneficio, & dignitate priventur, quouſque ordinem adipiſcantur, & tunc, ſi digni ſunt, reſtituantur.

III. Archidiaconi, niſi adepto diaconatus ordine, non ſint; ſi autem non fuerint, ſecundum ſententiam de Archipresbyteris datam judicentur.

IV De uxoratis, ſacerdotibus, ſive concubinariis, niſi ceſſaverint; ut ab alitari moveantur, ſimul & de choro ſegregentur, præcipiendo mandamus. Quod ſi nec tunc ceſſaverint, procul a liminibus eccleſiæ arceantur, nec ipſa laicali communione fruantur. Idem quoque de diaconibus ſtatuimus.

Canonem alium exhibet Paſchalis in epiſtola XLIX. ad abbatem S. Pontii.

Nos vero in concilio quod apud Trecas celebravimus, ſanctorum Patrum decreta ſequentes tam epiſcopis, quam abbatibus & clericis cæteris interdiximus, nec ulterius excommunicatos vel interdictos ab alio in ſua parochia reciperent.

In hoc pariter concilio agitata lis eſt de cella S. Dionyſii de Nongento, quam a Cluniacenſibus ſibi uſurpatam contendebant S. Petri Carnotenſis monachi. Cauſam vicerunt Cluniacenſes, ut Paſchalis in epiſtola LXXI. ad Hugonem Cluniacenſem teſtatur. Huc etiam pertinet quæ anonymus in hiſtoria brevi epiſcoporum Virdunenſium in Dacher. Spicileg. tom. II. pag. 247. nov. edit. tradit, his verbis: *Interim Paſchalis papa Trecas Franciæ ſynodum tenuit, ubi inter alia cum ageret de Guibertinis, fertur dixiſſe: Richardum Virdunenſem, qui ſe tradidit regiæ curiæ, & nos tradimus eum Satanæ; inde archiepiſcopo Treverorum, aliiſque denuntiavit eum excommunicatum.*

Denique de concilio hoc Trecenſi ſermonem feciſſe credo Lambertum Atrebatenſem epiſcopum in epiſtola ad Paſchalem papam legenda in codice epiſtolarum ejus num. 135. vulgato a Baluzio Miſcell. to. V. pag. 366. In ea etenim hæc leguntur de concilio Treceſi. *De Parochianis noſtris* (eccleſiæ Atrebatenſi ſubjectis) *circa cellam Sancti Martini commanentibus cauſa habita fuit in Trecenſi concilio præcepto veſtro coram cardinalibus, & epiſcopis Morinenſi, Ambianenſi, Pariſienſi, aliiſque religioſis & ſynodalibus perſonis, & ibi ab eis judicatum fuit ut presbyter S. Martini in die ſancto Paſchæ, Pentecoſtes, & Natale Domini, quia nullam curam per epiſcopum gerit in populo, prædictis parochianis ſacramenta corporis & ſanguinis Domini nequaquam dare præſumat, nec oblationem eorum ſuſcipiat. Per cæteros autem dies anni, ſi quis ſpontaneas oblationes ei conferre voluerit, non contradicimus, ſi tamen excommunicatus non fuerit. Sed & judicatum eſt, ut presbyter S. Mariæ matricis eccleſiæ, qui cham eorum per epiſcopum gerit, & confeſſionem ſuſcipit, & omnem parochialem ſolicitudinem gerit, ſacramenta etiam corporis & ſanguinis Domini in diebus prædictis eiſdem parochianis traderet, &c.*

LIN-

(a) Hunc genere comitem de Loe tradunt annales Paderbonenſes, virum magna in pauperes liberalitate, & in Deum religione, decus Saxoniæ, ob conſtantiam erga ſedem apoſtolicam: mortem obiit an. 1119. MARTENE.

ANNO CHRISTI 1107.

LINGONENSIS SYNODUS DIOECESANA.

In qua lis quædam de eccleſiæ poſſeſſione æquo jure abſolvitur, Anno 1107. *habita.*

Ibid. p. 237. *IN efferendis ſynodis Diœceſanis quanquam adeo diligentem me non præſto, cur tamen hanc præterundam non duxerim, ratio ſuaſit. Fit enim in illis Trecenſis concilii a Paſchali papa habiti mentio, latumque in eo judicium retinetur.*

PLACITUM DE ECCLESIA S. COLUMBÆ

Inter Milidunenſes canonicos & S. Michaelis monachos.

Extat Gall. Chriſtian. IV Pag. 113. Ap. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Rerum præteritarum notitia plerumque dilabitur ab hominum memoria, ubi deeſt ſcriptorum copia. Res equidem geſtæ, ubi ſcribentis reperiunt manum, non obnubilantur per temporum vetuſtatem, immo renovantur per legentium mentionem. Unde poſteris noſtris ſcribere curamus, qualiter canonici S. Mariæ Milidunenſis eccleſiæ calumniam fecerint eccleſiæ S. Michaelis monachis tunc temporis abbate carentibus ſuper eccleſiam S. Columbæ, quam monachi ipſi habebant a bonæ memoriæ Rainardo Lingonienſi epiſcopo; ſiquidem eccleſiam illam S. Columbæ reverendus ipſe pontifex Rainardus ad ſupplementum victus fratrum in eccleſia S. Michaelis degentium contulerat, & in ſynodo ſua laudantibus archidiaconibus ſuis & decanis ſcriptum exinde monachis ipſis fecerat. Canonici porro illi Milidunenſes videntes eccleſiam S. Michaelis paſtore vacantem, tempore domni Roberti præſulis, multiſque perſecutionibus oppreſſam, nacta occaſione, de eccleſia S. Columbæ ſe inveſtierunt. Quam injuriam domnus Guido abbas noſter jam in eccleſiam noſtram reverſus, non ferens, præſentiam domni Roberti pontificis adiit, de eccleſia illa male ſublata clamavit: at venerabilis ille pontifex diem ſuper hoc negotio utriſque denominavit in ſynodo ſua. Venerunt itaque tam monachi quam canonici, monachis tricenariam poſſeſſionem ſcripto monſtrantibus abſque ſynodali proclamatione, & canonicis in hac re deficientibus, judicavit ſynodus debere eccleſiam illam S. Columbæ abbati reddi. Itaque propitiante Deo domnus abbas Guido eccleſiam ſuam recepit, & ne ſubterfugiſſe judicium videretur, ex hoc in Trecaſſino concilio, quod in eodem anno domnus Paſchalis papa celebravit, ſe præſentavit, & quiete eccleſiam ſuam reportavit. Judicium de tricenaria poſſeſſione, per quod ipſam eccleſiam recepimus, fecerunt hi, Guilencus archidiaconus, Gamerius archidiaconus, Jocerannus archidiaconus, Theodericus canonicus, Rotdulfus canonicus, abbas Jarauto Divionenſis cum priore ſuo Gotfrido, abbas Rothertus Moliſmenſis, abbas Bernardus S. Joannis. Amalricus decanus non interfuit, quia abbati Guidoni teſtimonium perhibuit de dono, & de tricenaria poſſeſſione. Joſcelinus archidiaconus non interfuit, quia chartam donationis monachis ſcripſerat, & de poſſeſſione teſtis erat. Actum eſt Lingonis in ſynodo domni Rotherti præſulis anno Domini MCVI. regnante Philippo Rege & filio ejus Ludovico deſignato rege, & Guillelmo Rainardi filio comite exiſtente noſtro.

LESTATENSIS SYNODUS

A Paſchali II. Papa anno 1107. *celebrata.*

Ibid. p. 238. LEſtatæ, alio nomine Liptinæ locus eſt in diœceſi Cameracenſi, quo Paſchalem II. papam in ſuo ad Gallias itinere veniſſe, ibidemque ſynodum celebraſſe plane ignoraremus, niſi rem nobis prodidiſſet auctor vetuſtus hiſtoriæ epiſcoporum Virdunenſium, narrans Richerum Virdunenſem *allodia* quædam ſoluta pecunia Godefrido Gibboſo Mathildæ comitiſſæ conjugi eccleſiæ ſuæ acquiſiviſſe, quæ cum poſt viri obitum Mathildis ſibi repoſceret, ille nova collata pecunia *primo, ait a Leſtatenſi ſynodo per legatos ſuos Gerberium abbatem & Azelinum cantorem redemit, & ab omni exactionis nodo libera Paſchalis papa in eadem ſynodo ſub anathemate; itemque Richerius pontifex in ſua ſede iterata ſimili excommunicatione in eum quicumque auferre tentaret, ea Virdunenſi eccleſiæ in perpetuum confirmavit.* Nec plura de iſto concilio.

PLACENTINA SYNODUS

In qua Auguſtanus epiſcopus in gratiam eccleſiæ admiſſus eſt anno forte 1107. celebrata.

Ibid. p. 239. HErmannum epiſcopum ſuum multorum criminum reum ante Paſchalem papam in Guaſtallenſi anni 1106. concilio Auguſtani cives poſtulaverant. Quibus a pontifice auditis, ſuſpenſum illum ab officio pronunciavit, termino interim præſtituto Kalendarum Novembris, ut ſe coram pontifice purgaret. Has Novembris Kalendas non quidem anni illius deſignatas arbitror, ſed anni ſequentis, nam ex literis Paſchalis in appendice ad acta concilii Guaſtallenſis, ubi & ſuperiora omnia extant, legendis, conſtat, pontificem anno ſequenti die VIII. idus Februarii, quo literæ illæ ſignantur, conſtitutum terminum adhuc expectaſſe: *nos tamen conſtitutum terminum expectamus*: Quem exitum cauſa habuerit adhuc ignoraremus, niſi Udalricus Bambergenſis in ſuo codi-

codice num. CCCXXIII. ſervaſſet nobis epiſto- A
lam Calliſti II. pontificis, ex qua diſcere licet
ANNO CHRISTI 1107. Herimannum in gratiam eccleſiæ, *in conventu Placentiæ*, a Paſchali habito, rediiſſe. Scimus equidem Paſchalem Novembri menſe anno 1106. in ea urbe egiſſe, ubi bullam ſignavit apud Labbeum tom. XII. pag. 1041. ſed ex literis ſupra laudatis diſcimus, ne anno quidem 1107. ineunte Hermanni cauſam definiſſe. Quare conventus iſte in alium Paſchalis adventum Placentiam referendus eſt, ac ſequenti forte anno in ſuo ex Gallia reditu eo excurrit. Utut res ſeſe habeat, Placentinum conventum, ſeu concilium habemus B
ex epiſtola ſequenti Calliſti Papæ.

CALLISTI II. PAPÆ EPISTOLA

*Ad E. * Saltzburgenſem archiepiſcopum.*

ANNO CHRISTI 1107.

* legendum forte C. eodem.

C. Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri E. Saltzburgenſi archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

FRater iſte prætientium lator, A. presbyter, apoſtolicæ ſedis clementiam adiens, ſe ab Auguſtenſi epiſcopo retulit ordinatum, cum idem epiſcopus prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Paſchale papa Romanæ fuiſſet eccleſiæ gratiam in conventu celebrato Placentiæ conſecutus. Quia ergo miſericordiam juſte petentibus indulgentiam negare non convenit, ſi poſtulatio ejus veritatis nititur ratione, ipſum in ordine ſuo & recipias & ſacerdotalis officii miniſterio ſine inquietudine fungi concedas.

Datum Laterani VIII. Kalend. Februarii.

CONCILIUM AD PONTEM DE SORGA

In quo Berengarius Arauſicenſis epiſcopus conſtituitur, Anno 1107. habitum.

Ibid. p 140. *DEcreverat Urban. II. conſtitutione ſua edita an.* C
1095. ut moriente Guillelmo epiſcopo Arauſicano eccleſia illa ad Tricaſtinam rediret; veteri jure id contendentibus Tricaſtinis. Ooeunte igitur eodem Guilleimo Paſchalis papa exequutionem decreti prædeceſſoris ſui urgehat, & aliquandiu eadem in re inſtitit. Tandem exorari ſe permiſit a clericis Arauſicanis, conceſſitque ut habito ad pontem Sorgæ a Richardo Albanenſi epiſcopo A. S. I. cum Gibelino Arelatenſi Metropolitano, aliisque epiſcopis concilio electio illa Arauſicenſis epiſcopi perficeretur. En decretum ejuſdem concilii, quo Berengarius S. Rufi canonicus in eam ſedem adſcitus fuit. Extat vero illud in Gallia Chriſtiana nov. edit. tom. I. pag. 131. append.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. D
Notum ſit omnibus tam futuris, quam præſentibus, quod Arauſicenſes cleri ci præſentiam domini papæ Paſchalis humiliter adierunt, & ut eccleſiam Arauſicenſem a conjunctione Tricaſtinæ, cui pro neceſſitate temporum fuerat conjuncta, liberaret, & ceſſante tandem neceſſitate, & gratia divina ſuperveniente, eis proprium epiſcopum donaret, eum rogaverunt. Quorum precibus Dominus papa Paſchalis motus, Richardo Albanenſi epiſcopo, atque ſuo vicario præcepit, quatenus quando conventum epiſcoporum apud pontem de Sorga haberet, Arelatenſem metropolitam cum ſuis ſuffraganeis, & Vivarienſem epiſcopum de hac re conſuleret; & quicquid ipſi de hac re laudarent, ipſe faceret. Secundum igitur domini papæ præceptum, atque metropolitani Arelatenſis, & ſuorum ſuffraganeorum, Vivarienſiſque epiſcopi conſilium prædictus Albanenſis epiſcopus Arauſicenſis eccleſiæ cauſam definivit, & Arauſicenſibus clericis eligendi proprii epiſcopi libertatem tradidit. Hac itaque auctoritate ſuffulti, & canonica ratione muniti elegerunt Berengarium virum ſcientia, moribus, genere, & ætate ſatis ornatum, S. Rufi canonicum, in præſentia Albanenſis epiſcopi, & Gibelini Arelatenſis archiepiſcopi, & Leodegarii Vivarienſis epiſcopi, & Leberti abbatis S. Rufi, omniumque epiſcoporum & clericorum, & laicorum, qui ibidem aderant, aſſentiente Geraldo Adhemario Arauſicæ principe, cum totius populi Arauſicenſis concione. Ego Richardus Albanenſis epiſcopus ſignavi. Ego Gibelinus Arelatenſis archiepiſcopus ſignavi. Atbertus Avenionenſis epiſcopus laudavi. Lebertus abbas S. Rufi laudavi.

CONCILIUM LONDINENSE,

SUB PASCHALI II. PAPA SECUNDUM,

De inveſtitura a laicis non accipienda, celebratum Kal. Maii anno Domini MCVII.

G. C. *Binius ex Matthæo Pariſio, & Rogero de* E
Hoveden, hujus concilii geſta deſcribit: de quo iiſdem fere verbis uterque loquitur, quia ex Eadmero uterque illa deſcripſerat. Prætermiſſis itaque, & Pariſio & Hovedeno, unum hic proferam Eadmerum, verum inſpectorem, & ab Anſelmo individuum. Cujus verba cum afferam, & habebis plura quam quæ Binius ex iſtis deprompſerat: nec eadem deſiderabis, cum nihil iſti habeant, quod ex Eadmero ad verbum non tranſcripſerint.

Eadmerus igitur, hiſtoriæ Novorum lib. IV. *dum res anni* MCVII. *deſcribit*: In Kalendis, *inquit*, Auguſti conventus omnium epiſcoporum, abbatum, & procerum regni, Lundoniæ in palatium regis factus eſt. Et per tres continuos dies, abſente Anſelmo, inter regem & epiſcopos ſatis actum de eccleſiarum inveſtituris: quibuſdam ad hoc nitentibus, ut rex eas faceret more patris & fratris ſui, non juxta præceptum & obedientiam Apoſtolici. Nam Paſchalis papa, in ſententia

quæ

ANNO CHRISTI 1107.

quæ exinde promulgata fuerat firmus ſtans, conceſſerat hominia quæ Urbanus papa æque ut inveſtituras interdixerat: ac per hoc regem ſibi de inveſtituris conſentaneum fecerat: ut ex epiſtola *quam ſupra deſcripſimus, colligi poteſt.

*Quam ſupra.

Dehinc præſente Anſelmo, aſſtante multitudine, annuit rex, & ſtatuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per donationem baculi paſtoralis vel annuli quiſquam de epiſcopatu vel abbatia per regem vel quamlibet laicam manum inveſtiretur in Anglia: concedente quoque Anſelmo, ut nullus in prælationem electus, pro hominio quod regi faceret, conſecratione ſuſcepti honoris privaretur.

Inter iſta cœpit Anſelmus coram rege, regnique epiſcopis atque principibus, exigere a Gerardo archiepiſcopo Eboracenſi, profeſſionem de ſua obedientia & ſubjectione, quam non fecerat ex quo de epiſcopatu Herefordenſi in archiepiſcopatum Eboracenſem, ut ſupra meminimus, translatus fuerat. Ad quæ cum rex ipſe diceret ſibi quidem non videri neceſſe eſſe, ut profeſſioni quam ordinationis ſuæ tempore Gerardus fecerat, aliam ſuperadderet; præſertim cum, licet eccleſiam mutaverit, idem tamen qui fuerat in perſona permanſerit, nec a prima profeſſione abſolutus extiterit: Anſelmus, in præſenti quidem regiis verbis adquievit, ea conditione, ut Gerardus in manum ſibi daret ſe eandem ſubjectionem in archiepiſcopatu ei ſervaturum, quam in epiſcopatu profeſſus fuerat. Annuit Gerardus, & ſua manu impoſita manui Anſelmi, interpoſita fide ſua, pollicitus eſt ſe eamdem ſubjectionem & obedientiam ipſi & ſucceſſoribus ſuis in archiepiſcopatu exhibiturum, quam Herefordenſi eccleſiæ ab eo ſacrandus Antiſtes promiſerat.

ANNO CHRISTI 1107.

Exin ſtatutum eſt, ut qui ad epiſcopatum electi erant, Cantuariam irent, & ibi dignitatis ipſius benedictionem ex more ſuſciperent.

G. C. Binius Londinenſe concilium unum anni MC. in duo diviſerat, ut eo loci admonuimus: nunc Londinenſia duo, annorum MCVII. & MCVIII. in unum conflat: & utrumque anno MCVIII. tribuit; cum Eadmerum legenti certum ſit, hoc quod inveſtituras ſpectat, anno MCVII. celebratum fuiſſe; alterum vero, quod clericos incontinentes, anno MCVIII.

ANNO CHRISTI 1108.

CONCILIUM LONDINENSE

ANNO CHRISTI 1108.

SUB PASCHALI II. TERTIUM,

Adverſus incontinentes presbyteros, diaconos, ſubdiaconos, canonicos, celebratum anno MCVIII. in ſolemnitate Pentecoſtes.

IBidem *Eadmerus*: Incontinentiæ crimen, *inquit*, rex ſubvertere cupiens, adunatis ad curam ſuam, in ſolemnitate Pentecoſtes, apud Lundoniam cunctis majoribus regni, de negotio cum Anſelmo archiepiſcopo, & cæteris epiſcopis Angliæ tractavit; eoſque, ad malum illud extirpandum, regali auctoritate atque potentia fultos roboravit. Unde Anſelmus archiepiſcopus Cantuarienſis, & Thomas electus archiepiſcopus Eboracenſis, & omnes alii Angliæ epiſcopi, ſtatuerunt in præſentia ejuſdem glorioſi regis Henrici, aſſenſu omnium baronum ſuorum.

I.

Ut presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, caſte vivant, & feminas in domibus ſuis non habeant, præter proxima conſanguinitate ſibi junctas, ſecundum hoc quod ſancta ſynodus Nicæna definivit.

II.

Illi vero presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, qui poſt interdictum Londonienſis concilii feminas ſuas tenuerunt, vel alias duxerunt, ſi amplius Miſſas celebrare voluerint, eas omnino a ſe ſic faciant alienas, ut nec illæ in domos eorum, nec ipſi in domos earum ingrediantur: ſed nec in aliqua domo ſcienter conveniant; neque hujuſmodi feminæ in territorio eccleſiæ habitent.

III.

Si autem propter aliquam honeſtam cauſam eos colloqui oporteat, cum duobus ad minus legitimis teſtibus extra domum colloquantur.

IV.

Si vero in duobus aut tribus legitimis teſtibus, vel publica parochianorum fama aliquis eorum accuſatus fuerit, quod hoc ſtatutum violaverit: purgabit ſe adductis ſecum ordinis ſui idoneis teſtibus ſex, ſi presbyter fuerit: * quinque, ſi diaconus; quatuor, ſi ſubdiaconus. Cui autem hæc purgatio defecerit, ut tranſgreſſor ſacri ſtatuti judicabitur.

*al quatuor, ſi diaconus; duobus, & ſubdiacono.

V.

Illi autem presbyteri, qui divini altaris, & ſacrorum ordinum contemptores, prælegerint cum mulieribus habitare: a divino officio remoti, & omni eccleſiaſtico beneficio privati, extra chorum ponantur; infames pronuntiati.

VI.

Qui vero rebellis & contemptor, feminam ſuam non reliquerit, & Miſſam celebrare præſumpſerit: vocatus ad ſatisfactionem, ſi neglexerit, octavo die excommunicetur.

VII.

Eadem ſententia archidiaconos & canonicos omnes complectitur, tam de mulieribus relinquendis, quam de vitanda earum cohabitatione, & de diſtrictione cenſuræ, ſi ſtatuta tranſgreſſi fuerint.

VIII.

Jurabunt inſuper archidiaconi omnes, quod pecuniam non accipient pro toleranda tranſgreſſione hujus ſtatuti, nec tolerabunt presbyteros, quos ſciunt feminas habere, cantare, vel vicarios habere. Similiter & decani hæc eadem per omnia jurabunt. Qui vero archidiaconus, vel decanus, hæc jurare noluerit, archidiaconatum, vel decanatum irrecuperabiliter perdet.

IX.

Presbyteri vero, qui, reliſtis mulieribus, Deo & ſacris altaribus ſervire elegerint, quadraginta dies pro tranſgreſſione præfati concilii ab officio ceſſantes, pro ſe interim vicarios habebunt, injuncta eis pœnitentia, ſecundum quod epiſcopis eorum viſum fuerit.

X.

Omnia vero mobilia lapſorum poſthac presbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorum, & canonico-

ANNO CHRISTI 1108.

corum, tradantur episcopis, & concubinæ cum rebus suis, velut adulteræ.

G. C. Canones ea forma edidi, qua sunt apud Florentium Vigornienſem, & Rogerium de Hoveden: ut primo concepti videntur. Nam Eadmerus mutavit in iis verborum tempora, eos ut historicæ narrationi accommodaret. Cætera enim sunt ubique fere similes. Postremus apud Eadmerum tantum extat. In canonibus cæteris plurimum idem profuit. Eum enim, si temporum illas mutationes exceperis, sequi amavimus.

ANNO CHRISTI 1108.

CONCILIUM BENEVENTANUM I.

De investitura beneficiorum ecclesiasticorum a laicis non sumenda, anno Domini MCVIII. tempore Paschalis papæ II.

Collector chronici Cassinensis, lib. 4. c. 35. de rebus in hac synodo gestis ait ista quæ sequuntur: Mense autem Octobrio advenit hic idem apostolicus, adjunctoque sibi abbate nostro, Beneventum celebrandæ illic synodi causa perrexit. In qua prædecessorum vestigia secutus, constituit; ut si quis ecclesiastica beneficia de manu laicorum acciperet, uterque communione privaretur, & qui scilicet daret, & qui acciperet, Vestimenta sæcularia & pretiosa reprehendit, & iis uti clericos vetuit.

Cum autem Capuam advenisset, rogatus ab eodem abbate Brunone, ecclesiam S. Benedicti, quam Desiderius abbas intra eamdem civitatem renovaverat, solemniter dedicavit. In qua etiam de vestimentis sanctissimi patris Benedicti recondidit. Sicque ad hoc monasterium Cassinense veniens, reversus est Romam, *hucusque Petrus. In chronico autem monasterii sancti Vincentii ad fontes Vulturni posiți, a Joanne ejusdem monasterii monacho scripto, mentio habetur, quod, dum his regionibus idem Paschalis pontifex versaretur, invisit ipsum S. Vincentii celebre monasterium: ubi cum comperisset ab eodem quoque monacho Joanne scribi cœptam historiam ecclesiasticam, laudavit ejus studium pontifex, &. cum laudasset, amplexatus eum hæc adjecit:* Bene, *inquit*, o fili, magnum opus cœpisti, sed bene cœpta melius prosequi stude. *Hæcque præsente Benedicto ejus monasterii abbate, ad quem idem auctor Joannes nuncupatoriam scripsit epistolam. Laudatum quoque idem tradit cœptum opus a Joanne cancellario, qui postea Paschali in pontificatu succedens, dictus est Gelasius papa secundus: hæcque omnia in dicto chronico scripta leguntur.*

CONCILIUM ROTOMAGENSE,

De necessariis ecclesiæ rebus, ann. Dom. MCVIII.

Anno ab Incarnatione Domini MCVIII. Indict. 1. Guillelmus archiepiscopus concilium præsulum & abbatum Rotomagi congregavit, & de necessariis ecclesiæ rebus cum suffraganeis suis per aliquot dies tractavit. *Hæc Ordericus Vitalis, lib.* VIII.

SYNODUS APUD CAPI-CASTELLUM,

In qua concordia statuitur inter Canonicos Tornacenses & Monachos S. Martini.

Ex Balutii Miscell. tom. 3. p. 371.

In nomine unius veri ac summi Dei patris & filii & spiritus sancti Amen. Ego Lambertus sanctæ Attrebatensis Ecclesiæ Presbyter humilis rogatus a dilectis in Christo fratribus sanctæ Turnacensis Ecclesiæ filiis ut eis de querimonia inter eos & monachos sancti Martini in suburbio constituto habita scriptum faceremus, quatenus eorum causa definita in posterum munirentur. Nos vero considerantes eorum petitionem honestam esse & quod sapienter sibi & paci Ecclesiarum providerent & consulerent, libenter eam suscepimus finiendam. Qualiter autem negotium istud tractandum nobis impositum fuerit non fastidiosis auditoribus sed benevolis lectoribus insinuare caritatis studio non refugimus. Domnus itaque Paschalis secundus litteras ab apostolica sede mihi & venerabili Morinorum Episcopo Johanni direxit; in quibus nobis injunxit ut Canonicis sanctæ Turnacensis Ecclesiæ & monachis sancti Martini Turnacensis monasterii locum competentem constitueremus, ubi querimoniam eorum diu & vehementer exagitatam, diligenter examinatam, penitus decidere studeremus, & remota appellatione debitum illi finem imponeremus, ut nullus deinceps per Dei gratiam huic querimoniæ locus relinqueretur. Nos ergo tanta auctoritate constricti & edocti, tandem largiente Domino in pago Viromandensi & episcopatu Noviomensi, apud Capi-castellum in Ecclesia sancti Medardi glorioſi confessoris Christi XVI. Kalend. Augusti convenimus; ibique in præsentia Episcoporum, Archidiaconorum, Abbatum, & religiosorum clericorum, primo omnium prædicabiliter & multum studiose rogavimus Canonicos Turnacenses & monachos, optionemque eis dedimus quatinus, sicut filii dilectionis, & quorum conversatio in cælis esse debet, si contra sacros canones & statuta patrum alter alterius reprehensibiliter res usurpassent, pro Dei timore suaque salvatione omnino dimitterent. Ubi cum nihil perfecissemus, audita querimonia Canonicorum & responso monachorum, rursum commonefecimus eos nec tam damnose animabus contentioni diutius inservirent,

sed

ANNO CHRISTI 1108.

ſed fraternam potius & Chriſtianæ perfectionis pacem inter ſe componere ſtuderent. Cum autem ad integrum nos audire noluiſſent, ſeceſſimus in partem, & accepto conſilio venerabilium fratrum, capitulum etiam B. Petri præ manibus habentes quod dedit in conſpectu totius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in die ordinationis S. Clementis: *Si quis ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non judicentur, ſed apud Presbyteros Eccleſiæ quicquid illud eſt dirimatur, & summo obediant ſtatuto eorum*: & illud B. Pauli Apoſtoli: *In promptu habemus ulciſci omnem inobedientiam*, & rurſum in conventu reſidentes & prædictorum Apoſtolorum auctoritatibus præmuniti, domni quoque Paſchalis Papæ præcepto inſtructi, huic tam perniciosæ & amaræ altercationi talem impoſuimus finem paci & concordiæ atque indulgentiæ congruentem, quatenus monachi hortum ſuum & quod in horto excolerent abſque reclamatione & alicujus dominationis redhibitione poſſiderent; excepto ſi olera horti vel fructus arborum & cætera hortularia venundarentur, tunc de venalibus decimum Canonicis darent. Decimam vero fabarum, leguminum, & frugum, ovium quoque & porcorum & animalium de parochia ſanctæ Turnacenſis Eccleſiæ Canonicis pacifice & abſque omni retractatione darent. Sepulturam vero monachis & eorum converſis liberam Canonici conceſſere hac conditione interpoſita ut nullum de parochia Turnacenſi, nullum de Canonicorum parochianis propriis, nullum etiam de paribus & caſatis Epiſcopi, nullum vero de paribus & caſatis pertinentibus ſive ad urbem ſive ad caſtellum aliquo modo monachi præſumerent in ſuo cimiterio ſepelire niſi permiſſu & licentia Canonicorum. Hanc autem pacis modificationem auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & domni Paſchalis Papæ & noſtri conventus alterutrum firmiter tenendam ſtatuimus. Et ſi quis eam qualibet occaſione deinceps perturbaret, & iram Dei omnipotentis incurreret & gratiam Apoſtolorum Petri & Pauli amitteret & canonum ſeveritati ſicut reus & infamis ſubjaceret quoadusque pro tanto commiſſo dignos pœnitentiæ fructus faceret. Ut autem hoc noſtrum conſtitutum perenni tempore ſtabile & inconvulſum permaneat, teſtes idoneos & fideles in quorum præſentia datum eſt annotare procuravimus. Domnus Johannes Morinorum Epiſcopus interfuit & huic inſtituto aſſenſit. Domnus Baldricus Noviomenſium & Turnacenſium Epiſcopus interfuit & huic inſtituto aſſenſit. Domnus Odo Cameracenſis Epiſcopus interfuit & huic inſtituto aſſenſit. Claremboldus Atrebatenſis Archidiaconus, Robertus Oſtrevandenſis Archidiaconus, Henricus ſancti Vedaſti Atrebatenſis Abbas, Albertus Haſnonienſis, Fulcardus Marcianenſis, Richardus de Monte ſancti Eligii, Cono Presbyter de Arida Gamantia de titulo ſanctæ Trinitatis, item Odo religioſus eremita & Presbyter de Arida Gamantia de titulo ſanctæ Mariæ ſemper virginis dominæ noſtræ. Canonici & Presbyteri de ſede pontificali, Odo Præpoſitus & Presbyter, Anaſtaſius Cantor & Presbyter, Rotgerus Presbyter, Balduinus Presbyter, Drogo Oeconomus, Gualterus Duacenſis, Hugo filius Balduini, Gerardus Decanus de caſtello ſancti Vedaſti, Adſo Presbyter de Berthunia, Hugo Præpoſitus de Berthunia, Balduinus Decanus de ſancto Albino, Adam Presbyter de eodem titulo, Honoratus Presbyter de domno Medardo. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus interfui & huic prædicto inſtituto aſſenſi, & ut in memoriam teneatur, ſcripto & meæ humilitatis ſigillo ſignari feci. Actum apud Capi in Eccleſia ſancti Medardi glorioſi confeſſoris & Epiſcopi XVI. Kal. Auguſti indictione I. incarnationis dominicæ anno MCVIII. pontificatus autem domni Paſchalis II. Papæ nono.

ANNO CHRISTI 1109.

CONCILIUM LONDINENSE,

SUB PASCHALI II. QUARTUM,

In cauſa Thomæ archiepiſcopi Eboracenſis electi, ann. dom. MCIX. paulo poſt Pentecoſten,

G. C. *Thomam archiepiſcopum Eboracenſem electum conſecrare Anſelmus recuſaverat, donec ſibi primati legitimam obedientiæ profeſſionem exhibiſſet. Cum diu tergiverſatus eſſet Thomas: prohibuit tandem omnibus Britanniæ epiſcopis, intentato anathemate, ne quis eorum Thomam ordinaret. Interim mortuo Anſelmo* XI. *Kal. Maii, anno* MCIX. *quid actum hac in cauſa ſit in epiſcoporum conventu, & qua conditione conſecratus Thomas, Eadmerus narrat, hiſt. Novor. lib.* IV. *ſed prius juvat hoc nonnullas S. Anſelmi ea de re litteras edere.*

S. Anſelmi Cantuarienſis, ad Arnulfum Dunelmenſem epiſcopum.

Vetat ne Ranulfus auctoritate Thomæ Eboracenſis archiepiſcopi nondum conſecrati, electum S. Andreæ in Scotia epiſcopum conſecret.

Non extat in tribus libris epiſtolarum S. Anſelmi, ſed tantum apud Eadmerum.

Anſelmus archiepiſcopus Cantuariæ, Ranulfo epiſcopo Dunelmenſi ſalutem.

MAndaſtis mihi per quendam militem Scotlandum nomine, quod volebatis ut electus epiſcopus * eccleſiæ S. Andreæ de Scotia ſacraretur, & hoc volebatis fieri meo conſilio & mea conceſſione. Sed hoc nec debet, nec poteſt canonice fieri ab electo * archiepiſcopo, nec ab alio per illum, priuſquam ipſe fiat archiepiſcopus canonica conſecratione. Quapropter nec conſulo, nec concedo, immo interdico, ne fiat ante conſecrationem ejuſdem electi archiepiſcopi, niſi a me, ſi forte hoc neceſſitas exegerit. Vale.

* *Turgodus nomine*

* *Thomæ archiepiſcopo Eboracenſi electo.*

G. C. *Ex Eadmeri lib.* IV. *hiſt. Novorum.* Ranulfus Dunelmenſis epiſcopus proponit Turgodum, electum S. Andreæ in Scotia epiſcopum, in præſentia ipſius Thomæ (*Eboracenſis archiepiſcopi electi, necdum conſecrati*) apud Eboracum conſecrare, aſſociatis ſibi epiſcopis Scotiæ, & Orcadum inſularum.

Bjuſ-

Ejusdem ad Thomam electum Eboracensem archiepiscopum.

Mandat ut VIII. Id. Septemb. Cantuariam veniat, ibique consecretur. Ante consecrationem, nihil attingat officii episcopalis: id enim totum ad Cantuariensem archiepiscopum spectare.

Lib. sep. 149 apud Eadmer. anno 1.o Thomæ

*Anselmus archiepiscopus Cantuariæ. * Thomæ electo archiepiscopo Eboracensis ecclesiæ.*

CAnonica auctoritas præcipit, ut ecclesiæ episcopatus ultra tres menses non maneat sine pastore. Quoniam autem regi placuit consilio Baronum suorum, & nostra concessione, ut vestra persona * eligeretur ad archiepiscopatum Eboracæ: non debet per vos terminus salubriter constitutus diutius differri. Unde miror, quia post electionem vestram non requisistis ut consecraremini ad quod electi estis. Mando itaque vobis, ut VIII. Id. Septemb. sitis apud matrem vestram ecclesiam Cantuariensem, ad faciendum, quod facere debetis, & ad suscipiendam consecrationem vestram. Quod si non feceritis, ad me pertinet, ut ego curam habeam, & faciam quæ pertinent ad episcopale officium in Eboracensi archiepiscopatu. Præterea audivi, quia vos, priusquam consecremini, facere vultis, ut electus episcopus sancti Andreæ de Scotia apud Eboracam consecretur. Quod nec facere debetis, nec ego concedo: sed omnino interdico, ne fiat, aut de illo, aut de aliqua persona, quæ in regimen animarum debet provehi ab archiepiscopo Eboracensi: quia non pertinet ad vos dare, vel concedere alicui curam animarum, quam nondum accepistis. Vale.

* Al. post eorum Grat.

G.C. His litteris alias atque alias ejusdem argumenti Anselmus addidit, quæ apud Eadmerum extant in historia Novorum, cum Thomæ respondit. Scripsit & ad Paschalem papam: rogavitque, ne prius ad Thomam mitteret pallium, quam obedientiam professus esset: quod & pollicitus est pontifex. Quas Anselmi & Paschalis epistolas duas, habes supra, p. 1022. & 1023. Deinde has postremas ad Thomam dedit.

Anselmus ferventi ecclesiæ Cantuariensis Thomæ electo archiepiscopo Eboracensi.

Lib. sep. 151

TIbi, Thoma, in conspectu omnipotentis Dei, ego Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, totius Britanniæ primas, loquor, loquens ex parte ipsius Dei. Sacerdotale officium, quod meo jussu in parochia mea per suffraganeum meum suscepisti, interdico tibi: atque præcipio, ne te de aliqua cura pastorali ullomodo præsumas intromittere, donec a rebellione quam contra ecclesiam Cantuariensem incepisti, discedas: & ei subjectionem quam antecessores tui, Thomas videlicet & Girardus archiepiscopi, ex antiqua antecessorum consuetudine professi sunt, profitearis. Quod si in his quæ cœpisti, magis perseverare, quam ab iis desistere delegeris: omnibus episcopis Britanniæ sub perpetuo anathemate interdico, ne tibi ullus eorum manus ad promotionem pontificatus imponat: vel si ab externis promotus fueris, ne pro episcopo iidem in aliqua Christiana communione te suscipiant. Tibi quoque, Thoma, sub eodem anathemate ex parte Dei interdico, ut nunquam benedictionem episcopatus Eboracensis suscipias, nisi prius professionem, quam antecessores tui Thomas & Girardus ecclesiæ Cantuariensi fecere, facias. Si autem episcopatum Eboracensem ex toto dimiseris: concedo ut officio sacerdotali, quod jam incepisti, utaris.

Quid autem Anselmo mortuo sit actum in hoc, de quo nunc agimus, Londinensi concilio, sic Eadmerus narrat.

In subsequenti festivitate pentecostes, rex Henricus curam suam Lundoniæ in magna mundi gloria, & diviti apparatu celebravit. Qui transactis coronæ suæ festivioribus diebus, cœpit agere cum episcopis & regni principibus, quid esset agendum de consecratione electi ecclesiæ Eboracensis. Ad quod recitata est coram eo epistola, quam proxime supra scripsimus, ipsi electo ab Anselmo destinata, interdicendo videlicet illi benedictionem, si primo non faceret ecclesiæ Cantuariensi professionem. Quam Robertus de Mellento sibi expositam, uti intellexit, scisitatus est, quisnam episcoporum eandem epistolam suscipere ausus fuerit, præter assensum & imperium domini regis. In qua interrogatione, episcopi advertentes comitem velle calumniam movere, qua eos regiæ majestati obnoxios faceret: remoti a multitudine, habito consilio, statuerunt apud se, suis omnibus, si regia sententia hoc forte comitis instinctu dictaret, se malle despoliari, quam iis, quæ Anselmus de præsenti querela præceperat, non obtemperare. Erant autem hi, Richardus Lundoniensis, Willielmus Wintoniensis, Robertus Lincolniensis, Herbertus Norwicensis, Rogerius Serberiensis, Radulphus Roffensis, Reinelmus Herefordensis, Robertus Cestrensis, Joannes Bathoniensis, Radulfus Cicestrensis, Willielmus Oxoniensis.

Iis ergo, firmato consilio, ut diximus, inter se, visum est Santonem Wigornensem episcopum accersendum, & quam de negotio sententiam ferret etiam ipse, perquirendum. Factum est, & „ respondit. Licet hunc qui in pontificatum E„ boracensem electus est, olim ex conjuge filium „ susceperim, eique juxta sæculum & carnis na„ turam honoris ac dignitatis provectu jus æquis„ sime debeam: multo maxime tamen id matri „ meæ ecclesiæ Cantuariensi debeo, quæ me in „ eum, in quo sum, honorem provexit; & gra„ tiæ, quam a Christo Domino meruit, me per „ pontificale ministerium participem fecit. Qua„ propter notum omnibus esse volo, me & lit„ teris patris nostri Anselmi de causa quæ nunc „ inter nos agitur factis, modis omnibus obedi„ turum; nec unquam assensum præbiturum, ut „ his qui electus est in episcopatum Eboracensem, „ aliquatenus consecretur, donec de subjectione „ sua ecclesiæ Cantuariensi debitam & canonicam „ obedientiam profiteatur. Ipse enim præsens sui, „ quando frater meus Thomas archiepiscopus E„ boracensis, tum antiquis consuetudinibus, tum „ invincibilibus allegationibus actus, eandem pro„ fessionem Lanfranco archiepiscopo Cantuariensi, „ & cunctis ejus successoribus fecit.

His dictis, illico simul omnes episcopi ad regem reversi sunt, constanter, & litteras super quibus comes scisitatus fuerat, se suscepisse, & contra eas nulla ratione quicquam acturos, asserentes. Ad quæ, cum idem comes caput agitaret, autumans jam in illos quasi de contemptu regis carmen injiciendum, dixit rex: „ Quicquid „ in iis aliorum sententia ferat, de me constat, „ quia cum episcopis sentio, nec vel ad horam „ excommunicationi Anselmi subjacere aliquate „ nus volo.

Qui-

Quibus auditis, gavisi sunt omnes; & agentes domino grates, pariter conclamaverunt Anselmum adesse, & quam non poterat in corpore degens, jam mundo absentem, causam ecclesiæ suæ determinasse. Deinde, in laudibus eximii principis demoratum est: ac ut ipse dignitatem primatus ecclesiæ Cantuariensis humiliari a nullo permitteret, postulatus. Siquidem in hoc, dicunt, consuetudines antiquæ & earum confirmationes, adstipulatione totius regni sub magno rege Willielmo factæ: necnon privilegia quæ his priora existunt, ab apostolica sede ipsi ecclesiæ collata corrumperentur, scinderentur, annihilarentur.

Adquievit istis rex, & jussit ipsarum quoque scripta auctoritatum, quæ ecclesia Cantuariensis habebat, sub celeritate afferri, allata recitari. Quod ubi factum est, intulit: Quid amplius quæritur? auctoritates, & privilegia apostolicæ sedis, & quæ in præsentia patris & matris meæ, sub testimonio & confirmatione episcoporum, abbatum, & procerum regni, definita sunt, ut quasi de epistola Anselmi penitus taceatur, ego in quæstionem mitterem, ego novis ambagibus agitari permitterem? Immo sciat Thomas, se aut subjectionem & obedientiam ecclesiæ Cantuariensi ejusque primatibus, ut antecessores sui professi sunt, professurum, aut archiepiscopatui Eboracensi ex toto cessurum. Eligat ergo, quod vult. Consideratis itaque Thomas auctoritatibus, quibus ecclesiam Dorobernensem niti, & circumvallari videbat: spretis clericis suis, quorum se consilio credidisse sero dolebat, se contra ipsas auctoritates nolle stare, sed more antecessorum suorum sequendo, & ipsis adquiescere, & ecclesiam ipsam deinceps semper diligere velle dixit, & honorare. Præcepit igitur rex, ut professio, quam Thomas erat facturus, in sui præsentia dictaretur, scriberetur, sigilloque suo, ne quid in ea quovis molimine, antequam eam pronciendo Thomas legeret, mutaretur, servaretur inclusa. Quod & factum est.

Dominica ergo die quæ fuit IV. Kal. Julii convenerunt, jubente rege, Richardus Lundoniensis, Willelmus Wintoniensis, Radulphus Rossensis, Herbertus Norvicensis, Radulphus Cicestrensis, Ranulphus Dunelmensis, & Herveus Pangornensis episcopi in ecclesia beati Pauli Lundoniæ pro consecratione Thomæ. Inter solitam ergo examinationem, suo loco professionem de subjectione & obedientia sanctæ ecclesiæ Dorobernensi exhibenda, Richardus Lundoniensis episcopus, qui Thomam erat sacraturus, ab illo exegit. Professio igitur, sicut erat sigillata, sibi coram omnibus oblata est: fractoque sigillo evoluta & lecta est ab eo ita.

„ Ego Thomas Eboracensis ecclesiæ consecran-
„ dus metropolitanus profiteor subjectionem, &
„ canonicam obedientiam sanctæ Dorobernensi
„ ecclesiæ, & ejusdem ecclesiæ primati canonice
„ electo, & consecrato, & successoribus suis ca-
„ nonice inthronizatis, salva fidelitate domini
„ mei regis Henrici Anglorum, & salva obe-
„ dientia ex parte mea tenenda, quam Thomas
„ antecessor meus sanctæ Romanæ ecclesiæ ex
„ parte sua professus est.

Intererat huic officio prior ecclesiæ Dorobernensis, Conradus nomine, & ex Monachis ejusdem loci, quamplures, qui pro hoc ipso, quoniam res eos maxime respiciebat, illo convenerant. Lectam itaque professionem cum a Thoma sibi oblatam Richardus antistes Lundoniensis accepisset: eam nominato priori & fratribus tradidit, dicens: Hanc, fratres & domini mei,
„ in testimonium auctoritatis vestræ ecclesiæ su-
„ scipite, & ipsam vobis factam in memoriam
„ posteritatis servate.

G. C. PICTAVENSE hoc anno concilium collocatur a Binio: cujus nihil profert, nisi canones XVI. qui jam attributi sunt supra concilio Pictavensi ann. M.C. Cujus concilii eos esse canones, satis demonstrat inscriptio ipsa, sub qua eos edidit Binius: nimirum decreta esse concilii per Joannem & Benedictum cardinales celebrati. Qui cardinales legati in Gallias venerunt anno M. C. & Pictavense concilium habuerunt: in quo quid sit gestum, aliunde scimus.

FINIS TOMI VIGESIMI.